PHILOSOPHIA NATVRALIS IOAN. DVNS SCOTI,

EX QVATTVOR LIBRIS SENTENTIARVM, ET QVODLIBETIS COLLECTA,

In Theoremata diſtributa, & contra Aduerſarios omnes tam Veteres quàm Recentiores, impugnationibus, & defenſionibus illuſtrata, ac dilucidata.

Quorum decemnouem priora, præcipuas difficultates Logices complectuntur.

ET IN CVIVS FINE ADDITVS EST TRACTATVS BREVIS facilis, & neceſſarius in Formalitates Scoti.

AVCTORE FRATRE PHILIPPO FABRO FAVENTINO,

Ord. Min. Conuent. In Vniuerſitate Patauina Sacræ Theologiæ publico profeſſore.

QVINTA EDITIO

Ab Auctore ab innumeris mendis, quæ in priores editiones irrepſerant, & quibus vndequaque ſcatebant, omni meliori, & accuratiori ſedulitate caſtigata, atque expurgata.

Inſuper hinc inde ſparſim varijs Additionibus cum Opinionum, tum Reſponſionum, ac Dilucidationum eorum, quæ fortaſſe aliquibus videbantur abſtruſa, nimiſq. obſcura, ad clariorem rerum omnium intelligendarum explicationem valde quidem vtilibus, & accommodatiſſimis, aucta, locupletata, priſtinoq. ad mentem ipſius auctoris ſuo candori reſtituta.

Cum duplici Indice, Theorematum ſcilicet, & rerum præ alijs notabilium.

AD ILLVSTRISSIMVM D. LEONARDVM MOCENICVM.

Cum Priuilegio, & Licentia Superiorum.



ALMA COLLEGE 196.81 LIBRARY F112 Alma, California

VENETIIS, M DC XXII.

Apud Hæredes Io. Baptiſtæ Bertoni, ſub Signo Peregrini.

26474

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/philosophianatur00fabe_0

ILLVSTRISSIMO VIRO AC DOMINO, DOMINO LEONARDO MOCENICO PATRITIO VENETO,

Io. Baptiſtæ Bertoni relicti hæredes minores filij S. D.

INter omnes Philoſophorum, & Theologorum illuſtres nobileſq. familias, quę vt principes, cęteris vel ex hominum memoria obliteratis, vel extinctis, eruditorum ſtudio excolantur, Angelici Doctoris D. Thomæ, & ſubtiliſſimi Scoti celebriores noſtra hac ætate, & maiorum noſtrorum memoria extitiſſe, omnium teſtimonio eſt comprobatum. Sunt enim illæ velut duo lumina, & accenſæ faces, quæ fulgorem in profundum illud veritatis, in quo demerſam aſſerit eloquentiæ Parens, maximũ euibrent; vt, qui horum duorum inſignium Doctorum diſciplinam ſecuti ſunt, vel egregijs editis Commentarijs illuſtrarunt, illi ſemper nobis viſi ſint omnium commendatione digniſſimi. Et quidem vt ſemper eo animo fuimus, vt litterarum canditatis operam typographia noſtra commodaremus, tum præcipuè in eam curam mentem intendimus, vt probatiſſimos quoſque Auctores, qui vel D. Tho. vel Scoti doctrinam ſuis ſcriptis locupletaſſent, impenſa typorum noſtra, emendatiſſimos vulgaremus. Idem nunc ſaxum, vt in prouerbio eſt, euoluimus, dum maximè egregia Philippi Fabri Scoticæ diſciplinæ celeberrimi Alumni, acerrimi Defenſoris, doctiſſimi Viri Commentaria in Philoſophiam Scoti, quæ ſemel, atque iterum à nobis impreſſa fuerant, multò auctiora, & locupletiora quàm antea, denuo typis damus, vt ab ijs, qui Philoſophicis in caſtris ſtipendia merent, & beneuolentiam ineamus, & gratiam. Atque cum velut litterariæ militiæ donarium

 alicui

alicui veterano militi, vel potius Heroi dicandum eſſet, non fuit nobis diutius deliberandum, cuinam illud conſecraremus. Quid enim? cum omnium in te oculos Nobiliſſime, & Generoſiſſime Heros in Philoſophica arena ſuperioribus annis ſtrenuiſſimè decertares, admiratione virtutis conuerteris, in ſpemq. erexeris omnes, qui te nouerant, magnæ expectationis, nos etiam vernas antiquos nobiliſſimæ Familiæ tuæ obſeruantiſſimos, in tui non dicam ſolum admirationem non rape-res, ſed ad obſeruātiam impelleres? Ter campum ſubijſti Philoſophię in celeberrimis Italiæ Gymnaſiis, primū Romæ, excellētiſſimo illo ingeniorum Aſylo, tum Patauij Theatro illo ſapientum maximo, per duos dies, demum Venetijs honeſtiſſimo Circo purpuratorum Patrum. Atque tua cumprimis laus extitit, quod nullus tecum fructum gloriæ de certaminibus illis decerpſerit; Solus ter pugnaſti; ſolus ter laudis triumphum, & gloriæ reuexiſti, nullo alio auſpice, quā virtute, nullo alio duce, quàm doctrina, & ingenij excellentia: ipſe dux, ipſe miles omniū qui teſtes, & ſpectatores interfuerunt, linguis celebreris, vt non modò dum dubia diſtingueres, obſcura declarares, perplexa diſſolueres, qui te diſſerentem eruditi viri audierunt, ingenium ſuſpexerint, & eruditionem iuuenili illa ætate è Lycei fontibus hauſtam, ſed facundiam, animiq. moderationem, mira quadam comitate conditam, coluerint, vt natus ad honeſtatem, ad gloriam educatus, ad maiorum laudem augendam comparatus, Reipublicæ verò ornamentum futurus maximum, iudicareris. Neque verò hic nobis percurrendum erit per Maiorum tuorum laudes, qui ſegetem habemus copioſſimam, non ampliſſima familiæ trophæa, non illa decora recenſebimus, quæ non tam familiæ, quàm Venetæ Reipublicæ ornamento foris, & domi, pace, ac bello ſemper extitere conſpicua. Quo etiam nomine tibi debebatur hoc munus, vt veterem obſeruantiam, qua Illuſtriſſimum Thomam Sereniſſimi Principis Aloyſii Mocenici Nepotem, Parētem tuum, Virum Sapientiſſimum, & Grauiſſimum Senatorem, & Lucretiam Priulam Matrem, Antonij noſtra hac ætate Auguſtiſſimi Principis ſororem, clariſſimam, & lectiſſimam Fe-minam ſummo ſemper ſtudio complexi ſumus, hæreditario tamquam

iure

iure traducamus in ſeros etiam Nepotes. Horum tu veſtigia premis, tuorum præclaras imagines mente infixas cum teneas, per virtutis arduum iter, quod illi ſumma cum laude contriuerunt, æquis & magnis paſſibus contendis; elucent in te ſingulares maiorum dotes, animi ornamenta & Maieſtas, adeò, vt ſpires vnus ipſe viua omnium ſimulacra, glorioſas omnium imagines vna tui imagine adumbres, qui in adoleſcentia, penè dixerim pubertate, præteruectus ætatem, tam præclarum argumentum, ſpecimenq. virtutis edideris. Accipe ergò munus hoc noſtrum, veteris in Familiam tuam noſtrę obſeruantiæ teſtimonium, pignus beneuolentiæ, tuæ virtutis Trophæum, Philoſophicum litterarium, Philoſopho Laureato litterarum amantiſſimo erectum. Humaniſſime illud accipe, impar gloriæ, meritis, virtuti, par ſtudio deuouentium; foue, & nos, qui ſeruitutis tuæ ære promeremur, beneuolentia complectere, vt interim incrementa honorum, quos tibi præparat virtus, cuius in ſtadio deſudas, recognoſcentes, maioribus in poſterum exornemus laudis, & gloriæ monumentis. Vale. Venetijs

Tibi Addictiſſimi

Quondam Ioan. Bap. Bertoni minores filij.

AD LECTOREM.

ANimaduerti ſæpè (æquiſſime Lector) multos Philoſophiæ amatores, non parum cupidos inſpiciendi lucu lenter, & clarè mentẽ Scoti in abditioribus, & difficilioribus controuerſijs, quæ in Peripatetica Schola continuò emergunt, vt tanti viri perſpecta doctrina, ſuis ſtudijs ſatius cõſulerent; perſpexi quoque multos alios Scoti ſectatores, laboraſſe multum, vt mentem Scoti aperirent, & in medium eius doctrinam proponerent, & defenderent; ſed vt quod ſentio, apertè dicam, id ita inuolutè præſtiterunt, vt potius doctrinæ Scoti obnubilatores, quam dilucidatores ſeſe præbuerint; etenim pulchriores difficultates diligenter diſcuſſas à Scoto, omiſerũt, & eas paucas, quas tractauerunt, vt plurimum alio intellectu ſanè quam ipſe Scotus intenderet, & obſcuriori, & difficiliori modo tradiderunt: quò factum eſt, vt ſæpè in ſcholis, & apud auctores probatos, opinio, quam nec Scotus ſomniauit, pro opinione Scoti defendatur, vel impugnetur; Propterea decreui ipsã germanam mentem Scoti pro nũc in materijs ſpectantibus ad Philoſophiam naturalem, ex quattuor libris Sententiarum, & Quodlibetis colligere, vbi ſeriò, & clarè loquitur Scotus, & ſeorſum in hoc libro ſtudioſis proponere, & nè quis arguat in me, quod in alijs reprehendo, locos (quod in alijs ſemper deſideraui) in quibus vnuſquiſque perſpicere poterit, an ego germanam mentem Scoti attulerim, & dilucidauerim, copioſiſſimè, & fideliter aſſignabo; & quoniam parum admodum eſſet, ſolam, & nudam mentem Scoti adducere, volui etiam ad eius doctrinæ maiorem dilucidationem, de propoſita materia aliorum opiniones, & Aduerſariorum omnium, quos nouerim, in medium adferre, & refellere, non quidem, quòd iurauerim in verba Scoti, ſed quia re vera in ijs difficultatibus, quas pertractat Scotus, mihi eius opinio alijs probabilior longè videtur; Quod verò aliqui dãnant hanc emulationem inter Philoſophos, & Theologos Scholaſticos, puto non rectè ſentire: dimiſſa enim hac concertatione intellectus noſtri, nulla occaſione habita diſputãdi, vel acuendi ſeipſos, otio tabeſcerent; & ita cum contrà Hæreticos, Philoſophos, & alios fidei Catholicæ Aduerſarios eſſet diſputandum, imbecilles, & eneruati omnino exiſterent. Accipe igitur (ſtudioſiſſime Lector) ſuſceptum Opus, & meum omnes ſtudioſos iuuandi cupidum animum obſerues. Cæterum, quia hoc Opus in prioribus editionibus adeò mendis, & erroribus ſcatebat, vt multis in locis nec verus ſenſus percipi poſſet, ipſe iterum opus idem diligenter perlegi, & ita purgaui, vt nihil ſit quod deſiderare habeas, nihilq. quod acutiem ingenij tui lædere valeat: Nonnulla etiam hac occaſione ſparſim addidi ad maiorem elucidationem eorum, quæ tractamus, quæ tibi non paruæ vtilitatis futura ſpero. Vale.

F. PHILIPPVS GESVALDVS MINISTER Generalis, & ſeruus totius Ordinis Minorum Conuentualium.

Opus inſcriptum, Philoſophia Naturalis Io. Duns Scoti, Doctoris ſubtilis per P. Fratrem Philippum Fabrum, Fauentinum, Doctorem Theologum, noſtri Ordinis Parmæ in Gymnaſio noſtro Regentem, elaboratum, examini, atque cenſuræ PP. Theologorũ, ſcilicet Magiſtri Guidi Bartolucij Aſſiſienſis, in Schola noſtra Cœnobij Veneti Regentis, & Magiſtri Franciſci Mariæ Caſtellani à Toſciniano, eiuſdem Scholæ primæ Philoſophiæ Interpretis, à nobis commiſſum, ac per eos diligenter recognitum, cum ex eorum atteſtatione liqueat, nihil aduerſum doctrinæ Catholicæ, ſacriſue dogmatibus, nec bonis moribus, continere; vt imprimatur, ſeruatis ſeruandis, concedimus.

Romæ. Die 19. Septembris. 1601.

F. Philippus Geſualdus.
Miniſter Generalis.

OPERE DIVERSE

Stampate alla Libraria del Pellegrino.

Miracoli del ſantiſs. Sacramento, raccolti dal R. D. Nicola Laghi da Lugano; Aggiuntoui in queſta nuoua impreſſione la Seconda Parte di altri ſimili Miracoli, con l'Hiſtoria de' Sacri Corporali di Daroca. Dal R. D. Girolamo Canini d'Anghiari D. di S. T. & il Propugnacolo della vera, e real preſenza di Criſto nell'Eucariſtia Santiſs. Del R. D. Giorgio Polacco, in quarto.

Scala di ſalire con la mente a Dio per mezo delle coſe create, compoſta dall'Illuſtriſs. & Reu. Sig. Car. Bellarmino, della Compagnia di Gieſù. Volgarizata dal Sig. Abbatte Angelo della Ciaia, Nipote del'Auttore in dodeſe.

Filoſofia Morale del Doni, Stampata in quarto, con figure.

Marmi, prima, ſecũda, terza, & quarta parte del Doni, in quarto, cõ figure.

Diſcorſi di Hercole Vdine ſopra l'oratione Dominicale, in quarto.

Herone Aleſſandrino delle Machine ſe mouenti, tradotto dal Greco da Bernardino Balbi Abbate di Guaſtalla, in quarto, con figure in rame.

Inuentione Noua, & Arte del ricordarſi per luoghi, & imagini, & per ſegni, & figure poſte nelle mani del Reuer. Padre Girolamo Maraſioto Teologo dell'Ordine de' Minori Oſſeruanti, in ottauo, volgare, e latina.

Lettere di Annibal Guaſco, con aggiunta della ſeconda parte fatta dall'iſteſſo Autore, ſcritte in diuerſe materie, in quarto.

Opus Aureum in librum D. Thomæ Aquinatis de Ente, & Eſſentia, Commentarijs Reuer. D. Hieronymi Contareni Epiſcopi Iuſtinopolitani illuſtratum, in octauo.

Profetie dell'Abbate Gioachimo, & di Anſelmo Veſcouo di Marſico, con l'aggiunta di vn'oracolo Turcheſco, in quarto, con figure in rame, volgari, e latine.

Roſario della Sacratiſſima Vergine Maria, raccolto da altri Roſarij per il R. P. D. Teſeo Manſueti Canonico Regolare di San. Saluatore, in ottauo, con figure in rame.

Vaticinij della ſucceſione de' Sommi Pontefici Romani, compreſi in ſei ruote, intagliata in rame, con Dichiarationi, & Annotationi di Girolamo Giouannini, in quarto, volgari, e latini.

Vite de i Filoſofi, con l'aggiunta delle Vite de' più illuſtri Oratori, & Poeti antichi, in quarto, con figure.

Opere Iacobi Sanazarij, in octauo.

INDEX THEOREMATVM.

THEOREMA I.

LOgica eſt Scienta. 1
Poſitio Opinionis Scoti cum ſuis fundamentis. cap. 1. col. 1. ibid.
Rationes, & poſitiones Aduerſariorum.cap.2.col.2. 2
Opiniones Aduerſariorum reijciuntur.c. 3.col.1. 5
Soluuntur rationes Aduerſariorum. cap.4. col.1. 8
Agitur de Logica vtente.c.5.col.2. 9
Ex dictis quorundam aliorum ſententiæ reijciuntur, & declarantur, quod Logica eſt ſcientia ſpeculatiua.c.6.col.1. 11

THEOREMA II.

De ſubiecto præcognoſcitur quod eſt, & tamen à poſteriori in ſcientia poteſt demonſtrari.col.2. 11
Exponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis.cap.1.ead.col.2. ibid.
Opinio oppoſita.c.2.col.1. 13
Confutatio huius Opinionis, & ſolutio rationum pro ea. cap.3.col.1. 14

THEOREMA III.

De ſubiecto præcognoſcitur quid rei, & quid nominis.cap.vnicum,col.1. 16
Exponitur mens Scoti, & opiniones Aduerſariorum reijciuntur. ibid.

THEOREMA IV.

Non eſt conditio neceſſaria ſubiecti, quod habeat partes: ſed quod habeat principia, & paſſiones, & quod ſit Vniuocum. cap.vnicum col.1. 18
Propoſitum Theorema exponitur. ibid.

THEOREMA V.

Definitio iſta ſubiecti eſt bona. Subiectum eſt, quod continet primo in ſe virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum.col.2. 19
Exponitur Opinio Scoti, & Aduerſariorum obiectiones adducuntur.cap.1.ibid.
Dilucidatur Opinio Scoti, ex qua Opiniones Aduerſariorum falſæ deprehenduntur.c.2.col.1. 23
Soluuntur rationes Aduerſariorum. cap.3. col.1. 26

THEOREMA VI.

Subiectũ Logicæ eſt Syllogiſmus. col. 1. 28
Exponitur ſententia Scoti, & quorundam aliorum.c.1. ibid.
Adducuntur argumenta Balduini contra Scotum, & eiuſdem Opinio.cap.2.col.2. 29
Confutatio huius Opinionis, & illarum obiectionum ſolutio.c.3.col.2. 30
Ex dictis variæ aliorum ſententiæ conſiderantur.c.4.col.1. 34

THEOREMA VII.

Propoſitio per ſe nota eſt, quæ ex proprijs terminis vt ſunt eius, nata eſt habere euidentem complexionem.col.1. 35
Exponitur opinio Scoti, & reijcitur Opinio D.Thomæ.cap.1. ibid.
Adducitur Opinio Caietani, & reijcitur. cap.2.col.1. 37

THEOREMA VIII.

Propoſitio per ſe non conuertitur in propoſitionem per ſe.col.2. 41
Exponitur opinio Scoti, & obiectiones contrariæ reijciuntur.cap.vnicum. ibid.

THEOREMA IX.

Datur Regreſſus.col.2. 43
Probatur, quod datur regreſſus de mente Scoti, & ſecundum veritatem. c.1. ibid.
Adducuntur rationes contra Regreſſum, & ſoluuntur.cap.2.col.2. 45

THEOREMA X.

Dantur tantum duæ ſpecies Demonſtrationis.col.2. 47
Poſitio Scoti,& comprobatio.c.1. ibid.
Opiniones Aduerſariorum adducuntur. cap.2.col.1. 49
Confutatio harum opinionum.cap.3.col.2. 50
Confutatur quarta differentia, & rationes pro Auerroiſtis ſoluuntur.cap. 4. col. 1. 54

THEOREMA XI.

Demonſtratio quia,ſiue ab effectu debet dici,& eſt vera demonſtratio.col.1. 55
Explicatur, & comprobatur propoſitum. cap. vnicum ibid.

THEOREMA XII.

Scientiæ ſubalternatæ præſertim habent duas conditiones,&c.col.1. 57
Exponitur ſententia Scoti, & Ariſtotelis. cap.1. ibid.
Oſtenditur veram eſſe opinionem Scoti. cap.2.col.2. 59

THEOREMA XIII.

In demonſtratione potiſſima ſolùm definitio ſubiecti eſt medium.col.1. 61
Ponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis.cap.1.col. 1. ibid.
Rationes Aduerſariorum contra Opinionem Scoti.c.2.col.1. 62
Opinio Iacobi Zabarellæ.c.3.col.1. 63
Confutatur prædicta Opinio, & defenditur Opinio Scoti.c.4.col.2. 64
Adducuntur aliæ Opiniones, & confutantur.c.5.col.1. 68

THEOREMA XIV.

Demonſtrationes, in quibus medium non eſt definitio ſubiecti,non ſunt potiſſimæ. col.2. 70
Opinio Scoti,& Zabarellæ cum ſuis fundamentis.cap.1. ibid.
Opinio Zabarellæ reijcitur.c.2.col.2. 71
Aliæ rationes adducuntur contra prædictam Opinionem.c.3.col.1. 75
Impugnatur demonſtratio habens pro medio accidens inhærens ſubiecto. cap. 4. col.1. 79
Rationes Zabarellæ ſoluuntur. capit. 5. col.1. 80

THEOREMA XV.

Sola cauſa formalis eſt medium in demonſtratione potiſſima.col.2. 81
Exponitur, & declaratur ſententia Scoti. cap.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur.c.2.col.1. 82

TEOREMA XVI.

Definitio non eſt inſtrumentum Logicum. col.1. 84
Exponitur ſententia Scoti, & comprobatur.cap.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur.c.2.col.1. 86

THEOREMA XVII.

Omnia per demõſtrationem cognoſcimus, ſcilicet tam ſubſtantiam quàm accidens. col.2. 88
Exponitur propoſitum Theorema, & declaratur quid ſit definitio.c. vnico ibid.

THEOREMA XVIII.

Facilior modus noſtræ cognitionis eſt norma ordinis doctrinæ.col.1. 92
Opinio Scoti,& aliorum.c.1. ibid.
Confirmatio prioris Opinionis, & confutatio iſtius ſecundæ.c.2.col.1. 94
Diſputatur vtrum in ordine doctrinæ ſemper incipere debeamus à notioribus nobis cognitione diſtincta, &cæt. cap. 4. col.2. 95

THEOREMA XIX.

Demonſtratio eſt ſubiectum in libris Poſteriorum.col.1. 97
Aliorum opiniones adducuntur, & reijciuntur.cap.1. ibid.
Exponitur ſententia Scoti, & rationes in contrarium ſoluuntur.c.2.col.2. 100

THEOREMA XX.

Corpus naturale eſt ſubiectum in Philoſophia naturali.col.1. 104
Exponitur opinio Scoti, & aliorum, cum ſuis

ſuis fundamentis.cap.1. ibid.
Cæteræ opiniones reijciuntur, & confirmatur Opinio Scoti.c.2.col.2. 108
Reijcitur ſententia Caietani, & Recentiorum.c.3.col.1. 111

THEOREMA XXI.

Totum eſſentiale eſt aliud ens ab omnibus partibus ſuis coniunctim, & diuiſim. col.1. 115
Poſitio opinionis Scoti cum ſuis fundamentis.c.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum contra hanc ſententiam,& ſolutio rationum pro Scoto. c.2.col.1. 117
Confutatio huius opinionis, & reſponſionum ad rationes Scoti.c.3.col.1. 119
Rationes Aduerſariorum ſoluuntur.cap.4. col.1. 123

THEOREMA XXII.

Materia prima habet actum entitatiuum. col.2. 124
Ponitur Opinio Scoti cum ſuis fundamentis.c.1. ibid.
Adducuntur rationes contra Scotum. c. 2. col.1. 127
Reijciuntur rationes aduerſæ, & confirmatur ſententia Scoti.c.3.col.1. 130
Solutio rationum Aduerſariorum.cap. 4. col.2. 133
Ad rationes contra potentiam obiectiuam. c.5.col.1. 136

THEOREMA XXIII.

Potentia non eſt de eſſentia materiæ. col.2. 136
Theorema declaratur.cap.vnico ibid.

THEOREMA XXIV.

Materia per Diuinam potentiam poteſt exiſtere ſine forma.col.1. 137
Theorema declaratur.cap.vnico ibid.

THEOREMA XXV.

Materia per ſe eſt cognoſcibilis.col.1. 137
Adducitur Opinio Scoti cum ſuis fundamentis, & obiectiones Aduerſariorum adferuntur.cap.1.col.ead.1. ibid.
Aduerſariorum poſitio cum ſuis fundamentis.c.2.col.1. 138
Declaratio Opinionis Scoti, & Aduerſariorum confutatio.c.3.col.2. 139

THEOREMA XXVI.

In materia prima non datur forma corporeitatis, ſiuè ratio ſeminalis coæterna ei. col. 1. 143
Poſitio Alberti Magni, & aliorum. cap. 1. ibidem
Huius opinionis confutatio. cap. 2. col. 2. 144
Poſitio opinionis Scoti, & ſolutio rationum pro Aduerſarijs.c.3.col.1. 146

THEOREMA XXVII.

Materia non eſt vna numero, ſed ſpecie. col.1. 147
Exponitur, & comprobatur opinio Scoti, & aduerſa reijcitur.c. vnicum ibid.

THEOREMA XXVIII.

Materia eſt pars quidditatis ſubſtantiæ materialis.col.2. 149
Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. cap. 1. ibid.
Ponitur opinio aduerſariorum cũ ſuis fundamẽtis, quibus impugnatur opinio Scoti,& eadem reijcitur.c.2.col.2. 150
Ponitur alius modus ſuſtinendi formam eſſe totam quidditatem rei, & reijcitur. cap.3.col.2. 152
Quod quidditas ſignificet formam totius, & ſolutio rationum opinionum pro hac ſecunda opinione,& Mercenarij. cap. 4. col.2. 155

THEOREMA XXIX.

In abſtractis à materia, idem eſt quod quid eſt, cum illo cuius eſt; in conceptis verò cum materia, quod quid eſt, eſt idem cum illo, cuius eſt, ſed non per ſe primo. col.2. 158
Declaratio eſt dilucidatio huius propoſitionis.cap. vnicum ibid.

THEOREMA XXX.

In materia non ſunt dimenſiones interminatæ.col.2. 159
Poſitio Auerrois.cap.1. ibid.
Exponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis,

mentis,& allata reijcitur.c.2.col.2. 160
Solutio rationum Aduerſariorum. cap. 3. col.1. 163
Opinio Buccaferrei reijcitur.c 4.col.2.ibid.

THEOREMA XXXI.

Materia prima non eſt corpus de prædicamento Subſtantiæ.col.1. 164
Poſitio Zabarellæ.cap.5. ibid.
Huius Opinionis confutatio. cap. 2. col. 1. 165
Poſitio Scoti, & ſolutio rationum Zabarellæ.c.3.col.1. 167

THEOREMA XXXII.

Eſſe exiſtentiæ actualis non diſtinguitur realiter ab eſſentia.col.1. 168
Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. cap. 1. ibidem
Poſitio D. Thomæ cum ſuis fundamentis. cap.2.col.1. 170
Confutatio huius opinionis, & ſolutio rationum.c. 3. col.1. 172

THEOREMA XXXIII.

Natura eſt principium motus paſſiuum tantum.col.1. 176
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. cap.1. ibidem
Aduerſariorum poſitio cum ſuis fundamẽtis.cap.2.col.1. 177
Allata opinio reijcitur.cap.3.col.1. 178
Dilucidatio opinionis Scoti,& ſolutio rationum in oppoſitum.c.4.col.1. 179

THEOREMA XXXIV.

Accidens non poteſt producere Subſtantiam.col.2. 181
Opinio Scoti,& eiuſdem impugnatio, cum opinione quorundam aduerſariorum ex modernis.c.1. ibid.
Confutatio huius opinionis,& ſolutio rationum contra Scotum.cap.2.col.2. 182
Opinio D.Thomæ.c.3.col.2. 186

THEOREMA XXXV.

Forma ſubſtantialis immediate informat materiam abſque vlla qualitate mediante.col.1. 189
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis.cap.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum cum ſua poſitione, & eiuſdem confutatio, & rationum ſolutio.c.2.col.2. 192

THEOREMA XXXVI.

Non datur minimum naturale per ſe exiſtens in ſubſtantijs homogeneis,quo non poſſit aliud minus dari per ſe exiſtens. col.1. 194
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. cap.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum,& Reſponſiones ad rationes Scoti, & earundem omnium confutatio.c.2.col.2. 196
Confutatio harum reſponſionum. cap. 3. col.2. 197
Datur maximum in homogeneis maius quocumque maximo dato intrinſecè.cap. 4.col.2. 201

THEOREMA XXXVII.

Indiuiſibile vt nunc, & punctum, eſt quid poſitiuum.col.1. 202
Poſitio Scoti.c.1. ibid.
Rationes Aduerſariorũ,& ſolutiones.ca.2. col.1. 203

THEOREMA XXXVIII.

Non datur minimus motus indiuiſibilis, ſiue non fit motus in inſtanti.col.1. 204
Propoſitum Theorema dilucidatur. cap. vnicum. ibid.

THEOREMA XXXIX.

Corruptio vnius,eſt generatio alterius,& generatio vnius, eſt corruptio alterius. col.2. 207
Opinio Scoti.c.1. ibid.
Aliorum obiectiones circa prædictam declarationem, & earundem ſolutio. cap. 2.col.1. 209

THEOREMA XL.

In nutritione eſt generatio aliqua nouæ formæ.col.2. 211
Opinio Scoti, & Aduerſariorum reiectio. cap.1. ibid.
Quid ſit augmentatio, aliorum opiniones, & earundem confutatio. cap. 2. col. 1. 214
Exponitur opinio vera, quæ eſt opinio Scoti,

Scoti,& rationes aliorum ſoluuntur. c.3. col.1. 216

Quomodo maneat idem numero quod augetur à principio vſque ad finem, Opinio aliorum, & reiectio; poſitio Scoti, & ſolutio rationum in contrarium. cap. 4. col.1. 218

Quomodo vnaquæque pars aucti augeatur, quæ eſt 3. conditio auctionis. cap. 5. col.1. 222

An aliqua ſit pars materiæ in viuente, quæ non fluat, ſed eadem per totam vitam ſeruetur, vt humidum radicale. cap.6. col.2. 223

THEOREMA XLI.

Actio eſt in agente tamquam in ſubiecto. col.1. 226

Opinio Scoti quid ſit actio, & in quo ſit tamquam in ſubiecto. cap.1. ibid.

Rationes aduerſariorum contra hanc ſententiam Scoti, & eorundem poſitio, & confutatio. c.2. col.1. 228

Solutio rationum Aduerſariorum. cap. 3. col.1. 230

THEOREMA XLII.

Idem indiuiduum numero poteſt produci à diuerſis generantibus. col.1. 230

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. cap.1. ibidem

Rationes Aduerſariorum cõtra Scotum, & eorundem poſitio, & confutatio. cap. 2. col.2. ibidem.

THEOREMA XLIII.

Datur Reactio. col.1. 234

Opinio Scoti. c.1. ibid.

Rationes in oppoſitum. c.2. col.2. ibid.

Probatur dari reactionem. c.3. col.2. 235

Solutio rationum contra reactionem. cap. 4. col.1. 237

Quid ſit reſiſtentia, & an in motu locali ſit reactio. c.5. col.2. 238

THEOREMA XLIV.

Raritas fit per acquiſitionem nouæ quantitatis, & condenſatio per deperditionem. col.1. 241

Adducuntur variæ aliorum ſententiæ de rarefactione, & condenſatione, & reijciuntur. cap.1. ibid.

Ponitur opinio Scoti, & comprobatur, ac aliorum rationes ſoluuntur. cap.2. col.2. 243

Exponitur in quo Prædicamento ſit rarefactio, & condenſatio, & qui motus ad eam concurrant. c.3. col.2. 245

THEOREMA XLV.

Motus non eſt genus per ſe diſtinctum, ſed eſt in illo genere Prædicamentali, in quo fit, & ſic quoque in Prædicamento Relationis. col.2. 247

Poſitio Scoti. c.1. ibid.

Rationes aliorum contra determinatam ſententiam. c.2. col.1. 249

An Ad aliquid ſit motus. c.3. col.1. 250

THEOREMA XLVI.

Si daretur vacuum, motus fieri poſſet in eo in tempore. col.1. 251

Poſitio Auerrois, & Scoti cum ſuis fundamentis. cap.1. ibid.

Rationes Aduerſariorum contra hanc ſententiam, & earumdem ſolutio. caput 2. 253

THEOREMA XLVII.

Locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum. col.2. 256

Declaratio huius definitionis loci ſecundum mentem Scoti. cap.1. ibid.

Obiectiones aliorum contra dicta à Scoto, & earũdem poſitiones. c.2. col.1. 258

THEOREMA XLVIII.

Vltima ſphæra non eſt in loco. col.1. 261

Poſitio Scoti, cum ſuis fundamentis. capite 1. ibid.

Poſitiones Aduerſariorum, & earumdem euerſio. c.2. col.1. 263

THEOREMA XLIX.

Tempus non eſt quantitas realiter diſtincta à motu. col.2. 264

Opinio Scoti. cap.1. ibid.

Rationes contra determinatam opinionem. c.2. col.1. 266

THEOREMA L.

Quies & Subſtantia rerum generabilium, & corruptibilium menſurantur

tur tempore.col.1. 268
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. cap. vnicum. ibid.

THEOREMA LI.

Idem nunc ſecundum ſubſtantiam non permanet idem in toto tempore.col.1. 269
Declaratur allatum Theorema. cap. vnicum. ibid.

TEOREMA LII.

Omne ſucceſſiuum componitur ex ſemper diuiſibilibus.col.2. 270
Rationes Scoti pro ſua opinione. c. 1. ibid.
Rationes in oppoſitum, & earumdem ſolutio.cap.2.col.1. 272

THEOREMA LIII.

Metaphyſicus poteſt probare dari ſubſtantias abſtractas.col.1. 276
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis, & reiectio Aduerſariorum.c.vnicum. ibid.

THEOREMA LIV.

Deus eſt infiniti vigoris, etiam ſecundum Ariſtotelem col.2. 279
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis.cap.1. ibidem
Adducuntur aliæ rationes ad idem ex Scoto.cap.2.col.1. 284
Adducuntur rationes Aduerſariorum, & ſoluuntur.c.3.col.2. 288

THEOREMA LV.

Primus motor mouet mediatè primum mobile.col.1. 293
Exponitur, & probatur opinio Scoti. cap.1. ibid.
Adducuntur rationes Aduerſariorum, & ſoluuntur.c.2.col.1. 296

THEOREMA LVI.

Omne aliud citra primam intelligentiam eſt cauſatum, ita quod ſecundæ intelligentiæ cælum, & materia prima, ſunt cauſata.col.1. 299
Explicatur opinio Scoti, & prima eius ratio adducitur, & contra Aduerſarios confirmatur.c.1. ibid.
Adducuntur aliæ rationes Scoti ad idem probandum & dilucidandum. caput 2. col.1. 304
Explicatur modus productionis Intelligentiarum ſecundum Ariſtotelem. caput 3. col.1. 310
Explicatur, quod detur, & quomodo detur Creatio in via Philoſophorum.cap.4. col.1. 312
Rationes in contrarium explicantur, & ſoluuntur.c.5.col.1. 314
Quædam rationes aliorum conſiderantur, & reijciuntur.cap.9.col.2. 316

THEOREMA LVII.

Deus ex ſententia Philoſophorum ad extra neceſſariò agit: ſed ſecundum veritatem agit contingenter.col. 2. 324
Exponitur obiter ſententia Scoti tam in via Ariſtot. quam in via veritatis, circa contingentiam rerum, ex qua variæ obiectiones Aduerſariorum ſoluuntur. cap. vnicum. ibid.

THEOREMA LVIII.

Intelligentiæ non ſunt formæ informantes Cælum, ſed aſſiſtentes.col.1. 323
Exponitur mens Scoti, & Aduerſariorum rationes ſoluuntur.cap. vnicum. ibid.

THEOREMA LIX.

Cælum eſt corpus ſimplex.col.1. 326
Ponitur opinio Aegidij, & D. Thomę cum ſuis rationibus, & reijcitur opinio Aegidij.c.1. ibid.
Reijcitur opinio D.Thomæ. c.2.col.2. 331
Ponitur opinio Scoti, & Aduerſariorum rationes ſoluuntur.c.3.col. 1. 340

THEOREMA LX.

Elemẽta manent in mixto virtualiter. col.2. 345
Opinio Auicennæ cum ſuis fundamentis, & reiectio.c.1. ibid.
Opinio Auerrois cum ſuis fundamentis. c.2.col.1. 348
Reijcitur opinio Auerroiſt.c.3.col.1. 351
Ponitur opinio Scoti, & probatur ex dictis & declaratur, quomodo diſcrepet à cæteris Latinis, quorum opinio reijcitur. c. 4. col.2. 354
Soluuntur rationes Aduerſariorum, & declaratur quomodo mixtio ſit idem, quod generatio mixti.c.5.col.2. 357

THEO-

THEOREMA LXI.

Elementa dum naturaliter mouentur, à ſeipſis mouentur.col.1. 361
Ponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis.cap.2. ibid.
Adducũtur rationes Aduerſariorum ac eorum opinio explicatur, per quam reijcitur opinio Scoti.c.2.col.1. 365
Prædictæ opiniones reijciuntur, & rationes pro eis ſoluuntur.c.3.col.1. 367
Adducuntur quædam obiectiones contra ſententiam Scoti, & diluuntur. caput 4. col.1. 369

THEOREMA LXII.

In mixto principium motus naturalis ſecundum elementum prædominans eſt forma mixti.col.2. 374
Allatum Theorema explicatur. caput vnicum. ibid.

THEOREMA LXIII.

Motus Cæli eſt neuter.col.2. 377
Exponitur mens Scoti, & aliorum rationes ſoluuntur, & declaratur quomodo in Cælo ſit natura.cap.vnicum. ibid.

THEOREMA LXIV.

Subſtantiæ abſtractæ præter primam, ſunt in genere.col.2. 379
Exponitur ſententia Scoti, & declaratur illa propoſitio, Æterno, & corruptibili nihil eſt commune vniuocum.cap.1. ibid.
Allatæ opinionis confutatio, & ſolutio rationum pro ea.c.2.col.2. 381

THEOREMA LXV.

Subſtantia ſuſcipit magis, & minus. col. 2.
Exponitur quid ſit ſuſcipere magis, & minus, & variæ aliorum adducuntur opiniones, & reijciuntur.c.1. ibid.
Opinio Scoti, an ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minus.c.2.col.1. 387
Rationes Aduerſariorum contra primam Concluſionem Scoti; reſponſio ad fundamenta Scoti, & eorumdem ſolutio, & confutatio.c.3.col.1. 389
Rationes Aduerſariorum cõtra ſecundam Concluſionem, & earumdem ſolutio.c.4. col.5. 392

THEOREMA LXVI.

Lumen eſt intentio, ſiue ſpecies ſenſibilis ipſius lucis.col.2. 394
Ponitur quęſtio Scoti ad literam ex 2.Sent. diſtinct. 13. quæſt. vnica, quia in ea ſunt multa pulchra ſcitu de hac materia. caput 1. ibidem
Declaratur breuiter opinio Scoti, & opiniones aduerſariorum cum ſuis fundamentis reijciuntur.c.2.col.2. 398

THEOREMA LXVII.

Anima rationalis eſt forma informans. col.2. 403
Exponitur ſententia Auerrois cum ſuis fundamentis.c.1. ibid.
Prædicta ſententia reijcitur; & explicatur opinio Scoti, & comprobatur. c. 2. col. 1. 405
Soluuntur rationes Aduerſariorum, & proponuntur quædam digna ſcitu pro intelligentia veritatis.c.3.col.1. 411

THEOREMA LXVIII.

Anima rationalis ſecundum veritatem eſt immortalis, ſed de hac veritate fuit dubius Ariſtoteles.col.1. 414
Exponitur ſententia Scoti.cap.1. ibidem
Opiniones, & rationes Aduerſariorum explicantur. cap.2.col. 2. 417
Opinio prædicta reijcitur, & rationes pro ea ſoluuntur.c.3.col.2. 419
Animam rationalem eſſe immortalem ſecundum veritatem philoſophicam probatur, & rationes in oppoſitum ſoluuntur.cap.4.col.1. 426

THEOREMA LXIX.

Omnis Anima animalium habet eſſe à Deo immediatè, ſecundum Ariſtotelem. col.1. 430
Exponitur, & comprobatur opinio Scoti, & declaratur, in quibus ſit ſemen, & quid ſit, & quomodo agat in generatione.c.1. ibid.
Soluuntur quædã dubitationes contra prædicta; & eadem ſententia magis confirmatur.cap.2.col.2. 433

THEOREMA LXX.

Intellectus non eſt vnus numero in omnibus hominibus,ſed multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum.col.2. 435
Exponitur ex dictis mens Scoti, & rationes Aduerſariorum præcipuę adducuntur & ſoluuntur.c.vnic. ibid.

THEOREMA LXXI.

Aliquæ ſpecies entium naturaliter generabilium poſſunt produci vniuocè,& æquiuocè.col.2. 439
Explicatur opinio Scoti, & declaratur an genita ex putri, & ſemine, ſint eiuſdem ſpeciei.cap.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur.c.2.col.2. 443

THEOREMA LXXII.

In animali,vt in homine, non ſunt tres animæ realiter diſtinctæ, vt ſentit Zabarella: ſcilicet, vegetatiua per ſe, ſenſitiua per ſe,& intellectiua per ſe, ſed ſunt vnamet eademq. anima.col.1. 447
Exponitur ſententia Zabarellæ,& aliorum, qui exiſtimant hoc Theorema eſſe falſum.cap.1. ibid.
Exponitur opinio Scoti, & comprobatur; recitata opinio Auerroiſtarum reijcitur. cap.2.col.2. 449
Rationes Aduerſariorum ſoluuntur.cap.3. col.2. 453

THEOREMA LXXIII.

In eodem compoſito numero ſunt plures formæ ſubſtantiales.col.2. 456
Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. cap. primum. ibid.
Rationes pro oppoſita ſententia adducuntur.c.2.col.2. 460
Iſtarum rationum ſolutio.c.3.col.1. 462
De numero formarum ſubſtantialium in eodem compoſito explicantur variæ opiniones, & ſoluuntur, & ponitur opinio Scoti,& defenditur.cap.4.col.1. 467
An idem accidens numero, quod erat in corrupto, permaneat in genito, aliorum ſententiæ expenduntur,& reijciuntur, & opinio Scoti comprobatur.c.5.col.1. 471

THEOREMA LXXIV.

Potentiæ animæ diſtinguuntur formaliter ab anima,& à ſe inuicem.col.1. 474
Exponitur, & comprobatur opinio Scoti. cap.1. ibid.
Variæ aliorum ſententiæ adducuntur, & ſoluuntur.c.2.col.2. 477
Rationes Aduerſariorum ſoluuntur.cap.3. col.2. 483

THEOREMA LXXV.

Potentiæ intrinſecè, & eſſentialiter diſtinguuntur à ſeipſis, ſed à poſteriori per actus,& per obiecta.col.1. 488
Exponitur opinio Scoti, & aliorum opiniones reijciuntur.cap.vnicum. ibid.

THEOREMA LXXVI.

Non datur ſenſus agens realiter diſtinctus à paſſiuis.col.1. 493
Exponitur opinio Scoti,& comprobatur, & aduerſa reijcitur.cap.1. ibid.
Exponitur quod cauſæ, & quæ concurrant ad generandum ſenſationem,& quomodo actus ſentiendi producatur. caput 2. col.2. 495

THEOREMA LXXVII.

Intellectus, & obiectum ſunt cauſæ productiuæ intellectionis.col.2. 498
Ponitur 7.& 8.q.tex.3. diſt. 1. Sent. ad literam, quæ ſunt plenæ mirabili doctrina. Secundo quærit de notitia genita,quæ ſit cauſa gignens, vel ratio gignendi eam, cap.1. ibid.
Conſideratur 1.opinio afferens ſolum intellectum eſſe cauſam productiuam intellectionis.c.2.col.2. 522
Examinatur opinio D. Thomæ ſecundum varios ſenſus Thomiſtarum, & ſecundum omnes reijcitur, & tandem breuiter mens Scoti explicatur. cap. 3. col. 1. 526

THEOREMA LXXVIII.

Munus intellectus agentis eſt abſtrahere ſpeciem intelligibilem, & producere actiuè actum intelligendi.col.1. 531
Ponitur maxima pars tex. Scoti ex quæſt. 15.quod-

15.quodli.5.ab illis verbis de ſecundi primi articuli principalis, vſque ad illa verba de 2. artic. dico, quod beatus, &c. in quo loco Scotus repetit, & breuiter declarat ea, quæ in præcedenti Theoremate dicta ſunt, ſcilicet quomodo, & a quibus producatur actus intelligendi, deinde egregiè explicat munera intellectus agentis, & paſſibilis.cap.1. ibid.

Exponitur breuiter opinio Scoti de munere intellectus agentis, & poſſibilis, & comprobatur.c.2.col.1. 537

Adducuntur rationes in contrarium, & ſoluuntur.cap.3.col.1. 541

Exponuntur aliorum opiniones de muneribus intellectus agentis, & reijciuntur.c.4.col.2. 542

THEOREMA LXXIX.

Dantur ſpecies ſenſibiles, & ſpecies intelligibiles.col.1. 549

Ponitur 6.quęſtio Scoti ex primo Sententiarum, diſtinct.3.quæ ſolum de hac re pertractat, & eſt plena, & ſubtiliſſima doctrina.cap.1. ibid.

Diſputatur, an dentur ſpecies ſenſibiles, defenditur pars affirmatiua, quæ eſt Scoti.c.2.col.2. 561

Exponitur opinio eorum, qui negant dari ſpecies intelligibiles impreſſas.c.3.col.1. 565

Prædicta opinio reijcitur, & ſententia Scoti declaratur.c.4.col.2. 567

THEOREMA LXXX.

Datur memoria intellectiua.col.2. 576

Ponitur tota quæſtio Scoti, quæ habetur primo Sent.diſtinct.3.poſt quæſt.6.in extra, quæ eſt de memoria intellectiua, quæ incipit.cap.1. ibid.

Ponitur tota quæſtio 3.Scoti ex 4. Sentent. diſt.45.in qua Scotus longo ſermone, & ex profeſſo loquitur de memoria tam ſenſitiua, quam intellectiua.cap.2.col.1. 580

Breuiter explicatur mens Scoti, & comprobatur, & rationes aduerſariorum reijciuntur.c.3.col.2. 588

THEOREMA LXXXI.

Intellectus agens eſt differentia animæ noſtræ.col.1. 594

Exponitur Opinio Alexandri, & reijcitur. cap.1.col.1. ibid.

Rationes in contrarium adducūtur. cap. 2. col.2. 595

Exponitur & reijcitur opinio eorū, qui dicūt intellectum agentem, & poſſibilem eſſe duas partes realiter diſtinctas, componentes animam intellectiuam, & eorum, qui dicunt ſolum ratione illos differre.c.3.col.1. 601

Exponitur Opinio Scoti, & rationes in oppoſitum ſoluuntur.c.4.col.1. 604

THEOREMA LXXXII.

Anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.col.2. 607

Explicatur intellectus propoſiti Theorematis, & aduerſæ obiectiones ſoluuntur.caput vnicum. ibid.

THEOREMA LXXXIII.

Primum cognitum eſt ſpecies ſpecialiſſima.col.1. 613

Declaratur ſenſus Theorematis.cap.1.ibid.

Opinio Scoti.c.2.col.1. 614

Adducuntur obiectiones Aduerſariorum contra primam rationem Scoti, & ſoluuntur.c.3.col.1. 615

Adducuntur Obiectiones contra alias rationes Scoti, & reijciuntur. cap. 4. col. 1. 619

Adducitur opinio Gregorij Ocham, Durandi, Piccolominei, Zabarellæ, & aliorum. c.5.col.2. 621

Prædicta Opinio impugnatur, & rationes pro ea ſoluuntur.c.6.col.2. 623

Exponitur Opinio D. Thomæ, & quorundam aliorum.c.7.col.1. 626

Soluuntur rationes pro D. Thoma, & alijs ſuperius adductis.c.8.col.2. 627

Ponitur Opinio Zimaræ, & Achillini, & reijcitur.c.9.col.2. 631

Quid ſit primum cognitum cognitione diſtincta.c.10.col.2. ibid.

Quid ſit primum cognitum cognitione habituali, & virtuali via originis; & quid ſit primum cognitum primitate perfectionis, & adæquationis. cap. vnico, col. 2. 632

THEOREMA LXXXIV.

Singulare eſt per ſe cognoſcibile.col.2. 635

Exponitur opinio Scoti,& D. Thomæ,cum ſuis fundamentis. cap.1. ibid.
Confutatio opinionis D.Th. c.2. col.2. 638
Solutio rationum Aduerſariorum. cap.3. col.2. 641

THEOREMA LXXXV.

Obiectum intellectus adæquatum eſt ens ex natura potentiæ, ſed pro hoc ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis.col.1. 645
Exponitur opinio Scoti, & comprobatur. cap.1. ibid.
Exponitur opinio D.Thomæ cum ſuis fundamentis,& reijcitur.c.2.col.1. ibid.
Defenſio pro D.Thoma,& confutatio eiuſdem.c.3.col.1. ibid.
Obiectiones nonnullæ aduerſus opinionem Scoti adducuntur,& reijciuntur:& an Verum, ſit obiectum intellectus, aperitur, cap.4.col.1. ibid.

THEOREMA LXXXVI.

Singulare non cognoſcitur pro hoc ſtatu ſub conceptu proprio ſingularitatis cognitione abſtractiua.col.2. 654
Exponitur ſententia Scoti cum ſuis fundamentis, & obiectiones in contrarium ſoluuntur,cap.vnicum. ibid.

THEOREMA LXXXVII.

Obiectum ſenſus eſt ſingulare non ſub ratione ſingularitatis, ſed ſub ratione vniuerſalitatis.col.1. 658
Exponitur Theorema propoſitum, & aliorum obiectiones ſoluuntur. c.1. ibid.
Actiones ſunt ſuppoſitorum, quomodo intelligatur.c.2.col.2. 661

THEOREMA LXXXVIII.

Subſtantia non poteſt cognoſci pro hoc ſtatu ſub proprio conceptu quidditatiuo, ſed ſolum ſub conceptu entis adminiculo accidentis.col.2. 662
Exponitur,& comprobatur Theorema propoſitum,& aliorum obiectiones reijciuntur.cap.vnicum. ibid.

THEOREMA LXXXIX.

Habitus dicitur practicus ab obiecto.col.2. 655
Exponitur opinio eorum, qui negant habitum dici practicum ab obiecto, ſed à fine,vel aliunde, & reijcitur, & veritas declaratur.c. vnicum. ibidem.

THEOREMA XC.

Vltima realitas formæ eſt principiũ indiuiduationis ſubſtãtiæ materialis. col. 1. 670
Opionio Scoti cum ſuis fundamentis. ca.1. ibidem.
Quædã dubitationes circa opinionem Scoti ſoluuntur,& eadem opinio comprobatur.c.2.col.1. 672
Rationes Aduerſariorum contra Opinionem Scoti.c.3.col.1. 674
Solutio iſtarum rationum.c.4.col.1. 676
Opinio eorum, qui dicunt negationem eſſe principium indiuiduationis;& eorum qui ponunt eſſe exiſtentiam, & eorundem confutatio.c.5. col.1. 169
Opinio eorum, qui aſſerunt principium indiuiduationis eſſe Quantitatem, & eiuſdem confutatio.c.6.col.1. 681
Opinio D. Thomæ, & Mercenarij, & eius confutatio.c.7.col.1. 683
Confutatio reſponſionum Caietani, & ſolutio rationum.c.8.col.2. 687
Opinio eorum, qui dicunt formã eſſe principium indiuiduationis.c.9.col.1. 692
In quo ſenſu hæc opinio ſit vera. cap. 10. col.1. 696
Quodnam ſit principium indiuiduationis accidentium.cap.vlt.col.1. 697

THEOREMA XCI.

Intelligentiæ ſecundum Philoſophum non ſunt plures numero diſtinctæ.col.1. 698
Prædictum Theorema declaratur. caput vnicum. ibid.

THEOREMA XCII.

Anima intellectiua indiuiduatur per ſe ipsã non per vnionem ad corpus.col. 2. 700
Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. cap.1. ibidem.
Opinio Caietani, & Thomiſtarum. cap. 2. col.1. 702
Confutatio prædictæ opinionis. c. 3. col. 2. ibidem.

THEOREMA XCIII.

Natura communis habet eſſe præter opus intellectus cap.2.col.2. 705
Poſitio Scoti.c.1. ibid.
Rationes Aduerſariorum contra Scotum; ſolutiones ad rationes Scoti ab eiſdem allatæ, & earumdem confutatio. cap. 2. col.1. 708
Dilucidatio Opinionis Scoti, & ſolutio rationum in contrarium.c.3.col.2. 709

Re-

Reſponſiones Zimaræ ad rationes Scoti, & earundem confutatio.c.4.col.2. 713

THEOREMA XCIV.

Ens dicit vnum conceptum formalem ex parte rei præciſum à ſuis inferioribus. col.2. 715

Exponitur, & comprobatur propoſitum Theorema.c.2. ibid.

Quædā obiectiones aliorum.c.2. col.2. 719

Obiectiones allatæ ſoluuntur, & opinio auctoris magis confirmatur. cap. 3. col.1. 722

THEOREMA XCV.

Ens vniuoce dicitur de Deo, & creatura, de ſubſtantia, & accidente.col.2. 726

Exponuntur iſti termini Vniuocum Aequiuocum, Analogum, ab vno, & ad vnum, & declaratur, quomodo Analogia ſtet cum vniuocatione.cap.1. ibidem

Dilucidatur prima ratio Scoti, qua probat ens eſse vniuocum Deo, & creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti.c.2.col.1. 729

Adducuntur alię rationes ad eandem vniuocationem probandum.c.3.col. 2. 732

Explicatur, quomodo ens prædicetur de ſuis paſſionibus, & vltimis differentijs. c.4.col.1. 737

Adducuntur rationes præcipuæ aduerſus vniuocationem entis, & variæ opiniones aduerſæ explicantur.c.5.col.2. 739

Opiniones Aduerſariorum ex dictis reijciūtur, & eorum rationes ſoluuntur. cap. 6. col.2. 742

THEOREMA XCVI.

Deus non eſt in genere.col.1. 749

Exponitur mens Scoti & probatur.c.1.ibid.

Adducuntur quædam argumenta Scoti facta contra ſe, & eorum ſolutiones, &c.caput 2.col.1. 754

Exponuntur rationes aduerſariorum probantes Deum eſſe in genere, & ſoluuntur: ac eorum opiniones falſas eſſe ex dictis oſtenditur.c.3.col.2. 757

THEOREMA XCVII.

Ens diuiditur in decem prædicamenta per modos intrinſecos.col.1. 763

Exponitur veritas, & aduerſarij reijciūtur. cap.vnicum. ibidem

THEOREMA XCVIII.

Intellectio, & volitio ſunt qualitates, in intellectione, volitione, ſenſatione, & alijs operationibus immanentibus, eſt per ſe mutatio. Notitia, volitio, & ſunt termini mutationis, non tamen dicuntur generari, neque produci.col.2. 765

Ponitur quæſtio Scoti ad literam, quæ habetur in fine quæſt. ſextæ, tertiæ diſtinct. 1.Sent. &c.c.1. ibid.

Declaratur quomodo actiones immanentes, & habitus generati ex illis, ſint qualitates.c.2.col.2. 768

Exponitur ſententia aliorum, & reijcitur. cap.3.col.2. 675

THEOREMA XCIX.

Stellæ agunt in hæc inferiora.col.2. 772

Ponitur tota quæſtio tertia ex 2.Sentent.diſtin.14.in qua Scotus exactè loquitur de actione, & influentia ſtellarum: quæ incipit.c.1. ibid.

Exponitur quę ſit ſententia Scoti circa influxus.c.2.col.2. 775

THEOREMA C.

Senſus interni ſunt tantum tres.col.2. 778

Exponitur opinio Scoti cum ſuis fundamētis.c.1. ibidem

Aliorum opiniones adducuntur, & reijciuntur.c.2.col.2. 780

THEOREMA CI.

Appetitus non diſtinguitur à virtute cognoſcente.col.2. 783

Aliorum opiniones reijciuntur, & probatur opinio Scoti.cap.vnicum. ibid.

THEOREMA CII.

Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti.col.2. 785

Adducitur, & confutatur opinio eorum, qui aſſerunt intellectum poſſibilem eſſe puram potentiam.c.1. ibid.

Quomodo allata propoſitio intelligatur; opinio Auerrois, & eiuſdem confutatio. c.2.col.2. 788

Sententię aliorum adducuntur, & reijciuntur.c.3.col.2. 790

Exponitur opinio Scoti, & rationes in oppoſitum ſoluuntur.c.4.col.2. 793

FINIS THEOREMATVM.

TRACTATVS FORMALITATVM.

EXponitur mens auctoris, & titulus Tractatus. cap. 1. col. 1. 798

Rationes aduerſariorum. c. 2. col. 1. 800

Opinio Aduerſariorum reijcitur. c. 3. col. 1. 801

Rationes aduerſariorum ſoluuntur. cap. 4. col. 1. 805

Conſiderantur duæ diuiſiones, altera eſt entis in ens reale, & ens rationis; altera de Triplici eſſe, ſcilicet ſubſiſtentiæ, exiſtentiæ, & eſſentiæ. c. 5. col. 1. 807

Quædam aliæ præambulæ diuiſiones adducuntur. c. 6. col. 2. 810

Exponitur communior Opinio Scotiſtarũ de numero identitatum, & diſtinctionum. c. 7. col. 1. 812

Reijcitur communis ſententia circa aſſignationem identitatis, & diſtinctionis formalis; & quis ſit germanus ſenſus ad mentem Scoti declaratur. cap. 8. col. 1. 815

Diſputatur de numero diſtinctionum, & identitatum principalium. c. 9. col. 1. 819

Variæ obiectiones aduerſus doctrinam ſuperius traditam de diſtinctionibus, & identitatibus. ca. 10. col. 2. 820

Prædictæ obiectiones ſoluuntur. cap. 11. col. 2. 821

FINIS.

INDEX AVCTORVM OMNIVM.

Qui in hoc toto opere citantur.

A

Achilles Zimara.
Aegidius.
Albertus Magnus.
Alexander Aphrodiſeus.
Algazelus.
Alpharabius.
Ammonius.
Antonius Andræas.
Antonius Trombetta.
Apollinarius.
Archangelus Mercenarius.
Ariſtoteles.
Auctor ſex Principiorum.
Auempaces.
Auerroes.
Auicenna.
Aureolus.

B

Baldouinus.
Benedictus Pererius.
Bernardinus Petrella.
Biel.
Burſæus.

C

Caietanus.
Cardanus.
Conciliator.

D

D. Thomas.

E

Eraſtus.

F

Franciſcus Piccolomineus.

G

Gotofredus.
Gregorius de Arimino.
Gulielmus Ocham.

H

Henricus de Gandauo.

I

Iacobus Zabarella.
Iandunus.
Iauellus.
Ioannes Bacchonius.
Ioannes Gandauenſis.
Ioannes Grammaticus.

L

Linconienſis.
Ludouicus Buccaferreus.

M

Magiſter Sententiarum.
Marcus Antonius Ianua.
Marſilius.
Mauritius.

P

Paulus Soncinas.
Plato.
Pomponatius.
Porphyrius.
Præpoſitus.

S

Sarnanus.
Scotus.
Simplicius.
Sueſſanus.

T

Themiſtius.
Thomitanus.

V

Vgo de Sancto Victore.
Viccomercatus.

F I N I S.

INDEX RERVM INSIGNIORVM, ET NOTATV DIGNISSIMARVM,

QVAE IN TOTO HOC OPERE CONTINENTVR, vberrimus atque locupletiſſimus.

In quo primus numerus Theorema; alter Capitulum; & tertius Paginam ſignificat.

ABſolutum duplex. theor. 75. cap. vnico; col. 1. 491
Abſolutum cum relatione non facit principium per ſe vnum. theor. 74. c. 2. col. 1. circa finem. 478
Abſolutum, & reſpectiuum ſunt diſparata non cōtradictoria. theo. 95. c. 6. col. 2. 747
ab vno, in quantum vnum, non prouenit niſi vnum, quomodo intelligendum. the. 56. c. 3. col. 2. prope finem. 311
abſtrahere quid ſit. theor. 83. c. 7. & cap. 8. col. 1. circa finem. 627. & col. 1. non longe a princip. 631
abſtrahere eſt ſumere vnum non ſumendo aliud. col. 2. circa finem. 548
abſtractum commune ab omnibus rebus ſpeculabilibus eſt ens. theor. 20. c. 1. col. 1. circa finem. 104
abſtractio quid ſit. th. 78. c. 4. 548
abſtractio ſpeciei an ſit facilior, quam magis vniuerſalis. theor. 83. c. 4. col. 2. 620
abſtractiones duas eſſe, vnam agentis intellectus, alteram poſſibilis, negatur, theor. 78. c. 4. col. 1. circa finem. 547
abſurdum eſt fieri per plura, quod æquè bene fieri poteſt per pauciora. theor. 90. c 7. col. 1. in 2. ratione. 684
abſurda conſequuntur, ſi detur Deum neceſſariò agere. theor. 57. c. 1. 320. & 321
accidens eſt forma ſimplex. th. 20. c. 2. col. 2. prope finem. 111
accidens eſt quidquid aduenit enti in actu. theor. 21. c. 2. col. 2. prope finem. 117
accidens eſt quod aduenit enti in actu formali cōſtituto. th. 22. c. 4. col. 2. in princ. 134
accidēs duob. modis accipitur. c. 6. col. 1. 811
accidens nullum ante formam, vel poſt corruptionem poteſt remanere in materia. th. 30. c. 1. 159
accidens eſt, quod eſt in alio. th. 26. c. 2. 145
accidens vnū aliud producit. th. 34. c. 2. 186
accidens proprium, & accidens commune. theor. 74. c. 2. 481
accidens proprium habet eſſe a ſubiecto. the. 13. c. 5. 68
accidens proprium duobus modis dicendi pēdet à ſubiecto. theor. 14. c. 3. 76
accidēs numero incorrupto, an permaneat in genito. theor. 73. c. 5. 471
accidēs variabile non ineſt ſubſtātię, niſi mediāte accidēte inuariabili. th. 74. c. 2. 479
accidens, medium ad aliud accidens demonſtrandum. theor. 13. c. 3. 64
accidens aliquid reale poſitiuum in ſcipſo eſt. theor. 22. c. 3. 131
accidens habet aliquā cauſam, à qua eſſe accipit, qua deſtructa, ruit accidens. theor. 73. cap. 5. 473
accidens non producit ſubſtantiam, diſpoſitiuè, ve-

uē verò agit ad productionem. theor. 34. cap.1.181. Rationes contrariæ. ibidem. Confirmatur prima opinio.th.34.c.2.182

accidens ſpirituale producitur à reali.th. 76. cap.2. 496

accidens ſuſcipit magis,& minus,quo ad eſſe indiuiſibile.theor.65.c.3. 389

accidens agere in virtute ſubſtantiæ, quomodo intelligatur.theor.35.c.1. 189

accidens non indiuiduatur per ſubſtantiam. theor.90.c.11. 697

accidens non perficit eſſentialiter ſubſtantiā. theor.77.c.3. 529

accidens an idem ſeruetur in mortuo,quod erat in viuente.theor.73.c.1.458.& 459

accidens an poſſit denominare ſuum ſubiectū. theor.61.c.1. 361

accidens an producatur a proprio ſubiecto.th. 34.c.2. 182.& 183

accidens quibus rationibus probetur producere ſubſtantiam.theor.34.c.1.181.& 182

accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectū. theor. 47.c.1.col.2. 257

accidens iunctum ſubſtantiæ facit ens per accidens.theor. 20.c.3. col. 2. 112

accidens cuius virtute producat ſubſtantiā. theor.34.c.3.col.2. 186

accidens an poſſit ſine ſubſtantia exiſtere.th. 24.c.vnico. 137

accidentia quæ perpetuo cauſam, quæve ſubiectum comitentur.theor.14.c.3. 75

accidentia generantur æquiuocè.theor. 71.c. 1. 443

accidentia cęli, & horum inferiorū non ſunt communia vniuocè.theor.59.c.3. 341

accidentia non manent eadem numero deſtructis ſubſtantijs.theor.60. c.4. 355

accidentia non ſunt in ſubiecto poſt rarefactionem,niſi rurſus inducantur.theor. 44. cap.1. 241

accidentia, & diſpoſitiones non dant eſſe indiuiduale cōpoſito. the.90.c.7.685. & ſeq.

accidentia communia non ſunt ſcibilia via ſcientifica.theor.14.c.5.col.2. 81

accidentia ſequuntur formam, & ad formæ mutationem mutantur.theor.73.c.1.459

accidentia eadem ſunt cōmunia vniuerſo orbi.theor.59.c.1.col.1.ad finem. 326

accidentia ſpiritualia ſunt ignobiliora materialibus. the.76.c.2. col.2. ad finem.495

accidentia generis, an accidentia ſpeciei magis moueant.th.83.c.8.col.2.in fine. 629

accidentia ſunt entia imperfecta. theor. 34. c.2.col.2.circa medium. 182

accidentia an producant ſubſtantiam. theor. 34.cap.3.col.2.circa finem. 186

accidentia ſubſtantiæ generantis. theor.35. c.1. 189

accidentia, facta alteratione præuia, quando expellant formam a materia. theor.35.c. 1.col.1.in princip. 190

accidentia fluunt per modum emanationis a ſubſtantia.theor.74.c.2.col.1. 481

accidentia in mixto varia,& quæ maneant, quæve corrumpantur.theor.73.c.5. 471

accidentia quare dicantur habere ſubiectum ſenſibile,& actu.theor.73.cap.5. 472

accidentia non variant ſpeciem. the.1.ca.3. col.2.circa finem. 5

accidentia ſine ſubiecto non ſciuntur. theor. 5.cap.3.col.1.in princ. 27

accidentia nullius ſunt neceſſitatis. theor. 1. cap.3. pag.5.& 6

accidentia propria,non communia, pertinent ad ſcientiam.theor.17.c.1. 89

accidentia ſunt communia,ſi non comitantur ſemper ſubiectum.theor.13.c.3. 76

accidētia interna,& externa.th.13.c.3.ibid.

accidentia conſurgunt completa materia. th. 31.c.1. 164

accidentia interna non ſunt concluſio demonſtrationis.theor.13.c.4. 66

accidentia interna mediata per formam ſubiecti non probantur.theor.13.c.4. ibid.

accidentia ordine quodam prodeunt a forma ſubiecti.theor.13.c.4.col.2. 65

accidentia communia.theo.13.c.4.col.1. 68

accidentia multa eſſe habent ab accidentib. theor.13.c.2.col.2.in fine. 62

accidentia,quæ pertinent ad demonſtrationē. theor.13.c.3. 63

accidentia qualia conferant ad cognitionem defi-

definitionis ſubſtantiæ.theo.13.c.4. 66
accidentia communia non demonſtrantur per demonſtrationem,ſed propria. theor.13.c.1.col.2.prope finem. 61
accidentia non conſtant ex materia ex qua. theor.20.c.3. col.2. 63
accidentia prouenientia a forma ſubiecti.the. 13.c.3. ibid.
accidentia prouenientia ab alijs accidentib. theor.13.c.2. 62
accidentiũ genera duo.theo.13.c.3. col.1.63
accidentium cauſa prima,& radix eſt definitio ſubiecti: non tamen eſt cauſa proxima accidentium.th.13.c.3.col.2. in princ.64
accretio eſt motus ad quantitatem. the.40. cap.2.col.2.in principio. 215
accretio conſiſtit in nutritione,& extenſione. theor.40.c.3.col.2. 216
accretio quot modis accipiatur: & quid ſit. th.40.c.2. 214
accretio,& nutritio quomodo differant, & conueniant.theor.40.c.3.col.1. 217
accretionis luminis cauſa in Luna eſt accidens.theor.13.c.2. 62
accretionis definitio.theor.40.c.2. 214
accretionis ſubiectum non eſt quantitas.theo. 40.c.3. 216
actio eſt mot⁹.th.41.c.2.col.2.in 6. rõe.228
actio eſt reſpectus extrinſecus adueniens. th. 41.c.1.col.1.in principio. 227
actio,vt eſt unũ ex prædicamentis,non poteſt poni aliquid abſolutũ.th.41.c.1.col.1.226
actio vbi eſt,ſemper agens actu agit.th. 42. cap.2. 232.& 233
actio phyſica omnis fit per contactum. theor. 35.cap.1.col.2. 191
actio,et effectio differũt.th.1.c.3.pag.5.et 6
actio,& eſſentia idem ſunt in Deo.theor.74. cap.2.col.1.in princ. 479
actio multis modis accipitur.the.41.c.3. col. 1.in princ. 230
actio propriè ſumpta, eſt in agente tantum; neque eſt idem quod paſſio.th.41.c.3.col. 1.in fine. ibid.
actio an ſit,& quomodo ſit in agente,&c.th. 41.c.1. 226
actio prouenit à uictoria,& exceſſu agẽtis reſpectu paſſi.th.43.c.4.col.2.in fine. 237
actio in igne duplex.th.34.c.2.col.2. 186
actio naturalis denominatur à principio paſſiuo,non actiuo.the.33.c.3.col.1. 178
actio intellectus eſt inextenſa,& inorganica. theor.67.c.2.col.1. 409
actio duplex.theor.43.c.4.col.1. 237
actio immanens, & tranſiens,de qua actione intelligatur.theor.41.c.3.col.2. 230
actio immanens quæ ſit, & quæ tranſciens. theor.78.c.3.col.2.in fine. 230
actio,& paſſio differũt genere.theor.41.c.2. 229.ſũt diuerſę formaliter,et realiter. ib.
actio,& paſſio quibus rationibus aſſeruntur eſſe idem theor.41.c.2. ibid.
actio producendi paſſionem diuerſa ab actione producendi ſubiectum.th.34.c.2. 185
actio non fit niſi vbi eſt contrarietas. theor. 34.cap.1.col.1.circa finem. 182
actio principalis ignis unde ſit.th.34.c.1.ib.
actionis perfectio vnde pendeat.theor. 77.c. 1.col.1. 504
actiones immanentes ſunt qualitates. theor. 98.c.2.col.2. 768. & 769
actiones immanentes ſunt qualitates, & diſpoſitones ad habitus.th.98.c. 2. ibidem
actiones intellectus agentis circa phantaſma. th.78.c.2.col.2.circa medium. 537
actiones ſũt ſingulariũ.th.35.c.1.col.2.191
actiones ſunt ſuppoſitorum, quomodo intelligatur.theor.87.c.2. col.2. 661
actiuum, & paſſiuum diſtinguunt potentias in anima.th.78.c.2.col.2.circa med.538
actiuum problema.theor.1.c.2.col.1. 3
actuale maximè eſt maximè per ſe intelligibile.theor.84.c.2.col.1. 639
actus eſt cauſa cognoſcibilitatis.theor.84. c. 2.col.2. 638
actus dupliciter accipitur.the.22.c.4. col.1. circa finem. 134
actus duplici modo ſumptus,theor.59.cap.3. col.2.in princ. 342
actus duplex ſcilicet,ſubſtantialis, & accidentalis.th.35.c.2.col.1. 194
actus duplex,primus, & ſecundus.the. 90. c.4.

c.4.col.1. 677
actus duo.theor.22.c.2. 127
actus primus animæ quid ſit.theor. 74.ca.3. col.2. 485
actus eſt primo bonus ex circumſtantia obiecti,non finis.th.80.c.1.col.1. 667
actus in intellectione ſunt duo.the.77. cap.2. col.2.poſt medium. 525
actus formalis.theor.22.c.1. 127
actus entitatiuus.theor.22.c.2 ibid.
actus formalis an ſit cauſa intelligibilitatis rei.theor.25.c.3.col.2.in princip. 141
actus,& forma,principium omnium entium. theor.20.c.3.col.2. 113
actus eſt forma, vel operatio formæ. theore. 22.c.3.col.2. 132
actus,habitus, & intellectus dicuntur practici ab eodem. the.89.c.1.pag.666. & ſeq.
actus diſtinguuntur per obiecta, quomodo ſit vera propoſitio.th.75.c.1.col.2. 492
actus eſt qui determinat, & actuat paſſum. th.66.c.2.col.2. 402
actus, & potentia duobus modis conſiderari poſſunt.th.74.c.3.col.2. 483
actus, & potentia non eodem modo in omnibus ſe habent.theor.74.c.3. ibid.
actus,& potentia ſunt eiuſdem generis, eſt falſa propoſitio. ibid.
actus,& potentia ſunt principia Prædicamentorum.theor.64.c.1.col.2.in princ. 381
actus,& à potentia,& ab obiecto producuntur.th.75.c.1. 489
actus nobilior eſt quam potentia. th.74.c.2. col.2. 479
actus eſt qui ſeparat,& qui diſtinguit. theor. 99.c.9.col.2. 692
actus corporis eſt id, per quod alicui propria operatio ineſt.th.58.c.1.col.2.ĩ fine. 324
actus ſentiendi non habetur niſi adſit obiectum.th.79.c.2.col.2.circa princip. 563
actus ſentiendi producitur ab anima, ſecundum Zabarellam.th.79.c.2.col.1. 564
act⁹ intelligẽdi qd ſit.th.79.c.4.572.et 573
actus recordandi habet duplex obiectum.th. 80.c.2.col.1.in fine. 581
actus entitatiuus, per hoc quid intelligatur a Scoto.th.22.c.3.col.2. 13[illegible]
actus entitatiuus, & exiſtentia eſt paſſio entis realis.th.22.c.4.col.1.prope finẽ.135
actus immaterialis ſecundum ſubſtantiam non poteſt eſſe actus rei materialis. theor. 78.c.4.col.1.paulo poſt medium. 545
actus materiæ de ſe immaterialis quod ſit immortalis,non eſt notum.theor. 68.cap. 3.col.2. 424
actus diuerſi ſpecificè non proueniunt ab eadem potentia ſecundum Philoſophos.theo. 75.c.1.col.1. 492
actus adhibit⁹ ĩ definitione animæ ab Ariſt. quẽ habeat ſenſum.th.92.c.3.col.1. 705
actus in definitione animæ adhibitus ab Ariſtot.quid ſignificet.th.67.c.2. col.1. 410
actus autem leuis eſt alicubi eſſe,horum verborũ declaratio.theor.61.c.1.col.2. 361
actus ſingularis præexigit potentiam ſingularem,quam actuet.th.90.c.2.col.2. 662
actus rei ſenſibilis,& ſenſitiui eſt idem. the. 79.c.2.col.2. 561
actus,agentis,& paſſi,mouentis, & moti,eſt vnus,& diuerſus.th.79.c.2.col.1. 564
actum eſſe cauſam intelligibilitatis,falſum eſſe oſtenditur.theor.25.c.3.col.1. 141
actum, & potentiam eſſe in eodem genere quomodo intelligatur.th.74.c.3.col.2.483
adducere inconueniens non eſt ſoluere rationem.theor.54.c.2.col.2.in fine. 285
Aequale,idem,& ſimile fundantur ſuper vnum.th.95.c.1.col.2. 276.& ſeq.
Aequiuocum nomen nõ habet quod quid eſt. th.30.c.2.col.2. 161
Aequiuocum quid ſit. th.95.c.1.col.2.726
Aeternum,& corruptibile debent conuenire in genere metaphyſico.th.85.c.2. 194
Aeternum vnum à ſe,aliud ab alio. th.56.c. 6.col.2.in fine. 318
Aeterna, & caduca quid habeant diſcriminis.th.59.c.2. 332
Aeternorum, & mortalium principia ſunt eadem proportione.th.59.c.3. 341
Aer eſt grauis,et leuis. th.46.c.2.col.1.256
Aer quod inſeruiat motui naturali, & violento,quomodo id fiat. ibid.

Aeuum propriè ſignificat omne tempus ſeu tempus infinitum.the.56.c.1.col.2. 302
agere ſecundum electionem,& a propoſito cõuenit ſoli homini.theor.67.c.2. 405
agens eſt duplex.th.61.c.1.col.2. 264
& theor.56.c.5.col.1. 315
agens producens effectum duobus modis,procedit. ibid.
agens, producens ſpeciem ſenſibilem. theor. 76.c.2. 497
agens,& mouens agit, & mouet paſſum ſibi proportionatum.theor.55.c.1. 294
agens, & poſſibilis intellectus realiter vnus formaliter differunt.th.78.c.2.col.2. 537
agens principale prius agit quam inſtrumẽtum.theor.34.cap.3. 187
agens,& patiens ſufficit quod diſtinguantur ex natura rei.theor.81.c.3. 602
agens,& patiens in omni natura ſunt diuerſa realiter..heor.81.c.3. ibidem
agens patiente,& principium nobilius materia.theor.78.c.2. 538
agens eſt honorabilius patiente.theor.81.c.2.col.2. 599
agens totale vel vniuocum vel æquiuocum. theor.34.c.2.col.2. 182
agens quidquid non poteſt agendo nobiliſſimo modo,non poterit ignobiliori.theor. 34.c. 2.col.1. 184
agens phyſicum agendo patitur,& repatiendo debilitatur.theor.43.c.1.col.1. 234
agens naturale agit quidquid poteſt,& quantum poteſt.theor.34.c.3. 187
agens naturale habet ſimilitudinem ex forma.theor.90.c.9. 693
agens naturale agendo repatitur. theor. 40. c.6. 224
*agens externum deducens ad locum requiritur ad eſſe actio in loco.theor.48.c.1.*252
agens in anima proprium, & reſpondens intellectui poſſibilis.theor.81.c.2. 596
agens datur in omni natura, in qua eſt aliquid vt materia.theor.81.c.2. ibid.
agenti cuilibet reſpondet proprium patiens. theor.54.c.3. 289
agentia diuerſa reperiuntur habentia eaſdem conditiones.theor.42.c.2. 233
agentia naturalia,an,& quæ incipiant a minus perfectis, & tendant ad perfectiora. theor.83.c.3. 616
agentia æquiuoca multa agunt per tranſmutationem extra ſe. the.61.c.4.col.1. 370
agentis diuerſitas vbi eſt, eſt etiam diuerſitas numeralis geniti.th.42.c.2.col.2. 231
aggregatum per accidens non eſt ſcibile.theo. 19.c.2. 101.& 102
albedo,quod inhæreat ſubſtantiæ,non ob id eſt compoſita ex eſſe,& ſubſtantia. theorem. 33.c.3. 178
aliqualiter dictio, quid ſit.theore.74. cap. 2. 481
aliquid vt fit animal,quid opus ſit. theorem. 82.c.1. 608.& 609
aliquid eſſe in actu, et potentia reſpectu diuerſorum non eſt inconueniens.theor.81.c.3. 601.& 602
aliquid poteſt eſſe in potentia dupliciter.theo. 20.c.1. 104.& 105
aliud eſt eſſe carnem,& aliud eſſe carnis.th. 28.c.3.col.1.in fine. 153
alterans non minus eſt potens in principio, quam poſt.theor.38.c.1. 405
alteratio propriè vbi fiat. theorema 79.c. 4. 568.& 569.
alteratio ſubſtantiæ quomodo fiat a qualitatibus.theor.35.c.1. 189.& 190
alteratio per ſe habet ſucceſſionem.theor.29. cap.1. 158
alteratio concurrit in raritate, & denſitate. theor.43.c.2. 235
alteritas horum inferiorum,in quo conſiſtat, theor.59.c.1. 326.& 327
*ambiguitas de Logica vtẽte.th.1.c.1.col.2.*2
an ſit, & propter quid,ſimul aliquando cognoſcuntur.theor.10.c.4. 54.& 55
analogia tam proportionis, quam attributionis eſſe aliquando æquiuoca.theor.95.c.1. col.2. 726
analogia æquiuoca & propoſitio.c.5. 807
analogia inſeruit pro declaratione. theor.27. cap.1. 147.& 148
analogia non mediat inter vniuocũ et æquiuo

cum.theor.20.c.1. 107.& 108
analogiæ nomine quid intelligat Ariſt.theor. 27.c.1. 147.& 148
analogiæ methodus.theor.25.c.3. ibid.
analogum quid ſit, & quotuplex. theor. 95. c.1.col.2. 727
analogum eſt aliquo modo vnum. ibid.
analogum quomodo ſit vniuocum. ibid.
angelus quodlibet ens cognoſcit quidditatiuum.theor.85.c.3. 646.& 647
angelus, & anima differunt ſpecie.theor.75. c.1.col.2. 488
anima quid ſit.67.c.2. 405.& 406
anima eſt ſubſtantia, quæ eſt forma, & actus theor.81.c.3. 601.& 602
anima eſt actus corporis. theor. 58.cap. 1. 324
anima eſt gratia cuius, & gratia cui omnium inſtrumentorum naturalium.th.56.ca.2. 306.& 307
anima non eſt actus materiæ.theore.31.c.2. 166.& 167
anima eſt forma informans non vt nauta nauim. th.67.c.2. 407.& 408
anima omnis informans eſt extenſa, & quanta, ſecundum Zabarellam.theor.82.cap.1. 608.& 609
anima duobus modis conſiderari poteſt.theo. 67.c.3. 412
anima multas de ſe attulit philoſophis difficultates, & quæ ſint præcipuæ.theor. 67. c.1. 404
anima eſt principium immediatum operandi. theor.74.c.1. 475
anima quodammodo omnia. theor.79.cap.1. 549
anima quomodo ſit omnia.theor.79.c.4.567
anima quod ſit per ſe ſubſiſtens, & independens a corpore ex modo operandi probatur.theor.68.c.3. 420
anima ab anima per quæ diſtinguatur.theor. 92.c.2. 702
anima appellatur natura ab Ariſt. theorem. 32.c.2. 177
anima noſtra quare non poſſit intelligere ſubſtantias abſtractas.the.85.c.3. 650
anima patitur paſſione perfectiua, non corruptiua.theor.98.c.2.col.2. 769
anima ſecundum eſſentiam, quantitatem, & potentias, an ſit tota in toto, & in qualibet parte.theor.82.c.1.col.2. 607
anima principaliori modo eſt in aliqua parte corporis.theor.82.c.1. 608
anima quomodo mixta, & immixta corpori dicatur.theor.69.c.2. 434
anima virtualiter, & formaliter continet effectus, quos circa corpus operatur. theor. 73.c.1.col.1. 458
anima quomodo determinetur ad diuerſos actus.theor.74.c.4.col.1. 478
anima an ſit primũ mouens.the.61.c.4.570
anima an moueat ſeipſam. theor. 81. cap.3. 601.& 602
anima dat eſſe, non ſemper operari. theor.74. c.2. 479
anima non dat eſſe corpori, ſed operationes. theor.73.c.1. 457
anima licet det eſſe homini, non tamen eſt quanta.theor.67.c.3.col.1. 412
anima formaliter non eſt potentia, ſed materialiter.theor.74.c.2. 478
anima vna varias habens potentias eſt in homine.theor.72.c.2.col.2. 449
anima operatur mediantibus formis accidentalibus tamquam inſtrumentis.theor.74. c.1.col.1. 477
anima prærequirit corpus organizatum. the. 79.c.3. 565
anima eſt prius per ſe, quam ſit vnita corpori.theor.92.c.1.col.1. 701
anima omnis educitur extrinſecus, & eſt in forma.theor.67.c.3. 412
anima tota appellatur ab Ariſt.collectio animarum.theor.67.c.2. 405
anima intellectiua vileſcit nulla poſita ſpecie intelligibili.theor.79.c.4. 568. et ſeq.
anima intellectiua eſt ſimplicior quam forma naturalis.theor.79.c.3. 566
anima intellectiua eſt indiuiduata per ſe ipſa.theor.91.c.1. 697
anima intellectiua vegetatiua, & entitatiua cõtinent tamquã potentias.th.72.c.1.448

anima non ſemper intelligit, neque ſemper operatur.th.74.c.2.col.2. 478
anima rationalis quomodo det eſſe corpori. theor.68.c.2. 425
anima rationalis eſt tota in toto, & in qualibet parte,& eſt inextenſa. theor. 82.c.1. 607.*& ſeq.*
anima rationalis non intelligit, niſi per cognitionem aliorum a ſe. theorema 81.cap.3. 601.*&* 602
anima rationalis non intelligit ſe per ſuam eſſentiam.theor.81. 594.*& ſeq.*
anima rationalis eſt extenſa per accidens.th. 62.c.1. 374.*& ſeq.*
anima rationalis quod diuerſa appetat, & fugiat,non eſt inconueniens. theor.72.cap. 3.col.1. 454
anima vegetalis eſt diuidua, & extenſa, & tota in toto.theor.74.c.3. 484. *& ſeq.*
anima an ſit entitas vna conſtans ex vegetatiua,& ſenſitiua.theor.72.c.1. 448
animæ definitio.th.33.c.2.col.1. 177
animæ operationes conſiſtunt in pati. theor. 33.c.4.col.2. 180
animæ immortalitas dupliciter conſideratur, & ſuſtinetur a philoſophis. theorema 68. c.2. 414
animæ immortalitas ignoraretur, niſi id lumine Chriſtianæ fidei illuſtraretur. theor. 67.c.3.col.2. 411
animæ munus duplex.theor.76.c.2. 495
animæ partes quædam ſeparabiles, quędem non,ſecundū Ariſt.th.67.c.3.col.2. 412
animæ partes quædam ſeparabiles, quædam non.theor.67.c.1.col.2. 404
animæ tres realiter diſtinctæ an ſint in homine.theor.72.c.2.col.2. 451
animam dare eſſe ſubſtantiale quid ſit.theor. 74.c.3. 484.*& ſeq.*
animam per ſe producere actum primum, & per accidens potentias,falſum. theorema. 74.c.3. *ibid.*
animam rationalem eſſe immortalem naturali ratione an poſſit probari. th. 68.ca.2. 414
animam rationalem non eſſe formam ſpecificam hominis aſſerere eſt impiū. theor.68. c.1.col.1. 416
animam rationalem eſſe formam informantem incorpoream,& incorruptibilem tribus proportionibus tenuit Ariſt. th.67.c. 3.col.2. 411
animam rationalem eſſe formam materialē duobus modis accipitur.theorem.70. c.1. 436
anima non eſſe ſeparabilem a corpore,de quo corpore intelligat Ariſt.th.68.c.1. 414
*animam eſſe formam informantē,quibus rationibus probetur.th.67.c.2.*408. *et* 409
animam componi ex duabus partibus ſubſtantialibus rationibus probatur.the. 81.c.2. 601.*& ſeq.*
animam immaterialem informare corpus nō eſt inconueniens.theor.67.c.3. 411
anima vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua quomodo ſint ſubordinatæ inter ſe. theor. 72.c.2. 449.*& ſeq.*
animæ tres in homine atque in animalibus realiter diſtinctæ.theor.72.c.2. *ibid.*
animæ viuentes non virtute ſeminis, ſed à Deo producuntur.th.69.c.1.col.1. 431
animæ animantium per productionem producuntur.th.69.c.1. *ibid.*
animarum tranſmigratio, & determinatus numerus, an ab Ariſt.reiectus. theorem. 76.c.1. 493
animal,quid dicat hæc vox.theore. 73. c. 3. 462
animal,& homo non ſimul fit. theorem. 72. cap.1. 447
animal licet habeat plures formas eſt vnum, licet non ſimplex.theorema 73.c.4. 467
animalia generantia diſſimile ſpecie. th. 71. cap.2. 443.*& ſeq.*
animalia imperfecta modū generationis habent vniuocum,& æquiuocum.theor.71. c.1. 439.*& ſeq.*
animalium productionis gradus tres. th. 71. c.2. 443.*& ſeq.*
applicatio logicæ duplex.theor.1.cap.1. 2
aptitudo dicit relationem. theore.92. cap.1. 701

aptitudo conſequitur ad rem. theor. 92. c. 3. 704. & ſeq.

aptitudo ſiue agendi, ſiue patiendi conſequēs eſſentiam formæ fluit a forma. theor. 74. cap. 2. 480

aquæ diuiſio conſiderata duobus modis. theo. 90. c. 6. 681

arbor prædicamentalis quo ordine ordinata. theor. 83. c. 3. 615. & ſeq.

argumentum ab indiuiduis ad differentias in diuiduales non valet. theor. 90. cap. 1. 670

argumenta Balduini de ſubiecto logicæ contra Scotum. theor. 6. c. 2. 29. & ſeq.

argumenta contra propoſitionem quod Deus non ſit in genere. th. 99. c. 2. 754

argumentatio regulatur regulis ſyllogiſticis. theor. 6. c. 4. 34

argumentatio quomodo ſit ſubiectum in logica. theor. 6. c. 4. ibid.

argumentationis ſpecies omnis reducitur ad ſpeciem aliquam ſyllogiſmis. ibid.

argumētationis ſpecies quattuor th. 2. c. 3. 14

ariſtocratia vera, quæ. the. 56. c. 1. col. 1. 304

ariſtoteles in tradendis ſcientijs ſemper habet rationem noſtræ facilioris cognitionis. theor. 18. c. 2. col. 1. 95

ariſtoteles cur multum tribuat memoriæ ſenſitiuæ in lib. de memor. & reminiſc. theor. 80. c. 2. col. 1. 580

ariſtoteles, dubius de immortalitate animæ. th. 68. c. 3. col. 2. 411

ariſtoteles variè locutus de æternitate animæ. theor. 67. c. 3. col. 2. ibid.

ariſtoteles variè locutus de materia. the. 90 c. 8. col. 2. 690

ariſtoteles 2. poſt. à tex. 8. vſque ad 47. quid tractet. theor. 15. c. 2. col. 1. 82

ariſtotelis ſententia in primo topic. 9. quę ſit. theor. 1. c. 4. col. 2. 8

arithmetica principia cui ſubalternatur oſtēdit, muſica ſuas concluſiones, non per ſe, a priori. theor. 12. c. 1. col. 2. 57

arithmetica in quibus conueniat, & in quibus diſſideat a muſica, & alijs ſcientijs. th. 12. c. 1. ibid.

ars quid ſit, circa quæ verſetur quomodo ab habitu diſtinguatur. th. 1. c. 3. col. 1. 5

ars circa difficilia verſatur. th. 6. c. 2. col. 1. 30

artis cognitio ad effectionem dirigitur. theor. 1. c. 1. col. 2. 2

artium ſcopus qui th. 1. c. 2. ibid.

aſpectus varij cæli producunt varios effectus. theor. 42. c. 2. col. 1. 232

aſpectus reflexus intellectus. theor. 79. cap. 3. col. 1. 567

attributa in Deo quomodo diſtinguantur. c. 1. col. 2. circa finem. 798

auctoritates Ariſtot. quæ videntur ſignificare, quod ſenſus ſint circa ſingularia, quomodo intelligēdæ theor. 87. c. 1. col. 1. 661

auctoritates Ariſt. loquentes expreſsè de materia partis, quomodo interpretandæ. the. 90. c. 8. col. 2. 690

auctum, & nutritum an maneat idem numero per totā vitam. th. 40. cap. 4. col. 1. 218

auctum in viuente, quomodo extendatur. th. 40. c. 5. col. 2. 222

auctio in corpore fit ſecundum formam. theo. 40. c. 4. col. 2. 221

auerrois opinio de ſubſtantijs abſtractis reiecta. theor. 2. c. 1. col. 2. 12

auicennæ opinio de ſubſtantijs abſtractis probata. theor. 2. c. 1. ibid.

B

BAlduini opinio, an Logica ſit ſcientia. th. 1. c. 2. col. 1. 4

bonum an ſit obiectum voluntatis. the. 85. c. 4. col. 2. circa finem. 654

bonum commune maius quam particulare. th. 68. c. 3. col. 2. circa medium. 422

bonum vniuerſi conſiſtit potiſſimum in ordine ad primum ens. the. 56. c. 1. col. 2. 299

C

CAietanus vel fallitur ipſe, vel alios fallit in quodnam argumento. theor. 32. c. 3. col. 2. in fine. 174

calor naturalis eſt quo anima agit, huius auctoritatis expoſitio, the. 34. c. 1. col. 2. 181

calor eſt paſſio formę ignis theo. 65. c. 4. 393

caro eſt caro per animam. theo. 74. c. 3. 485

caro viua, et mortua ē vniuoca. th. 74. c. 3. ib.

caro animalis quomodo eadem maneat a principio vitæ ad finē.th.40.cap.1.col.2.212 & c.4.col.1.& 2. 218
carnem eſſe, & eſſe carnis differunt. theor. 28.c.3.col.1.in fine. 153
caſus non eſt ponendus in his,quæ ſunt a ſe. theor.54.c.2.col.1. 283
cauatio lapidis non fit a guttis in inſtanti. the.52.c.2.col.2. 272
cauſa,& effectus duplex. theorem. 29. c. 1. 159
cauſa,& effectus quando reciprocentur. the. 10.c.3.col.1.& 2. 51
cauſa, & effectus ſi ſint reciproci,fieri poteſt regreſſus.theor.9.c.1.col.1. 44
cauſa reſpondens ſuo effectui eſt medium in demonſtratione. theor. 15.c.2.col. 2. 82
cauſa per effectum,& effectus per cauſam cognoſcitur.theor.9.c.1. 44
cauſa,& cauſatum diſtinguuntur realiter.th. 5.c.1.col.1.paulo poſt medium. 21
cauſæ æquiuoca eſt nobilior ſuo cauſato.theo. 60.c.4.col.2. 256
cauſa cur aliquando non reciprocetur cum effectu.theor.10.c.3.col.1. 51
cauſa ſatisfacit quæſtioni propter quid,ſine ratione.theor.19.c.2.col.1. 101
cauſa ingrediens demonſtrationem eſt vniuerſalis,& propria. theor.14.c.3. 75
cauſa immediatè ineſt ſubiecto.theor.10.c.3. col.2. 51
cauſa ſine qua non, non eſt vera cauſa per ſe ibidem
cauſa quando dicatur adæquata ſuo effectui. theor.5.c.1. ibidem
cauſa debet reciprocari cum ſuo effectu.theor. 15.c.2.col.2. 82
cauſa quæ facit ſcire propter quid eſt, facit etiam ſcire quid eſt.the.16.c.1.col. 2. 84
cauſa productiua realiter quidnam eſſe poſſit. theor.32.c.1.col.2.in princ. 169
cauſa perfectior eſt intellectus, quam obiectum in producenda intellectione.the.77. cap.3.col.1. 526
cauſa poſitiua per ſe diuiſibilitatis eſt quantitas. theor. 36.c.3.col. 2. 197
cauſa naturalis non impedita, effectum quam poteſt nobiliſſimum producit. the.83.c.2. col.1. 614
cauſa finalis non habet proprie cauſalitatem realem.the.15.c.1.col.1. 82
cauſa finalis non cauſat, nec efficit niſi metaphorice.theor.75.c.1. 489
cauſa efficiens motus in graui. theor. 61.c.1. col.2. 361
cauſa efficiens,& finalis, principia eſſendi. theor.4.cap.1. col.2. 18
cauſa efficiens neceſſe non eſt, vt ſemper agat.theor.74.c.3.col.1. 486
cauſa eſſentialis, ad quam reducitur ordo accidentalis productionis.theorem. 34. cap. 2.182. & 183
cauſa accidentalis accidentaliter concurrit. theorm. 76.c.1. 446
cauſa accidentis eſt ſubſtantia. theor. 88. c. 1.col. 1. 663
cauſa formalis ſola eſt medium in demonſtratione potiſſima. theor.15.c.2. 82.et 83.
cauſa intellectionis,quæ ſit.theor.76. cap. 2. 496
cauſa integra intellectionis actualis. ibid.
cauſa prima,& ſecunda an concurrant ad eũdem effectum.theor.57.c.1.col.2. 321
cauſa prima eminenter continet cauſabilitatem ſecundarum cauſarum.theor.54.c.2. 287
cauſa ſecunda dependet a prima in eſſentialiter ordinatis.theor.56.c.1.col.1. 300
cauſa ſecunda non pendet a prima in accidentaliter ordinatis. theorema 56. cap. 1. ibidem
cauſa proxima per ſe,& immediata quæ.the. 13.c.4.col.1. 65
cauſa proxima, & immediata caloris ignis, & luminis ſolis, quæ, theorem. 34. c.2. col.2. 184
cauſa proxima,& immediata,quę.theor.34. cap.2. ibid.
cauſa præciſa, propter quā eſſe habet aliquid annexum,quæ. theor.32.c.3.col. 2. 174
cauſa præciſa, quare intellectus conuertatur ad phantaſmata,theor. 79.cap 4. 574

causa externa quod ex accidente ſit medium in demonſtratione, quomodo intelligatur. theor. 14. c. 3. col. 2. 75
causa externa, & interna the. 13. c. 3. col. 1. 63
cauſam accidentis eſſe medium in potiſſima, quomodo intelligendum. theor. 13. cap. 4. col. 2. 64
cauſam finalem quod habet, habet & efficientem. theor. 56. c. 2. col. 1. 306
cauſam vniuerſalem producere effectum vniuerſalem, poteſt contingere duobus modis. theor. 87. c. 1. col. 2. 660
cauſam quod habet finalem, an habeat quoque efficientem. theor. 56. c. 1. col. 1. 303
cauſæ genus, quod eſt medium in demonſtratione potiſſima. theor. 15. c. 1. col. 2. 81
cauſæ naturales cur non ſtatim perfectiorem effectum producant. theor. 83. c. 8. col. 1. in princ. 628
cauſæ producentes animal ex putri. the. 71. cap. 2. col. 2. 443
cauſæ non multiplicationis numeralis. theor. 91. c. 1. col. 2. 699
cauſæ, & effectus proportionantur. theor. 28. cap. 1. col. 1. in fine. 150
cauſæ eſſentialiter ordinatæ concurrunt ad vnum effectum: non idem eſt de cauſis accidentaliter. theor. 69. c. 1. col. 1. in princip. 433
cauſæ remotæ ad effectum non eſt neceſſaria connexio. theor. 10. c. 1. col. 1. 48
cauſæ notiores concluſione natura. theor. 10. cap. 3. 51
cauſæ ſecundæ requiruntur propter imperfectionem effectus. th. 54. c. 2. col. 2. 287
cauſæ paſſionum qua ratione cognoſcantur. theor. 9. c. 1. col. 2. 43
cauſæ omnes præter illa quattuor genera ſunt accidentales rei theor. 77. c. 2. col. 1. 523
cauſæ quomodo ſibi ſint inuicem cauſæ. theor. 90. c. 8. 688. per totum
cauſæ tres tum notæ tum ignotæ nobis. theor. 10. c. 2. col. 2. 50 & ſeq.
cauſæ quæ concurrunt ad intellectionem. the. 83. c. 2. col. 1. 614
cauſæ quot requirantur ad ſenſationem producendam. theor. 76. c. 2. col. 2. 495
cauſarum genera diſtincta. theorema. 15. c. 2. col. 2. 82
cauſarum genera quattuor, quæ quomodo neceſſario producunt effectum, niſi ſint cauſæ liberæ. theor. 77. c. 2. col. 2. 523
cauſato non competit modus eſſendi. the. 56. cap. 5. col. 1. 316
cauſatio, & productio ſpiritualis, theor. 56. c. 3. per tot. 310
cauſalitas formæ in materia. theor. 90. c. 8. col. 1. 688
cauſalitas formæ & cauſalitas finis. theor. 90. cap. 8. ibid.
cauſalitas finis eſt reſpectu efficientis. theor. 56. c. 2. 305
cauſalitas realis materiæ & formæ non eſt effectiua. theor. 21. c. 3. 121. & 122
cælum primum quomodo moueatur. the. 48. cap. 1. col. 1. 261
cęlum primum, & cæteri orbes an ſint in loco. theor. 48. c. 2. 263
cęlum, corpus naturale licet ſit, non tamen conſtat ex materia & forma. theor. 4. c. 1. col. 2. in princip. 18
cęlum ſimplex ne ſit, an ex materia, & forma. theor. 59. c. 1. col. 1. 326
cęlum eſt genus ſubſtantiæ proprios effectus, & operationes habens. theor. 59. c. 1. col. 2. in princ. 330
cęlum abſolutè pronunciatum, & hoc cęlum, ſunt aliud atque aliud. theor. 59. cap. 1. col. 1. 326
cælum ſecundum Philoſophos non eſt animatum formaliter. theor. 58. c. 1. col. 1. 323
cælum eſt in loco actiuè, non paſſiuè. theor. 48. c. 1. col. 1. 262
cęlum per ſe mouetur, & per ſe eſt in loco. th. 48. c. 2. col. 2. 263
cęlum conſtat ex eſſentia & eſſe ſuo indiuiduali. theor. 59. c. 3. col. 1. 345
cęlum eſt pars præſtantiſſima entis. theor. 20. c. 3. col. 1. in princip. 114
cęlum & ſubſtantia differunt genere proximo. theor. 20. c. 3. col. 1. circa finem. 114

cęlum quare dicatur animatum.theor.58.c.1.col.1. 325
cęlū quarto gradu vitæ viuit.th. 58.c.1.ib.
cęlum quomodo, & quare agat in hæc inferiora.the.99.c.2.col.1. & 2.per tot. 776
cęlum quomodo moueatur.theorema 48.cap.1.col.1. 261
cęlum naturaliter non mouetur violenter. theor.20.c.3.col.2. non lōge a princ. 114
cęlum non habet principium motus internū, ſed externum tantum.theor.20.c.1.col.2.non longe a princip. 108
cęlum quomodo dicatur eſſe in loco.the.48.c.1.col.1. 261
circulus quid ſit.theor.9.c.1.col.2. 43
circulus, & regreſſus quomodo differant. th.9.c.1. ibid.
circulus reiectus, regreſſus admiſſus ab Ariſtot.th.9.c.1. ibid.
coexiſtere quid ſit. theor. 22.c.3.col.2. 133
cognoſcere proprie, & per ſe.th.80.c.2. 581
cognoſcere propriam ſpeciem, & conceptum minus vniuerſalem, confuſo modo. theor.83.cap.8.col.1. 631
cognoſcere clarius non eſt conditio ſcientiarum ſubalternarum.th.12.c.2.col.2. 60
cognoſcere ſingulare intuitiue, & abſtractiue quid.theor.86.c.1.col.1. 656
cognoſci rem aliquam duobus modis non eſt inconueniens.theor.54.c.1. 182
cognoſci per cauſam certā proximam & adæquatā eſt demoſtrari.th.14.c.3.col.2. 77
cognoſcēdi principia q̄.the.20.c.1.col.2. 105
cognitio triplex in intellectiua. theo.83.c.1.col.1. 613
cognitio duplex, intuitiua & abſtractiua.th.84.c.2.col.2. 639
cognitio duplex intellectus noſtri circa ſingulare.theor.84.c.1.col.2. 635
cognitio duplex de ſingulari. theor.84.c.2.col.1. 640
cognitio duplex de materia.theor.25.cap.1.per totum. 138
cognitio procedit a noto ad ignotum, per vim illatiuam.th.19.cap.1.col.1. 98
cognitio noſtra ortum habet ex phantaſmatibus.theor.54.c.3.col.2. 289
cognitio fit ab intellectu, & ſubiecto, & quo modo. th.5.c.2.col.2. 33
cognitio de ſubiecto per demonſtrationem quia, & propter quid.the.3.c.1.col.1. 17
cognitio contingit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente.th.85.c.2.col.2. 645
cognitio quidditatiua rei, perfectiſſima. the.85.c.3.col.1. 647
cognitio abſtractorum naturaliter acquiritur per ſenſibilia phantaſmata.th.95.cap.3.col.1. 733
cognitio abſtractiua eſt ſcientialis, theor.84.c.3.col.2. 642
cognitio intuitiua non eſt ſcientifica, & quid ſit.theor.86.c.1.col.1. 656
cognitio ītuitiua duplex.th.84.c.2.c.2. 639
cognitio ſubſtantiæ habetur per accidente ſenſibile.theor.88.c.1.col.1. 663
cognitio paſſionis præſupponit cognitionem ſubiecti.theor.5.c.3.col.1. per tot. 27
cognitio a poſteriori non eſt ſcientia. the.5.c.3.col.1. 28
cognitio, quæ ſcientia dicatur, quæ. theor.1.cap.3.col.2. 6
cognitio actualis duplex.th.83.c.1.col.2. 613
cognitio actualis diſtincta the. 83.c. 10. 632
cognitio habitualis quæ ſit.theor.83.cap.11.col.1. 633
cognitio habitualis præſupponit cognitionem actualem confuſam acquiſitam ab intellectu.theor.85.c.11.col.1. 634
cognitio habitualis mediat inter cognitionē confuſam actualem, & cognitionem diſtinctam actualem. theor.83.c.11. ibid.
cognitio virtualis quæ dicatur the. 83.c.11.col.1. 633
cognitio diſtincta per quæ habeatur.th.83.c.10.col.1. 632
cognitio diſtincta habetur poſt confuſam. th.10.c.3.col.2. 54
cognitio diſtincta, & confuſa.theor.9.c.2.col.2. 46
theor.83.c.1.col.2. 613
cognitio diſtincta ab vniuerſalioribus incipit. th.83.cap.11.per tot. 634

cogni-

cognitio cōfuſa, et diſtincta. t. 83. c. 8. p tot. 630
cognitio confuſa præcedit cognitionem diſtinctam theor. 83. c. 1. col. 2. 613
cognitio confuſa ad quid requiratur. theo. 83. c. 3. col. 1. 618
cognitio cōplexa principiorū indiget cognitione terminorū ſimpliciū. t. 83. c. 8. p tot. 573
cognitio complexa præſupponit incomplexa. theor. 84. c. 2. per tot. 641
cognitio, vt ſcientia ſit, debet habere euidentiam principiorum. the. 12. c. 2. col. 1. 60
cognitio ſcientifica non eſt immaterialium, & ſimplicium. theor. 28. c. 2. col. 1. 152
cognitio ſingularis recta linea, vniuerſalis flexa cognoſcitur. theor. 84. cap. 3. 642
cognitio per experientiam æquiualet cognitioni per cauſam. the. 11. cap. 1. col. 2. 56
cognitio vera eſt illa, quæ competit rei ſicuti eſt. theor. 85. c. 3. 646. & ſeq.
cognitio perfecta materiæ per multiplicem comparationem. theor. 9. c. 1. col. 2. 44
cognitio per cauſam quod eſt, eſt perfecta. th. 10. c. 4. col. 2. 54
cognitio ex cauſa nobilior, quam ex effectu. theor. 11. c. 1. col. 2. 55
cognitio effectus per cauſam, & cauſæ per effectum qualis ſit. th. 9. c. 2. col. 1. & 2. 46
cognitio hominis formalis excellentior cognitione ſenſuum. theor. 65. c. 2. 387
cognitionis genus quidnam ſit quod determinat. theor. 85. c. 3. 646. & ſeq.
cognitionis facilioris in ordine ſcientiæ ſemper habenda ratio. theor. 18. c. 3. col. 1. 96
cognitionis noſtrę ordo. th. 78. c. 1. p tot. 532.
cognitionis noſtræ ordo. theor. 7. c. 2. col. 1. 37
cognitione confuſa effectus acquiritur cognitio diſtincta cauſæ. theor. 9. c. 1. col. 2. 44
cognitiones plures. theor. 83. c. 1. col. 2. 613
cognitum primum ordine confuſo actuali cognitione eſt ſpecies ſpecialiſſima. col. 1. 616
cognitum primitate adæquationis quid ſit. theor. 83. c. 11. per tot. 635
cognitum primitate perfectionis quid ſit. th. 83. c. 11. col. 1. & per tot. 635
cognitum primitate perfectionis ſimpliciter, eſt Deus. theor. 88. c. 11. ibid.
cognitum; & potentię cognoſcens non poſſunt conueniri in modo eſſendi cognito. theor. 85. cap. 3. per tot. 651
cognitum eſt in cognoſcente per modum cognoſcentis. theor. 85. c. 3. col. 2. 648
commenſuratio ſubſtantialis dupliciter conſideratur. theor. 92. c. 1. 701
communicare in natura non ſufficit ad poſſe eſſe indiuiduum alicuius ſpeciei. theor. 36. c. 2. col. 2. 197
cōmune aliquod ſi ſtatuatur pro obiecto adæquato alicuius potentiæ, quidquid continetur, vt ſub obiecto, mouet illam potentiam. theor. 84. c. 2. col. 2. 638
cōmune aliquod ꝙ denominet ſeipſum particulariter ſumptū, & vario modo cōceptū, non eſt incōueniens the. 95. c. 6. col. 2. 742
communiora ſunt prius nota via originis & generationis in cognitione habituali & virtuali. theor. 83. c. 11. col. 1. 633
cōmunic. vt quo, & vt ꝙ. th. 5. c. 1. 19. et 20
cōmunicabile, vel incōmunicabile eſt paſſio conſequens entitatē. th. 90. c. 7. col. 2. 683
comparatio fit in ſpecie atoma, & quare. th. 95. c. 4. col. 2. 714
comparatio omnis eſt in aliqualiter vniuoco. theor. 95. c. 1. col. 2. 727
complexiones diſtinguuntur realiter, & formaliter. theor. 73. c. 4. col. 2. 470
complexiones diuerſæ non requirunt diuerſas formas ſubſtantiales. th. 73. c. 4. p tot. 467
componere, & diſcurrere ſunt operationes intellectus. th. 84. c. 1. col. 2. 636
compoſitio duplex. c. 6. in tract. formal. 811
compoſitum aliquod datur accidentale non dependens à compoſito ſubſtantiali. theor. 59. c. 3. col. 2. 344
compoſitum eſt ſubſtantia diuerſa à materia, & forma, & vtraque perfectius. the. 21. cap. 3. col. 1. in fine. 120
compoſitum fit ex materia, & forma. th. 28. cap. 2. col. 1. in fine. 151
compoſitum ex materia & forma, nullum datur, ſuper prædicamentum ſubſtantiæ. th. 20. cap. 3. col. 2. 111
compoſitum eſt tale, qualis eſt forma. theor. 90. c.

90.c.9. 692.et ſeq.
compoſitum non eſt natura,ſed habens naturam.theor.21.c.4. 123.& ſeq.
compoſitum quod nutrioue augetur manet. idem a principio ad finem.theor. 40.c. 4. 218.& ſeq.
compoſitum quomodo fiat vnum per ſe ex materia,& forma.theor.20.c.1. 104
compoſitum eſſe tertiam ſubſtantiam, quare dicat Ariſt.theor.20.c.2.per tot. 109
compoſitum aliud ens a partibus.theor.21.c. 3.col.1. 120
compoſitum tres perfectiones recipit ab eſſe conſtituto per animam rationalem.theor. 72.c.3.col.2. 453
compoſitum cum pluribus animabus ſubſtantialibus,quomodo dicatur vnum numero. theor.72.c.2.col.2. 449
compoſita res ex actu,& potentia,& ex determinato, & determinabili componitur theor.95.c.4. per tot. 737
compoſitiua,& reſolutiua methodus.theorema 2.c.3.col.1. 14
compoſitio duplex in rebus creatis.theor.32. c.2.col.1. 170
compoſitio potentialis non actualis eſt in genere.theor.96.c.3.col.2. 757.& ſeq.
contemplatiuum problema.th.1.c.2.col.1.3.
concipi res prius poteſt ſecundum nomen, quam ſecundum definitionem. theor. 7.c. 1.col.2. 35
cõcipi diſtinctè, vel confuſe nihil reale ſupra rem conceptam addit.the.7.c.2.col.1.38
concipi confuſe,& diſtinctè quomodo ſit opus noſtri intellectus theor.7.c.2. ibid.
conceptus communis quomodo contrahatur per modos intrinſecos.theor.96.c.2.col.2. 755
conceptus quid ſit.theor.95.c.5.col.1. 740
conceptus duplex.theor.94.c.1. col. 2. 715
cõceptus ſimplex quomodo formetur in intellectu viatoris.theor.95.c.3. col. 1. 733.
conceptus eſt de re, & ſignificat rem. theor. 97.c.1.col.2. circa finem. 764
conceptus perſonæ diuinæ.the.94. c.1. 715
conceptus eſt vnus, & neuter ex ſe.the. 95. cap.2.col.1. 741
conceptus quidditas rei.the.7.c.1. 35.p tot.
conceptus quidditatiuus loco definitionis in ente.theor.6.c.3. 30.et 31
conceptus quidditatiuus naturaliter de ſubſtantia non habetur immediate cauſatus a ſubſtantia.theor.88.c.1.col.1. 663
conceptus per nomen,alius a conceptu per definitionẽ ſignificatus.the.7.c.2.38. p tot.
conceptus vniuerſalis formatur ab intellectu agente.theor.79.c.4.col.2. 567
conceptus vniuerſales circa phantaſmata formantur ab intellectu agente. ibid.
conceptus vniuerſales phãtaſmatis quot ſunt tot ſunt ſpecies intelligibiles.the.78. c.2. 537.& ſeq.
conceptus communis qui ſit. theor.96.c.2. per tot. 755
conceptus communis qualis eſſe debeat, vt ſit talis.theor.95.c.6.col.2. 742
conceptus communis quomodo contrahatur per modũ intrinſecũ.th.96.c.2.col.2.754
cõceptus cõmunis eſt neuter reſpectu eorum, quibus eſt cõmunis.th.95.c.5. p tot. 740
conceptum cõmunem eſſe neutrum poteſt intelligi dupliciter.theor.95.c.6.col.2.742
conceptus determinabilis tantum, & determinatiuus tantum.th.95.c.4.col.2. 737
conceptus determinatior qui haberi poſſit de ſingulari. theor.83.c.8.per tot. 628
conceptus mentis,ſiue ens rationis non eſt ſubiectum logicæ.theor.6.c.1.per tot. 28
conceptus ſimpliciter ſimplices, qui.the.95. cap.4.per tot. 738
conceptus ſimpliciſſimus.theor.96.c.1. 749
conceptus diſtinctus;diuerſus à confuſo. theo. 7.c.2.col.2. 37
conceptus tranſcendẽs,& modus intrinſecus requirunt eandẽ realitatẽ th.96.c.2.756
conceptus formatus ab intellectu agẽte quid ſit. theor.80.c.2.col.1. 580
conceptus formatus ab intellectu agente phãtaſmate ſingulari.th.83.cap.2.col.2.614
conceptus ſequitur rem, & rei ex natura ipſius rei reſpõdet.theor.93.c.4.col.2.714
conceptus materiæ, & formæ qualis ſit. the. 30.c.

30.c.2.col.1. 161
cõceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt primus, qui offertur intellectui noſtro. theor.83. cap. 8.col.2. 628
conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt primum cognitum.theor.83.c.6.col.2. 624
conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ.theor.83. c.6. ibidem
conceptus primus receptus in intellectu de ſingulari. ibid.
conceptus entis eſt multiplex.theor.94. cap. 1.col.2. 715
conceptus entis eſt imperfectiſſimus omniũ. theor.83.c.7.col.2. 626
conceptus ſubſtantiæ abſtrahit à ſubſtantia, & accidente.theor.95.c.5.col.2. 740
conceptus ſubſtantiæ in communi eſt genus. th.64.c.2.col.1. 382
conceptus de Deo, & de creatura in quid eſt contractum per prædicatum tranſcendẽs. theor.96.c.2.col.2.in fine. 754.& ſeq.
conceptus obiectiuus reſpondens enti. theor. 94.cap.1.col.1.in fine. 716
conceptus, & ratio, qua intelligitur, ſunt idem.theor.95.c.5.per tot. 740
conceptus idem eſſe non poteſt prior, & poſterior.theor.7.c.1.col.2.in fine. 35
conceptus imperfectiſſimus an ſit primus in cognitione via generationis.theorem.83. cap.8.col.2. 627
conceptus quomodo deſinat eſſe communis, & fiat proprius.theor. 96.c.2. 754
conceptum in vtero quo ordine animã accipiat.theor.72.c.1.col.1. 448
conceptus metaphyſici dicti de Deo, & de creatura ſunt idem analogicè, & vniuocè.theor.95.c.3.per tot. 731
conceptus realis communis Deo, & creaturæ eſt poſitione theor.94.c.3.col.1. 724
cõceptus ſuperioris, & inferiores poſſunt variari infinitis modis.th.95.c.1.col.1.727
conceptus propinquiores ſenſibus ſunt faciliores cognitu.theor.83.c.8.col.1. 628
cõceptio cõmunis animi.th.7.c.2.37. & 38
conclusio pendet etiam a minori.theor.14.c. 3.per tot. 75
concluſio vniuerſalis non ſequitur ex demonſtrationibus factis per cauſam externam. theor.14.c.3. ibid.
concluſio demonſtrationis qualis eſſe debeat. theor.13.c.4.col.1. 79
concluſio per accidentia iuterna. ibid.
concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem.theor.14.c.3.per tot. 79
concluſio vero caſu, & vera neceſſario. theo. 14.c.3. 77
concluſio in demonſtratione debet eſſe neceſſaria.theor.14.c.3. ibid.
concluſionem ſimpliciter negare non ſufficit. theor.54.c.2.col.1. 284
concluſione neceſſaria ratione materiæ, vtraque propoſitio debet eſſe neceſſaria. theor. 14.c.3. 77
concluſiones Gregorij de Arimino contra Scotum cum fundamentis.theor.5.c.1.col.2. in fine. 20
conditio eſſentialis materiæ primæ.theor.59. c.1.col.1. 326
conditiones neceſſariæ ſubiecti quot, & quæ. th.4.c.1.col.1. 18
conditio, vt ſubiectum habeat partes, quibus in ſcientijs requiratur. th.5.c.2. col.2.24
conditio ſubiecti non eſt habere partes. theor. 2.c.1.col.1.in fine. 11
conditiones ſubiecti theor.20.c.1.col.1.104
conditiones ſubiecti.theor.6.c.1.col.1. 28
conditiones demonſtrationis propter quid. theor.11.c.1.col.1. 75
cõditiones principiorum ſunt conditiones medij.theor.13.c.4.col.2. 264
conditiones principiorum demonſtrationis medij ſunt cõditiones.th.10.c.3.col.2. 49
conditiones accretionis.th.40.c.3.col.1.189
conditiones octo certæ, quæ pertinent ad recordationem.th.80.c.2. per tot. 580
conditiones ſcientiæ, logicæ non conueniunt. th.1.c.3.col.1. 6
conditiones ſcientiæ quattuor,col.2. ibid.
conditiones ſcientiæ ſubalternantis, & ſubalternatę.th.12.c.1.col.1. 57
conditiones ſingularitatis.th. 87.c. 1.col. 1. 658

condi-

conditiones requiſitæ ad vnitatem numeralem motus.th.39.c.2.col.1. 209
conditiones requiſitæ in vniuoco.theor.95.c.1.col.2. 726
conditionibus expreſsè notis non ponitur eorum prȩcognitio.th.6.c.3.p tot.30.et 31.
confuſum, & confuſio duplex.theor.83.c.8.col.2.in princip. 628
confuſum, & confuſe rem cognoſcere, non idem ſunt.theor.83.c.1.col.2.in fine. 613
confuſum duplex. ibid.
confuſa magis, hȩc verba quomodo intellecta a Scoto.the.83.c.8.col.1. 628
quid intelligat Ariſt.per hȩc verba. ibid.
confuſa magis nobis notiora.th.83.c.8. ibid.
confutatio opinionis de forma corporeitatis in materia prima.th.25.c.2.col.1. 138
confutatio opinionis Zabarellæ, Sueſſani, & Balduini.th.2.c.3.per totum. 15
confutatio rationum contra Scotum de actu entitatiuo.th.22.c.3.col.2. 130
confutatio argumentorum Gregorij de Arimino.th.5.c.3.col.2. 28
confutatio Caietani de ente mobili.theor.20.cap.3.col.1. 111
coniunctio ſiue nexus intellectus cum homine per phantaſmata, Auerrois ineptum figmentum.th.67.c.2.col.2. 407
connexio medij cum ſubiecto eſt in maiori: in minori eſt medij cum affectione. theor.14.c.3.per tot. 76
connexus cauſæ cum affectione, & affectionis cum ſubiecto in demonſtratione an requiratur. ibid.
connexus effectionis cum ſubiecto non cognoſcitur niſi cognitio connexu medij cum ſubiecto. ibid.
connexus ab effectu proximo ad cauſam proximam neceſſarius.th.11.c.1.col.2. 55
conſequentia valet ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè.th.73.c.2.col.2. 460
conſequentia valet a deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis. theor.97.c.1.col.1.in princip. 764
conſequentia formaliter non valet deſcendendo à prædicato tantum confusè accepto ad particularia determinata. theor.95.cap.6.col.1. 743
cõſeruare quid ſit.th.59.c.1.col.1. 326
conſeruatio quo ad eſſe eſt continua datio eſſe.theor.56.cap.1. per tot.300.& 301
conſiderata in Philoſophia naturali. theor.20.cap.1.col.1. 104
conſideratio ſpecifica alicui rei appoſita, reſtringit rem.theor.1.c.1. 2
conſtans ex vltima materia ſingulare eſt.th.90.c.8.per tot. 688
conſtantium natura omnium eſt determinata ratio magnitudinis, & augmenti.theor.52.cap.2. 272.& ſeq.
conſtitutiuum in eſſe præcedit rem,theor.92.c.3.col.2. 703
conſultatio de fine non fit, ſed de medijs ad finem.theor.18.c.3.col.1. 96
continere virtualiter veritates habitus quid ſit.theor.5.c.3.col.1. 26
continentia virtualis ſubiecti in propoſito quomodo intelligatur.theor.5.c.3. ibid.
contingens pendet a neceſſario.theor.53.c.1.per tot. 276
contingentia, quæ dicantur ab Ariſt.theor.57.c.1.col.2. 320
contingentia nulla dantur, ſi Deus neceſſario agat. ibid.
contingentium radix. ibid.
continuum ſeipſum non mouet.theor.61.c.2.col.1. 369
continuum eſt poſſibile diuidi in diuiſibilia. theor.52.c.2.col.1. 272
continuum eſt diuiſibile ſecundum quodcunque ſignum.theor.52.c.2. ibid.
continuum eſt diuiſibile in infinitum quo in ſenſu intelligatur hæc propoſitio. ibid.
continuum eſt immediatum indiuiſibile.ibid.
continuum eſt finitum, & terminatum.theo.37.c.2. 203
continuum non eſt conſtans ex minimis.theo.52.c.2.per tot. 272
continuum non eſt eſſe terminatum, vel interminatum.theor.37.c.2.col.1. 203
continuum quare non conficiatur ex indiuiſibilibus.theor.52.c.2.per tot. 272

conti-

continuum componitur ex partibus diuiſibilibus.th.37.c.2.per tot. 203
contrariorum vnum eſt ſemper priuatio alterius.th.43.c.4.col.2. 237
contraria non poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, vera in eſſe quieto.theor.43.c.4. ibid.
conuertentia non datur in prædicatione vniuerſali.theor.8.c.1.col.2. 41
cor prius tempore generatur. theor.73. cap. 4.per tot. 467
Corpus Chriſti quomodo fuerit idem numero in ſepulchro, quod erat viuens.theore. 73. cap.1.col.2. 456
corpus naturale qd ſit.th. 20.c.3.col. 1. 114
corp⁹ naturale qnã ſit.th. 20.c.2.col.2. 108
corpus naturale habet determinatam quantitatem in magis, & minus.theo.36.c.2. col.2. 196
corpus naturale qd ſit.th.20.c.1.col.1. 104
corpus naturale, ſiue ſubſtantia corporea naturalis ſunt idem.th.4.c.1.col.2. 18
corpus naturale eſt ſubiectum in philoſophia naturali. ibid.
corporum cæleſtium quot ſpecies, tot ſunt genera phyſica.th.59.c.2.per tot. 332
corpus cæleſte quodlibet habet propriam intelligentiam.th.55.c.2.col.2. 296
corpus generabile, & corruptibile an ſit ſubiectum in philoſophia naturali.theor.20. cap.1.per tot. 104
corp⁹ animalis qd ſit.th.73.c.4.467.& 468
corpus animatum comparatum ſecuri, & anima formæ ſecuris.th.67.c.2.405.& 406
corpus mobile an poſſit eſſe ſubiectum in philoſophia naturali.th.20.c.1.per tot. 104
corpus aliud continens non datur vltrà vltimam ſphæram.th.42.c.1. 231
corpus omne eſt in loco paſſiuè. ibid.
corpus eſſe ſupremũ genus vniuocum de prædicamento ſubſtantiæ defendunt aliqui. th.64.c.1.col.1. 380
corpus eſt vniuocum genus de prædicamento ſubſtantiæ.theor.26.c.3.per tot. 146
corpus ſupremum genus cathegoriæ ſubſtantiæ.th.26.c.1.per tot. 143
corpus eſt genus vniuocum de prædicamẽto ſubſtantiæ.theor.31.c.1.col.2. 164
corpus in prædicamento ſubſtantiæ compoſitum eſt ex materia ex forma. th. 30.c.2. col.2. 160
corpus de genere quanti prærequirit corpus de genere ſubſtantiæ.th.3.c.1.per tot. 16
corpus de prædicamẽto ſubſtantiæ eſt ex materia, & forma.th.26.c.2.per tot. 145
corpus primum de cathegoria ſubſtãtię quodnam ſit.th.26.c.1.per tot. 143
corpus eſſe ſubiectum in philoſophia, quomodo intelligatur.th.20.c.1.per tot. 104
corpus infinitum non datur. theor.54.cap.1. col.1. 280
corpus habet eſſe ab aliqua forma.theor. 73. c.1. 456.& ſeq.
corpus præcedit animam quoad eſſe. th.73.c. 1.col.2. 459
corpus debet eſſe phyſicum, & organicum vt anima informetur.th.63.c.3.per tot. 462
corporis, et formę diuiſio.th.26.c.2.p tot. 145
corporis diuiſio.theor.31.c.3.per tot. 162
corpus pars rarefacti recipit alterationem. th.43.c.1.col.1. 234
corpus non ineſt primo homini.th.10. cap.5. col.2. 68
corpora grauia habent loca ordinata in mundo, prout magis vel minus grauia.th. 62. cap.1.per tot. 377.& ſeq.
corpora cæleſtia in duo tantum reſoluuntur ab Ariſt.th.55.c.2.col.1. 297
corruptio fit per contrarium. theor. 68.c.2. per tot. 417.& ſeq.
corruptio fit per ſeparationem, & per deciſionem.theor.68.c.3.per tot. 419
corruptio vnius eſt alterius generatio: & generatio vnius eſt corruptio alteri⁹, vtra ſit verior, & prior, th.39.c.1.col.2. in fine 207.& ſeq.
corruptio vnius eſt generatio alterius.th.35. cap.1.col.2. 190
corruptio vnius eſt generatio alterius. theo. 22.c.1.col.1. 126
corruptio, & remanentia elementorum in mixto.theor.60.c.5.col.2. 358
corruptio eſt ſingularium, & indiuiduorum

non vniuerſalium.theo.72.c.2.p tot.450
corruptio quæ ſit ad corruptionem termini cõpetit relatiuis.theor.60.c.1.col.2. 345
corruptio cõpoſiti in quo ſunt plures formę,et in quo eſt vna tãtũ,the.35.c.2.p tot.193
corruptibile,& incorruptibile differunt plus quam genere.theor.64. cap.1.col.2.380
corruptibile quid ſit.theor.69.c.1.col.2.433
corruptibilitas paſſio propria corporis naturalis.theor.28.c.2.col.1.in princip. 132
corruptibilitas quare ſit in his inferioribus non autem in cælo.the.59.c.1.col.2. 527
creari, & creatura duobus modis accipitur. theor.56.c.4.pertotum. 312
creari,& generari quod dicatur. th.25.c.2. col.1. 312
creatio quid ſit, & quomodo differat à generatione.theor.56.c.4. ibid.
creatio,& generatio differũt.th.69.c.2.ibid.
creatio, & æternum non dicunt pugnantia.theor.56.c.5.per tot. 314
creatio an ſit mutatio.theor.56.c.4. 312
creatio non conuenit cum motu in actu. ibid.
creationem an conceperit philoſophus. ibid.
creatura nulla habet entitatem ſecundum totam perfectionem.th.63.c.1.per tot. 378
creatura eſſe reale tunc accipit, cum recipit actualem exiſtentiam.theor.32.c.1.col.1. in fine. 168
creatura continet Deum participatiuè. the. 95.c.3.col.2. 733
cuius eſt principium,eius eſt finis.theor. 90. c.1.per tot. 670

D

DEclaratio primæ actionis intellectus agentis.th.78.c.2.col.2. 337
declaratio tex.150.Ariſt.th.8.c.1.col.2.42
de diſtinctione,identitate reali,& re, duobus modis loqui poſſum⁹.th.1.c.3.p tot.pag.5
definitio quid ſit.theor.17.cap.1 .col.2. 88
definitio eſt oratio complexa,& inſtrumentũ ſignificatiuũ eſſentiæ.th.16.c.2.col. 2.86
definitio eſt ſermo habens partes, quibus reſpõdent partes rei.the.73.c.4.col.1. 468
definitio eſt idem re cum definito. theor.16. c.1.col.2. 85
definitio propriè competit ſpeciei,& quid ſit. th.28.c.3.col.1. 153
definitio,& nomen quomodo differant.theor. 16.c.1.per tot. 85
definitio non eſt inſtrumentum logicum. th. 2.cap.3.per tot. pag.14
definitio non eſt inſtrumentum logicum diuersũ a demonſtratione.th.16.c.1.p tot.85
definitio eſt per ſe nota, definitum vero ignotum.th.7.c.1.per tot. 35
definitio, & definitum quomodo ſint,vel non ſint idem.theor.13.c.5.per tot. 68
definitio, & definitum quomodo differant. theor.7.c.2.per tot. 37.& 38
definitio eſt ſcopus demonſtrationis. th. 17. c.1.col.2. 88
definitio,& cauſa maioris,& minoris extremi quale ſint medium.th.13.c.3.p tot.63
definitio ſubſtantiam, demonſtratio accidens facit ſcire.theo.6.c.2.col.2.29.& col. 1. 30.& ſeq.
definitio non notificat ſubſtãtiã, neque vtitur cauſa formali.th.16.c.2.p tot. 86.& ſeq.
definitio recta,et nõ quę,th.28.c.4.p tot.156
definitio paſſionis an ſit medium in demonſtratione potiſſima.theor.13. cap.1.& 2. 61.& ſeq.
definitio Scoti de ſubiecto impugnatur à Ioãne Bacconio,theor.5.c.1.col.2. 23
definitio Scoti quo de ſubiecto intelligatur. theor.5.c.2. ibid.
definitio Aureoli de ſubiecto.th.5.c.1. ibid.
definitio paſſionis quibus conſtet. theor. 13. cap.5.per tot. 68
definitio, & quidditas per eã explicata ſunt connexa ſimul.th.17.c.1.col.2. 91
definitio perfecta accretionis.theor. 40. c. 3. col.1. 217
definitio corporis naturalis competit cælo,& ſublunaribus.th.20.c.3.col.1. 114
definitio eſt finis, & ſcopus demonſtrationũ, et aliarũ method.th.16.c.1.p tot.85. et 86
definitio non eſt inſtrumentum notificandi, quid eſt ſubſtantiæ. th.16.c.1. ibid.
definitio per negationes proprie conuenit illimitatis.th.96.c.3.per tot. 788

definitio an notificet ſubſtantiam. theor. 16. c.1. per tot. 84. & 85

definitio ſubiecti eſt medium in potiſſima demonſtratione. th.13. c.2. per tot. 62

definitio ſubiecti eſt cauſa prima, non proxima accidentium. th.13. c.3. per tot. 63

definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione. th.19. c.2. 100. & 101

definitio ſubiecti. th.5. c.2. per tot. 24

definitio ſubiecti ſpecifici, & generici. ibid.

definitio ſubiecti eſt cauſa demonſtrationis, & cognoſcendi quid ſit paſſio. th.5. cap. 3. per tot. 26

definitio ſubiecti eſt ſuppoſitio in ſcientia. th. 3. c.1. col.1. 16

definitio ſubiecti Gregorij falſa, & quare. th. 5. c.3. col.2. 26

definitio ſubiecti ex quibus conſtet. theor. 3. c.1. col.1. 16

definitio ſubiecti principium cognoſcendi. th. 6. c.1. per tot. 28

definitio tribus modis reducitur ad demonſtrationem. th.19. c.1. per tot. 97

definitio non ſatisfacit quæſtioni quid eſt ſubſtantia, ſed demonſtratio quia. theor. 19. cap.2. 100. & 101

definitio propter quid, eſt definitio proprij accidentis. theor. 19. c.1. per tot. 97

definitio triplicem reſpectum habet ad demõſtrationem. ibid.

definitio eſt demonſtratio ſola terminorum poſitione differens. ibid.

definitio, vt eſt inſtrumentum ſciendi. ibid.

definitio cõſideratur à Logico, & à Metaphyſico, ſed diuerſo modo. th.17. c.1. p tot. 89

definitio dupliciter conſideratur. theor. 19. c. 1. per tot. 97

definitio quando poſſit dici inſtrumentum logicum. theor. 17. c.1. per tot. 89

definitio vel ſubſtantiam, vel accidens ſignificat. th.6. c.3. per tot. 30. & 31

definitio ſubſtantiæ, principium demonſtrationis. theor. 13. c.4. per tot. 64. & 65

definitio ſubſtantiæ quid ſit. ibid.

definitio accidentis triplex. theor. 13. cap.2. col.1. 62

definitio accretionis. theor. 41. cap.2. & c.3. 228. & 230

definitio loci, & eius declaratio. theor. 47. c. 1. col.2. 256

definitio, & ratio cauſæ efficientis cui nõ competit ei neque competit cauſa efficiens. th. 56. c.5. col.2. 314

definitio neque vim illatiuam, neque diſcurſum habet. th.16. c.1. 84. & 85

definitio ab Ariſt. dicitur ſuppoſitio. theore. 6. c.1. col.2. 28

definitio corporis naturalis, & definitio animæ ab Ariſtotele à poſteriori inueſtigata. th.3. c.1. per tot. 16

definitio cui competit, eidem & definitio. th. 33. c.2. col.1. in fine. 177

definitio quæ eſt principium demonſtrationis, & quę eſt tota demonſtratio ſunt diuerſæ. th.19. c.1. col.2. 97

definitio tota, & perfecta continet materiã, & formam ſubiecti. th.13. c.5. per tot. 65

definitio quid nominis, & quid rei qua eſt eadem ſit in ente. th.95. c.6. col.2. 742

definitionis natura. th.3. c.1. per tot. 16

definitionis, & definiti differentia qualis ſecundum Caiet. th. 7. c.2. col.2. 37

definitionis munus principale quod ſit. theor. 19. c.2. col.2. 100. & pag. ſeq.

definitionis nomine quid intelligatur, cum dicimus definitionem ſubiecti eſſe mediũ. theor. 13. c.4. col.1. 66

definitionis ſubiecti nomine quid intelligatur theor. 13. c.5. per tot. 65

definitionem non eſſe inſtrumentum logicum quibus rationibus probet Zabarella. theor. 16. c.1. 84. & 85

definitionem parere ſcientiam ſine ratione ridiculum dicere; theor. 16. c.2. col.2. 86

definitionem ſubiecti argumento probatur medium in potiſſima. th.13. cap.4. col.2. 64

definitiones quæ habent diuerſas, realiter diſtinguuntur, ſed non ſemper. ibid.

definitiones quibus non indeſcunt accidentia non ſunt bonæ. ibid.

definitiones quid ſit, quod explicetur. theor. 28. c.4. per tot. 156

defini-

definitum, & definitio ſunt diuerſi termini. th.7.c.1.col.1.circa finem. 35
definiti nomen confuſe, definitio diſtincte ſignificat.th.1.c.2.col.2. 39
demonſtrati poſſe per omne genus cauſæ, quomodo intelligatur.th.15.c.2.col.2. 82
demonſtratio, & definitio, quid illa demonſtret; hæc item ſignificet.theor.16.cap.2. 286
demōſtratio duplex.th.11.c.1.col.1.ī fine. 55 *& th.9.c.1.col.1.* 44
demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire.th. 11.c.1.col.2. 55
demonſtratio potiſſima quæ ſit.th.14.cap.4. col.1. 79
demonſtratio potiſſima habet conditiones traditas ab Ariſt.th.10.c.3.col.2. 51
demonſtrationis conditiones.the.10.cap.3. ibid.
demonſtratio potiſſima quæ.theor.14.cap.3. col.2. 75
demonſtratio perfecta ex opinione Scoti.the. 13.c.2.per tot. 62
demonſtratio perfecta ſola oſtendit quid eſt. th.16.c.1.per tot. 84.& 85
demonſtratio conuerſa in definitionem, eſt definitio paſſionis.th.19.c.1. 97
demonſtratio inuenta propter nos. th.10.ca. 3.col.1.52. & eodem 10.c.4.col.2. 54
demonſtratio reciprocata.th.9.c.1.col.2 43
demonſtratio eſt ex præmiſſis neceſſarijs. th. 9.c.2.col.2.in principio. 46
demonſtratio oſtendens propter quid de effectu, oſtendit quod eſt.the.10.c.4.col.1. 54
diſtinctio ſubalternatæ ſcientiæ a ſubalternāte eſt a forma.theor.12.c.1.col.1. 57
demonſtratio quæ, & qualis ex fine perſpicitur.th.14.c.2.per tot. 72
demonſtratio ex cauſa ad effectum, & e contra, cur tantum detur.th.10.c.1.col.1. 48
demonſtratio ex cauſa interna non eſt potiſſima.th.14.c.3.col.2. 76
demonſtratio ex ipſa cauſa ſatisfacit quæſtioni propter quid cum ratione.the.19.ca.2. col.1. 101
demonſtratio inſtrumentum logicæ.theor.6. c.3.col.2. 32
demonſtratio, qua oſtenditur ſubſtantias abſtractas dari per motum, an ſit naturalis, vel metaphyſica.th.53.c.2.col.1. 276
demonſtratio quia, oſtendit quæſitum, quod eſt propter quid, propter quid eſt, theor.10. cap.2.per tot. 49.& 50
demonſtratio ſine concluſione vniuerſali non eſt potiſſima.th.14.c.3.col.1. 75
demonſtratio de accretione luminis in luna falſa demonſtratur. ibid.
demonſtratio à poſteriori, & inductio ſatisfacit quæſtioni, quid eſt ſubſtantiæ. theor.19. cap.1.per tot. 102.& 103
demonſtratio ab effectu ad effectum.the.10. cap.1.col.1.circa finem. 48
demonſtratio ab effectu eſt vera demonſtratio.th.11.c.1.col.2. 55
Auicēna cōtra ſentit.th.11.c.1.col.1. 56
demōſtratio propter quid.th.9.c.1.col.1. 44
demonſtratio propter quid, ſatisfacit quæſtioni quid eſt de accidente.th.18.cap.2. per tot. 94
demonſtratio propter quid, verſatur circa accidentia.th.2.c.3.per tot. 14
domonſtratio propter quid eſt eadem, quæ demonſtratio potiſſima. th.15.c.2.col.2. 83
demonſtratio propter quid, & demonſtratio quia.theor.2.c.3.per tot. 14
demonſtratio propter quid, & quia, exemplo declarantur.theor.9.c.1.col.1. 44
demonſtratio propter quid, & demonſtratio potiſſima, an differāt.th.10.c.1.per tot. 48
demonſtratio propter quid quæ ex cauſa ſit demōſtratio.th.11.c.1.per tot.65. & 56
demonſtratio propter quid eſt neceſſario ratione materiæ. ibid.
demonſtratio propter quid, & potiſſima, habent eandem concluſionem.theor.10.cap. 4.col.1.non longe à principio. 54
demonſtrationis propter quid, & potiſſimæ principia non eodem modo nota.theo.10. c.3.per tot. 52.& 53
demōſtrationis ſpecies tres ſecundum Auer. th.10.c.2.col.2. 49

demonſtrationis duæ ſpecies tantum ſecundum Ariſtotelem. th.10.cap.1.col.2.47
demõſtrationem de accretione luminis in luna, oſtenditur non eſſe potiſſimã.th.14.ca.3.col.2.circa finẽ.76. & pag.ſeq.in princ.
demonſtratione quia oſtenditur ſubiectum in ſcientia.th.2.c.3.per tot. 14
demonſtratione quia, & inductione demõſtratur ſubſtantia quid eſt. ibid.
demonſtrationes habentes propoſitiones per ſe quarto modo dicendi, non ſunt potiſſimæ. th.14.c.3.col.2.non longe a fine. 75
demonſtrationes minus perfectæ demonſtrãtur per has non proximas. theor. 15. cap. 2.col.2. 82
demonſtrationes cauſæ remotæ, & effectus remoti.th.10.c.1.per tot. 48
demonſtrationes ex cauſa interna quorum in numero ſint reponendæ. theor.14.cap.4. col.1. 79
demonſtrationes perfectæ, & minus perfectæ.th.15.c.2.col.2. 82
demonſtrationes potiſſimæ factæ a Zabarella. th.14.c.2.64.falſæ oſtenduntur. ibid.
demonſtrationes ex cauſa interna.theor. 14. cap.3.66.ex cauſa externa non eſſe potiſſimas. ibid.
demonſtrationes potiſſimæ ex Zabarella. th.14.c.1.col.2. 70. & fol.ſeq.71
demonſtrationes potiſſimæ in ſcientijs ſunt paucæ.th.15.c.2.col.1. 83
demonſtrationes potiſſimæ paucæ plurimæ à poſteriori, & per cauſam remotam.th.15. cap.2. ibid.
demonſtrationes potiſſimæ quæ ſint, & quæ non.theor.14.c.1.per tot. 71
demonſtrationum numerus per cauſas remotas magnus, per proximus exiguus.th.13. c.4.per tot. 64. & 65
denominatio debet fieri à nobiliori.theo. 77. cap.3.col.2.circa medium. 527
dependentia eſſentialis non poteſt eſſe inter eſſentiam, & exiſtentiam. theore.32.c.1. col.2. 168
depuratio ĩ quo loco fiat.th.78.c.2.col.1. 541
deſiderium naturale non eſt fruſtra. the.68. cap.2.col.1.paulo poſt medium. 418
deſiderium naturale non eſt ad impoſſibile. 85.c.1.col.2. 643
deſiderium naturale deſiderat cognoſcere ſubſtãtias quidditatiue.th.85.c.3.col.1. 647
determinare eſt proprium actus formalis.th. 90.c.3.per tot. 674
deus eſt primum ens, duratione, perfectione, & natura.theo.94.c.1.col.2. 717
deus eſt actus infinitus, & puriſſimus. theor. 96.c.3.col.2. 357
deus eſt primum efficiens ſecundum Philoſophos.th.68.c.4.per tot. 426. & ſeq.
deus eſt cauſa vniuerſalis ſupplens defectus cauſarũ naturaliũ.th.69.c.2.439. & ſeq.
deus eſt purus actus ex ſe habens eſſe ſuum th.22.c.2.col.2. non longe a princip. 128
deus non eſt in genere. th.28.c. 1.col.1. 150
deus eſt finis cui, non cuius.th. 56.c.2. col.1. circa finem. 307
deus eſt principium vnde motus.th. 57. c.2. col. 1.paulo poſt medium. 308
deus eſt obiectum appetibile, & intelligibile. th.56.c.2.col.2.in princip. 304
deus ſubiectũ ne ſit in metaphyſica, & Theologia.th.2.c.1.col.1. 12
de⁹ ſubiectũ in Metaph. an idẽ ĩ theologia.ib.
*deus, & creatura includunt eſſentiã, & naturam entis.th.95.c.6.col.2.circa finẽ.*748
deus eſt infiniti vigoris etiam ſecundum Philoſophum.th.54.c.1.col.2.in fine. 279
deus componitur ex ente, & infinitate.the. 94.c.3.col.2. 722
deum eſſe infinitæ potentiæ probatur ſyllogiſmo Ariſt. ibid.
deus, neque quæ de Deo prædicantur formaliter, cur non ſint in genere.the.96. cap.1. col.1. 749
deus nec quidquam dictum de Deo eſt in genere.theor.96.c.1. ibid.
deus agit in res mortales per ſecũdas cauſas. th.76.c.2.per tot. 496
deus an ſit in genere. ibid.
deus eſt ſua operatio per eſſentiam.theor. 81. cap.2.col.1. 596
deus ſi eßet intellectus agẽs, intellectio nõ eſ-

ſet in noſtra poteſtate.col.2. 597
deus non poteſt, quæ implicant contradictionem.theor.84.c.1.col.2. 636
deus quomodo dicatur habere prouidentiam, apud Peripateticos.th.57.c.1.320. et ſeq.
deus, & creatura non ſunt primo diuerſa in conceptibus.th.95.c.6.col.1. 746
deus ad extra neceſſaria agit ſecundum Philoſophum.th.57.c.1.col.2. 320
deus libere, & contingenter agit. ibid.
deus virtualiter continet omnes cauſas inferiores.th.59.c.1. 326. & ſeq.
deus poteſt immediate efficere, & cauſare. th.56.c.4.col.2.in fine. 213
deus quomodo intelligatur eſſe ſubſtantia.th.96.c.2.col.2. 754
deus non poteſt facere, vt lapis exiſtens lapis informetur anima, & generet. theor.73. cap.3.col.2.circa finem. 466
decem genera conueniunt in ente vniuocè. th.97.c.1.col.2. 763
deus producit animam, non diſpoſitiones, ſecundum Ariſt.th.69.col.2. 431
deus quod moueat ſemper, eſt falſum ſecundum theologos.th.54.ca. 2.col.1.circa finem. 282
deus non mouet primum mobile, vt homo lapidem.theor.55.c.2. 293. & ſeq.
deus quo ad omnes gradus ſuæ virtutis infinitæ, eſt nobis ignotus.theo. 54.c.3.289. & 290
deum qui volunt eſſe intellectum agentem multis probant rationibus.theor.81. cap. 1. & ſequentibus col.1. 594. theor. 81. hæc opinio reijcitur c.2.col.1. 556
deum eſſe cauſam efficientem probatur. theo. 56.c.2.col.1. 308
dictiones melius & facilius. theor. 18.ca.6. 754. & ſeq.
differentia duplex.th.95.c.6. 755
differentia duplicis generis accidentium. th. 13.c.3.per tot. 63
differentia eſt actus, & contrahit, & ponit in eſſe.th.96.c.2. 754. & ſeq.
differentia quid differat à modo intrinſeco. theor.96.c.1.per tot. 749
differentia eſt quid actuale.the.96.c.1. 752
differentia, pars eſſentialis ſpeciei, re diſtincta a genere.th.96.c.1. 748
differentia ſpecifica conſtituit ſpeciem, indiuidualis indiuiduũ.the.90.c.1.col.2.670
differẽtia ſpecifica poteſt cõparari ad tria. ib.
differentia ſpecifica quandoque a re, & quãdoque a realitate ſumitur.th.90.c.3.674
differentia ordinis, & methodi.th.18.cap.3. per tot. 95. & 96
differentia quæ prędicatur in quale, & genus in quid.th.96.c.3. 357. & ſeq.
differentia a medio ſumpta eſt vera, theo. 10. c.4.per tot. 54
differentia, & conuenientia primi, & ſecundi modi, theor.8.c.1.per tot. 41. & 42
differentia eſſentialis ex genere de ſpecie facit aliam ſpeciem ſubiecti in ſcientia. th. 11.c.1.col.1.circa finem. 55. & ſeq.
differentia formalis quid ſit.theor.75.cap.1. col.1.in fine. 488
differentia indiuidualis quid ſit.th. 90.ca.1. per tot. 670
differentia differentium debet reduci ad aliqua primo diuerſa.theorema 90.c.2.672. & eod.theoremate 90.capit.9. per totum 692
differentia intelligitur nomine definitionis ſubiecti.th.13.c.4.col.2. 64
differentia in definito explicat formam, genus, materiã.th.28.c.3.col.2.152. & ſeq.
differentia in materia cęli, & horum inferiorum poſita a D.T.theo. 59.c.3.col.1. 340
differentia inter ſcientiam ſubalternantem et ſubalternatam.th.12.c.1.col.1. 57
differentia inter totum eſſentiale, & totũ aggregatione.th.21.c.3.col.2. 119
differentia inter naturale & violentum in quo per ſe conſiſtat. th.33.c.4.col.1.circa finem. 181
differentia inter ſenſum, & intellectum.theo. 83.c.3.per tot. 615
differentia inter animam, & formam mixti. th.62.c.1.col.2. 375
differentia inter lucem, & lumen.th.66.c.1. col.2.circa finem. 394. & pag.ſeq.

differentia inter vniuerſalia realia, & entia rationis.th.94.c.1. 716. & 717

per differentiam agētē, quæ eſt in anima, probatur non eſſe Deum.th.81.c.2.col.1.596

differentiæ traditæ inter demonſtrationem propter quid, & potiſſimam. the.10.c.1. col.1.in fine 49. rationes, quibus firmātur differētię.th.10 c.3.col.2.ī fine.50.et ſeq.

differentiæ poſitionis inueniuntur in cælo. th. 58.c.1.per tot. 323

differentiæ vltimæ quomodo dicantur primo diuerſæ.th.90.c.4.per tot. 676

differētiæ vltimæ nomine quid intelligat Scotus.th.95.c.4. 725.& ſeq.

differentiæ indiuiduales ſumuntur à realitate formæ.th.90.c.4 per tot. 476

differentiæ indiuiduales aſſimilantur differentijs ſpecificis vltimis.the.90. c.1.670

differentiæ ſpecificæ gradus ſpecificæ appellātur.th.65.c.3.col.2. 389

differentię formales mutant ſpeciem. th. 65. c.3. ibid.

differunt numero aliqua quę tamen non differūt realiter.in trac.form.c.4.col.1. 806

difficultas intelligendi vnde exiſtat.the. 24. cap.1.col.1. 137

difficultates philoſophicę variæ de anima.th. 67.c.1.col.2.circa finem. 403

dimenſio eſt ratio formalis corpori eſſendi in loco aptitudine.th.48.c.1.col.1. 261

dimenſio trina quantitatis quomodo intelligatur ſecundum mentem Auerrois. theo. 30.cap.1.col.2. 159

diſcrimen inter ens reale, & ens rationis, & figmenta.th.22.c.3. 130.& ſeq.

diſcrimen inter demonſtrationem propter quid, & quia.th.9.c.1.col.2. 43

diſcrimen inter ſcientias ſubalternas, & non ſubalternas.th.12.c.1.col.1. 57

diſcrimen inter circulum, & regreſſum. the. 9.c.1.col.2. 43

diſcrimen inter formam ſubſtantialem & accidentalem.th.73.c.3.col.1.in princ.463

diſcurrere, & componere eſt operatio intellectus.theor.84.c.2.per tot. 638.& ſeq.

diſparata re vna cognita, per cā non cognoſcitur alia diſparata.th.95.c.3.per tot. 733

diſtinguūtur realiter illa, quorū vnū poteſt eſſe ſine altero.th.74.c.1.col.2.circa fin.474

diſtinctio inter motum, & mutationem.the. 39.c.2.col.1 circa finem. 210

diſtinctio ex identitate rationis. ibid.

diſputatio inter Scotiſtas, & Caietanum. th. 8.c.1.per tot. 41.& 42

diſtinctio rerum compoſitarum eſt a forma. th.27.c.1.col.2. 148

diſtinctio Auerroiſtarum inter quidditatem & eſſentiam.th.28.c.3.col.2. 153

diſtinctio ſecundum formam duplex. the.90. c.6.per tot. 681 & ſeq.

diſtinctio formalis duplex. in Tract. Formal. c.8.col.1. 818

diſtinctio ſoluens multas obiectiones.th. 39. c.2.per totum. 209

diſtinctio terminorum in demōſtratione qualis.th.7.c.2.per tot. 37

diſtinctio omnis eſt ab actu.th.59.c.2.col.2. circa medium. 335

diſtinctio omnis, aut eſt ſecundum formam, aut ſecundum quantitatem.theor.90.c.6. col.2.in fine.& col.ſeq. 681

diſtinctio conceptuum noſtrorum non indicat ſufficienter diſtinctionem ex natura rei.th. 94.c. 1. 716. & 717

diſtinctio non eſt ponēda ſine neceſſitate.ibid.

diſtinctio realis primo inter aliqua duo eſt per quid poſitiuū.the.91.c.1.698. & ſeq.

diſtinctio realis duobus modis accipitur in Tract.Formalit.c.4.col.1.in princ. 805

diſtinctio de generatione.th.38.cap. 1.404. & ſeq.

diſtinctio in actibus habetur ab obiecto.theo. 75.c.1.col.1. 489

diſtinctio intellectus, & voluntatis in diuinis quod non ſit formaliter fundamentaliter probatur.th. 1.c.3.per tot. fol.5. & 6

diſtinctio ſpecifica non ſemper arguit diſtinctionem numeralem. in Tract. Formalit. cap.4.col.2.non longe à fine. 805

diſtinctio ſpecifica eſt rerum, non realitatum, ſecus quam diſtinctio formalis. in Tract. Formalit.cap.4.col.2. 805

diſtinctio motus actionis à generatione ſubſtantialis.th.40.c.2.per tot. 214.& ſeq.
diſtinctio rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ.in Tract.Formalit.c.3.col.2. 802
diſtĩctio ex parte rei ĩ duas diſtĩcta diſt. ibid.
diſtinctiones de ſubſtantia ſuſcipiente magis, & minus.th.65.c.3.per tot. 389
diſtinctiones tres, & tres identitates.in Tractat.Formalit.c.5.col.1. 807
diſpoſitiones præuiæ præcedẽtes ĩ materia ad recipiendam formã. th.35.c.2.col.1. 192
diſtincte quando quid dicatur concipi. theor. 83.c.10.col.1.in princip. 632
diuerſa primo, & tantum diuerſa differunt. th.90.c.9. 692.& ſeq.
diuerſa primo in nullo conueniunt.theor. 95. cap.5. 740.& ſeq.
diuerſa quod quid eſt, ſunt diuerſæ formæ. th. 73.c.4.col.1. 467
diuerſa genere, ſunt etiam diuerſa ſpecie. th. 26.c.2.ꝑ tot.145.et th.30.c.2.ꝑ tot.161
diuerſa quæ ſunt primo in nullo conueniunt. th.97.c.1.col.1.circa finem. 764
diuiduum non fieri ex indiuiduis poteſt intelligi duobus modis.th.31.c.1.ꝑ tot.164
diuinũ oẽ ĩtrãſmutabile.th.56.c.1.col.2.302
diuiſio, & diſtinctio an ſint inſtrumẽta diuerſa a ſyllogiſmo.th.6.c.4.col.1. 34
diuiſio eorum, quæ ſunt, ſecundum Ariſt. th. 84.c.1.per tot. 636
diuiſio entis diſtrahẽs.th.22.c.4.134.& ſeq.
diuiſio entis in decem prædicamẽta eſt immediata.th.96.c.1.per tot. 749
diuiſio entis.th.95.c.4.per tot. 737
diuiſio nihil probat.th.19.c.1.col.1. 98
diuiſio ſola nihil probat quia non habet vim illatiuam.th.17.c.1.col.1.in fine. 89
diuiſio, & ordo, inſtrumenta logica, & quaſi ancillæ ſyllogiſmi.th.6.c.3.col.1. 31
diuiſio, & definitio ad ſyllogiſmum reducuntur. ibid.
diuiſio eorum, quæ ſunt, th 33.c.2.ꝑ tot.177
diuiſibile per ſe & per accidens quod ſit. the. 82.c.1.col.1. 610
diuiſibile vt nunc, non eſt quid priuatiuum. theo.37.c.1.per tot. 202
diuiſibilitas eſt effectus poſitiuus per ſe. theo. 36.c.3.col.2.circa finem. 197
dominium optimum quodnam ſit. theorema 56.c.1.col.1. 299
duo ſunt in motu.th.45.c.1.col.2 ĩ fine.247
duo, quæ ſunt in ſubiecto.the.6.c.2.col.2.29
duo ſunt, quæ cognoſci poſſunt.the.17.cap.1. col.2. 88
duo cognoſcenda in quaque re. th.19.cap.1. col.2. 97

E

ECclipſis eſt accidens commune non propriũ lunæ, & quare.th.14.c.3.ꝑ tot.75
effectiue omnia ſunt à Deo; formaliter vero eſt vnumquodque per ſe.theor.81.cap.2. col.1.ſub fine. 595
effectus continet cauſam, participatiue. theo. 95.c.3.per tot. 733
effectus remitti poteſt, licet cauſa non remittatur.th.65.c.4.col.1. 394
effectus an poſſit eſſe perfectior ſua cauſa. th. 34.c.2.col.2. 182
effectus quando cauſam participet.theor.95. cap.3.per tot. 733
effectus diſtinctè per cauſam proximã cognoſcitur.th.9.c.1.per tot. 43.& 44
effectus ſemper cauſam proximam conſequitur.th.13.c.4.per tot. 64.& ſeq.
effectus per omnem conditionem demonſtrari poteſt de cauſa.theor.2.c.1.per tot. 12
effectus formalis formæ ſubſtantialis. theore. 34.c.3.col.1. 187
effectus formalis eſt poſterior cauſa formali. th.90.cap.7.col.2.prope finem. 685
effectus omnis debet proportionari cauſæ, & è contra.th.42.c.2.col.2.in fine. 231
effectus agentis duplex.th.34.c.2.col.2.182
effectus determinati debet eſſe determinata cauſa.42.c.2.col.1.in capit. 232
effectus quomodo ſit cauſa notitiæ cauſæ. th. 9.c.2.col.1. 46
effectus neceſſario connexus ſubiecto in ſcientia.th.2.c.1.per tot. 12
effectus particularis habet cauſam particularem propriam præter vniuerſalem.th.76. c.2.col.2.non longe à princ. 496

effe-

effectus actionis ſpeciei intelligibilis eſt intellectio. ibid.
effectus productus à cauſa æquiuoca non eſt nobilior ipſa cauſa. ibid.
effectus idem à duobus agentibus produci nõ poteſt.th.73.c.1.col.1. 458
effectuum diuerſitas realis non arguit realem diuerſitatem cauſarum.theor.81.c.3. 601.*& ſeq.*
effectum inhærere ſubiecto neceſſario, an ſit ignotum, niſi cauſa cognita.theor.11.c.1. col.2. 55
effectu cognito quod eſt ſtatim cognoſcitur cauſa.theor.2.c.3.col.1. 14
efficiens in actu, & cauſa in actu ſimul ſunt. theor.61.c.1. 361.*& ſeq.*
efficiens diſtinguitur in efficiens per motum, & mutationem, & in efficiens per emanationem.theor.56.c.2.per tot. 305
efficiens & finis idem eſt in ſeparatis à materia.theor.55.c.1.per tot. 293
efficiens forma, & finis eſt idem in ſeparatis à materia.the.58.c.1.col.1. 323
efficiens habere finem quomodo intelligatur. theor.56.c.2.col.2. 304
efficiens ſine motu ſi daretur, ruerent omnes demonſtrationes.the.56.c.6.col.2. 346
elementum cum recipit actum primum habet in ſe potentiam exeundi ad actum ſecundum.theor.61.c.1.per tot. 361
elementa ſunt ſubſtantia, nec poſſunt corrumpi.theor.60.c.1.col.2. 345
*elemẽtum mouetur à ſeipſo.the.61.c.1.*361. *negatur.the.61.c.2.col.1.* 365
elementa, & primæ qualitates pendent, & conſeruantur a cælo. theorema 100. c. 2. 780.*& ſeq.*
elementa an maneant in mixto ſecundum ſubſtantiam.theor.59.c.1. 326
elementa manere in mixto duobus modis intelligitur.theor.60.c.5. 357.*& ſeq.*
elementa manere in mixto virtualiter; quem ſenſum hoc habeat.the.60.c.4.col.1. 355
elementa non habent proprias figuras in mixto.theor.60.c.5. 357.*& ſeq.*
elementa non manent in mixto ſecundum formas ſubſtantiales.th.60.c.4.col.1. 355. *& quomodo maneant.* ibid.
elementa quatenus ſint materia mixti. theorema 60.c.5. 357.*& ſeq.per tot.*
elementa quomodo moueantur ſecundũ Piccolomineũ.the.60.c.4.col.1.circa finẽ 355
*elementa poſſe ſeparari in mixto quomodo intelligatur.the.60.c.5.col.2.*357.*& ſeq.*
elementorum actione ſola non poteſt generari mixtum.theor.60.c.4.col.1. 355
elementorum formæ quomodo maneant, in mixto in eſſe refacto. ibid.
ens diuiſum in ſimplex, & in compoſitum. cap.6. 810
ens contrahitur ad Deum, & creaturam per modos intrinſecos, non per differentias. theor.94.c.3.col.2. 724
ens eſt obiectum adæquatum intellectus, diuini quidẽ meditationis, & attingentiæ perfectæ, humani verò inclinationis tantum. theor.85.c.4.per tot. 654
ens completum in genere nulli alteri vnitur, vt faciat vnum per ſe cum eo. theor. 28. c.1.col.1.in princ. 150
ens per ſe, quid dicatur.theor.40.c.1. col. 2. prope finem 211
ens eſt indifferens ad neceſſe eſſe, & ad non neceſſe eſſe.the.96.c.1.per tot. 749
ens, & ſubſtantia habent conceptũ quidditatiuum loco definitionis.th.3.c.1. 16
ens eſt abſtractum cõmune ab omnibus rebus ſpeculabilibus.th.20.c.1.per tot. 104
ens multis modis dicitur.th.30.c.1. 160
eſſe ſimpliciter cur ab vna forma, & eſſe ſecundum quid cur ab alia detur. theor.73. c.3.col.1. 463
ens ſimpliciter dictum poteſt duobus modis intelligi.theor.73.c.3. ibid.
ens & mobile, quomodo intelligatur a D.Thoma.theor.20.c.1.per tot. 104
ens mobile.th.5.c.2.per tot. 23.*&* 24.
ens mobile, ſubiectum in philoſophia naturali.theor.20.c.1.per tot. 104
ens mobile quo ad ſe extendat ſecundum D. Thom.theor.20.c.1.per tot. 104
ens rationis eſt triplex.c.6. 810

ens rationis an ſubiectum ſit logicæ. th.6. ca. 3.col. 1.circa finem. 31

ens rationis quare non ſit ſubiectum logicæ. th.6.c.4.col.2.in princ. 34

ens rationis dicitur ſecunda intentio. theo.6. c.3.col.2.prope finem. 30

ens rationis non eſt ſubiectum logicæ. theo.6. cap.1.col.1. 29

ens reale quomodo diſtinguatur ab ente rationis.theor.32.c.1.col.1. 168

ens reale quid ſit.theor.3.c.1. 16

ens reale quodnam dicatur. theor. 93.cap.3. col.1. 710

ens reale eſſe ſubiectum in logica falſum. the. 6.c.4.col.2. 34

ens reale diuiditur in ens quantum, & non quantum.c.6.c.3. 30.& ſeq.

ens eſt realitas communiſſima ſuos habens gradus.th.96.c.2.per tot. 755.& ſeq.

ens commune enti reali,& enti rationis. th. 95.c.2.col.1. 429

ens commune eſt obiectum adæquatum intellectus.theor.85.c.1.col.2. 643

ens in communi quid ſit.th.94.c.1. 715

ens eſt commune vniuocum ſubſtantiæ,& accidentis. theor.88.c.1.col.2. 685

ens non eſt vniuocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus.theor.95.c.4. col.1. 737

ens non eſt vniuocum in quid, de ſuis paſſionibus.th.7.c.2.per tot. 37.& 38

ens an ſit vniuocum commune ſubſtantiæ,& accidenti,& Deo,& creaturæ.theor. 95. c.2.col.1. 740

ens,vniuocum commune Deo, & creaturæ. theor.96.c.1.col.1. 749

ens non eſt vniuocum extremæ contradictionis,ſed ijs,quæ ſunt ſub extremis.the. 85. cap.2.col.1.& 2. 645.& p. ſeq.

Ens vniuocè, & analogicè prædicatur de ſuis inferioribus.th.95.c.3.col. 1. 733

ens in tota ſua latitudine eſt obiectum adæquatum intellectus diuini. theor. 85. c.4. col.2. 652

ens infinitum quomodo ſit pars ſubiectiua entis in communi.th.85.c.4.col.2. 635

ens purum potentiale. thr.22.c.3.col.2.136

ens non eſt potentiale,ſed indifferens. theor. 96.c.2. 754.& ſeq.

ens contrahitur per modos intrinſecos, non per differentias. th.95.c. 6.col.2. 743

ens contrahi per aliquod duobus modis intelligitur.th.97.c.1.col.2. 763

ens eſt prædicatum metaphyſicum.th.2.c.3. per tot. 14

ens prædicatur de omnibus vniuocè, ſed non de omnibus vniuocè in quid. the. 95.c.4. col.1. ibid.

ens prædicatur in quid de differentijs non vltimis.th.95.c.6.col.2. 742

ens an habeat vnum conceptum formalem. th.94.c.1.col.2. 715

ens compoſitum ex materia, & forma, idem quod corpus naturale.th.20.c.2. col.2. in fine. 111

ens dicit cõceptum vnum per ſe verè,& propriè.th.95.c.2.per tot. 732

ens dicit proprium conceptum diſtinctum a proprijs inferiorib.th.94.c.1.715. & ſeq.

ens dicit conceptum vnum per ſe vniuocum. th.97.c.1.col.2. 763

ens intentionale quid ſit.theor.66. c.1. 394

ens actiuuum poteſt omne ens in potentia reddere ſibi ſimile actu.th.38.c.1.col.2. 404

ens nullam habet differentiam a qua conſtituatur in eſſe.th.95.c.6.col.2. 742

ens clauditur quidem in genere, & differentia,ſed diuerſo modo. ibid.

ens, & genera generaliſſima habent conceptus ſuos, licet perfectas definitiones non habeant.th.95.c.3.col.1. 733

ens eſſe ſeparatum, & abſtractum a ſingularib.duobus modis intelligitur. th.94.c.1. 716.& ſeq.

ens in Deo non diſtinguitur ex natura rei ab ente infinito. ibid.

ens aliqua diuidentia ſunt in compoſſibilia. th.61.c.4.per tot. 369.& ſeq.

ens quare negetur ab Ariſt.eſſe genus.the. 95.cap.6.col.1. 743

ens per accidens non eſt conſtitutiuum ens per ſe.th.90.c.7. 684.& ſeq.

ens vnum ab altero, & omnia a primo pendent.th.56.c.4.per tot. 299.& 300
ens nullũ per ſe ſubſiſtens poteſt habere duas formas ſpecificas.th.60.cap.1.per totum. 345.& ſeq.
ens extra cælum, & in extrema latione ſolus Deus.th.56.c.1.col.1.circa finem. 302
ens omne actu vel totum actu, & forma, vel eſt habens actum, & formam. th. 59.c.1. per tot. 326
ens a nullo dependens.theor.53. c.1.per tot. 277
ens quolibet imperfectiſſimum eſt cognoſcibile intuitiuè, abſque ſpecie, & abſque phãtaſmatib.th.85.c.3.per tot. 646. & 647
ens non habet principia eſſendi, ſed cognoſcédi.th.4.c.1.col.2.in principio. 18
ens eſt intelligibile ſecundum propriam naturam.84.c.2.col.2. in principio. 638
ens, vt eſt ens, & an res ſit in rerum natura, non ſimiliter conſiderantur.th.2.c.3. 14
ens efficiens per ſe, vel eſt ſubſtantia, vel accidens.theor.84.c.2.per tot. 638.& ſeq.
ens quod non eſt in ſubiecto, eſt duplicis generis.th.96.c.2. 754.& ſeq.
ens qua ratione conſideretur a Mathematico, & qua a Metaphyſico, th.12.c.1.p tot.57
ens aliud ſubſtantiale a ſuis partibus eſt totũ ab illis diſtinctũ.th.21.c.4.col.2. 123
ens quomodo deſcendat in decem prædicamẽta.th.97.c.1.col.1. 763
ens in potentia non eſt omnino ens.theor. 22. cap.4.col.1. 134
ens prius eſt in potentia, deinde in actu. theo. 20.c.3.per tot. 111
ens diuiditur in decem prædicamenta. theor. 95.c.6.col.2. 745
entis diſtinctio.th.75.c.1.per tot. 488
entis diuiſio.th.94.c.1.per tot. 714
entis diuiſio.th.95.c.4.col.1. 737
entis plures diuiſiones in Tract. Formalitat. c.6.per tot. 799.& ſeq.
entis vnius eſt vnicum eſſe complexum, quando vera vel falſa ſit hæc propoſitio.theore. 73.c.3. 462.& ſeq.
enti competere conceptum proprium formalem experientia docet. theor. 94. cap. 1. col.1. 716
enti omne quod aduenit in actu eſt accidens. th.21.c.2.col.2.in fine. 117
enti in communi competunt paſſiones, th.97. c.1.col.1. 765
ente in quolibet eſt aliquid habens rationem actus.theor.20.c.3.per tot. 111
entia phyſica quæ.th.20.c.1.per tot. 104
entia realia non ſola, ſed cum alio exiſtunt. th.22.c.3.per tot. 130.& ſeq.
entia æterna, & neceſſaria eſſe cauſata, & producta a prima intelligentia. th. 56.c.1. col.1.& 2. 299
entia æterna quomodo producta. theor.56. c. 5.col.1. 314
entia rationis in Rhetorica, Grammatica, & Poetica, theor.6.c.3.col.2. 30
entia inferiora an differant ab inuicem. theo. 91.c.6.col.2. 742
entia ad hoc vt ſint ſimplicia, quid requirãt. th.65.c.4.col.1.in princip. 393
entia non poſſunt æqualiter participare eſſe diuinum.theor.56.c.3.per tot. 310
entia duo diſtincta duas per ſe rationes agendi habent diſtinctas.th.77.c.3.per totum. 526.& ſeq.
entium conditiones.th.53.c.1.per tot. 276
entium pluralitas eſt fugienda.th.93. cap.2. col.1.circa finem. 709
entitas duobus modis ſumitur.c.5.col.2.809
entitas, & illud cuius eſt entitas, idem ſunt. th.28.c.1.col.2. 149
entitas tertia in generatione totius.theo. 21. cap.3.per tot. 120
entitas vltimæ materiæ, vel formæ, vel compoſiti.th.90.c.2.col.1. 672
entitas abſoluta in ſe eſt cognoſcibilis.th. 25. cap.1.col.2. 137
entitas particularis principium indiuiduationis.th.92.c.1.per tot. 701
entitas particularis eſt, quo primo recedit ex non eſſe ad eſſe. ibid.
entitas compoſiti, diuerſa ab entitate partium quæ.theor.21.c.1.col.1. 115
entitas compoſiti.th.21.c.4.per tot. 123

entitas, a qua ſumitur differentia indiuidualis.th.90.c.1.& c.2.per tot.670.& 671
entitas poteſt ſumi duobus modis.c.5. 807
entitas omnis realis eſt per ſe vere intelligibilis.th.84.c.1.per tot. 636.& ſeq.
entitas qualis eſt talis eſt virtus.the. 85.c.1. per tot. 643.& ſeq.
entitas compoſita quod ſit ex materia, & forma.th.28.c.4.col.2. 65.& ſeq.
entitatem quod a ſe habet, habet illam in tota plenitudine.th.54.c.2.col.2. 284
entitatem a ſe habens habet etiam operationem a ſe.th.56.c.1.col.1. 300
entitates ex natura rei diſtinctæ.c.3. 801
enthimema qua ratione reducatur ad ſyllogiſmum theor.6.c.3.col.2. 32
error quorundam exiſtimantium ſpiritualia nihil eſſe.theor.67.c.1.per tot. 404
error Alexandri,& Themiſtij.theo. 13.c.4. col.1.circa medium. 65
error Zabarellæ.th.14.c.3.col.2. 76
error argumenti Zabar.th. 14.c.5.col.1. 80
error Zabarellæ.th.14.c.4.per tot. 79
error Zabarellæ, dum Scotum erraſſe exiſtimat.th.14.c.2.col.2.ĩ fine.71.& pag.ſeq.
eſſe triplex.c.5.. 807
eſſe ſimpliciter,& eſſe ſecundum quid. theor. 35.c.2.col.1. 193
eſſe,& eſſentia propria Dei;creaturarum participatiuè.th.32.c.3.per tot. 172
eſſe,& eſſentiam vult Caiet.ſolum in eſſe independenti.theor.13.c.3.per tot. 178
eſſe in anima differt a poſſe.theor.74. c.2.per tot. 477.& ſeq.
eſſe irreceptum, & eſſe receptum idem ſunt. th.32.c.2.col.2. 170
eſſe nullum irreceptum habet aliquid ſibi annexum. ibid.
eſſe exiſtentiæ actualis eſt idem quod eſſentia rei.th.32.c.1.col.1. 168
eſſe nihil ab eſſentia differt.th.64.c.1.per tot. 380
eſſe ſpirituale luminis quodnam ſit.theo.66. cap.1.col.2.in princip. 395
eſſe & operari in quolibet creato diſtinguuntur realiter.th.74.c.2.per tot. 479
eſſe ſicut ſe habet ad operari, ita eſſentia ad potentiam.th.74.c.3.per tot. 484
eſſe in potentia dicitur, quod eſt aptum recipere formam.theor.21.c.4. 123.& ſeq.
eſſe in loco paſſiuè competit corpori in communi.th.48.c.1.col.2. 261
eſſe triplex eſt,ſubſiſtentiæ,exiſtentiæ, & eſſentiæ in Tract.Formal.c.5.col.2. 808
eſſe ĩdiuiduale.th.90.c.7.p tot. 683.& ſeq.
eſſe ad finem illud dicitur, quod habet entitatem propter aliud.th.56.c.2.per tot. 304
eſſe quod habet creatura in Deo. th.32.c.1. col.1.circa finem. 168
eſſendi principia.th.20.c.1.per tot. 104
eſſendi modum duplicem habent, quæ ſunt in materia ſignata.th.85.c.2.col.2. 645
eſſendi modi in potentia paſſiua.theo.22.c.3. per tot. 130.et pag.ſeq.
eſſentia in diuinis eſt communicabilis, perſona incommunicabilis.cap.1.col.2. 798
eſſentia diuina non eſt diſtincta a tribus perſonis realiter, diſtinguitur tamen aliquo modo. ibid.
eſſentia animæ eſt actus primus corporis.the. 74.c.2.col.2.circa finem. 478
eſſentia vna ſimplex non poteſt eſſe primum immediatum diuerſarum operationum. ibid.
eſſentia animæ, & eius potentiæ ſunt diuerſæ formaliter.theorema 74.ca. 3. per tot. 484
eſſentia animę qua ratione ſit in toto corpore,& qualibet parte.theorema 82.cap.1. 607.& ſeq.
eſſentia animæ eſt principium proximum receptiuum potentiarum theore.74. cap.3. col.1.circa finem. 484
eſſentia materiæ qua via inueniatur.th. 25. c.3.per tot. 140
eſſentia ſubſtantiæ materialis, eſt ſufficiens ratio intrinſeca eſſendi ſubſtantiam. the. 19. c.1.per tot. 98
eſſentia realis eſt aliquod habens eſſe præter opus intellectus the.32.ca.1. per tot. 168
eſſentia vnica realis conſtituitur in eſſe per animam rationalem.th.72.c.3. 455

eſsentia alicuius rei ſi ſit incauſata, & illud ipſum erit incauſatum. theorema 28.c. 1. col.2. 149
eſſentia, & quidditas rerum naturalium eſt in potentia paſſiua ad varios motus. theo. 33.c.4.per tot. 179
eſſentia, & quidditas rei creatæ eſt ens reale extra ſuas cauſas, & actu.th.32.cap.3. per tot. 172
eſſentia, & quidditas rerum corruptibilium non neceſſario exiſtunt.theo.34.c.2. 182. & ſeq.
eſſentia, quidditas, & res, ſunt vnum, & idē c.2.in Tract.Formalit.col.2.in fine. 800
eſſentia quinta appellata eſt ab Ariſt.ſubſtātia, cæli.the.59.c.3.col.1.in princip. 340
eſſentia non eſt aliud ab eſſe actualis exiſtentiæ.th.32.c.1.per tot. 168
eſſentia qualis eſt, talis eſt exiſtentia.the.32. cap.3. 173.& ſeq.
eſſentiam, & eſſe in eſſe recepto negat Caiet. eſſe idem.th.32.c.2.per tot. 170
eſſentia eſt indifferens ab eſſe, & non eſſe. th. 32.c.2.170.negatur.th.32.c.3. 172
eſſentia non poteſt eſſe abſque exiſtentia. theo. 32.c.1.col.2. 168
eſſentiæ duæ abſolutæ non poſſunt fieri vnum, niſi vna accidat alteri. theorema 37. cap. 1.per tot. 203
eſsentiæ naturales, & non naturales.th.33.c. 4.per tot. 179
eſſentialis, & accidentalis potentia.th.6.c.1. per tot. 361
eſſentiale aliquid eſſe alicui duobus modis intelligitur.th.92.c.3.per tot. 703
euenire, vt in pluribus, & euenire raro, quomodo aliquid dicatur. th.71. cap.1.443. et ſeq.
exemplum de literis ad ſyllabas, & de elementis ad mixta. theorema 60. capit.5. 357.& ſeq.
exemplum qua ratione reducatur ad ſyllogiſmum.theorema 6.capit.3. col. 2. circa finem. 32
exemplum eſt inductio imperfecta.theor.2.c. 3.col.1. 14
exēplo exercitus demonſtratur ordo vniuerſi theor.56.c.1.col.2. 299
exempla, & ſimilitudines quomodo intelligēda.theor.81.c.3. 601.& 602
exiſtere quid ſit.th.32.c.3.per tot. 172
exiſtere, huius verbi etymologia.theo.22.c. 3.per tot. 130
exiſtens intus prohibet extraneum. th.25.c. 2. 138.& ſeq.
exiſtentia duplex. theor.30.c.1.per totum. 160
exiſtentia materiæ, formæ, & compoſiti.th. 32.c.3.per tot. 172
exiſtentia eſt effectus formæ.theor.22. ca.3. per tot. 130
exiſtentia propria formę, ſubſtantię, materię, & accidentinm. ibid.
exiſtentia rei pendet a materia, & forma.th. 36.c.3. 197.& 198
exiſtentia non eſt prior eſſentia, neque ſimul natura.th.32.c.1. 168.& ſeq.
exiſtentiam, an vt aliqui volunt ſit actus. theor.32.c.2.per tot. 170
exiſtentia eſt realiter eſſentia. ibid. & modus eius intrinſecus. ibid.
exiſtentia eſt quodammodo actus accidentalis.th.90.c.5.per tot. 679
experientia certiorem cognitionem dat, quā cauſa.th.11.c.1.col.2. 55
expoſitio vera c. 2.1.poſter. theor.83.cap.8. col.2. 628
expoſitiones Caietani, Iauelli, & Capreoli de mente D. Thomæ circa productionem intellectionis reijciuntur.theorema 77.c. 3. 526.& ſeq.
extrema duo in tota latitudine entis. theore. 22.c.2.per tot. 127

F

FAcilitas noſtrę cognitionis eſt norma ordinis doctrinę.theorema 18.c.1. col.1. 92
facultas habens conditiones requiſitas ad ſcientiam, eſt ſcientia. theorema 1. cap.1. col.1.pag.1.& ſeq.

facultas omnis,vt ſcientia dicatur debet eſſe de obiecto neceſſario, & æterno. theor. 1. cap.2.col.1. 2
facultas logica eſt de inſtrumento diſcurſiuo. theor.16.c.1.col.1. 84
falſitas opinionis Aegidij de medio in demonſtratione potiſſima. theor. 13. c. 5.col.2. 68
falſitas dicti Zabarellæ.theorema 13. cap.4. col.2.circa finem 64
felicitas hominis in quo poſita ab Ariſt. theo. 67.c.2.col.2.circa finem 405
ferri,non ferre ſurſum eſt ſecundum naturam in igne.theor.33.c.1.col.1.circa medium 176
fides Chriſtiana niſi immortalitatem animæ docuiſſet,ea hominibus ignota fuiſſet.theorema 67.c.3.col.2.in fine 411
finis quid ſit. theorema 56.c.2.col.1. 300
nis duobus modis poteſt intelligi. theorem. 89.cap.1.col.2.in fine 669
finis,& intentio ſemper ſupponuntur. theor. 2.cap.2.col.2.in fine 13
finis cui, eſt ſpecies finis cuius. theorem.56. c.2.per tot. 306
finis,vt finis non cauſat,niſi amatus,& deſideratus.theor.89.c.1.col.2. 668
finis quatenus ſit cauſa.theor.36.c. 2. 304. *& ſeq.*
finis non efficit ſcientiam practicam. theor. 89.c.1.col.1.in fine 665. *& ſeq.*
finis methodi demonſtratiuæ, & reſolutiuæ. theor.19.c.1.col.1.in fine 99
finis nulla ratio habetur ſed de medio ad finē theor.18.c.3.col.1. 96
finis nihil conſtituit in eſſe realiter.theor.75. c.1.col.2. 390
finis logicæ non eſt operari vel ſcire, ſed de alijs adminiculari.theor.1.c. 2. col. 1. ſub finem 4
finis logicæ,eſt inſeruire philoſophiæ.theor.1. cap.4.col.2. 8
finitas eſt a forma, ſicut infinitas a materia. theorema 54.c.3.col.1.circa finem 290
finitas eſt modus intrinſecus creaturæ,infinitas creatoris.theorema 32.c. 3. col. 1.in principio 175
finitum, & infinitum extenſione, & motu. theor.54.c.1.col.1. 281
forma ſimplex poteſt habere diuerſas operationes.theor.72.c.3.col.1. 455
forma dupliciter dicitur informans & aſſiſtens.theor.59.cap.3. col. 2. non longe à principio 340
forma informans duplex. theor.58. c. 1. col. 2.in fine 323
forma vna ſimplex diuerſas habere operationes. theorema 72. cap.3.col.1.in fine 455
forma duplex. theor. 73.col.1.per tot. 467. *& theor.79.c.4.col.1.* 573
forma duobus modis conſideratur.theor.90. cap.4.col.1. 678
forma duplex vniuerſalis & particularis. theor.90.c.9.col.2. 694
forma duobus modis conſiderari poteſt.ibid.
forma de ſe nec vniuerſalis,nec particularis. ibidem,paulo poſt
forma vna eſt vnius materiæ, de qua forma intelligatur.theor.90.c.10.col.2. 696
forma eſt magis principalis cauſa, materia vero minus principalis.theor 90.c.9 col. 2.in fine col. 692
forma indigens materia ad ſui eſſe,eget organo, & materia ad operandum. theor. 68. c.3.per tot. 420
forma,quæ non eſt natura,non attinet ad phyſicum.theor.68.c.2.col.1. in princ. 419
forma non qualis, neque egens inſtrumento corporeo eſt immortalis. *ibid.*
formæ dans eſſe ſpecificum homini eſt anima rationalis.theor.67.c.2.col.1. 407
forma an ſit vniuerſalis, vel ſingularis, vel indifferent, an etiam ſit vna, vel plures. theor.90.c.9.col.2. 694
forma ea conſtituit corpus naturale,ad quam eſt materia in potentia. theor. 67. cap. 1. per tot. 404
forma corrumpitur,ſi qualitas exit extra determinatam latitudinem. theor. 65. c.4. col.2.in principio 393
forma eadem numero neque intenditur neque re-

que remittitur.theor.65.cap.2.col.1.in fine 387
forma prius dat eſſe formaliter,& poſtea efficienter, & quomodo.theor.34.cap.2.col.1. 184
forma, integra ratio agendi: theorema 61.cap.4.per tot. 369
forma determinat,& agit in corpore, materia patitur.theor.73.c.1.col.2.non longe à principio 457
forma dat tale eſſe, qualis eſt eſſentia formæ. ibid.
forma eſt vnica,quæ dat eſſe animal,viuens, & hominem.theor.72.cap.3.col.1.circa finem 454
forma amittens eſſe ſpecificum, & tranſiens in aliam formam ſpecificam, corrumpitur.theor.60.c.3.col.2. 351
forma prima nunquam habet eſſe ſine intelligentijs ſecundis.theor.56.cap.1.col.2. 303
forma omnis eſt finita in vigore. theor.54.cap.3.col.1. 290
forma omnis ſimplex. theorema 62.cap.1.per tot. 375
forma actuat,format,& perficit materiam, non quidem eam efficit.theor.34.c.2.col.1. 185
forma principium effectiuum actionum, quæ veniunt ex compoſito. ibid.
forma habens diuerſam habitudinem ad totum & ad partes indiuiſibilis. theor.82.c.1.col.1.610. non habet locum in anima animalium imperfectorum. ibid.
forma dominus eſt natura intellectus poſſibilis.theor.81.c.1.col.2.in princ. 594
forma exiſtens in magnitudine,& materialis eſt extenſa, & diuidua. theorema 82.cap.1.col.2. 609
forma informans qua ratione diſtinguatur ab aſſiſtente. ibid.
forma informans nobilior,non poteſt vltimę ac ſpecificę differentiæ ſuperuenire. theor.81.cap.1.col.2. 594
forma non poteſt eſſe ſubiectum accidentium. theor.79.c.1.col.1. 549
forma informans eſt intellectus quamuis nõ ſit virtus organica.theor.74.cap.3.col.2.prope finem 486
forma,quæ dat eſſe,dat etiam operari.theor.74.c.1.col.1. 477
forma generantis, vel nobilior, vel æque nobilis, ac res genita eſſe debet. theor.74.cap.1.col.2.prope finem 476
forma,quæ dat eſſe mixto, dat formaliter nõ virtualiter.theor.73.c.4.col.1. 469
forma medium in demonſtratione deſinit eſſe forma,& fit efficiens.theorema 15.c.1.col.2. 469
forma diſtincta an ſit vnaquaque forma corporis organica.theor.73.c.4.per tot. 469
forma mixti ſit forma diuerſa ab anima.theorema 73.cap.5.col.2. 471
forma magis natura, quam materia. theor.33.c.2.col.1. 177
forma principium agendi quæ.theor.33.c.3.col.2.in princ. 178
forma definita ab Ariſt.2.phyſic. de forma partis intelligitur.theor.28.c.1.149.& ſeq.
forma, vt principium actiuum non eſt natura.theor.33.c.3.col.1. 177
forma ignis cur magis natura, quam materia appelletur ab Ariſt.theor.33.cap.4.col.2. 179
forma eſt natura ratione principij paſſiui. ibidem.
forma informans duplex.theorema 94.c.1.per tot. 716
forma, & eſſentia quatenus ſint quod quid eſt.theor.28.c.4.per tot. 156
forma ab agente producta in patiente,non poteſt habere locum agentis. theorema 79.c.3.per tot. 565
forma immediatè perficit materiam abſque quantitate.theor.30.c.1.per tot. 160
forma eadem,per quam eſt homo, & per quã anima.theor.72.c.1.col.2.in fine 447
forma mixti debet habere proportionem cum formis elementorum. theorema 60.c.5.col.2. 358
forma mixti an ſit forma ſupperaddita formis

mis elementorum. ibidem.
forma corrumpitur, & generatur in materia.theor.60.c.3. 351
forma fluens, vel nata fluere ex hypotheſi, tempore menſuratur.theorema 50.cap.1. col.1. 268
forma alia anima, alia non eſt anima, theor. 30.per tot. 160
forma eſt compoſiti, non quantitatis ſubiectum. ibidem.
forma variè ab Ariſt.ſumitur.theorema 28. cap.4.per tot. 156
forma datur vna genere non numero. theorema 26.cap.3.col.1. 147
forma non eſt immediata cauſa omnium accidentium ſubiecti, & quare. theorema 13.cap.4.col.1. 69
forma eſt cauſa paſſionis.theorema 13.cap.3. 56.col.1. 63
forma nulla termini agentis naturalis eſt ſimpliciter incorruptibilis.theorema 69.c.1. col.1. 430
forma nulla remanet eadem numero in genito, & corrupto.theorema 73.c.5.col.1. 474
facere quod poteſt aliquid, concluditur habere virtutem, licet actu illud non faciat. theor.54.c.2.col.1.circa finem 284
forma ſubſtantialis quare det eſſe ſimpliciter, accidentalis verò ſecundum quid. theor.73.c.3.col.1.in principio 463
forma ſubſtantialis dans eſſe corpori in animali.the.73.c.1.col.2. 456
forma ſubſtantialis, & accidentalis differunt.the.73.c.2.col.2.prope finem 460
forma ſubſtantialis quando recipiat magis, & minus.the.60.c.1.col.2. 347
forma ſubſtantialis cum materia nata eſt conſtituere ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ. ibid.
forma ſubſtantialis realiter vnita materiæ informat materiam.theorema 58.cap.1. col.2. 324
forma an ſit principium paſſiuum mediante. theorema 33.c.4.col.1. 179
forma ſubſtantialis non determinatur ab accidente, ſed contra.theor.36.cap.3. 198. *& ſeq. per tot.*
forma ſubſtantialis non habet determinatam quantitatem, ſub qua eſt. theorema 36. c. 1.col.2. 194
forma ſubſtantialis immediatè ſine vllis accidentibus vnitur materiæ.theor.35.c.1. col.1.ſub finem 189. *& ſeq.*
forma ſubſtantialis agit, & producit ſubſtantiam mediantibus accidentibus.theor.34. cap.3.col.2.prope finem 186
forma ſubſtantialis eſt principium actiuum, & efficiendi.theor.74.cap.2.col. 1. in fine 480
forma ſubſtantialis eſt principium agendi & patiendi.theor. eod. ibid.
forma ſubſtantialis eſt, quæ primo dat eſſe. theor.73.c.4. 467. *& ſeq.per tot.*
forma, vel accidentalis, vel ſubſtantialis quo modo recipiat magis, & minus.theor.65. cap.1.col.1. 384
forma eſt tota quidditas rei. theorema 20. c. 2.col.2. 108. *& theor.90.cap.10.col. 1.* 696
forma, quare quidditas rei appelletur. theor. 20.c.3. 111. *& ſeq. per tot.*
forma an ſit tota quidditas rei materialis. theor.28.c.2.col.1.in fine 151. *& ſeq.*
forma quod ſit quidditas apud Ariſt.quomodo intelligendum.theor.28.c.2. ibid.
forma, & materia cæli quo in ſenſu intelligantur ab Ariſt.the.59.c.3.col.1. 340
forma quod prior ſit materia, & compoſito quomodo intelligatur. theorema 30. c. 1. per tot. 160
forma carnis eſt anima ſecundum Soncinatem.theor.73.c.4.col.1. 470
forma extenſa educitur de potentia materiæ. theor.72.c.2.per tot. 462
forma extenſa, & diuiſibilis recipit materiā diuiſibiliter, & modo extenſo. theor. 40. c.1.col.1. 213
forma cæli non continet virtualiter formas mixtorum.theor.59.c.1.col.1. 327
forma cæli eſt pars obiecti adęquati materiæ primæ.theor.59.cap.1. ibid.

forma mixti an corrumpatur per mortem. the.73.c.1.col.2. 456

forma mixti magis conuenit cum vno elemento, quam cum alio.th.62.c.1.col.2. 374

forma mixti qnare mediocre inter formas elementorum, & animam. ibid.

forma mixti ẽ radix mot⁹ naturalis mixti ib.

forma mixti non eſt tota in toto, & in qualibet parte.th.73.c.4.per tot. 464

forma quæcumque de ſe eſt communis. theor. 90.c.1.col.2.in fine 671.& ſeq.

forma habet multas realitates. paulo poſt ib.

forma eſt, quæ diſtinguit, vel ſeparat.th.90. c.10.col.2.in fine 696

forma, quæ ſit principinm eſſendi. ibid.

forma eſt ſubſtantia, per quam eſt hoc aliquid.theor.90.c.9.col.1. 693

forma eſt ipſamet eſſentia rei compoſitæ.theo. 68.c.1.col.2. 414

*forma ſubiecti ſumenda pro medio ad oſtendendum paſſionem.theor.13.c.5.col.1.*68

forma poſita ſubiecti ſtatim ſequitur propria affectio.the.13.c.4.col.1. 66

forma ſubiecti, eſt cauſa vtriuſque extremi. theor.15.c.3.col.1. 63

forma ſubiecti medium tantum ad oſtendendum primum accidens. ibid.

forma totius quid ſit.theor.28.c.4.col.2.non longe à fine 155. & 156. *& quid intelligatur hoc nomine.* ibid.

forma generis non exiſtit extra ſpeciem.the. 72.c.3.col.2. 454

forma ſimplex eſt eſſentia, & dat eſſe. theor. 72.c.1.col.2.circa finem. 447

forma naturalis poteſt impedire effectum quãtitatis ne reducatur ad actum. theorema 36.c.3.col.1. 198

forma naturalis in partibus homogeneis non determinat ſibi certam quantitatem.the. 36.c.3.col.2. ibid.

forma naturalis in homogeneis non eſt determinata in certam quantitatem in maius, neque in minus. theorema 36.c. 4. col. 2. non longe à principio 201

forma naturalis reperitur ſub quocũque minimo naturali homogeneo dato. theorema 36.cap.3.col.2.in princ. 198

forma naturali homogenea ſaluari poteſt ſub quocũque minimo dato ſecus in heter. ib.

forma naturalis non aufert diuiſibilitatem a toto homogeneo. ibid.

forma immaterialis, quæ eſſe dat corpori. th. 67.c.1.per tot. 404

forma materialis diuiditur ad diuiſionem materiæ.th.82.c.1.col.1.in fine. 610

forma accidentalis non eſt compoſita actu. the.96.c.3.col.2. 760

forma corporeitatis an detur in materia. 1. th.25.c.2.prope finem. 461

*formæ quod eſt proprium non eſt tribuendũ materiæ.th.25.c.2.col.2.nõ lõge a pr.*139

formæ proprium eſt recipi in alio, & terminare & formare aliud.paulo poſt. ibidem.

*forma corporeitatis, vel ratio ſeminalis nulla admitti debet ĩ mater.th.26.c.3.col.1.*146

forma elementi immediatè ineſt primæ materiæ, & eſt comes quantitatis. theor. 36. c.3.col.1.non longe a fine. 200

forma elementi quomodo intelligatur eſſe natura.th.61.c.1.per tot. 361

*forma vni⁹ ſubſtãtiæ quãdo formæ alterius ſit ꝑfectior.th.65.c.2.col.2.nõ lõge a pr.*388

forma qualis eſt, tale eſſe dat rei, theor. 70.c. 1.per tot. 436

forma qualis eſt, tale compoſitũ per eã conſtitutum.th.90.c.9. 692.& ſeq.

forma ſpecifica in ſe continet multos gradus. th.65.c.1.col.2. 384

*forma alia ſpec.alia gen.th.72.c.1.c.1.*449

*forma ſpecifica cõſtituit naturã in eſſe ſpecifico, et actuat materiã.th.90.c.2.col.1.*673

forma ſenſibilis ſine materia, quid ſit. theor. 79.c.2.col.1. 563

forma generica diuerſa a formis ſpecificis.th. 72.c.1.col.1. 449

forma intentionalis non denominat ſubiectũ theor.66.c.1.col.1. 395

forma, & formatum, & terminus, & terminatum ſunt eiuſdem conditionis. th.67.c. 1.col.1.circa medium. 405

formam, & quod quid eſt non ſumit Ariſt. pro eodem.th.28.c.4.col.1. 156

formam

formam recipi in determinata materia dupliciter intelligitur.theor.36.c.2. 196
formam ſubſtantialem maiorem eſſe alia eiuſdem ſpeciei quænam ſit iſta maioritas. th. 65.c.2.col.1. 389
formam dans dat conſequentia formam. th. 61.c.2.369.& ſeq.per tot. 327
formæ ſubſtantialis, & accidentalis gradus. theor.65.c.2.col.1. 389
formæ eſt limitare,& finire.theor.54.cap.3. col.2. 292
formæ ſignificatio examinatur.theo. 28.c.4. col.1. 156
forma exiſtentia.theor.21.c.3.col.1. 120
formæ naturali cuique reſpondet determinata quantitas.theor. 34.c.2. 182. & ſeq. negatur.theorema 34.cap.3.187.& ſeq.
formæ plures ſubſtantiales in animali non faciunt plura entia.th 73.c.3.col.1. 462
formæ plures ſubſtantiales reperiuntur in cõpoſito ſubſtantiali animato. theor.73.c.1. col.2. 456.& per tot.
formæ plures ſubſtantiales ſunt in homine,& in animali,excepta forma mixti.theo.72. cap.1.per tot. 447
formæ in mixto quot.theo.60.c.2.col.1. 348
formæ ſubſtantiales in compoſito quot ſint.th. 73.c.4. 467.& ſeq.per tot.
formæ ſubſtantiales diuerſæ diuerſa conſtituunt compoſita.th.74.c.2.col.2. 480
formæ in compoſito perfecto plures, & ſubordinatè.theor.35.c.2.col.2. 193
formæ ſunt ſicuti numeri. theor. 54.c.3. col. 2. 292
formæ duæ non ſunt compoſſibiles in eadem materia numero , theor. 39. cap. 2. 209. & ſeq.
formæ illæ ſunt diuerſæ realiter quorum materia recipit vnum mediante alia.the.73. cap.4.467.& ſeq per tot.
formæ mixtorum , ſunt aliqui gradus formarum elementorum.theor.60. c. 2. per tot. 348
formæ tres in homine ſecundum Iandunum . theor.73.c.4. 467.& ſeq. per tot.
formæ an fiat additio.theor.65.c.1. 384
formæ quomodo ſint ſicut numeri. ibid.
formæ elementorum ſunt formæ contrariæ. the.60.c.3.per tot. 357
formæ elementorum intenduntur , & remittuntur,& qua remiſſione.theorema 60.c. 2.col.1.princ. 349
formaliter quæ ſint idem & quæ formaliter diſtinguantur in Tract. Formalitatum. cap.8.col.1. 817
formas elementorum manere in mixto ſecundum Ariſt. id quomodo intelligatur. the. 60.c.4.col.1.& per tot. 355
forma mixti producta ab agente vniuerſali. ibidem.
formas duas ſubſtantiales in eodem compoſito eſſe,an repugnet. theorema 72. cap. 1. col.2. 447
formas elementorum continuè intendi,& remitti,ſuſtinet Auer. theorem. 65.cap.4. col.1.non longe a princ. 392
formarũ genera materiam informantia, duo. theorema 59. cap. 1. col. 1. non longe a princ. 327
formale ſubiectum.theor.20.c.2.col.2. 108
formalitas ſubſtantiæ eſt realiter ſubſtantia. cap.4.col.2. 806
formalitas , & formalitatum tractatus quid ſit.c.1.col.1.& per tot. 798
formalitates,non ſunt res,ſed realitates, ſiue aliquid rei.c.4.col.2. 805
formalitates diminutiuè ſunt dictæ , & ſunt quaſi diuerſæ formæ.c.1.col.2. 799
formalitatis definitio. ibid.
formaliter quæ diſtinguantur.c.3.col.2. 801
fortis debet ſe exponere morti pro R. pub. theor.68.c.2.col.1.non longe à fine. 410
Franciſcus differt à Socrate , & ab hoc equo numero: & differt ab equo etiam alio modo.theor.93.c.1.col.1. 707
fruſtra eſſet natura ſi ex ſemine , & ex putri poſſet generari.theor.71.c.2.col.2. 443
fuga eſt recurrere ad agens vniuerſale, & negare cauſas,& effectus particulares.theo. 61.c.1.col.1.non longe à fine 363
fundamentũ identitatis generis cognitionis. theor.85.c.3. 646.& ſeq. per tot.

Genera-

G

Generaliſſimum in recto, & directè prædicatur de ſuis inferioribus in linea recta.th.31.c.2.col.1.in fine 165
generans manet in genito, vt cauſa in effectu, an vera ſit hæc propoſitio.the.61.c.1. col.2. 363
generans inducit formam in materia.th. 39. cap.1.col.1.in principio 208
generans generat aliud propter materiam. the.90.c.8.col.2. 690
generans neque remouens impedimentum ſunt principium effectiuum motus naturalis elementorum.theor.61.c.3.col.1. 367
generatio duplex.theor.60.c.5.col.2.circa finem 359
generatio quare dicatur æterna.the.56.c.5. col.2.in principio 316
generatio fit ex ſubiecta materia.theor.26. c.3.col.1. 146
generatio non fit ſubſtantiæ ab alia ſubſtantia.theor.34.c.1.col.1.circa fin. 182
generatio differt à creatione.theor. 56.c.4. col.1.& 2. per tot. 712.& ſeq.
generatio quomodo à mixtione differat. theo. 60.c.2.col.1. 348
generatio ſecundum Anaxagoram quomodo fiat.theor.52.c.2.col.1. 272
generatio, & corruptio quid.theor. 39. c. 2. col.1. 209
generatio, & corruptio duobus modis conſiderantur. ibid.
generatio, & corruptio ſunt mutatione inſtãtaneæ.theor.38.c.1.col.1. 205
generatio, & corruptio ſunt oppoſita priuatiuè.theor.39.cap.1.200.mutationes.ibidem.negatur. ibid.
generatio & interitus verſantur inter contradictoria.theor.38.c.1.col.2. 204
generatio per corruptionem, & ſine corruptione. ibid.
generatio aliqua eſt in nutritione.theor. 40. c.1.col.2. 211
generatio in mutatione non propriè generatio.theor.40.c.1. ibid.
generationis definitio. theor.73.cap.2. col.1. ſub finem 461
generationis perpetuitas vnde aſſignetur. theor.39.c.1. 208
generationis definitio. theorema 39. cap. 2. per tot. 210
generatiua, nutritiua, & augmentatiua, ſunt potentiæ animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ. theor.74.c.2.col.2. 483
genitum quo ſenſu intelligatur apud Ariſt. theor.68.c.1. 414
genus ſubſtantiarum abſtractarum an ſit ſubiectum naturaq. theor.2.c.1.col.1. 12
genus pro ſpecie ſpecialiſſima vſurpatum ab Ariſt.theor.71.c.1.col.2. 442
genus, & differentia accipiuntur ab alia, & ab alia re in aliquibus creationis, ſiue in aliquibus entibus; excepto Deo.theor.96. cap.1.col.1.in fine 756
genus, & differentia requirunt diuerſas realitates.theor.96.c.2.col.1. 755
genus de nulla differentia prędicatur in quid. ibidem.
genus prædicatur in recto de ſuis ſpeciebus. theorema 31.c.2.col.1. 166
genus logicum, & genus phyſicum an diſtinguantur.theor.64.c.1.col.2. 381
genus non eſt forma diſtincta à ſpecie. theor. 72.c.2.col.1.in fine & per tot. 451
genus à quo remouetur, ab eo remouetur differentia, & ſpecies. theor. 54. c.3.col.2. 292
genus continet ſpecies potentialiter non actu. theor.5.c.2.col.1. 24
genus & differentia requirunt diuerſas realitates. theor.96.cap.2.col.1.in principio 756
genus, & ſuperiora ſunt potentia ſua inferiora.theor.96.c.1.col.2. 751
genus eſt quid potentiale ibi paulo ante. col. 2.in fine 750.& col.2.in princ. 752
genus eſt componibile, ſpecies compoſita, differentia compoſitiua.theor.96.c.1.col.1. in fine 751
genus ſecundum poſterius non eſt principium

corrumpendi prius ſecundum genus.theo. 35.c.1.col.1. 190
genus an ſit determinatum ad non neceſſe eſſe.theor.96.c.1.col.2. 752
genus ſcientia neceſſario vniuocum.the. 64. c.2.col.1. 382
genus ſemper eſt potentiale ad differentiam quæ eſt quid actuale.theor.96.c. 1. col. 2. in princ. 752
genus nullum, quod ſit ſine aliqua ſpecie.the. 73.c.2.col.1.in princ. 462
genus eſt pars ſpeciei; & differentia altera pars.theor.96.c.3.col.2. 761
genus non eſſet, quod prædicaretur de pluribus differentibus ſpecie, ſi non poſſet diuidi per differentias. eodem theor. 96. c. 3. ibid.
genus quodlibet diuiditur in ſuas ſpecies per differentias.theor.96.cap.1.col.1.in fine 753
genus vniuerſum formarum eſt obiectum totale, & receptibile à materia prima. the. 59.c.1.col.2.non longe à princ. 330
genus nullum eſt indifferens ad finitum, & ad infinitum.theor.96.c.1.col.2.in fine. 750.& ſeq.in princ.
generis natura quæ. ibid.
generis Speciei, Differentiæ, Proprij, & Accidentis prædicatio qualis .theorema 95. cap.4.col.2. 737
generari aliquid idem numero à caſu, & naturaliter, non inconuenit.theor.71.cap.2. col.2. 445
genere in vnoquoque eſt vnum, quod eſt menſura omnium.theor.93.c.1.col.1. 706
genere quæ differunt, differunt etiam ſpecie. theor.64.c.1.col.1. 381
genera, & ſpecies non exiſtunt ſine indiuiduis.theor.72.c.2.col.2. 451
genera & ſpecies habent eſſe in ſuis ſingularibus. ibid.
geometra quibus principijs vtatur. theor. 7. c.1.col.1.circa finem 36
gloſſa Caietani ad D. Thomam de obiecto adæquato intellectus, quattuor habet ſenſus. theor.85.c. 3.col.1. 647
gradus intrinſecus, & modus intrinſecus rei idem ſunt apud Scotum.theor.96.c.1.col. 1.752.& c.2.col.1. 755
gradus cuiuſque animæ vegetatiuæ, &c. alios habent gradus.theor.72.c.1.col.2. 448
gradus primi entis.theor.96.c.2.col.1. 756
gradus indiuiduales in forma ſpecifica.theor. 65.cap.1.col.2. 386
gradus tres animæ ſecundum Latinos. theor. 72.c.1.col.2.non longe à princ. 448
gradus varij propoſitionis per ſe notæ. the. 7. cap.2.col.2. 39
grammatica quid doceat.the.1.c.3.col.1. 6
grammaticæ habitus eſt idem qui artis. the. 1.c.3.col.2.in fine. 5
graue non grauitat, nec leue leuitat in ſuo loco.the.62.c.1.col.1. vltra medium 375
graue ſi daretur in vacuo an in ipſo moueretur in non tempore.theorema 46.c.1.col. 1.in fine. 251
grauia, & leuia propter quid in ſua loca mouentur.theor.61.c.4.col.2. 372
grauia, & leuia ſunt principia effectiua motus.theor.61.c.1.col.1. 662
grauia, & leuia habent principium agendi, & patiendi.theor.6.c.1.paulo poſt. ibid.
grauia, & leuia moueri à generante contingit duobus modis.theor.61.c.3. 366
grauia, & leuia à ſe ipſis mouentur. the. 61. cap.4.col.1. 369
grauia, & leuia habent principium internum actiuum mouendi ſe ad proprium locum naturalem.theor.61.c.1.col.1. 361
Gregorij Ariminenſis, & Zimaræ opinio in demonſtratione Ariſt. de finitate, & infinitate vigoris.theor.54.c.1.col.1.in fine. 282.& ſeq.

H

HAbens aliquid à ſe, habet illud illimitate.th.54.c.2.col.1. 285
habitus includit reſpectum ad ſcibile. theor. 98.c.3.col.2.non longe à princ. 771
habitus intellectus, qui, & quot.theorema 1. cap.3.col.1.in princ. capitis 5

habitus

habitus intellectualis quando ars dicatur. eod.theor.1.& c.3.col.1. 6
habitus ſicut,& intellectus,dicitur practicus à fine.th.89.c.1.col.2. 665
habitus eſt in facto eſſe, operationes ſunt habitus in fieri.th.98.c.2.col.1. 769
habitus ſcientiarum quomodo ſeruentur in intellectu noſtro.th.80.c.2.col.1. 580
habitus inſtrumentarij intellectus,ſpecies habitus ſuperuacanea.th.1.c.3.col.1. 5
habitus, & diſpoſitio dupliciter conſiderantur.th.98.c.3.col.2.prope finem 770
habitus dicitur practicus ab obiecto ſecundũ Godefredum.th.89.c.1.col.2. 665
hecheitas, vel hæcceitas, vel hæc entitas,termini falſo adſcripti Scoto. the.90.capit.2. col.2.non longe a fine. 672
heterogenea, & homogenea forma.theo.36. cap.3.col.2. 198
homo eſt dominus ſuorum actuum.theor.67. cap.2.col.2. 408
homo non eſt cauſa corporis,nec animalis. th. 13.c.5.col.2.in princ. 68
homo producitur ſolum vniuocè.th. 71.ca.1. col.2. 439
homo indiuiduantur per ultimam realitatem formæ.th.70.c.1.col.2. in fine. 438
homo importat differentiam ſpecificam, & includit rationem generis.th.73.capit. 3. col.2.in fine. 464
homo prius viuit vita plantæ, poſtea animalis, poſtea rationalis,quo ſenſu id intelligatur.th.72.c.3.col.2.prope finem. 455
homo eſt riſibilis, huius cognitionem concluſionis gignit ſubiectum ſpecificum.theo.5. cap.2.col.1. 24
homo non ſimul fit animal, viuens,& homo; quem habeat ſenſum hæc authoritas.theo. 72.c.3.col.1. 456
homo vt homo, vel vt rationalis, eſt vnum ens:eſt falſa propoſitio.theorem.97.cap.1. col.1. 765
homo idem eſt formaliter animal opinione Scoti, identitate non adæquata quod eſt identitate formali.in Tract.Formalit.cap. 8.col.1. 817
homini ineſt vnica anima varias continens potentias.th.72.c.2.col.1. 450
homogeneum totum eſt reſolubile in ſemper diuiſibilia.th.36.c.3.col.1. 199
humanitas,quo in ſenſu ſit forma totius in homine.th.21.c.1.col.2. 116
humanitas quid ſignificet.the.28. ca.4. 156

I

IAuellus ſibiipſi cõtrarius, & perplexus, dum loquitur de productione intellectionis.th.77.c.3.col.1. 527
idea hominis,& homo ſingularis, ſecundum Plat. ſunt eiuſdem ſpeciei logicæ.th. 64.c. 1.col.1. 381
idem accidens numero ſeruatur, & non ingenito;quod præfuit in corrupto.theor.73.c. 5.col.2. 471
idem numero,vbi diuerſis motibus poteſt acquiri.th.62.c.1.col.1. 376
idem realiter quæ ſint.th.32.c.1.col.1. 168
idem realiter, & idem formaliter, quomodo potentiæ conueniant.th.73.c.3. 455
idem ſecundum diuerſa diuerſis motibus moueri poteſt.th.43.c.4.col.1.in fine. 237
idem ſecundum idẽ non poteſt agere,& pati. th.61.c.2.& ibi vide rationẽ.col.1. 366
idem ſimile,& diſſimile alicui eſſe ſecundum eandem formam non poteſt. th.73.cap.4. col.1.in fine. 467
idem non poteſt eſſe actiuum, & paſſiuum, quando locum habeat hæc propoſitio.theo. 76.c.1.col.1. 494
idem actu poteſt eſſe commune duob. quia id non eſt inconueniens. th.41.c.2.col.1.in princ. 228
idem in 4.metaph.tex.5. dupliciter intelligi poteſt.th.6.c.4.col.2.circa finem. 34
idem omnino non dicitur vnitiuè contineri in aliquo.th.74.c.1.col.1. 475
idem nunc an permaneat idem ſecundum ſubſtantiam in toto tempore.theo.51. cap.2. col.2. 269
idem eſt quod quid eſt in ſeparatis à materia cum illo,cuius eſt.th.91.cap.1. 699
idem quę ſunt alicui tertio,ſunt idem inter ſe th.72.c.1.col.2. 449

identitas quid ſit.th.93.c.4.col.2. 713
identitas eſſentialis dupliciter capitur in Tr. Formalit.c.7.col.1.non longe a fine. 814
identitates ſeptem, & totidem diſtinctiones illis reſpondentes.c.6.& 7. 800. & 801
ignis ex appoſito combuſtibili infinito auctus in infinitum, an ſit vnus numero.theo.36. cap.4.col.2.prope finem. 201
ignis generatur æquiuocè, & vniuocè.th.71. cap.1.col.2. 439
ignis non poteſt eſſe forma alicui rei.theo.72. cap.2.col.2. 452
ignotum demonſtratur per notius.theor.7.c. 2.col.1. 37
ignotum naturaliter contrarium ſuppoſitioni th.2.c.2.col.1. 13
ignota in ſcientijs per præcognita cognoſcuntur.th.4.c.1.col.2. 18
illuminatio fit in inſtanti in pluribus locis.th. 46.c.2.col.2.non longe à fine. 255
immediatius quod attingit finem; nobilius exiſtimatur.th.74.c.1.col.1. 477
immobilitas competit vniuerſaliter loco.th. 47.c.2.col.1.& per tot. 258
immobilitas loci.th.47.c.1.col.2. 256
immortalitas animæ multis rationibus demõſtratur.th.68.c.2.col.2. 417
immortalitas animæ poſſit ne naturali ratione probari.th.68.c.1. 404
immortalitas animę quomodo à Philoſophis ſecundum Sacra Concilia tractanda. theo. 68.c.4.col.2.prope finem. 429
imperfectior corrumpitur adueniente perfectiori.th.73.c.1.col.1.prope finem. 456
impietas opinionis Auerroiſtarum de intellectu.th.68.c.3.col.1.in princ. 421
impoſſibilia, & falſa ſupponuntur aliquando. th.54.c.2.col.1.per tot. 284
impgunatio opinionis Scoti de duplici potentia.th.22.c.2.col.1. 127
incipiendum ſemperne ſit a notioribus nobis in ordine doctrinę.th.18.c.3.col.2. 95
includens & incluſum diſtinguũtur neque tamen reduci videntur ad diſtinctionem realiter, rationaliter, vel formaliter in tract.Formalit.c.10.col.2. 821
incommunicabilitas quare competat ſignatę materię.th.90.c.8.col.1. 688
incorruptibile quid ſignificet.theor.68.ca.1. col.1. 414
incorruptibile non conſtat ex materia.theor. 59.c.2.col.2. 331
indifferens eſt ad finitum, & ad infinitum quidquid dicitur communiter de Deo, & de Creatura.th.96.c.1.col.1.circa fin. 749
indifferentia vniuerſalis.theor.79. capit.4. col.1. 568
indiuiduum conſtituitur in eſſe per formam th.65.c.3.col.1.& per tot. 389
indiuiduum idem numero poteſt eſſe a diuerſis agentibus, non ex diuerſis materijs. th. 42.c.1.col.1. 231
indiuiduum vnum numero propriam conſtituit ſpeciem.th.72.c.2.col.1. 450
indiuiduum recipit eſſe ab alio indiuiduo. th. 59.c.1.col.2. 299
indiuiduum reſultat ex realitate formæ, & materiæ.theor.90.c.2.col.1. 672
indiuiduum eſt prima ſubſtantia, & maxime ſubſtantia.th.90.c.5.col.1. 679
indiuiduum ſenſibile per ſe exiſtens conſtat ex materia, & forma.th.59.c.1.col.1.per tot. 299
indiuiduum ſingulare claudit in ſe naturam, & quidditatem contractam.th.79.cap.4. col.2. 567
indiuidua differunt per aliqua primo diuerſa.th.90.c.9.col.1. 692
indiuidua de prædicamento ſubſtantiæ, dicuntur incommunicabilia, vt quid, & vt quo th.1.c.5.col.2. 9. & 10
indiuiduatio dicit negationem duplicem. th. 90.c.5.col.1.679.negatur. ibid.
indiuiduationis principium ſunt, qui ponant eſſe quantitatem: & id pluribus rationib. th.90.c.6.col.1. 681
*indiuiduationis principium eſt vltima realitas formæ ſpecificæ. th.90.c.2. col.1.*672
indiuiduationis q̃ ſunt principiũ, ſunt in ſe ipſis primo diuerſa.theo.90.c.3. col.1. 674
indiuiduationis ratio quæ ſit.theo.90. cap.7. col.1. 683

indi-

indiuiſibile quid ſit.th.37.c.2.col.1. 203
indiuiſibile vt nunc eſt quid poſitiuum.theor. 37.c.1.col.1. 202
indiuiſibile non mouetur. theorema. 38. cap. 1.col.2. 204
indiuiſibile non datur actu in continuo.theor. 37.c.2.col.1. 203
indiuiſibile non poteſt moueri. th.51. cap.1. col.1. 269
indiuiſibile eſt quid poſitiuum tantũ, non priuatiuum tantum.th.37.c.1.col.1. 202
inductio habet vim illatiuam. th.17. cap.1. col.2. 88
inductio, & exemplum, ſpecies methodi reſolutiuæ.th.2.c.3.col.1. 14
inductio qua ratione reducatur ad ſyllogiſmũ th.6.c.3.col.2.non longe à fine. 32
inductio, enthymema, & exemplum, ad ſyllogiſmum reducuntur, & quomodo. ibid.
inductionis vis & natura.th.2.c.3.col.1. 14
ingenitũ quid ſignificet.th.68.c.1.col.1. 414
inexiſtentia quæ ſit.th.32.c.3.col.1. 172
inferiora hæc non pendent a Deo immediate. th.57.c.1.col.2. 320
inferiora hæc licet ſint ſub actu, dicuntur habere in ſe potentiam paſſiuam. th. 59. c.2. col.2. 331
inferiora includunt actu ſua ſuperiora. theor. 26.c.2.col.2. 144
infinitas eſt modus intrinſecus deitatis. theo. 94.c.2.col.2. 719
infinitum duplex.th.96.c.3.col.2. 759
infinitum quatenus cognoſcatur a nobis. the. 54.c.3.col.2. 288
infinitum dicitur ſecundum ſe ignotum theo. 25.c.2.col.1. 138
infinitum ſolum in potentia ad materiam cõcedit Ariſt.th.54.c.3.col.2. 288
infinitum generationis, & temporis ab infinito in magnitudine quomodo vel differat, vel conueniat.th.68.c.3.col.2. 419
infinitum abſolute dari tenebant antiqui Philoſophi, quod reprobatur ab Ariſt. th.68. cap.3.col.1. 420
infinitum actu non datur etiam in materialibus.th.68.c.3. ibid.
infinita innumerabilia actu non dantur. ibid.
inſtans ſolum mediat inter eſſe ſubiecti, & propriæ paſſionis.th.35.c.2.col.1. 192
inſtantia duo naturæ in vno inſtanti temporis eſſe, non eſt abſurdum.th.56.c.6.col.2. 316. & 317
inſtrumentum non agit, niſi motum a principali agente. ibid.
inſtrumentum rei, cui applicatur, non fit, th. 1.c.5.col 2.& ſeq. 9. & 10
inſtrumentum logicum.th.6.c.3.col.2. 30
inſtrumentum logicum duplex ſecundum Petrellam.th.16.c.2.col.2. 86
inſtrumenta logica omnia ad ſyllogiſmum reducuntur.th.6.cap.3.col.2. 30
inſtrumenta logica quæ propriè dicantur. th. 17.c.1.col.2. 88
inſtrumenta logica habent diſcurſum a noto ad ignotum.th.16.c.1.col.1. 84
inſtrumenta notionis.th.6.c.3.col.2. 30
inſtrumenta notificatiua.th.6.c.4.col.1. 34
inſtrumenta ſunt adminiculantia, quæ docentur in logica.th.16.c.2.col.2. 86
inſtrumenta explicantia res; & notificantia per diſcurſum.th.17.c.1.col.2. 88
inſtrumenta, quibus corpora ſuperiora agunt in inferiora ſecundum aliquos.th.99. cap. 2.col.2. 755
intelligere duobus modis accipitur.theorem. 79.cap.4.col.2. 367
intelligere in abſtractis non eſt accidens. th. 56.c.2.col.2. 304
intelligere, propria operatio hominis.th.67. cap.2.col.1. 405
intelligere recipitur in ſola anima.theor. 68. cap.3.col.1. 419
intelligimus ſpeculando phantaſmata. theor. 79.c.3.col.1. 565
intelligere formaliter quid ſit.th. 78. cap.4. col.1. 543
intelligere formaliter quid ſit.the.77.cap.2. col.2. 522
intelligere quod non ſit agere.the. 78.cap.4. col.1.circa medium. 548
intelligens quare dicatur ſpeculari phantaſmata.th.79.c.4.col.2. 567

intelligentem duobus de cauſis oportet ſpecu lari phantaſma. ibid.
intellectio quid ſit.th.76.c.1.col.1. 493 & th. 79.c.4.col.2. 567
intellectio duobus modis conſideratur.th.70. c.1.col.1. 436
intellectio a duabus cauſis producitur. theor. 76.c.2.col.2. 495
intellectio eſt imago, & ſimilitudo rei, exiſtẽs in intellectu.th.77.c.2.col.2. 522
intellectio qui producatur ab intellectu, & ab obiecto exemplis illuſtratur. ibidem.
intellectio eſt in intellectu tãquam in ſubiecto.th.79.c.3.col.1. 565
intellectio, & intelligens vbi ſint idem.theo. 36.c.2.col.2. 304
intellectio fit ex obiecto, & intellectu. theor. 35.c.2.col.1. 192
intellectio recipitur in intellectu.th. 70.c.1. col.1. 436
intellectio non producitur a ſola ſpecie intelligibili.th.76.c.2.col.2. 495
intellectio quo ordine generetur. theorema. 79.cap.4.col.2. 367
intellectio quomodo ab intellectu, & ab obiectu procedat.th.78.c.2.col.1. 537
intellectio actualis ſiue actus intelligẽdi quid ſit. ibid.
intellectio in intelligentijs ſecundum Philoſophos, & Theologos, quid ſit.theor.98.c. 2.col.2. 768
intellectio multiplicatur ad multiplicationẽ indiuiduorum.theorema 70.cap.1.col.1. 436
intellectio, ſciẽtia, & volitio, ſunt qualitates, th.98.c.2.col.2. 768
intellectio talis eſt, qualis eſt res quam conſequitur.th.93.c.1.col.2. 705
intellectionis ꝓductio.th.89.c.1.col.2. 665
intellectionem producere, eſſe munus intellectus poſſibilis multis rationibus probatur. th.78.c.3.col.1. 541
intellectus duobus modis poteſt dici commixtus corpori.th.67.c.3.col.2. 411
intellectus duobus modis conſiderari poteſt. th.68.c.3.col.2. 419
intellectus duobus modis accipitur.theo. 76. cap.2.col.2. 495
intellectus agens, eſt immixtus, ſeparabilis, & ſimplex.th.68.cap.2.col.2. 417
intellectus agens ponitur propter cognititionem abſtractiuam.th.84.c.3.col.1. 642
intellectus agens, & poſſibilis, realiter ſunt unus intellectus.th.93.c.3.col.2.ĩ fin.616
intellectus agens, & poſſibilis differunt formaliter, non realiter.th.81.c.3.col.1. 601
intellectus agens ſemper intelligit. ibidem.
intellectus agens, & poſſibilis, non ſunt idem. th.81.c.4.col.1. non longe a fine. 604
intellectus agens, & poſſibilis quod ſint partes componentes animam, probatur.th.81. cap.3.col.1. 601
intellecsus agens nobilior intellectu poſſibili. th.81.c.1.col.1. 594
intellectus agens eſt ſubſtantia actu, quid hic intelligat Ariſtotel.theorema 81. cap.2. col.1. 596
intellectus creatus habet actiuitatem finitã th.85.c.4.col.2. 652
intellectus noſter magis attingit hæc inferiora quam abſtracta à materia. th.83.cap. 11.col.2. 632
intellectus agens eſt, ſeparatus immixtus, & impatibilis.th.81.c.2.col.1. 598
intellectus agens quid ſit. the. 81.c. 1.col.1. 594
intellectus agens, & poſſibilis, ſubſtantię duę eſſentialiter diſtinctæ. theorema.81. cap. 1. ibid.
intellectus agens habet ſpeciem expreſſam, poſſibilis impreſſam. theorema 79.cap. 4. col.2. 567
intellectus agens eſt agens verum, & reale, ibidem.
intellectus agens format conceptus vniuerſales circa phantaſma. ibid.
intellectus agens format conceptum, & ſpeciem reſpondentem quidditati.th. 78.c.4. col.2.in fine. 542
intellectus agens quomodo dicatur abſtrahere. ibid.
intellectus agẽs eſt virtus præparatiua obiecti,

ꝭti,poſſibilis vero cognoſcitiuę. ibid.
intellectus agens eſt virtus actiua, quę agẽdo quotidie perficitur. ibid.
intellectus agens quare dicatur eſſe actus & forma phantaſmatis. ibid.
intellectus agens nihil imprimit in phantaſma. ibid.
intellectus agens quod requiratur ſolum propter poſſibilem, refellitur. ibid.
intellectus agens datur propter primam operationem, & quare. th. 78. c. 3. col. 1. 541
intellectus agens in quodnam agat, & quomodo agat. th. 78. c. 2. col. 1. 537
intellectus agentis officium. ibid.
intellectus agentis, & poſſibilis diſtinctio. ibid.
intellectus agens habet duas actiones ordinatas. ibid.
intellectus agentis actio circa phantaſma. ibid.
intellectus poſſibilis quomodo diſtinguatur ab agente. th. 78. c. 3. col. 1. 541
intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, agentis omnia facere. th. 85. c. 3. col. 2. 646
intellectus poſſibilis quando ſit actu recipiẽs. theor. 81. c. 3. col. 1. 601
intellectus eſt primum principium ſecundum Anaxagoram. theor. 56. c. 2. col. 1. 309
intellectus poſſibilis quãdo ſit actus recipiẽs. theor. 81. c. 3. col. 1. 601
intellectus poſſibilis potentialis, agens ſubſtãtia operans. th. 81. c. 2. col. 1. 596
intellectus poſſibilis, & agens, duę potentiæ animæ diſtinctæ formaliter. theor. 81. c. 4. col. 1. in fine. 604
intellectus quatenus fiat poſſibilis, & quatenus agens. th. 81. c. 3. col. 1. 601
intellectus, & voluntas non ſunt partes eſſentiales animę, ſed vnitiue contentæ in anima. th. 74. c. 1. col. 1. 474
intellectus, & voluntas in diuinis non diſtinguuntur formaliter fundamentaliter. the. 1. c. 3. col. 1. 5
intellectus, & ſenſus ſunt ordine naturæ ſubordinati th. 88. c. 1. col. 2. in fine. 662
intellectus & ſenſus quare dicantur pati. th. 76. c. 1. col. 1. 493
intellectus, & obiectum cauſant notitiam. th. 5. c. 2. col. 1. prope finem. 23
intellectus ex obiecto producit notitiam, non quam vult, ſed quæ nata eſt ex obiecto generari. theorema 77. c. 2. col. 2. 522
intellectus vt quidditas non pertinet ad phyſicum. th. 68. c. 3. col. 2. 419
intellect⁹ habitus q, et quot. th. 1. c. 3. col. 1. 5
intellectus extenſiuè practicus. th. 89. cap. 1. col. 2. 665
intellectus dicitur practicus ab eo, quo habitus. ibid.
intellectus practicus prior ſpeculatiuo, theor. 83. c. 5. col. 1. 622
intellectus prius cognoſcit terminos, quã definitiones. theor. 7. c. 2. col. 1. 37
intellectus quæ cognoſcat. th. 25. c. 1. col. 1. in fine. 137
intellectus, intellectio, & intelligens ſunt vnum & idem in intelligentijs. theor. 56. cap. 3. col. 1. 310
intellectus, intelligibile, & intellectio in abſtractis a materia ſunt idem, quem ſenſum habeat hæc propoſitio. theorema 79. c. 4. col. 2. 567
intellectus cognoſcit differentiam, quæ eſt inter ſingulare, & vniuerſale, ſed non conceptum ſingularis. the. 86. c. 1. col. 1. 655
intellectus corrigit ſenſum. ibid.
intellectus intelligit ſolum eo modo, quo ei præſentatur à phantaſmatibus. ibid.
intellectus facilius cognoſcit accidentia, quã ſubſtantias. th. 85. c. 3. col. 2. 646
intellectus an cognoſcere poſſit quidquam altius, quam ſit natura animæ. ibid.
intellectus cognoſcit vniuerſale. theor. 79. c. 4. col. 2. 567
intellectus non cognoſcit ſpeciem, niſi cognoſcat prius conceptus magis uniuerſales. th. 83. c. 3. col. 1. in fine. 615
intellectus cognoſcit propoſitiones contingentes veras, & ex his ſyllogizat. th. 84. c. 1. col. 2. 635
intellectus qua cognitione cognoſcat ſingularia. ibid.

intellectus qui cognoſcat ſingulare duob. modis intelligitur.the.84.c.2.col.2. 638
intellectus noſter quare non poſſit cognoſcere eſſentiam Dei.theor.85.c.2.col.1. 645
intellectus non immutatur ad ſubſtantiā immediate.th.88.c.1.col.1. 663
intellectus mouetur a phantaſmate tamquam ab obiecto.th.70.c.1.col.2.in fine. 435
intellectus multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum.theor.70.c.1. ibid.
intellectus formaliter diſtinguitur à voluntate in Deo.in Tract.Form.cap.3.col.1.801
intellectus percipit ſingulare ſub conceptu vniuerſali.th.83.c.6.col.2. 623
intellectus non poteſt habere conceptus proprios de ſubſtātia.th.88.c.1.col.2.ī fin.662
intellectus Ariſt.de materia.theor. 22.c.4.col.1. 134
intellectus facit vniuerſale,& quomodo.the.72.c.2.col.2. 449
intellectus abſtrahit vniuerſale à ſingularib. quomodo.th.72.c.3.col.2. 453
intellectus an ſit tantum aſſiſtens, an potius informans.th.67.c.1.col.2. 403
intellectus nectitur in homine dupliciter.the.67.c.2.col.1. 405
intellectus non eſt hominis forma & eſſētia, ſed forma extrinſecus illi annexa.the.67.c.2.col.1.in fine. 408
intellectus eſt immixtus ab omnib. obiectis, nullum in ſua natura obiectum habēs.th.67.c.3.col.2.non longe à princip. 412
intellectus dat eſſe homini vitale, non corporeum. ibid.
intellectus non habet locū determinatum in corpore. ibid.
intellectus poſt mortē non reminiſcitur, ſecū dū Ariſt.th.68.c.1.col.2.parū à princ.416
intellectus apprehendens conceptum propriū alicuius rei diſtinguit illum à quacumque alia re.th.95.c.2.col.2.prope finem. 731
intellectus hominis in Deo habet conceptum entis alium à conceptibus finiti & infiniti,&c.theor.95.c.2.col.2. 729
intellectus quæſiti, an materia prima habeat actum entitatiuum.th.24.c.1.col.2. 524
intellectus non vtitur organo.th.68.cap.3.col.2.parum à princ. 419
intellectus eſt pars integralis animæ,& aliæ potentiæ ſunt etiam partes.theorema 74.c.2.col.2. 477
intellectus non poteſt ferre ſe in aliquam entitatem ſine ſenſu.th.86.c.1.col.1. 655
intellectus quomodo cauſas adinueniet.theo.10.c.3.col.2.in fine. 50
intellect⁹ fit res cognita.th.85.c.3.col.2.646
intellectus imponit nomina rebus.theo.83.c.5.col.2. 623
intellectus non eſt cauſa productiua intellectionis,ſecundum D.Thom.theorema 77.c.3.col.1. 526
intellectus an habeat actiuitatem. ibid.
intellectus, & obiectum ſunt duæ cauſæ partiales ad intellectionem producendam.ib.
intellectus eſt pura potentia paſſiua. ibid.
intellectus agēs quare adinuentus ab Ariſt.th.76.c.2.col.1.parum à princ. 496
intellectus quinam ſit productiuus intellectionis.th.78.c.2.col.1. 537
intellectus denudatus ſpecie intelligibili,non dicitur in potentia ad producendum intellectionem.theor.77.c.3.col.1.per tot.526
intellectus ſubſtantiæ æterna.theor.79.ca.3.col.2. 566
intellectus, quid eſt cauſæ, cur non intelligat primo conceptum diſtinctum ſpeciei. theo.83.c.3.col.1.in fine. 615
intellectus impeditur impedita operatione phantaſiæ.theo.79.c.4.col.2. non longe a fine. 574
intellectus,& ſenſus modo in actu,modo ſunt in potentia.th.79.c.2.col.2. 561
intellectus tāquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictū.th.79.c.3.col.2.parū a pr.566
intellectus poteſt concipere vniuerſale ſecundum totam indifferentiam ad inferiora.theor.79.c.4.col.2. 567
intellectus quando dicatur formaliter intelligere. ibid.
intellectus recipit ſpeciem in ſe,& ambo producunt intellectionem. ibid.
intellectus habens ſpeciem intelligibilem præſen-

ſentē eſt in actu eſſentiali ad operandū.ib.
intellectus quomodo ſeipsū intelligat.th.ibid.
intellectus quando incipiat pingi, & recipere ſimilitudines. ibid.
intellectus humanus aptus eſt fieri intelligēs, cæteræ res non item.th.81.c.1.col.1.594
intellectus, & phantaſia, potentiæ cōnexæ.th.80.c.2.col.1. 580
intellectus quomodo, & quādo dicatur in habitu. ibid.
intellectus factus ſingula. ibid.
intellectui agenti quare prima, & etiam ſecūda actio tribuatur.th.78.c.3.col.1.541
intellectū facere vniuerſale in rebus, quomodo intelligendum.th.93.c.1.col.2. 705
intellectū eſſe primū principiū quomodo intelligēdū.th.56.c.2.col.1.nō lōge a prin.309
intellectum habere intellectionem, eſt eſſe intelligentem.th.76.c.1.col.1. 493
intellectum non multiplicari, multis rationibus probatur.th.70.c.1.col.2. 435
intellectum agentem, & poſſibilē eſſe animæ differentias, quomodo ſententia hęc ſit intelligenda.th.81.c.2.col.2.in fine. 595
intellectus agens facit intelligere ſolum omnem non alias naturas. th.81.col.2.non lōge à principio. 594
intellectiua differt a sēſu.th.74.c.1.col.1.474
intellectiua continet in ſe vnitiue eſſentiam uegetalis, et sēſitiuę.th.82.c.1.col.2.607
intellectiua quomodo contineat ſenſitiuam et vegetatiuam, th.60.c.4.col.2.in fine.354
intellectiua memoria in quo differat à ſenſitiua.th.80.c.2.col.1. 580
intelligentia prima mouet in ratione appetibilis, & intelligibilis.th.55.c.1.col.1.293
intelligentia prima quot habet actus mouendi, tot producit intelligentias. the.56.c.3.col.1.in princ. 310
intelligentia prima quomodo dicatur dare eſſe cęteris.th.56.c.1.col.1. 299
intelligētia eſt aīa cæli.th.58.c.1.col.1.323
intelligētia dicit aīa cæli.th.55.c.1.col.1.293
intelligentia eſt forma aſſiſtens cælo, vt nauta naui.th.58.c.1.col.1. 523
intelligētia, forma cæli aſſiſtēs nō īformās.ib.
intelligentiæ ſecundæ, quatenus primam intelligant.th.56.c.3.col.1.in princ. 310
intelligētiæ depēdēt i eſſe à primo motore.th.56.c.1.col.2.299.et col.1.in princ.p.300
intelligentiæ emanant à Deo nulla alia concurrente cauſa.th.56.c.3.col.1. 311
intelligentiæ ſecundæ producunt.the.56.c.2.col.2.ſub finem. 304
intelligentiæ ſecundæ ordinantur, & dependent a prima.th.56.c.1.col.2. 295
intelligentiæ ſi habent cauſam finalem etiam habēt efficientē.th.56.col.1.prope fin.367
intelligentiæ ſecundæ ſunt potentiales, & cōponibiles. ibid.
intelligentiæ ſunt in duplici genere cauſæ.th.56.c.2.col.1.ſub finem. 304
intelligentiæ non ſunt distinctæ numero, ſed ſpecie.theor.91.c.1.col.1.prope finē. 698
intelligentiæ ſunt entia carentia loco, tempore, & alijs paſſionibus, &c.th.50.c.1.prope finem. 268
intelligētię tot ſunt, quot orbes.th.55.cap.2.col.2. 291
intelligentię cur tot ſint, & non plures.theo.56.c.3.col.1. 310
intelligentiæ, & mundus ab Ariſt. cōparantur familiæ.th.55.c.2.col.1.ſub finē. 298
intelligentiæ aliæ pendent in eſſe à prima. th.56.c.1.col.2.non longe à princ. 300
intelligentiæ omnes ordinantur ad primam. th.56.c.2.col.1.ſub finem. 304
intelligentiæ quomodo producantur.the.56.c.3.col.1. 310
intelligentiæ abſtractæ ſuſceptiuæ non ſunt accidentium variabilium, ſecus eſt de intellectu humano.th.80.c.2.col.1. 580
intelligentiarum numerum vnde venatus ſit Ariſt.th.81.c.1.col.1.prope finem. 595
intelligentiarum inęqualitas vnde ſit.th.56.c.3.col.1. 310
intelligibile eſt per ſe quod eſt in actu. theor.84.c.2.col.2. 638
intelligibile eatenus aliquid eſt quatenus immateriale.th.84.c.1.col.2. 635
intelligibile ſpiritualiter imprimitur.th.79.c.4.col.2. 567

intelligibile redditur id, à quo aufertur ratio formalis intelligibilitatis. theore. 25. c.3.col.2. 139
intelligibile magis, & minus. theor. 83. cap. 8.col.2. 627
intelligibile perfectius duplex eſt, aut ſimpliciter, aut ſecundum proportionem. th.83. t.11.col.2. 632
intelligibilius eſt, quod habet nobiliorem actum.th.25.c.3.col.2. 139. & ſeq.
intelligibilitas eſt paſſio entis. ibid.
intelligibilitas quomodo competat ſecũdis intẽtionibus.in tract.Form.c.5.col.2. 808
intenſio, & remiſſio duobus modis fit. th.60. c.2.col.1. 348
intentio quid ſit.th.66.c.1.col.2. 394
intẽtio, et res, q̃uo aliquid ſimul eſſe poſſint.ib.
interpretatio propoſitionis Ariſt.in 2.Metaphyſ.tex.2.th.93.c.4.col.1. 714
intus exiſtens prohibet extraneum. th. 70.c. 1.col.2.ſub finem. 435
Ioannis Canonici & aliorum opinio de ſubiecto Philoſophiæ naturalis non eſt ad mentẽ Scoti, neque Ariſt.th.20.c.1.col.1.104
ita quid ſit.th.89.c.1.col.2. 665
iudicium idem eſt de toto, & de partibus. th. 60.c.1.col.2. 345

L

LApſus Piccolominei in exponẽda mente Scoti.th.21.c.1. col.1.poſt mediũ. 717
leue fit ex graui.th.61.c.1. 361
libri phyſicor. Ariſt. dicuntur libri communes, et quare.th.47.c.2. col.1.in fine.258
limitari, & determinari dicit defectum.the. 54.c.2.col.1. 284
limitatio tota in corpore eſt a forma. theore. 73.c.1.col.2. 456
linea quę ſimplex, quę mixta. theorema 62. c.1.col.2. 374
linea, ſuperficies, & corpus, non ſunt quid priuatiuum tantum.th.7.c.1.col.1. 202
linea non habet eſſe vniformiter vbique.the. 52.c.2.col.1. 272
linea quomodo fiat.th.52.c.1.col.2. 170
linea eſt terminabilis pũctis.th.37.c.2.col.1. 203
locare an nullo in prædicamento poni poſſit. th.48.c.1.col.1. 261
locus quid ſit. th.20.c.2. col.2. 108
locus in corporibus nobilibus naturalibus quomodo ſumendus ſecundum D.Tho.th. 47.c.2. col.1.in fine. 258
locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum.th.47.c.1.col.2. 256
loc⁹ q̃uo ſit ĩcoruptibilis.th.47.c.1.col.2.256
locus non poteſt eſſe vltimum totius vniuerſi th.47.c.2.col.1.in fine. 258
locus quomodo ſit mobilis. ibid.
locus non mouetur vt locus, ſed vt accidens corporis.th.47.c.1.col.2. 256
locus eſt incorruptibilis per æquiualentia. ib.
locus ab auctoritate negatiuus non valet. th. 33.c.3.col.2. 178
loci conditio eſſentialis.theo.47.cap.2. col.1. ſub finem. 258
logica eſt duplex.th.2.c.1. 1
logica quomodo conſideret ſyllogiſmum.th.6. c.3.col.1. 32
logica an ſit ſcientia.th.1.c.2. 2
logica eſt ſciẽtia diſtinguitur, et probatur.ib.
logica quomodo ſit ſcientia. th.1.c.4.col.1.8
logica quomodo ſit ſcientia.th.1.c.1. 1
logica dicitur ſcientia communis.c.1.th.1. 1
logica ſcientia communis.th.1.c.6.col.1. 11
logica eſt contingens.th.1.c.2.col.2. 2
logica ſcientia rationalis.th.6.c.4.col.1. 34
logica eſt ſcientia inſtrumentalis. th.19. c.1. col.1.ſub finem. 97
logica non eſt ars.th.1.c.3.col.1. 5
logica eſt habitus intellectus qui dicitur ſciẽtia.th.1.c.3. 6
logica eſt habitus intellectus: probatur.ibid.
logica eſt habit⁹ min⁹ principalis.th.1.c.2. 2
logica circa quod verſetur. ibid.
logica an, et q̃uo pariat ſcientiam.th.1.c.5. 9
logica ſit ne practica, an ſpeculatiua ſcientia. th.1.c.6.col.1. 11
logica vtens.th.1.c.5.col.2. 9
logica vtens non procedit per media communia.th.1.c. 1. 2
logica vtens ex Zabarellę ſententia eſt ſcientia.th.1.c.2. 2

logica vtens, & docens non ſubiecto ſed ratione differunt. th. 1. c. 1. 1
logicam eſſe ſcientiã tenet Scotus. th. 1. c. 1. 1
logica eſt duplex docens et vtens. th. 1. c. 1. 1
logica docẽs, et vtẽs qd ſit, & quotuplex. ib.
logicæ vſus eſt duplex. ibid.
logica docẽs, & vtens ſunt idem ſubiecto ſed differunt ratione. th. 1. c. 2. col. 2. 3
logica vtens non procedit per media neceſſaria ſed per media communia. th. 1. c. 1. 2
logicã non eſſe ſcientiã multi tenent. the. 1. c. 1. per tot. 1
logica cõparatur Phil. naturali. the. 1. c. 1. ib.
logicæ eſt Scopus non cognitio ſed effectio ſyllogiſmi. th. 1. c. 2. col. 2. 2
logicę finis non eſt operari, ſed alijs adminiculari. th. 1. c. 2. per tot. ibid. & pag. ſeq.
logica quidquid tractat, non eſt inſtrumentum cognoſcendi. th. 19. c. 2. col. 2. 100
logica docens quid doceat. th. 1. c. 4. col. 1. 8
logica applicata ſcientijs eſt ipſa ſcientia. th. 1. c. 1. per tot. pag. 2. & 3.
logica applicata ſcientijs qualis ex Zabarellę opinione. th. 1. c. 5. col. 2. 9
logica, mod⁹ ſciẽdi materialiter. the. 1. c. 4. 8
logica Ariſt. quib. de rebus agat, & tractet. th. 16. c. 1. col. 1. 84
logica non habet definitionem pro inſtrumento eod. th. 16. eademq. col. 1. ibid.
logicæ ſcopus quid ſit, theo. 1. c. 2. col. 2. & 3.
logicæ ſubiectum. th. 6. c. 1. col. 1. per tot. 28
logicæ materiæ, inſtrumentum, non ratio formalis. th. 1. c. 4. col. 2. 84
logicæ cognitio ex præcognitis. ibid.
logicam non parare ſcientiã, id quomodo intelligatur. ibid.
logicam conſiderandi modus eſt vt inſtrumẽtũ, & ratio formalis. th. 1. c. 2. ꝑ tot. 2. et 3
logicã ſub habitu ſcientię cõtineri voluit. ibi.
logicus non definit vt inſtrumentum. theore. 1. c. 4. col. 1. & 2. 87
logicum problema. th. 1. c. 2. per tot. 2. & 3.
logici boni qui. th. 1. c. 1. per tot. 1. & 2.
lumẽ quomodo generetur. th. 66. c. 2. 398
lumen ſit ne ſubſtantia an accidens. the. 66. c. 1. col. 2. 564
lumen quid efficiat circa phantaſma. theore. 79. c. 4. col. 2. 567
lumen an recte dici poſſit intellectus agẽs. th. 78. c. 4. col. 2. prope finem. 542
lumen an requiratur ad illuminandum medium perſpicui, & obiectum colorem. the. 66. c. 1. col. 2. 394
lumẽ habet eſſe reale, & intẽtionale, & quo modo id habere poſſit. ibid.
luminis definitio. ibid.
lumine mediante quomodo repræſentet phantaſma. th. 79. c. 4. col. 2. 567
luna qua cõſtet materia. th. 59. c. 2. col. 2. 332
lux qd ſit, et an ſit ſubſtãtia. ther. 66. c. 1. 394
lux diſtinguit à lumine. th. 66. c. 2. col. 2. 398
lux, & lumen quomodo differant. ibid.
lux nõ defertur de loco ad locũ vt res mobilis motu locali. th. 46. c. 2. col. 2. prope fin. 255

M

Magis, & minus ſuſcipere quid ſit. th. 65. c. 1. col. 2. 383
magnitudo infinita nõ datur. th. 54. c. 1. 279
magnitudo eſt, & magnitudinis eſſe, quomodo hoc ſit exponẽdũ. th. 20. c. 1. col. 2. 158
maior, et minor demõſtrationis de ecclypſi factę, Zabarellę, neque eſt vniuerſalis, neque per ſe, neque de omni. th. 14. c. 1. col. 2. 70
maius quidquid poteſt, poteſt & minus. theo. 69. c. 2. col. 2. in fine. 433
maius alio quocumque maximo datur in homogeneis. th. 36. c. 4. col. 2. 201
maioritas intentionis, vel remiſſionis in ſubſtantia, formæ eſt adſcribenda. th. 65. c. 3. col. 1. 289
manus duobus modis conſiderata. th. 73. c. 4. col. 1. in fine. 470
manus mortua eſt manus æquiuocè. th. ibid.
mathematicũ corpus & quantũ differt a corpore naturali ꝙ nil aliud eſt quã ſubſtãtia corporea naturalis. th. 20. c. 1. col. 2. 104
materia quid ſit. th. 22. c. 1. col. 2. 124
materia eſt ſubiecta in finitis, forma ſucceſſiue. th. 90. c. 9. col. 1. 692
materia dupliciter conſideratur. th. 25. c. 1. col. 1. ſub finem, & col. ſeq. per tot. 137
mat. duob. modis accepta. th. 71. c. 2. 443

materia eſt quâ res poteſt eſſe, & non eſſe. th. 68.c.2.col.1.in 6.ratione 418
materia cauſa ſine qua non, forma vero cauſa principalis.theor.90.c.9.col.1. 692
materia cæli an ſit in potẽtia ad priuationem. theor.59.c.2.col.2. 331
materia cæli quænã ſit.th. 59.c.3.col.1. 340
materia cęli non eſt generabilis, ſed mobilis eod.th.59.eodemq.c.3.col.1. ibid.
materia eſt entitas abſoluta. theor. 25.c.1. col.2.circa finem 137
materia poteſt exiſtere per ſe actu ſine forma. ibid.
materia non eſt ens, ſed ſubſtantialis potentia ad formam.theor.59.c.2.col.2. 331
materia eſt ens informe, in potẽtia ad formas recipiendas.th.25.c.3.col. 1. non longe à principio 140
materia eſt ens reale extra ſuas cauſas.theo. 22.c.3.col.1.ſub finem 133
materia prima ante aduentum formæ an ſit quanta.theor.30.c.1.col.2. ſub finẽ 159
materia prima an ſit & materia remota.th. 27.c.1.col.1. 148
materia prima an habeat actum entitatiuũ, q̃ quærat̃ hoc q̃ſito. th.22.c.1.col.2. 124
materia prima eſt libera ad oppoſitos actus. th.27.c.1.col.1. 147
materia prima eſt corpus de cathegoria ſubſtantiæ, & ſupremum genus vniuocũ. ib.
materia prima an ſit vna num. vel ſpecie. ib.
materia prima non poteſt eſſe ſubſtantia etiã imperfectiſſima.the.22.cap.3.col.1. 130
materia prima an aliqua ſit entitas poſitiua faciens cõpoſitionem cum forma. ibidem.
materia prima eſt corpus de genere ſubſtantiæ.theor.26.cap.1.col.1. 143
materia prima an ſit in cęlo.theor.59.cap.1. col.1. 326
materia vna numero in compoſitis omnib. non eſt ponenda contra peripateticam philoſophiam.theor.27.col.1. 147
materia prima quare parum intelligibilis. the.25.c.3.col.2. 139
materia prima an ſit corp⁹ de cathegoria ſubſtantię.theor.26.cap.1.col.1. 143
materia prima tam quo ad ſi eſt, quam quo ad quid eſt, qua via cognoſcatur.theor.25. cap.3.col.2. 139
materia prima, cælum, & intelligentiæ, non ſunt facta.theor.56.c.5.col.1. 214
materia prima eſt primum ſubiectum, ex quo fit aliquid.the.59.c.1.col.1. 326
materia prima eſt in potentia proxima ad omnes qualitates, & formas elementales recipiendas.theor.36.c.3.col.2. 197
materia prima an ſit corpus in prædicamento ſubſtantiæ.th.30.c.1.col.2. 159
materia prima de ſui natura quomodo intelligatur eſſe corpus. ibid.
materia, efficiens, & forma hominis, quæ.th. 28.c.3.col.2. 152
materia, & forma ſunt principia prima. the. 20.c.3.col.2. 111
materia, & forma ſunt cauſæ per ſe reales.ib.
materia, & forma coexiſtunt compoſito.the. 21.c.3.col.1. 119
materia, & forma conſtituunt vnã naturam realem.the.90.c.4.col.2.non longe à principio 676
materia, & forma concurrunt ad indiuiduationem.the.90.c.7.col.1. 683
materia, & forma in cõpoſito non ſunt realiter diſtincta.th.61.c.4.col.1. 369
materia, & forma principia eſſendi corporis generabilis, & corruptibilis.th.4.c.1.col. 2. 18
materia, forma, & priuatio, ſunt principia ſubſtantiæ, & aliorum prædicamentorum. theor.20.c.1.col.2. 107
materia, et forma entia.th.30.c.2.col.2. 160
materia, & forma nulla ſpecie motus poſſunt moueri.th.20.c.2.col.2. 109
materia eſt forma quomodo deſinant eſſe, & tamen maneant in compoſito.th. 21.cap. 3.col.1. 120
materia & forma quomodo ſint cauſa intrinſecè compoſiti.th.21.c.3. ibid.
materia, & forma, ex quibus reſultat entitas compoſiti.theor.28.c.3.col.2. 152
materia, & forma aliquo modo mobilia. the. 20.c.2.col.2. 108

materia & forma non poſſunt cauſare aliquid realiter à ſe diſtinctum.the.21.c.3.col.1. circa finem 122

materia, & forma ſunt ſibi inuicē cauſæ.ibid.

materia totius, & forma totius. theore. 60. cap.2.col.1. 348

materia totius, & forma totius non ſunt quid chimericum.theor.28.c.4.col.2. 155

materia ſi daretur ſine forma eſſet in loco definitiuè.the.30.c.1.col.2. 159

materia cur per ſe dicatur ignota. theor. 28. cap.2.col.1. 151

materia per ſe eſt cognoſcibilis cauſa abſque Analogia.the.22.col.1. 134

materia per quid fiat vltima materia, & hæc eſt ſingularis quærendum remanet.th.90. c.7.col.1. 685

materia per ſe habet exiſtentiā, licet non habeat quantitatem.th.30.c.1.col.2. 159

materia eſt primum corpus de Cathegoria ſubſtantiæ. ibid.

materia terminus a quo generationis, forma ad quem.th.20.c.2.col.2. 108

materia quatenus dicatur principium paſſiuum motus.th.33.c.4.col.1. 179

materia appetit formam ſicut femina maſculum.theor.73.ca.5.col.2. 472

materia quodam ordine recipit formas.ibid.

materia in quolibet compoſito præcedit compoſitum origine, & tempore.theor. 82. c. 3.col.1.in fine 602

materia quod diſponatur per accidentia ad recipiendam formam, verum non eſt. theor. 35.c.2.col.1. 192

materia ſemper actu eſt ſub aliqua forma ſubſtantiali.theor.35.c.1.col.1. 189

materia quanta eſt, tanta eſt forma eius extenſa.theor.40.c.1.col.2. 211

materia ſine forma nō habet eſſe ſubſiſtentiæ nec eſt tangibilis.the.35.c.1.col.1. 189

materia an ſit eadem in cælo, & mortalibus. the.59.c.1.col.1. 326

materia naturalis, & materia arte factorū. theor.25.c.2.col.1. 139

materia quatenus ſit cognoſcibilis. theorema 35.c.1.col.1. 189

materia prima quatenus cognoſcatur quo ad ſi eſt quam quo ad quid eſſe. theore. 25. c.3.col.2. 139

materia quomodo cognoſcibilis.theor. 25. c. 1. 137

materia habet potentiam indeterminatam ſ a tiendi.th.61.c.4.col.1. 369

materia non eſt in cęlo, nec etiam alterius rationis a materia inferiorum.the. 59. c.2. col.2. 331

materia eſt commēſuratio ad formam, & ad proprium actum.th.59.c.2.col.2. 331

materia eſt primum non receptibile in alio. the.90.c.7.col.1. 683

materia per ſe non poteſt eſſe ſubiectum accidentium.theor.67.c.2.col.1. 405

materia eſt per ſe intelligibilis.theorema 25. cap.1.col.2. 137

materia non eſt actus, ideo non diſtinguit neque ſeparat.theorema 22.c.4.col.2.in fine 134

materia pendet a forma; non e contra. theor. 65.c.1.col.2. 383

materia ſi habet contrarium, & forma recepta ſecundum ens reale habet contrarium. theor.66.c.1.col.2. 394

materia diuerſo modo multis in locis accepta ab Ariſt.th.90.c.8.col.2. 687.& ſeq.

materia, & quantitas concurrunt ad indiuiduationem. ibid.

materia habet annexam potentiā quæ eſt propria paſſio materiæ. theore.59.c.2.col.2. 331

materia rerum naturalium ſubſtantia quædā informis eſt, potentiaq. ad formas omnes naturales recipiendas. theor. 25. cap. 2. col.2.in fine 138

materia præſupponitur cuicumque cauſalitati formæ tam ſubſtantiali, quam accidentali. ibid.

materia habet rationem diſtinguendi. theor. 28.c.4.col.2. 155

materia eſt potentia, & forma actus. th.22. c.2.col.1. 127

materia eſt pars quidditatis rei materialis. th.28.c.1.col.2. 149

materia intelligitur ſub quadam mole: & vnde id eueniat. theor. 30. c. 1. col. 2. 159
materia, vt prius eſſentialiter non variatur propter variationem poſterioris. the. 28. cap. 1. col. 2. 149
materia eſt cognoſcibilis per ſe, & duob. modis conſideratur. the. 22. c. 4. col. 1. 134
materia prior ordine naturæ quam forma. theor. 27. c. 1. col. 2. 147
materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe. th. 28. c. 2. col. 2. 150
materia non eſt actiua, ſed paſſiua. theor. 44. c. 3. col. 2. 245
materia non eſt actus, neque ens ſecundum Zabar. the. 22. cap. 2. col. 1. 227
materia rerum naturalium informis quid ſit. theor. 22. c. 3. col. 1. 130
materia quatenus ſit cognoſcibilis. theor. 22. c. 2. col. 1. 127
materia eſt realitas poſitiua, & ens. ibidem.
materia eſt cauſa entitatis formæ, nec e contra. th. 21. c. 3. col. 1. 115
materia ex ſe an ſit entitas poſitiua. theo. 22. c. 2. col. 1. 127
materia eſt receptiua omnium formarum ſubſtantialium, & accidentalium. theor. 22. c. 1. col. 2. 124
materia in cognitionem venit Ariſt. per effectum. theor. 9. c. 1. col. 2. 44
materia quomodo cognoſcatur. theor. 22. c. 3. col. 1. 130
materia quare ſit ſubiectum. the. 28. cap. 2. col. 2. 150
materia quare non ſit aliquod ens determinatum. the. 22. c. 4. col. 2. in fine 133
materia cauſa ponitur ſubſtātiæ naturalis ab Ariſtotele. th. 28. col. 2. in fine 149
materia eſt entitas poſitiua. theor. 22. c. 1. col. 2. 124
materiæ ſignatæ eſt cauſa quātitatis in genere cauſæ materialis. th. 90. c. 7. col. 1. 683
materia ſignata. ibid.
materia ſignata quid competat. ibid.
materiæ primæ duæ, neque duo fines, neque duo efficientes dātur. th. 59. c. 1. col. 2. 331
materiæ ſubiectum. th. 20. c. 2. col. 2. 108
materiæ vbi plus eſt, an ibi plus ſit quantitatis. theor. 44. c. 1. col. 1. 243
materiæ primæ, fines vltimi, formæ vltimæ, nec cauſæ efficientes ſunt plures. the. 54. c. 2. col. 1. 284
materiæ ſit ne aliqua pars in viuente, quæ per totā vitam ſeruetur. th. 40. c. 6. col. 2. 223
materiæ diuerſitas vbi eſt, ibi etiā eſt diuerſitas indiuiduorum. theo. 42. c. 2. col. 2. 231
materiæ parte fluente, pars quoque fluit formæ. theor. 40. c. 1. col. 2. 211
materiam eſſe cauſam indiuiduationis poteſt intelligi dupliciter. theor. 90. cap. 8. col. 2. prope finem 687. *& pag. ſeq.*
materiam eſſe in potentia ad formam duobus modis contingit. th. 22. c. 4. col. 2. 133. *& pag. ſeq.* 134
materiam eſſe ſubiectum generationis, dupliciter poteſt conſiderari. theorem. 20. c. 2. col. 2. 108
materiam ponere ſolum in potentia obiectiua, eſt omnē rationem Philoſophi de materia deſtruere. th. 22. c. 1. col. 1. poſt med. 126
materiam vanum eſt ponere vbi non eſt mutatio. th. 59. c. 2. col. 2. 331
materialis non eſt cauſa indiuiduationis animæ intellectiuę. theor. 92. c. 1. col. 2. in fine 700. *& pag. ſeq.* 701. *negatur à Thomiſtis.* ibid.
maximum, & minimū naturale, de quo loquitur Scotus. th. 36. c. 1. col. 2. in fine 194
medicina alia practica, alia ſpeculatiua. the. 89. c. 1. col. 1. in princ. 669
medicina in duas partes diuiſa. ibid.
medium quid. th. 7. c. 2. col. 1. 37
medium duplex. th. 60. c. 1. col. 2. 345
medium triplex. th. 7. c. 2. col. 1. 37
medium cognoſcitur neceſſario ex ſyllogiſmo in forma. th. 14. c. 5. col. 1. 80
medium cognoſcendi viam vnicam. ibid.
medium notum natura, & nobis ordine confuſo eſſe non poteſt. theor. 10. c. 3. col. 2. in fine 50. *& pag. ſeq.* 51
medium accidentale non parit perfectam ſciētiam. th. 14. c. 5. col. 1. 80
medium, & præmiſſæ in demonſtratione potiſſima

tiſſima conuertuntur. ibidem.
medium de quo eſt verum, vera quoque eſt concluſio.th.53.c.1.col.1. 276
medium, quod eſt mixtum ipſum, vel forma mixti.theor.60.c.1.col.2. 345
medium quodnam ſit ex Ariſt.2.poſt. text. 40.th.6.c.2.col.2. 29
medium cauſa externa, non eſt propria paſſio ſubiecti, ſed accidens commune.theor.14. c.1.col.2. 70
medium quod ſit ratio primi, quid intelligatur nomine rationis.th.13.c.5.col.1. 68
medium vtriuſque extremi definitio, & cauſa ſunt raro.th.13.c.3.col.1. 63
medium, vel eſt graue, vel eſt leue.theor.46. cap.2.col.2. 253
medium inter contradictoria non datur inter non eſſe ipſius formæ inducendæ per motū, & eſſe eiuſdem.th.52.c.2. col. 1.non longe à princ. 273
medium demonſtrationis eſt ratio primi termini.th.13.c.2.col.1. 62
medium in demonſtrationibus potiſſimis, & non potiſſimis.th.13.c.4.col.2. 64
medium in demonſtratione potiſſima eſt definitio ſubiecti.th.13.cap.1.col.1.61.cōtra ſentit Zabarella.theo.13.c.2.col.1. 62
medium in demonſtrationibus non potiſſimis quod eſſe poſſit.th.15.c.2.col.2.in fine. 82
medium reſultans ex formis elementorum. th.60.c.5.col.2. 357
medium non datur inter contradictoria. the. 52.c.2.col.1. 272
medium non datur inter contradictoria, de quibus verificetur.theor.95.c.6. 745
medium eſt cauſa maioris in accidentibus a cauſa interna.th.13.c.3.col.1. 63
medium non dari inter contradictoria, quomodo intelligatur.theor.95.c.6. 745
medium eſſe cauſam formalem, quomodo intelligatur.th.15.c.1.col.2. 81
medium verum, ſed non neceſſarium quod ſit.th.14.c.5.col.1. 80
media, quæ nos ducūt in cognitionem vigoris infiniti, quæ.theor.54.c.3.col.2. 288
media metaphyſica ſunt abſtracta. the. 54. cap.1.col.2. 279
melius ſemper arbitramur in natura eſſe, ſi poſſibile eſt. ibid.
mēbrū, quod eſt principiū vitæ in animali eſt vnum analogia.th.95.c.1.col.2. 727
mēbrū oppoſitū ſub ſe nō cōtinet ſuū oppoſitū tamquam ſpeciem.th.27.c.1.col.1. 147
membrum præcipuum in homine, ſecundum Ariſt. eſt Cor, quia eſt ſedes animæ. theo. 40.c.4.col.2.prope finem. 219
membra diuiſa cur aliquanto ſuperuiuant. theor.82.c.1.col.2. 607
memoria intellectiua duobus modis accipitur.theor.80.c.1.col.2. 576
memoria intellectiua eſt multiplex. theo.80. c.2.col.1. 580
memoria duobus modis conſideratur.the.79. c.4.col.2. 567
memoria proprie dicta qua ſit in parte.theor. 80.c.1.col.2. 576
memoria eſt ſenſitiua, non intellectiua.theor. 79.c.3.col.1. 565
memoriam intellectiuam non dari, quibus rationibus probetur.th.80.c.2.col.1. 580
mens D. Thomæ, Auerrois, & Mercenarij, de munere intellectus agentis. theor. 78. c.4.col. 2. circa fin. 342. & pag. ſeq. per tot. 543
mens de foris venit quomodo intelligatur. th. 69.c.2.col.2.in fine. 433.& ſeq.
mens eſt locus formarū.th.25.c.2.col.2. 139
mens non eſt phyſicæ conſiderationis.the.67. c.1.col.2. 403
mēs extrinſecus accedit ratione principij productiui. th.69.c.2.col.1. 434
mens recipit ſpecies ſine materia. th.25.c.2. col.2. 139
menſura quod eſt aliorum in genere ſubſtantiæ, eſt prima ſubſtantia illius generis cui competit vnitas. theor. 96. cap. 2. col.1. 754
metaphyſica prima eſt ſcientia in ordine cognitionis diſtinctæ, & vltima in ordine doctrinæ.theor.18.c.3.col.2. 95
metaphyſica poteſt oſtendere dari ſubſtantias abſtractas.theor.53.c.1.col.1. 276

metaphyſica eſt veluti regina ſcientiarum. th.18.c.1.col.1. 92

metaphyſica eſt vltima ordine doctrinæ. the. 83.c.2.col.1. 614

metaphyſicus demonſtrationem phyſicam accipit pro medio ad alia prædicata. theor. 53.c.1.col.2.non longe à princ. 279

metaphyſici eſt demonſtrare de ſubiecto.the. 2.c.2.col.2. 13

metaphyſici eſt cognoſcere quomodo primus motor moueat. theor.55.c.2.col.1.in fine 296.& ſeq. 297

methodus quid ſit. th.2.c.3. 14

methodus per analogiam qualis ſit methodus inueniendi materiã.th.25.c.2.col.2. 138

methodus inueniendi materiam primam. th. 59.c.1.col.1. 326

methodus inueſtigandi ſubiectum.theor.16. c.1.col.1. 84

methodus duæ ad res cognoſcendas.th.2.c.3. col.1. 14

methodus reſolutiua, & compoſitiua, & earum ſpecies.th.17.c.1.col.2. 88

methodus, qua Ariſt.adinuenit materiam primam, & definitionem materiæ. the.25.c. 3.col.2. 139

methodus notificandi rem ignotam duplex. the.17.c.1.col.2. 88

method⁹ duplex, perfecta, & imperfecta.th. 18.cap.3.col.1. 97

minor in demonſtratione an debeat eſſe neceſſaria.th.14.c.3.col.1. 75

minor demonſtrationis debet eſſe neceſſaria. theor.14.c.3.col.1. 75

minor in demonſtratione habet vim illatiuam. ibid.

minimum minus an detur.the.36.c.1.& 2. col.2.194.& pag.ſeq.

minimum naturale, ſiue ſecundum formam; & minimum naturale ſecundum materiam, & in potentia.th.36.c.1. ibid.

minimum indiuiſibile non datur.th.36.c.3. col.2. 197

miſcibilia non mutantur alterum in alterũ, ſed vtrumque in alterum.th:o.60.cap.2. col.1. 348

mixtum generatur ex elementis, & corrumpitur in illa.th.60.c.3.col.1. 351

mixtum virtute agentis vniuerſalis, vtentis elementis fit.th.60.c.4.col.2.in fine.354. & pag.ſeq. 355

mixtum quomodo fiat ex elementis.ther.60. cap.4. ibid.

mixtum quomodo corrumpatur. the.60.c.1. col.2. 345

mixti forma duplex.th.62.c.1.col.2. 374

mixto quælibet particula eſt mixta.theo.60. cap.2.col.1. 348

mixtis eſt vnum tantũ principium motus actiuum naturale.theor.62.c.1.col.2. 374

mixto in vnico vnica eſt forma, & vnicũ principium motus. ibid.

mixta mouentur ſecundum prędominium elementi prædominantis. ibid.

mixtorum forma mixta dicitur. ibid.

mixtio eſt quædam generatio. theor.60.c.5. col.2. 357

mixtio, & mixti generatio re ſunt idem, ratione differunt. ibid.

mixtio vel generatio quando fiat ex congreſſu elementorum.th.60.c.2.col.1. 348

mixtio, & generatio idem re, ratione diuerſa ſunt.th.60.c.5.col.2. 357

mixtio ſenſibilis non eſt vera mixtio. the.60. c.4.col.2.prope finem 354

mixtio tollitur, ſublata reactione.th.43.c.3. col.2.prope fin. 235

mixtio definitionis.th.60.c.1.col.2. 345

mixtionis definitio.th.60.c.5.col.2. 357

mobile duobus modis accipitur.theo.20.c.2. col.2. 108

mobile quodnam ſit. ibid.

mobile eius figuræ, & magnitudinis quare moueatur velocius alio. theor. 46. cap.2. col.2. 253

mobile habet partes.th.38.c.1.col.1. 204

mobile in vacuo moueretur ad vnam partẽ determinate.theor.46.c.2.col.2. 253

mobilium diuiſio.theor 61.c.4.col.1. 369

modus addiſcendi.th.70.c.1.col.2. 435

modus agendi efficientis nobiliſſimus. th.56. c.6.col.2. 316

modus

modus eſſendi rei non agit, ſed ipſa res. theor. 87. c. 2. col. 2. 661
modus intrinſecus quid ſit. the. 96. c. 1. col. 1. 749
modus quartus dicendi reiectus ab Ariſt. theo. 14. c. 3. col. 1. 75
modus ſciendi nō eſt ſcientia. th. 1. c. 2. col. 2. 2
modus cognoſcendi animæ, & aliarum rerū naturalium. theor. 85. cap. 3. col. 2. 646
modus prædicandi ad ſe, & ad aliud. th. 96. cap. 2. col. 1. 754
modus ſentiendi declaratur. th. 76. c. 2. col. 2. 495
modus ſentiendi quid ſit. th. 76. c. 2. ibid.
modus conſiderandi ſumitur a modo definiendi. theor. 1. cap. 2. col. 2. 2
modus prædicandi præſupponit modum eſſendi. theor. 97. c. 1. col. 1. 763
modus proprius eſſendi ſubſtantiæ primæ. th. 22. cap. 3. col. 1. 130
modus productionis intelligentiarum. theor. 56. c. 2. col. 1. ſub finem 304
modus, quo entia efficiuntur à Deo Philoſophis eſt difficilis explicatu. theor. 56. c. 3. col. 1. 310
modus intrinſecus quem ſenſum habeat apud Scotum. theor. 96. c. 1. col. 1. 749
modus intrinſecus rei quid ſit. theor. 96. c. 3. col. 2. 757
modus intrinſec⁹ quid differat a differētia. ib.
modi intrinſeci entis. th. 96. cap. 2. ibidem.
modi intrinſeci non faciunt differre eſſentialiter. theorema 94. c. 2. ibid.
monarchicū dominium nobilius eſt quam ariſtocraticum. th. 56. c. 1. col. 1. 304
monſtra, & quæ caſu euenire ſolent. theo. 57. cap. 1. col. 2. 320
mora in motu vnde fiat. th. 46. c. 2. col. 2. 253
motor primus eſt infinitus duratione, nō uirtute. theor. 54. c. 3. col. 2. 289
motor primus caret materia, & magnitudine. theor. 54. c. 1. col. 2. 279
motor primus eſt mouens, non motus. the. 55. cap. 1. col. 1. 293
motor primus eſt immobilis per ſe. theor. 55. c. 2. col. 1. ſub finem. 296
motor primus, & primum mobile, & alios orbes mouet. theorem. 55. c. 2. ibid.
motor primus dicitur appropriate mouere primum mobile. ibid.
motor primus mouet primum mobile motu lationis. ibid.
motor primum mobile mouet vt appetibile, & amabile. th. 56. c. 2. col. 1. 304
motor primus mediate mouet primum mobile. th. 55. c. 1. col. 1. 293
motor duplex reſpectu primi mobilis, ſicut & reſpectu aliorum orbium. ibid.
motor infiniti vigoris, mouet cęlum infinito motu. ibid.
motor per emanationē. th. 61. c. 4. col. 1. 369
motoris ad mobile debet eſſe aliqua proportio. th. 54. c. 3. col. 2. 289
motoris primi vita beatiſſima. theor. 55. c. 2. col. 1. 296
motorem primū poſſe mouere velocius quam mouet, duobus modis intelligitur. the. 54. cap. 3. col. 2. 289
motores quare plures eſſe non poſſint. the. 91. cap. 1. col. 1. 698
motus quid ſit th. 20. c. 1. col. 1. 104
motus duobus modis conſiderari poteſt. theo. 45. c. 1. col. 2. 247
motus proprie de quo dicatur. theor. 20. c. 2. col. 2. 108
motus quid, & quo in prædicamento ſit. the. 45. c. 1. col. 2. 247
motus locali duplex. th. 64. c. 1. col. 2. 379
motus localis ſuper quod tranſeat. theor. 18. c. 1. col. 1. 204
motus localis non eſt motus localis. theo. 46. c. 2. col. 2. 253
motus localis dependet à motu locali cæli. th. 46. cap. 2. ibid.
mot⁹ localis cęli vbi fiat th. 48. c. 1. col. 1. 261
motus cęli quomodo intelligatur nō habere potentiam paſſiuam. th. 59. c. 2. col. 2. 331
motus cæli an ſit natur. th. 63. c. 1. col. 2. 377
motus circularis cæli eſt naturalis. theor. 63. c. 1. col. 1. 378
motus naturalis, & violentus. theor. 33. c. 1 col. 2. 176.

motus naturalis elementum eſt ſimplex.thc. 62.c.1.col.2. 374
motus naturalis intenditur in fine. theorema 61.c.1.col.1. 361
motus naturalis terminatur ad aliquem locũ. theor.63.c.1.col.2. 377
motus eſt effectus notiſſimus. theor. 53.c.1. col.1. 276
motus naturalis habet motum violentum ſibi oppoſitum. ibid.
motus omnis naturalis eſt ad aliquem terminum naturalem. ibid.
motus mixti, vel eſt ſurſum, vel eſt deorſum. theor.62.c.1.col.2. 374
motus mixti duplex. ibid.
motus eſt vnus ſecundum tres modos. theor. 45.c.2.col.1. 249
motus totius.theorema 56.c.4.col.1. 312
motus violentus quis.th.26.c.1.col.1. 143
motus primus prodiens ex virtute infinita in vigore.theor.55.c.1.col.1. 293
motus ſimplex, & motus compoſitus. theor. 62.c.1.col.2. 374
motus materialiter eſt in quattuor prædicamentis.theor.45.c.3.col.1. 250
motus pro materiali, & motus pro formali quo ſint in prædicamento. ibid.
motus fit in Quantitate Qualitate, & Vbi.th. 20.c.3.col.1. 111
motus localis duobus modis poteſt eſſe naturalis.th.63.c.1.col.1.in fine. 378
motus, & generatio ceſſat habitibus præſentibus.th.65.c.1.col.2. 383
motus eſt medium ad probandum dari primum motorem. th. 55.c.2.col.1. 296
motus potius pertinet ad Metaphyſicum, quã ad phyſicum.th.53.c.1.col.1. 276
motus omnis eſt a medio, vel ad medium, vel circa medium.the.48.c.1.col.1. 261
motus vnus numero vnius eſt terminus. th. 21.c.2.col.1. 117
motus internus, & externus fit a forma. th. 33.c.3.col.1. 178
motus eſt in prædicamento relationis.th.45. c.1.col.2. 247
motus præſupponit mobile. theor. 56. cap.2. col.1.non longe à fine 308
motus non poteſt eſſe in vacuo cum ſucceſſione accidentali ſecundum Philoſophum. theor.46.c.1.col.1. 251
motus an poſſet fieri in vacuo ſi daretur.ibid.
motus pro actione acceptus.th.56.c.5. col.1. 314
motus qui concurrat in raritate, & denſitate.th.54.c.3.col.2. 288
motus ſucceſſiuus poteſt fieri in vacuo. theor. 46.c.1.col.1. 251
motus nõ fit in inſtanti.th.38.c.1.col.1. 204
motus in inſtanti quod fiat impoſſibile. ibid.
motus alius a motu locali pẽdet a locali.ibid.
motus non fit in ſubſtãtia, ſed demutatio.ibid.
motus eſt accidens reale diſtinctũ ab alijs accidentibus.th.45.c.2.col.1. 249
motus quattuor ſpecies.th.77.c.3.col.1. 526
motus definitio.th.33.c.3.col.1. 178
motus ad ſimplicitatem tria requiruntur. th. 62.c.1.col.2. 374
motus æternitas in cœlo eſt ab intelligentia extrinſecus.th.59.c.1.col.1. 326
motus ſpecie differentes qui. theor.71.c. 1. col.2. 439
motus primi cæli eſt vnus numero. theor.49. c.2.col.1. 266
motus primi cæli quid.th.49.c.1.col.2. 264
motus particulares ſunt diuerſæ quantitates a tempore.theor.49.c.2.col.1. 266
motus diuerſi pro diuerſitate rerum.theo.62. c.1.col.2. 374
motum quomodo neget Ariſt. in ſubſtantia. theor.65.c.2.col.2. 387
motum cæli non eſſe naturalem, quomodo intellexerit Scotus.th.63.c.1.col.2. 377
motum nullo poni in prædicamento aliqui tenent.th.45.c.2.col.1.in fine 249
motiua intellectus cauſant conceptum in intellectu.th.95.c.3.col.2. 732
mouere quid ſit.th.61.c.2.col.1. 365
mouere nihil poteſt à ſe, niſi habeat entitatem à ſe.theor.54.c.3.col.2. 288
mouere, & moueri cur idem non poſſit.theor. 61.c.4.col.1. 467
mouentia mota, & mouentia non mota. the.

33.c.3.col.1. 178
mouentia phyſicę conſiderationis.th.55.cap.2.col.1.in fine. 296
mouētia reſpectu cęli duo.theor.56.c.2. 304
mouentium diuiſio.th.33.c.1.col.1. 176
mouens ſe diuiditur in duos.th.61.c.4. 467
mouens ſe, ſe ſiſtit, & contrarijs mouet motibus.th.61.c.2.col.1. 365
mouens per ſe, & mouens per accidens.th.61.c.1.col.1. 361
mouens infinito tempore habet potentiam infinitam, & caret magnitudine.th.55.c.1.col.1. 293
mouens per infinitum tempus, quem in ſensū hæc verba accipiat Ariſt.th.54.c.2. 284
mouens motu locali poteſt comparari ad duo th.61.c.1.col.1. 467
mouēs motu locali eſt motor æquiuocus. ibid.
mouens omne quod ab alio moueatur, quem habeat ſenſum.theor.43.c.5.col.2. 238
mouens & motum debent eſſe ſimul, quomodo intelligendum.th.99.c.2.col.2. 775
multiplicatio prioris non ſequitur ad multiplicationem poſterioris.the.70.cap.1. 435
multipliciter dictis, quid ſignificet.theo.95.c.6.col.2. 742
multitudo aut eſt rerum differentium ſecundum formam, aut ſecundum quantitatem.th.90.c.3.col.1. 674
mundus qua ratione ſit numero vnus. th.90.c.8.col.2.prope finem. 686
mundus æternus a parte ante, & a parte poſt, ſecundum philoſophum.th.61.cap.3. 367
mundus antequam creatur quid ſit.th.22.c.3.col.1. 130
munus intellectus agentis.theor.79.c.4. 567
muſica ſubalternatur Arithmeticæ, th.12.c.1.col.1. 57
muſica quare ſit ars.th.1.c.3.col.1. 5
mutari quid ſit.th.22.c.1.col.2. 124
mutari eſt aliter ſe habere.th.45.c.3. 251
mutari duobus modis accipitur. ibid.
mutatio duplex.th.39.c.2.col.1. 209
mutatio omnis duob. terminis eſt cōcluſa.ib.
mutationes vbi plures ſubſtantiales, ibi plures formæ ſubſtantiales.th.73.c.1. 456
mutatio indiuidualis appellatur generatio. th.65.c.3.col.1. 389
mutatio fit in ſubſtantia, motus in alijs trib. prædicamentis.th.39.c.2.col.2. 209
mutatio, & accretio differunt.th.40.c.3. 218
mutatio facilior eſt in elementis habentibus ſymbolam qualitatē.th.73.c.4.col.1. 467
mutatio naturalis quæ. th.33.c.1.col.1. 176
mutationis ſpecies quattuor.the.39.c.2. 231
mutationes plures ſunt in augmentatione. ibid.
mutationes termini motus continui, & quæ non ſunt in termino motus continui.theor.37.c.1.col.1. 202

N

Natura duplex.th.21.col.2. 116
natura tripliciter conſiderata.theore.93.c.2.col.1. 708
natura duobus modis accipitur.theor.33.ca.4.col.1. 179
natura non eſt proprie quidditas & eſſentia compoſiti. ibid.
natura eſt principium internum per ſe.th.33.c.1.col.1. 176
natura eſt principium paſſiuum motus tantū, ſecundum Scotum.33.c.1.col.1. 176
natura eſt principiū paſſiuum.th.61.c.1. 361
natura eſt principium paſſiuum tantum. the.63.c.1.col.2. 377
natura eſt principium motus tā actiuum quā paſſiuū, contra Scotū.th.33.c.2.col.1. 177
confutatur.th.33.c.3.col.1. 178
natura eſt principium motus internus rei.th.33.c.1.col.1. 176
natura a principijs ad effectus procedit. theo.18.c.3.col.2. 95
natura communis non eſt entitas præciſa, a ſuis ſingularibus.th.93.c.3.col.2. 709
natura cōmunis habet eſſe reale præter opus intellectus, & propriam virtutem.theore.94.c.1.col.2. 715
natura communis habet eſſe in ſingularibus tb.93.c.1.col.2. ibid.
natura communis ſpecifica.th.90.c.9. 692
natura communis habet eſſe reale extra animam.th.93.c.1.col.2. 705

natura cõis ĩ ſingulari. th.87.c.1.col.1.658
natura communis licet non ſubſiſtat, exiſtit tã in ſingularibus.th.93.c.3.col.2. 709
natura communis quæ ſit. ibid.
natura communis non eſt ſeparata a ſingularibus.th 72.c.3.col.2. 453
natura communis, quæ contrahitur ad vnitatem indiuiduam per aliquas differentias. th.90.c.1.col.1. 670
natura rerum non optimè cognoſcitur. theor. 15.c.2.col.1. 82
natura progreditur ab imperfectis ad perfecta.th.83.c.3.col.1. 615
natura non agit, niſi agens extrinſecum agat prius.th.33.c.3.col.1. 178
natura, q̃ ĩtelligatur in ea definitione, natura eſt prĩcipiũ motꝰ etc.th.33.c.4.col.1. 179
natura quomodo dicatur de forma. ibid.
natura conſideratur vt natura, & vt hæc natura.th.93.c.3.col.2. 709
natura, & habens naturam dupliciter conſideratur.th.59.c.3.col.1. 340
natura videtur quid abſolutum, & ſubſtantiale. ibid.
natura vtitur medio ad faciendum motum. th.46.c.2.col.2. 253
natura dicetur tam de materia, quam de forma.th.33.c.4.col.1. 179
natura habet duo eſſe.th.93.c.1.col.2. 715
natura in mortalibus, & in cæleſtibus quæ dicatur.th.63.c.1.col.1. 361
natura eſt intrinſeca rei.th.58.c.1.col.1.323
natura, propter quam corpus eſt vniuocum. quęnam ſit.th.26.c.1.col.1. 143
natura, propter quam corpus eſt uniuocũ cæteris corporib. quęnã ſit.th.31.c.1.col.1.164
natura reſpuit infinitũ.th. 68.c.3.col.2.propè finem. 419
natura quomodo ſit in cælo.theorema.59.ca.3.col.1.prope finem. 344
naturæ vnius eſt vnus modus communicandi.th.71.c.1.col.2. 439
naturæ vnius eſſe vnum modum producendi, ꝓbatur varijs rõnib.th.71.c.2.col.2. 443
naturæ in fundamento nihil eſt diuiſum. th. 90.c.5.col.1. 679
naturæ cognitio facile acquiritur ex cognitione motus.th.33.c.3.col.1. 578
naturæ vniuerſalis ſcopus in agentibus. theo. 43.c.4.col.1. 237
naturæ vniuerſales cõmunicantur ſuis inferiorib. cũ ſua diuiſione.th.94.c.1.col.2.715
naturam communem realem dari oſtenditur, & quid ſit.th.93.c.3.col.2. 709
naturale trib. modis accipitur.t.33.c.4.1.179
naturalia habent propriam inclinationem p.ſ ſiuam ad ſuum motum. ibid.
naturalia differunt ab artificialibus. th.25. c.5.col.1. 137
nauis non eſt in fluuio tamquam in loco.theo. 47.c.2.col.1. 258
neceſſe eſſe nõ ĩcludit genus.theo.96.c.1.749
neceſſarium ex neceſſario deducitur.the. 14. c.3.col.1. 75
neceſſitas conuerſionis ad phantaſma duplex. th.79.c.4.col.2. 567
negatio nõ põt eſſe prima, & formalis rõ diſtĩctiua alicuꝰ ab alio.th.91.c.1.col.1.698
negationem abſolutam incluſionis conceptus, inferre ex modo, non valet. theor. 95.c.2. col.2. 729
nemo dat qđ non habet.th.73.c.1.col.2.456
nihil poteſt mouere ſeipſum, quando ſit vera. theo.61.c.3.col.1. 367
nihil poteſt extrahere aliquid de potentia ad actum.th.78.c.4.col.2. 542
nihil mouet ſe vniuoce ad id, quod habet. th. 61.c.1.col.1. 361
nihil nũc vnũ eſt æternũ.th.26.c.1.col.1.143
nihil eſt in memoria, quod non ſit præcognitum a ſenſibus externis, & internis, theo. 79.c.2.col.2. 561
nihil eſt, quod non ſit alicuius vnius ſpeciei. th.60.c.3.col.1. 351
nihil facit ſeipſum.th.21.c.3.col.1. 119
nihil fit ex nihilo.th.56.c.5.col.1. 314
nihil agit in ſeipſum.th.59.c.1.col.1. 326
nihil agit ultra ſuas uires.theor.95.c.3.732
nihil agit in ſeipſum: propoſitio hęc quomodo intelligenda.th.81.c.3.col.1. 601
nihil agere præter ſuam ſpeciem, quomodo intelligatur.th.34.c.3.col.2. 186

nomen,

nomen, cui competit ratio vna communis pluribus, eſt vniuocum.th.97.c.1.col.1. 763
nomen Corporea adiunctum ſubſtantiæ quomodo intelligatur.th.36.c.3.col.2. 197
nomina cur imponantur indiuiduis humanæ ſpeciei.th.83.c.6.col.2. 623
non eſſe ad eſſe prę ſuppoſitum primitate naturę.th.56.c.4.col.1. 312
norma ordinis doctrinę.th.18.c.1.col.1. 92
notabile ſcitu digniſſimum de medio demonſtrationis potiſſimę.theor.14.c.5.col.1.80
nota natura, & nota nobis quomodo dicātur th.10.c.3.col.2. 50
nota natura, et nota nobis ſunt nota nobis. ib.
notitię genitę vtrum ſit cauſa pars intellectiua propriè ſumpta, th.77.c.1.col.1. 520
notius, & ignotius ſemetipſo, idem, an eſſe poſſit.th.9.c.1.col.2. 43
notius natura, & nobis duplex.theorem. 10. cap.3.col.2. 50
notiones ſecundę non ſunt ſubiectum in logica.theor.6.c.3.col.2. 30
notiora nobis q̄ ītelligātur. th.18.c.1.col.1.92
notiora nobis, & notiora natura, quæ ſint.th. 83.c.8.col.2. 627
notum experientia certius eſt, quam per cauſam.th.11.c.1.col.1. 55
notitia ſubiecti, & paſſionis, an in eo eſſe poteſt, qui neſciat conficere propoſitionem. theor.5.c.1.col.2. 19
notitia ſubiecti continet virtualiter notitiā inhærentiæ ſubiecti, & paſſionis. theorem. 5.c.3.col.1. 26
notitia eſt in obiecto in virtute ſolū, & actu educit̄ ab intellectu.th.77.c.2.col.2. 522
notitia concluſionum ſcientiæ qua in parte cō ſeruetur.th.80.c.2.col.1. 580
numerus oritur ex diuiſione continui. th.90. c.8.col.1. 687
numerus actiuè, & paſſiuè ſumptus.th.49.c. 2.col.1. 266
numero diſtinguuntur ea quorum vno deſtructo, aliud remanet.theo.70.c.1.col.2.435
numero quæ differunt, differūt realiter, nō eſt vniuerſaliter vera propoſitio.c.4. 805
numeros eſſe principia rerum ſecundū Pythagoricos.59.c.2.col.2. 331
nūc in tēpore quo ſe habeat.th. 59.c.1. 269
nutriri viuentibus tantum conuenit. th. 73. c.4.col.1. 467
nutritio differt ab augmentatione, & ab accretione.th.40.c.2.col.1. 214
nutrimentum an tranſeat in virtutem naturæ humanæ.th.40.c.1.col.2. 211
nutrimenti conuerſio in naturam humanam quomodo fiat. ibid.
nutritionis modus. ibid.

O

OBiectū logicæ docētis.th.6.c.1.col.1. 28
obiectū logicæ quale.th.6.c.4.col.1. 34
obiectum ſcientiæ.th.6.c.3.col.2. 30
obiectum proprium duobus modis accipitur. th.85.c.1.col.1. 643
obiectum ita ad ſcientiam ſe habet, vt cauſa ad effectum.th.5.c.1.col.2. 19
obiectum virtualiter continet ſcientiam, cuius eſt obiectum.th.77.c.2.col.2. 522
obiectum neceſſarium requiritur in ſcientia. th.1.c.3.col.2.6.& cap.4.col.1. 8
obiectum neceſſario habet cauſalitatem reſpectu productionis actus intelligendi. th.77. c.2.col.2. 522
obiectum pręcedit actu potentiā, cuius eſt obiectum.th.79.c.4.col.2. 567
obiectū reqritur cū aīa intellectiua ad intellectionē producendū.th.78.c.2.col.1. 537
obiectum, et phātaſma fiunt intelligibilia ſub ſpecie intelligibili. th.78.c.2. col.1. 537
obiectū intellectus duplex.th.5.c.2.col.1. 23
obiectū adæquatū ītellect⁹ ex natura potētię, eſt ens incommuni.th.85.c.1.col. 1. 643
obiectum adæquatū intellectus pro ſtatu iſto, eſt quidditas rei ſenſibilis.th.85.c.1. ibid.
obiectū p̄cedit naturaliter ītellectū, et primo cognoſcitur ab intellectu.th.93.c.3. 709.
obiectum eſt cauſa effectiua intelligentis.the. 56.c.2.col.1. 304
obiectū poteſt repræſentari ſub alia & alia ratione.th.79.c.4.col.2. 567
obiectū ſēſationis eſt materia circa q̄, vel ex qua p̄mitur iudiciū. th.76.c.2.col.2.495
obiectum motuum noſtri intellectus ſecundū

philoſophos.th.85.c.1.col.1. 643
obiectũ mouens potẽtiã ſenſitiuam debet eſſe vnum vnitate reali.th.87.c.1.col. 1.658
obiectũ motiuũ ĩtellect⁹.th.85.c.1.col.1.643
obiectum adæquatum potentiæ, & intellectus.theor.85.cap.3.col.2.646.obiectum adæquatum intellectus. ibid.
obiectum adæquatum intellectus noſtri quod nam ſit;& de mente Diui Thomę. ibid.
obiectum adęquatum intellectus,duplex.th. 74.c.1.col.1. 474
obiectum adęquatum intellectus non eſt quid ditas rei materialis, ſed rei ſenſibilis. the. 85.c.3.col.2. 646
obiectum noſtrum,& diuinum obiectum quo modo differant. ibid.
obiectum intuitiuè cognoſci quomodo dicatur.th.84.c.1.col.2. 635
obiectum non intelligitur,niſi per ſpeciem intelligibilem.th.79.c.4.col.2. 567
obiectum non dependet ab intellectu in productione intellectionis, licet ſit cauſa imperfectior.th.77.c.3.col.1. 526
obiecti vniuerſalis productio eſt terminus intellectus agentis.th.79.c.4.col.2. 567
obiecti officium ad intellectionem producendam.th.77.c.2.col.2. 522
obiecti rationem habet, quod cognoſcitur ab intellectu.th.79.c.4.col.2. 367
obiecta ſenſuum materialiter agunt in medium.th.79.c.2.col.2. 561
obiecta ſenſuum immediate in ſenſu materialiter.th.79.c.1.col.1. 549
obiectiua,et ſubiectiua potẽtia,th.22.c.1.124
obiectio terrę eſt cauſa ecclypſis particularis, et accidẽtalis,nec neceſſaria.th.14.c.3.75
officiũ intellectus agẽtis.th.28.c.2.col.1.75
omne quod fit,ex ſuo contrario fit,vel ex medio.th.26.c.2.col.2. 144
omne quod tranſmutatur,partim eſt in termino a quo, partim in termino ad quem.the. 28.c.1.col.2. 140
omnia præter Deum cauſata ſunt ab ipſo Deo. th.56.c.4.col.1. 312
omnia ſunt cauſata pręter primam intelligentiam.th.56.c.1.col.1. 299
omnipotentia in Deo quid ſit.th.54.c.1.279
operatio animę eſt operatio totius compoſiti. theor.68.c.3.col.2. 419
operatio eſſẽtiã rei demõſtrat.th.76.c.1.493
operatio primo, & per ſe, eſt a potentijs.th. 74.c.1.col.1. 474
operatio qualis eſt,talis eſt entitas cauſatiua. th.56.c.1.col.1. 299
operatio cæli vnde ſit.th.58.c.1.col.1. 323
operatio arguit formã.th.73.c.1.col.2. 456
operatio vnius quod ſit perfectior,id adſcribitur formæ,non materiæ.th.65.c.3. 389
operationes imanentes quomodo differunt ab habitibus.th.98.c.2.col.2. 768
operari,& eſſe in quolibet creato,diſtinguuntur realiter.th.74.c.2.col.2. 477
operari eſt actus potentiæ operatiuæ. ibid.
operationes intellectus.th.67.c.2.col.1.405
operationes compoſiti non competunt formæ per ſe.th.21.c.3.col.1. 119
operationes diuerſæ arguunt formas diuerſas.th.72.c.1.col.1. 447
opinio Ariſt.de immortalitate animæ diuerſa ab Auerroe.th.68.c.1.col.1. 414
opin.duplex de ĩmortalitate.th.68.c.2.417
opinio Auer.de elementis in mixto. the. 60. c.2.348.Elementum quid ſit.theor. ibid.
opinio Platonicorum de numero animarum. th.68.c.3.col.2. 419
opinio Philoſophorum,& Theologorum, varia,de intelligentijs.th.91.c.1.col.1. 698
opinio D.Thomæ,& eius ſectatorum de intellectu poſſibili.th.81.c.3.col.1. 601
opinio D.Thomæ,& Scoti tum differunt tum conueniunt de ſingularis cognitione. theo. 84.c.1.col.2. 365
opinio D.Thomæ de ratione intellectionis.th. 77.c.3.col.1. 526
opinio D. Thomæ de propoſitione per ſe nota. th.7.c.1.col.1. 35
opinio D.Thomę, & Aegidij de ſubiecto logicę confutatur.th.6.c.1.col.1. 28
opinio D.Th.de propoſitione per ſe nota,quid differat a Scoto.theor.7.c.2.col.1. 37
opinio D.Tho. & Aegidij de ſubiecto in philoſophia,ad bonum ſenſum redacta.theor. 20.c.2.

20.c.2.96.confutatur. ibid.
opinio Thomiſtarum, & Scotiſtarum de diſtinctione rerum.theor.1.c.1. 1
opinio Thomiſtarum de ente deſcendente in decem genera.th.97.c.1.col.1. 763
opinio Scoti, & aliorum latinorum de mixto. theor.60.c.4.col.2.in fine. 354
opinio Scoti, an de ſubiecto præcognoſcatur quid rei.theor.3.c.1.col.1. 16
opinio Scotiſtarum quorundam refellitur. the.5.c.2.col.1.in fine. 23
opinio Caietani, Iauelli, & Capreoli de productione intellectionis. theor.77.c.3.col.1. 526.reijcitur opinio Caiet. ibid.
opinio Caietani de propoſitione per ſe nota. theor.7.c.2.col.1. 37
opinio Caietani de continentia virtualis ſubiecti, falſa oſtenditur.th.5.c.2.col.1. 23
opinio Zabarellæ de medio in demonſtratione potiſſima.th.13.c.3.col.1. 63
opinio Zabarellę cum rationibus de demõſtratione potiſſima.th.14.c.1.col.2. 70
opinio Zabarellæ de ſenſationis productione. th.76.cap.1.col.2. 495
opinio Zabarellæ contra Scotum de actu entitatiuo.theor.22.c.2. 127
opinio Zabarellæ de potentijs animæ. th. 74. c.2.col.2. 477
opinio Zabarellæ, & Piccolominei de formis ſubſtãtialib.ĩ homine.th.73.c.4.col.1.467
opinio Zabarel.circa logicã.th.1.c.2.col.2. 2
opinio Zabar.de ſubiecto logicæ.th.6.c.1.28
opinio Zabarellæ de ordine doctrinæ. th. 18. c.3.col.2. 95
opinio Zabarellæ de logica applicata refellitur.theor.1.c.5.col.2. 9
opinio Piccolominei, & Mercenarij de intellectu poſſibili, & agente. th. 81.c. 3. col. 1. 601.dupliciter intelligi poteſt. ibid.
opinio Gregorij de Arimino de ſubiecto ſcientiæ.th.5.c.1.col.2. 19
opin.Balduini de ſubiecto logicę.th.6.c.2.29
opinio Suarez de natura cõm.th.94.c.1.715
opinio modernorum circa habitus inſtrumentarios.theor.1.c.3.col.1. 5
opinio tenẽtiũ intellectũ non eſſe formã informantem inepta, & impia.th.67.c.2.405
opinio verior de influxu ſuperiorum in inferiora.th.99.c.2.col.2. 775
opinio de qualitatibus præcedentibus in materia, non vera.th.35.c.2.col.1. 192
opinio, quæ quinque ſenſus paſſiuos, & tot idẽ actiuos admittit.th.76.c.1.col.1.493.aduerſatur Ariſt. ibid.
opinio, quod materia prima ſit tantum in potentia in materia obiectiua refellitur. th. 22.c.1.col.2. 124
opiniones tres de ſubiecto philoſophiæ naturalis.theor.20.c.1.col.1. 104
opiniones duæ extremæ de influxu corporũ cęleſtium in inferiora.th.99.c.2.col.2.775
opiniones variæ de munere intellectus agentis.th.78.c.4.col.2.in fine 542
opiniones variæ de ſubiecto in logica. theo.6. c.4.col.1. 34
opiniones quattuor contra Scotum de vniuocatione entis.th.90.c.5.col.2. 739
opiniones ſeptẽ de indiuiduat.th.90.c.5.679
opiniones tres de trãſactione.th.44.c.1. 241
oppoſita ſecundum potentiam, & impotentiã differunt genere.th.64.c.2.col.2. 381
oppoſitionis vnius realis ſunt extrema realia.th.93.c.1.col.2. 705
optimum, independens, primũ efficiens eſſe cęlum, vel corpus, falſum.th.83.c.1. 613
opus rationis dirigibile, an ſit ſubiectum logicæ.th.6.c.4.col.1. 34
opus rationis triplex. ibid.
operis vnius eſt vnica mater.th.59.c.1. 326
oratio ignoti manifeſtatiua dicitur ſubiectum in logica.theor.6.c.4.col.1. 34
orbis cęleſtis materia habet potentiam ſolum ad vbi.th.59.c.3.col.1. 340
orbes habẽt propriã intelligentiã motricẽ, vltra primũ motorẽ.th.55.c.1.col. 1. 293
ordinatio legis diuinæ de intelligentia rerum pro hoc ſtatu.th.85.c.1.col.1. 643
ordo naturæ duplex, compoſitiuis ſcilicet & reſolutiuus.th.18.c.1.col.2.ſub finem.93
ordo vniuerſi aſſimilatur ab Ariſtot. exercitui.th.36.c.1.col.1.in fine. 194
ordo ſcientiæ rectè diſpoſitæ. th. 18. c.1. 92

ordo facilitati ſcientiæ tantum inſeruit. theo. 18.c.3.col.2. 95
ordo doctrinæ eſt ab ijs, a quibus faciliter addiſcere poſſumus. ibid.
ordo doctrinæ, & ordo naturæ vter in ſcientijs ſeruandus. ibid.
ordo cognitionis.th.17.c.1.col.2. 88
ordo tradit cognitionem diſtinctam rei.theo. 18.c.3.idem præſtat methodus. ibidem.
ordo cognitionis noſtræ.th.78.c.2.col.1.537
ordo cognitionis intellectiuæ reſpectu accidentis, et ſubſtãtię.th.88.c.1.c.2.ſub finẽ.662
ordo cognitionis, in ſingulari.th.86.c.1.654
ordo cognitionis noſtræ.th.7.c.2.col.1. 37
ordo in intellectione producenda.the.78.c.2. col.1. 537
ordo recipiendi formas.th.73.c.5.col.1. 471
ordo producendi in principijs ſcientiæ an eſſe debeat ab vniuerſalioribus.th.18. cap.1. col.1. 92
ordo reſolutiuus, & compoſitiuus vnde incipiant.th.17.c.3.col.1. 96
ordo cõpoſitius an sẽper ſeruãdus ĩ ſciẽtijs.ib.
ordo naturalis rerum an ſit norma noſtræ doctrinæ.th.18.c.1.col.1. 92
ordo eſſentialis datur in ſpeciebus eiuſdem generis.th.95.c.6.col.2. 744
ordo accidentalis reducitur ad aliquam cauſam immediatam in ordine eſſentiali. the. 34.c.2.col.2. 182
ordo facultatum animæ.th.83.c.5.col.2.621
ordo confuſe concipiendi, & ordo diſtinctè cõcipiẽdi, vter ſit prior.th.83.c.9.col.2.631
ordo in intelligentijs eſſentialis. theo.56.c.1. col.1. 299
ordo indiuiduorum eſt accidentalis. theorem. 42.c.1.col.1. 231
ordine reſolutiuo multa ſcripſit Ariſt. theor. 18.c.1.col.1. 93
ordine doctrinæ illud eſt primum, vnde quis facilius addiſcit.th.83.c.4.col.1. 619
ordinis doctrinæ norma, eſt facilior noſtra cognitio.th.18.c.1.col.1. 92
ordine doctrinæ ſemper incipiendum à notioribus nobis.th.18.c.3.col.2. 95
orta ex ſemine, & putri ſunt eiuſdem generis ſubalterni, non eiuſdem ſpeciei.th.71. c.1.439.negatur.th.71.c.2.col.2. 443

P

Pars abſciſa a corpore quã entitatem habeat.th.73.c.4.col.1. 467
pars, quæ remanet in viuente à principio vſque ad finem th.40.c.6.col.2. 223
pars quælibet aucti quomodo augeatur.theo. 40.c.5.col.1. 222
pars in eſſe naturali præcedit ſuum totum origine.th.81.c.3.col.1. 601
pars ſecundum formam, & pars ſecundum materiam tribus modis dicitur. th.40.c. 4.col.1. 218
partes naturaliter priores toto.theor.36.c.1. col.1. 194
partes definitionis ſunt ipſa definitio. theor. 16.c.1.col.1. 84
partes ſimul vnitæ tantum ſunt aliud ens ab entitate totius.th.21.c.3.col.1. 119
partes remanere poſſunt deſtructo compoſito.th.21.c.1.col.1. 115
partes duplicis generis, ſunt in viuente. the. 40.c.5.col.1. 222
partes, & materia non inſunt quidditati ſubſtantię th.28.c.2.col.2. 150
partes in carne, & viuẽte ex materia, & forma, quæ modo ſecundũ materiã modo ſecũdũ formam dicũtur.th.40. c.4.col.1.218
partes determinatæ quantitatis ſunt illæ, quæ nutriuntur. ibid.
partes minimę nutriunt.th.40.c.5.col.1.221
participatio quid ſit.th.95.c.3. col.2.ſub finem. 732
participãtibus realiter aliquam rem res participata eſt cõmunis.th.96.c.3.col.2.757
paſſio quid ſit.th.15.c.1.col.2. 81
paſſio duplex.th.78.c.4.col.2.in fine. 542
paſſio propria prædicatur de ſubiecto ſecundo modo.th.8.c.1.col.2. 41
paſſio propria eſt eiuſdem prædicamenti cum eo, cuius eſt paſſio.th.32.c.4.col.1. 179
paſſio propria non poteſt eſſe ſine ſubiecto.th. 65.c.4.col.1. 392
paſſio propria ſequitur formam tamquam per ſe cauſam. ibid.

paſſio

paſſio propria ſola oſtenditur de ſubiecto in demõſtratione potiſſima.th.15.c.1.col.2. 81
paſſio habet eſſe effectiue a forma ſubiecti. ib.
paſſio non continet ſub ſe ſuum ſubiectum. th. 85.c.4.col.2. 652
paſſio propria vnde fluat.th.13.c.5.col.1. 68
paſſio prima reſpondens primo actui intellectus agentis.th.79.c.4.col.2. 567
paſſio entis quomodo prædicetur de ſuo ſubiecto.th.95.c.4.col.1. 737
paſſio propria quomodo diſtinguatur & nõ diſtinguatur à ſubiecto.th.74.c.2.col.2. 477
paſſio propria dupliciter accipitur.th.74.c.2. col.2. 477
paſſio propria eſt accidens, & forma ſimplex th.13.c.5.col.1. 68
paſſio maxime propria rei naturalis.theo.33. c.4.col.1. 179
paſſio propria ſubiecti habetur in demonſtratione, non accidẽs cõe.th.13.c.4.col.2. 64
paſſio propria ſubiecti cauſaliter pẽdet a ſubiecto.th.14.c.2.col.2. 71
paſſio propria ſubiecti ſẽper demõſtratur ĩ demõſtratione potiſſima.th.13.c. 1.col.1. 61
paſſio propria de ſubiecto ſẽper oſtẽditur in demõſtratione potiſſima.th.14.c.1.col.2. 70
paſſiones ſubiecti quæ: & quomodo quærantur.th.2.c.3.col.1. 14
paſſiones entis ſunt tranſcendentia, & includũt ens qualificatiue.th.95.c.4.col.1. 737
paſſiones entis.th.96.c.1.col.1. 749
paſſiones metaphyſicæ oſtendunt perfectiora prædicata de prima ſubſtantia, quam phyſica.th.53.c.1.col.1. 276
paſſiones ſpecierum per accidentia generum ſæpe oſtenduntur.th.15.c.2.col.1. 82
paſſiones naturales non ſunt diuiſibiles in infinitum.th.52.c.2.col.1. 272
paſſiones corporis naturalis.th.20.c.1.c.1. 104
paſſiones plures demonſtrantur per vnã cauſam.th.13.c.5.col.1. 68
paſſiones duæ intellectus reſpondentes actionibus intellect⁹ agẽtis.th.78.c.2.col.2. 537
paſſionis definitio an ſit medium in potiſſima. th.13.c.5.col.1. 68
paſſionis quidditas per ſubiectum cognoſcitur.theor.5.c.3.col.1. 26
paſſionis cognitio præſupponit cognitionem ſubiecti. ibid.
pati eſt intelligere.th.76.c.1.col.1. 493
patiens omne reſiſtit agenti, etiam non phyſico.th.43.c.3.col.2. 235
patiens, & agens propriũ, patienti reſpondẽs datur in natura.th.81.c.2.col.2. 595
pendere ab alio contingit duobus modis. th. 90.c.11.col.1. 697
phantaſia, radix intellectionis, & memoriæ intellectiuæ.th.80.c.2.col.1. 580
phantaſia repræſentat rem ſuam ſub conceptu naturæ ſpecificæ, & vniuerſalis, & quare th.86.c.1.col.2.in fine. 654
phãtaſia mouet appetitũ.th.74.c.2.c. 2. 477
phantaſma quid ſit.theor.79.c.4.col.2. 567. Et theoremate 85.c.1.col.1. 643
phantaſma quomodo fiat ſpecies intelligibilis. th.79.c.4.col.2. 567
phantaſma ſingulare qualiter offeratur intellectui agenti.th.83.c.2.col.1. 614
phantaſma non recipitur in intellectu, ſed manet in phantaſia.th.79.c.4.col.2. 567
phantaſma repræſentat ſingulare. ibid.
phantaſma, & ſpecies habent ex propria natura, quod ſint repræſentatiua. ibid.
phãtaſma claudit in ſe naturã vniuerſalẽ. ib.
phantaſma exiſtens in phantaſia eſt ſingulare.th.78.c.2.col.1. 537
phantaſmatis deputatio quo in loco fiat ab intellectu agente. ibid.
perfectibile, & potentiale eſt quidquid clauditur in genere.th.96.c.1.col.1. 749
perfectio rei ex perfectione operationis. theo. 76.cap.1.col.1. 493
per ſe, ſiue ex ſe, duobus modis accipitur. th. 93.c.2.col.1. 708
perſona eſt nomen, & res ſecundæ intentionis.th.94.c.1.col.2. 715
perſona diuina conſtituitur ex eſſentia, & relatione in tract.Formal.c.3. 801
perſona diuina conſtituitur in eſſe ex eſſentia, & relatione.c.1.in eod.trac.c.1. 798
phil. naturalis quæ tractet.th.6.c.1.col.1. 28
phioſophia naturalis quid. th.1.c.2.col.2. 2.

philoſophia naturalis ordine doctrinę ē prior: metaph. vltima ſciētiarū. theor. 18. c. 1. 92
philoſophia naturalis quare primo loco poſita ab Ariſt. ibid.
philoſophia naturalis circa quæ verſetur. th. 20. c. 1. col. 1. 104
philoſopho ſufficere debet quæuis parua ſufficiētia de reb. ordinis. th. 68. c. 1. col. 1. 414
philoſophi quomodo per notiora nobis ad nota naturæ deuenerint. th. 9. c. 1. col. 2. 43
phyſico via motus ad vnum primum mouens immobile ſufficit. th. 55. c. 2. col. 1. 296
piſciū generatio varia. th. 71. c. 1. col. 2. 439
pluralitas eſt fugienda. th. 81. c. 3. col. 2. 602
pluralitas realitatum non arguit compoſitionem in re. ibid.
pluralitas non eſt ponēda ſine neceſſitate. th. 100. c. 2. col. 2. 781
pluralitas entiū eſt fugiēda. th. 93. c. 2. 708
pluralitas numeralis oritur ex diuiſione materiæ quantæ. th. 90. c. 8. col. 2. 687
porphyrius nō recte exiſtimat, dum vult prędicamenta nullum habere vniuocum conceptum. th. 97. c. 1. col. 1. 763
poſitiuum non eſt, quod definitur per priuatiuum. th. 37. c. 1. col. 1. 202
poſſe ſicut ſe habet ad eſſe, ſic potentia ad eſſentiam. th. 74. c. 2. col. 2. 477
poſſibile duob. modis dr̄. th. 56. c. 5. col. 1. 314
poſſibile eſſe qđ eſt, cōtingit actu eſſe, vel non eſſe: ſic⁹ de nō poſſibili eſſe. th. 59. c. 2. 331
poſſibile, & corruptibile aliquid eſſe, intelligitur dupliciter. th. 28. c. 2. col. 2. 150
poſſibile quomodo intelligatur ab Ariſt. the. 59. c. 2. col. 2. 331
poſteriorū liber eſt vnus. th. 19. c. 1. col. 1. 97
confutatur hæc opinio. ibid.
poſteriorum liber eſt vnus ſecundum Petrellam. th. 16. c. 1. col. 1. 84
poſteriorum ſecundo libro agitur de definitione abſolute ſecundum ſuam eſſentiam. th. 19. c. 2. col. 2. 101
poſteriorum libri docent, quæ ſit bona demonſtratio. th. 1. c. 4. col. 1. 8
poſteriorū in libris quā methodum ſequatur Ariſt. th. 19. c. 1. col. 1. 97
poſterior. in libris quid tractet Ariſt. theor. 19. c. 2. 190
poſterius dupliciter ab alio dependet, eſſentialiter & accidentaliter. th. 59. c. 3. 340
potens abſolute, & facile potens differunt. th. 74. c. 2. 478
potentia quid ſit. ibid.
potētia duplex in materia. theo. 74. c. 3. 484
potentia duplex. th. 58. c. 1. col. 1. 323
& th. 59. c. 2. col. 2. 332
potentia duplex. th. 32. c. 3. col. 1. 172
potentia dupliciter diſtincta. th. 61. c. 1. 361
potentia duobus modis accipitur. the. 74. c. 3. col. 2. 483
potentia duobus modis accipitur. the. 74. c. 2. col. 2. 477
potentia particularis materiæ, & priuatio in materia idem ſunt. th. 35. c. 2. col. 1. 192
potentia materiæ non cauſatur formaliter à forma. th. 90. c. 8. col. 2. in fine. 687
potentia materiæ quod ſit cauſa materialis formæ, & forma quod ſit cauſa formalis potentiæ materiæ declaratur. ibid.
potentia quando ſit de eſſentia materiæ: & id intelligat dupliciter. th. 23. c. 1. col. 2. 136
potentia eſt propria paſſio materiæ. th. 59. c. 2. col. 2. 331
potentia duo importat. th. 22. c. 4. col. 2. 133
potentia præcedit actū. th. 35. c. 2. col. 1. 192
potentia mere paſſiua eſt contradictionis. th. 34. c. 3. col. 2. 186
potentia obiectiua quando idem, quod ſubiectiua, et quod actiua. th. 22. c. 5. col. 1. 136
potētia obiectiua duob. modis poteſt accipi. ib.
potētia actiua naturalis, & paſſiua naturalis, non ſunt relatiua. th. 85. c. 4. col. 1. 654
potentia obiectiua, & ſubiectiua continentur ſub actiua, & paſſiua. ibid.
potentia non poteſt attingere obiectū ſibi improportionatum. th. 85. c. 3. col. 2. 646
potentia quomodo ſit cauſa ignorantiæ. theor. 25. c. 3. col. 2. 139
potētia ſuperior cognoſcit, quæ cognoſcit inferior, et nobiliori modo. th. 80. c. 2. 580
potentia inferior cognoſcitiua quod poteſt: & ſuperior poteſt. th. 84. c. 1. col. 2. 635

poten-

potentia definitur per actum & e conuerſo. th.74.c.2.col.2. 477
potentia eſt vel eſſe poteſt principium operationis actiuè, vel principium receptionis paſſiuè. ibid.
principiũ vnũ p ſe eſt vni⁹ opationis p ſe.ibid.
potentia & actus pertinet ad idem genus & hæ potentiæ nempe velle & intelligere sũt accidentia animæ. ibid.
potentiæ non omnes ſunt actus corporis nec partes corporis. ibid.
potentiæ an ſint idem quod anima. ibid.
potentia duobus modis poteſt capi, vno modo pro ipſo principio, & vi a quo aptitudo agẽdi & patiẽdi emanat: alio modo pro ipſamet aptitudine & potentialitate agẽdi & patiendi.th.74.c.2.col.2. 477
potentia primo modo & potentia ſecundo modo quid ſit. ibid.
potẽtia cognoſcere, & obiectum cognitum debent eſſe proportionata in modo eſſendi.th. 85.c.3.col.2. 646
potentia cognoſcitiua triplex.th.85.c.2. col. 1. 645
potẽtia ĩ cælo quænã ſit.th.59.c.2.col.2. 331
potentia ad accidẽs non fundatur niſi in ſubſtantia actu.th.81.c.3.col.1. 601
potentia de ſe de genere potentiæ paſſiuæ non poteſt in ſe eſſe inchoatiuè actiua.the.77. c.3.col.2. 526
potẽtia an ſit uariabilis.th.74.c.3.col.2. 483
potẽtia eſſentialiter appoſito actui, & quę eſt principiũ tranſmutationis.th.74.c.3.ibid.
potentia paſſiua eſt potentia contradictionis. th.59.c.2.col.2. 331
potentia ſubſtãtialis, ſed forma ſecundum genus, vel ſecundum ſpeciem. ibid.
potentia non prouenit ab actu, in quantum actus in ſuo genere.th.74.c.3.col.2. 483
potẽtia de ſubſtãtia, et de accidẽte dicitur.ib.
potentiã ſubſtantialẽ eſſe ad formam duobus modis contingit.th.60.c.2.col.1. 348
potentia operandi reſpicit actum ſecundum, & operationem.th.59.c.2.col.2. 331
potentia ſemper habet nexam imperfectionẽ. th.96.c.3.col.2. 757
potentia non percipit, quod eſt extra obiectũ ſuum.th.23.c.3.col.2. 136
potentia ſecundum ſe eſt indifferens ad actũ, & negationem.th. 59.c.2.col.2. 331
potentia omnis eſt potentia cõtradictionis.ib.
potentia infinita quo ſenſu a philoſopho intelligatur.th.54.c.1.col.2. 279
potentia contradictionis eſt ratio corruptibilitatis.th.59.c.1.col.1. 326
potentiæ duæ.th.22.c.2.col.1. 127
potentiæ in duplici conſideratione. th.87.ca. 1.col.1. 658
potentiæ aliæ rationales, aliæ irrationales.th. 74.c.2.col.1.in princ. 482
potẽtię diſtinctio vnde proueniat.th.59.c. 2. 331
potẽtię diſtinguũtur per act⁹.th.73.c.2. 460
potentiæ diſtinguuntur per obiectæ.theo.87. c.1.col.1. 658
potentiæ diſtinguuntur per obiecta.theo. 83. cap.1.col.1. 613
potentiæ vtrum diſtinguuntur a priori an poſteriori per actus.th.75.c.1.col.1. 488
potentiæ a ſe inuicem formaliter diſtinguuntur.th.73.c.4.col.1. 467
potentiæ animæ quomodo diſtinguantur. th. 74.c.1.col.1. 474
potentiæ animæ diſtinguuntur ab anima, & a ſeipſis realiter. ibid.
potentiæ animæ an diſtinguantur a ſe inuicem, & ab anima. ibid.
potẽtiæ animæ ab Ariſt. partes appellatæ.th. 81.c.5.col.1. 601
potentię animę uegetalis.th.74.c.2. 477
potentię animæ ſunt ſubſtantię. ibid.
potentię animę accidentia de ſecunda ſpecie qualitatis appellãtur à Zabarella. the.15. c.2.col.1.82.quid ſint declaratur. ibid.
potentiæ non omnes ſunt actus aut partes corporis.th.74.c.2.col.2. 477
potentiæ non ſunt omnes ſemper in omni ſubiecto. ibid.
potentiæ ſunt idem realiter cum eſſentia animæ.th.74.c.3.col.2. 483
potentiæ diſparatę tripliciter ſe habent ad inuicem.th.76.c.1.col.1. 493

potentiæ an ſint cauſæ mediæ inter animam, & operationes.th.74.c.2.col.2. 477
potentiæ vnitiuè continentur in anima, & formaliter diſtinguuntur ab ea.theor.82.c.1.col.2. 667
potentia de ſecunda ſpecie qualitatis ſunt aptitudines ad facile operandum. theor. 74.c.3.col.2. 483
potentiam habens actiuam reſpectu alicuius formæ, poteſt eam cauſare in proportionato.theor.61.col.1. 361
potẽtiam eſſe priorem, & poſteriorem, poteſt intelligi duobus modis.theor.9.c.1.col.2. 43
potentia pura aliquid eſſe, intelligitur duobus modis.theor.81.c.3.col.1. 601
potentiarum eſſentialis diſtinctio vnde ſumatur.theor.75.c.1.col.1. 488
potentiarum diuiſio facta ab Ariſt.theo.74.c.2.col.2. 477
potentia diſtingui per actus intelligitur duobus modis.th.75.c.1.col.1.488. item poteſt habere quattuor ſenſus. ibid.
potentiale receptiuum accidentium quod ſit. theor.22.c.4.col.2. 133
potentialitas, eſt via ad inueſtigandum materiam primam.th.59.c.2.col.2. 331
potentialitas eſt paſſio materiæ.theo.22.c.4.col.2.133.duobus modis conſideratur.ibi.
poteſtas duplex in elemento.th.61.c.2.col. 1. 365
potiſſima demonſtratio quæ ex Zabarella.th.14.c.1.col.2. 70
præcepta demonſtrationis qua via tradat Ariſt.in 1.poſt.th.14.c.2.col.2. 71
præciſum continens, quod eſt locus, eſt indiuiſibile.theor.47.c.1.col.2. 256
præcognoſcendi modi complexe, & incomplexe.theor.3.c.1.col.1. 16
præcognita tria, & quæ. ibid.
præcognitio quod eſt, & quid eſt. ibid.
præcognitio complexa. ibid.
præcoguitiones duæ. ibid.
prædicamenta ſunt impermixta. th. 90. cap. 11.col.2. 697
prædieatum debet ineſſe ſubiecto. the. 8.c.1.col.2. 41
prædicatum prædicari in quid poteſt duobus modis intelligi.theor.95.c.4.col.1. 737
prædicatũ qualificatũ dicitur ſubſtantia.ibid.
prædicatum tranſcendẽs de omnibus entibus, quodnam ſit. theor.96.c.1.col.1. 749
prædicata traſcendentia. ibid.
prædicata, q̃ de Deo dicũtur qualia ſint. ibid.
prædicata quidditatiua de ſubſtantia an vere talia ſint.theor.88.c.1.col.2.ſub fin. 662
prædicata eſſentialia, & definitio ſubſtantiæ per quæ inueſtigetur.th.17.c.1.col.2. 88
prędicata competentia generi, debent quoque competere ſpeciebus.th.20.c.1.col.1.108
prædicata eſſentialia ſubſtantię, qua via inueniantur.th.16.c.1.col.1. 84
prædicata realia, & intentionalia. cap. 3. in tract.formalit.cap.3.col.1. 801
prædicata & ſubſtantia ſumpta a diuerſis formis precise faciunt propoſitionum per ſe. theor.72.c.3.col.2. 453
prædicata ex differentijs quando appellentur quidditatiua.th.95.c.4.col.1. 737
prædicata cum prædicantur ad inuicem, an fiat prædicatio per ſe in ſecundo caſu.theo.73.cap.2.col.2. 460
prædicata non ſemper ſumuntur a diuerſis formis.theor.73.c.4.col.1. 467
prædicamenta, quas ſcientias conſtituant, & qua ratione.the.20.c.1.col.1. 104
prædicamentorum principia ſunt eadem, non abſolute.th.74.c.3.col.2. 483
prædicatiua quod conueniant rei abſque omni cauſa effectiua, negatur. theor. 32. c.3. col.1. 172
prædicatio duplex ſecundum Porphyr. th.8. cap.1.col.2. 41
prędicatio propria dupl.th.95.c.4.col.2.737
prædicatio entis de ſuis paſſionibus, non eſt in quid, ſed in quale. ibid.
prædicatio ſpeciei de genere neque de differẽtia eſt reciproca.theor.8.c.1.col.2. 41
prædicatio per ſe non conuertitur in prædicationem per ſe.theor.7.c.1.col.1. 35
prædicatio per ſe, & prædicatio per accidens, theor.73.c.4.col.1. 467

præ-

prędicationes per accidens.th.8.c.1.col.2.31
prędicationes per ſe vniuerſales non conuertuntur. ibid.
prædominium elementi in mixto.th.60.c.5.col.2. 357
præſcindere ab entitate alicuius aliquid, & præſcindere ab exiſtentia aliud ſunt.theor.93.c.3.col.2. 709
prima cauſa dat eſſe, & cauſare omnibus alijs cauſis.theor.54.c.2.col.1.284.& eſt virtutis infinitæ. ibid.
prima, & ſecũda notiones.th.6.c.3.col.2. 30
prima intelligentia cuius virtutis ſit.th.81.cap.1.col.1. 594
primum cognitum eſt minus vniuerſale.the.83.c.2.col.1. 614
primum cognitum eſſe magis vniuerſale quibus rationibus ſuſtineatur.theor.83.c.7.col.1. 626
primum neque ſecundum non datur in æternitate.theor.56.c.5.col.1. 314
primum appetibile quot efficit motiones, tot producit intelligentias.theor.56.cap.3.col.1. 310
primum mouens debet eſſe immobile.th.61.c.4.col.1. 369
primum mobile quomodo diuiſum ab Ariſt. theor.55.c.2.col.1.in fine 296
primũ mobile mouetur a duplici motore.ibid.
primum mobile quo ſenſu intelligatur ab Ariſtot. ibid.
primũ mobile eſt alijs orbibus nobilius. ibid.
primum immobile eſt primum efficiens.theo.56.c.2.col.1. 304
primus motor pręcedit ęternum motũ natura non tempore.th.56.c.6.col.2. 316
primi motoris ad notitiam eleuatur Ariſt.per motum æternum.th.34.c.3.col.2. 288
primo modo quod prædicatur, quid ſit.th.8.c.1.col.2. 41
principiũ internũ dupl.th.61.c.4.col.1. 369
principiũ motus internũ, & externum. ibid.
principium actiuum motus in mixto quodnã ſit.theor.62.c.1.col.2. 374
principium naturale actiuum, & paſſiuum. theor.26.c.3.col.1. 146
principiũ cõſtitutiuũ, & diſtinctiuũ potẽtię an ſumatur ab actibus.th.75.c.1.col.1.488
principium indiuiduationis eſt aliquod poſitiuum.theor.90.c.5.col.1. 679
principium indiuiduationis intrinſecum.th.90.c.7.col.1. 683
principium vniforme non eſt principium actiuum difformitatis.th.69.c.1.col.1. 430
principiũ determinatũ agendi, & patiẽdi eſt forma ſubſtantialis.th.74.c.2.col.2. 477
principium artificialium, & naturalium vbi nam ſit.th.33.c.2.col.1. 177
principiũ varie acceptũ.th.18.c.2.col.1. 94
principia duo alterum ſui actus expectatiuũ, alterũ nõ, ſũt diuerſa.th.74.c.3.col.2.483
principia tria rerum naturalium.th.28.c.1.col.2. 149
principia diuerſa ſunt diuerſorum actuum. theor.74.c.2.col.2. 477
principia phyſica mouentia duo.th.33.c.3.col.1. 178
principia magis ſcienda, quam concluſiones. theor.12.c.2.col.2. 59
principia ſcientiæ ſubalternatæ habent euidẽtiam in ſuperiore ſcientiæ. ibid.
principia cognoſcendi.th.3.c.1.col.1. 16
principia cognoſcendi corpus naturale.theor.20.c.1.col.1. 104
principia eſſendi quomodo præcognoſcantur. theor.3.c.1.col.1. 16
principia eſſendi demonſtrant ſubiectum in ſcientia. ibid.
principia eſſendi, & cognoſcendi differunt. theor.4.c.1.col.1. 18
principia eſſendi, & operandi eadem.theor.74.c.1.col.1. 474
principia ſubiecti in duplici conſideratione. theor.20.c.1.col.1. 104
principia ſubiecti pro cauſa interna habent quod fluit a principijs internis ſubiecti.th.13.c.4.col.2. 64
principia diuerſa ſunt diuerſorũ actuum, quoniã vnuſquiſque actus proportionatur ſuo principio.th.74.c.2.col.2. 477
principiũ actiuũ ſenſationis uel eſt ſpecies ſẽſibilis, vel ſenſus agẽs.th.76.c.1.col.1.493

princi-

principium actiuum partim eſt ſpecies, partim eſt ſenſus paſſiuus. ibid.
principia intrinſeca ſubiecti quæ. theor. 13. *c.*1.*col.*1. 61
*principia demonſtrationis non ſunt neceſſaria, niſi ſint per ſe.th.*14.*c.*3.*col.*1. 75
principia demonſtrationis ſunt proxima. the. 13.*c.*4.*col.*2. 64
*principia demonſtrationis debent eſſe neceſſaria.theor.*14.*c.*3.*col.*1. 75
*principia experientia cognoſcuntur.theo.*17. *cap.*1.*col.*2. 88
principia prima quatenus cognoſcantur. the. 7.*c.*1.*col.*1. 35
principia quandoque ſenſu comprobantur.th. 10.*c.*3.*col.*2.*prope finem.* 50
*principia debere eſſe propria, quid velit Ariſt.nomine principij.th.*13.*c.*3.*col.*1. 63
*principiorum cognitio, eſt prima cognitio complexa, terminorum eſt prima incomplexa. theor.*85.*c.*7.*col.*2. 626
*principia eadem eſſe omnium prædicamentorũ quare dicat Ariſt.th.*20.*c.*3.*col.*1. 111
*principiorum cognitio non eſt abſolute prima. theor.*83.*c.*8.*col.*2. 627
*priora natura aliqua quæ ſint. theor.*92.*c.*1. *col.*2. 700
*priuatio præſupponit poſitiuum.th.*78.*cap.*4. *col.*2. 542
*priuatio, & materia ſunt idem, & vnũ numero, diuerſę tñ ratione.the.*59.*c.*1.*col.*1.331
*priuatio, & potentia materiæ realiter idẽ, formaliter differunt.th.*59.*c.*2.*col.*2. ibid.
*priuatio eadem menſura menſuratur, qua habitus.the.*50.*c.*1.*col.*1. 268
priuatio omnis reducitur ad poſitiuum. theo. 77.*c.*1.*col.*2. 498
*priuatio, & poſterius in tẽpore quomodo cognoſcatur.th.*22.*c.*1.*col.*2. 124
prius poteſt eſſe abſque ſuo poſteriori. theor. 32.*c.*3.*col.*2. 172
prius eſt potentia in eo, quod eſt poſterius.th. 72.*c.*2.*col.*2. 449
problema logicum ſcientiam non parit.theor. 1.*c.*2.*col.*1. 2
*problema logicum non parere ſcientiam quomodo intelligendum.th.*1.*c.*4.*col.*1. 8
*problema, vt ſit vniuerſale, & affectio appoſita proprio ſubiecto, neceſſe eſt vt demõſtretur.th.*15.*c.*2.*col.*1. 82
problema quale eſt tale debet eſſe mediũ.ibid.
*problematũ tria genera ex Ariſt.th.*1.*c.*2. 2
problematum genera tria actiuum, cõtemplatiuum, & logicũ, cum ſuis definitionibus. theorema 1.*c.*2.*col.*1. 2
problematum diſcrimen quod ſit inter ſe. ibi.
proceſſus inductionis, & exempli qualis. th. 2.*c.*3.*col.*1. 14
proceſſus a propoſitione negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito non valet.theo. 93.*c.*2.*col.*1. 708
*proceſſus in intellectionib.particularibus, & in intellectione generali.th.*70.*c.*1.*col.* 2. *prope fin.* 435
*proceſſus in ſcientijs ad demonſtrandum paſſiones de ſubiecto.th.*2.*c.*3.*col.*1. 14
proceſſus in cauſis non datur in infinitum neque aſcendendo neque deſcendendo.theor. 54.*c.*2.*col.*1. 284
*proceſſus inquiſitionis metaphyſica in cognitione Dei.th.*85.*c.*3.*col.*2. 646
*proceſſus in infinitũ non datur in cauſis eſſentialiter ordinatis.th.*63.*c.*1.*col.*2. 377
proceſſus compoſitiuus, & reſolutiuus.theor. 2.*c.*3. 14
*productio duplex ſecundum fidem Chriſtianam.th.*69.*c.*1.*col.*1. 430
*producta vniuoce, & æquiuoce ſunt eiuſdem ſpeciei.th.*71.*c.*1.*col.*2. 439
*prolationes quot ſunt, tot ſunt voces diſtinctæ numero.th.*47.*c.*1.*col.*2. 256
*proportio quid ſit.th.*95.*c.*1.*col.*2. 726
*proportio inter obiectum, & potentiam cognoſcitiuam an requiratur in modio eſſendi generico.th.*85.*cap.*3.*col.*2.646.*an in modo eſſendi cogniti.* ibidem.
*proportio obiecti ad potentiam quomodo ſit. theor.*85.*c.*2.*col.*1. 645
propoſitio; forma requirit materiam eiuſdem rationis, de qua materia intelligatur.the. 35.*c.*2.*col.*1. 192
propoſitio in ſcientijs ſpecialibus an ſit per ſe nota.

nota.th.7.c.1.col.1. 35
propoſitio maior, & minor Zabarellæ in demõſtrãda demõſtratione potiſſima, quem patiantur defectum.th.14.c.5.col.1. 80
propoſitio affirmatiua de prædicato infinito ſequitur ad propoſitionem affirmatiuã de ſubiecto infinito.th.59.c.2.col.2. 331
propoſitio negatiua quando eſt vera, id, quod negatur ineſſe alteri per talem propoſitionem reuera non ineſt. ibid.
propoſitio cognita ex effectu non cognita cauſa.th.9.c.1.col.2. 43
propoſitio de eclypſi facta a Zabarella, falſa oſtenditur.th.14.c.2.col.2.in fine 71
propoſitio per ſe nota non excludit quamcumque cauſam, & notitiã.th.7.c.1.col.1. 35
propoſitio per ſe nota quæ, ex ſententia Scoti. th.7.c.1.col.1. 35
propoſitio per ſe nota, nota eſt cuicumque intellectui. ibid.
propoſitio per ſe nota triplex.th.7.c.2. 37
propoſitio per ſe nota, & propoſitio quæ caret medio, idem ſunt. ibid.
propoſitio per ſe nota, cognitis terminis cognoſcitur.the.7.c.1.col.1. 35
propoſitio per ſe nota quare ita dicta. ibid.
propoſitio per ſe nota nata eſt habere euidẽtẽ veritatem contentam in terminis. ibid.
propoſitio per ſe nota duplicis generis ſecundum D.Thomam. ibid.
propoſitio per ſe nota quæ. ibid.
propoſitiones per ſe quæ dicãtur.th.8.c.1.41
propoſitio per ſe non conuertitur, in propoſitionem per ſe. ibid.
propoſitio per ſe nota eſt idem quod immediata.th.7.c.2.col.1. 37
propoſitio per ſe nota quæ. ibid.
propoſitio omnis neceſſaria an ſi per ſe. theor. 8.c.1.col.2. 41
propoſitio cognitis terminis diſtinctè, an ſit per ſe nota.th.7.c.1.col.1. 35
ptopoſitio, ex intellectu, et intelligibili ſit magis vnum, quam ex materia, & forma, an ſit vera.th.77.c.3.col.1. 526
propoſitio immediata, vt dicatur per ſe nota, quid requiratur.th.7.c.2.col.1. 37
propoſitio immediata quæ ſit.th.10.c.3. 51
propoſitio immediata eſt idẽ quod propoſitio de omni, per ſe, & ſecundũ quod ipſum.ibi.
propoſitio hæc: datur contingens, non poteſt demonſtrari a priori.th.57.c.1.col.2. 320
propoſitio illa. Potentiæ diſtiguũtur per obiecta, quomodo intelligatur.th.75.c.1. 488
Propoſitio, quod potentiæ diſtinguantur per actus, declaratur ex mẽte Scoti. theor.75. cap.1. ibid.
propoſitio de omni, duplicem habet vniuerſalitatem.theor.14.c.2.col.2. 71
propoſitiones verificantur ex ſubiecto. theor. 6.c.3.col.2. 30
propoſitiones, quæ conuerſim prædicantur. theor.8.c.1.col.2. 41
propoſitiones demonſtrationis ab effectu, ſunt neceſſariæ.th.17.c.1.col.2. 88
propoſitiones demonſtrationis habent neceſſarium connexum cum veritate demonſtrata.th.11.c.1.col.1. 55
propoſitiones demonſtrationis immediatæ eſſe poſſunt.th.5.c.1.col.2. 19
propoſitiones per ſe ex quarto modo, non pertinent ad demonſtrationem .theorema 14. c.3.col.1. 75
propoſitiones per ſe notæ, prima principia dicta ab Ariſt.th.7.c.2.col.1. 37
propoſitiones primæ an ſint per ſe notæ. ibid.
propoſitiones de primo modo dicendi ſunt immediatæ.theor.10.c.3.col.2. 50
propoſitiones de quarto modo dicendi nõ ſunt neceſſariæ.thor.14.c.3.col.1. 75
propoſitiones ſi non ſunt vniuerſales, neque concluſio, neque demonſtratio eſt neceſſaria.th.14.c.4.col.1. 79
propoſitiones debent eſſe explicitè per ſe. the. 14.c.4.eod.col.1. ibid.
propoſitiones experientia notæ, fundamentũ ſcientiarum.th.11.c.1.col.1. 55
propoſitiones ex propoſitionibus quæ probentur.th.10.c.1.col.2. 47
propoſitiones tres de anima apud Ariſt. th. 67.c.2.col.1.in fine. 411
propoſitiones habitus alicuius q̃.th.5.c.1.19
proprium quid.th.13.c.4.col.2. 64

pro-

proprietas, & propenſio quidditatis appellatur natura. th. 33. c. 4. col. 1. 179

proprietas quid ſit. th. 90. c. 7. col. 1. 683

propter quod vnum quodque tale, & illud magis. th. 9. c. 2. col. 2. 45

pueri quo apprehendāt ſpeciem ſpecialiſſimā ſecundū recentiores. th. 83. c. 4. col. 1. 619

punctus non eſt re, & ſubiecto diuerſus à continuo. th. 37. c. 2. col. 1. 203

punctus non eſt quid priuatiuum, ſed poſitiuū. th. 37. c. 1. 202. negatur. th. 37. c. 2. ibidē.

punctus, & linea non diſtinguuntur realiter. 37. c. 2. ibid.

Q

QValitas propria alicui ſubſtātiali formę ab illa nō poteſt ſeparari. th. 35. c. 1. 189

qualitas in nullo reperitur ſubiecto abſque forma ſubſtantiali. ibid.

qualitas nulla ponitur in eſſe qualitatis per aliquid alterius generis. th. 1. c. 1. per tot. 2

qualitas mixti eſt principium motus localis. theor. 62. c. 1. col. 2. 374

qualitas neceſſario concomitatur ſubſtātiam, non tamen ſub hoc, vel illo gradu. theor. 60. c. 1. col. 2. 345

qualitas formæ ſubſtātialis intra aliquam latitudinem. theor. 65. c. 4. col. 1. 392

qualitas eſt etiā per ſe forma informans quātitatem. theor. 90. c. 7. col. 1. 683

qualitatis duas tantum ponit ſpecies Piccolomineus. th. 98. c. 3. col. 2. 769. quattuor ponit Scotus. ibid.

qualitatem qui recipit, non qui producit, eſt qualis. th. 79. c. 4. col. 2. 567

qualitates diſponentes materiā ad recipiendā formam. th. 35. c. 2. col. 1. 192

qualitates ſunt effectus formales formæ ſubſtantialis. th. 35. c. 1. col. 1. circa fin. 189

qualitates eędem non manent in mixto. theorema 62. c. 1. col. 2. 374

qualitates prauiæ quomodo alterent ſubſtantiam. theor. 35. c. 1. col. 1. 189

qualitates cæli diuerſo modo ſe habēt à qualitatib. horū inferiorū. th. 59. c. 3. col. 1. 340

quantitas conſequitur ſubiectum corporeum. theor. 60. c. 3. col. 1. 351

quantitas cognoſcitur per menſuram, & metrum. theor. 93. c. 4. col. 2. 713

quantitas minor, & maior quatenus vna eſt priuatio alterius, ſunt incompoſſibiles. th. 44. c. 2. col. 2. 243

quantitas interit ad interitum ſubiecti. theor. 30. c. 2. col. 2. 160

quantitas terminata, & interminata. theor. 30. c. 4. col. 1. 164

quantitas eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ. th. 60. c. 3. col. 1. 351

quantitas eſt primum omnium accidentium. th. 90. c. 6. col. 1. 681

quantitas eſt ingenerabilis. th. 30. c. 1. 159

quantitas eſt conditio recipiēdi qualitatem in ſubſtantia. th. 73. c. 5. col. 1. prope fin. 172

quantitas eſt cauſa poſitiua, & per ſe diuiſibilitatis. th. 36. c. 3. col. 2. 197

quantitas eſt quaſi ratio propria ſubiecti Mathematica. th. 20. c. 1. col. 1. 104

quantitas eſt inſeparabilis à materia. th. 44. c. 2. col. 2. 243

quantitas non eſt de genere actiuorum. theor. 61. c. 1. col. 1. 361

quantitas ſeu qualitas hæc, ſunt in eodem indiuiduo ſubſtantiæ. th. 90. c. 11. col. 1. 697

quantitatis continuæ definitio. theor. 44. c. 1. col. 2. 243

quantitatis acquiſitio an fiat in rarefactione. theor. 44. c. 2. col. 2. 243

quātitatem cauſare ſignationem in materia, quid ſit. th. 90. c. 7. col. 1. 683

quātitates eædē realiter quæ. th. 49. c. 2. 266

quantum formaliter quid dicatur. th. 44. c. 1. col. 1. 241

quantum non eſt ſubiectum accretionis. theo. 40. c. 3. col. 1. 218

quantū motum quare prius habeat calorē remiſſum poſtea intenſum. th. 38. c. 1. 204

quattuor quibus quæri poteſt. th. 14. c. 1. 70

quæ ſint in genere per ſe. th. 28. c. 1. col. 2. 149

quæ ſunt actus & potentiæ, ſufficit, ſi diſtinguantur formaliter. th. 90. c. 4. col. 1. 676

quæ ſunt per accidens non pertinent ad ſcientiam. th. 25. c. 3. col. 2. 139

quæ intelligantur pro hoc ſtatu ſecundū Theologos.

logos.theor.85.c.1.col.1. 643
quærere principium indiuiduationis quid ſit. theor.90.c.4.col.1. 676
quæſtio quid eſt includit ſi eſt, & præſupponit, quod eſt.th.10.c.4.col.1. 54
*quæſtioni quid eſt, ſatisfacere dupliciter intelligitur.th.19.c.2.col.2.*100.*idem accidit quæſtioni propter quid.* ibidem.
quæſtiones de quaque re quattuor. th.2.c.3. col.1. 14
quæſtiones pertinentes ad demonſtrationem quia, & ad propter quid. ibid.
quæſtiones, an ſit, quid ſit &c. ad quas ſcientias pertineant. ibid.
quæſtiones quattuor, quæ ſunt vnius, & eiuſdem medij.th.14.c.1.col.2. 70
quidquid prædicatur de ſuperiori, idem de inferiori prædicatur.th.20.c.3.col.1. 111
quidquid aduenit enti in actu, facit vnum per accidens, de quo actu intelligatur propoſitio hæc.th.73.c.3.col.1. 462
quid eſt, vtile eſt ad cognoſcendas cauſas accidentium.theor.13.c.3.col.1. 63
quid eſt, præſupponendum eſt de ſubiecto.th. 13.c.1.col.1. 61
*quid eſt, ſupponit quod eſt.th.2.c.3.col.1.*14
quid nominis, & quod eſt, quib. ex præcognitis præcognoſcantur.th.3.c.1.col.1. 16
quid rei, & quid nominis comprebenduntur ab Ariſt. ſub quid eſt. ibid.
quid rei, an præcognoſcatur de ſubiecto in ſciētia. ibidem.
quidditas quid proprie ſignificet.th. 28.c.3. col.2. 152
quidditas varie accepta.th.28.c.2. 150
quidditas formam totius ſignificat.theo.28. c.4.col.2. 155
quidditas, & quod quid eſt idem ſunt. th.28. cap.3.col.2. 152
quidditas pro forma accepta. ibidem.
quidditas, & indiuiduum eſt idem in ſeparatis à materia.th.91.c.1.col.1. 698
quidditas ſenſibilis rei: quem ſenſum habeant hæc verba.th.85.c.1.col.1. 643
quidditas particularis, & contracta, eſt in ſingulari.th.78.c.4.col.2. 542
quidditas non eſt plurificabilis numerabiliter.th.91.c.1.col.1. 698
quidditas accidentium mouet intellectum. theor.85.c.1.col.1. 643
quidditas tota rei, quæ dicatur. theor. 28. c. 3.col.2. 152
quidditas materialis quid proprie ſignificet. theor.85.c.1.col.1. 643
quidditas incommunicabilis non habet materiam annexam.th.91.c.1.col.1. 698
quidditas explicatur per definitionem.theor. 28.c.2.col.2. 150
quidditas eſt idem cum eo, cuius eſt quidditas. ibidem.
quidditas nō vſurpatur ab Ariſt. & quis author huius nominis.th.28.c.3.col.2. 152
quidditas vniuerſalis, & ſingularitas, an reperiatur in phantaſmate.th. 79.c.4. 567
quidditas ſubſtantiæ materialis quatenus ſit corruptibilis.th.28.c.2.col.2. 150
quidditas hominis, & eſſentia eſt ens reale. theor.32.c.3.col.1. 172
quidditatis etymologia.theor.27.c. 3. 152
quidditatem, & definitionem habens habet eſſentiam in tract.form.c.5.col.1. 807
quidditatem quod non includit, vel non includitur à quidditate exiſtente in genere, id non eſt in genere.th.28.c.1.col.2. 149
quidditatum diuerſitas vnde veniat. th.28. cap.3.col.2. 132
*quies mēſuratur tēpore.th.50.c.1.col.1.*268
*quod qd eſt, nō omne eſt forma.th.73.c.4.*467
quod quid eſt, non demonſtratur de eo, cuius eſt.theor.10.c.3.col.2. 50
quod quid eſt, ex quibus fiat, & cui competat.th.28.c.4.col.2. 155
quod quid eſt, & indiuiduum non eſt idem in ſuppoſitis naturę materiatæ, & quando idem ſit.theor.29.c.1.col.2. 158
quod quid eſt, & quidditas, poteſt comparari ad naturam, & indiuiduum. ibidem.
quod quid eſt, eſt principium cognoſcendi illud, cuius eſt.th.28.c.2.col.2. 150
quod quid eſt, idem eſt cū illo, cuius eſt, in his quæ ſunt ſine materia. th.29.c.1. 158
quod quid eſt rei, vſurpatur ab Ariſt. non autem no-

tem nomen quidditatis.th.28.c.3. 152
quodlibet nõ ſit ex quolibet.th.71.c.2. 443
quod eſt in rerũ natura neceſſario eſt alicuius ſpeciei.th.72.c.2.col.2. 449
quod incipit, deſinit eſſe, th.68.c.1.col.1. 4 4
quod dependet à poſteriori non eſt idem cum priori naturaliter.th.90.c.6.col.1. 681
quod competit vni indiuiduo ſolum, nõ poteſt alteri competere.the.93.c.4.col.2. 713
quod mouetur in duas partes diſtinguitur. the.58.c.1.col.1. 323
quod eſt à ſe, habet virtutem infinitam inten ſiuè.theor.54.c.2.col.1. 284
quod conſtat ex potentia receptiua, non poteſt ineſſe alicui informando illud. theor. 72. c.2.col.2. 449

R

RAro, & vt in pluribus euenire duobus modis dicitur.th.71.c.2.col.2. 443
rarum, & denſum differentiæ corporis naturalis.th.44.c.3.col.2. 245
raritas quid ſit. ibid.
raritas quid ſit, & quomodo dicatur. th. 44. c.2.col.2. 243
rarefactio quomodo fiat.th.44.c.1.col.1. 241
rarefactio differt ab augmentatione. ibid.
rarefactio, & condenſatio dupliciter capiuntur, & quomodo fiant.theor.44.c.2. 243
rarefactio, & condenſatio in quo ſint prædicamento.theor.44.c.3.col.2. 245
rarefactio, vt acquiſitio nouæ quantitatis eſt formaliter in quantitate. ibid.
rarefactionem fieri ex aliquo extrinſecus accedente, duobus modis intelligitur. theor. 44.c.2.col.2. 243
ratio ſubſtantiæ in definitione vniuoci quid importet.th.95.c.3.col.2.ſub fin. 732
ratio ſpeciei non poteſt aſſimilare ſibi perfectiſſimo modo ſpeciem ſenſibilem. theor. 83.c.8.col.2. 627
ratio generis an magis moueat, quam ratio ſpeciei à longe. ibid.
ratio gignendi notitiam in intellectu eſt ſpecies intelligibilis ſecundum D. Thom. th. 77.c.3.col.1. 526
ratio recipiendi quantitatem in corpore eſt ẽ materia.th.74.c.1.col.1. 474
ratio denominationis cui non competit neque ipſa denominatio ei competere poteſt. th. 74.c.2.col.2. 477
per rationale homo conſtituitur in eſſe, & diſtinguitur a brutis.th.67.c.2.col.1. 405
rationale denotat nobis animam intellectiuam. ibid.
ratio reducendi enthymema, inductionem, & exemplum, ad ſyllogiſmum.th.6.c.3. 30
ratio formalis, qua eſt ſcibile; et ratio formalis, qua eſt res, idem ſunt.th.5.c.2. 23
ratio formalis, & modus conſiderandi ſubiectum, quare addantur.th.6.ca.3.col.2. 30
ratio formalis cur, & quando apponatur ſubiecto materiali. ibid.
ratio formalis obiecti, qua eſt ſcibile. theor. 5.c.1.& 2.col.2.19.& col.1. 23
ratio formalis dupl.in quolibet ſubiecto. ibid.
ratio formalis ſubiecti an cõtineat omnes virtutes ſcientiæ.theor.5.c.1.col.2. 19
ratio, & cauſa formalis alicuius effectus in quocumque eſt, in eo quoque eſt ratio formalis illius cauſæ.th.34.c.3.col.2. 186
ratio formalis obiecti eſt, quod obijciatur potentijs.th.79.c.4.col.2. 567
ratio formalis intelligibilitatis cui repugnat penitus eſt intelligibile.th.25.c.3. 139
ratio formalis entitatis cui repugnat, nullo pacto eſt ens. ibid.
ratio ſeminalis agit abſente agente principali.th.69.c.1.et 2.col.1.430.et col.2. 433
ratio ſeminalis, ſiue inchoatio formarum dicitur forma corporeitatis.the.26.c.1. 143.
reijcitur hæc opinio. ibid.
ratio mixtionis eſt multiplex.theor. 72.c.2. col.2. 449
ratio conſtans ex prædicatis per ſe rei, eſt definitio.th.28.c.3.col.2. 150
ratio conſtitutiua logicæ an ſit vſus, vel applicatio logicæ.th.1.c.1.col.1. 1
ratio propoſitionis per ſe nota. th.7.c.1. 35
ratio, qua aliquid eſt vniuocũ.th.26.c.1. 443
Et alibi theoremate.34.c.2. col.2. 182
ratio non eſt par de forma mixti, & de anima.th.72.c.3.col.2. 453

ratio non eſt par de ente, & de conceptu generis. th.96.c.1.col.1. 749
ratio quare locus dicatur vltimum. th.47.c.1.col.2. 256
ratio diſtinguens potentias, eſt formalis.th.75.c.1.col.1. 488
ratio differentiæ inter Angelum, & Animam. ibid.
ratio infinitatis entitatis eſt eſſe a ſe.the. 54.c.2.col.1. 284
ratio definiti debet poni loco definiti.the. 95.c.6.col.2. 742
ratio denominationis cui non competit, neque ipſa denominatio.th.73.c.2.col.2. 460
ratio cognitionis eſt incipere a propinquioribus ſenſibus noſtris.th.83.c.8.col.2. 627
ratio magnitudinis, & augmenti determinata eſt omnium conſtantium natura. theor. 36.c.2.col.2. 196
ratio vniuoci quæ ſit. th.26.c.2.col.2. 144
ratio vniuocationis corporis quæ. theor. 30.c.3.col.1. 163
rationem primi termini medium eſſe in demonſtratione, quem habeant ſenſum hæc verba.th.33.c.4.col.2. 64
rationes naturaliter sũt notæ. c. 4.col.1.805
rationes formales ſubiecti ſecundum Caietan. th.5.c.1.col.2. 19
rationes Zabarellæ de medio in potiſſima demonſtratione.th.13.c.2.col.1. 62
rationes Petrellæ, quod definitio ſit inſtrumẽtum logicum.th.16.c.2.col.1.86.& Balduini reijciuntur. ibid.
rationes Thomiſtarum contra formalem diſtinctionem rerum, in tract.form.c.3.801
rationes, quibus probatur, formam eſſe principium indiuiduationis. theorem. 90.c.9.col.1. 692
rationes, quibus demonſtratur tum minus vniuerſale, tũ magis vniuerſale, eſſe primo cognitũ.th.83.c.5.col.2.prope finẽ. 621
rationes, quibus negatur dari ſpecies impreſſas.th.79.c.3.col.1. 462
rationes, quibus probatur Deum eſſe in genere.th.96.c.3.749.reijciuntur. ibidem.
rationes, quibus immortalitas animæ ſuſtinentur.th.68.c.2.col.2. 417
rationes, quibus impugnatur vniuocatio entis.th.95.c.5.col.2. 739
rationes ineptiſſimæ quibus impugnatur intellectum non eſſe formam informantem. th.67.c.1.col.2. 403
rationes agẽdi, & patiendi in graui, non ſunt diſtinctæ realiter.th.63.c.4.col.2. 367
rationes eorum qui negant regreſſum. theor. 9.c.2.col.2. 45
rationalis quomodo pertineat ad phyſicum. th.67.c.3.col.1.ſub finem. 411
rationalis vegetalẽ, & rationalẽ cõtinet realiter, & formaliter.th.72.c.3.col.2. 453
rationale ineſſe homini, quomodo innoteſcat. th.16.c.1.col.1. 84
reactio quid ſit, & an detur. theor. 43.c.1.col.1. 234
reactio poſitiua, & priuatiua.theore.43.c.3.col.2. 235
reactio ſi tolleretur, rueret tota philoſoph. ib.
realitas generis, & differentiæ ſunt idem realiter, diuerſa formaliter.theor. 96. cap.3.col.2. 754
realitas communis quæ Deo reſpondeat. th.94.c.3.col.1. 723
realitas poteſt duobus modis intelligi.th.96.96.c.2.col.1. 754
realitas vltima.th.90.c.5.col.1. 679
realitates, quæ differentia indiuiduales dicuntur.th.90.c.10.col.1. 696
realitates vltimæ formæ aduenientes ſpeciei illam contrahunt ad eſſe indiuiduale. the.90.c.2.col.1. 672
realitates rerum, quæ dicantur.in tract.formalit.c.3.col.1. 801
realitates rerum plures poſſunt eſſe in eadem re. ibid.
realitates duæ poſitiuæ ſunt in quacumque re naturali.th.22.c.1.col.2. 124
realiter ſunt diſtincta, quæ diſtinguuntur ex natura rei.in tract.formal.c.2.col.1. 800
receptiuũ cuiuslibet intellectionis eſt anima. th.77.c.1.col.2.non longe à princ. 510
recipiens ſpiritualiter poteſt eſſe tale, quale eſt receptum ſecundum eſſe reale nedum ſpecie.

ſpecie, & genere ſed numero, ſecundum Scotum, ſed ſecundum Piccol. & alios aliter. th. 102. c. 4. col. 1. 796
recipi aliquid in alio, & formari aliud dupliciter intelligitur. th. 25. c. 3. col. 2. 139
recipibilitas duplex. th. 90. c. 8. col. 2. 688
reciprocatio terminorum vbi habeat locum. th. 10. c. 3. col. 2. 50
recordatio quid ſit. th. 80. c. 2. col. 1. 580
recordatio ſit ne in parte ſenſitiua, an in intellectiua. ibid.
recordatio eſt duplicis obiecti, remoti & vltimi. th. 80. c. 2. ibid.
recordatio eſt cognitio ſeu cogitatio actus alicuius præteriti ipſius recordantis. the. 80. c. 2. ibid.
recordationem nullus habere poteſt niſi de actu proprio humano. ibid.
recordari non eſt actus cuiuſcumque præteriti immediatè, ſed tātū alicuius actus præteriti, qui influit ipſi ſuppoſito recordāti. ib.
recordatiua potentia ſequuntur quattuor certa. ibid.
recordandi deſideriū in particulari nulli bruto ineſt, & quare. th. 80. c. 2. ibid.
recordandi actus habet duplex obiectum, ſcilicet proximum & remotum. th. 80. c. 2. ib. & c. 3. col. 2. 588. vbi videbis latius ſuas definitiones.
recordationis obiectum proximum non poteſt eſſe niſi actus partis intellectiuæ. theorem. 80. c. 2. col. 1. 586
recordatione ſenſitiuæ obiectum poteſt eſſe obiectum recordationis intellectiuæ. ibidem.
recordari poſſunt abſolute Angeli. ibid.
Recordari non ſe peccaſſe dicere Luciferum fatuum eſt. ibid.
recordantur Beati peccata commiſſa, ſed hoc non eſt illis ad pœnam, ſed gaudent de miſericordia diuina remittente, & de liberatione a pœna. th. 80. c. 2. ibid.
recordatio Petri ſe peccaſſe quem actum voluntatis ſequatur, an velle ſiue complacere, an nolle ſiue diſplicere, an nullius nec placet nec diſplicet. th. 80. c. 2. ibid.
ratio communis diſplicentiæ peccati magis ligat Beatum quā Viatorem, & quare? ibid.
Recordationis ex definitione emanant octo certa. th. 80. c. 3. col. 2. 588
recordatiua potētia habet actū poſt tēpus. ib.
recordatio nulla pertinet ad intellectū inquātū eſt præciſe abſtractiue intelligens. ibid.
recordari nō poteſt intellectus per ſe ſine phātaſia, ſicut nec poteſt intelligere niſi phantaſia conuertatur ad phantaſmata propter connexionem potentiarum. th. 80. c. 3. ib.
recurrere ad cauſas vniuerſales ſine neceſſitate, vanum eſt. th. 76. c. 2. col. 2. 495
regreſſus quando fiat. th. 9. c. 1. col. 2. 43
regreſſus quid ſit. ibid.
regreſſus qua ratione demonſtretur ſuperfluus, & qua non. ibid.
regreſſus quod detur, probatur. ibid.
regreſſus & circulus quomodo differant. ib.
regula diſcriminis inter ſubalternas ſcientias & non ſubalternas. th. 12. c. 1. col. 2. 59
relatio duplex. in tract. formalit. c. 6. 810
relatio realis proprie dicta neceſſario ſequitur extrema ſimul poſita. th. 98. c. 2. 765
relatio eſt duplex alia intrinſecus adueniens alia vero extrinſecus adueniens. in tract. formal. c. 6. col. 2. 810
relatio realis poſito in eſſe fundamento, & termino, ponitur in eſſe ipſi neceſſario. the. 98. c. 2. col. 2. 768
relatio extrinſecus adueniens poteſt eſſe terminus mutationis. th. 45. c. 3. col. 2. 250
relatio non eſt realis, niſi fundetur ſuper aliqua vnitate reali. th. 93. c. 1. col. 2. 705
relatiuum in proprio genere relationis, & relatiuum ad actum. th. 75. c. 1. col. 1. 488
relatiua ſecundum eſſe, & ſecundum dici. ib.
relatiua quæ dicantur. th. 75. c. 1. col. 2. 488
reminiſcētia ſoli homini ineſt. th. 80. c. 2. 580
reminiſcens diſcurrit a quibuſdam notis ad illud quod aliqualiter decidit. ibid.
repugnantia aduenit alicui per aliquid poſitiuum internum. th. 90. c. 5. col. 1. 679
requiſita ad motum circularē. th. 63. c. 1. 377
requiſita ad perfectum Vniuocum. theor. 95. cap. 2. col. 1. 729
requiſita ad ſciētiā ſunt in logica. th. 1. c. 1. 1

requiſita ad intellectionē.th.83.cap.3. 615
requiſita ad intellectionem producendam.th.77.c.3.col.2. 526
res duobus modis ſumitur in tract.formal.c.6.col.2. 810
res propriè, & diſtinctio proprie realis quæ ſit.in eod.tract.c.3.col.1. 801
res eadē per definitum, & definitionē explicatur, terminis tamē diuerſis.th.7.c.2. 37
res exiſtens in rerum natura, eſt res particularis.th.93.c.2.col.1. 708
res eſt hæc primo per illud, per quod eſt extra ſuas cauſas.th.92.c.3.col.2. 702
res creata nullā cōtinet notitiam alterius rei creatæ.th.5.c.1.col.2. 19
res omnis a forma conſtituitur.thе.12. c.1. 57
res ſeruari dicitur, cum ſeruatur eius forma ſubſtantialis.th.60.c.1.col.2. 345
res abſolutè ſūpta, & res vt eſt ſingulare, eſt aliud atque aliud. th.59.c.1. col.2. 32
res talis eſt, qualis eſt actus.th.81.c.3. 601
res realis poteſt eſſe ſine quocunque alio a quo ipſa ī eſſe nō depēdeat.the.32.c.3. 172
res ſicut ſe habet ad ſe, ſic & ad cognoſci. th.84.c.2.col.2. 638
res naturalis habet ad formam inclinationē paſſiuam.th.33.c.4.col.1. 179
res naturalis propenſionem habet ad ſuam operationem.th.63.c.1.col.2. 377
res naturales conſtituuntur in eſſe ex materia, & forma.th.33.c.4.col.1. 179
res cognoſci debent in eo ordine quo ſunt. the.18.cap.2.col.1. 94
res triplicem habent ordinem.th.83.c.1. 619
res quomodo diſtinctè, & indiſtinctè, ſiue æquatè, & inadæquatè intelligatur. th.94.c.2.col.2. 721
res quomodo interpretandę, ſi declarentur exēplis, & ſimilitudinib.th.71.c.1. 439
res logicæ non ſunt vniuerſaliter ignotæ. th.1.c.2.col.2. 4
res tripliciter ſe habēt.th.74.c.3.col.2. 483
res prius concipiuntur, deinde per voces explicantur.th.7.c.2.col.1. 37
reſiſtentia ſucceſſionis in motu vnde proueniat.th.46.c.2.col.1. 254
reſiſtentia vnde proueniat, & quid ſit. theo.43.c.5.col.1. 239
reſpectus triplex in agente. th.41.c.1. 226
reſpectus agentis quis dicatur actio.th.41.c.1.col.1. 226
*reſpectus ītrinſecus, & extrinſecus aduenīēs th.41.c.2.& c.3.col.2.228.et col.1.*230
reſpectus præcipuus definitionis ad demonſtrationem.th.19.c.1.col.1. 100
reſpectiuū ad ſubiectū.th.92.c.3.col.2. 702
reſponſio ad omnes auctoritates, quæ dicunt, potentias diſtingui per obiecta. the. 87.c.1.col.1. 658
reſponſio Caiet. ad rationes Scoti de propoſitione per ſe nota.th.7.c.1.col.1. 35
reſponſio Zabarellæ abſurda.th.14.c.3. 75
reſponſio ad obiectiones Zabarellæ, Sueſſani, & Balduini.th.1.c.4.col.1. 8
rethorica quid doceat, theor. 6.c.3.col.2. 30
Rethorica, Grāmatica, & Poetica, quare ſermocinales dicantur. ibid.
Rethorica, Grammatica, Poetica ſunt de ſecūdis intentionibus. ibid.
roſam poſſe eſſe ens reale ſine cauſa efficiente, falſum.th.32.c.3.col.1. 172

S

SApiētia, iuſtitia, &c. ſunt prædicata trāſcendentia.th.96.c.2.col.1. 754
ſapiētia iuſtitia, &c.in Deo quomodo ſint trāſcendentia prædicata.th.96.c.1.col.1. 749
ſapientia in Deo, & ſapientia in communi, nō diſtinguūtur ex natura rei.th.94.c.1. 715
ſcire, & eius definitio.th.11.c.1.col.1. 55
ſcire rem ſine cauſa, confuſe ſcitur.th.10.c.4.col.1. 54
ſciri idem per definitionem, & per demonſtrationem non poteſt.th.16.c.2.col.1. 86
ſcibile duplex.th.17.c.1.col.2. 88
ſcibile propter ſeipsū ſcitur.th.1.c.3.col.1. 5
ſcientia duplex.th.11.c.1.col.1. 55
Et theoremate 4.cap.1.col.1.18. et th.5. c. 2. col.1. 23
ſciētia, & methodus duplex.the.18. c.3. 95
ſcientiæ propriæ, & impropriæ.th.2.c.3. 14
ſcientia eſt cognitio eſſentiæ.th.29.c.1. 158
ſcientia communis dicitur Logica.th.1.c.1. 1

ſcientia eſt de rebus prius ignotis. th.1.c.2. 2
ſcientia eſt de vniuerſalibus vocis. theo.64. c.2.col.2. 381
ſcientia non eſt ex communibus.the. 1.c.2. 2
ſcientia præſtantiſſima quæ.th.14.c.1. 70
ſcientia certior,& præſtantior.th.10. cap.2. col.1.49.& th.eod.c.4.col.1. 54
ſcientia talis eſt,quale obiectum. theore. 93. c.1.col.2. 705
ſcientia a ſcientia diſtinguitur ratione obiecti.th.77.c.2.col.2. 522
ſcientia ſubiecti includitur tota in ratione & quidditate.th.13.c.1.col.1. 61
ſcientia a poſteriori reſpicit cognitionem ſubſtantiæ.th.5.c.3.col.1. 26
ſcientia vt vera ſit,quid requiratur. the.5. cap.2.col.1. 23
ſcientia,& definitio eſt vniuerſalium. theor. 32.c.3.col.1. 172
ſcientia ſpecifica de genere,& de diuerſis ſpeciebus eſſe poteſt.theor.5.c.1.col.2. 19
ſcientia habetur cognita paſſione propter cauſam proximam.th.10.c.3.col.2. 50
ſcientia per demonſtrationem acquiritur.th. 2.c.3.col.1. 14
ſcientia effectus demonſtrationis.the.1.c.1. 1
ſcientia denominationem ſumit ab obiecto. th.1.c.5.col.2. 9
ſciētia per experiētiā acquiritur.th.9.c.1.43
ſcientia propter quid reſpicit effectus,& paſſiones.th.5.c.3.col.1. 26
ſciētia practica q̄,& vnde fiat.th.1.c.6. 11
ſcientia perfectiſſima quid requirat.theo. 14. c.2.col.2. 71
ſcientia perfectiſſima quæ.th.14.c.4. 79
ſcientia pendet a definitione ſubiecti. the.13. c.1.col.1. 61
ſcientia pendet ex cognitione principiorum. th.83.c.5.col,2. 621
ſcientia quo ordine,& ex quibus acquiratur. th.5.c.3.col.1. 26
ſcientia conſtituitur in eſſe a modo conſiderandi.th.12.c.1.col.1. 57
ſcientia particularis an nulla poſſit demonſtrare ſuum ſubiectum.th.2.c.2.col.1. 13
ſcientiæ nulla datur de accidentibus communibus.th.14.c.3.col.1. 75
ſcientia ſubalternans, & ſubalternata. th.12. c.1.col.1. 57
ſcientia ſubalternans largitur principia ſubalternatæ. ibid.
ſcientia ſubalternata oſtēdit concluſiones per principia ſubalternantis. ibid.
ſcientiæ ſcopus qui.th.1.c.2. 2
ſcientiæ vnitas.th.4.c.1.col.1. 18
ſcientiæ genericæ conditio eſt habere partes. ibidem.
ſcientiæ obiectum.th.1.c.3.col.1. 5
ſcientiæ quattuor conditiones. ibid.
ſcientiæ eiuſdem cognitionis,& generis, & numero eiuſdem cognitionis,ſed non omnino diuerſæ.th.12.c.1.col.1. 57
ſcientiæ non debent ſemper ordinari ordine compoſitiuo.th.83.c.4.col. 1. 619
ſcientiæ habent aliquid vniuerſale pro ſubiecto.th.4.c.1.col.1. 18
ſciētiæ ſpeculatiuæ tres.th.20.c.1.col.1. 104
ſcientiæ ſubalternatæ diuerſæ accidentaliter tantum.th.12.c.1.col.1. 57
ſcientiæ ſufficiēs diuiſio.th.20.c.1.col.1.104
ſcientiarum principia duplicis generis.the.3. cap.1.col.1. 16
ſcopus ſapientum in adinuentione demonſtrationis.th.10.c.4.col.1. 54
ſcopus Ariſt.in libris Poſter.ſecundum Zabarellam.th.19.c.1.col.1. 97
ſcopus logicæ qui ſit.th.1.c.2. 2
ſcopus ſcientiæ,& artium quis ſit. ibid.
ſcopus tractatus formalitatū. c.1.col.1. 798
ſcotus reprehenſus a Piccolomineo. theorem. 53.c.1.col. 1. 276
Scotum non recte diminutum appellari a Balduino qua ratione demonſtretur. th.6.ca. 3.col.2. 30
ſcribendi ratio an ſit ars.th.1.c.3.col.1. 5
ſecunda ſubſtantia.th.90.c.7.col.1. 683
ſecundæ intentiones habitis primis gignuntur in logica.th.1.c.4.col.1. 8
ſecundæ intētiones ex rebus neceſſarijs exſurgunt.th.1.c.3.col.1. 5
ſecundæ intentiones an ſint ſubiectum in logica. ibid.

ſecundæ

ſecundæ intentiones quomodo fiant. ibid.
ſecundum naturam quæ ſint. theor. 33. cap. 1. col. 1. 176
ſedes animæ rationalis. th. 81. c. 1. col. 1. 594
ſemen quid ſit, in quibus ſit, et qualiter inſit. th. 69. c. 1. col. 1. 430
ſemen quomodo ſit in potentia ſubiectiua, & quomodo in potentia obiectiua. th. 22. c. 1. col. 2. 124
ſemen eſt medium inter generans, & genitū. ibidem.
ſemen non eſt principium actiuum vltimæ formæ. ibid.
ſemen ad quid ſit. ibid.
ſemen agit diſpoſitiue. th. 69. c. 2. col. 2. 433
ſeminis proceſſ⁹ duplex. th. 69. c. 1. col. 1. 430
ſenex ſi quid patitur, id ſit ratione organi male diſpoſiti. th. 65. c. 3. col. 1. 389
ſenſatio a quo producatur. theor. 76. c. 2. 495
ſenſatio a duabus cauſis producitur. ibid.
ſenſatio habet eſſe, et ab obiecto, et a ſenſu. ib.
ſenſus Ariſt. in 2. tex. primi poſter. th. 3. c. 1. col. 1. 16
ſenſus Ariſt. primo poſter. tex. 179. th. 4. c. 1. col. 1. 18
ſenſus Ariſtot. quando dixit, præmiſſas, & medium eſſe notiora natura. th. 10. c. 3. 50
ſenſus verus Ariſt. 1 6. top. c. 1. th. 16. c. 2. 86
ſenſus Ariſt. 3. de anima. tex. 5. de intellectu poſſibili. th. 81. c. 3. col. 1. 601
ſenſus authoritatis Ariſt. in 3. de anima. th. 89. c. 1. col. 2. 665
ſenſus eſſe circa ſingularia ex authoritate Ariſt. quō ſit intelligendum. th. 87. c. 1. 658
ſenſus eſt ſingularium, intellectus vniuerſalium. th. 67. c. 2. col. 1. 405
ſenſus ſolum intuetur ſingularia ſenſibilia. th. 83. c. 4. col. 1. 619
ſenſus agens an detur diſtinctus a paſſiuis. th. 76. c. 1. col. 1. 493
ſenſus agens diſtinctus a paſſiuis non datur. th. 76. c. 2. col. 2. 495
ſenſus eſt actiuus & paſſiuus. theorema 76. cap. 1. col. 1. 493
ſenſus vt ſe habet ad ſenſibilia, ita intellectus ad intelligibilia, nō ē verū vniuerſalit. ib.
ſenſus recipit ſpecies ſine materia. th. 25. c. 2. col. 1. 138
ſenſus viſus cur non diſcernat radium ſolis vnum ab alio. th. 87. c. 1. col. 1. 658
ſenſus oſtendunt facilius ſingularia ſenſibilia magis vniuerſalium, quam minus vniuerſalium. th. 84. c. 1. col. 2. 635
ſenſus eſt ſuſceptiuus ſenſibilis ſine materia. th. 79. c. 2. col. 2. 561
ſenſus patitur a ꝓprio obiecto, et quomodo ib.
ſenſus poteſt iudicare de numero ſuorum ſenſibilium. th. 44. c. 1. col. 1. 241
ſenſus in debita diſpoſitione oſtendit ſenſibilia minus vniuerſalis. th. 83. c. 8. 627
ſenſibilis, & ſenſitiui actus eſt idem, & tamen differt. th. 79. c. 2. col. 2. 561
ſenſibile poſitum ſuper ſenſum, non facit ſenſationem. ibid.
ſenſibile excellens corrumpit ſenſum per accidens. th. 68. c. 3. col. 2. 419
ſenſibile non intentionale poſitum ſuper ſenſum non facit ſenſationem. th. 66. c. 1. 394
ſenſibile minimum non eſt perceptibile a ſenſu. th. 52. c. 2. col. 1. 272
ſenſibiles res non poſſunt intelligi ſine materia. th. 28. c. 4. col. 2. 155
ſenſibilia in anima, & extra animam qualiter ſint. th. 79. c. 2. col. 2. 561
ſenſus non eſt cauſa totalis reſpectu ſenſationis. th. 77. c. 1. 498. quæ a Senſibus cognoſcuntur illa etiam ab intellectu cognoſcuntur. th. 80. c. 3. col. 2. 588
ſenſus quales quos ponunt aliqui. th. 100. c. 1. col. 2. 778
ſenſus internos cogitatiuam ſcilicet, & æſtimatiuam Scotus reijcit. ibid.
ſenſatæ ſpecies repræſentant ſenſibilia conuenientia vel diſconuenientia. ibid.
ſenſus interni ſunt tantum tres ſecundum Scotum, ſenſus communis, Phantaſia ſiue maginatiua, et memoria d. tho. 100. c. 2. 780
ſenſus interni ſunt Potentiæ naturales organicæ. ibid.
ſenſus interiores ſunt diuerſæ potentię, & habent diuerſa munera, non poſſunt vti eodem organo. ibid.

ſenſus cõmunis vocatur Phantaſia, & eſt idẽ quod Phantaſia ſecundum Antonium Andræam. ibid.
ſenſus communis, & phantaſia ſecundum Scotum ſunt duo inter ſe diſtincta. ibid.
ſenſitiuæ potentiæ & materiales diſtinguuntur per organum. ibid.
ſenſus interni ſunt potentiæ materiales organicæ. ibid.
ſenſuum internorum ſunt quattuor ad ſummum. ibid.
ſenſus interni quo ad ſubſtãtiam ſunt vnum, ſed quo ad munera ſua ſunt diuerſa. ibid.
ſenſum internum vnum tantum non plures eſſe ponendum, nam pluralitas non eſt ponẽda ſine neceſſitate. ibid.
ſenſus interni realiter ſunt idem & vna ſubſtantia & eſſentia cum anima ſenſitiua realiter. ibid.
ſenſus externi quomodo diſtinguantur a ſenſu communi. ibid.
ſentire videntur etiam plantæ, quia patiuntur a tangibilibus qualitatibus. the. 76.c.1.col.1. 493
ſentire eſt aliquid præter pati. ibid.
ſenſus agens diſtinctus a paſſiuis an detur. ib.
ſenſus ſicut ſe habet ad ſenſibilia ſic etiam intellectus ad intelligibilia. ibid.
ſenſibilis ſpecies eſt principium receptiuum ſenſationis. ibid.
ſenſus paſſiui nedum patiuntur a ſenſibili, ſed agunt quoque. ibid.
ſenſus ſunt cauſæ ſenſationis. ibid.
ſentiendi & videndi munus ſunt actiones immanentes. ibid.
ſenſus nõ poteſt cognoſcere relationes, quæ sũt extra res ſenſibiles. theor. 67.c.2.col.1. 405
ſenſibiles res nullo vſui inſeruire poſſunt, niſi vſibus externorum ſenſuum quorum ſunt obiecta.th.101.c.1.col.2. 783
ſenſitiuæ potentiæ naturalis ad obiectum eſt propenſio appetitus. ibid.
ſenſus factus habet particularem difficultatẽ in eo enim nõ eſt certum quod recipiat ſimul cum materia, & ſine materia.th.102.c.4.col.2. 793
ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem. ibid.
ſenſitiua, & vegetatiua in quo cõueniant & differant.th.82.c.1.col.2. 607
ſenſitiua, & vegetatiua ſunt extenſæ, & diuiſibiles. ibid.
ſenſitiua, & vegetatiua ſunt totæ in toto, ſed non in qualibet parte.th.81.c.3. col.1.601
ſentire quid.th.76.c.1.col.1. 493
ſentire eſt pati.th.76.c.2.col.2. 495
ſentire non eſt iudicare. ibid.
ſentiendi modus declaratur. ibid.
ſententia Caiet. de logica refellitur. theor. 1. c.6.col.1. 11
ſententiæ D.Thomę, & Scoti inter ſe cõtrarię de ſpecie intelligibili.th.79.c.3.col.1.565
ſententiæ variæ de potentijs animæ an ab ea diſtinguantur.th.74.c.2.col.2. 477
ſeparabilitas animæ a corpore quomodo intellecta ab Ariſt.th.68.c.3.col.2. 419
ſignificatio ad definitionẽ ptinet.th.3.c.1.16
ſignificatio ad nomẽ, non ad rem pertinet. ib.
ſimilitudo rei cognitę, quę ſit.th.79.c.4.567
ſimilitudo de dare eſſe, & operari, non valet in anima.th.74.c.3.col.2. 483
ſimilitudo intellectus agentis ad artem, & ad lumẽ, quomodo intelligẽda.th.81.c.1.594
ſimilitudines, quæ ſunt in ſenſu, & in intellectu, an ſint ſpecies ĩtelligib.th.79.c.4.567
ſimplex multis modis dicitur. in tract. form. c.6.col.2. 810
ſimplex nibil datur præter materiam, & formam.th.26.c.1.col.1. 143
ſimplex nullum mouetur a ſeipſo, ſed ab alio. th.81.c.3.col.1. 601
ſimplex non poteſt ſeparari a ſimpliciter. th. 68.c.2.col.2. 417
ſimplex nullum poteſt eſſe immediatum principium, & totale diuerſarum operationũ. th.74.c.2.col.2. 477
ſimplicitas perfectiſſima repugnat generi.th. 96.c.2.col.1. 754
ſimul ea ſunt, quæ ſunt in eodem indiuiſibili. th.51.c.1.col.1. 269
ſingulare duobus modis conſideratur. the. 84.c.

84.c.1.col.2. 635
ſingulare eſt per ſe cognoſcibile. ibid.
ſingulare non poteſt intelligi ab intellectum ſub conceptu ſingularitatis, & quare.the. 86.c.1.col.2. 654
ſingulare eſt quodammodo confuſum.th. 83. c.5.col.2. 621
ſingulare quomodo cognoſcatur. th.83.c.8. col.2. 627
ſingulare quomodo cognoſcatur ab intellectu. th.86.c.1.col.2. 654
ſingulare non cognoſcitur per vniuerſale. th. 83.c.5.col.2. 621
ſingulare cognoſci a nobis,poteſt intelligi duobus modis.th.83.c.5.col.2. 621
ſingulare ſub quo conceptu cognoſcatur. the. 86.c.1.col.2. 654
ſingulare non datur in ſubſtantia niſi habeat materiam,& formam.theo.30.c.2.col.2. 160
ſingulare eſt omne, quod eſt in phantaſmate. theor.78.c.3.col.1. 541
ſingulare addit ſuper vniuerſale differentiã indiuidualem.th.74.c.2. col.2. 477
ſingulare qualiter cognoſcatur.theor.83.c.6. 623.quot modis cognoſcitur. ibid.
ſingulare recipitur in intellectu per modum recipientis.th.84.c.3.col.2. 641
ſingulare vagum cognoſcitur primo ab intellectu.th.83.c.8.col.2. 627
ſingulare ſenſibile eſt intelligibile ab intellectu.th.83.c.5.col.2. 621
ſingularis circa cognitionem examinantur quattuor.th.84.c.1.col.2. 635
ſingulari duo cõtinentur.th.87.c.1.col.1.658
ſingularia diuerſa ratione vniuerſalis eadem th.27.c.1.col.1. 147
ſingularitas nõ mouet ſenſum.th.86.c.1.654
ſingularitas non poteſt eſſe ratio obiectiua ſenſus.th.87.c.1.col.1. 658
ſingularitas eſt cõditio agẽtis.th.87.c.2.661
ſingulum quid ſit.th.34.c.3.col.2. 186
ſolutiones rationum aductarum cõtra regreſſum.th.9.c.2.col.2. 45
ſol eſt prior tempore ſingulis illuminationib. non omnibus ſimul.th.56.c.6.col.2. 316
ſpecies ſpecialiſſima,quę fortius mouet ſenſũ, eſt primum cognitum.theor.83.c.9.col.2. 631
ſpecies intelligibilis quomodo cõcurrat in productione intellectionis.th.77.c.3. 526
ſpecies intelligibilis impreſſa quid ſit. th. 79. c.3.col.1. 565
ſpecies intelligibilis impreſſa intellectui diſtincta ab actu intelligendi.the.79.c.4. 567
ſpecies intelligibilis impreſſa quid ſit. ibid. Et theoremate 79.c.3.col.1. 565
ſpecies intelligibiles an dentur. ibid.
ſpecies ſenſibilis,idolum,& imago obiecti.th. 79.c.2.col.2. 561
ſpecies ſpecialiſſima eſt primum cognitum.th. 83.c.3.col.1. 615
ſpecies ſenſibilis vnde producatur. theor.76. c.2.col.2. 495
ſpecies ſenſibilis ſecundum Zabarellam, eſt ipſa ſenſatio.th.79.c.2.col.1. 564
ſpecies vniuerſalis eſt indifferens ad hoc, & ad illud ſingulare.th.84.c.2.col.2. 638
ſpecies expreſsa,& phantaſma,idem ſunt.th. 79.c.4.col.2. 567
ſpecies nulla eadem eſt per ſe repræſentatiua ſubiecti ſub oppoſitis rationibus.theor.79. c.4.col.2. 567
ſpecies diſtincta ab actu ſentiendi,non dantur ex Ariſt.th.79.c.2.col.2. 561
ſpecies non actu, ſed potentia continentur in genere.th.5.c.2.col.2. 23
ſpecies qualitatis an ſint quattuor.theor.98. c.3.col.2. 769
ſpeciem ſenſibilem diſtinctam ab actu ſentiendi, non dari multis rationibus probatur. th.79.c.2.col.2. 561
ſpeciem ſine differentia concipere, eſt impoſſibile.th.96.c.1.col.1. 749
ſpecie quæ differunt, conueniunt in aliquo genere.th.64.c.2.col.2. 381
ſpecierum natura ignota. th.15.c.2.col.2.82
ſpecificum eſſe alicuius ſpeciei amittens,nihil eſt illius ſpeciei.th.60.c.3.col.1. 351
ſpecificum,et genericũ ſubiectũ.th. 5.c.2.23
ſpeculari aliquid,contingit duobus modis.th. 79.c.4.col.2. 567

ſphæra vltima non eſt in loco.theor.28.c.1.col.2. 149
ſphæricitas, paſſio cæli. theorem.5.c.1.col.1. 20
ſpirituale eſſe & ideale non impedit receptionem ſpiritualem aliarum rerum ſpiritualium.th.102.c.4.col.2. 793
ſpirituale, nobilius materiali.theore.76.c.2.col.2. 495
non verum vniuerſaliter. ibid.
ſtellæ innumerę cur ſint ĩ ſphęra ſuperiori, cũ in planetis vnica tantum ſit ſtella.th. 54.c.3.col.2. 288
ſubalternans, & ſubalternatę ſcientiæ diuerſę, ſed cognatę.th.12.c.1.col.1. 57
ſubiectum duplex.th.20.c.1.col.1. 104
ſubiectum duplex in ſcientijs.theore.5. ca.2.col.2. 23
ſubiectum duplex.th.73.c.5.col.1. 471
ſubiectum ſubſtratur toti ſcientię.theorem.6.c.1.col.1. 28
ſubiectum, & paſſio dupliciter accipiuntur.th.5.c.1.col.1. 20
ſubiectum idem, quod demõſtratio.th.6.cap.3.col.2. 30
ſubiectum eſt cauſa paſſionis.theor.13.cap.4.col.2. 64
ſubiectum, & forma ſubiecti quomodo ſint vel non ſint idem.th.13.c.5.col. 1. 68
ſubiectum proprium, & ſubiectum primum in metaphyſica.th.6.c.3.col.2. 29
ſubiectum totius, & partis.th.5.c.2. 23
ſubiectum quid totale. th.6.c.2.col.2. 30
ſubiectum ſcientiæ inferioris in quo differat a ſubiecto ſuperioris.th.12.c.1.col.1. 57
ſubiectum logicæ eſt Syllogiſmus. thc. 6.c.1.col.1. 28
ſnbiectum ſcientię ſubalternatę, & ſubalternantis. ibid.
ſubiectum eſt ſcientiæ fundamentum.theo.2.c.2.col.1. 13
ſubiectum in ſcientia oſtenditur per demonſtrationem quia.th.2.c.3.col.1. 14
ſubiectum ſciẽtiæ quodnam ſit ſecundum Gregorium de Arimino.th.5.c.1.col.2. 19
ſubiectum in ſcientia eſt præcognitum.the. 2.c.3.col.1. 14
ſubiectum in tota philoſophia naturali eſt ſubſtantia corporea id eſt corpus naturale ſecundum Scotum.th.20.c.1.col.1. 104
ſubiectum in philoſophia naturali eſt corpus generabile, & corruptibile, ſecundum aliquos recentiores. th.20.c.3.col.1. 111
ſubiectum in Philoſophia naturali eſt illud cuius principium ſunt materia, forma, & priuatio. ibid.
ſubiectum in philoſophia naturali illud ſtatuitur, quod mouetur vt quod. ibid.
ſubiectum in philoſophia naturali, quodnam ſit.th.4.c.1.col.1. 18
ſubiectum in libris poſterior, quodnam ſit. th.19.c.2.col.2. 100
ſubiectum adæquatum.th.5.c.2.col.1. 23
ſubiectum adæquatum ſcientiæ quale ſit. th.20.c.1.col.1. 104
ſubiectum adæquatum an contineat habitum virtualiter.th 5.c.1.col.2. 19
ſubiectum adæquatum in duobus ſcientijs eſſe non poteſt.th.2.c.1.col.2. 11
ſubiectum generationis quodnam ponebatur ab antiquis.th.22.c.4.col.2. 133
ſubiectum genericum veritatum notitiam nõ gignit.th.5.c.2.col.1. 23
ſubiectum quidditatiue cognoſcitur, cum quidditatiua prædicata habentur. th.85.c.3.col.2. 646
ſubiectum materiale ſine reſtrictione æquale ſcientiæ.th.6.c.3.col.2. 30
ſubiectũ materiale extenſum, et amplum. ib.
ſubiectum cum intellectu facit notitiam.the.5.c.2.col.1. 23
ſubiectum non eſt vniuocum in quid, de ſuis paſſionibus.th.8.c.1.col.2. 41
ſubiectum debet eſſe vniuocum.the. 20.c.1.col.1. 104
ſubiectum à quibus conſtituatur.theore.3.c.1.col.1. 16
ſubiectum intelligi non poteſt eſſe diuiſum, & ſine proprio.th.13.c.4.col.2. 64
ſubiectum receptiuum formarum, eſt aliud et conditio illi neceſſaria ad recipiendum formas.th.73.c.5.col.1. 471

ſubiectum virtualiter continet omnes veritates ſcientiæ.th.13.c.1.col.1. 61

ſubiectum quodnam ſit in aliqua facultate . th.20.c.1.col.1. 104

ſubiectum an contineat omnes veritates. th. 5.c.1.col.2. 19

ſubiectũ neceſſario habet principia cognoſcendi, ſed nõ ita eſſendi.theor.20.cap.1.col.1. 104

ſubiectum motus proprie quid.th.20.cap.2. col.2. 108

ſubiectũ eſt cauſa habitus.theo.5.c.1. col.2. 19

ſubiectũ eſt cauſa radicalis, & prima in ſuo ordine. ibid.

ſubiectum continere virtualiter habitum ſtat dupliciter. ibid.

ſubiectum quo reſpectu modo notum, modo ignotum.th.2.c.3.col.1. 14

ſubiectum cauſaliter gignit , & virtualiter continet ſcientiam.th.5.c.2.col.1. 23

ſubiectum eſt cauſa virtualis veritatis propoſitionis.th.5.c.3.col.1. 26

ſubiectum eſſe cauſam cognoſcendi, quomodo intelligatur. ibid.

ſubiectum eſt cauſa cognitionis accidentium virtualiter.th.5.c.1.col.2. 19

ſubiectum ex ſe an producat ſciẽtiam ex ſe ipſo.th.5.c.2.col.1. 23

ſubiectum neceſſario non debet habere principia cognoſcendi.th.4.c.1.col.2. 18

ſubiectũ an præcognoſcatur quid rei, & quid nominis.th.3.c.1.col.1. 16

ſubiectum illud eſt, cuius partes, & paſſiones demonſtrantur.th.5.c.2.col.1. 23

ſubiectum an contineat propoſitiones immediatas virtualiter.th.5.c.1.col.2. 19

ſubiectum an ſit vniuocũ.th.4.c.1.col.1. 18

ſubiectum eſt analogum. ibid.

ſubiectum ingreditur neceſſario in definitione paſſionis.th.5.c.3.col.1. 26

ſubiectum non eſt aliqua ſpecies ſyllogiſmi. th.2.c.2.col.1. 13

ſubiectum ſine ſpecie aliqua ſyllogiſmi. ibid.

ſubiectum eſt prius, & magis motum. ibid.

ſubiectum oſtenditur a poſteriori. ibid.

ſubiectum quare ſit in ſcientia a poſteriori.th. 2.c.1.col.2. 11

ſubiectum continet virtualiter notitiam inhærentiæ paſſionis.th.5.c.3.col.1. 26

ſubiectum in ſcientia poteſt probari a poſteriori, licet non a priori.th.2.c.1.col. 2. 11

ſubiectum non ſemper præcognoſcitur eſſe.th. 6.c.3.col.2. 30

ſubiectum ponitur in omni genere demonſtrationis.th.2.c.2.col.2. 13

ſubiectum ponitur vt additum in definitione paſſionis.th.8.c.1.col.2. 41

ſubiectum includit prædicatum. the. 97.c.1. col.1. 763

ſubiectum quo inſtanti recipit eſſe, eodẽ amittit propriã paſſionẽ.th.34.c.2.col.2. 181

ſubiectum eſt tale , quia talis eſt forma in ſe ipſa.th.65.c.1.col.2. 303

ſubiectum nullum ſimul, & ſemel poteſt manere ſub contrarijs.th.61.c.3.col.1. 367

ſubordinatio plurium formarum ſubſtantialium in animali.th.73.c.3.col.1. 462

ſubſiſtens non poteſt habere duas formas ſpecificas, quarum vna non poteſt natura perfici ab altera.th.60.c.3.col.1. 351

ſubiectum non prædicatur de differentia , a qua conſtituitur in eſſe.th.95.c.5. 739

ſubſtantia duobus modis accipitur. th.65. c. 3.col.1. 389

ſubiectum magis denominatur a conditione per ſe , & eſſentiali ſui accidentis, quam a conditione accidẽtali eiuſdem.th. 89.c.1. col.2. 666

ſubiectum ſpecificum gignit ex ſe notitias.th. 5.c.2.col.1.in fine. 23

ſubiecti definitio. ibid.

Et th.eod.5.c.1.col. 2. 19

ſubiecti conditiones neceſſariæ quot, & quæ. th.4.c.1.col.1. 18

ſubiecti conditiones quæ. theor.6.c.1.col.1. 28

ſubiecti ſcientiæ vis.th.2.c.2.col.1. 13

ſubiecti ſpecifici, & generici definitio. theor. 5.c.2.col.1.in fine. 23

ſubiecto corrupto, omnia accidentia corrumpuntur.th.45.c.1.col.2. 247

ſubie-

ſubiecto per ſe noto non præcognoſcitur quid nominis.th.6.c.2.col.2. 29
ſubiecto nihil notius in ſcientia. theor.2.c.2. col.1. 13
ſubiecta ſpecialia ſub ente.th.20.c.1. 104
ſubſtantia triplex.th.20.c.3.col.1. 111
Et theoremate 32.cap.3.col.1. 172
Et theoremate 59.c.3.col.1. 340
ſubſtantia duplex.th.79.c.4.col.2. 567
ſubſtantia eſt res vera.c.2.col.1. 800
ſubſtantia per ſe ſtat, accidens vero in alio. theorema.31.c.1.col.1. 164
ſubſtantia corporea duobus modis conſideratur.theor.30.c.2.col.2. 160
ſubſtantia quattuor modis dicitur.theor.28. c.4.col.2. 157
ſubſtantia generās,quæ.th.36.c.1.col.1. 194
ſubſtantia perfecta,& imperfecta.theor.20. c.3.col.1. 111
ſubſtantia quæ eſt in genere dupliciter diuiditur in tract. form. c.6.col. 2. 810
ſubſtantia duobus modis conſiderata. th.90. cap.7.col.1. 683
ſubſtantia non per ſe ſola, ſed cum accidentibus exiſtit.th.22.c.3.col.1. 130
ſubſtantia quomodo intelligatur ab Ariſt. in definitione Auic.theor.28.c.2.col.2. 150
ſubſtātia ſi negetur eſſe genus vniuocū, multa ſequuntur abſurda. th. 30.c.2. 160
ſubſtantia eſt ens per ſe & primo: accidens eſt ſubſtantia per ſe,ſed non primo.theor.95. cap.6.col.2. 742
ſubſtantia eſt corporea & incorporea. th. 20. cap.1.col.1. 104
ſubſtantia animæ diſtinguitur in tres partes, ſcilicet in materiam,formam, & compoſitum.theor.67.c.2.col.1. 405
ſubſtantia non poteſt fieri ex non ſubſtantia. theor.28.c.2.col.2. 151
ſubſtantia eſt materia in qua. th.77.c.1. 498
ſubſtantia,prædicatum tranſcendens. th.96. cap.3.col.2. 757
ſubſtantia, vnde dicatur. ibidem.
ſubſtantia non immutat intellectum ad aliquam intellectionem ſui,ſed accidens. th. 88.c.1.col.2. 662
ſubſtantia cognoſcitur ex accidentibus. ibid.
ſubſtantia non immutat intellectum ad aliquam intellectionem ſui, ſed accidens. th. 85.c.3.col.2. 646
ſubſtantia, vt indiuiduum præcedit accidens. theor.90.c.7.col.1. 683
ſubſtantia non eſt ſenſibilis per ſe. theor. 66. c.1.col.2. 394
ſubſtantia quare corrumpatur.th.35.cap.1. col.1. 189
ſubſtantia poteſt recipere quantitatem.theor. 90.c.5.col.1. 679
ſubſtantia rerum generabilium,& corruptibilium qua menſura menſuretur.theo.50. c.1.col.1. 268
ſubſtantia in communi quid ſit. theor. 34. c.2.col.2. 182
ſubſtantia productiua accidentis. ibid.
ſubſtantia, cauſæ, & accidentia per quæ demonſtrentur.theor.16.c.1.col.1. 84
ſubſtantia eſt primi gradus neceſſitatis in tract. formal.c.3.col.1. 801
ſubſtantia an producat ſubſtātiam. theor.34. cap.2.col.2. 182
ſubſtantia per ſuam formam eſt principium actionis proprię immediatè.th.34.c.3. 186
ſubſtantia in tres partes diuiſa.theor.51.c.1. col.1. 269
ſubſtantia non continet virtualiter notitiā accidentiū communium.th.5.c.3.col.1. 26
ſubſtantia ſublata, tolluntur accidentia. th. 80.c.1.col.2. 576
ſubſtantia eſt prior natura,tempore,& cognitione, & id quomodo intelligatur ex ſententia Zabarellæ.th.30.c.1.col.2. 159
ſubſtantia eſt,quod per ſe ſtare poteſt. th. 26. cap.2.col.2. 144
ſubſtantia eſt immediatè effectiua accidentis. theor.74.c.3.col.2. 483
ſubſtātia diuerſa ratione tū ad mathematicū, tum ad phyſicū pertinet.th. 26.c.3. 146
ſubſtantia corporea naturalis,idem quod corpus naturale.th.20.c.1.col.1. 105
ſubſtantia naturalis corporea, ſubiectum in philoſophia naturali. ibidem.
ſubſtantia completa.th.26.c.2.col.2. 144

ſubſtantia completa.th.31.c.1.col.1. 164

ſubſtantia compoſita,& completa.th.39.c.1. col.2. 159

ſubſtantia caduca,& æterna.th.26.c.3.146

ſubſtantia caduca,& ęterna differunt.theor. 30.c.1.col.2. 159

ſubſtantia per quæ moueat intellectum.theor. 85.c.1.col.1. 643

ſubſtantia per quæ cognoſcatur.th.17.cap.1. col.2.88.& quomodo cognoſcatur. ibid.

ſubſtantia per ſe exiſtens duplex. th.22.c.1. col.2. 124

ſubſtantia per ſe eſt impartibilis. th. 82. c.1. col.2. 607

ſubſtantia nulla continet in ſe virtualiter effectum ſibi repugnantem.th.73.c.1. 456

ſubſtantia vt agat in ſubſtãtiã,non eſt opus approximatione locali.th.34.c.3.col.2. 186

ſubſtantiæ definitio inueſtigatur à poſteriori. th.17.c.1.col.2. 88

ſubſtantiæ corporeæ diuiſio.th.26.c.3. 146 Et theoremate vigeſimo, capite 1.col. 1. 104.& theor.64.c.1.col.2. 379

ſubſtantiæ diſtinctio.th.67.c.2.col.1. 405

ſubſtantiæ quidditas nõ poteſt cognoſci ab intellectu noſtro pro hoc ſtatu. theor. 88.c.1. 662

ſubſtantiæ cognitio habetur ex accidentibus. theor.87.c.1.col.1. 658

ſubſtantiæ,& accidentis cognoſcendi modus. theor.85.c.3.col.2. 646

ſubſtantiæ receptiuum nihil eſt generis ſubſtantiæ.th.22.c.2.col.1. 127

ſubſtantiæ tres.th.20.c.1.col.1. 104 Et theoremate 59.c.3.col.1. 340

ſubſtantiæ tres:& quæ ad phyſicũ,quæue ad metaphyſicum pertineant.th.63.c.1. 377

ſubſtantiæ an aliæ dentur præter materiã,formã,& compoſitum. th.59.c.3.col.1. 340

ſubſtantiæ corporeæ,& incorporeæ exempla. th.26.c.2.col.2. 144

ſubſtantiæ quare dicantur materiales,& cõpoſitæ.th.28.c.2.col.2. 150

ſubſtantiæ,& accidentia ſpiritualia.theo.66. cap.1.col.2. 394

ſubſtantiæ ſecundæ, & ſpecies fundantur in primis ſubſtantijs. ibid.

ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, ſunt extra omnem molem corpoream, nec ſunt in loco. th.81.c.2.col.1. 595

ſubſtantiarum abſtractarum proprietates nõ cognoſcũtur,& quare.th.13.c.1.col.1.61

ſubſtantiarum definitiones ſunt indemonſtrabiles.th.2.c.2.col.1. 13

ſubſtantiæ ſeparatæ,quare intelligant ſe per ſuam eſſentiam, anima rationalis non. th. 81.c.3.col.1. 601

ſubſtantiæ ſeparatæ magis ſunt actus, quam materiales.th.22.c.4.col.2. 133

ſubſtantiæ materiales,& abſtractæ,atque accidentia naturalia, per quæ cognoſcantur. theor.85.c.3 col.2. 646

ſubſtãtiæ abſtractæ an ſubiectum in metaphyſica ſint.theor.2.c.1.col.2. 11

ſubſtantię abſtractę quale ſubiectum ſint in metaphyſica.th.6.c.2.col.2. 29

ſubſtantię abſtractę continentur ſub genere ſubſtantię.th.64.c.1.379.negatur. theor. 64.c.2.col.2. 381

ſubſtantiam ſecundum ſpeciem non ſuſcipere magis,& minus,quomodo intelligat Ariſt.th.65.c.2.col.1. 387

ſubſtantia quomodo intelligatur non recipere magis,& minus ſecundum Ariſt. th. 65. cap.3.col.1. 389

ſubſtantiam eſſe purum nomen æquiuocũ,dicere,eſt abſurdum.th.26.c.2.col.2. 144

ſubſtantiæ abſtractę probantur dari in metaphyſica.th.2.c.1.col.2. 11

ſucceſſio duplex in motu.the.46.c.1. 251

ſucceſſio in alteratione quomodo fiat. th. 38. c.1.col.1. 204

ſucceſſio in alteratione dupliciter conſideratur. ibid.

ſucceſſio in motu eſt ex impotentia agentis. th.56.c.1.col.2. 299

ſucceſſio in motu qualis ſit.th.38.c.1. 204

ſucceſſiui nihil eſt actu niſi indiuiſibile.theor. 52.c.2.col.1. 272

ſucceſſio prouenit ex diſtantia extremorum. th.46.c.1.col.1. 251

ſucceſſio actu,& ſucceſſio ſecundum formam.

theor.

theor.38.c.1.col.1. 204
ſucceſſio, & mora in motu vnde proueniat. th.46.c.2.col.2. 253
ſucceſſiuum non eſt eodem modo, & vniformiter.th.52.c.2.col.1. 272
ſucceſſiuum an componatur ex diuiſibilibus, & ſit continuum.th.52.c.1.col.2. 270
ſummum,optimum,& perfectiſſimum.theor.54.c.1.col.2. 279
ſuperficies aquæ, & aeris licet fluat, ſitus tamen,& ordo ad vniuerſum non mouetur. theor.47.c.2.col.1. 258
ſuperior non perficitur ab inferiori.theor.79.c.2.col.2. 561
ſuperius habet ptrfectiorem virtutem agendi quam inferius.theor.77.c.1.col.2. 498
ſuperius includitur in ſuis inferioribus.theor.20.c.3.col.1. 111
ſuperius perficitur ab inferiori duobus modis. theor.79.c.4.col.2. 567
ſuperiora prædicantur de inferioribus per ſe in recto.th.26.c.2.col.1. 144
ſuperiora prædicantur de inferioribus per ſe in recto.th.31.c.3.col.1. 167
ſuppoſitum quomodo agat.th.87.c.2. 661
ſuſcipere magis, & minus, aliter in ſubſtantijs, & aliter in accidentibus contingit. theorema 65. c. 3.col.1. 389
ſuſcipere magis,& minus quid ſit.th.65.c.1.col.2. 383
ſyllogiſmus eſt inſtrumentum cognoſcendi. th.19.c.1.col.1. 97
ſyllogiſmus eſt methodus.th.2.c.3.col.1. 14
ſyllogiſmus obiectum logicæ docentis.theo.1.c.5.col.2. 9
ſyllogiſmus ſubiectum logicæ.th.6.c.1. col.1. 28
ſyllogiſmus eſt materia logicæ.th.1.c.2. 2
ſyllogiſmus vt ſit vera demonſtratio, quid requirat.th.11.c.1.col.1. 55
ſyllogiſmus ab effectu parit ſcientiam ſecundo modo. ibid.
ſyllogiſmus virtute continetur in inductione, enthimemate,& exemplo.th.6.c.3. 30
ſyllogiſmus,inſtrumentum artificioſum. ibid.
ſyllogiſmus eſt ſecunda intentio.th.1.c.3. 5
ſyllogiſmus neceſſarius.th.7.c.1.col.1. 35
ſyllogiſmum non eſſe ſubiectum,ſed inſtrumētum ſciendi,quomodo intelligendum.theorema 6.c.3.col.2. 30
ſyllogiſmo hypothetico nihil probatur. theor.2.c.2.col.1. 13
ſyllogiſmi quibus probat philoſophus Deũ carere magnitudine.th.54.c.1.col.2. 279
ſyllogiſmi qui dicantur demonſtrationes. th.11.c.1.col.1. 55

T

Tactus organum non recipit obiecta materialiter.th.102.c.4.col.2. 793
tale ſimpliciter eſt ſecundum formam illud in quo eſt forma.th.41.c.1.col.1. 226
talia ſecundario ſunt a primo talia. theor.81.cap.1.col.1. 594
tendere in ſuum locum eſt tēdere ad formam. theor.61.c.2.col.1. 365
theologiæ ſubiectum. th. 4.c.1.col.1. 18
theoremata in mathematicis quomodo demonſtrentur.th.13.c.3.col.1. 63
tempus quid ſit.th.49.c.1.col.2. 264
tempus duobus modis conſideratur. ibid.
tempus,id eſt motus primi cæli differt numero ab omnibus alijs motibus. ibid.
tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.th.80.c.2.col.1. 580
tēpus eſt quantitas continua.th.51.c.1. 269
tempus non eſt quantitas realiter diſtincta à motu.theor.49.c.1.col.2. 264
tempus eſt infinitum,& ſine limitibus.theor.37.c.2.col.1. 203
tempus eſt motus realiter primi cæli. th. 49.cap.2.col.1. 266
tempus eſt numerus motus.th.20.c.2. 108
Et theoremate 49.c.2.col.1. 266
tempus eſt menſura motus octauæ ſphæræ. th.49.c.1.col.2. 264
tempus eſt menſura motus.th.47.c.1. 256
tempus an differat à motu.th.49.c.2. 266
tempus neque ſucceſſiuum babet eſſe vniformiter ſemper.th.52.c.2.col.1. 272
tempus cognoſcitur ex priori, & poſteriori in motu.theor.49.c.1.col.2. 264
tempore menſurantur omnia variabilia. theor.

theor.50.c.1.col.1. 268
terminus propriè quid.th.7.c.2.col.1. 37
*terminus cauſarũ, nihil eſse poteſt,& habere exiſtentiam, niſi ſingulare.th.93.c.2.*708
terminus primus intellectus agẽtis.theorem.79.c.4.col.2. 567
terminus intellectus agentis eſt realis, & vnus. ibid.
*terminus generationis duplex.th.21.c.4.*123
terminus proprius generationis eſt forma in materia.th.21.c.3.col.1. 119
termini quare ſint reciproci.the.10.c.3. 50
termini propoſitionis vniuerſalis debent eſſe æquales,& conuertibiles.th.14.c.2. 71
termini diuerſi, eandem rem diuerſe ſignificant.th.7.c.2.col.1. 37
termini motus, & ſubiectum realiter differre debent.th.44.c.2.col.2. 243
terminis cognitis cognoſcitur propoſitio per ſe nota.th.7.c.1.col.1. 35
terminus vltimus eſt actio.th.77.c.1. 518
*D.Thomæ quomodo velit ſubſtantiã recipere magis, & minus.th.65.c.3.col.1.*589
D.Thomas, & Scotus quomodo varient in ente,quod ſit vniuocum & analogum.th.95.c.3.col.2.prope finem. 732
topica procedit ex communibus.th.1.c.2. 2
totalis cauſa omnium intellectionum an ſit anima,reſpondet negatiue.th.77.c.1. col.1.prope finem. 519
totum nil aliud eſſe quam ſuæ partes, id quomodo intellexerit Auer.th.21.c.2. 117
totum eſt aliud ens à ſuis partibus ſeiunctim, & coniunctim.ibidem.rationes negantes. ibidem.Reſpõſio vniuerſa ad rationes Scoti.confutatio opinionis contrariæ.theo.21.c.3.col.1.119.ſolutio rationum aduerſarum.th.21.c.4.col.1. 123
totum non poſſe mouere ſeipſum, an ſit vera propoſitio.th.61.c.4.col.1. 369
totum dicitur, quia potentia inferiora continet.th.83.c.8.col.2. 627
totum ad cõſtituẽdũ an requiratur vnio partium ad inuicem.th.21.c.3.col.1. 119
totum habet eſſentiam, & naturam aliam ab eſſentia & natura partiũ.th.28.c.4. 155
totum a quo remouetur, & qualibet pars totius.th.60.c.3.col.1. 351
totum aggregatione,& totum eſſentiale. th.21.c.1.col.1. 115
totum coniunctim,& diſiunctim.th.73.c.3.col.1. 462
totum vnum per accidens non eſt ſuæ partes.th.21.c.1.col.1. 115
totum realiter diſtingui a partibus ſuis,dupliciter intelligitur.th.21.c.4.col.1. 123
totum realiter diſtinguitur a ſuis partibus.th.21.c.3.col.1. 119
totius entitas poteſt intelligi abſque entitate ſuarum partium.th.21.c.4.col.1. 123
tractata in logica, quæ reducantur ad ſyllogiſmum.th.6.c.1.col.1.28.& cap.2.col.2. 29
tractata in logica,quæ ſint.theorem.6.cap.1.col.1. 28
tractatus de formalitatibus cur ita inſcribatur.c.1.col.1. 798
*tranſitus de vno eſse ſpecifico ad aliud abijcit primum eſſe penitus.th.60.c.3.col.1.*351
tranſitus de genere in genus non fit. th.1.ca.4.col.1. 8
tranſmutatio omnis cauſatur ab agente extrinſeco.th.33.c.1.col.1. 176
tranſmutatio requirit ſubiectum vnum numero.th.27.c.1.col.1. 147
tria requiruntur ad vnitatẽ numeralem motus.th.42.c.2.col.1. 232
tria quæ ſunt in regreſſu.th.9.c.1.col.2. 43
tria ad ſimplicitatem motus requiſita. theor.62.c.1.col.2. 374
tribus modis conſiderari poteſt appetitus;vel ratione fundamenti, vel ratione propria, vel ratione obiectorũ.th.101.c.1.col.2. 783
tria in generatione mixti.th.60.c.5. 357
tria dita ab Alexandro de intellectu in actu.th.81.c.2.col.2.prope finem. 595
triſtari et gaudere ſunt operationes totius cõiuncti,non animæ per ſe.th.74.c.1. 474
turris in aqua continuo fluente manet ſemper in eodem loco:id quomodo verificetur.th.47.cap.1.col.2. 256

Varie-

V

Varietas ſignificationis definiti, & definitionis eſt ex natura terminorum. theor.7.c.2.col.1. 37
vegetatiua, & ſenſitiua ſunt eadem cum anima intellectiua, diuerſæ in animatis cæteris.th.72.c.2.col.2. 449
vegetatiua, & ſenſitiua continentur realiter vnitæ in anima, formaliter vero diſtinctæ. ibidem.
vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua partes animæ.th.72.c.1.col.1. 447
vegetatiua eſt in ſenſitiua potentia. th. 72. cap.2.col.2. 449
vegetatiua in planta eſt anima. th. 74. c. 2. col.2. 477
vegetalis formaliter, & actu continetur in rationali.th.72.c.3.col.2. 453
velox dictio, quam habeat expoſitionem. th. 52.c.2.col.1. 272
velox, & tardum, quid.th.49.c.2.col.1. 266
velocitas, & tarditas duplex in motu. theor. 46.c.2.col.2. 253
veritas non euidens quomodo probetur. th. 1.c.1.col.1. 1
veritate deducta ex effectu proceditur ad cognitionem cauſæ.th.11.c.1.col.1. 55
veritates paſſionum non continentur in ſubiecto primo.th.5.c.1.col.2. 19
veritates neceſſariæ, & euidentes accipiũtur vel a cauſa, vel ab effectu.th.10.c.1. 47
veritates, idem quod propoſitiones veræ. th. 5.c.3.col.1. 26
verum an ſit obiectum intellectus. theor.85. c.4.col.2. 652
via prædicata eſſentialia ſpeciei cognoſcendi. theor.17.c.1.col.2. 88
via vnica cognoſcendi medium neceſſarium. theor.14.c.5.col.1. 80
via inueniendi partes definitionis ſubſtantiæ. theor.16.c.1.col.1. 84
via declarãdi actiones, & munera intellectus agentis.th.78.c.2.col.1. 537
vigor infinitus in Deo quam habeat intelligentiam.th.54.c.1.col.2. 279
violentus motus nullus in cęlo. th. 63.cap.1. col.2. 377
ventriculum medium inſeruire tribus potentijs ſenſitiuis dici non poteſt.th. 100. c. 1. col.2. 778
vindicandi actus vel quaſi iuſtitiæ retributiuæ, puta obſequendi benefacientibus, & puniendi offendentes, videtur etiam eſſe in brutis.th.80.c.2.col.1. 580
violentum quidnam ſit. th. 33. c.2. 177
virtus infinita non datur in corpore finito. th.54.c.1.col.2. 279
virtus infinita in vigore, & virtus infinita in duratione.theor.55.c.1.col.1. 293
virtus infinita in vigore non mouet immediate mobile.th.75.c.1.col.1. 488
virtus ſeminis duplex.theor. 69. c. 2. col. 2. prope finem. 433
virtus cognoſcitiua fit res cognita.th.85.c.3. col.2. 646
virtus ſuperior poteſt, quod poteſt virtus inferior.theor.84.c.2.col.2. 638
virtus quando eſt maior cæteris paribus, &c. theor.54.c.3.col.2. 288
virtus cognoſcens actum, aliquo modo etiam cognoſcit obiectum.th.80.c.2.col.1. 580
virtus omnis appetitiua, ſenſitiua, & extenſa determinatur ad certũ genus appetibiliũ ſibi conueniens.th.67.c.2.col.1. 405
virtus cognoſcitiua eſt quæ apprehẽdendo delectatur, vel triſtatur.th.101.c.1. 784
virtus appetitiua non diſtinguitur a virtute cognoſcitiua. ibid.
virtutes ſeminum diuinæ ſecundum Galenũ theor.79.c.1.col.1. 549
viſiua potentia eſt, quod quid eſt oculi. theor. 67.c.2.col.1. 405
vitandi appetitus vel proſequendi aliquid neque inter ſe, neque a ſenſu re diſtinguuntur, ſed ſolum ratione. th. 101.c.1. 784
vitæ gradus appellantur potentiæ ab Ariſtot. th.74.c.2.col.2. 477
viuimus, quo primũ ſentimus, mouemur, & ratiocinamur, ergo anima eſt forma viuentis, ſentientis, mouentis, & ratiocinantis. th.67.c.2.col.1. 405
vis cognoſcens quo præſtantior, eo præſtãtiori indiget

indiget externo.th.81.c.1.col.1. 594
vis efficiendi aliquid eſt inſeparabilis a radice a qua prouenit.th.34.c.3.col.1. 186
viſio quomodo fiat, & quid ſit. theor.79.c.2.col.2. 561
vitæ gradus diuiſio.th.74.c.2.col.2. 477
viuens quare non ſemper augeatur, cum nutriatur ſemper.th.40.c.5.col.1. 222
viuentium naturaliſſimum eſt ſibi ſimile procreare.th.71.c.2.col.2. 443
viuentia in initio ſui ortus ſunt humidiſſima. theor.40.c.6.col.2. 223
vna neceſſario debet eſſe materia, quia unitas eſt paſſio entis.th.27.c.1.col. 2. ſub finem. 147
vna res quod duobus modis cognoſcatur, non eſt inconueniens.th.25.c.1. col.1. 138
vniuerſale quid ſit.th.94.c.1.col.1. 716
vniuerſale duobus modis conſideratur.theor. 83.c.8.col.1. 628
vniuerſale eſt in pluribus, & prædicatur de pluribus.th.79.c.4.col.2. 567
vniuerſale eſt obiectum intellectus. ibidem.
vniuerſale fit ſolum ab intellectu.th.90. c.3. col.1. 674
vniuerſale eſt actu intelligibile, ſingulare potentia.th.84.c.3.col.1. 642
vniuerſale non cognoſcitur à ſenſu. theorem. 67.c.2.col.1. 406
vniuerſale ſecundum rationem, ſingulare ſecundum ſenſum eſt notum.th.84.c.1. 636
vniuerſale habet rationem totius.th.83.c.8. col.1. 628
vniuerſale qua cognitione cognoſcatur. ibid.
vniuerſale conceptum in ſingulari, non concipitur ſecundum totam indifferentiam. th. 79.c.2.col.1. 549
vniuerſalia intelligantur cum abſtractione à materia.th.67.c.2.col.1. 405
vniuerſalia cognoſcit intellectus quæ & ſenſus.th.80.c.2.col.1. 585
vniuocè, & æquiuocè producta ſunt eiuſdem ſpeciei, licet ſint diuerſo modo producta, et genita.th.71.c.1.col.2. 439
vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius eſt. th. 83.c.5.col.1. 622
vniuerſale eſt quod abſtrahitur à ſingularibus completis.th.31.c.3.col.1. 167
vniuerſale eſt quod abſtrahitur a ſingularibus.th.26.c.2.col.2. 144
vniuerſalia ſunt nobis notiora cognitione confuſa.th.83.c.7.col.2. 626
vniuerſalia minus præſupponūt magis vniuerſalia.th.73.c.3.col.1. 461
vniuerſalia ſunt nobis notiora.th.18.c.2. 94
vniuerſalia magis non ſunt primum cognitum.th.83.c.7.col.2. 626
vniuerſalia ſunt æterna.th.26.c.3.col.1. 146
vniuerſalitas in natura eſt ab intellectu. th. 93.c.1.col.2. 705
vniuerſitas cauſatorum cauſam habet.theor. 54.c.2.col.1. 284
vniuocum quid ſit.th.95.c.1.col.2. 726
Et theoremate 64.c.2.col.2.prope fin. 381
vniuocum quid dicatur, & quare.th.26.c.1. col.1. 143
vniuocū quare aliquid dicatur.theor.31.c.1. col.1. 164
vniuocum non ſaluatur in vno ſimpliciter, & in alijs ſecundum quid.th.95.c.5. 739
vniuocum omne cōtrahitur per aliquid quod eſt extra rationem ſui. ibid.
vniuocum, & æquiuocum contradictoriè opponuntur.th.20.c.1.col.1. 108
vniuocum ſuperius ponitur explicitè in definitione ſui inferioris. ibid.
vniuoca quæ dicantur.th.93.c.4.col.2. 714
vniuocata ſatis eſt quod cōueniant in aliqua natura communi.th.72.c.3.col.2. 453
vniuocum vnum quod ſecundum proprias differentias aliquid claudat, quod non clauditur in alio, non eſt inconueniens. theor. 95.c.6.col.2. 742
vniuocè in eodem conuenire non poſſunt, qui non capiunt idem per eſſentiam.theor.95. cap.5.col.2. 739
vniuocè prædicare, & eſſe vniuocum prædicatum, differunt.th.95.c.4.col.1. 737
vniuocatio duplex phyſica, & metaphyſica. theor.95.c.6.col.1. 744
vniuocatio generis ſeruatur, poſitis pluribus animab.in eodē cōpoſito.th.72.c.1. 447

vnio præſupponit extrema in eſſe.th.79.c.4. col.2. 567

vnio intellectus, & ſpeciei, facit vnum per accidens, ſecus de vnione materiæ, & formæ.theor.77.c.3.col.2. 526

vnio formæ, & materiæ.th.21.c.3.col.1. 119

vnionis nomine quid intelligat Ariſt. in definitione mixti.th.60.c.3.col.1. 351

vnitas eſt paſſio entis.th.90.c.2.col.1. 672 *Et th.27.c.1.col.1.* 347

vnitas ſpecifica, ſuper quam fundatur æqualitas, & ſimilitudo.th.93.c.4.col.2. 713

vnitas naturæ ſpecificæ.th.93.c.3.col.2. 709

vnitas naturæ ſpecificæ nō datur diſtincta ab vnitate numerali.th.87.c.1.col.1. 658

vnitas realis, cui reſpōdet entitas propria realis.th.93.c.3.col.2. 709

vnitas attributionis vbi eſt ſolū ibi numero, non eſt vniuocationis.th.95.c.5. 739

vnitas attributionis eſt vnitas minor vnitate vniuoca.th.95.c.1.col.2.726. vnitas vniuoca. ibid.

vnitati cuiuslibet reſpondet propria entitas. theor.90.c.9.col.1. 692

vnitatem largiens, largitur eſſe. th.58. c. 1. col.1. 323

vnitiuè cōtenta in aliquo, quæ ſunt idem realiter, & diſtincta formaliter, ſunt duplicis generis.th.74.c.1.col.1. 474

vnum tribus modis dicitur. ibidem. *Et theoremate 27.c.1.col.1.* 147

vnum quadruplex.th.90.c.9.col.2. 693

vnum eſt paſſio entis. ibid.

vnū analogice quid ſit.th.95.c.1.col. 2. 726

vnum, & ens conuertuntur.th.90.c.9. 692

vnum genere quæ ſint.th.90.c.8.col. 2. 687

vnum numero eſt incommunicabile pluribus. th.27.c.1.col.1. 147

vnum numero duobus modis dicitur. ibid.

vnum numero eſt, cuius materia eſt vna, & eadem.th.40.c.6.col.2. 223

vnum numero, & indiuiduum eſt, quod eſt diuiſum a quocumque alio. theor. 90.c.5. col.1. 679

vnum numero eſt id, cuius materia eſt vna. th.90.c.7.col.1. 684

vnum per ſe non fit ex duobus actibus. theor. 67.c.2.col.1. 405

vnum per ſe non fit ex oppoſitis differentijs. th.26.c.2.col.2. 144

vnum diuerſificari realiter ab altero, qua uia vſus eſt Ariſt. vt oſtenderet.th. 32. cap.1. col.1. 168

vnum primum in quodlibet genere. th. 95. cap.1.col.2. 726

vnum vnitate vniuocationis. ibid.

vna non duæ res fiunt ex poteſtate, & actu. theor.67.c.2.col.1. 405

volitio, & delectatio, an diuerſa, an eadē realiter.th.77.c.1.col.2. 499

volitio non eſt cauſa actiua delectationis ſed obiectum, nec receptiua ſed voluntas.ibid.

volitio an ſit in poteſtate naturæ, an vero in poteſtate alterius. ibid.

voluntas non poteſt pati ab alio, non loquēdo de Deo, & quare non.theor.77.c.1. 515

voluntas poteſt velle eodem modo præſentatum. ibid.

vox abſolutè prolata debet accipi in potiori ſignificatione.th.59.c.3.col.1. 340

vſus logicæ duplex.th.1.c.1.col.1. 1

vſus logicæ quid.th.1.c.1.col.1. 1

vt in potentia: hæc verba quid importent in definitione motus.th.33.c.3.col.1. 178

Z

ZAbarella tandem fatetur velit nolit de medio in demonſtratione potiſſima. theor.13.c.4.col.2. 64

FINIS.

THEOREMATA LOGICA.

THEOREMA PRIMVM.

Logica eſt ſcientia.

Poſitio opinionis Scoti cum ſuis rationibus. Caput Primum.

SCotus in prima quæſtione Vniuerſalium ſuſtinet, quod Logica eſt Scientia, ſed diſtinguit, quod duplex eſt Logica ſcilicet docens, & vtens. Docens eſt illa cognitio, quæ traditur de hac facultate, & habitu logico in lib. logicis, vtens eſt eadem Logica quatenus applicatur alijs Scientijs per vſum. Quoniam autem hic vſus, & applicatio poteſt eſſe duplex, hinc oritur ambiguitas de Logica vtente; Ideo ſciendum eſt, quod Logica poteſt conſiderari quatenus tota inſeruit alijs Scientijs, quia eius ſubiectum inſeruit omnibus ſcientijs, & ſecundum hunc modum applicationis Logica vtēs eſt tota Logica docens quatenus tota inſeruit alijs. Altero modo Logica applicatur quatenus largitur ſcientijs omnibus quaſdam rationes communes, & argumentationes, quæ communiter dicuntur rationes Logicæ, & Dialecticæ, quia procedunt per locos Topicos, & communes, & inuentæ ſunt à Logica propter diſputationem, & hoc modo etiam Logica dicitur vtens, & hæc Logica verè eſt Logica in vſu poſita, & qui periti ſunt in illa ſolent cõmuniter dici boni Logici; procedunt enim per quaſdam regulas Logicas, quæ quandoque doctorum virorum ingenia defatigant magis, quam rationes ex re ipſa deductæ, ita quod poteſt conſtitui talis diuiſio. Logica duplex. Docēs, & Vtens, Vtens iterum duplex, vel vtens pro tota Logica in vſu poſita, vel vtens pro rationibus Logicis, quibus vtuntur omnes ſcientiæ, & tunc ad mentem Scoti ſunt tres concluſiones.

Prima Logica docens eſt ſcientia, ſecunda Logica vtens primo modo non eſt ſcientia, tertia Logica vtens ſecundo modo non eſt ſcientia. *Prima cõcluſio* Prima concluſio primo probatur ſic. Scientia eſt effectus demonſtrationis, in Logica multa demõſtratiuè concluduntur, ergo Logica eſt ſciētia. *Prima rõ* Maior eſt clara ex primo lib. poſt. in 2. cap. in initio. Minor probatur, quia ab Ariſtotele fiunt multa argumenta ad oſtendendum multas concluſiones in lib. poſt. & in alijs. Vnde hæc concluſio demonſtratio eſt ex propoſitionibus per ſe, & vniuerſalibus probatur ab Ariſt. in 6. cap. primi poſt. Item principia ſunt certiora concluſione. Item non poteſt fieri tranſitus de Genere in genus in demonſtrationibus, & aliæ quamplurimæ concluſiones ab Ariſtotele in illis probantur ex quibus integratur habitus Logicæ cognitionis, ergo hic habitus Logicę cognitionis eſt ille, qui dicitur ſcientia, & ſic Logica eſt ſcientia. *Secũdarõ* Secundo Logicus eſt ſciens, ergo Logica eſt ſciētia, quia à concretis ad abſtracta vbi eſt prædicatio per ſe, tenet conſequentia, vt ſi dico album eſt coloratum, ergo albedo eſt color. Valet ergo conſequentia. Antecedens probatur, quia Logicus ſcit cauſam concluſionum, quas cognoſcit, ergo eſt ſciens.

Tertia rõ Tertio in Logica ſunt requiſita ad ſciē tiam, ergo eſt ſcientia. Conſequentia probatur; quia illa facultas, quæ habet conditiones requiſitas ad ſcientiam eſt ſcientia. Antecedens probatur; quia in Logica eſt ſubiectum, & paſſio demõſtrabilis de ſubiecto, & principia, per quæ poteſt demonſtrari, vt definitio ſubiecti.

Secũda cõcluſio Secunda concluſio non habetur explicite à Scoto, tamen deducitur, & eſt clara: quoniam Logica vtens primo modo nil aliud eſt niſi Logica docens vt applicatur, ſiuè vſus inſtrumentorum Logicæ do-

cæ docentis?modò clarum eſt, quod talis vſus, & applicatio non eſt ratio conſtituens aliquid in genere ſciẽtiarum, quod declaratur, quia cum ponimus aliquam conditionem ſpecificantem ſuper rẽ conſideratam reſtringimus rem, & cõſiderationem eius tantum ſub tali conditione, vt ſi quæramus, an homo vt Piſcator ſit diſciplinæ capax? conſidero hominem prçciſè vt eſt Piſcator, abiungendo ab ipſo & rationale, & animal, & alia, quæ in eo ſunt; ita quod homo in hac conſideratione eſt prçciſè Piſcator, & conſidero an hæc ratio vt piſcator, ſit homini ratio eſſendi diſciplinæ capax. Ita in propoſito cum quærimus an Logica vt in vſu poſita ſit ſcientia; Intelligimus præciſè Logicam ſub applicatione ſuorum inſtrumentorum ad alias ſcientias, & prçſcindimus habitum, cognitionẽ, & omnia alia, quæ ſunt in Logica; ita quod remanet tantum Logica ſub applicatione illa, & vſu, & ſic eſt quærere an hic vſus, & applicatio ſit ratio ipſi Logicæ eſſendi ſcientiam. ſed hoc eſt impoſſibile. Probatur quia nulla qualitas ponitur in eſſe qualitatis per aliquid alterius generis; ſed ſcientia omnis eſt qualitas, ergo nulla facultas conſtituitur in eſſe ſcientiæ, & qualitatis per aliquid alterius generis. Subinfero, ſed vſus, & applicatio eſt vel de genere actionis, vel de genere relationis; non eſt autem de genere qualitatis, ergo talis vſus, vel applicatio non poteſt eſſe ratio conſtitutiua Logicæ in genere ſcientiæ, & qualitatis. Probatur antecedens, quia vſus eſt exercitium, exercitium eſt actio, vel vſus eſt applicatio Syllogiſmi, & applicatio eſt habitudo ſyllogiſmi inſtrumenti Logici ad aliam ſcientiam; ſed hęc habitudo eſt relatio vt patet, ergo hic vſus eſt de genere relationis, & ſic apparet, quod hæc applicatio non eſt ratio conſtitutiua ſcientiæ.

Tertia cõcluſio Tertia concluſio probatur à Scoto, quia Logica vtens ſecundo modo non procedit per media neceſſaria, ſed communia. Quod autem hæc ſit intentio Scoti conſpicitur ex hoc, quia in prima quæſtione dicit, quod Logica vt vtimur ea applicando eam ad alias ſcientias, non eſt ſcientia: quia procedit ex communibus, in ſecunda quæſtione vero dicit Logicã eſſe ſcientiam communem, quia illa vtimur, & applicamus ad alias ſcientias: vbi apertè ſibi contradiceret, niſi dicamus quod in prima quæſtione loquitur de Logica vtente ſecundo modo. In ſecunda verò loquitur de Logica vtente primo modo, quæ in ſe eſt ſcientia, ſed ſcientia communis; non autem propter illum vſum & applicationem, hic enim non habet talem vim, ſed eſt ſcientia communis: quia eſt de ſubiecto, quod eſt commune inſtrumentum inſeruiens omnibus ſcientijs.

Rationes, & poſitiones aduerſariorum. Cap. II.

Prima ratio GRæci omnes, & Zabarella lib. 1. de natura Logicæ cap. 3. tenent, quod logica docens non ſit ſcientia. Prima ratio, omnis facultas, quæ ſcientia dici debet, eſt de obiecto neceſſario, & æterno, ex Ariſt. 6. lib. ad Nicomachium cap. 3. & ex 1. poſt. cap. 2. in definitione ſcire; At logica verſatur circa ens rationis, quod ſollummodò eſt cum ſit ab intellectu, & illo ceſſante, ceſſat, & ſic eſt contingens, quod pro noſtro arbitratu ſit, ergo logica non eſt ſcientia Hæc minor eſt conceſſa communiter.

Secũda. Secundò arguunt, à Scopo, & fine; Scopus ſcientiæ eſt cognitio rerum contemplatarum, artium verò ſcopus non eſt cognitio, ſed effectio, quia omnis cognitio artis dirigitur ad effectionem; at ſcopus logicæ non eſt cognitio ſyllogiſmi, ſed effectio ſyllogiſmi; docet enim efficere ſyllogiſmum, & tota cognitio, quæ in logica habetur, dirigitur ad effectionem ſyllogiſmi, ergo logica non eſt ſcientia, ſed potius Ars; quia ſcientia habet pro ſcopo cognitionem, non effectionem; Ars verò effectionem, non cognitionem.

Tertia. Tertiò Ariſt. 1. lib. Priorum in principio ſecundæ, & tertiæ ſectionis aſſerit ſe generationem ſyllogiſmorum docere, ſcilicet quomodo faciendi ſint, & quomodo à nobis facilè fieri poſſint, ergo hic eſt modus tradendi artem, non ſcientiam:

quia

quia & ſi quis vellet docere artem edificatoriam nil aliud doceret, niſi quomodo ſit facilè, & bene edificanda domus.

Quartò. Quartò Ariſto. 1. Topicorum cap. 9. tria genera problematum enumerat, ſcilicet actiuum, contemplatiuum, & logicum, & ait, actiuum problema eſt vtrum voluptas ſit bona, contemplatiuum an mundus ſit æternus. Logicum an detur quarta ſyllogiſmorum figura. Deinde ponens diſcrimen inter illa problemata, illud deſumit à fine, & à ſcopo; Vnde ait, quod actiuum per ſe reſpicit fugam, vel electionem. Contemplatiuum cognitionem; Logicum verò vtrique parti Philoſophiæ inſeruit, ait ergo quod problema logicum non parit ſcientiam cum ipſum à contemplatiuo, & ſcientifico diſtinguatur ab Ariſtotele per hoc quod tantum contemplatiuum faciat ſcientiam, & confirmatur ex alijs verbis Ariſtotelis in eodem cap. quæ ſunt, quædam enim problemata vtile eſt ſcire tantum ad eligendum, vel fugiendum, vt an voluptas ſit eligenda nec ne; quædam autem ad ſciendum tantum, vt an Mundus ſit Æternus nec ne; quædam verò per ſe ad neutrum horum; adminiculantia autem ſunt ad aliqua tantum, pleraque enim ipſa cognoſcere per ſe non volumus, ſed aliorum gratia, vt per illa aliud quidpiam cognoſcamus.

Contra ſecūdā cōcluſionē. Contra ſecundam cōcluſionem arguit Zabarella cap. 5. de natura logicæ 1. lib. & ſuſtinet logicam vtentem, ſiuè in vſu poſitam, & Philoſophiæ applicatam eſſe ſcientiam, & probat ſic. Logica eatenus eſt ſcientia quatenus parit ſcientiam, at logica non per ſe, ſed ſolùm cum applicatur ſcientijs, & Philoſophiæ, facit ſcientiam ex Ariſtotele in citato loco, ergo logica ſcientijs applicata, & in vſu poſita eſt ſcientia, & eſt eademmet ſcientia, cui applicatur, vt logica applicata Philoſophiæ naturali nil aliud eſt niſi Philoſophia naturalis, nil enim aliud eſt Philoſophia naturalis, niſi congeries demonſtrationum, ſyllogiſmorum, & propoſitionum in rebus naturalibus formatarum, & ita logica applicata non amplius nomen logicæ retinet, ſed fit illa ſcientia, cui applicatur.

Ad rationes Scoti. Ad rationes Scoti Reſpondet ca. 6. & quia innituntur omnes ferè eodem medio, ad omnes ſimul reſpondet quod ſi valerent, ſequeretur, quod ars edificatoria eſſet ſcientia, & omnes Artes effectrices eſſent ſciētiæ, quia ſi ſtatuatur aliqua ars docens, vt Medica, vel ædificatoria, illa quoque habebit proprium ſubiectum, de quo multa demonſtrabit per propria illius principia, quia omnis doctrina fit ex præcognitis per diſcurſum à noto ad ignotum; falſum autem eſt dicere, quod Medica, & cæteræ artes ſint ſcientiæ, ergo licèt in logica fiant demonſtrationes, non propter hoc logica eſt ſcientia; quod ergo ait Scotus logicus eſt ſciens, logicus demonſtrat concluſiones in logica, negādum eſt illud fundamentum: quia non habet logica ſubiectum æternum per ſe cognoſcibile, quale requirit ſcientia ſpeculatiua, & conſequenter non habet ea omnia, quæ requiruntur ad veram demōſtrationem, nec valet ſi quis dicat, quod Ariſtoteles habet in logica multas propoſitiones neceſſarias, ex quibus facit demonſtrationes, quia illæ propoſitiones non ſunt neceſſariæ per ſe, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, ſcilicet ex conſtitutione finis, ſicuti & in alijs artibus, nam conſtituto hoc ſiue ſcientiam eſſe indagandam, multæ propoſitiones ſunt adducendæ, quæ poſtea ſunt neceſſariæ.

Ad rationē pro tertia cōcluſione. Ad rationem pro tertia concluſione reſpondet, quod Scotus deceptus eſt, vel alios fallaci ratione decipere voluit: verum enim eſt quod Topica procedit ex communibus, non autem logica in vſu poſita: putauit enim, quod quando Scotus dixit logicam vt applicatam ſcientijs non eſſe ſcientiam, & probauit per hoc, quod talis logica procedit per media communia, intelligeret de logica vtente primo modo, quod tamen exiſtimare non debebat, ſi rectè conſideraſſet Scotum, & non pingui minerua: clara enim eſt ſententia ſua, quod intellexit de logica vtente ſecundo modo, quæ eſt logica, quæ diſputat, & ratiocinatur de omnibus entibus per media communia vt diximus.

Tandem ponit propriam opinionem,

Opinio Zabarellæ. quæ eſt opinio Græcorum, & conſiſtit in hoc quod logica eſt inſtrumentum, & ſic logica eſt diſciplina inſtrumentalis, quæ opinio probatur ex confutatione aliorũ opinionum; nam cum non ſit ſcientia, neque Ars, neque facultas, & ſcopus eius ſit in ordine ad alias ſcientias, & doceat inſtrumentum, quod eſt ſyllogiſmus, debet dici inſtrumentalis, & continetur ſub habitu ſcientiæ cui inſeruit, nam Ariſtoteles ſolùm numerauit habitus principales in ſexto libro ad Nicomachium ca. 3. & quia logica eſt habitus minus principalis, ideo non debuit nominari per ſe, tamen ſubintelligitur contineri ſub ſuo habitu principali, cui inſeruit, qui eſt ſciẽtia, vt ſi quis interrogatur diſcedens Patauio, quo eat, reſpondeat Romam, intelligit etiam ſe velle ire Florentiam, & Bononiam; licet illas non nominet, quia per illas Ciuitates neceſſariò tranſire debet; non nominat autem, quia non ſunt eius ſcopus præcipuus. Ita Ariſtoteles inter habitus intellectus nominauit ſciẽtiam, & ſub illa intellexit ſuum inſtrumentum, quo acquiritur; ita quod logica licet ſit inſtrumentum, continetur tamen ſub habitu ſcientiæ.

Primara tio Balduini Balduinus quoque in ſua quæſtione an logica ſit ſcientia arguit contra Scotum hac ratione. Logica docens, & vtens ſunt idem, ergo ſi vtens non eſt ſcientia nec docens erit ſcientia. Antecedens probatur, quia logica docens eſt vt actus primus; Vtens vt actus ſecũdus, modo actus primus, & ſecundus non differunt niſi ratione, ſed conueniunt ſubiecto, ergo & logica vtens, & docens ſunt idem ſubiecto, ideſt ſunt vnus, & idem habitus, ſed differunt ratione, ergo ſi vtens non eſt ſcientia, neque docens erit ſcientia. *Secũda ratio.* Secundo Ariſtoteles primo Topicorum cap. 9. (eſt etiam argumentum Zabarellę) diſtinguit ſcientias à fine, & ait quod finis logicæ non eſt operari, neque ſcire, ſed alijs adminiculari, & verba ſunt hæc (quædam enim problemata ad neutrum horum valent) Vbi apertè dicit, quod problema logicum non eſt, neque propter ſcire, neque propter operari, ſed propter vtrique adminiculari, & addit quod ſic ſunt multa, quæ non ſcimus propter ſe, ſed alia; quare apertè dicit quod problema logicum non parit ſcientiam. *Tertia rõ* Tertio ſi logica docens eſt ſcientia, eſt maximè, quia in ipſa fiunt demonſtrationes, vt ait Scotus, ſed hoc eſt falſum; probatur falſitas, quia illa demonſtrantur quæ per ſe ſunt ignota ex primo Poſteriorum, quia ſcientia eſt de nouo, ideſt de rebus, quas prius nõ noueramus: ſed res logicæ non ſunt vniuerſaliter ignotæ; probatur; quia fiũt ab intellectu; at, quæ facit Artifex ſunt nota illi, ergo res logicæ non prius ſunt quam noſcantur, & ſic non ſunt vniuerſaliter ignotæ, ſed ſemper notę, ergo non eſt ſciẽtia de illis. *Quarta rõ.* Quarto modus conſiderandi ſumitur à modo definiendi; ſed quæcunque definiuntur in logica docente ab Ariſtotele per modum inſtrumenti definiuntur, ergo modus conſiderandi logicam eſt vt inſtrumentum, ergo non eſt ſcientia. Maior eſt Ariſtotelis ex Auerroe ſexto Metaphyſices textu ſecundo, minor patet inductione in omnibus definitionibus Ariſtotelis in logica. *Quinta rõ.* Quinto. Modus ſciendi non eſt ſcientia, logica eſt modus ſciendi, ergo non eſt ſcientia, Maior patet a ſimili, quia modus videndi non eſt viſus: Minor eſt Ariſtotelis ſecundo Metaphyſices textu primo abſurdum eſt quærere ſimul ſcientiam, & modum ſciendi; vbi Auerroes per modum ſciendi exponit logicam; Nec valet dicere quod logica eſt modus ſciendi non formaliter, ſed materialiter: quia eius materia eſt ſyllogiſmus, qui eſt modus ſciẽdi; illud enim ineſt formaliter alicui, quod eſt ratio formalis illius; ſed inſtrumentum eſt ratio formalis ipſius logicæ, ergo eſſe inſtrumentum per ſe, & formaliter, conuenit logicæ, & ſic illa propoſitio logica eſt modus ſciendi, eſt vera formaliter, maior patet. Minor eſt Ariſtotelis primo Topicorum, capite nono. Vbi ait Ariſtoteles, quod, quæ docentur in logica ſunt inſtrumenta adminiculantia alijs ſcientijs, ex hoc habet, quod modus conſiderandi logices eſt inſtrumentum; tunc arguit: ſed modus conſiderandi logices, eſt ratio formalis logices, ergo a primo ad vltimum illa propoſitio logica eſt modus ſciendi eſt vera formaliter. Sexto. Scientia non eſt ex communibus, ſed ex pro-

prijs;

Sexta rō. priis ; Logica eſt ex communibus , ergo non eſt ſcientia . Reſpondetur a Scoto, quod vtens eſt ex communibus, non docens,contra,quia vtens,& docēs ſunt idē, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo ſi vtens eſt ex communibus,docens quoque.

Opiniones aduerſariorum reijciuntur. Cap. III.

Quot et qui ſint habitus intellectus. PRo clara notitia opinionis Scoti , & veritatis,opus eſt videre quot, & qui ſint habitus intellectus ; nam logica certum eſt quod eſt habitus non corporis , neque ſenſus, neque appetitus , ſed intellectus , (loquor de logica docente de illa cognitione , quam tradit Philoſophus in libris logicis) ideo opus eſt quod reponatur ſub aliquo illorū;Ariſtoteles autem diuidit in cap. 3. ſexti libri ad Nicomachium habitus intellectus , in quibus eſt veritas,in quinque ſpecies, ſcilicet in Intellectum, Scientiam,Artem, Prudentiam, & Sapientiam, & declarat vnumquemque. *Prima rō.* Ex hoc colligo,quod ſuperuacaneus eſt alius habitus intellectualis , quem ponunt moderni quidam,volentes ſaluare logicam eſſe habitum intellectus, neque tamen eſſe ſcientiam , nec artem , & dicunt quod illi quinque enumerati ab Ariſtotele ſunt habitus principales , ſed præter eos dantur alij habitus inſtrumentarij,qui continent logicam, & grammaticam.Contra hos ego arguo ſic. Vel iſti habitus inſtrumentarij continent in ſe veritatem, vel non;non dices quod non ; quia huiuſmodi ſunt ſolum ſuſpicio , & opinio,vt dicit Ariſtoteles ibidem: in his enim duobus contingit quandoque eſſe falſum ; illi ergo habitus inſtrumentarij ſunt de numero eorum , qui continent veritatem; ſi ſic, ergo continentur in illis quinque, quos enumerauit Ariſtoteles ; quia ibi propriè Ariſtoteles enumerauit omnes habitus,in quibus eſt veritas affirmando, vel negando ; vel ergo eſt diminutus , vel ſub illis reponuntur . *Reſpōſio aduerſariorū.* At reſpondent , quod numerauit ſolum principales, non inſtrumentarios , & minus principales;tamen numerando principales quoquo pacto, & inſtrumentarios numerauit , ſicuti qui diſcedens Patauio , diceret, vado Romam, diceret quoque implicitè vado Florentiam , & Bononiam, licet non nominaret, quia ſubintelliguntur ; per has enim vrbes tranſire debet . *Reijcitur.* Contra, accipiatur vnus habitus inſtrumentarius iſtorum , vt puta hic, qui dicitur logica, vel iſte habitus inſtrumentarius continens in ſe veritatem , eſt eiuſdem ſpeciei cum altero horum habituum principalium , & habet omnes conditiones, quas habet ille principalis, vt ſcientia,vel eſt alterius ſpeciei , & conditionis;ſi primo modo,habeo intentum: quia ſic non debet ſtatuere aliam ſpeciem per ſe ; ſi enim habet eaſdem conditiones, & naturam , eſt fruſtra multiplicare habitus ; ſi verò eſt conditionis diuerſæ , non poteſt contineri ſub illo principali , neque nominando alterum illorum habituum , vt ſcientiam, intelligeremus iſtum habitum inſtrumentarium diuerſum , ſicuti , qui dicit hominē,non dicit equum, quia equus non cōtinetur ſub homine,& ſic male feciſſet Ariſtoteles nō enumerando ipſum explicitè cū ſub nullo illorū prædictorū reperiri poſſit.Ex quo colligo,quod hæc noua ſpecies habitus intellectus, quam vocāt habitum inſtrumentarium,vel eſt idem quod alter illorum habituum , vel Ariſtoteles fuit diminutus in enumeratione habituum intellectus. Si quis dicat parum differunt ab altero illorum , dico, quod quæcumque ſit illa differentia , ſequitur idem;quia vel illa differentia eſt eſſentialis,& ſic facit habitū diuerſum ſpecie, vel eſt accidentalis , & ſic erit idem ſpecie , quia accidentalia non variant ſpeciem . Exemplum illud de eo qui dicit , vado Romam,non eſt ad propoſitum,vt ex dictis qnilibet perſpicere poteſt ; quia illæ Ciuitates clauduntur neceſſario in itinere , quod facere intendit; ſed illi habitus inſtrumentarij , vel non ſunt quid diuerſum ab habitibus principalibus , vel ſunt quid diuerſum , & ſic non neceſſariò clauduntur ſub illis , & ſic particulariter debebat illos nominare . *Secūda ratio.* Sed vlterius oſtendamus , Grammaticam quam ponunt ſub hoc habitu inſtru-

mẽtatio eſſe idem cum altero illorum ab Ariſtotele enumeratorum, ſcilicet cum Arte. Definit Ariſtoteles 6. libro ad Nicomachium cap. 4. Artem ſic. Ars eſt habitus recta cum ratione effectiuus, & declarat, quod Ars verſatur circa illa, quę poſſunt generari, & fieri, & docet quomodo rectè fieri poſſit, & diſtinguitur ab habitu morali, quia ille eſt actiuus, Ars verò effectiuus: vnde effectio propriè, vt ibi tradit, eſt generatio eorum quæ ſunt extra nos, & eſt tranſiens; actio autẽ eſt immanens, & intra nos. Ex hoc colligo quod omnis habitus intellectualis docẽs cum recta ratione efficere aliquid, quod ſit extra nos, eſt Ars, vt Medica, Ædificatoria &c. Modò Grãmatica docet efficere locutionem rectam, & ſcribere rectè, & certè illud rectè pertinet ad effectionem: licet enim non ſit res, quæ manibus, pedibuſue efficiatur, vt Gladius &c. efficitur tamẽ lingua, & ſic eſt effectio materialis, non mentalis, quia eſt extra intellectum; vnde Muſica nulla alia de cauſa eſt Ars, niſi quia docet modulari vocem: ſic Grãmatica dum docet locutionem congruã, nil aliud docet, ſi rectè conſideretur, niſi modulare linguam, vt accordet, nõ autẽ diſſonet in pronunciando, quod pertinet ad effectionem: vnde iurè ab Antiquis ſemper Grammatica dicta eſt Ars. Docet quoque ſcribere, quę eſt effectio Characteris: neque em̃ cognitio rectè ſcribendi poteſt reduci ad alium habitum, niſi ad Artem. Ars autem per ſe non eſt, ſed pars Grãmaticæ, vt omnes fatentur. Ex his ſatis patet, quod illi habitus inſtrumentarij non dantur. Cum ergo logica ſit habitus intellectus, & non inſtrumentarius, ſed principalis, neceſſariò erit, vel Intellectus, vel Prudentia, vel Sapientia, vel Ars, vel ſcientia, at nemo dicit quod logica ſit Sapientia, vel Prudentia, vel intellectus, nos addimus non eſt ars, ergo erit ſcientia; quod autem logica non ſit Ars ſic oſtendo: Ars verſatur circa res effectibiles: illæ autem ſunt, quæ extra nos fiũt, & materialia, & corporalia sũt, ſiuè, quæ ab aliqua virtute corporea fiunt, vt patet de Arte Medica, Ædificatoria, & Grammatica, &c. quia vt dictum eſt, Ars eſt habitus recta cum ratione effectiuus; dictũ

Logica nõ eſt Ars.

eſt autẽ ex Ariſtotele vbi ſupra, quod effectio eſt rerum, quæ extra animũ noſtrũ sũt, & ſunt in corporibus. Hinc patet, qđ logica non ſit Ars, nam logica docet ſyllogiſmum, ſiue conficere ſyllogiſmũ, at cõfectio ſyllogiſmi non eſt effectio, quia ſyllogiſmus non eſt res corporea, neque ſit à virtute corporea, ſed à mente, & remanet in mente, non ergo logica eſt Ars; relinquitur ergo, quod logica ſit habitus intellectus, qui dicitur ſcientia.

Secundò principaliter probo, quod logica contineatur ſub ſcientia, ita quod ſit vna ſpecies eius, quod facilè patebit, ſi quid ſit ſcientia cognoſcemus; ſciẽtia igitur, vt docet Ariſtoteles 1. Poſteriorum in definitione ſcire, habet quatuor conditiones. Prima, quod res cognoſcatur per cauſam. Secundam propter quam cauſam ipſa res eſt, ſcilicet cauſam proximam. Tertiã, & quoniam illius eſt cauſa. Quartam demonſtrantem quod ſit certum rem aliter ſe habere non poſſe: ex qua definitione, & maximè ex vltima conditione (vt etiam libr. 6. de Moribus apertè explanat Ariſtoteles) deſumitur, quod obiectũ ſcientiæ eſt res neceſſaria, & æterna, quia res contingens non poteſt ſciri, & cognitio ipſius non poteſt habere has conditiones, quia nunquam animus ſciẽtia poteſt eſſe certus, quod illa res non poſſit ſe aliter habere, quia cũ ſit contingens, poteſt eſſe, & non eſſe, & mutari. Hæc ſunt, quæ dicit Ariſtoteles de ſcientia, tũ lib. 6. de Moribus ca. 4. tùm 1. Poſteriorum. Addũt aliqui, quod ſcibile ſciatur propter ſeipſum, & non in ordine ad aliud: ſed hæc conditio non apponitur ab Ariſtotele, neque debet apponi, quia cum eſt aliqua res neceſſaria, & eam cognoſco per cauſam, & cauſam proximam, & per diſcurſum ſyllogiſticũ, ideſt ſcio talẽ cauſam eſſe talis effectus cauſa, & ſum certus quod illa res non poteſt ſe aliter habere, dicor ſcire illã rem, & talis cognitio rei, eſt ſcientia vocanda, ſiuè illa res ordinetur, ſiuè nõ ordinetur ad aliud, nihil refert; nam nõ requiritur quod omne, quod ſcitur, propter ſe ſciatur; immò ſunt vilia quædã, quorum cognitio ſi ſpectetur dicẽda eſt indigna, licèt ipſa cognitio in ſe ſit perfectio intellectus. Ad propoſitum

Secũdarò prĩcipali.

Cõditiones ſcientia.

poſitum noſtrum logicæ videtur deficere hæc principalis conditio quod non eſt de obiecto neceſſario, quia eſt de ſyllogiſmo, qui eſt ſecunda intentio: at ſecunda intentio eſt tantum dum ſit, & arbitratu noſtro poteſt eſſe, & non eſſe, ergo obiectum eius eſt contingens, & ſic cognitio ipſius non eſt ſcientia, quia non habet cōditiones requiſitas ad ſcientiā. Sed ego arguo in oppoſitum; Logica eſt de obiecto neceſſario, ergo eſt ſcientia; vndè cū hæc ſola conditio videatur ei deficere, neque hæc ei deficiat, certè erit ſcientia. Pro intelligēdo hoc, ſciendum eſt, quod rerum neceſſariarum ſunt varij gradus; nō enim omnes ſunt eodem gradu neceſſitatis neceſſariæ. Subſtantia eſt in primo gradu neceſſitatis, quia ipſa eſt fundamentum omnium entium: Accidentia verò non ſunt ita neceſſaria, immò per ſe non ſunt neceſſaria, quia non habent eſſe, niſi quia ſunt in ſubſtantia, vt habet Ariſtoteles in 7. Met. tex. 3. vndè ſi ſubſtantia deficeret, non eſſent, & tamen de accidentibus, vt de quantitate eſt vna ſcientia, quæ eſt certiſſima, vt Mathematica. In tertio gradu neceſſitatis poſſumus ponere ſecūdas intētiones (nunc mirabile dicere videor, ſed ſi probetur nō erit amplius mirabile) declaro. Certum eſt quod lata eſt differētia inter figmētum, & ens rationis, quod eſt ſecunda intentio: nā figmētum, vt imaginatio Hircoceruì nullum fundamentum habet ī re reali, & neceſſaria, ſed eſt mera fictio, & imaginatio, & hæc eſt merè contingens, quia ſtat in arbitrio mentis meæ fingere, quod volo: At ſecundæ intētiones nō ſunt ſic, ſed habent fundamētum reale, & neceſſarium, nā cū dico ſpecies, non dico qd merè fictitiū, vt eſt Hircoceruus, ſed dico relationem factā à ratione fundatā in homine, leone & cæteris, q̄ ſunt entia realia, & neceſsaria, quę quidē relatio ēt ſi meus intellectus non laboraret, eſset ī homine, leone, &c. fundamentaliter, licet non eſset completa, & perfecta: quod perſpicitur, ſi cognouerimus quomodo fiant ſecūdæ intētiones, fiunt autē hoc modo; intellectus primò intelligit rē realē, vt hominē quo ad quid eſt, & hæc eſt prima intentio: quia eſt prima notio illius rei neceſſariæ, & realis; mox eādem

Quō fiant ſecunda ī tētio nes.

rem contemplatur iterum, & hæc eſt ſecunda notio, & ſtāte prima notione, quā habet de homine, cōſiderat in hac ſecunda, notione, quod habet aliqua inferiora, & ſuperiora, vt homo habet Franciſcum ſub ſe, & animal ſupra ſe; tunc intellectus conſiderans huiuſmodi reſpectum, vocat hoc nomine, ſpecies, quod nomē notat in homine duos reſpectus, ſuperioris, & inferioris; vnde ſpecies eſt, quæ prædicatur de indiuiduis, & eſt ſub genere: ergo ſpecies eſt nomen ſecundæ notionis, illa ſecunda notio, quæ notatur per hanc vocē ſpecies, eſt ille duplex reſpectus ſuperioris, & inferioris in homine. Modò videri poteſt an ille reſpectus ſit præcisè opus noſtrę mentis, certè nō: quia etiam conſideratione ſecunda intellectus ceſſante, ſtāte prima, ille reſpectus duplex inſurgit in homine fundamentaliter, licet nō completè, & perfectè; ergo ſecunda intentio, ſiuè ſecunda notio, eſt res realis, & conſequēter eſt neceſsaria, ſicuti homo eſt neceſsarius, Idem dicendum eſt de alijs. Si ergo iſte reſpectus eſt ſecūda intentio, nō video quomodo non ſit neceſſaria ſecunda intentio. Sed vndè eſt quod iſtæ rationes, &c; ſi reſpectus dicūtur entia rationis? dico, quod euenit, quia perficiūtur ab intellectu; non enim perfectè ſic ſunt in re, ſed ſolum fundamētaliter, intellectus poſtea illas per ſecūdam notionem obiectorum perficit, & ordinat, & proprijs nominibus ſignificat, & ideò dicūtur opus noſtri intellectus, & hoc eſt quod dicitur cōmuniter, q̄ ſecūdę intētiones fundātur in primis, ideò non ſunt merè opus intellectus, vt ſunt fictiones, vt Hircoceruus. Quod ſi quis obijciat nullam eſse differētiā inter figmentum, & ſecūdas intentiones, quia etiā figmentū habet fundamentum in re, etenim Hircoceruus fundatur in Hirco, & Ceruo, & Chimera, vt puta imaginatio animalis, quod habeat caput hominis, brachia leonis, vētrē bouis, &c. fundatur in animalibus iſtis, quæ ſunt entia realia. Reſpondetur, quod fundamentum quidem figmenti eſt reale, ſed figmentum non eſt reale, ſed quoniam figmentum eſt illa compoſitio, ſiue ille reſpectus, & ordo partium ad inuicem: at ille ordo, & cōpoſitio illa, nō oritur ex

Obiectio.

Reſponſio

natura illarum partium, immò ex natura partium oritur repugnantia, & impoſſibilitas, figmentum ergo ſecundum ſuam rationem formalem non habet fundamentum in re, ſed negationem, & repugnantiam: at ſecunda intentio ſecundum ſuam rationem formalem, & entitatem propriam, habet fundamentum in entibus realibus. Quia re vera in homine, leone &c. ex natura eorum exſurgit reſpectus ille ſuperioritatis ad indiuidua, & inferioritatis ad animal, & ideo diſtinguitur a figmento. His ſic ſtantibus, poſſumus nos ſic arguere. Quod eſt ens neceſſarium, poteſt eſſe obiectum ſcientiæ; ſecundæ intentiones ſunt ens neceſſarium, ergo ſunt obiectum ſcientiæ, ergo logica eſt ſcientia, quia eſt de ſecundis intentionibus tamquam de obiecto. Nota quod non dico, quod ſecundæ intentiones ſint communiter ſubiectum in logica; ſed dico ſic, quia ſyllogiſmus, qui eſt ſubiectum in logica, eſt ſecunda intentio. Probo minorem, quia ſecundæ intentiones exſurgunt, & pullulant à rebus neceſsarijs, & illis perpetuò inſunt; ergo & illæ ſunt neceſsariæ, ſicuti riſibilitas eſt neceſſaria, quia homini, cui ineſt, eſt res neceſſaria. Hinc patet quod rationes Scoti habent vigorem, & reijcitur ſolutio Zabarellæ allata ad eas, quia logica eſt de ſubiecto neceſsario, & cum in logica ſit ſubiectum neceſſarium, ſunt omnia requiſita ad demonſtrationem, quia ſub iectum habet definitionem, per quam oſtenduntur multæ paſſiones de ipſo ſyllogiſmo, &c.

Soluuntur rationes aduerſariorum. Cap. IIII.

Ad primam. AD obiectionem primam Zabarellæ patet ſolutio, quia aſsumit falſum, quod logica non ſit de ente neceſsario; *Ad ſecũdã.* Ad ſecundam de ſcopo, dico, quod ſi valeret ſecundum ſua principia probaret logicam eſse artem; quod nec tamen ipſe concedit; dico ergo quod logica docens docet formare ſyllogiſmum; ſed formatio ſyllogiſmi non eſt effectio. Quia non eſt actio materialis, neque erit extra limites intellectus; talis autem effectio eſt ſciẽtia de ſyllogiſmo; vnde dicere, docet efficere ſyllogiſmum, eſt dicere, docet cognoſcere bonum, & malum ſyllogiſmum; nã certè nil aliud facit in libris Poſteriorum, niſi quod docet cognoſcere quæ ſit bona demonſtratio, qua habita cognitione, nos poſtea formamus illas demonſtrationes, & hęc omnia in mente fiunt, vt cognitio aliarum ſcientiarum. Adeſt hæc differentia, quod hæc cognitio non eſt ita neceſsaria; per hóc idem patet ad tertiam. *Ad tertiã.*

Ad quartam. Ad quartam de primo Topicorum 9. dico, quod ibi Philoſophus non negat logicæ cognitionem eſse ſcientiam abſolutè; non enim excludit à Theoremate logico ſcientiam: ſed ſolum dicit quod eius finis eſt Philoſophiæ inſeruire; ait ergo ſolum quod non eſt propter ſe eius ſcientia & cognitio, ſed propter aliud; dictum eſt autem ſupra, quod ordinari ad aliud, non impedit quin talis cognitio ſit ſcientia; ſufficit enim quod ſcientia habeat cõditiones requiſitas ſupra enumeratas; ſcilicet, quod ſit de obiecto neceſsario, licet poſtea illud obiectum non ſit propter ſe expetibile, ſed propter aliud; hoc nihil refert quin ſcientia dicatur. Solum efficit, quod ſcientia non eſt ita honorabilis, ſicuti aliæ, vt naturalis, & Metaphyſica. Quod ſi reſpiciamus obiectũ, quænã eſt dignitas quantitatis vt per ſe eius cognitio expetatur, & tamen de ipſa eſt ſciẽtia perfectiſſima, & magis certa, quã ſciẽtia de corpore naturali, & de Deo vt Metaphyſica; licet ergo obiectum logicæ ſit propter aliud, & eius cognitio non ſit expetibilis per ſe, ſed propter aliud, nõ tamẽ reſtat quin ſit ſciẽtia, & ſic vbi dicit Ariſtoteles, quod logica non parit ſcientiã, intelligit quod non parit ſcientiam per ſe expetibilem, ſed propter aliud; non tamẽ vult dicere quod non pariat ſcientiam abſolutè. Poſſumus etiam dicere, quod negat Problema logicum parere ſcientiam, quia non eſt de rebus nobilibus, vti ſcientiæ reales, ſed de ente rationis, quod eſt valde ignobile neque per ſe apetitur eius cognitio, vti ſciẽtia rerum realium. Vnde ſubinfert, quod earum rerum appetitur cognitio propter aliud, & tantum in hoc reſpectu negat Theorema logicum pare-

parere ſcientiam,ſed non negat abſolutè.

Ad primam Balduini Ad rationes Balduini ad primam omittendo multas abſurditates,quæ in ea sūt, dico, quod non bene perſpexit Scotum; putat enim quod Scotus quando dixit logicā,vt applicatur,non eſſe ſcientiam, intelligat de logica vtente primo modo, quod eſt falſum (licet neque illa ſit ſcientia,vt dictum eſt in concluſione ſecunda, capite primo) loquitur enim de logica vtente ſecūdo modo dicta,ſcilicet de rationibus Dialecticis,& de facultate Topica, quæ proculdubio etiam ipſo aſſerente eſt diuerſa à tota logica docente, licet ſæpe vſurpetur pro tota logica.

Ad ſecundā. Ad ſecundam Balduini iam dictū eſt reſpondendo ad quartam Zabarellæ.

Ad tertiā Ad tertiam dico,quod in logica fiunt, demonſtrationes, & concluſiones multę quæ viuaciſſimis rationibus probātur ab Ariſtot. vt patet in proceſſu omniū illorū librorum,& maximè Poſteriorum,vt hæc concluſio; Principia magis ſciuntur, quā concluſio; Item non fieri debet tranſitus de genere in genus. Item propoſitiones demonſtrationis debent eſſe per ſe;& vniuerſales, ſicuti fit in alijs ſcientijs; neque enim concluſiones aliarum ſcientiarū, vt Philoſophiæ naturalis per demonſtrationes probantur;ſufficit ſi in multis. Sic euenit quoque in logica, cum arguit quod in logica non poſſunt fieri demonſtrationes, quia illæ fiunt de rebus naturaliter ignotis, & ſecundæ notiones ſunt naturaliter notæ. Reſpondetur negando quod omnes intentiones ſint naturaliter notæ. Vbi pro intelligentia eſt notandū, quod in omnibus ſcientijs ſunt aliqua, quæ prænoſcuntur,& aliqua,quæ ignorātur,in quorum cognitionem per prius nota venimus. Ita in logica euenit,ſunt aliquæ intentiones ſecundæ,quæ habitis primis facilè gignuntur ab intellectu;vt Genus,Species,Propoſitio,&c. ſunt autem quædam aliæ intentiones in quorum cognitionē paulatim deuenimus per prius nota. Vndè licet demonſtratio conficiatur ab intellectu, nō tamen ſtatim ſcit illam conficere,ſed poſt cognitionem multorum diſcit conficere illam; logicæ cognitio igitur fit ex præcognitis.

Ad quartam. Ad quartam poſſumus dicere,quod in eo multæ ſunt æquiuocationes; & quod nihil concludit,& quod egeret multa declaratione; ſed breuiter dicamus,omnia cætera cōcedentes, quod logicus nō definit vt inſtrumentum, quia talis modus definiendi non datur;eſt enim improprie loqui, ſed definit inſtrumentum:ſi enim illa ſunt materia circa quam verſatur, debet illa definire,& ſic dicere, logici modus conſiderandi eſt vt inſtrumentum, eſt impropriè loqui, debet dicere,logicus conſiderat inſtrumēta,& tunc negamus, quod propter hoc logica non ſit ſcientia.

Ad quintam. Ad quintam dico,quod logica eſt modus ſciendi materialiter,non formaliter. Ad impugnationem contra hoc nego minorem. Ad probationem per Ariſtotelem 1. Topicorm 9. dico,quod Ariſtoteles nō ait ibi, quod inſtrumentum ſit ratio formalis logicæ, ſed quod eſt eius materia, quia ait quod logica docet inſtrumentū, quod alijs ſcientijs inſeruit.

Ad ſextā Ad vltimam concedo diſtinctionem illam; ad impugnationem iam dictum eſt, quod ęquiuocat de logica vtente, nam ipſe intelligit de logica vt applicatur primo modo; nos verò loquimur de logica vt applicatur ſecūdo modo, quod magis patebit in ſequenti capite.

De logica Vtente agitur. Cap. V.

QVò ad logicam vtentem, ſi loquamur de logica vt applicatur ſecundo modo,non eſt difficultas vlla,quia neque Zabarella,nec vllus logicus aſſerit logicam, quæ diſputat de omnibus ſcientijs per illas rationes Topicas, & Dialecticas eſſe ſcientiam; & ratio eſt:quia nō procedit per propria,ſed per communia; At difficultas eſt de logica vt applicatur primo modo dicta: de hac Scotus non loquitur, vt dixi in expoſitione ſuę ſententiæ, quia ridiculum videtur quærere an logica ſub hac conſideratione ſit ſcientia,cum hoc ſit impoſſibile,vt ſupra dixi:

Opinio Zabarelæ Tamen Zabarella de mente Grecorum hoc ſuſtinet, & eam probat primo libro de natura logicę, capite quinto, vt ſupra diximus; quia Ariſtoteles 9. Topicorum

corum aſſerit logicā partim parere ſcien tia,& partim non; per ſe non parit ſcientiam, ſed ſolum quatenus applicatur alijs ſcientijs, cuius auxilio ſcientiā habēt, ergo ex hoc loco habetur quod logica per ſe sūpta, vt eſt docens, non eſt per ſe ſcientia; quia ſic non parit ſcientiam, ſed quatenus eſt alijs applicata, quia ſic parit ſcientiam. Deinde declarat quomodo hæc logica applicata ſit ſcientia, & ait eſſe ſcientiā illam, cui applicatur, vt puta logica applicata Philoſophiæ naturali, eſt Philoſophia naturalis, quia nihil aliud eſt tota Philoſophia naturalis niſi cō- *Reijci tur.* geries quædam ſyllogiſmorum, propoſitionum, & inductionū in rebus naturalibus formatarum. Pro detegenda veritate *Pri mo no tadū.* in hac re notandū eſt primò, quod inſtrumentum numquā ſit illa res, cui inſeruit; vt exēpli gratia Gladius eſt inſtrumentū ad ſecādum lignum, tamen in ſecando ligno nō ſit lignū, & ſi aliquando poſſit eſſe idē materialiter cū re, cuius eſt inſtrumētum vt Gladius ferreus poteſt ſecare ferrum, vti ſunt quidam gladij, quibus vtuntur fabri ferrarij; non tamen idē formaliter & numero erit vmquam cū illo ferro, diſtincto ab inſtrumento, neque ex vſu illo poteſt fieri idem realiter diſtinctū ab inſtrumento, quia inſtrumentū eſt res externa, quæ inſeruit artifici ad fabricandum illud opus, vnde ſi vtitur malleo ad faciēdū alium maleū, malleus, qui eſt inſtrumentū ex vſu illo nō euadit malleus, qui eſt, opus factum, ſed ſemper remanet per ſe inſtrumētum diſtinctum a malleo *Secū- dò no tādū.* facto. Secundo notandū, quod ſcientia, & cognitio quæcūque, habet denominationē ab obiecto, ſi propriè loqui volumus, vt patet. Ad propoſitū quādo iſti dicūt, logicā applicatā ſcientię naturali eſſe ſciētiā naturalē, vel intelligunt per logicā applicatam ipſum ſyllogiſmū, qui eſt inſtrumētum, quo vtimur in Philoſophia naturali ad cognoſcēdas illas cōcluſiones, vel intelligunt cognitionem ſyllogiſmi conficiendi, quę habetur in libris logicis, quatenus illa vtor ad conficiendū demonſtrationes in Philoſophia naturali. Neutro modo logica vtens, & applicata, eſt Philoſophia naturalis; non primo modo, quia ex primo notādo inſtrumentum nunquā eſt res, neque per vſum ſit illa, cui inſeruit, ergo ſyllogiſmus licet inſeruiat Philoſophię naturali, nō eſt Philoſophia naturalis, ſed eſt ſyllogiſmus, & inſtrumētum logicum, quia hoc eſt contra naturam, & conditionem inſtrumēti: poterit quidem dici materialiter Philoſophia naturalis, quatenus materia ex qua eſt ſyllogiſmꝰ, eſt Philoſophia naturalis, ſed formaliter, & per ſe, minimè, ſicuti malleus ferreus eſt idē materialiter cum malleo effecto, ſed formaliter, & vt inſtrumentū nequaquā. Neque ſecundo modo quia ex ſecūdo notando cognitio de ſyllogiſmo eſt logica docens, quę habet pro obiecto ipsū ſyllogiſmum; licet ergo ego hac cognitione vtar in Philoſophia naturali ad eliciēdum cognitionē concluſionum vniuerſalium, talis cognitio non amittit ſuā naturam, & eſſentiā, ſed ſemper erit cognitio logica, quia eſt de ſyllogiſmo; illa autem ſcientia, quā ego acquiro de corpore naturali, dicitur Philoſophia naturalis, quia erit cognitio de obiecto, quod parit cognitionē Philoſophiā naturalem appellatam; itaque vſus illius ſcientię, cum ſit quid accidentale ipſi ſcientię externum, nō poteſt mutare eſſentiam ſcientię: logica cognitio ergo, quę nobis inſeruit in Philoſophia naturali, eſt ſemper cognitio logica, neque fieri poteſt Philoſophia naturalis. Ad rationes Zabarellę dictum eſt, quod logica docens parit ſcientiam quia in libris logicis proceditur demonſtratiue, & ſcientia illorum librorum eſt per ſuas cauſas, ſicuti alię: vnde negatur minor. *Ad rōnes Zaba rellæ.* Ad probationē ex 1. Topicorū 9. dictum eſt, ſupra cap. 4. ad quartū quod non negat logicā docentē eſſe ſcientiam, ſed dicit non eſſe propter ſe, quia eſt de ſyllogiſmo, qui eſt propter aliud & ſyllogiſmus non eſt ita nobilis, qui propter ſe ſit dignus ſcitu: ſicuti nec ſciētia aulicis eſt propter ſe digna, tamen ſyllogiſmum ſcimus cum ait Ariſt. ibi dicere logicam partim parere ſcientiā, partim nō &c. nego Ariſt. ibi hoc dicere, vt patet legenti textum. Cum dicit logica applicata parit ſcientiā, dico quod parit vt inſtrumentū, ſed pręter hoc, & etiā per ſe conſiderata parit ſcientiā. Vnde poſſum ſic arguere. Logica eatenus eſt ſcientia quatenus eſt

habitus cõcluſionum acquiſitus, per demonſtrationes, & ſic parit ſcientiam; at logica docens eſt huiuſmodi, ergo. At illud, quod Philoſophia naturalis nil aliud eſt niſi aggregatio ſyllogiſmorum, inductionum, propoſitionum, &c. dico quòd concludit ſolum quod ſyllogiſmus, & alia inſtrumenta logica ſunt Philoſophia naturalis materialiter, non formaliter, & ſecundum propriam eſſentiam.

Ex dictis quorundam aliorum ſententiæ reijciuntur, & declaratur quod logica eſt ſcientia ſpeculatiua. Cap. VI.

HAnc ſententiã quod logica ſit ſcientia, vltra Scotum, ſequuntur ferè omnes Latini, eam ſuſtinet D. Thom. 4. Met. textu 4. Auicennas in ſua logica. Albertus Magnus in ſua logica cap. 1.

Opinio Caietani reijcitur. Caietanus autẽ in Procemio Cathegoriarum aſſerit, logicã eſſe artẽ directiuã actuũ, ſiue operationum intellectus, ſed hæc ſententia eſt ſine fundamento, quia non poteſt eſſe ars propriè dicta, quoniã ars, vt diximus ſupra, verſatur circa res effectibiles, quæ ſunt extra intellectum; at ea, circa quæ verſatur logica, remanẽt in intellectu, vt patet de ſyllogiſmo. Si dicat eſſe artem impropriè dictã, tunc dupliciter errat, primo quia in definitione quidditatiua rerum debemus aſſignare genus per ſe rei, non genus per accidens, & impropriè dictum: at dicẽdo logicam eſſe artem impropriè dictã, eſt aſſignare genus impropriè dictum: nos autem quærimus genus propriè dictum. Secundo: quia cũ ſit ars impropriè dicta, quærimus adhuc quod ſit proximũ eius genus, & ad quod genus propriè reducatur hæc ars impropriè dicta, an ad inſtrumentũ, an ad ſcientiã, vel ad aliquid aliud. Conſtituto ergo, *An logica ſit vna ſcientia.* quod ſit ſciẽtia, ſolet diſputari an ſit vna ſcientia, vel plures. Ad quod patet breuiter dicẽdum, quod cum vnitas ſciẽtiæ ſumatur ab vnitate obiecti, & logica ſit de ſyllogiſmo tamquã de ſubiecto totali adæquato eſt vnica ſcientia, quia eſt vnius generis ſubiecti, habentis ſuas partes, & paſſiones, de quibus in vnoquoque libro agitur: poteſt tamen dici ſciẽtia communis per applicationem, quia eſt de Syllogiſmo, qui applicatur omnibus alijs ſciẽtijs. Eſſet altera difficultas an logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua, de qua multi contendunt: ſed eſt breuiter dicendum, quod licet logica ſit directiua ope- *An logica ſit practica.* rationum intellectus noſtri, quæ pertinent ad diſcurſum, & ſyllogiſmum, non tamen dici poteſt ſcientia practica eſt, quia, vt in ſuo loco dicemus, ſcientia practica eſt, quæ eſt directiua praxis, praxis verò eſt operatio alterius potentiæ ab intellectu, & ſic operationes intellectus nõ ſunt praxes propriè loquendo, ſed operationes aliarum potentiarum, & ſic logica non poteſt eſſe ſcientia practica, erit ergo ſcientia ſpeculatiua. Inſuper, vt ſuo loco dicemus, quod ſciẽtia ſit practica, oritur ex obiecto, non aliunde, & cum dicitur, quod practica differt à ſpeculatiua fine, debet intelligi de fine interno, qui eſt idem quod obiectum, non de fine externo: at patet, quod obiectum logicæ ſcilicet ſyllogiſmus, non eſt quid operabile vel agibile, & ſic patet quod logica nõ eſt ſcientia practica, & denique ſcientia practica vel eſt actiua, vel factiua: at actio, & factio ſunt circa res extra intellectum exiſtentes, non intra intellectũ manentes, ergo logica non eſt ſcientia practica. Relinquitur itaque quod ſit ſpeculatiua, & hæc eſt opinio Scoti in prologo primi Sententiarum quæſt. de praxi, a. prim.

THEOREMA II.

De ſubiecto præcognoſcitur quod eſt, tamen à poſteriori in ſcientia poteſt demonſtrari. Cap. I.

Exponitur Opinio Scoti cum ſuis fundamentis.

SCotus primo Sent. in prologo quæſtione de ſubiecto, ſoluendo tertium principale ad ſecũdam quæſtionem videtur aſſerere quod ſubiectum licet nõ poſſit probari in ſciẽtia quod ſit a priori, nil tamen impedire quin poſſit probari à poſteriori, & quod hoc aſſeruerit patet: quia

quia adducit argumentum pro parte falſum ad probandum, quod Deus abſolutè in Sacra Theologia nō poſſit eſſe ſubiectū, quod innititur eo medio, quia Deus eſt ſubiectū in Metaphyſica; nihil autem poteſt eſſe ſubiectum adæquatū in duabus ſcientijs; quod verò Deus ſit ſubiectū in Metaphyſica probat per Auerroē, qui primo Phyſicorum Comment. vltimo dicit, quod Auicennas multū peccauit ponendo Metaphyſicam probare dari ſubſtantias ſeparatas, quia genus ſubſtantiarum abſtractarum eſt ibi ſubiectū, & nulla ſcientia probat dari ſubiectū, ſed illud ſupponit. Soluendo hoc argumentū Scotus ait, quod malè dixit Auerroes, & benè Auicennas, & ſtatim probat, quod ſubſtantias abſtractas dari probatur in Metaphyſica, & prima ratio eſt hæc. Si Phyſica probaret dari ſubſtantias ſeparatas, ita quod eſſet cōcluſio Phyſicalis. Subſtantiæ ſeparatæ dantur, & eſset ſuppoſitum in Metaphyſica, ſequeretur, quod Phyſica eſset prior Metaphyſica; tota ratio eſt, quia Philoſophia naturalis oſtenderet de ſubiecto Metaphyſicę quod eſt, aſserere autem Philoſophiam naturalē eſse priorem Metaphyſica, eſt abſurdū. Ex hac ratione colligitur, quod dato etiā, quod ſubſtantiæ abſtractæ eſsent ſubiectum in Metaphyſica, poſset probari dari illas, Phyſica verò nequaquā, ſicuti dicebat Auicēnas, & ſic videtur Scotus velle, quod ſubiectum in ſcientia poſſit demōſtrari quod eſt. Sed clarius idem aſserit in ſecundo argumento eodē loco contra Auerroem, quod eſt hoc. Per omnē conditionem effectus quā impoſſibile eſt ineſse effectui niſi cauſa ſit, poteſt demōſtrari de cauſa quod eſt; ſed multę paſſiones cōſiderātur in Metaphyſica, quas impoſſibile eſt ineſſe reb. abſque cauſa taliū entiū, ergo ex illis paſſionibus Metaphyſicis poteſt demōſtrari aliquā primā cauſam iſtorū entium dari. Minor probatur: quia multitudo entiū, dependentia, compoſitio, oſtendunt dari aliquod ens ſimplex, independens neceſse eſse; & quia omnis multitudo reducitur ad vnitatem, dependentia ad independens, & contingens ad neceſse eſse, ergo Metaphyſicus poteſt probare dari aliquod ens ſimplex, independēs neceſſe eſſe: iſtud autem eſt genus ſubſtantiarum abſtractarum. Ex hac ratione ſimpliciter probat, quod Metaphyſicus poteſt probare dari ſubſtantias abſtractas, & vt videtur, dato etiam, quod in Metaphyſica ſubſtantiæ abſtractæ eſſent ſubiectum; nam non ait Scotus Auerroem erraſſe, quia poſuit genus ſubſtantiarum abſtractarum eſſe ſubiectum (licet Scotus etiam Auerroem in hoc erraſſe credat, vt alibi dicam) ſed ait erraſſe aſſerendo Metaphyſicum non poſſe probare dari ſubſtātias abſtractas; vnde ſi iudicaret ſubiectum non poſſe oſtendi in ſcientia a poſteriori, dixiſſet Metaphyſicus oſtendit dari ſubſtantias abſtractas, ſed ſubſtantiæ abſtractæ non ſunt ibi ſubiectum, & rectè dicit Auicennas, & malè tu ò Auerroès, cum impugnas oſtendi poſſe à Metaphyſico ſubſtantias abſtractas dari, & vteris hoc medio, quod ſubſtantiæ abſtractæ ſunt ſubiectum in Metaphyſica, quia hoc medium eſt falſum; nam alibi Scotus pluries dixit Metaphyſicæ ſubiectum eſſe ens, non Deum, neque genus ſubſtantiarū abſtractarum. Ad argumentum autem nil aliud dicit: quia cum commendat Auicennā ſoluit argumentum, negabat enim Auicennas genus ſubſtantiarū abſtractarum eſſe ſubiectum in Metaphyſica, ſed dicebat eſſe ens; Cū ergo Scotus cōmendat Auicennam, negat conſequenter Deum eſse ſubiectū in Metaphyſica; adeò quod in duobus eſt contra Auerroem. Primò, quia Deus non eſt ſubiectum in Metaphyſica. Secundò, dato quod eſset ſubiectum, tamen Metaphyſicus illud poſset probare, non Phyſicus: hoc idē repetit in quæſtione prima primi Metaphyſicæ; & idē habet Antonius Andreas in illa quęſtione primi Metaph. Itaque deduco Scotū exiſtimaſse de ſubiecto demōſtrari poſse qđ eſt in ſciētia a poſteriori, non autē a priori: qa demōſtratio à priori, procedit per definitionem ſubiecti, & ideo illud ſupponi quo ad ſi eſt, nam quid eſt pręſupponit quod eſt, & quādo Ariſtoteles dixit de ſubiecto præcognoſci quod eſt, intellexit à priori, non à poſteriori, quod verò hæc opinio ſit vera, probatur per illam ſecundam rationem.

Primarò

Secunda.

tionẽ Scoti factã contra Auerroem, quia datur sẽper aliquis effectus in ſciẽtia neceſſariò cõnexus ſubiecto per quẽ poteſt demõſtrari de ſubiecto tali quod datur.

Ratio principalis.

Opinio oppoſita. Cap. II.

Zabarella ratio.

Contra hanc opinionem inſurgit Zabarella libro de tribus præcognitis cap. 9. & probat, quod nullo modo ſubiectum poteſt probari in ſcientia quod ſit, neque à priori, neque a poſteriori, & hęc eſt eius ratio: ſubiectum eſt baſis, & fundamentũ ſcientiæ, & radix, à qua omnia, quę in ſcientia conſiderantur exoriũtur; cum ergo ſubiectum omnibus in ſciẽtia cõſideratis ſubſternatur eo ſublato, omnia reliqua auferre neceſſe eſt, & eo ignorato omnia ignorari ſimiliter neceſſe eſt, & ideo ſi reuocetur in dubium an ſit, omnia, quæ ſunt in ſcientia in dubium quoque reuocantur. Ex his formatur talis ratio. Subiectum eſt prius, & magis notũ, quòd ſit in ſcientia; at omnis demõſtratio, quæ oſtendit aliquid, debet oſtendere per notius, ergo ſubiectum non poteſt oſtendi eſſe in ſciẽtia, quia illi deficit medium, nam medium debet eſſe notius, & non debet eſſe alienum; nihil autem in ſcientia eſt notius ipſo ſubiecto, ergo non poteſt oſtendi à priori, nec à poſteriori.

Sueſſani rõ prima.

Sueſſanus quoque aduerſus Scotũ arguit primo Metaphyſices quęſtio. 1. ca. ſolutionum quinto, primò ſic. Quod eſt præcognitum in ſcientia, nõ eſt quæſitũ; ſed ſubiectum in ſcientia eſt pręcognitũ, ergo nõ eſt quęſitum, ergo non poteſt oſtendi eſſe, quia ſolùm hoc oſtẽditur de quęſito. Secũdo, ſubiectum ſi oſtenditur eſſe, in ſciẽtia, vel hoc ſit per eius proprietatem, vel per eius principia, vel per eius ſpeciem, non primum, quia oporteret prius ſupponere, quod talis proprietas inſit tali ſubiecto, ſed hoc ſupponi nõ poteſt, niſi ſupponatur prius dari ſubiectũ, ergo eſt petitio principij probare ſubiectũ per ſuã proprietatẽ, neque ſecũdum, quia eſſet demõſtratio propter quid, quo ſubiectum oſtendi etiã negat Scotus; neque tertium poteſt admitti, quia non poteſt ſupponi ſpeciẽ eſſe, niſi ſupponatur genus eſſe, & ſic ſpecies eius non poteſt eſſe medium ad illud oſtendendũ. Tertio, propoſitio de ſecundo adiacente nõ poteſt probari niſi ſyllogiſmo Hypothetico ex primo Priorum; ſed per ſyllogiſmum Hypotheticũ nihil probatur, vt ibi Ariſtoteles docet, ergo non poteſt demonſtrari ſubiectum eſſe aliqua ſpecies ſyllogiſmi.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia

Balduini. Ratio prima

Balduinus in proprio quęſito de hac re arguit contra Scotum primò ſic. Si ſubiectum poſſet demonſtrari in ſcientia, ergo naturaliter eſſet ignotum, quod naturaliter eſt ignotum, eſt contrarium ſuppoſitioni, ergo non poſset ſupponi. Secundò Ariſtoteles primo poſteriorum c. 23. ait inter tria requiſita ad demonſtrationem vnum eſſe genus ſubiectum, quod ponimus eſſe in omni genere demonſtrationis. Tertiò pertinet ad illum Artificẽ demonſtrare propoſitionem, ad quẽ pertinet eius prędicatum; ſed ſic eſt, quod ens eſt prędicatũ pertinens ad Metaphyſicum, ergo hęc propoſitio, ſubiectũ eſt, ſiuè corpus naturale eſt, nõ poteſt demõſtrari ab aliqua ſciẽtia particulari, ſed ſolùm à Metaphyſica, ergo nulla ſciẽtia particularis poteſt demõſtrare ſuũ ſubiectũ. Quartò, Ariſtoteles primo poſteriorum tex. 69. dicit, quod quãdo probamus ſubiectum eſſe, vt numerũ eſſe in Arithmetica, probamus tale ſubiectum, & numerũ eſſe ens extra animã; ſed eſſe extra animã eſt eſſe ſimpliciter, quod pertinet ad Metaphyſicũ, ergo nulla ſciẽtia particularis poteſt oſtẽdere de ſubiecto quod ſit, niſi mittat manũ in meſſem alienã. Quintò, demõſtrare de aliquo ſubiecto quod eſt, eſt demonſtrare, quod ſit ſpecies entis, & pars entis, ſed probare aliquid eſſe partẽ entis pertinet ad Metaphyſicũ, ergo nulla ſciẽtia particularis poteſt demõſtrare de ſubiecto an ſit: ſed hoc eſt munus Metaphyſici reſpectu aliarũ ſcientiarum particularium. Sextò, Definitiones ſubſtãtiarũ ſunt indemonſtrabiles, quia ſunt ſuppoſitiones in ſcientia, ergo neque ſi eſt de ſubiecto poterit demõſtrari, Cõſequẽtia eſt Ariſtot. 6. Metaphyſices primo textu, & primo poſt. textu 45. Septimo tertio Ethicorum c. 6. intentio, & finis ſemper ſupponitur, & non probatur; ſed ſubiectum eſt in-

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

eſt intentio, & finis in ſcientiā ſolum ratione differens, ergo ſubiectum ſupponitur, & non probatur in ſcientia.

Confutatio huius opinionis, & ſolutio ſuarum rationum. Cap. III.

PRo clara notitia iſtius difficultatis breuiter quędam hic adnotanda sūt, quæ fuſius declarabuntur, & probabuntur in ſequentibus, & maximè in quæſitis de regreſſu, & in quæſito an definitio ſit inſtrumentum logicum; ſunt autem hęc. Duæ ſunt Methodi ad omnē rem cognoſcendam neceſſariæ, & ſufficientes, ſcilicet Methodus compoſitiua, & reſolutiua; quatuor enim ſunt ſpecies argumentationis, ſcilicet Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & Exemplum, tria hæc vltima ſunt ſyllogiſmi imperfecti, & reducuntur ad ſyllogiſmum perfectum, vt patet ex libris Priorum; ſyllogiſmus autem eſt methodus propriè dicta; quia methodus ſignificat proceſſum ex noto ad ignotum cum vi illatiua: huiuſmodi autem ſolum eſt ſyllogiſmus. Hic autem proceſſus eſt duplex, vel compoſitiuus, vel reſolutiuus, ideſt vel à cauſa nota ad effectū ignotum, vel ab effectu noto ad cauſam ignotam: & ſic ſunt duæ methodi, prima dicitur demonſtratio propter quid, ſcilicet proceſſus à cauſa ad effectum; ſecunda demōſtratio quia, ſcilicet proceſſus ab effectu ad cauſam; inductio autem, & exēplum, quod eſt inductio imperfecta, ſunt ſpecies methodi reſolutiuæ, quia procedunt à ſingularibus notis, ad vniuerſale ignotū, licèt inductio ſit parum efficax; & illa vti ſoleamus ſolum in ijs, quæ parum ignota ſunt, Sciēdum eſt etiā, quod cum quatuor quæſtiones fieri poſſint de vnaquaque re, duæ primæ ſcilicet ſi eſt, & quid eſt, pertinent proprie ad demonſtrationem quia, & ad inductionem: duæ poſteriores ad demōſtrationem propter quid: manifeſtum eſt enim quod de vnaquaque re ſcire poſſumus qđ eſt, & quid eſt: hoc fieri non poteſt per definitionē, quia illa non eſt inſtrumentum notificatiuum, vt in proprio quæſito oſtendam, neque per demōſtrationē propter quid quia hæc oſtēdit inhærentiā propriæ paſſionis cum ſubiecto per cauſam propriā, & ſic ſatisfacit duobus quæſitis vltimis; an inſit, & propter quid inſit: quando etiam conuertuntur in definitione ſatiſfacit quæſitis quod eſt, & quid eſt: ſed hoc ſolum cōpetit eis reſpectu accidētiū, non reſpectu ſubſtantiæ, quia non notificat vnquā de ſubſtātia quid ſit, neque an ſit ſubſtantia. Relinquitur ergo, quod de ſubſtantia an ſit, & quid ſit oſtendatur per demōſtrationē quia, & per inductionem, & hoc cōſpicitur ex eo, quod cognito de effectu quod eſt, ſtatim cognoſcimus cauſam, & ex plurima conſideratione eiuſdem effectus, venimus paulatim in cognitionem conditionis cauſæ, & ſic cognoſcimus, quod eſt, & quid eſt de cauſa, vt fecit Ariſtoteles 8. Phyſicorum, nā via motus venit in cognitionem, quod datur cauſa motus ſcilicet motor, & ex plurima cognitione eiuſdem motus venit in cognitionem plurium prædicatorū motoris, & ſic adeptus eſt quod eſt, & quid eſt primus motor, vt puta quod eſt ens æternum incorruptibile, patet ergo, quod demonſtratione quia, ſatisfacimus quæſtioni quid eſt de ſubſtantia: de inductione etiam patet ex ijs, quæ dicit Ariſtoteles 2. Poſt. cap. de definitione, vbi ait non ſufficere diuiſionem ad venandum definitionem, ſed requiri viam compoſitiuam ſcilicet inductionem, vt ibi ſe exponit: ſed de hoc vberius in quæſito an definitio ſit inſtrumentum logicum. Ex his mihi videtur dicendum optimam eſſe ſententiam Scoti, quod ſubiectum poteſt oſtendi in ſcientia à poſteriori, ideſt per demonſtrationem quia, non à priori: clarū eſt enim quod de ſubiecto ſciri poteſt quod eſt, hoc autem præſtare non poteſt demonſtratio propter quid, vt dictum eſt, quia ſatisfacit ſolum duabus quæſtionibus cōplexis, & ſupponit ſimplices, neque verſatur circa ſubſtantiam, ſed circa propria accidentia, neque definitio, quia non eſt inſtrumentum logicum, neque diuiſio, quia iſta non habet vim illatiuam: neque vlla alia ſpecies argumētationis, quia reducuntur ad illas duas principales. Relinquitur ergo, quod ſciatur, & demonſtretur per

Duæ ſunt methodi.

tur per

tur per demonſtrationem quia. Sed aliquis forſan dicet. Concedo, quod ſubiectum eſt ſcibile quod eſt; ſed non in ea ſcientia, in qua eſt ſubiectum, ſed in ſuperiori. Contra quæro de illa ſuperiori quæ ſtatuatur Metaphyſica, certè illa habet proprium ſubiectum, & illud eſt ſcibile quod eſt, & nõ per aliam ſcientiam ſuperiorem, quia non datur, ergo in Metaphyſica poterit eius ſubiectum oſtendi quod eſt. Quoniam autem in ſcientijs ſemper quærimus paſſiones de ſubiecto per propriam cauſam; hinc eſt, quod cõmuniter dicimus, quod de ſubiecto præſupponitur quod eſt, & quid eſt, cũ enim in ſciẽtia tractetur de paſſionibus ſubiecti, Quę ſunt effectus eius: ſequitur quod illæ ſint notiores ſubiecto, & conſequẽter poterũt oſtendere de ſubiecto quod eſt, demonſtratione quia. Verùm eſt notandũ, quod hoc non eſt in vſu, quia in ſcientijs sẽper procedimus per cauſas ad oſtendẽdũ paſſiones de ſubiecto, & in hoc incũbimus, & ſic ſubiectum ſemper ſupponimus: ſed tamen ſi quis vellet probare contra obſtinatum quod eſt, hoc efficere valeret.

Obiectio. *Euerſio.*

Ad primum Zabarellæ. Hinc ad obiectiones reſpondeo, & primò ad Zabarellã dico, quod illa concludit, quod de ſubiecto demõſtratione propter quid non poteſt oſtendi quod eſt, quia ſubiectum reſpectu demonſtrationis propter quid, eſt ſubſtratum ſcientię, de ipſo enim paſſiones quæruntur, & demonſtrantur per ſua principia: vnde ſi illud auferatur, & vertatur in dubium, aufertur ſcientia illa propter quid: at nõ ob hoc ſequitur, quod ſi quis vellet demonſtrare de ſubiecto illo, quod eſt per paſſiones ſubiecti demonſtratione quia, in illa ſcientia nõ poſſit: & hoc eſt, quod dicit Scotus: quia omnis cauſa poteſt oſtendi quod eſt per ſuos effectus, & maximè, quia effectus ſunt notiores cauſa. Per hoc idem patet ad argumẽta Sueſſani.

Ad primum Sueſſani. Ad primum dico ad minorem, quod ſubiectum in ſcientia eſt præcognitum reſpectu demonſtrationis propter quid, non reſpectu demonſtrationis quia.

Ad ſecũdũ. Ad ſecundum dico, quod ſubiectum probatur quod eſt n ſciẽtia per ſuas paſſiones, ad impugnationẽ contra hoc dico, quod non propter hoc ſupponitur eſſe, ſed probatur eſſe per eas, quia cognito de paſſione, & effectu quod eſt, ſtatim cognoſcitur, quod datur cauſa propter quàm talis paſſio eſt, & per multam conſiderationem effectus, & collationem eius ad cauſam, cognoſcitur, quod talis effectus prouenit à tali cauſa, vt in quæſtione de regreſſu dicam: immò his demonſtrationib. vtimur ad inueſtigandum quod eſt de cauſis, sũt enim faciliores cognitu effectus, & notiores, quã cauſæ, & iſtæ ſunt origines noſtrarum ſcientiarum.

Ad tertiũ. Ad tertiũ multum peccat, ſed dicamus, quod ſi concludit, non concludit ſolum de ſubiecto, ſed de quãcumque re, & ſic de nulla re poſſet oſtendi quod eſt per aliquos ſyllogiſmos, qđ quam ſit abſurdum cuilibet patet; negãda eſt ergo maior, & minor, ſed maior præcipuè eſt falſa: quia Ariſtoteles 8. Phyſicorum oſtendit de primo motore quod eſt, & tamen illæ ſunt rationes cathegoricæ, vt ibi eſt videre, & cogentes. Quod autem ait Ariſtot. hoc dicere, falſum eſt.

Ad primum Balduini. Ad argumenta Balduini per eadẽ fundamenta patet. Ad primũ dico, quod ſubiectum reſpectu ſcientiæ propter quid, eſt notum, quod eſt: ſed reſpectu ſciẽtiæ quia, eſt ignotum; & ideò poteſt oſtendi: & ſic cõcedo, quod reſpectu ſciẽtiæ propter quid, poteſt eſſe ſuppoſitio, at nõ reſpectu quia.

Ad ſecũdũ. Ad ſecundum dico, quod Ariſtoteles ibi loquitur de demonſtratione propter quid, nõ quia.

Ad tertium. Ad tertium multa dici poſſent, ſed pro nunc dicamus, quod aliud eſt cõſiderare ꝙ ens eſt, & aliud eſt conſiderare an res ſit in rerum natura, & habeat exiſtẽtiam: primum quidem pertinet ad Metaphyſicum: ſed cõſiderare rẽ an habeat exiſtentiam in rerum natura vt pertinet ad quæſtionem an ſit, non eſt pręedicatum Metaphyſicum, ſed vnaquęque ſcientia de illo agit. Vnde quatuor illæ quæſtiones, an ſit, quid ſit &c. pertinẽt ad omnes ſcientias vt ſupra diximus.

Ad quartũ, & quintũ & ſextũ. Ad quartum, & quintum argumentum Balduini patet per nunc dicta. Ad ſextum reſpondeo quod concludit ſubiectum eſſe indemonſtrabile reſpectu demonſtrationis propter quid, non quia.

Ad ſeptimũ. Per hoc idem patet ad ſeptimum, quia in ſcientia propter quid,

pter quid, ſupponitur: nõ tamen propter hoc ſequitur, quod non poſſit demonſtrari a poſteriori. Per hæc eadem patet confutatio & ſolutio eorum, quæ contra Scotum in hac materia dicit Zimara Theoremate 52. Per hæc eadẽ, patet ea, quæ dicit Caiet. 2. Poſt. cap. 1. contra nos nullius eſſe mométi: quia nos quidem non diſtinguimus inter ſubiectum ſcientiæ, & demonſtrationis: quia omnis ſciẽtia per demõſtrationem acquiritur: ideo ſi per demõſtrationem propter quid acquiritur, ſubiectum eſt præcognitum: ſi per demõſtrationem quia, poteſt probari. Reliqua ex dictis quoque reijci poſſunt facile.

Zimara. *Caietan⁹.*

THEOREMA III.

De ſubiecto præcognoſcitur quid rei, & quid nominis. Cap. Vnicum.

Exponitur mens Scoti, & Opiniones Aduerſariorum reijciuntur.

Opinio Scoti.

SCotus tertio libro ſentẽt. diſtin. 14. quæſt. 2. poſt literã H. apertè tenet, quod de ſubiecto in ſcientia ſemper debeat præcognoſci quid rei, & hanc ait mentẽ Philoſophi eſſe in 1. Poſt. dum inquit de ſubiecto debere præcognoſci quid eſt: ait enim, quod intelligit de quid eſt rei. Ratio eius vnica eſt, & deducta ex natura rei, quæ eſt hęc. In ratione, & quidditate ſubiecti includitur virtualiter tota ratio ſcientię, neque per demonſtrationem vllo modo acquiritur cognitio de ſubiecto quid eſt: ſed ſupponitur, & ſolùm per demonſtrationem propter quid acquiritur cognitio paſſionũ inhęrentium ſubiecto: ideò cum definitio ſubiecti ſit mediũ, & vnum pręcipuum principium cognoſcendi paſſiones inhęrentes neceſſariò ſubiecto, debet pręcognoſci in ſcientia. Hæc eſt opinio Scoti firmiſſimo innixa fundamento.

Ratio Scoti.

Contra hanc opinionẽ inſurgit Zabarella in libro de tribus præcognitis, prima ratio habetur cap. 2. & eſt hæc. Inquit Ariſtoteles, quod de ſubiecto præcognoſcitur quid ſignificet, non inquit de ſubiecto præcognoſcitur quid ſit: modò ſignificatio pertinet ad nomen, non ad rẽ, ergo dum inquit Philoſophus, quod de ſubiecto præcognoſcitur quid ſignificet, intelligit, quod de ipſo præcognoſcitur quid nominis.

Zabarella. Primarō

Secundò arguo ipſe, vt res magis declaretur, ait Ariſtoteles 2. textu primi poſteriorum, quod tria ſunt præcognita, paſſio, dignitas, & ſubiectum, & de paſſione præcognoſcitur quid nominis, de dignitate quòd eſt, de ſubiecto vtrumque, tũc ſubinfero in eodem ſenſu, accipitur præcognoſcere quid, tam reſpectu paſſionis, quàm ſubiecti vt patet, quia ait, quod de ſubiecto vtrumque præcognoſcitur; ideo vtraque præcognitio, quæ diuiſim competit paſſioni, & dignitati, ſimul competit ſubiecto: ſed ſic eſt quod paſſio ſolum præcognoſcitur quo ad quid nominis, ergo cum Ariſtoteles ait de ſubiecto pręcognoſci quid eſt, intelligit de quid nominis. Tertia ratio habetur ex eodem Zabarella eodem lib. cap. 4. quæ eſt hęc. Subiectum non poteſt pręcognoſci in ſcientia, niſi ſua principia eſſendi præcognoſcantur: ſed ſic eſt, quod quandoque principia eſſendi ſubiecti non præcognoſcuntur, ſed probantur, ergo neque ſubiectũ poteſt præcognoſci quo ad quid rei. Maior probatur, quia definitio quid rei ſubiecti conflatur ex proprijs principijs rei vt definitio eſſentialis hominis cõflatur ex animali, & rationali. ſic eſt dicendũ de alijs: ergo ignoratis principijs eſſendi ſubiecti; neceſſe eſt quod ſubiectum quoque ignoretur quo ad quid rei: minorẽ verò ſcilicet, quod quandoque principia eſſendi ſubiecti ignorẽtur; probat exemplo de principijs corporis naturalis: nam materia, & forma non pręcognoſcuntur, ſed inueſtigãtur quid, & quòd ſint in primo Phyſicorum, ergo quandoque contingit, quod principia eſſendi ignorentur, & cõſequenter ignorari quoque de ſubiecto quid eſt, non igitur de ſubiecto ſemper pręcognoſcitur quid rei. Verùm iſtę rationes non cogunt, oppoſita enim concluſio nimis forti fundamẽto roboratur. Tamen pro intelligentia argumentorũ eſt explicanda intentio, & ſenſus Ariſtotelis in illo ſecundo textu primi Poſteriorum.

Secũdarō. *Tertiarō.* *Reijciũtur.*

Eſt igi-

Notā dum. Eſt igitur notandũ, quòd Ariſtoteles ibi dicit tria eſſe præcognita ſcilicet paſſio, dignitas ſiue principia, & ſubiectum: dicit quoque duas eſſe præcognitiones ſcilicet quod eſt, & quid eſt, ſub iſtis duabus cõprehendens alias duas: nã ſub quid eſt, comprehẽdit quid rei, & quid nominis: ſub quod eſt, intelligit ſimplicẽ, & cõpoſitam: applicando poſtea præcognitiones ad præcognita, aſſerit paſſionẽ præcognoſci ſolùm quid eſt, ideſt quid nominis, vt omnes exponũt, & de hoc non eſt lis: principia verò, & dignitates ait præcognoſci quod ſunt; & de ſubiecto ait præcognoſci quod eſt, & quid eſt, quæ duo ſunt difficilia intellectu; ideò eſt ſciendum, quod principia ſcientiarum ſunt duplicis generis; quædã ſunt complexa, vt ſunt dignitates, & ſuppoſitiones, quæ dicuntur principia cognoſcendi; quædam alia dicuntur principia eſſendi, & hæc ſunt illa, quæ cõſtituunt ſubiectum, vt materia, & forma in corpore naturali; modò principia cognoſcendi ſunt illa, de quibus ait Ariſtoteles præcognoſci quod ſunt; vndè exemplificat de dignitate, & præcognitio illa quod sũt, eſt precognitio cõplexa, quia debent præcognoſci quod ſunt, id eſt, quod prædicatũ inhæret ſubiecto, & vera ſunt, principia vero eſſendi non habẽt particulare præcognitionem, quia illa per ſe non ſunt; ſed cũ ſint partes eſſentiales ſubiecti præcognoſcuntur præcognitionibus, quę competunt ſubiecto, de ſubiecto autẽ ait Philoſophus; quod dupliciter præcognoſcitur, ſcilicet qđ eſt, & quid eſt: vbi per qđ eſt, certum eſt ꝙ non intelligit præcognitionem cõpoſitã; quia cum ſubiectum ſit incõplexum, & in incõplexis non ſit veritas, neque falſitas, non poteſt dici quod præcognoſcatur eſſe verùm, quod eſt precognoſci, quod eſt complexè. Relinquitur ergo, quod de ſubiecto præcognoſcatur quod eſt incõplexè, ſcilicèt quod eſt in rerum natura: & ſic etiã præcognoſcitur de ſuis principijs eſsẽdi cum idẽ ſint. Ex quo patet, quod Ariſtoteles in primo Poſteriorum non diſtinxit hos duos modos præcognoſcendi quod eſt incomplexè, & complexè; ſed ſolùm in ſecundo libro, quæ pręcognitio, vt diximus ĩ ſuperiori Theoremate eſt præcognitio reſpectu ſcientię propter, quid, non quia. Quo vero ad prę cognitionem quid eſt, certum eſt, quod non intelligit ſolum de quid nominis, quia hęc eſt cõmunis omnibus ingredientibus demõſtrationẽ tã paſſioni, quã principijs, & ſubiecto, ideò opus eſt quod ſubiectum præcognoſcatur quo ad quid rei, quia eius definitio eſt principium, & cauſa ad inueſtigandam cognitionem paſſionis, & inhærentiæ eiuſdem paſſionis cum ſubiecto; neceſſe eſt ergo, quod in demonſtratione propter quid, tale ſubiectum ſit præcognitum quid rei. Si vero loquamur de demonſtratione quia, ſic dico, quod poteſt eſſe ignotum ſubiectum, & quod eius definitio poteſt inueſtigari; & hac de cauſa ſæpe videmus, qđ quando ſubiecti definitio non eſt ſatis nota; licet deberet præſupponi, vt nota; tamẽ ſciẽtificè illam probant à poſteriori, vt illa habita, & cognita, firmior ſit ſcientia propter quid, & ſic Ariſtoteles in primo Phyſicorum voluit inueſtigare definitionẽ principiorum eſſendi corporis naturalis, & cõſequenter probationẽ definitionis corporis naturalis; & ſic in libris de anima voluit inueſtigare definitionem animæ, & ſic in alijs, ſed hoc facit demonſtrationibus à poſteriori, non à priori, quòd nos concedimus, ſed negamus in ſcientia à priori. Ex his patet ſolutio ad argumenta in contrarium. *Ad primum argumentum.* Ad primum dico, quod ſignificatio pertinet etiã ad definitionem, quia definitio ſignificat diſtinctè id, quod ſignificat cõfusè nomẽ, vt alibi fatetur ipſemet Zabarella; etiam ſeipſum exponit Philoſophus, vt in 1. Poſteriorum text. 75. vbi ait definitionẽ ſubiecti eſſe ſuppoſitionem ĩ ſcientia, in qua eſt ſubiectum. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis, quia Ariſtoteles ſub quid eſt, cõprehẽdit quid rei, & quid nominis, nõ tamen vult, quod eodem modo intelligatur præcognitio quid eſt, reſpectu paſſionis, & reſpectu ſubiecti. *Ad tertiũ.* Ad tertium patet ſimiliter, quod de ſubiecto non præcognoſcitur quid rei, quando ſcientia eius traditur per demonſtrationem, quia, & modo indiſtincto, & confuſo, vt eſt ſcientia illorum principiorum corporis naturalis, quæ traditur modo cõfuſo: vtitur enim demõſtrationibus quia, deductis ex noſtra facili cognitione, & ex

ex ſenſibilibus; tamen vbi de ſubiecto traditur ſcientia diſtinctè,& per demonſtrationem propter quid, ſemper cognoſcitur de ſubiecto quid rei.

Balduinus. Balduinus in quæſito de logicæ ſubiecto,aſſerit apertè,quòd de ſubiecto nunquã præcognoſcitur quid rei. *Prima rõ* Primò ſic. Ens eſt ſubiectũ in Metaphyſica, & tamẽ non habet definitionem,ergo de ipſo non poteſt præcognoſci quid rei. *Secũda rõ.* Secũdò arguit, quòd definitio ſubiecti non poſſit eſſe principium, & mediũ ad oſtendẽdum paſſiones de ſubiecto,multis modis; ſed de hoc in quæſtione de medio demonſtrationis.

Ad primũ. Ad primum dico,quod ens,licet nõ habeat definitionem,tamen habet cõceptũ quidditatiuum,qui gerit vicem definitionis, ſicuti nec ſubſtantia habet definitionem,quia nõ habet genus,nec differentiã ſupra ſe;tamen habet conceptum quidditatiuum, qui gerit vicem definitionis;vnde ens, quod eſt ſubiectum in Metaphyſica eſt ens reale, quod non eſt purum nomen,ſed eſt conceptus vniuocus,& ſic habet propriam rationem,quam præcognoſcere opus eſt;immò illa ignorata,non eſſet poſſibile facere vllam rationẽ in Metaphyſica; ſpernit autem illã Ariſtoteles expreſsè ponere, quia eſt notiſſima, nam omnes ſciunt,quod ens reale eſt illud, quòd habet eſſe in rerum natura,neque hæc eſt deſcriptio quid nominis, vt latè patebit ĩ quæſito de vniuocatione entis; nihil itaque habet Balduinus aduerſus Scotum.

THEOREMA IIII.

Non eſt cõditio neceſſaria ſubiecti,quod habeat partes: ſed quòd habeat principia & paſſiones,& ſit Vniuocũ. Caput Vnicũ.

Propoſitum Theorema explicatur.

Scot. SCotus primo Sent.in prologo quæſtione tertia, ſoluendo tertium principale,aperte ait,eſſe neceſſarium, quod quodlibet ſubiectum habeat principia cognoſcendi, quia hæc principia ſunt illa, per quæ demonſtrantur paſſiones de ſubiecto; vnde abſque illis non poſſet haberi ſcientia de inhærentia paſſionum in ſubiecto. Quod verò quodlibet ſubiectum nõ debeat habere principia eſſendi, probatur ibi:quia ens ponitur ſubiectum in Metaphyſica, & tamen non habet principia eſſendi, ſed ſolùm cognoſcendi; vnde miror Antoniũ Andreã, qui in illa quæſtione de ſubiecto Metaphyſicæ tantum laborat,vt inueniat principia eſſendi in ente: adde tu, quod corpus naturale,ſiue ſubſtantia corporea naturalis, quod idem eſt,etiam ſecundũ Scotum,vt ſuo loco oſtẽdam,eſt ſubiectũ in Philoſophia naturali,& tamen non habet principia eſſendi,quia materia,& forma ſunt principia eſſendi corporis generabilis,& corruptibilis,nõ naturalis,vnde Cælum eſt corpus naturale,& tamen non cõſtat ex materia,& forma,& maximè ſecundũ Scotum;clara autem eſt differẽtia inter principia eſſendi,& cognoſcendi;nã principia cognoſcẽdi ſunt ſolum dignitates,& ſuppoſitiones, quæ in ſcientia non probantur,ſed ſupponuntur notæ,& certæ;principia verò eſſendi ſunt res, ex quibus conſtat ſubiectum,vt materia, & forma reſpectu corporis naturalis, generabilis & corruptibilis, quia conſtituunt illud; etiam cauſa efficiens, & finalis ſunt principia eſſendi, quia ſunt cauſæ eſſe illius ſubiecti:verùm eſt,quod hæc principia eſſendi quoque poſſunt quoquo pacto dici principia cognoſcendi,quia neceſſe eſt illa præcognoſcere, ſi volumus ſubiectum cognoſcere,vt diximus in ſuperiori quæſito; non tamen propriè dicuntur principia cognoſcendi,ſed ſolùm eſsendi. *ratio.*

Hanc ſentẽtiam ſecutus eſt Zabarella quoque in libro de conſtitutione Philoſophiæ naturalis cap. 11. Ex his patet,quod ſubiectũ quoque debet habere paſſiones, quæ per hæc principia oſtendantur; nihil enim aliud acquiritur per ſcientiam, niſi cognitio certa inhærentiæ paſſionis cum ſubiecto: ſed circa illam conditionem an ſubiectum habeat partes, eſt dubium. *Opinio Zabarellæ.*

Scotus primo Sent.in prologo quæſtione de ſubiecto,ſoluẽdo idem tertiũ principale in principio aperte dicit,quod ſciẽtiæ naturaliter adinuẽtæ habent pro ſubiecto ſemper aliquod vniuerſale; ideò cũ tale vniuerſale ſit genus, quod neceſſariò habet

habet ſub ſe ſpecies, quæ ſunt partes ſubiectiuæ, vt patet in Philoſophia naturali, in qua ſtatuitur ſubiectum corpus naturale, qđ eſt vniuerſale, & habet ſub ſe multas ſpecies; verùm eſt, quod tale ſubiectũ habet partes; Sacræ Theologiæ verò ſubiectũ nõ habet partes, quia nõ eſt aliquod vniuerſale; ſed eius ſubiectum eſt Deus, qui eſt ſimpliciſſimus, & vnus numero.

Dup. ſciã. Ex ſolutione autem ſecundi argumenti facti aduerſus definitionem ſubiecti, quã ponit in initio illius quęſtionis ad D. habetur, quod duplex eſt ſcientia; ſcilicet generica, & ſpecifica; verum eſt de ſciẽtia generica, quod habet partes ratione nũc dicta, vt ſunt omnes ſciẽtię naturaliter adinuentæ; tamen ſcientię ſpecificæ; illę ſcilicet in quibus ſubiectum eſt, ſpecies non habent partes, quia ſpecies non habet partes ſubiectiuas vniuerſales, ſed ſingulares, de quibus nõ eſt ſciẽtia; vndè breuiter dicere poſſumus, quod habere partes, nõ eſt conditio ſubiecti, vt ſubiectum eſt, ſed cõditio ſubiecti, ſcientiæ genericæ; conſtat autẽ, quod de ſpecie, vt de homine, poteſt eſſe ſcientia, & tamẽ non habet partes, vt dictum eſt, quia habet principia, & paſſiones demonſtrabiles de ſeipſo p illa principia. Ideò illa auctoritas Ariſtotelis de primo Poſteriorũ textu 179. quæ eſt (vna autem ſcientia, quæ vnius generis ſubiecti quæcumque ex primis componuntur, & partes ſunt, & affectiones horum per ſe) loquitur de vnitate ſciẽtiæ, non de conditionibus ſubiecti; ita quod Ariſtoteles ibi vult dicere, quod illa ſcientia eſt vna, quę eſt vnius generis habentis partes, principia, & paſſiones: quaſi dicat nihil impedire, licet in aliqua facultate multa ſint, vt affectiones, prĩcipia, & ſpecies varię: quia ſufficit, quod habeant vnam radicem, & reducantur ad vnum genus; hoc enim ſufficit ad dandum illi ſcientiæ vnitatẽ, vbi apertè conſpicitur loqui de ſcientia generica, & de vnitate ſcientiæ genericæ.

Hanc eandem ſententiam ſequitur, & egregiè explicat Zabarella lib. de tribus pręcognitis cap. 2. quam multis temporibus ante ipſum Scotus adinuenit, vt patet ex prędictis locis, & multo magis ex declaratione ſequentis definitionis ſubiecti aſſignatę à Scoto.

Quo ad illam conditionem, an ſit Vniuocum, multa dicunt Scotiſtæ; ſed nos ijs omiſſis dicamus conſequenter ad dicta quod ſubiectum debet eſſe vniuocum, ad hoc vt ſit vnum, & ſcientia, quæ eſt de eo ſit vna, quod patet: quia debet eſſe vel genus, vel ſpecies, & genus, & ſpecies ſemper ſunt Vniuoca; ſed hæc conditio non eſt conditio ſubiecti, vt eſt ſubiectũ; ſed vt eſt vnũ; ita quod nõ eſt interna: ſed ad ſubiectum: conſequitur ſemper. Aliqui dicũt vt Zabarella libro de cõſtitutione Philoſophiæ naturalis, quod ſubiectum poteſt eſſe Analogum; quod nos quoque admittimus; quia ſuſtinemus Analogũ, ſiue ab vno, ſtare cũ Vniuocatione, vt in proprio q̃ſito ad mẽtẽ Scoti cõtra multos oſtẽdãt. *An ſubiectũ ſit vniuocum.*

Poſſumus itaque concludere, quod cõditiones neceſſariæ, & conſequentes neceſſariò eſſentiã ſubiecti ſunt tres. Prima, qđ de ipſo præcognoſcatur quod eſt, & quid eſt. Secũda, quod habeat principia, & paſſiones, quæ paſſiones demõſtrãtur de ſubiecto per hæc principia. Tertia deſumitur ex ratione ipſius ſubiecti, & eſt, quod ſubiectum ſit baſis, & fundamentum totius ſcientiæ adæquatum; ita quod omnia, quę conſiderantur in ſcientia ad ipſum reducantur, & nihil omittatur in ſcientia ſpectans ad ipſum, vt patet ex prædictis. Vnde Scotus etiam in quæſtione tertia Vniuerſalium, aſſignando conditiones ſubiecti, has tres numerauit. Iſtæ ſunt conditiones ſubiecti abſolutè, vt eſt commune ad ſubiectum genericũ, & ſpecificum, & ſubiecti ſciẽtiarum naturaliter adinuentarũ; quia in ſubiecto Theologiæ aliter eſt procedẽdũ vt ſuo loco, Deo dante, aliàs dicã.

THEOREMA V.

Definitio iſta ſubiecti eſt bona, ſubiectũ eſt, quod continet primò in ſe virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum.

Exponitur Opinio Scoti, & Aduerſariorũ obiectiones adducuntur. Caput Primũ.

Scotus primo Sentent. quæſtione tertia prologi, definit ſubiectũ, dicens, quod ratio primi, & adæquati ſubiecti eſt, in ſe *Scot.*

contínere primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectū. Hoc probat duabus rationibus. *Prima rō* Prima ratio eſt hæc. Obiectum primum continet propoſitiones immediatas; quia eſt ſubiectū illarum, propoſitiones immediatæ continent mediatas, quia ſunt ſuę cōcluſiones, ergo cōtinet omnes veritates ſui habitus, quia omnes ꝓpoſitiones alicuius habitus ſunt mediatæ, vel immediatæ, ergo obiectum cōtinet omnes propoſitiones, & veritates ſui habitus virtualiter. *Secunda rō* Secunda ratio eſt hæc. Obiectū reſpectu ſcientię ſe habet vt cauſa efficiēs reſpectu ſui effect⁹; ſed cauſa nō dicitur adęquata ſuo effectui, niſi cōtineat in ſe virtualiter totū effectum, ergo obiectū adęquatū debet cōtinere virtualiter totā ſcientiā in ſeipſo; Maior ſupponitur vera ex quęſtione illa: an obiectū cōcurrat cum intellectu ad generandum intellectionem: minor quoque eſt clara.

Caietan⁹. Caietan⁹ prima parte quæſtione prima articulo 7. circa definitionē ſubiecti diſsētit à Scoto, ait enim, quod licet illa ſit bona definitio, q̃ aſſignat Scotus, ſcilicet, qđ ſubiectum virtualiter continet omnes veritates, tamē hanc virtualem continentiā Scotus nō rectè intelligit: ait enim Scot⁹ quod ſubiectum debet ita virtualiter cōtinere veritates, quod ex ſe ſolo poſſit, & ſit ſufficiens producere ſcientiam omniū veritatum habitus, in quo eſt ſubiectū, quæ intelligentia eſt falſa, ait Caietanus, quia ſic in nulla ſcientia ſubiectum cōtinet virtualiter notitiam, & ſcientiam omnium veritatum illius ſcientiæ; quia in ſcientia de numero, numerus eſt ſubiectum, & tamē ex ſe ſolo nō poteſt producere omnes veritates in Arithmetica; vt veritates de binario, & ternario, quia paſſiones binarij non continentur in numero virtualiter adęquate, & ſufficiēter, ſed ad ſcientiam de binario requiritur prẹter numerum aliqua alia cauſa proxima, quæ adiuncta numero, qui eſt ſubiectum cauſet ſciētiā adęquate: hęc autem dicitur eſſe ratio formalis, ſecundum quam illa res eſt ſcibilis, vt ſic; adeò quod ſecundū eum, ſubiectū eſt tātùm cauſa radicalis ſcientiæ & continentia illa virtualis eſt continentia radicalis, quia eſt cauſa prima; ſed in ſuo ordine tantum: prẹter illam autem ad hoc, vt ſubiectum ſit ſufficiens cauſare ſcientiam, requiritur cauſa ꝓxima, ſcilicet ratio formalis, ſub qua illud eſt ſcibile. ſunt enim duæ rationes formales ſubiecti ſecundum Caietanū, prima parte, quęſtione prima, articulo tertio. Altera per quam ſubiectū eſt res, altera per quā eſt ſcibile, ita vt in Philoſophia naturali ens quod eſt ſubiectū, habet duas rationes formales, ſcilicet mobilē, per hanc eſt res; altera eſt vt eſt in materia ſenſibili, & hoc eſt ſcibile: ſubiectum ergo ſine hac ratione formali vt ſcibile nō eſt cauſa ſufficiens virtualiter cōtinens ſuū effectum. Hic ſuam opinionem probat exemplo omnium ſcientiarū: ait enim in Mathematicis, & vniuerſalibus cōſtat, quod tradūtur, & docentur paſſiones multarū ſpecierū, quæ nō poſſunt virtualiter, & ſufficienter, & adæquatè contineri in ſubiecto, vt dicebat Scotus: ita quod ſubiectū ex ſe ſit ſufficiens cauſare ſcientiā de illis. Dat exemplum de paſſionib. Triāguli, quarū ſcientiā non poteſt producere ſubiectū Geometriæ. *Exēplum.* Ex his reſpōdet ad primā rationē Scoti, quod nō concludit: quia eſt verū, quod ſubiectū continet virtualiter habitum, & eſt cauſa habitus; ſed non ſequitur quod ſit cauſa adæquata, & ſufficiēs abſque ratione formali, qua ſcibile: ſed eſt ſolū cauſa radicalis, & prima in ſuo ordine. *Ad primum Scoti.* Similiter ex dictis ad ſecūdum argumētū reſpondet, quod ſubiectū cōtinere virtualiter habitum, ſtat dupliciter, ſcilicet primo, & adæquate, & hoc eſt falſum. *Ad ſecūdū.* Secūdo modo vt prima ſit cauſa ī ſuo ordine, & hoc modo eſt verum; vt ſol eſt cauſa hominis prima ī ſuo ordine; ſed non adæquatè, & totalis, quia alia requiruntur. Ex his deducit, quod vna ſcientia ſpecifica poteſt eſſe de genere, & diuerſis ſpeciebus; quia ſufficit, quod ſubiectū illud generis ſit radix ſcientię aliorum, quę ſub ſe continentur; ideo illæ ſpecies licet habeāt diuerſas rationes formales, vt res, quæ in genere non continentur; quia tamen genus eſt prima cauſa & radix ſcientiæ eorum, & conueniunt in eadem ratione; qua ſcibile, vt dictum eſt, illa ſcientia diuerſarum ſpecierum, & illius generis erit vnius ſpeciei.

Gregori⁹ de Gregorius de Arimino primo ſentētiarū quæſtione quarta prologi articulo primo,

Ari- mino. mo,aduerſus Scotum longa ſerie rationũ inſurgit, & poſtea aſſignat aliam rationẽ ſubiecti. Pro impugnanda opinione Scoti diſtinguit,quod ſubiectũ,& paſſio poteſt accipi in propoſito dupliciter,primo modo prout ſunt termini mentales, & vt sũt in mente,& ſignificant res ipſas.Secundo modo prout ſunt res ipſæ extra mentẽ ſignificatæ p illos terminos. Hoc facto ponit ſex cõcluſiones,per quarũ quinque cõfutat mentem Scoti,per ſextam ponit ſuã opinionem.Prima cõcluſio,accipiẽdo ſubiectum, & paſſionem ſecundo modo, ſubiectum non continet virtualiter ſuã propriam paſſionẽ. Secunda,notitia ſubiecti incõplexa non continet virtualiter primò notitiam incomplexam, & quidditatiuã paſſionis.Tertia,ſubiectum,& paſſio non continẽt virtualiter propoſitiones immediatas, ſcilicet nõ poſſunt cõſtituere propoſitiones immediatas.Quarta,quod vna propoſitio,vel præmiſſa non continet aliã primò virtualiter. Quinta deducitur, qđ ſubiectum ſcientiæ non continet virtualiter primò omnes veritates illius ſcientiæ, cuius eſt ſubiectum, quod eſt oppoſitum opinionis Scoti. Probat primam cõcluſionem.Primò,ſi ſubiectum cõtineret ſic virtualiter ſuam paſſionem,tunc paſſio eſſet alia res à ſuo ſubiecto; conſequens eſt falſum; conſequentia patet: quia cauſa, & cauſatum diſtinguuntur realiter,quia nihil cauſat ſeipſum; at continere virtualiter,eſt cauſare,ergo paſſio cauſaretur a ſubiecto, & ſic eſſet alia res, quod eſt falſum. Falſitatem cõſequentis probat multipliciter; vide apud ipſum; quia non faciunt ad meum propoſitum.Secundò eãdem concluſionem ſic probat. Nulla res ſic contenta a creatura virtualiter, eſt in Deo; at multæ paſſiones dicuntur de homine, quæ etiam ſunt in Deo,vt incorruptibile,& creatiuum,ergo Deus non continet illas, ergo non omne ſubiectum continet paſſiones primo modo dictas de ſe. Tertiò, nulla creatura primò virtualiter continet aliquam rem, quia diuina eſſentia ſaltem partialiter concurrit,ergo non omne ſubiectum continet omnes paſſiones primò virtualiter. Quartò, Sphericitas eſt paſſio Cæli ex Philoſopho ſecundo Cæli com. 22. & tamen non continet illam virtualiter, quia illã nõ efficit, quia eſt æterna. Secundã concluſionẽ probat. Omnis notitia,quæ primò virtualiter cõtinet aliquã notitiam, ſic continet, quòd ſine illa eſt impoſſibile haberi cognitionẽ de illa alia notitia:ſed nõ omnis notitia ſubiecti ſic continet notitiã paſſionis, quod illa notitia paſſionis nõ poſſit haberi ſine notitia ſubiecti ergo notitia ſubiecti non cõtinet primò virtualiter notitiam paſſionis,maior patet ex dictis Scoti, dũ declarat cõtinẽtiã virtualẽ;minor probatur in multis paſſionibus,quę denotãt res diſtinctas à ſubiecto;vt eſſe informabile in materia in homine eſſe beatificabile, &c. nã quis poteſt hanc paſſionem beatificabilẽ cognoſcere abſque eo quod cognoſcat q̃d ſit homo. Similiter quid ſit informabilitas abſque eo quod cognoſcat quid ſit materia.Item corpus radioſum poteſt cauſare calorem in corpore calefactibili, & tamen quis poteſt cognoſcere calorem, & non habere notitiam corporis radioſi? & Reubarbarum eſt purgatiuum coleræ,at quis poteſt cognoſcere coleram non cognoſcendo Reubarbarum,& econuerſo. Item ad hominem ſi notitia ſubiecti contineret virtualiter notitiam cuiuſcumque paſſionis cognoſcendo ſubiectum, haberet notitiã cuiuſcumque notitiæ abſque notitia paſſionis,qđ eſt ridiculum; conſequentia patet ex ſe, falſitas conſequentis probatur:quia quis habens notitiã de ſole,nõ tamẽ ſcit quid ſit calefactiuum;ſed ſi ſcit,ex aliqua notitia priori ſciret, vt ex notitia caloris,& aliorum. Tertiã concluſionem probat,quia quis põt habere notitiã ſubiecti, & paſſionis,& neſcit conficere propoſitionẽ,vt ſi quis cognoſcat quid ſit Reubarbarum,& quid ſit colera;tñ neſciet facere hãc propoſitionẽ,omne Reubarbarũ eſt purgatiuum coleræ,quia hæc ſit ab experientia ex Ariſtotele in Procemio Metaphyſices,& ſic de alijs,ergo notitia ſubiecti,& paſſionis non cõtinet virtualiter hãc ꝓpoſitionẽ,& veritatẽ immediatã.Quartã cõcluſionẽ probat,quia alicuius demonſtrationis propoſitiones oẽs poſſunt eſſe immediatę,ergo vna nõ probat aliã.Quintam ex his deducit aduerſus Scotũ,quod ratio prioris obiecti nõ ſit cõtinere primò virtualiter oẽs veritates illius

Margin notes: *Pri- ma cõ cluſio* — *Secun da.* — *Ter- tia.* — *Quar ta.* — *Quin ta.* — *Pro bat primã cõclu ſionẽ.* — *Secũ- dã cõ cluſio nẽpro bat.* — *Ter- tia cõ cluſio* — *Quar ta cõ- cluſio*

lius habitus,cuius eſt obiectũ, probat ſic. Subiectum non continet veritates immediatas,ergo nec cõcluſionẽ illarum, & ſic nec immediatas,& ita nullam veritatem, cõſequentia patet:antecedens probatur. Subiectũ principij,ſiue propoſitionis immediatæ nõ continet primò paſſionem;vt probatum eſt in 1. concluſione, nec notitia ſubiecti notitiam paſſionis, nec notitia ſubiecti ſimul cũ notitia paſſionis cõtinet notitiã propoſitionis immediatæ, vt probatum eſt in 3. concluſione, ergo ſubiectum non continet virtualiter notitiã propoſitionis immediatæ; quãdoque etiã continet omnes propoſitiones immediatas,quarum vna non probat aliã,vt ex 4. concluſione,ergo relinquitur, quod ſubiectũ virtualiter non poſſit cõtinere veritates ſcientiæ,cuius eſt ſubiectum. Secundò ſic. Si ſubiectum contineret virtualiter omnem veritatem ſcientiæ, ſequeretur, quod contineret in ſe omnes cauſas,& effectus,vel nõ eſset ſciẽtia per cauſas,& effectus;hæc ſecunda pars conſequentis patet omnibus, quod eſt falſa; relinquitur ergo prima pars;ſcilicet,quod ſubiectum continet virtualiter omnes cauſas, & effectus;ſed hoc eſt falſum,vt patet ex dictis, quia nulla res creata continet notitiã alterius rei creatæ: alioquin,qui cognoſceret ſolem, cognoſceret omnia producibilia à ſole. Ex his ergo habetur, quod ſubiectũ non continet virtualiter omnes veritates illius habitus,cuius eſt ſubiectũ. Ex hoc deducit, quod etiã eſt falſum, quod Scotus dicit de ſubiecto pro formali, ſcilicet, quod ratio formalis ſubiecti debet continere omnes veritates illius ſciẽtię: falſitas enim huius patet ex dictis, quia ſi nihil continet virtualiter notitiã alterius, ergo nec ſub hac, vel illa ratione hæc continebit; hoc cõprobat multis exemplis de homine,qui eſt ſubiectũ in medicina, & de alijs ſubiectis, quæ non cõtinent veritates primò illius ſcientiæ, in qua eſt ſubiectũ. Itẽ ſequeretur, quod omnis ſcientia demonſtraret ſuam concluſionem à priori, quod ait ipſe eſt falſum apud omnes, datur enim ſcientia à poſteriori. Ex his ad rationes Scoti reſpondet. Ad primam aſſumit falſum, ſcilicet quod ſubiectum contineat propoſitiones immediatas virtualiter, quod falſum eſt, vt fuit probatũ in 5. concluſione, ergo nulla eſt illa ratio. Ad ſecũdam dicit quoque, quod aſſumit falſum,ſcilicet,quod ſubiectum adæquatum contineat habitum virtualiter,quod falsũ eſt:quia iſſe habitus cauſatur ex cõcluſionibus, cõcluſiones cauſãtur ex principijs, ſiue ex propoſitionibus immediatis; & ille non continentur in ſubiecto, vt dictum eſt,ergo. Tandem ponit ſuam opinionẽ,dicens,quod ratio propria ſubiecti prioris ſciẽtię eſt hęc, ſi loquimur de ſciẽtia prout eſt ſcientia vnius concluſionis, ſubiectum ſcientiæ eſt illud,qđ ſcitur per illam eſse tale; ita quod ratio ſubiecti nõ eſt cõtinere virtualiter veritates ſcientię, ſed ſciri eſse tale, vel tale: ſi verò loquamur de ſciẽtia, vt eſt collectio pluriũ habituum concluſionum diuerſarum: tunc ſicut ſunt plures cõcluſiones, ſic ſunt plura obiecta ſcita:illud tamẽ,ad quod cætera alia habẽt ordinem,& reducũtur, ſunt enim illa plura ordinata,poteſt dici ſubiectum. Hoc ſecundũ probat à ſimili de alijs ſcientijs de ſubiecto Phyſicæ, Medicinæ,&c. in quibus aſſignatur communiter aliquid cõmune pro ſubiecto, quod dat vnitatem ſcientię. Primam concluſionẽ probat:quia cõmuniter dicitur illud, cuius demõſtrantur partes,& paſſiones eſse ſubiectum;hoc autem eſt illud,quod ſcitur eſse tale. Præterea,hoc ſolo poſito,ſcilicet,quod ſcitur eſse tale,& de quo oſtẽduntur paſſiones, & hoc ablato nõ remanet ſcientia,ergo hæc definitio eſt vera,& propria definitio ſubiecti.

Secũdarũ. *Contra rationẽ formalo ſubiecti aſſignatã à Scoto.* *Ad 1. rõnẽ Scoti.* *Ad 2.* *Opinio Greg.*

Ioannes Bacchonus quoque aduerſus Scoti definitionẽ inſurgit quæſtione tertia Prologia. 2. primò ſic. Si ſubiectũ eſt, &c. ergo materia erit ſubiectum in Philoſophia naturali, quia continet virtualiter omnia ſcibilia illius ſcientiæ. Secundò ſequeretur,quod Deus eſſet ſubiectũ omniũ ſub ratione infinitatis, quia ſic ſolus Deus continet omnia virtualiter. Tertiò forma ſubſtantialis erit ſubiectum in Philoſophia naturali, quia ipſa effectiue cõtinet omnia in Philoſophia naturali; dat enim eſſe cuilibet. Quartò ſubiectũ eſt cauſa cognitionis accidẽtiũ virtualiter, vt patet quarto Metaphyſices, ergo ſubſtantia erit ſubiectum in Metaphyſica. Item adducit

Bacconi prima rõ. *Secũda.* *Tertia.* *Quarta.*

Primum argu. Aur. ducit argumēta Aureoli, ex Ariſtotele 1. Poſt.22. Vna eſt ſcientia totus, & partis, dicit enim Ariſtoteles, vna eſt ſcientia vnius generis ſubiecti, partes, & paſſiones habentis, ſed omnes veritates cognoſcibiles de ſubiecto partibus, & paſſionibus eius in nullo vno primo cōtinentur virtualiter; nam veritates paſſionum non continentur in ſubiecto primo, quia nō inſunt paſſionibus per rationem totius, ſed per rationem partium, vt riſibilitas in homine non ineſt per rationē animalis, ſed per rationem rationalis, ergo ſubiectum non continet omnes veritates. *Secūdum.* Secundò tunc ſequeretur, quod effectus eſſent ſubiectū in ſcientia, quia effectus virtualiter continent omnes veritates in ſciētijs quia. *Tertium.* Tertiò ſola ſcientia propter quid, haberet ſubiectum nō quia, quia ſolum ſubiectum in ſcientia propter quid, cōtinet virtualiter, conſequens eſt falſum, vt patet (aiunt ipſi) in 1. Poſt.tex.4. Itē 1. Poſt.tex.43. dicit, quod illud eſt ſubiectum, quod habet partes, & paſſiones, ſed partes, & paſſiones nō cōtinentur virtualiter in ſubiecto, ſed potentialiter, ergo continere virtualiter non eſt ratio ſubiecti ex Philoſopho. *Quartum.* Quartò, primum ſubiectum reſpicit effectum, vt cauſa, ſed reſpectu vnius ſcientiæ, poſſunt dari plures ſcientiæ. *Opin. Aur.* Tandem ponit Aureolus definitionem ſubiecti dicens (vt refert Bacchonus) quod ratio ſubiecti eſt eſſe genus ſubiecti habens paſſiones, & proprietates, ſeu partes determinans ſibi vnum genus, & vnum modum cognoſcendi, & addit, quod non ſequitur, quod illæ partes, & paſſiones contineātur virtualiter in ſubiecto, ſed ſufficit, quod reducantur aliquo modo ad ipſum, & hæc opinio poteſt probari ex 1. Poſt.text.43. vbi Ariſtoteles ait, quod ſubiectum eſt id, cuius principia, partes, & paſſiones, demonſtrantur.

Exponitur, & dilucidatur opinio Scoti, ex qua Aduerſariorum ſententiæ falſæ deprehenduntur. Cap. 11.

VErū vt apparet, quàm ſit vera opinio Scoti, primò duo præmittenda ſūt. *Primum* Primum quod duplex eſt ſubiectū in ſcientijs, ſcilicet ſubiectum ſpecificum, & genericum, ſicuti & ſcientiarū, alia dicitur ſpecifica, alia generica, ſubiectum ſpecificum, & ſpecies particularis, de qua inſtituimus ſcientiā, vt ſi inſtituamus ſcientiam de homine præcisè, quæ de nulla alia re pertractet, quàm de homine, illa ſciētia erit ſpecifica, quia ſubiectum eius erit hæc ſpecies homo; ſic de alijs. *notādum.* Subiectum genericum eſt genus, de quo inſtituimus ſciētiam tam quo ad ipſum, quā quo ad ſuas partes, & ſpecies. Subiectum ſpecificum eſt illud, quod definitur à Scoto; dū ait, quod ratio ſubiecti eſt virtualiter, primò continere in ſe omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectū, hęc enim definitio competit tantum ſubiecto ſpecifico, vt ipſe doctiſſime docet ī citato loco, ſoluendo ſecundum argumentum cōtra hanc definitionē factum; *Definitio. Scoti intelligitur de ſubiecto ſpecifico.* hoc enim obiectum, ſiue ſubiectum (pro eodem enim accipio nunc) eſt illud ſolū, quod cū intellectu facit notitiā (ſupponit enim quod cognitio partim fit ab obiecto, partim ab intellectu, & quod intellectus concurrit ad intellectionē partialiter, ſed principaliter, & obiectū partialiter etiam, ſed minus principaliter, vt in proprio quęſito oſtendit; adeo quod ſubiectū etiā ſe habet in ratione cauſę efficientis reſpectu ſcientiæ.) Cum ergo obiectum ſit illud, quod gignit ſcientiam cauſaliter, debet illam cōtinere virtualiter; ſi enim nō contineat illam virtualiter, nō poterit illam gignere; nemo enim dat, quod non habet, ſi etiā ſit adęquatum, debet cōtinere omnes veritates illius obiecti, ſcilicet debet eſſe potens gignere cū intellectu omnes veritates, & cōcluſiones habitus, & ſciētiæ de ſe ipſo obiecto. Hoc cōfirmatur: quia intellectus debet intelligere rē, & obiectū eo modo, quo eſt, ſi debet eſſe bona ſciētia, & vera; alioquin ſi intelligat aliquam cōcluſionē de aliquo obiecto, quæ vere non ſit in illo obiecto falſo, & male intelliget illud obiectū, & illa non erit ſcientia, ſed mendacium, & ignorātia: obiectum ergo ſpecificum vere ſic definitur. Subiectum, eſt, quod virtualiter cōtinet omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectū, id eſt ſubiectū eſt illud, ex quo vere intellect⁹ deducit omnes veritates illius habit⁹; at hæc definitio nō poteſt cōpetere ſubie-

ɛ̃to generico, q̃a huiuſmodi ſubiectũ cũ intellectu non poteſt gignere notitiã omnium veritatum illius ſcientiæ, in qua ſtatuitur ſubiectum; ſi quidẽ ſtatuitur ſubiectum propriæ ſciẽtiæ, & propriarũ ſpecierum, ac veritates ſpecierum tantum continet potẽtialiter, & in cõmuni quatenus cõtinet eaſdẽ ſpecies in aliquo conceptu vniuerſali, & cõi, ſicuti genus cõtinet ſpecies in ſe: vt exẽpli gratia, ſubſtãtia continet animal, corpus, leonẽ, & multa alia potẽtialiter, nõ autem actu, ideo intellectus apprehẽdendo hoc ſubiectum ſubſtantię nõ poteſt gignere cognitionem huius cõcluſionis: Homo eſt riſibilis, quia illa continetur tãtũ in potentia, in ſubſtantia, nõ actu; at homo, qui eſt ſubiectũ ſpecificũ, poteſt gignere ex ſe notitiã huius cõcluſionis, homo eſt riſibilis, quia illa paſſio actu cõtinetur in homine, & ſic homo virtualiter cõtinet hãc veritatem, homo eſt riſibilis, quia poteſt gignere notitiam huius veritatis. Homo eſt riſibilis.

Zabarella Eandẽ diſtinctionem poſuit Zabarella in ſuo lib. de trib. præcognitis, cap. 2. vbi reprobat opinionẽ illorũ, qui volebant inter conditiones ſubiecti ſcientiæ ſpeculatiuæ poni hãc, quod habeat partes, ſiue ſpecies, & per hãc rationẽ potiſſime reijcit, quia inquit põt eſſe aliqua ſpecies ſpecialiſſima, de qua ſit ſciẽtia, in hac ſcientia non erunt partes, nec ſpecies, & dat exemplum, vt ſi eſſet ſcientia de homine; vnde concludit ſolum in ſcientijs genericis requiri illam conditionem, quæ eſt, quod ſubiectum habeat partes, quod ipſe appellat ſubiectum totius; & ne tibi hoc videatur grãde quoddam, eſt hæc diſtinctio eadem cum illa, qua cõmuniter vtimur; ſubiectum duplex totius, & partis, q̃d eſt, ac ſi dicamus genericũ, & ſpecificum. *Cõtra quoſdam Scotiſtas.* Hæc dixiſſe volui propter multos ex noſtris, qui volũt applicare illã definitionẽ Scoti ſubiectis genericis, vt ſunt ſubiecta ſciẽtiarũ naturaliter adinuentarũ, & putat de illis verificari, quod falsũ eſt, cũ illa ſint ſemper generica, & propterea nõ poſſunt gignere notitiam veritatũ, in quib. ſtatuitur ſubiectũ, vt dictũ eſt. His viſis aduerſariorũ dicta cõſideranda sũt.

Caietani In primis in dictis Caietani multa falſa ſunt. Primò falſum eſt, quod continentia virtualis ſubiecti intelligatur eo modo, *opinio reijcitur.* quo explicauit ipſe, ſcilicet, quod ad hoc, vt ſubiectum ſit cauſa ſufficiẽs pariẽdi cognitionẽ veritatũ illius habitus, cuius eſt ſubiectũ, requiratur illa ratio, qua eſt ſcibile, præter rationẽ formalẽ, qua eſt res. Secundò dato quod cõtinẽtia virtualis intelligatur, vt ait ipſe, falſum eſt, quod ſubiectum genericũ cõtineat oẽs veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum, vt ipſe vult, & alia quæ breuitatis cauſa omitto.

Prima ratio. Primũ patet ex ijs, quę dixit Scotus in probatione definitionis ſubiecti, certum eſt .n. quod ſolum intellectus, & obiectum cauſant notitiã, vt ſuo loco explicabitur; hæc ratio formalis obiecti, qua eſt ſcibile, nõ requiritur ex parte intellectus, quia intellectus eſt ſufficiens cauſa quantum eſt ex ſe, & in ſuo ordine, ergo requiritur ex parte obiecti ſolum, tunc ſic. Si obiectũ ex ſe, quantũ eſt ex parte obiecti, non põt producere ſcientiã de ſeipſo, ſed requiritur aliquid aliud ad hoc, vt ſufficiat ad producendũ hanc notitiã, ſequitur, quod illa ſciẽtia nõ erit totaliter, nec adæquatè de illo obiecto, vt exẽpli gratia, Homo ſit ſubiectum in ſcientia de ſemetipſo: ſi homo ex ſe nõ ſit ſufficiens parere ſui notitiam in ratione obiecti, ſed requiratur aliquid in ratione obiecti, iam non erit illa ſcientia de homine ſolum, ſed de duobus ſcilicet de homine; & de illo alio adiuncto homini, & ſic ſequeretur, quod nulla ſcientia eſſe poſſet de vno obiecto, de quo ſtatuitur: ſed ſemper eſſet de aliquo alio ſimul. Eſt ergo ridiculum dicere, quod obiectum ſit cauſa prima in ſuo ordine, ſed non ſufficiens, quia ſi non eſt ſufficiens in ratione obiecti cauſare ſui notitiam, ſed aliud requiritur etiam in ratione obiecti, amplius non eſt ſcientia de illo, ſed etiam de eo adiuncto ſimul. Confirmatur: quia hæc ratio, qua ſubiectum eſt ſcibile, vel eſt aliquid diſtinctum à ſubiecto realiter, vel eſt idem realiter, ſi eſt idem realiter, ergo ipſa quoque erit ratio, qua ſubiectum eſt res, quod negat ipſe Caietanus, & vlterius tunc ſuperflue rent tot rationes formales poſitæ à Caietano conſtituentes ſubiectum in eſſe. Si eſt quid diſtinctum, ergo ex illo, & ſubiecto fiet vnum per accidens, & ſic ſcientia

tia

tia eſſet de vno obiecto per accidens; at de ente per accidens non eſt ſcientia, & cõſequenter nullum tale ens poteſt poni ſubiectum in aliqua ſciẽtia. Præterea hęc ratio formalis ſubiecti, qua eſt ſcibile, adinuenta à Caietano, nõ eſt res, de qua habetur ſcientia, ſed eſt modus, quo cõſideramus ſubiectũ; adeo quod potius eſt contractio quædã obiecti materialis, mediante qua proteſtamur nos nõ abſolutè conſiderare illud obiectũ, ſed ſolum ſub hac ratione, vt exẽpli gratia ſecundũ Caietanũ cũ dicit, Phyſicus conſiderat ens nobile, ſed ſolũ, vt eſt in rebus ſenſibilibus; ecce quod hæc ratio formalis, ſub qua ens mobile eſt ſcibile, in ſcientia naturali nõ eſt res, de qua habeamus conclnſiones, & ſcientiã: ſed eſt modus, & cõtractio quædã, ſub qua cõſideramus ens mobile, vnde Caietan⁹, nõ diceret, qđ veritates Phyſicæ ſint de hac ratione formali, vt in reb. ſenſibilibus, ſed de ente mobili ſub hac ratione, vt eſt in rebus ſẽſibilibus, quod eſt dictũ de ente mobili quo ad hunc modũ tãtum, vt eſt in materia ſenſibili, & hoc fatetur ipſemet Caietanus, dum inquit, ꝙ in quolibet ſubiecto eſt duplex ratio formalis, altera, qua ſubiectum eſt res, altera, qua eſt ſcibile; Hęc ergo ratio formalis, qua ſubiectum eſt ſcibile, nõ eſt quid ptinens ad ſubiectum quatenus eſt res, de qua habetur ſcientia, ſed ad modum, quo eſt ſcibile. Tunc ſic: ratio pręciſè limitans conſiderationem ſubiecti non tribuit illi ſubiecto virtualem continentiam illius conſiderationis, hæc de ſe patet: at hęc ratio, qua ſubiectum eſt ſcibile, ſolum limitat conſiderationem ſubiecti, ut dictum eſt, ergo non eſt ratio, propter quam ſubiectum cõtineat oẽs veritates illius habitus, & cõſiderationis; ſed ſolùm eſt ratio cur illud ſubiectum, & illa ſcientia ſint adæquata. Inſuper ſic arguo. Subiectum ſcientię cõtinet veritates in ſe virtualiter quatenus eſt res talis, nõ autem quia ſub hocmodo conſideratur: ergo continentia virtualis ineſt ſubiecto, vt res, non ut hoc modo ſcibile, ergo ſi ex ſe quatenus eſt res non eſt ſufficiẽs cauſa veritatum de ſe ſcibilium neque erit cauſa ſufficiẽs per illã rationẽ formalẽ, qua eſt ſcibile, quia illa non eſt pertinẽs ad rẽ ſubiecti, ſed ad modum quo cognoſcit. Confirmatur exempli gratia: ſi quis vellet inſtituere ſciẽtiam de aliquo obiecto ſub aliqua ratione formali, quę nõ eſſet in ſubiecto realiter, ſed eſſet extrinſeca, nulla eſſet ſciẽtia, vt ſi qs vellet inſtituere ſcientiã de homine, vt eſt incorporeus, nulla poſſet eſſe ſciẽtia, quia homo non eſt res incorporea, & ideò nullam põt gignere veritatẽ cõficientem talem habitum, patet ergo, quod ratio formalis, qua quid eſt ſcibile, non eſt quid diuerſum ab ea, quæ continet veritates, ſed eſt ipſamet res, quæ eſt obiectum.

Secũda ratio.

Tertia ratio.

Ex his colligitur, ꝙ ratio formalis ſubiecti, qua eſt ſcibile, nõ eſt quid diuerſũ à ratione formali, qua eſt res, ſed idẽ ſũt, & quod ratio formalis non dat ſubiecto virtualẽ cõtinentiam, ſed ſolum facit ſciẽtiam adęquari ſubiecto, vt dixit ẽt in materia de ſubiecto logicæ. Præterea, non vitat rationes factus à cõtrarijs, ſcilicet Gregorio, & Baccono; quia nullum genus, ẽt cũ hac rõne, qua eſt ſcibile, poteſt continere virtualiter veritates ſpecierum, quia ſpecies actu nõ cõtinentur in genere, ſed potẽtia; & ideò cognitio generis non poteſt gignere cognitionẽ ſpecierum; & ita ens mobile etiam cum hac rõne, vt in materia ſenſibili, nõ cõtinet in ſe actu omnes ſpecies, & paſſiones, quæ ſunt in Philoſophia, vt elementa, mixta, mineralia, & cętera: & qui perfectè cognoſceret ens mobile, vt in materia ſenſibili ĩ comuni tãtũ, vt eſt genus non poſſet habere totum habitum Philoſophiæ naturalis; ſed eſſet neceſſe, quod nedum cognoſceret in cõmuni ens mobile, ut in materia ſenſibili; ſed etiam eſſet neceſſe, quod cognoſceret omnes ſpecies eius. Ex dictis etiã apparet, ꝙ Aureolus, Gregorius, & Bacconus non rectè perceperunt mentem Scoti; neque enim Scotus ſpreuit illam definitionem ſubiecti, quam aſſignat ſępius Ariſtoteles. Subiectum ſciẽtiæ eſt, de quo pręcognoſcitur quod eſt, & cętera; immò Scot⁹ eã admittit pluribus in locis in ſuis ſcriptis, & eam declarat, ut uiſum eſt in præcedenti quęſito; ſed quia illa erat communis tã ſubiecto generico, quã ſpecifico, ipſe adduxit hãc definitionẽ de ſubiecto ſpecifico, quæ non eſt diuerſa ab illa cõmuni; ſed ſolũ eſt particula addita definitioni in

Quarta rõ.

Reſciũtur Greg. Bacconus, & Aureol.

in communi, quæ contrahit illam ad definitionem ſubiecti ſpecifici hoc modo. Subiectum ſpecificum eſt, de quo præcognoſcitur, quod eſt, & quid eſt, cuius sūt principia, & paſſiones, & virtualiter continet omnes veritates illius habitus, cuius eſt ſubiectum; per hanc vltimā conditionem differt à generico; hæc autē conditio deducitur ex natura ipſa ſubiecti ſpecifici, vt probauit Scotus. Subiectum verò genericum ſic definiri poteſt: ſubiectum genericū eſt illud, de quo in ſcientia, in qua eſt ſubiectum præcognoſcitur, quod eſt, et quid eſt, habēs partes, principia, & paſſiones; quod autem hæc definitio competat ſubiecto ſcientiarum naturaliter adinuentarum, ac Philoſophiæ naturali, & Metaphyſicæ patet; quia omnia, quę in illis sūt, vel ſunt partes, vel paſſiones, vel principia ſubiecti, & in illis ſemper de ſubiecto ſuo precognoſcitur, quod eſt, & quid eſt.

Definitio ſubiecti ſpecifici. *Definitio ſubiecti generici*

Solutio rationum aduerſariorum. Cap. III.

PRo ſolutione igitur rationum Aduerſariorum notandū eſt Primò, qđ Scotus dicit, quod ſubiectum continet virtualiter veritates illius habitus, cuius eſt obiectum; non dicit autē, quod ſubiectum cōtineat virtualiter eſſe paſſionis, ita qđ cauſet paſſionē in eſſe, licet etiā hoc ſit verū; nec minus ait, quod ſubiectum contineat virtualiter, notitiam paſſionis, vt eſt quid incōplexum; ita, vt velit inferre, quod ſubiectum eſt cauſa virtualis cognoſcendi, quid eſt paſſio in ſe; licet etiam hoc verū ſit, quia definitio propter quid pfecta verſa in demonſtrationem eſt definitio accidentis proprij; & ideo ſicuti ſubiecti definitio eſt cauſa, & principium demonſtrationis, eſt etiam cauſa cognoſcendi, quid eſt paſsio, vt diximus in Theoremate an omnia per demonſtrationem cognoſcantur: ſed intelligit Scot⁹, quod ſubiectū eſt cauſa, vt verificētur propoſitiones, in quibus ponitur inhærētia paſsionum cum ſubiecto, vt quod hæc ſit vera. Homo eſt riſibilis, quod.n. hæc ſit vera prouenit ex ſubiecto, quia hæc veritas eſt in illo, & cum ſit in illo eſt cauſa, quod intellectus intelligendo ſubiectum ſimul cum ſubiecto veritatem illam producit in actu. Secundò notādum eſt, quod duplex eſt ſubiectum, ſcilicet genericum, & ſpecificum, vt ſupra dictum eſt. Ex his ad argumenta, ex primo notandum patet ad argumenta Gregorij de Arimino; nam argumenta facta in ſua prima concluſione non concludūt aduerſus Scotum: quia illa probant, quòd ſubiectum non continet virtualiter paſſionem, quo ad eſſe ſimpliciter, de quo non loquitur modo Scotus; ſolum enim dicit, quod continet virtualiter veritates habitus, vel notitiā veritatum habitus, quod idem eſt, vt dictum eſt nuper in primo notando; ideo cum non ſint ad propoſitum dimittuntur; de ſubiecto autem, & paſſione, quomodo ſe habeant ad inuicem, an ſint idem, vel non, ſed vnum contineat aliud, declarabo in proprio quæſito.

Primum notandum. *Theore.17.* *Secūdū notādū.* *Ad rōnes Greg.*

Similiter argumenta facta pro ſecunda concluſione non cōcludunt aduerſus Scotum; quia Scotus non dicit, quod notitia ſubiecti cōtineat virtualiter notitiam paſſionis ſecūdum ſe, vt eſt quid completum, vt dictum eſt in principio notando; ſed dicit, quòd ſubiectum continet virtualiter notitiam inhærentiæ paſſionis in ſubiecto; ſubiectum enim eſt cauſa, quod propoſitio, in qua dicitur, quod paſſio inhęret ſubiecto, ſit vera, & ſic eſt cauſa virtualis veritatis illius propoſitionis (& nota, quod in propoſito dicere continet virtualiter veritates habitus, eſt dicere continet virtualiter propoſitiones veras illius habitus, quia veritates hic idē ſunt, quod propoſitiones veræ.) Præterea, illa argumenta non concludunt propoſitū ſuum, nam vt aliàs videbitur non poteſt cognoſci paſſio ſecundum propriam quidditatem perfectam, niſi per ſubiectum. Vndè argumentum primū non concludit: quia falſum eſt, quod quis poſſit habere cognitionē paſſionis proprij ſubiecti, nec ſciat, quid eſt ſubiectum: quia implicat loquendo de cognitione quidditatiua, quietatiua, non de cognitione, quid nominis, ergo enim non cognoſcam, quid ſit riſibilitas cognitione, quid rei, niſi cognouero, quid eſt ſubiectum, à cuius principijs ipſa propria paſſio habet eſſe, ideò dicebat Ariſtoteles in 1. Poſteriorum, declarando ſecundum modum dicendi per ſe, & in 7.

Ad argumēta pro 2. cōcluſione.

Meta-

Metaphyſices,& alibi, vt in quæſtionibus Metaphyſicalibus dicam, quòd in definitione propriæ paſſionis neceſſariò ingreditur ſubiectum, partes autem definiti ſunt notiores definito, ergo per hoc patet ad exempla corporis radij,& Reubarbari,quòd ſi ille ſint propriæ paſſiones,& non accidentia communia, non poſſunt cognoſci ſine cognitione ſubiecti. Argumenta pro 3.concluſione faciunt ad propoſitum, ſed non concludunt, quia eſt impoſſibile, quod quis cognoſcat terminos, & ſi habet intellectum ſanum, non faciat compoſitionem; & cũ probat quia quis cognoſcet Reubarbarum, & coleram, tamen neſciet facere hanc complexionem. Reubarbarum eſt purgatiuum coleræ, dico quod hoc erit quia cognoſcet tantum quid nominis illorum termi norum Reubarbari,& coleræ;ſed ſi ſciat, quid rei,eſt impoſſibile, quòd neſciat cõponere, vt dictum eſt, experientia autem ſciũtur illæ propoſitiones,quia ſolum cognoſcimus quid nominis terminorum:ex experientia poſtea venimus in cognitionem effectuum illius rei,cuius nomen ſcimus ex effectibus; deinde venimus in cognitionem paulatim naturæ,& ſic per viã experientiæ, & per ſenſum venimus in cognitionem quid rei rerum,& deinde complexionis earum,& ſic paritur ſcientia.

Ad argumẽta pro 3.concluſione.

Ad argumẽta pro 4.concluſione.

Ad argumenta pro quarta cõcluſione dico,quod non ſunt ad propoſitum:quia non dicit Scotus, quod propoſitio immediata probetur per aliã immediatam, ſed mediata per immediatã; illa autem argumenta probant,quod immediata nõ probat aliam immediatã;ideò conceduntur.

Reſp. ad argumẽta 5. concl.

Per hæc patet ad argumẽta quintæ cõcluſionis. Ad primum negatur antecedẽs;ad probationẽ,quæ inititur cõcluſionibus illis quinque reſponſum eſt, quod partim nõ ſunt ad propoſitium,& quæ ad propoſitum,non concludunt, vt viſum eſt in vnaquaque; dicimus enim nos,quod notitia ſubiecti continet virtualiter notitiã inhęrentiæ ſubiecti,& paſſionis. Ad ſecũdum nego conſequentiã,ad probationem dictum eſt, quomodo intelligatur contiñetia virtualis ſubiecti in propoſitione;nõ enim dicimus,quod cõtineat virtualiter, quo ad eſſe, ſed quo ad notitiam, nec dicitur, quòd continet omnes paſſiones, vt ſunt res, ſed quod continet veritates, & propoſitiones veras tantũ,quæ integrant habitum illius,cuius eſt ſubiectum. Ex hoc ſequitur,quod falſum eſt,quod dicit de ſubiecto formali;ſicuti enim impugnatio,innitebatur his fundamentis falſis;ita ijs deſtructis peribit. Ex his etiam apparet, quod rationes Scoti non ſoluuntur, quia per hæc fundamenta ad illas reſpondebat; ita,vt in ſuo robore maneant. Per dicta etiã impugnatur poſitio ipſius Gregorij,ſtãre enim veritate opinionis Scoti, remanet falſa opinio Gregorij. Præterea, hæc definitio Gregorij non declarat quid rei ſubiecti,ſed ſolum quid nominis,ergo non eſt bona definitio, quia in propoſito quærimus definitionem,quid rei. Antecedẽs probatur,quia dicere,ſubiectum eſt, quod ſcitur eſſe tale, eſt dicere, ſubiectũ eſt illud, de quo prædicatur talis paſſio, vel talis; modo apparet, quod ſic dicere, non eſt dare,& aſſignare naturam ſubiecti,ſed quo ad nomẽ notificare; ſic enim notificamus,quis nam terminus ſit,qui dicatur ſubiectum, & dicimus,quod eſt ille, de quo talis paſſio ſcitur, & quod ſcitur eſſe tale: ſed hic quærimus definitionem,quid rei, quia ſcito quiſnam ſit terminus, quid dicatur ſubiectum, vlterius quærimus naturam huius, quod dicitur ſubiectum, propter quam ei competat, quod talis ſcientia de ipſo dicatur: cui quęſito optimè Scotus ſatisfacit ex Ariſtotele, quòd natura ſubiecti eſt continere primò virtualiter veritates illius habitus, cuius eſt obiectum, vt dictum eſt ſupra, et propter hanc continentiam virtualem de illo eſt talis,& talis ſcientia. Ad rationes Bacconij patet quoque ex primo notãdo, quia hic non loquitur de continentia virtuali, quo ad eſſe reale, vt ſupponunt omnia ſua argumenta:ſed loquitur de cõtinentia virtuali veritatum ſcientiæ,vt dictum eſt ſupra;ideò nihil cõcludunt. Ad quartũ dicendum,quod falſum eſt,quod ſubſtantia contineat virtualiter notitiam accidentium communium, vt facit obiectum veritates ſcientiæ. Ad probationem dico,quod non poſſunt ſciri quietatiuè ipſa accidentia ſine ſubiecto, quia ſubſtãtia eſt ſubiectum inhęſionis eorum, vt ibi dicit Ari-

Ad 1. *Ad 2.* *Rationes Scoti ſũt efficaces.* *Ad rationes Bacconi.*

cit Ariſtoteles, tamen per ſeipſa poſſunt quidditatiuè cognoſci abſque ſubiecto, vt ſuo loco dicã. Ad Aureolum patet per ſecundum notandum, quod duplex eſt ſubiectum, ſcilicet genericum, & ſpecificum: concludunt argumenta de ſubiecto generico, non de ſpecifico; nos autem loquimur de ſpecifico, & ſic patet ad primum; maior enim, quæ eſt Ariſtotelis loquitur de ſubiecto generico. Ad ſecundũ reſpondetur, quod cognitio habita à poſteriori non eſt ſcientia, ſed reducitur ad intellectum. Præterea, ſcientia propter quid, reſpicit effectus, & paſſiones, & de hac propriè loquitur Scotus; ſciẽtia à poſteriori, reſpicit cognitionem ſubſtantiæ, vt dicam in Theoremate, An omnia per demonſtrationem cognoſcantur. Ad tertium concedo, quod ſola ſcientia propter quid, eſt ſcientia verè, & propriè; impropriè autem dicitur ſcientia cognitio à poſteriori, vt dictum eſt. Ad alia argumenta patet per reſponſionem allatam. Ad primum. De opinione Aureoli dicitur, quod eſt vera de ſubiecto generico, quod cõcedo, & hanc tenet Scotus, vt viſum eſt.

ad Aureol.

Theo. 17.

Ocham, & Biel 9. quæſtione Prologi contra Scoti definitionem arguunt; ſed ſuæ rationes, & poſitio eſt eadem, quæ eſt Gregorij: ideò impugnationes, & ſolutiones rationum Gregorij ſatisfaciunt Occham.

Opinio Occhã, & Biel.

THEOREMA VI.

Subiectum logicæ eſt ſyllogiſmus.

Exponitur ſententia Scoti, & quorundam aliorum. Cap. Primum.

Scot.

SCotus in tertia quęſtione Vniuerſaliũ, recitat multas opiniones, ſed tamen ipſe approbat, quod ſyllogiſmus ſit ſubiectum in tota logica, & intelligit, quod eſt ſubiectum conſiderationis adæquatũ; Præcipua ratio eſt: quia tres ſunt cõditiones requiſitæ ad ſubiectum, prima quod de ipſo præſupponatur quod eſt, & quid eſt, ex primo Poſteriorum textu ſecundo. Secũda, quod habeat principia, & paſſiones, per quæ principia tales paſſiones oſtẽdantur de ſubiecto; hæc deſumitur ex primo Poſteriorum text. 43. Vna ſcientia eſt vnius ſubiecti habentis principia, & paſſiones. Tertia eſt, quòd omnia tractata in ſcientia ad ipſum reducantur, quæ deſumitur ex natura propria ſubiecti, quia ſubiectum eſt, quod ſubſtratur toti ſciẽtiæ, & de quo ſcientia eſt, & à quo habet vnitatem, & diſtinctionem ab alijs, ideo oportet, quod omnia reducantur ad ſubiectũ, tunc ſic arguit. Hæ omnes conditiones cõpetunt ſyllogiſmo, ergo ſyllogiſmus eſt ſubiectum. Probatur antecedens, quia Ariſtoteles poſt tractationem de partibus ſyllogiſmi, ſiue de principijs eſſendi ſyllogiſmi, tã remotis, quàm proximis, ſtatim in primo Priorum præmittit definitionẽ ſyllogiſmi, & ſic ſupponit quod eſt, quia cum aſſignamus de aliqua re quid eſt, ſupponimus quod eſt, quia quid eſt, ſequitur ad quod eſt; deinde per definitionem illam; tãquam per principium cognoſcendi (nam definitio ſubiecti eſt vnum principium cognoſcendi in ſcientia. Vnde Ariſtoteles in primo Poſteriorum, cap. ſecundo appellat definitionem, ſuppoſitionem, quia definitio ſubiecti in ſcientia ſemper ſupponitur pro vera, & inſeruit pro principio ad cognoſcendum paſſiones de ſubiecto) procedit ad oſtendendũ multas paſſiones de ſyllogiſmo. Habet ſecundam conditionem, ſunt enim in logica multæ paſſiones ſyllogiſmi, quæ de illo oſtenduntur tam in libris Priorum, quã in alijs. Habet etiam tertiã, quia omnia, quæ tractantur in logica, vel ſunt partes ſyllogiſmi, vt termini, & propoſitiones, de quibus in prædicamentis, vel ſpecies ſyllogiſmorum, de quibus in alijs libris, quæ omnes reducuntur ad ſyllogiſmum in cõmuni; ſicuti, & in Philoſophia naturali agitur de varijs ſpeciebus corporis naturalis, & de eorum principijs, quæ tamen omnia reducuntur ad corpus naturale, tamquam ad ſubiectũ totale; nam in his ſcientijs naturaliter adinuentis ſubiectum eſt genericum, non ſpecificum, vt dictum eſt in quæſtione de conditionibus ſubiecti, Et ex his fundamentis confutat etiam opinionem Diui Thomæ, & Aegidij, qui dicunt, quod conceptus mentis, ſiue ens rationis, eſt ſubiectum in logica; ratio eſt: quia illis deficiunt tres enumeratæ conditiones:

Prima rõ

Theo. 4. D Thom. et Aeg.

tiones: de prima patet, quia nullibi aſſignatur definitio entis rationis. Iterum de ſecunda patet, quia ſi non habeat definitionem, non poterunt oſtendi paſſiones de illo per definitionem: deficit etiam ei tertia, quia eſt nimis commune, licet de hac non loquatur Scotus, quia extẽditur ad grammaticam, nam & ipſa eſt de ente rationis. Cæteræ opiniones diuerſæ a Scoto per hæc eadem fundamenta confutantur, vt, quilibet videre poteſt in eademmet quæſtione tertia vniuerſalium.

Zabarella. Zabarella lib. 1. de natura logicæ c. 14. deridet laborãtes circa hoc quæſitum: ait enim horũ pugnam eſſe veluti cæcorũ cõtentionem, & fruſtra laborare, dum quærũt ſubiectum proprie dictũ in logica, cũ tale minime reperiatur, & poſt multa dicta ab eo, in ca. 16. & in ca. 17. cõtra hanc ſententia vnico argumẽto inſurgit, quod eſt hoc, Logica non eſt ſcientiæ, ergo non habet ſubiectum propriè dictum: antecedens, & conſequens ſatis in eo libro probauit, dum oſtendit, quod logica docens nõ eſt ſcientia, dum etiam oſtẽdit quod tale ſubiectum propriè dictum eſt illud, quod habet illas conditiones, ſcilicet, quod eſt ens reale exiſtẽs, quod remanet etiam ceſſante operatione noſtri intellectus, quod ex propria natura habet principia, & affectiones, huiuſmodi autem ſubiectum ſolũ habent ſcientiæ ſpeculatiuæ. Syllogiſmus autẽ eſt ens rationis tantum, concedit tamẽ, quod ſi accipiamus ſubiectũ pro fine vniuerſali totius logicę, quod ſyllogiſmus ſit finis, & ſubiectum logicæ; ſed tunc erramus aſſignantes illi illas tres conditiones, ſiquidem illæ ſolum competunt ſubiecto reali, & propriè dicto, cuiuſmodi eſt ſubiectum ſcientiarum cõtemplatiuarum tantũ. *Reijcitur.* Sed hæc obiectio faciliter tollitur per ea, quæ diximus in pręcedentibus; oſtendimus enim, quod logica eſt ſcientia, & quod eſt de ſyllogiſmo, qui licet nõ ſit omnino ens neceſſarium; tamen fundamentaliter eſt ens neceſſarium ſicuti alię ſecũdæ intentiones, vt prędiximus: fundantur enim in primis, & à primis pullulant; licet perfectè, & complete habeãt eſſe ab intellectu, & talis neceſſitas ſufficit ad eſſe ſubiectum in aliqua ſciẽtia & hinc eſt, quòd ſcientia logica eſt vilis ſcientia, quia eius ſubiectum eſt quoddam ens exiguum, ſed non tamen propter hoc ſequitur, ſed ipſa non ſit ſcientia, & eius ſubiectum non ſit ſufficiens ſubiectum.

Adducuntur argumenta Balduini contra Scotum, & eiuſdem opinio. Cap. II.

Balduinus. BAlduinus in proprio quęſito de ſubiecto logicæ aduerſus Scotũ inſurgit, & primo probat, quod eius opinio eſt diminuta. Secundo quod eſt falſa. Primum probat, quia in ſubiecto ſunt duo, ſcilicet materiale, & formale, vt ſciunt periti. *Primarõ* Scotus aſſignat tantummodo ſubiectum materiale, quod dicit eſſe ſyllogiſmum, tamẽ nõ aſſignat vllam rationem formalem, neque modum, quo talis ſyllogiſmus cõſideretur in logica, & ſic eſt diminutus. Secundũ, quod ſit falſa probatur primo ſic; quia Ariſtotel. primo Poſt. tex. 179. dixit, quod ſubiectum totale debet eſſe vnum cõprehendens omnia, vel vt ſpecies, vel vt principia, vel vt paſſiones, ſed multa ſunt in logica, quæ non reducuntur ad ſyllogiſmũ tamquam ſpecies ad genus, nec vt paſſiones: ſed tantum, vt imperfectum ad perfectum, ergo ſyllogiſmus non poteſt eſſe ſubiectum; minor probatur, quoniam Inductio, Enthimema, & Exemplum conſiderantur in logica, & tamen nõ ſunt principia, nec ſpecies, nec paſſiones ſyllogiſmi ergo. *Secũda.* Secundo neque etiam omnia tractata in logica reducuntur ad ſyllogiſmum, ſiue nõ tractantur in gratiam ſyllogiſmi, ſed in gratiam definitionis, vt ipſe in proprio quęſitio oſtendit: ergo non eſt ſubiectum. *Tertia.* Tertio Scotus ſibi ipſi contradicit, quia in libro Priorũ quęſtione ſecũda ait, quod ſyllogiſmus non eſt ſubiectum, quia deficit ei tertia conditio: nã in logica agitur de diuiſione, definitione, &c. quæ non reducuntur ad ſyllogiſmum. *Quarta.* Quarto iterum ſibi contradicit, quia in illamet quæſtione primi Priorũ ait, quod ſubiectũ in logica eſt inſtrumentum cognoſcendi. *Quinta.* Quinto errat Scotus, quia pro eodem accipit ſubiectũ proprium, & primũ, quod facere nõ debet; quia in Metaphyſica ſubſtantiæ abſtractę ſunt primũ, & principale ſubiectũ: non tamẽ proprium; ſed illud eſt ens. *Sexta.* Impugnat etiã fundamentum Scoti, per

ti, per quod arguit contra Diuum Thomam,& Aegidium ſic;malè aſſignat cõditiones ſubiecti, quia non ſemper de ſubiecto oportet prœcognoſci, quod eſt,& quid eſt; quia Ariſtoteles primo Poſteriorum tex. 25. ait,quod de ſubiecto non ſemper prœcognoſcitur eſſe,neque quid nominis, quãdo eſt notum, & ſubinfert ridiculum eſſe talem præcognitionem præmittere ſecundum Themiſtium,quia quicumque illam à domo ſecum defert. Secundo ens

Septima. ſecundum Scotum eſt ſubiectũ adæquatum in Metaphyſica, & tamen de eo non præcognoſcitur quod eſt,neque quid eſt, quia ens non definitur,ergo hęc conditio non rectè aſſignatur à Scoto, vel ens non eſt ſubiectum in Metaphyſica, quod eſt

Octaua. cõtra ipſum. Tertio quãdo ſubiectum eſt per ſe notũ non oportet præcognoſci quid nominis,quia ars verſatur circa difficilia,

Nona non circa facilia: quod etiã male aſſignet ſecundam conditionem probat: quia ens eſt ſubiectum in Metaphyſica, & tamen non poſſunt demonſtrari paſſiones de eo,

Decima. per eius definitionẽ,quia eam non habet. Secundo falſum eſt,quod per definitionẽ ſubiecti poſſit oſtendi paſſio de ſubiecto: quia ex Ariſtotele, & Auerroe multis in locis,ſed præcipuè vndecimo Metaphyſices cap. 6. & 6. Metaphyſices textu primo, definitio facit ſcire ſubſtantiã, demonſtratio verò accidens, ergo falſum eſt, quod definitio ſubiecti facit ſcire paſſiones inhærere ſubiecto,quia tunc definitio faceret

Vndecima. ſcire accidens,non ſubſtantiam,quod eſt contra Ariſtotelem,vt dictum eſt. Tertio falſum eſt, quod definitio ſubiecti ſit medium ad oſtendendam paſſionem de ſubiecto, quia Ariſtoteles in ſecũdo Poſt. tex. 41. dixit,quod mediũ eſt definitio maioris extremi, ſcilicet paſſionis ad oſten-

Duodecima. dẽdum,paſſionẽ inhærere ſubiecto. Quod etiam malè aſſignauerit tertiam cõditionem probat;quia illa conditio, quod omnia reducantur ad ipſum, non eſt cõditio ſubiecti adæquati,ſed ſubiecti principalis dũtaxat. Ex his concludit Scotum erraſſe aſſignando conditiones ſubiecti, & cõſequenter nulla eſt cõfutatio ſua aduerſus

Ad rõnes Scoti. D. Thomam,& Ægidium,ac alios,quę tali fundamento innititur. Ex his etiam ſoluit rationes Scoti,quia innititur falſo fundamento, ſcilicet illi conditioni ſubiecti malè aſſignatæ.

Opinio Balduini. Ponit deinde propriam opinionẽ, quę conſiſtit in duabus concluſionibus. Prima,

Prima cõcluſio. quod ſubiectum totale, & adæquatum in logica ſunt ſecundò intellecta, vt ſunt inſtrumenta notificandi. Secunda cõcluſio;

Secunda cõcluſio Theo. 4. ſubiectũ principale eſt definitio. Ad probandam primam concluſionem multa dicit de cõditionibns ſubiecti,& de diuiſione ſubiecti, quæ multa falſa, & implicita continent,ſed de hac re in proprio quæſito de conditionibus ſubiecti egimus. Sed cum ſit difficile ſatis videre quomodo cõditiones declaratæ ab ipſo de ſubiecto applicentur huic ſuę concluſioni;ideò laborent in hoc ſui ſequaces; nam in illo ſuo quęſito multa dicit,& nihil ad propoſitũ. Secunda concluſio probatur ab eo, quia ait definitionem eſſe nobilius inſtrumentum,quod pertractetur in logica,vt ait ſe diffuſè probare in proprio quęſito,an definitio ſit nobilior demonſtratione.

Confutatio huius opinionis,& iſtarum obiectionum ſolutio. Cap. III.

PRo oſtendenda vanitate huius opinionis,& rationũ,quas facit contra Scotũ ſufficiunt ea,quæ dicta ſunt in ſuperioribus de cõditionibus ſubiecti. Tamen pro

Reijcitur. nunc præter rationẽ Scoti,quæ probat,qđ ſecundæ notiones non poſſunt eſſe ſubiectũ,quia non habent cõditiones ad ſubiectũ requiſitas,poſſumus ita argumentari ſpecialiter contra hanc opinionem. Se-

Prima rõ cundæ notiones, ſicut ens rationis,extenduntur ad alias facultates,quam ad logicam, ergo ſunt nimis communes, & propter hoc nõ ſunt ſubiectum adæquatũ in logica;conſequentia patet,& etiam conceditur ab ipſo, quia ſubiectum adæquatũ eſt, quod non excedit, neque exceditur à ſcientia,cuius eſt ſubiectum. Antecedens probatur, quia etiam Rhetorica, Grammatica,& Poetica, ſunt de ſecundis intentionibus; probo: quia Rhetorica tradit præcepta ornatæ locutionis, vt ſunt illæ figuræ, & regulæ, quæ ab illa docentur, at hæ regulę,& inſtrumenta ornatè loquẽdi,ſunt entia formata à ratione, & intellectu,ſicuti,& ſpecies ſyllogiſmi,& iure di-

cuntur

cuntur ſecundæ notiones, quia intellectus noſter cognitis terminis, & vocibus, quæ eſt prima notio; poſtea illos terminos, & voces conſiderat quomodo ornatā elocutionem faciant, & ſic facit regulas, & præcepta, quæ ſunt inſtrumenta notionis. Idem de Grammatica, num grammatica docet regulas congruè loquendi, & Poetica regulas formandi Poema, quę omnia ſunt inuenta, & formata à ratione, & ſic ſunt entia rationis. Sed aliquis dicet, ſunt facultates ſermocinales, non autem de entibus rationis: ſed cōtra à pari ego dicam. Logica eſt ſcientia ſermocinalis, quia verſatur circa ſermonem, quę eſt diſputatio, ergo non eſt de ſecundis intentionibus, & ita ſi ſuum argumentum valet, & meum; Ideò hoc eſt declarandum. Grammatica, Rhetorica, & Poetica, non dicuntur ſermocinales, quia eius obiectum primum ſit ſermo, & doceant ſermonem, quia loqui habetur à natura, ſed quia verſantur circa accidētia ſermonis, quæ accidentia ſunt formata ab intellectu, & hæc ſunt proxima eorum materia, & obiectum, vt dictū eſt nunc; nam Poetica verſatur circa regulas Poematis, Rhetorica circa orationem ornatam, Grammatica circa ſermonem congruum; Ita logica verſatur circa argumentationem, quæ eſt accidens quoddam locutionis.

Vnde ſi dicatur facultas rationalis, id eſt diſcurſiua proprio nomine appellatur, verum eſt ergo, quod omnes iſtæ facultates ſub hoc communi genere continētur, ſcilicet, ſub ente rationis, ſiue ſub ſecundis intentionibus, & ita dicere ens rationis eſſe ſubiectum in logica, eſt ponere nimis cōmune ſubiectum. Sed dicet Balduinus hæc non concludunt contra me; quia, addo rationem formalem reſtringentē, quæ eſt vt inſtrumentum notificandi; Sed contra tunc coincidis in opinionem Scoti, quam refutas, quia ſecunda intentio, quæ eſt inſtrumentum ſciendi, & quæ habet vim notificandi, ſolum eſt ſyllogiſmus, vt in quæſito an definitio ſit inſtrumentum logicum demonſtrabo: ergo idem dicis quod Scotus. Balduinus autem in hoc deceptus eſt cum alijs multis, qui exiſtimāt definitionem eſſe inſtrumentum logicū, & ratiocinatiuum. Secunda concluſio cōfutatur in eodem quæſito. An definitio ſit inſtrumentum logicum, dicimus enim nos, quod ſolùm demonſtratio eſt inſtrumentum logicū, ad quod omnia reducuntur, non definitio. Ex his patet confutatio opinionis D Thomæ, qui quarto Metaphyſicæ lectione quarta, & opuſc. 42. ait ens rationis eſſe ſubiectū in logica, neque ea, quæ dicit Soto pro eo in hac quęſtione habent aliquid momenti; ex his enim omnia cōfutantur facillimè ſed declarata, vti ea declarat Iauellus in ſua logica, nempè, quod hoc intellexit D. Thomas de logica in communi, vt ſe extendit ad Grammaticam, Rhetoricam, &c. & quod accipiēdo logicā propriè, ſubiectū eius eſt ens rationis ſub diſcurſu intellectus, coincidit cū opinione Scoti: quia ens rationis cum hac cōtractione eſt ſolus ſyllogiſmus. Nūc ad Balduinum redeamus. Quattuor dicit Balduinus aduerſum Scotū. Primo; quod eſt diminutus in aſſignatione ſubiecti logicæ. Secundo, quod hęc opinio Scoti eſt etiam falſa. Tertio, quod ſibi Scotus contradicit. Quarto quod male aſſignat conditiones ſubiecti, & quod ideò nō concludunt ſuæ rationes contra D. Thomam. In hoc quarto conſiſtit tota difficultas, quia hoc eſt fundamentum Scoti, & quia eſt validiſſimum, eget ſolum declaratione: ideò nunc breuibus, de illo agam vberius in proprio quęſito, vt dictū eſt. Sed prius, incipiamus à primo. Pro intelligentia eſt notandum, quod nō alia ratione additur ratio formalis, & modus cōſiderandi ſubiecto, niſi vt adæquetur ſubiectum ſcientię: nam ſubiectum materiale, vt plurimū eſt valde extenſum, & amplum; ita quod multum excedit ſcientiam, exempli gratia. Ens in Metaphyſica, ſi ſic abſolute cōſideretur, complectitur omnes ſcientias, & ſic nulla alia ſcientia præter Metaphyſicam daretur; ideò additur ei modus formalis, qui reſtringit conſiderationē entis, & reddit illud ęquale ſcientiæ Metaphyſicæ, qui eſt, vt ens eſt; dicimus enim ens eſt ſubiectum in Metaphyſica ſub hac ratione formali, vt ens eſt. Idem dicendum de corpore naturali in Philoſophia naturali: nam per rationem formalem, vt naturale, reſtringimus conſiderationem corporis, & illud æquale reddimus, quia non agit de

Reſpōſio. *Reijcitur.* *Theo. 16.* *Secū* *da cōcluſio impugnatur.* *D. Thomæ.* *Soto.* *Iauellus.* *Quattuor dicit Bal. cōtra Scotum.* *Notandum.* *Cur rō formalis addatur ſubiecto.*

agit de

agit de corpore naturali,niſi vt eſt natura le;non autem vt eſt quantum,vel ſub mul tis alijs rationibus, ſub quibus conſiderari poteſt.Ex hoc elicio,quod quando ſubiectum materiale abſque ratione formali, & modo conſiderandi eſt ęquale ſcientiæ,non debemus apponere rationem formalem ad reſtringendam illius conſiderationem ; propterea quod ſi eſt ęquale ex ſe,non eget conditione reſtringente,& ducente ipſum ad ęqualitatem,quod exemplo declaro. Si eſſet ſcientia de homine, quę cõſideraret de homine omnibus modis,quibus eſt cognoſcibilis,vtpotè cognoſceret ipsũ vt eſt homo,vt animal, vt ſubſtantia,vt capax virtutis, & omnibus modis,quibus eſt cognoſcibilis, homo in tali ſcientia non deberet poni ſubiectum ſub aliquo reſpectu,ſiuè ſub aliquo modo cõſiderandi, ſed abſolutè , quia abſque vlla ratione formali,& reſtrictione eſſet ęqualis tali ſcientię;immò ſi quis apponeret aliquam rationem formalem illud reſtringeret, & faceret nimis anguſtum . Vndè poſtea non eſſet ęquale, at ſi ſit ſcientia , quę conſideret hominem ſolùm vt rationalis,ſiue vt homo,non autem vt animal, vel vt moraliter educandus,&c.debet apponi modus,quo conſideratur,vt ſit ęqualis ſcientię,in qua conſideratur. Hęc libèter annotaui,quia multi ignorant cauſam propter quam ratio formalis apponitur ſubiecto materiali. Ad propoſitum dicimus,quod logica conſiderat abſolutè ſyllogiſmum omnibus modis,quibus eſt cõſiderabilis,neque enim ſyllogiſmus eſt ens ita amplum quod innumeras habeat rationes ſub quibus poſſit conſiderari ; ſed eſt quoddam inſtrumẽtum artificioſum, quod fit ab intellectu ad inueſtigandam ſcientiam.Ideò in ſcientia,quę eius eſſentiam, & naturam contemplatur, quę eſt logica,nihil quod pertinet ad eius cognitionem omittitur;nõ enim agit ſolum de ſyllogiſmo ſub vno reſpectu, vtpotè quatenus conſtat ex materia neceſſaria , vel quouis alio,ſed abſolutè:ideò nõ erat adducenda illa ratio formalis , ſiuè modus cõſiderandi , quia illa apponitur ad hoc , vt ſubiectum ęquale reddatur ſcientię, quod ſi eſt ęquale ſpernitur.Vndè in libro P ſt. aſſignantes ſubiectum , apponimus rem conſideratam, & modum conſiderãdi; dicimus enim ſyllogiſmũ vt eſt ex materia neceſſaria eſſe ſubiectũ ſiue demonſtrationem,quod idẽ eſt,quia in illis libris agitur de ſyllogiſmo ſub illa ratione formali,& ideò illam ponimus,vt ſubiectum ſit æquale ſcientię,& ſic Scotus non eſt diminutus in aſſignando ſubiectum logicę ſyllogiſmum,licet non appoſuerit modũ , quo conſideratur in logica. Ex hoc patet ad primam rationem Balduini , qua probat Scotum eſſe diminutum. Quò ad ſecundam notandum eſt , vt ipſe in proprio quęſito oſtendam,quod omnia inſtrumẽta logica ad ſyllogiſmum reducuntur , & nedum inſtrumenta logica,quę ab omnibus logica inſtrumenta eſse concedũtur ; ſed etiam definitio, & diuiſio, de quibus eſt maxima dubitatio an ſint logica inſtrumenta;nam & inductio , enthimema, & exemplum,reducũtur ad ſyllogiſmũ,quia totam vim colligendi,& inferendi, quam habent, eam habent à ſyllogiſmo, quem virtute continent,licet non actu;vnde omnia hæc poſſunt transformari in aliquem ſyllogiſmũ,vt apertè docet Ariſt.in poſtrema parte 2.libri Prior. Analiticorum, vbi tractat de enthimemate , de inductione, & exẽplo,& oſtendit quomodo ad aliquã trium figurarum reducantur; quomodo autem enthimema reducatur ad ſyllogiſmum eſt clarum,quia tacetur in ipſo altera præmiſſarum:illa ſcilicet,quę eſt nota, quæ ſi explicitè apponitur,eſt ſyllogiſmus perfectus.Inductio verò reducitur ad ſyllogiſmum,cum vniuerſale de quo aliquid cõcludere volum⁹ in ſua ſingularia diſtribuitur , quæ diſtributio poſtea fit minor propoſitio ſyllogiſmi;vt ſi dicatur, Cæſar currit,Plato currit,Socrates currit;at omnis homo vel eſt Cæſar, vel Plato,vel Socrates,ergo omnis homo currit.Exemplũ reducitur ad ſyllogiſmum ſic,hoc eſt exẽplum.Piſiſtrates acceptis copijs tiranniza uit,ergo Dionyſius acceptis copijs tiranizabit,reducitur ad ſyllogiſmum explicando maiorem,quæ virtute eſt in hoc exemplo,ſcilicet quod euenit in Piſiſtrate acceptis copijs,idem eueniet in Dionyſio acceptis copijs ; ſed Piſiſtrates acceptis copijs tirannizauit, ergo Dionyſius tirannizabit acceptis copijs.De definitione eſt difficultas,

Ad primã rationẽ Balduini

Notãdum.

Oĩa inſtrumẽta logica ad ſyllogiſmũ reducũtur.

Definitio.

Diuiſio & ordo.

tas, & de diuiſione; & ideò expetunt proprium quæſitum; ſed pro nunc dicamus quod licet definitio non habeat vim illatiuam, & propterea non ſit aliqua ſpecies ſyllogiſmi perfecta, vel imperfecta; tamen reducitur ad ſyllogiſmũ, vt pars, & principium, eſt enim medium, vel concluſio, vel tota demonſtratio ſolo ſitu terminorum differens, vt alibi clarius dicam. *Ad primã rõnem Bald.* Ex hoc apparet ſatis inconſultè locutum eſſe Balduinum, dum dixit enthimema, exemplum, & inductionem, non reduci ad ſyllogiſmum, & propterea falſam eſſe opinionẽ Scoti, dum dicit ſyllogiſmum eſſe ſubiectum in logica. De diuiſione poſſumus dicere, quod diuiſio, & ordo ſunt inſtrumenta logica, quia diuiſio, & ordo sũt ſeruæ ſyllogiſmi quaſi Ancillæ præcedentes, & præparantes ei viam, nam vti ſolemus diuiſionibus, & ordine, antequam vtamur argumentationibus, vt argumentum magis ſuam efficaciam oſtendat; vnde licet non pertineant ad naturam internam ſyllogiſmi; pertinẽt tamen ad ipſius ornatum, & adiutorium externum, & ſic reducuntur ipſa quoque ad ſyllogiſmum, & quia faciliter quid ſit ordo patet; ideo eius tractationem ſpernit: de diuiſione verò quædam pauca dixit in 2. Poſt. quæ ſufficiunt ad eius eſſentiam cognoſcendum, ſpernit etiam quia quicumque vel parum eruditus accedens ad ſcientiam illam, cognoſcit, & Philoſophi illius temporis hęc optimè nouerunt, & maximè Platonici. Ex his patet ad ſecundam obiectionẽ. *Ad 3. & 4.* Quò ad tertiam & quartam ego ſemper fui opinionis illorum, qui aſſerunt libros illos non eſſe Scoti; & ſi ſunt Scoti, erant forſan ſcripta quædam, quę dum erat iuuenis pro ſeipſo ſcriptitabat, quæ poſtea ab alijs collecta, & adaucta ſunt, & ratio eſt: quia in illis quæſtionibus non procedit eo modo, quo in alijs, ſed eſt ſtylus diuerſiſſimus a Scoti ſtylo: multa etiam ibi dicuntur, quæ non conſonant dictis ſuis in libris Sententiarum, quę modo adducere longum eſſet; attamen ad contradictionem cum dicit in 1. Priorum ſyllogiſmum non eſſe ſubiectum, ſed inſtrumentum ſciendi, dicendum, quod hoc intelligit non in logica Ariſtotelis, ſed vt tota logica extenditur ad omnia opera adiuncta in complementum logicæ Ariſtot. ab expoſitoribus, vt eſt liber ſex principiorum, & liber Diuiſionum Boetij, &c. vt ibi ſe exponit: & cum dixit in logica Ariſtotelis argumentationem eſſe ſubiectum, eſt ac ſi dicat eſſe ſyllogiſmũ, quia argumentatio eſt Analogum, vt ait in q. 3. Vniuerſalium, & ſic primum Analogatum eſt ſyllogiſmus; cum ergo ait argumentationem eſſe ſubiectum, hoc verificatur de primo Analogato, & ſic ſyllogiſmus eſt ſubiectum. *Ad quintam.* Quo ad quintum, patet quod Scotus loquitur de ſubiecto adæquato a Quò ad rationes factas contra conditiones ſubiecti, illas tres conditiones aſſignatas à Scoto eſſe veras conditiones ſubiecti totalis ſcientiæ ſupra in proprio quæſito oſtendimus. *Ad oẽs rationes.* Ad omnes obiectiones contra prima conditionem poſſumus dicere, quod quando ſunt expreſſè notæ, non ponitur expreſſè eorum præcognitio, vt patet de ente in Metaphyſica, de quo nõ habetur expreſſè quod ſit, & quid ſit, quia eſt adeo clarum, vt non egeat declaratione; non tamen ſequitur, quin eorum præcognitio non habeatur in mente; & quod dicitur, quod ens non habet definitionem: dico quod habet conceptum quidditatiuum, qui gerit vicem definitionis, vt dictum eſt in quæſito proprio. Per idem ad argumenta contra ſecundam cõditionem: quia etſi ens non habeat definitionem, habet conceptum quidditatiuũ, de quo fiet ſermo in quæſtione de Vniuocatione entis. Ad aliam dico, quod definitio vt inſeruit demonſtrationi, facit ſcire accidens; ipſa autem per ſe neque facit ſcire ſubſtantiam, neque accidens, ſed ſolum ſignificat vel ſubſtantiam, vel accidens. *Theo. 65.* Ad aliud petit difficultatem de medio demonſtrationis: Nos autem ſuſtinemus, quod illud ſit definitio ſubiecti in demonſtratione potiſſima, & ad argumẽtum tunc reſpondebimus. Ad rationes cõtra tertiam conditionem reſpondemus, quod aliud eſt loqui de primitate nobilitatis, & aliud loqui de primitate attributionis. Dico quod reducuntur ad ſubiectum principale quo ad nobilitatem: quo verò ad conſiderationem dico, quod debent reduci ad ſubiectum attributionis, vt ſcientia ſit vna.

Ex dictis variæ aliorum ſententiæ conſiderantur. Cap. IV.

EX dictis patet quid ſit dicendũ de reliquis opinionibus de ſubiecto logicę, vel enim coincidunt cum noſtra, vel differunt, & confutantur per fundaměta poſita. Opinio eorum, qui dicunt ſubiectum in logica eſſe argumětationem, quæ communiter tribuitur Auicennæ, Algazeli, Alberto Magno, Amonio, & alijs reducitur ad opinionem Scoti, quia vel eſt idem quod ſyllogiſmus, vel quid communius: ſi eſt idem quod ſyllogiſmus, vt re vera eſt, quia omnis argumentatio recta debet regulari regulis ſyllogiſticis, & ſic eſt idem quod ſyllogiſmus, & tunc eſt cum Scoto, vel eſt quid cõmunius ſyllogiſmo, & tunc debent aduerſarij explicare quid contineat vltra ſpecies ſyllogiſmi; nullam enim ſpeciem argumětationis ego video, quæ non reducatur ad aliquã ſpeciem ſyllogiſmi, quod ſi aliquid aliud contineat, tunc patet quod non eſt ſubiectum adæquatum logicæ Ariſtotelis, quia in ea ſolùm de ſyllogiſmo agitur, vt ſuperius probatum eſt. Opinio eorum, qui dicunt ſubiectum in logica eſſe orationem, vt eſt ignoti manifeſtatiua, & volunt eam extendi ad ſyllogiſmum, definitionem, & diuiſionem, quas dicunt inſtrumenta notificatiua, abſolutè eſt vera, & coincidit cum opinione Scoti, quia re vera oratio ignoti manifeſtatiua per vim illatiuam eſt ſolus ſyllogiſmus, & ſic abſolutè ſumpta eſt nobiſcum; ſed etiam accepta in ſenſu quo eã illi accipiunt, vt extěditur ad definitionẽ, & diuiſionem, eſt nobiſcum: quia diuiſio, & definitio non ſunt inſtrumenta diuerſa à ſyllogiſmo, ſed reducuntur ad ſyllogiſmum, vt ſupra c. 3. oſtědimus, licet ipſi exiſtiment diuiſionem, & definitionem eſſe inſtrumenta logica diuerſa à ſyllogiſmo, & ſpeciem ſubiecti vniuerſalis, & adæquati logicæ, quo poſtea admiſſo, oratio non eſſet ſubiectum adæquatum logicæ Ariſtotelis, ſed nimis amplum, ſed eſſet ſubiectum logicæ in vniuerſum ſumptæ, vt amplectitur logicam Ariſtotelis, & ſcripta aliorum expoſitorum, vt librum Diuiſionum Boetij, & aliorum. Opinio eorũ, qui dicunt ſubiectum eſſe ens rationis, quę eſt D. Thomę, & ſequacium 4. Metaphyſices, ſi accipiatur ſic communiter, & in vniuerſali, patet quod eſt nimis ampla, quia vt diximus ſupra Grãmatica, & Rhetorica etiam verſantur circa ens rationis: & poſtea in logica Ariſtotelis non conſiderantur principia, & paſſiones entis rationis in communi, ſed ſyllogiſmi: nec definitio entis rationis in communi aſſignatur, ſed ſyllogiſmi, vt patet 1. Priorum, in principio. Opinio eorum, qui dicunt ſubiectum in logica eſſe opus rationis dirigibile, quod triplex eſt, ſcilicet ſimplicium apprehenſio, diuiſio, & diſcurſus, vt videtur velle Caietanus in procemio Cathegoriarum, vbi aſſerit ſcopum logicæ eſſe opus rationis, vel coincidit cum opinione D. Thomæ, quia ens rationis, & opus rationis, idẽ ſunt, & ſic eſt nimis commune, & patitur difficultates, quas dicebamus de D. Thoma: vel intelligit per opus rationis ipſum ſyllogiſmum, & ſic ens rationis reſtrictũ reducitur ad ſyllogiſmum, & coincidit cum opinione Scoti. Opinio eorum, qui dicunt ſubiectum in logica, eſſe ens reale, quia Ariſt. 4. Metaphyſices tex. 5. ait circa idem verſari Logicum, & Metaphyſicum, eſt penitus falſa, quia patet, quod tota logica verſatur circa ſyllogiſmum, & partes, ac ſpecies eius, quæ ſunt entia rationis, & inſuper, quia eſt ſcientia rationalis, non realis. Ad auctoritatem verò illam de 4. Metaphyſicæ, cum dicitur Logicam, & Metaphyſicam verſari circa idem, Reſpõdetur, illud verbum, idem, poteſt notare duo, vel ſubiectum, vel modum ſubiecti, non notat ſubiectum, vt ſumitur in ſuo argumento, ſed modum ſubiecti, quia ſyllogiſmus eſt communis omnibus ſcientijs, & rebus ſicut Metaphyſica eſt de ente, quod comprehendit omnia entia, & eſt commune ad omnes ſcientias.

Opinio Auicennæ Alberti, & Amonij.

Opinio eorũ qui dicũt orationẽ eſſe ſubiectũ in logica.

Opinio:

Opinio eorũ qui ponũt ſubiectũ in logica eſt opus rõnis dirigibile.

Opinio eorũ qui ponũt ſubiectũ in logica eſſe ens reale.

THEO-

THEOREMA VII.

Propoſitio per ſe nota eſt, quæ ex proprijs terminis, vt ſunt eius, nata eſt habere euidentem complexionem.

Exponitur opinio Scoti, & reÿcitur opinio D. Tho. Cap. I.

HOC Theorema ex profeſſo pertractatur à Scoto in primo Sent. diſt. 2. q. 2. quia eius cognitio eſt ſatis vtilis, & non eſt ita clarum apud omnes, quæ ſit propoſitio per ſe nota; ideò eſt diligenter aduertẽdum. *Scotꝰ.* Scotus igitur ſuſtinet, quod illa eſt propoſitio per ſe nota, quæ ex terminis confuſè cognitis, & notis, quo ad quid nominis eſt euidens; adeo quod ad euidentiã eius complexionis, non opus eſt inquirere conceptum diſtinctum illorum terminorum, vt explicatur per definitionem, ſed ſufficit illa cognitio terminorum ſic confuſa, vt explicatur per nomen; vt omne totum eſt maius ſua parte; complexio iſtius propoſitionis eſt euidens ſtatim cum cognitionem confuſam, & nominalẽ habemus de his terminis, abſque eo quod inquiramus eorũdẽ terminorũ cognitionem diſtinctam. *Primum ſuppoſitũ.* Pro probatione autẽ huius ſententiæ primo ſupponit, quod ratio propoſitionis per ſe notæ eſt iſta. Propoſitio per ſe nota eſt, quæ excludit quamcumque cauſam, & notionem, quæ eſt extra per ſe conceptum terminorum propoſitionis, ſed ex prima cognitione terminorũ habet euidentiam; quæ definitio, & ratio probatur ex Ariſtotele primo Poſteriorũ tex. 21. dicente principia prima cognoſcimus in quantum terminos cognoſcimus; ex quo patet, quod propoſitio per ſe nota non excludit quãcumque cauſam, & notitiam, quia non excludit cognitionem terminorum: ſed excludit quamcumque cauſam, & cognitionem, quæ eſt extra conceptum terminorũ ſuorum. *Secũdum ſuppoſitũ.* Facit aliud fundamẽtum nempe iſtud, quod definitum, & definitio ſint diuerſi termini, & hoc, ſiue iſti termini accipiantur pro vocibus ſignificantibus, ſiue pro conceptibus ſignificatis; & hoc ſuppoſitũ probat dupliciter: *Primò.* primò ſic. In demõſtratione potiſſima definitio alterius termini, id eſt ſubiecti eſt mediũ; in tali autẽ demonſtratione oſtenditur propriã paſſionem inhærere ſubiecto, & definito per definitionem tamquã per medium, ergo ſi definitio nõ eſt alius terminus à ſubiecto, & definito, ſed ſunt penitus idem, ſequitur, quod in tali demõſtratione, quæ eſt potiſſima, erit petitio principij, quod eſt maximum abſurdum; dicendum eſt ergo, quod termini iſti definitum, & definitio ſunt diuerſi; hæc ratio concludit propoſitum, quia in tali demonſtratione altera præmiſſarum nõ differt à concluſione, niſi vt definitio, & definitũ, vt in iſta. Omne animal rationale eſt riſibile; Homo eſt animal rationale, ergo homo eſt riſibilis, maior nõ differt à concluſione, niſi vt definitio à definito, quia iſta: omne animal rationale eſt riſibile nõ differt ab iſta, homo eſt riſibilis, niſi, vt definitio, & definitum; nã in maiori ſubiectũ eſt definitio, in concluſione ſubiectum eſt definitum, & tamẽ maior eſt nota per ſe; (hoc ſupponatur cauſa exempli) concluſio vero non eſt nota per ſe, ſed demõſtrata; ergo iſti termini differunt, & quãtum ad rationem propoſitionis per ſe notæ, alius terminꝰ eſt definitio à definito, quia definitio eſt per ſe nota, definitũ eſt ignotũ, quia in cõcluſione clauditur, quæ eſt ignota, ſed notificatur ex præmiſſis, vt dictũ ẽ.

Cõfirmatio prima. Confirmatur hæc ratio: quia ſi definitum, & definitio non ſunt diſtincti termini, ergo in tali demonſtratione potiſſima, erunt tãtum duo termini, quia in ea ſunt ſolum definitũ ſiue ſubiectum, definitio, & paſſio demonſtrata; modò ſi definitũ, & definitio ſunt idẽ, patet quod ſunt tantum duo termini. *Confirmatio ſecũda.* Secundo ſic, ex Ariſtotele primo Phyſicorum tex. 5. nomina ſuſtinent ad definitionem hoc, quod totum ad partes, id eſt nomen eſt prius notũ definitione. Ex hoc arguit ſic. Impoſſibile eſt eundem cõceptum eſſe priorem, & poſteriorem, haberi, & nõ haberi de eadem re; at eadem res poteſt prius concipi ſecundũ nomen, quàm ſecũdum definitionem, nomen autem importat confuſè illam rem, quam definitio ſignificat diſtinctè, ergo conceptus quidditatis rei prout importatur per nomen confuſè eſt prius notus naturaliter, quam conceptus eius, vt importatur diſtinctè per definitionem, & ita eſt

alius conceptus, & in demonſtratione poteſt eſſe aliud extremũ diuerſum à definitione. Ex his duobus ſuppoſitis infert intentum, ſcilicet quod propoſitio per ſe nota eſt illa, in qua terminis confusè cognitis ſiue per nomen cognitis, ſtatim manifeſta eſt complexio eorum terminorum abſque quod iſti termini, & quidditates eorum cognoſcantur diſtinctè per definitionem. Iſta concluſio ex illis duobus ſuppoſitis patet: quia ex primo ſuppoſito propoſitio per ſe nota eſt, quæ excludit quamcumque aliam cognitionem extra terminos, & nota eſt ex cognitione præciſa terminorum; ex ſecundo vero ſuppoſito alius terminus eſt conceptus definitionis à conceptu definiti, & conſequenter illa non erit propoſitio per ſe nota, ad cuius complexionis cognitionem non ſufficit cognitio terminorum ſimplicium, ſed requiritur cognitio definitionis eorundẽ terminorum, & hæc eſt prima ratio integra pro hac ſua ſententia. Secunda ratio eſt hæc; niſi dicamus hoc modo, ſed aſſeramus, quod omnis propoſitio, quæ cognitis terminis diſtinctè, eſt per ſe nota, ſe queretur, quod quælibet propoſitio neceſſaria, quæ eſt vera in primo modo dicẽdi per ſe, eſſet per ſe nota, vt iſta, Homo eſt animal, & iſta. Homo eſt corpus, Homo eſt ſubſtantia; quod tamen non eſt verũ; falſitas conſequentis non probatur à Scoto, ſed relinquitur vt manifeſtè falſa, nam iſtę propoſitiones ſępe ſunt ignotæ, & de ipſis quandoque eſt non leuis diſputatio, conſequentia verò eſt clara, quia ſi aſſignetur ratio diſtincta vtriuſque extremi, patebit, quod vnum extremum includit alterum, vt quod homo includit animal, & conſequenter, quod iſta eſt neceſſaria, homo eſt animal. Tertiò etiam ſequeretur, quod in ſcientijs ſpecialibus quælibet propoſitio eſſet per ſe nota, quã Metaphyſicus ex definitionibus extremorum haberet; hæc enim tũc ſecundũ illos eſſet per ſe nota, ſed hoc eſt falsũ; quia Geometra non vtitur aliquibus principijs tãquã per ſe notis, niſi quæ habent euidẽtem veritatem ex terminis confusè cognitis, puta concipiendo lineã confusè, eſt euidens, quod linea eſt longitudo ſine latitudine, non cõcipiendo adhuc diſtinctè ad quod genus pertineat linea, ſicut conſiderat Metaphyſicus: ſimiliter, multę propoſitiones quas Metaphyſicus poteſt cognoſcere, puta quod linea eſt ſpecies quantitatis continuæ, diſtincta cõtra ſuperficiem, corpus, & huiuſmodi, non ſunt per ſe notæ apud Geometrã. Quartò in vſu eſt, & rectè fit, quod ſæpe demonſtramus aliquod prædicatum de definito, quod quidẽ prædicatum erat per ſe notum ineſſe definitioni, vt habere tres demonſtratur de triãgulo, quod tamen prædicatum eſt per ſe notũ ineſſe definitioni trianguli. Ex his patet propoſitionem per ſe notam eſſe illam, in qua ex ſola cognitione confuſa terminorum, quæ per nomẽ explicatur, abſque cognitione vlla alia eſt euidens cõplexio terminorum. Hinc confutat opiniones aliorum quorũdam, & præcipuè D. Thomæ, qui dicit propoſitionem per ſe notam eſſe duplicis generis; quædã enim dicitur eſſe per ſe nota; quædã verò dicitur eſſe per ſe noſcibilis; hęc diſtinctio eſt nulla, quia primum membrum, vel coincidit cũ ſecundo, vel non datur: quia propoſitio nõ dicitur per ſe nota, quia actu cognoſcatur ab intellectu; tunc enim nullo intellectu conſiderante, nulla eſſet propoſitio per ſe nota, & etiam quæcumque propoſito, quam actu cognoſceret intellectus, poſſet dici per ſe nota, quæ omnia ſunt abſurda, ſed illa eſt propoſitio per ſe nota, quæ quãtũ eſt ex natura terminorũ, nata eſt habere euidentem veritatem contentam in illis terminis. Confutat etiam opinionem D. Thomæ prima parte quæſtione prima, articulo primo, quod nulla eſt diſtinctio illa, duplex eſt propoſitio per ſe nota, ſcilicet in ſe, & in nobis: hæc enim diſtinctio coincidit cum præcedenti, & per eandem rationem reijcitur, quia ſecundum membrum non datur, nam quæcũque propoſitio, quę eſt in ſe, & per ſe nota, eſt nota cuicũque intellectui, quoniam dicitur per ſe nota, quia eſt apta nata cognoſci eius cõplexio euidenter à quocũque cognoſcẽte termino, dicitur ergo per ſe nota, licet nõ ſit actu cognita, ſed ſufficit, quod ex natura terminorũ ſit apta nata cognoſci à quocũque ĩtellectu, qui cognoſcat terminos, ſicuti ẽt ſyllogiſmus neceſſarius dicitur ille, qui ſecundum ſe eſt neceſſarius, & nul-

lo

Prima rõ principalis.

Secũda rõ principalis.

Quarta.

Opinio D. Tho. reijcitur.

ſo alio indiget, vt ſit neceſſarius, & licet à nullo cognoſceretur, eſſet neceſſarius, Per idē confutat aliam diſtinctionē eiuſdē D. Thomæ in præcitato loco, ſcilicet, quod nulla eſt illa diſtinctio; alia eſt propoſitio per ſe nota ſapientibus, & alia eſt per ſe nota inſipientibus; quia propoſitio per ſe nota eſt, quæ cognoſcitur cognitis terminis, vt dictū eſt; quicūque ergo cognoſcit terminos ſiue ſit inſipiēs, ſiue non, cognoſcit illam propoſitionem eſſe verā; vt etiā ruſticus cognoſcit illam eſſe veram. Omne totum eſt maius ſua parte; quò ad propoſitionem per ſe notam, igitur non differt eſſe ſapiētē, vel inſipiētē; quia ſufficit cognitio terminorum confuſa, licet nullam aliam cognitionem vel ſapientiā habeat, vide noſtras diſp. 1. Sent. diſt. 2. q. 2.

Adducitur defenſio Caietani, & reijcitur. Cap. II.

Opinio D. Tho. ſecundum Caie. Caietanus prima parte Summæ, quæſtione ſecunda, articulo primo, ſed exactè in primo Poſteriorū, capitulo tertio, nititur tueri, & defendere opinionem D. Thomæ. Primò itaque videbimus opinionem D. Thomę, vt ipſe illam declarat, & probationem, & ſolutionem ad rationes Scoti, deinde omnia conſiderabimus. Suſtinet ergo D. Thomas ſecūdum Caietanum, quod illa eſt propoſitio per ſe nota, quę eſt immediata; & ideò aſſerit triplicem eſſe propoſitionem per ſe notā. Alia eſt per ſe nota ſecundum ſe tantum; alia eſt per ſe nota ſecundū ſe, & quo ad nos; & alia eſt per ſe nota, ſed quo ad nos tantum; ratio iſtius diuiſionis eſt: quia quot modis dicitur vnum oppoſitorū, tot modis dicitur & reliquum, oppoſitio autem mediata, quę opponitur propoſitioni immediatę, ſiue per ſe notæ, eſt triplex, ſicuti triplex eſt medium, aliud medium eſt notum nobis tantum, vt cum procedimus ab effectu ad causā, & ſic propoſitio, quæ caret medio tali, eſt p ſe nota quo ad nos tantum. Aliud eſt medium in ſe notum tātum, vt cū procedimns per cauſam, quæ tamen eſt ignota nobis, & ſic propoſitio, quæ eſt nota ſine medio tali, eſt per ſe nota ſecundum ſe tantū; tertio modo eſt medium, quod eſt notū ſecundum ſe, & quo ad nos, & ita propoſitio, quæ caret hoc medio, dicitur propoſitio per ſe nota ſecū dum ſe, & quo ad nos: hæc autem eſt duplex; vel enim caret medio, quod eſt notū ſecundum ſe, & ſecundum nos omnes, & talis propoſitio dicitur dignitas; vel hoc mediū eſt notum ſecundū ſe, & ſecūdum nos; ſed ſolum ſapiētes, & hæc dicitur cōmunis animi conceptio. Hi ſunt varij gradus propoſitionis per ſe notę, ſecundū hāc opinionē; qui omnes fundantur in vno primo fundamento, quod idē ſit propoſitio per ſe nota, & propoſitio, quæ caret medio; adeo quod omnis ꝓpoſitio immediata, & in qua prędicatū ineſt ſubiecto in ratione ſubiecti, eſt per ſe nota. *Fundamētum Caie.* Eſt inſuper notādum, quod cum ait, quod iſtę propoſitiones ſine medio, ſunt per ſe notæ, quia ex proprijs terminis ſine vllo medio ſunt notæ, ibi per proprios terminos intelligit terminos ſecundū ſua ſignificata, ſiue ſint ſumpta diſtinctè, ſiue confuſè: arbitratur enim quod definitum, & definitio, ſiue cōceptus confuſus, & diſtinctus definiti, ſint vnic⁹ terminus. *Notādum.* Propoſitio ergo per ſe nota, ſecūdū hāc viā, eſt quęcūque ꝓpoſitio, q̄ ex ꝓprijs terminis; ſiue cōfuſè acceptis, ſiue diſtinctè acceptis, eſt nota ſine vllo medio. In hoc ergo differt hæc opinio à Scoto, quia iſta opinio vult, qđ quęcūque propoſitio immediata ſit per ſe nota, ēt ſi nō ſit euidēs ex terminis niſi diſtinctè conceptis; Scotus verò vult, quod illa tātummodo ſit ꝓpoſitio per ſe nota, quę ex terminis tantum cōfuſè cognitis eſt euidēs, ſiue ex terminis illius abſque recurſu ad alios terminos habet euidentiam.

Scop⁹ Caie. Primarō Caie. Caietanus itaque vt ſuam opinionē veram eſſe oſtendat, nititur probare, quod conceptus confuſus, qui explicatur per nomen, & conceptus diſtinctus, qui explicatur per definitionem, ſiue definitum, & definitio, non ſunt diuerſi termini ſecundum ſe, ſed ſolum ſecūdū noſtrum modū concipiendi, & quod ideò propoſitio per ſe nota, dēt dici illa, quæ, eſt nota ex terminis ſine vllo medio, ſiue iſti termini cōfuſè accipiantur, ſiue diſtinctè; Hoc ergo ꝓbat primò ſic. Definitio, & definitū differunt ſolùm ſecundū confuſè cōcipi, & diſtinctè concipi, ergo ſecūdū ſe, nullam habēt differentiam. Antecedens eſt euidens:

quia non poſſumus fingere aliquam differentiã,quæ illam prçueniat,aut maior illa ſit,conſequentia probatur, quia cōcipi nihil reale pónit ſupra rem conceptam, ergo differentia ſecundum concipi non eſt differentia quidditatis ſignificatæ per ſe, ſecundum ſe, ergo concipi diſtinctè, vel confusè,non ponit diſtinctionem in re cōcepta ſecundum ſe, ſed ſolùm ſecundum noſtrum modum intelligendi. *Secũda rō.* Secundò in proceſſu,in quo probatur aliquod prædicatum ineſſe definito, & ſubiecto, quia ineſt eius definitioni,committitur fallatia petitionis principij ex parte rei,ergo definitio, & definitum ſunt idem ex parte rei. Conſequẽtia eſt euidens. Antecedens probatur auctoritate D. Thomę in fallacijs,& Alberti magni ibidem:quia ſi negatur,ꝙ homo currit, non minus negatur, quod animal rationale currit. *Ad rōnes Scoti reſpōdet Caietani.* Ex his quoque ad rationes Scoti reſpōdet,quæ probant, quod illa non eſt propoſitio per ſe nota, quæ habet euidentiam ex rationibus, & definitionibus terminorum. Ad primam rationem negat ſecundum ſuppoſitũ, nẽpè quod definitum,& definitio differant. *Ad primã* Ad primam probationem reſpōdet,quod ſi definitum, & definitio accipiantur ſecundum rem,ibi eſt petitio principij; ſed ſi accipiantur ſecundum noſtrum modũ concipiendi,diſtinguuntur; & ſic non cōmittitur fallatia petitionis principij, & hoc ſecundo modo accipiuntur; *Ad cōfirmationẽ.* Eodem modo reſpondet ad confirmationem: ibi ſunt tantum duo termini ſecundũ ſe, ſed ratione noſtri, ſunt tres, quia ſecundum nos,definitio,& definitum,differunt. *Ad ſecũdã.* Ad ſecundã probationem illius fundamenti gratis cōcedit,quod alius eſt cōceptus definiti,& definitionis,ſed nō in ſe, ſed ſecũdum nos? *Ad tertiã* Ad tertium principale negat cōſequentiam;quia ſequitur,quod illæ propoſitiones erunt per ſe notæ Metaphyſico, qui eorum terminorum definitiones cognoſcit,non in ſcientijs ſpecialibus. *Ad quartam.* Ad quartum reſpondet,vt ad primum,quod ſcilicet ſtat,quod aliquod prædicatum ſit notum ineſſe definitioni ratione noſtri, non autem ſecundum ſe,& ideo poteſt demonſtrari de definito per definitionem, nec fit petitio principij. *Ad rationes* Hinc ad obiectiones contra diuiſiones propoſitionis per ſe notæ factas à D. Thoma, reſpōdet, *Cōtra diuiſionẽ propoſitionis ꝑ ſe nota.* quod prima iure facta eſt ſicuti propoſitio mediata,alia eſt mediata ſecundum ſe ſola, & alia quo ad nos, vt dicit Ariſtoteles in libris Poſt. vnde per hoc diſtinguitur demonſtratio propter quid,à demonſtratione quia. Vltima autem diuiſio quo ad nos omnes, vel quo ad nos ſapientes, eſt data per eaſdem differentias magis cōtractas; Ad rationem autem contra, reſpondet,quod illa propoſitio aſſumptus, quęcumque propoſitio in ſe, & per ſe nota, eſt nota cuicumque intellectui debet ſic modificari, propoſitio in ſe, & per ſe nota, eſt nota cuicumque intellectui cognoſcenti illos terminos diſtinctè, aliter eſt falſa; quia licet aliquãdo habendo cognitionẽ cōfuſam terminorũ illa cōplexio ſit euidẽs,ſępe ẽt euenit, quod niſi habeamꝰ cognitionẽ illorũ diſtictã,nō eſt nota.

Reijcitur Caietanus. Pro euertẽda hac defenſione Caietani nō ſunt inquirẽda alia media,quã ea,quę adducta ſunt à Scoto,quibus clare intellectis,veritas in hac re eſt quoque nota. Dimittã etiã argumenta adducta à formaliſtis,quæ quãtum concludant, nolo in præſenti conſiderare; & licet hæc diſputatio ſit potius nominalis, & de terminis, quæ deberet ſupponi;tamẽ quia in diſputationibus ſæpe euenit æquiuocatio propter diuerſum intellectũ propoſitionis per ſe notæ,opus eſt eã declarare. *Notandum.* Antequã autem oſtendam vim rationum Scoti,eſt notandum pro intelligentia,quod licet res,quę explicatur per nomen definiti,& per definitionem ipſam,ſi vna, & eadẽ,tamẽ nemo vnquã dicet,qđ nomẽ definiti, & definitio definiti ſit vnus,& idẽ terminus,vt homo,& animal rationale; licet enim eadẽ res per illos terminos explicetur; ſunt tamen varij,& diuerſi termini,& ſunt diuerſi non ſolũ propter noſtrum modũ cōcipiendi,ſed ſecundũ ſe,& ceſsãte quauis noſtra operatione intellectus;homo enim eſt vna vox, & dictio;& animal rationale eſt alia vox,& dictio;hic autẽ accipimus terminũ propriè ĩ propria ſignificatiōe, quod idem eſt,quod vox, & dictio illa ſignificatiue,in quã reſoluitur propoſitio, & ex qua propoſitio cōponitur,& propterea ſi fiat talis propoſitio,homo eſt riſibilis, & animal rationale eſt riſibile, nemo

vn-

Notã dum. vnquam dicet quod ſit vnica propoſitio, ſed erunt duæ, licet ſignificent eandem rem. Notandum eſt inſuper, quod termini diuerſi, licet ſignificent quandoque eã dem rem, tamen ſignificant ſemper cum aliqua diuerſitate, quæ diuerſitas conſequitur illos terminos ex natura ſua, non propter noſtrum intellectum (non loquor modo de prima impoſitione nominum, quia ſcio, quòd illa facta eſt ab intellectu, & ad placitum primi inſtituentis) ſed loquor de vſu noſtro quotidiano illorũ terminorum; in eorũ enim vſu communi, intellectus noſter non ponit diuerſitatem, ſed illis vtitur in ſignificato illis impoſito, vt homo, & vir, ſunt duo termini, & ſignificãt eamdẽ rem realiter, tamen adeſt aliqua diuerſitas in ſignificato iſtorum terminorũ ex natura terminorũ ipſorũ ſine operatione noſtri intellectus, vt patet ex Etimologia horum nominum; adeo quod nedũ vox eſt diuerſa, ſed cõceptus ſignificatus eſt diuerſus, licet ſit de eadẽ re: hęc adeò clara ſunt, vt qui ea neget, errare videatur in ianuis. In propoſito ergo definitũ, ideſt nomẽ definiti eſt vnus terminus, definitio ipſa definiti eſt alius terminus, accipiẽdo proprìè terminum, vt terminus eſt, quia ſunt diuerſæ voces, & licet idẽ ſignificent, tamẽ diuerſo modo ſignificant, q̃a definiti nomẽ cõfusè, definitio diſtinctè; & hoc ex natura taliũ terminorũ, non per opus noſtri intellectus, & ſic ſunt duę voces habentes diuerſa ſignificata, & cõceptus ex natura ſua, quam adepti ſunt in prima iuſtitutione. *Efficacia primæ rõnis Scoti.* Ex his patet efficacia rationis primæ Scoti, & veritates eius opinionis, quia ait Ariſtoteles principia cognoſcimus in quantum terminos cognoſcimus; cũ ergo offertur mihi propoſitio iſta, homo eſt riſibilis, ſi cognoſcendo hos duos terminos, vti ſunt termini illius propoſitionis, nõ cognoſco complexionem illius propoſitionis, ſed eſt neceſſe quod recurrã ad alium terminum, ſcilicet ad animal rationale; hæc propoſitio nõ erit nota ex terminis ſuis, vt termini eius ſunt, ſed erit nota per alios terminos, nẽpè per animal rationale, quod eſt cõtra id, quod dicit Ariſtoteles, quod principia prima cognoſcimus in quantũ terminos cognoſcimus, & ſic hęc non erit propoſitio per ſe nota. Ex hoc patet impugnatio diſtinctionis allatę à Caietano, quã ait eſſe eorũ fundamentum, vti re vera eſt, ſcilicet, q̃d definitum & definitio ſunt idẽ termini ſecundum ſe, non tamen quo ad nos; certum eſt enim quod definitum, & definitio, licet ſignificent eandẽ rem realiter, tamen extra operationẽ noſtri intellectus ſunt diuerſi termini, & voces; & inſuper, licet ſignificent eandẽ rem realiter, eam tamen ſignificãt vario modo, quia nomen definiti cõfusè, definitio diſtinctè, & hæc varietas ſignificationis ineſt illis terminis ex natura terminorum, non ex operatione noſtri intellectus tunc laborãtis, quia ceſſante quacumque operatione noſtri intellectus animal rationale ſignificat diſtinctè hominẽ; homo verò ſignificabit confusè, quia hãc ſignificationẽ habuerunt ab impoſitione nominum, non à noſtro intellectu in eorũ apprehenſione; vnde vt clarum eſt ex primo Perihermenias, prius concipimus res, deinde illas per voces explicamus; prius ergo concipimus hominẽ confusè, deinde per nomẽ illud explicamus, deinde concipimus hominẽ diſtinctè, & deinde per definitionem eum explicamus; definitio ergo, & definitum ſunt diuerſi termini, quia ſunt diuerſę voces, & licet ſignificent eãdem rem, ſignificant tamen illam cum aliqua diuerſitate ex propria natura, quia vnam confusè, & aliud diſtinctè, vt dictum eſt, ergo ex propria natura habent diuerſos conceptus, ergo eſt certum, quod ſunt duo termini diſtĩcti, definitio, & definitũ, ex natura rei, & ſecũdum ſe, quia ſunt diuerſæ voces aliquos diuerſos cõceptus ſignificantes de eadem re. *Impugnatur fundamẽtum Caietani.* Ex hoc ergo fundamento, & illo alio, quod propoſitio per ſe nota, ex communi ſententia eſt illa, cuius cõplexio eſt euides ex cognitione terminorũ illius propoſitionis, ita quod non requiritur alia extranea cognitio. Ex his duobus fundamentis inquam ſequitur, quod propoſitio per ſe nota, eſt illa, ĩ qua complexio eſt euidens ex confuſa cognitione terminorum, & non requiritur cognitio definitionis, quia tunc requireretur alia cognitio vltra cognitionem propriorum terminorum. *Ad primam* Ad rationes Caietani, quibus probat, quod definitum, & definitio differunt ſolùm per opus noſtri intel-

Caietani. intellectus,& quod ſunt idem terminus ſecundum ſe. Ad primam nego conſequentiam;ad probationem dico, quod concipi diſtinctè,& confusè non addit quidem aliquid reale ſupra rem conceptam, ſed tamen importat terminum ex propria natura diuerſum,quia conceptus diſtinctus eſt diuerſus conceptus à confuſo ex natura ſua,& ideò requirit diuerſam vocem,qua exprimatur; & ſic eſt terminus diuerſus ex natura rei à confuſo, tam quo ad vocem,quam quo ad conceptum;argumentum autem concludit,quod res,quæ explicatur per nomẽ, & per definitionem non eſt diuerſa,quod nos quoque cõcedimus; ſed non probat,quod termini illi nomẽ definiti,& definitio,qui illam rẽ diuerſo modo ſignificant,non ſint diuerſi,quod eſt illud, quod intendit Scotus; Vndè Scotus non dixit,quod alia res ſit, quæ explicatur per nomen definiti,& alia quæ explicatur per definitionem; ſed dixit quod alius terminus eſt definitum,& alius eſt definitio, *Ad ſecũdũ.* & ſic ſemper loquitur Scotus. Secundum argumentum quoque cõcludit,quod res, quæ ſignificatur per definitum,non eſt alia res ab ea, quæ ſignificatur per definitionem,quod concedimus;non tamen probat,quod non ſint diuerſi termini ex natura rei definitum,& definitio. *Reijciuntur reſponſiones ad argumẽtum Scoti.* Per idem patet,quod reſponſio ad primum argumentum nulla eſt,ſecundum enim fundamentum veriſſimum eſſe oſtenſum eſt, quod definitum, & definitio ſunt diuerſi termini,tam quo ad voces ſignificantes, quam quo ad cõceptus;& ſunt diſtincti ex natura ſua abſque opere ĩtellectus noſtri; quod ſi quis dicat, concipi confusè,& diſtinctè, eſt operatio intellectus noſtri,ergo hęc diſtinctio eſt per opus noſtri intellectus;Dico,quod licet concipere diſtinctè, & cõcipere confusè ſit opus noſtri intellectus:tamen termini ſignificantes conceptus confuſos,& diſtinctos,nõ ſunt opus noſtri intellectus, quoniam termini ſignificant ad placitum primi inſtituentis, & ideò licet illa prima inſtitutio fuerit per opus intellectus inſtituentis; attamen nunc termini ſunt vti res,& ſignificant talem, & talem conceptum ex natura ſua, non ex noſtra imaginatione; & ideò iſti termini ex natura ſua cum diuerſos conceptus ſignificent,vt dictum eſt,ſunt etiam diuerſi in ſe.

Ratio cõtra Caietanũ. Per rationem etiam illam reijcitur iſta reſponſio:quia ſi iſti termini diſtinguerentur ratione tantum,tunc cum vnus terminus eſt notus, & alius quoque eſſet notus, quia ſunt idem,ergo vnum non poteſt eſſe cauſa alterius notificatiua, quia ſemper ignotum demõſtratur per notius non per ignotius; ſi autem æqualiter ſint noti, ſit petitio principij,quæ fallacia ſit,cum ſupponimus eſſe notum illud, quod probare debemus. Confirmatur, & validiſſimè: quia in demonſtratione non ſufficit,quod termini ſint diſtincti per noſtrum modũ intelligendi, ſed debent eſſe diſtincti ex natura rei, quia termini ingredientes demonſtrationem ſunt ſubiectum, paſſio, & medium ſiue cauſa; modo iſti termini non diſtinguuntur per ſolam rationem noſtram cogitantem, ſed ex ſua natura, etiã ceſſante operatione intellectus;quæ diſtinctio probatur, q̃a habẽt diuerſas proprietates,& de illis varia prædicata verificantur ceſsãte operatione intellectus,quia de ſubiecto oſtenditur paſſio, nõ de medio, medium eſt cauſa inhęrentię paſſionis cũ ſubiecto,non ſubiectũ. *Impugnatur reſpõſio ad ſecũdũ.* Per idem patet impugnatio reſponſionis ad ſecundum; ſi enim nomen,& definitio ſolũ ſecundũ noſtrã operationem intellectus diſtinguuntur,& ſecundũ ſe ſunt vnus, & idem terminus,& conceptus, ergo intellectus noſter non poteſt cognoſcere prius vnum, q̃ aliud,vt prius nomẽ,quàm definitionem, quia intellectus intelligit res ſicuti ſunt, & non prius illas diſtinguit,quam cognouerit; in prima igitur intellectione nõ poteſt illa ſeparare, ſed ſolùm poſtquam illas cognouit,ergo in illa prima intellectione nõ ſunt diuerſæ: ſed idem,ergo nõ poteſt vnus eſſe prior,& alius poſterior ſecũdum operationem noſtri intellectus;Si ergo vnus eſt prior, & alius eſt poſterior in illa prima intellectione, eſt ſecundum ſe; Ariſtoteles etiã ibi loquitur de conceptibus ſecundũ ſe,& ait,quod intellectus noſter prius cognoſcit terminos, quã definitiones; loquitur enim de ordine noſtrę cognitionis primæ ex parte rerum, & docet quod magis confuſa prius à nobis cognoſcuntur,& cõſequẽter nomina rerũ prius cognoſcuntur, quàm definitiones ipſæ rerum,

rum, & hoc eſt etiã verum ſecundum expoſitionem D. Thomæ, conceptus ergo ſignificatus per nomen, eſt alius à conceptu ſignificato per definitionem. Secundum argumentum principale probat intentum egregiè, ſcilicet quod propoſitio illa, quę ex terminis diſtinctè cognitis per definitionem eſt nota, non debeat dici per ſe nota, quia tunc omnis propoſitio primi modi eſſet per ſe nota, quod eſt falſum. Sed Caietanus negat falſitatem conſequentis; adeò quod iudicat propoſitiones omnes de primo modo eſſe per ſe notas, ſed hoc eſt excluſum ſupra formando argumentum. Præterea omnes differentię rerum paterent, quod tamen eſt cõſpicuè falſum, conſequentia patet, quia illæ pertinent ad primum modum dicẽdi per ſe, ſtatim etiam prolata vna propoſitione cognoſceremus an eſſet in primo modo dicẽdi per ſe, vel nõ, quod tamẽ eſt falſum; eſt enim difficultas, an hęc ſit ĩ primo modo, vel ſecũdo, Aſinus eſt rudibilis; conſequẽtia patet, qa propoſitio de primo modo eſt p ſe nota p te. Pręterea, tunc omnes ꝓpoſitiones primi modi eſsẽt prima principia, & notiſſima, vt iſta: Omne totũ eſt maius ſua parte; at videmus, quod admodũ paucæ ſunt nobis notę, & multæ ignotiſſimæ. Tandẽ confirmatur opinio Scoti ex Ariſtotele ſecũdo Metaphyſices, in initio, vbi propoſitiones per ſe notas vocat principia prima, in quib. nullus errare poteſt, ſed ſunt nobis naturaliter nota; ait enim, quod in inueniẽda veritate ſunt quędã propoſitiones, in quibus errare nõ poſſumus, & ſunt prima principia, quorũ cõplexio cognitis terminis ſimplicibus, ſtatim eſt euidẽs, nõ ergo quęlibet ꝓpoſitio immediata poteſt dici per ſe nota, quia nõ ſẽper illa eſt ita euidẽs, quod in ipſa errare nõ poſſimus, & quod nulla ſit diſputatio, immò plurimæ illorũ nos latent, & de multis alijs eſt maxima difficultas; illæ ergo ſolũ ſunt ꝓpoſitiones per ſe notæ, quæ quidem ſunt immediatę, ſed adeò ſunt nobis euidẽtes, quod in illis errare non poſſimus; iſtæ autẽ ſunt illæ ſolùm, quæ ex cognitione cõfuſa terminorũ habent euidentiam, vt totum eſt maius ſua parte. Ex dictis poteſt elici impugnatio reſpõſionis ad tertiũ, & quartum. Eſt ergo dicẽdum, quod nõ ſufficit, qđ propoſitio ſit immediata ad hoc, vt ſit per ſe nota, ſed opꝰ eſt, quod cognitis extremis confuſè, ſiue per nomina, ſtatim complexo ſit euidens. Per hoc idem patet confutatio reſpõſionis ad illam deductionẽ contra diuiſionem Diui Thomæ, q̃a ſi eſt neceſſe habere cognitionem definitionis ad hoc, vt illa propoſitio ſit nota, non erit per ſe nota, quia non erit nota ex proprijs terminis, vt dictum eſt. Præterea, diuiſio illa propoſitionum reijci tur, quia innititur illo falſo fundamento, quod propoſitio per ſe nota ſit idẽ, quod propoſitio immediata, quod eſſe falſum eſt oſtenſum.

Efficacia ſecũdi argumẽti principalis Scoti.

Alia ratio.

Alia ratio.

Impugnatio reſpõſio nis ad 3. & 4.

THEOREMA VIII.

Propoſitio per ſe, non conuertitur in propoſitionem per ſe.

Exponitur ſententia Scoti, & obiectiones contrariæ reijciuntur. Cap. I.

Scot.

SCotus primo Sent. diſt. 3. quęſtione tertia G. ad probandum, quod ens non eſt vniuocum dictum in quid de ſuis paſſionibꝰ, adducit duas rationes. Prima eſt, propria paſſio prædicatur de ſubiecto in ſecũdo modo dicẽdi per ſe, ex primo Poſt. cap. 4. tex. 31. ergo ſubiectum ponitur in definitione paſſionis vt additum, quia ſecũdus modus dicẽdi per ſe, eſt ille, in quo ſubiectum eſt de definitione prædicati, vt homo eſt riſibilis: Homo enim eſt de definitione riſibilis: conſtat autẽ quod non eſt de definitione riſibilis, niſi vt additũ, quia homo nõ eſt genus, neque differẽtia riſibilis, neque vniuerſaliter aliqđ ſubiectũ alicuiꝰ accidẽtis proprij ingreditur definitionem accidẽtis proprij, niſi vt additum. Ex hoc deducit Scotus, ergo nõ prædicatur in primo modo p ſe, de proprijs paſſionibꝰ, quia quod prædicatur de aliquo in primo modo, eſt genus, vel differentia, vel tota definitio, vt patet ex declaratione illorum modorum, & ſic ſubiectum nõ eſt vniuocum dictũ in quid, de ſuis paſſionib. & cõſequenter ens nõ eſt vniuocum dictum in quid, de ſuis paſſionibus. Secũda ratio eſt, quia ex Ariſtotele primo Poſt. cap. 18. vbi loquitur de ſtatu in principijs, ait, quod propo-

propoſitio per ſe, non conuertitur in propoſitioně per ſe, ſiue prædicatio per ſe, nõ conuertitur in prædicationem per ſe; ita quod ſi prædicatum dicitur per ſe de ſubiecto, non conuertitur, ſubiectum per ſe dicitur de prædicato, ſed per accidens; Ex hoc deducit, iſta eſt per ſe ſecundo modo, ens eſt vnum, ergo hæc non eſt per ſe ſecundo modo, vnũ eſt ens: ſed quaſi per accidens, ſicuti hæc riſibile eſt homo, eſt per accidens. Ex his duabus rationibus concludit, quod ens non prædicatur in quid, de ſuis paſſionibus. Hinc oritur diſputatio inter quoſdam Scotiſtas, & Caietanum; nũquid ſit vera naturaliter hæc propoſitio, nulla propoſitio per ſe, conuertitur in propoſitionem per ſe. Quidã Scotiſtæ tenent eam eſſe veram vniuerſaliter; Caietanus tenet eam eſſe veram particulariter; in aliquibus enim valet, in aliquibus non valet. Rationes, quas pro ſe adducit Caietanus primo Poſt. cap. 4. sũt iſtę, primò iſta eſt propoſitio per ſe in primo modo, homo eſt rationalis, eius cõuerſa eſt, rationale eſt homo, & hęc quoque eſt per ſe, ergo in aliquibus propoſitionibus propoſitio per ſe cõuertitur in propoſitionem per ſe: quod autem hęc propoſitio rationale eſt homo, ſit per ſe, probatur, quia eſt neceſſaria, & omnis propoſitio neceſſaria eſt per ſe. Secũdo probatur hoc, quia illæ ſunt propoſitiones per ſe, quibus competunt modi perſeitatum ſecundum definitiones datas ab Ariſtotele, huic autem, rationale eſt homo, & ſimilibus conuenit definitio ſecũdi modi per ſe, quia in his ſubiectum ponitur in ratione prædicati, iſta verò, par, & impar eſt numerus, eſt in primo modò, quia illi, & ſimilibus competit definitio primi modi. Verùm hæc ſententia Caietani, ſicuti & multæ aliæ in illis libris Poſt. repugnat nedum Scoto, ſed Ariſtoteli, & veritati de præſenti quidem eſt cõſpicuum, cum Ariſtoteles in 18. capite primi Poſt. in alio ſere non laboret, niſi in probando, quod in prædicatione vniuerſali, & per ſe, nõ datur conuertentia; probat enim ibi principaliter, quod non eſt proceſſus in infinitum in prędicatis extremis; ad hoc autem comprobandum iacit inter alia hoc fundamẽtum, quod prædicationes per ſe vniuerſales, non conuertuntur: de his enim prædicationibus loquitur, quia aliæ prædicationes ſunt prædicationes per accidens, vt diſertè docet textu 148. in textu etiam 150. vt ibi exponit egregiè Ioannes Grammaticus, & Zabarella docet, quod non poteſt eſſe reciproca prędicatio ſpeciei de genere, nec de differentia; quia licet genus, & differentia prædicentur de ſpecie, non tamen vult Ariſtoteles, quod hæc prædicatio ſit reciproca, probat enim ibi intentum principale duabus rationibus; prima eſt per fiducialem reprobationẽ, ſcilicet dato etiam, quod daretur hæc reciproca prædicatio, non tamen ſequeretur, quod detur proceſſus in infinitum in prædicatis, neque in ſubiectis. Secunda ratio eſt: quia ſi daretur hęc reciproca prędicatio in quid, & eſſet per ſe, & vniuerſalis, ſequeretur, quod genus eſſet ſui generis genus; ſi enim hęc eſt per ſe, & vniuerſalis, animal eſt homo, ſequitur, quod homo ſit genus animalis, quia in naturali prædicatione ſuperiora prædicantur de ſuis inferioribus, & conſequenter eſſet quoque genus ſuijpſius, quod eſt abſurdum euidẽs. Similiter ſi ſpecies poſſet prædicari vniuerſaliter de differentia, ſpecies eſſet differentia ſuæ differentiæ; Idem probat de prædicatis accidentalibus in tex. 151. & nos breuiter oſtendemus, quia clarum eſt, quod ſi dicimus riſibile eſt homo, eſt prædicatio contra naturã, quia ſubiectum eſt homo, & riſibile eſt accideus, & conſequenter riſibile ineſt homini, nõ homo riſibili: eſt ergo prædicatio contra naturam, riſibile eſt homo; & denique hæc omnia clara ſunt apud Ariſtotelem in præcitato loco; Quod etiam cõſpicuè apparet ex ratione, & definitione modorum per ſe: nam primus, & ſecundus modus per ſe, habẽt hanc cõmunem conditionem, quod prædicatum ineſt ſubiecto; adeo quod prædicatio debet eſſe naturalis, non contra naturam, & probatur ex verbis textus, nam in primo modo ait: *per ſe autem quæcumque inſunt in eo, quod quid eſt*, *vbi per verbum illud* inſunt, *denotat prædicatum ineſſe ſubiecto: dum verò ait* in eo quod quid eſt, *declarat ſecundam conditionem ſcilicet modũm quo ineſt in ſecundo modo; cum verò ait*, & quibuſ-

Origo difficultatis.

Primarõ Caie.

Reijciuur.

Primarõ

quibuſcumque eorum, *ſcilicet prædicatis quæ inſunt ipſis ſubiectis, hæc eſt prima conditio*, ipſa ſubiecta inſunt in definitione, *ecce aliam conditionem*: conueniunt ergo vterque modus in prima cõditioue, quod prædicatum debet ineſſe ſubiecto, & ita prædicatio eſt naturalis; differunt verò in ſecunda conditione, quia in primo prædicatum eſt de definitione ſubiecti; in ſecundo verò ſubiectum eſt de definitione prędicati, quæ omnia, quia diligenter declarantur à Iacobo Zabarella, & alijs, qui ſerio Ariſtotelem ipſum exponunt, non immoror; at in propoſitis propoſitionibus à Caietano, cum dicimus, rationale eſt homo, par, & impar eſt numerus, prædicatũ non ineſt ſubiecto. Sed econuerſo; adeo quod prædicatio eſt contra naturam. Ad rationem Caietani dico, quod falſa eſt illa propoſitio, quod omnis propoſitio neceſſaria eſt per ſe, quia propoſitio de omni, eſt neceſſaria, & tamen, non eſt per ſe, quia propoſitio per ſe eſt magis neceſſaria propoſitione de omni; Sed hoc dimiſſo dico, quod hæc propoſitio, & ſimiles, rationale eſt homo eſt vera, & neceſſaria, quia iſta homo, eſt rationalis nedum eſt per ſe, ſed eſt vniuerſalis, & ſecundum quòd ipſum, quod eſt vltimus gradus neceſſitatis; propoſitio autem, quæ eſt vniuerſalis, eſt de terminis omnino æqualibus, & ideo ſunt cõuertibiles, & ideò iſtæ propoſitiones cõuerſim prædicãtur propter eorum terminorum perfectã æqualitatem, & ſic licet prædicatio non ſit naturalis, tamen propoſitio eſt vera, & neceſſaria, quia eius conuerſa eſt ſecũdum quod ipſum, non ergo ſunt neceſſariæ iſtæ, quia ſint per ſe, ſed quia eius conuerſæ ſunt ſecundum quod ipſum; vnde Porphyrius capite de Specie, duplicem prædicationẽ ſolùm admittit, ſuperiorũ de inferioribus & æqualium de æqualibus, idem dicendum de illis propoſitionibus, omne neceſſarium eſt ęternum, quod ſi non ſint ſecundum quod ipſum, erunt falſæ, vel non neceſſariò verè; Quæ autem dicit Caietanus de definitione accidentium, quod ſubiectum non ponitur, vt additũ, ſunt falſa, ſed alibi ea examinabuntur, ſcilicet in Meth. lib. 7.

Ad primã rationẽ Caietani.

THEOREMA IX.

Datur regreſſus.

Probatur quod datur regreſſus de mente Scoti, & ſecundum veritatem. Cap. I.

Licet apud antiquos de demonſtratione circulari fuerit diſputatio, nũquã tamen de regreſſu fuit controuerſia. Vnde Scotus liberè loquitur de eo, ac ſi de hoc nunquã dubitatum eſſet: vt autẽ veritas in hac re dilucida fiat, primò declarabo quid ſit regreſſus, & quomodo à circulari demonſtratione (quam confutat Ariſtoteles) differat. Secundo ponam Opinionem Scoti cum ſuis fundamentis. Tertio rationes aduerſariorum adducam, & ſoluam. Quo ad primum eſt tale diſcrimen inter circulũ, & regreſſum, quod circulus eſt, quo oſtendimus concluſionem per præmiſſas, deinde præmiſſas per cõcluſionem eadem via, ſcilicet propter quid; ita quod vtraque eſt demõſtratio propter quid, vt ſi ex A. demonſtremus B. & iterum ex B. demõſtremus A. & vtraque ſit demõſtratio propter quid, ſiue per cauſam eſt, demõſtratio circularis, quã Ariſtoteles 3. c. 1. Poſter. reijcit; regreſſus verò eſt, quando per effectum oſtendimus cauſã, deinde reuertimur, & per cauſam oſtendimus effectum, & ita hoc eſt diſcrimen inter regreſſum, & circulũ, quod in circulo vterque proceſsus eſt propter quid; at in regreſſu prior proceſſus eſt ab effectu, & à poſteriori; ſecũdus eſt propter quid, & à priori, & ita argumenta, quę fiunt contra circulum, non valent cõtra regreſsum, neque admittentes regreſsum admittũt circulum. Quo ad ſecundum ex multis locis Scoti in libris Sent. poteſt talis ſententia colligi, licet nullibi (quod viderim) de hoc expreſsè loquatur, præcipuè tamen elicitur eius ſentenia ex 1. Sent. in Prologo quæſtione de ſubiecto ſoluẽdo tertiũ principale; ait enim quod ex paſſionibus poſſumus venire in cognitionẽ cauſę illarum paſſionũ, demõſtratione qa. Hoc admiſſo, clarũ eſt, quod poſtea per tales cauſas poſſumus cognoſcere illas paſſiones, quæ sũt effectus talis eſſe cauſarum; etenim ſi ſint cogno-

Diſcrimẽ inter circulũ, & regreſſum.

Opinio Scoti.

cognoſcibiles, diſtinctè debent cognoſci per cauſas proprias, & ſic habito per demonſtrationem quia, quod cauſa eſt, poſſumus regredi ad oſtendēdum effectum diſtinctè per eandem cauſam, ſiquidem ille effectus nō poteſt diſtinctè cognoſci, niſi per ſuam cauſam proximam: & hoc confirmatur, quia vult quod ſubiectum in ſcientia poteſt demonſtrari demōſtratione quia, & tamen cum hoc vult, quod definitio eiuſdem ſit medium, & cauſa ad oſtendendum paſſiones, & effectus de ſubiecto. Sed clarius ī quodlibetis q. 7. ad A. admittit regreſſum: dicit enim ibi aperte, quod duplex eſt demonſtratio: vna eſt per cauſam, & alia per effectū, & ibi probat dari hoc duplex demonſtrationis genus: quia veritas, neceſſaria, ſed non euidens, ex ſe habet euidentiam, & probatur ex alia veritate euidente ſumpta ex cauſa, vel ab alia ſumpta ex effectu, & ſubinfert, quod veritates de cauſis non poſsunt eſse ſine quibuſdam veritatibus de effectibus, & è conuerſo veritates de effectibus nō poſsunt haberi ſine veritatibus deductis ex cauſis; ita quod in illis eſt cōnexio neceſsaria, & mutua. Ex quo loco elicitur apertè ipſum admittere regreſsum; nam vult, quod per cauſam cognoſcamus effectum, & per effectum cauſam, ſiue quod idem eſt, quod per veritates deductas ex effectu, veniamus in cognitionem veritatum deductarum ex cauſis, & per veritates ſumptas ex cauſa, veniamus in cognitionem effectuum neceſſariorum. Vlterius declarat quomodo ſit poſſibile, qđ aliqua propoſitio vera deducta ex effectu, ſit euidens, & non ſit nota per cauſā, & declarat hoc modo: quia vt patet ex Proęmio Metaphyſicæ acquirim⁹ ſciētiā per experiētiā, q̄ experiētia fit ſēſu, & ſic cognoſcimus effectus, licet nō cognoſcamus cauſam diſtinctè, & conſequenter poſſumus cognoſcere aliquam propoſitionem veram deductam ex effectu non cognoſcendo cauſam diſtinctam, & ſubinfert vlterius inquirendo; poſtea etiam cognoſcimus diſtinctè cauſam; vbi declarat quomodo detur Regreſſus. Pro cuius clariori notitia notandum eſt, quod hæc ſe habent in regreſſu, vt colligitur ex prędicta quęſtione ſeptima quodlibetali A.

Quō fiat Regreſs⁹

Notādum.

quando in primo proceſſu ab effectu noto tendimus ad cauſam; tunc notum eſt nobis effectum ineſſe ſubiecto, ſed cognitione confuſa, quia tunc cognoſcimus nō per propriam cauſam, ſed per experientiam, & ſenſum effectum ineſſe tali ſubiecto, & ſic nos deducit quoque in cognitionem confuſam cauſæ; ſed habita cognitione confuſa cauſæ, per effectum notum confuſo modo, non ſtatim procedimus à cauſa ad effectum, ſed prius diſtinctè cognoſcimus cauſam eſſe cauſam talis effectus; cognoſcimus autem diſtincte per multiplicem collationem cauſæ ad illum effectum, ſic enim ex cognitione confuſa vnius effectus, venimus in cognitionem diſtinctam cauſæ, & hoc eſt, quod dixit Scotus ibi in calce, mediante vlteriori inquiſitione; vt exempli gratia, experientia, & ſenſu cognoſcimus generationem ineſſe rebus materialibus, & prodire à materia; modò per multiplicem collationē generationis ad materiam, venimus in cognitionem conditionum materiæ, vt patet in primo Phyſicorum, vbi Philoſophus per generationē, quæ eſt effectus materiæ venit in cognitionē materiæ; primò enim ꝓbat dari materiā in corpore naturali ſic. Vbicumque eſt generatio, eſt materia ſubiecta, in corpore naturali eſt generatio, ergo in eo eſt materia; inde paulatim procedit ad cognoſcendum exactè ipſam materiam per multiplicem comparationem materiæ ad generationem; & ſic adinuenit quod ſi materia eſt cauſa generationis, debet eſſe priuata forma, & eſſe in potentia, & habere annexam priuationem, & multas alias conditiones, ita quod venit in perfectam cognitionem materiæ. Habita hac perfecta, & diſtincta cognitione materię, tunc regreſſum facit, & per cauſam oſtendit effectum ineſſe ſubiecto, ſcilicet generationem ineſſe corpori naturali per materiam ſic; Vbicumque eſt materia, ibi eſt generatio, in corpore naturali eſt materia, ergo in corpore naturali eſt generatio. Hæc tria ergo in regreſſu ſunt. cognitio confuſa effectus, conſideratio, & examinatio cauſæ per illam collationem ad effectum, qua acquiritur cognitio diſtincta ipſiuſmet cauſæ: tertio regreſsus à cauſa ad effectum: & licet iſta tria tempo

re in

re in quolibet regreſſu non reperiantur ſic ordinata, tamē natura ſic ſunt diſpoſita, & ſe pręcedunt. Quod modo detur talis regreſſus, probatur primò auctoritate Ariſtotelis primo Poſt. c.3. nam poſtquā confutauit circularem demonſtrationem per illam rationem, qua idē eſset notius, & ignotius ſemetipſo; ſubiungit, hoc tamen non eſse inconueniens ſi diuerſis modis accipiatur notius, & ignotius, vt vna demonſtratio ſit propter quid, alia quia. Hęc autē sūt verba text. (Circulò quoq. quod impoſſibile ſit demonſtrare ſimpliciter planum: ſiquidem ex prioribus oportet demonſtrationem eſse, vt notioribus, impoſſibile enim eſt eadem eiſdem ſimul priora, & poſteriora eſſe, niſi altero modo, vt alia quidem ad nos; alia vero ſimpliciter quo modo inductio faciat notū.)

Dari regreſſus. *Prima rō*

Secūda rō. Ex his manifeſtè apparet, quod reſpuit circulum, tamen regreſſum admittit; Secundo clarius primo Poſt. tex. 97. habetur, vbi ponit diſcrimen inter demonſtrationem propter quid, & quia, dicēs, quod quando cauſa eſt medium, eſt propter quid: quando autem mediū eſt effectus, eſt demonſtratio quia; & dat hoc exemplū; ſi formemus hūc ſyllogiſmum. Quod propè eſt, non ſcintillat, Planetæ propè ſunt, ergò non ſcintillant; hæc eſt demonſtratio propter quid, quia propè eſse, qđ eſt cauſa non ſcintillandi, eſt medium in hac demonſtratione; ſi verò formemus ſic: omne non ſcintillas prope eſt, Planetę non ſciutillant, ergo propè ſunt, eſt demōſtratio quia, nā mediū eſt effectus, ſcilicet nō ſcintillare (nā cauſa cur Planetę nō ſcitillant, eſt prope eſse) ecce qđ ſicuti in priori demōſtratione demōſtrauimus effectū per cauſam, ita in hac ſecunda per eundē effectum demōſtrauimus cauſam, qui eſt regreſsus, quia vnus eſt propter quid, ali⁹ propter quia; ait autē ī tex. quādoque euenire, vt hac reciprocata demōſtratione vtamur; hæc enim sūt verba textus (euenit autem, & per alterū monſtrari alterū) & hoc clarius docet ī tex. 98. & 99. nā ī fine illius tex. 99. monet, nō poſse fieri ſemper huiuſmodi regreſsum; ſed ſolum quando cauſa, & effectus ſiint reciproci: ita quod cauſa eſt cauſa immediata talis effectus; ſed quādo effectus non ſunt reciproci, per effectū poterit oſtēdi cauſa, at per causā nō poterit oſtēdi talis effectus, qa effect⁹ non pōt oſtēdi propter quid, niſi per cauſam proximā, & immediatā. Tertiò ratione: ſi talis regreſsus eſt circulus, & nō admittēdus, ſequitur quod nulla datur ſciētia; quod eſt abſurdū; Probo conſequentiā, quia ex notioribus nobis deuenerunt Philoſophi in cognitionē eorū, quæ ſunt nobis ignota, & nota natura: notiores aūt in nobis ſunt effectus; cauſæ autē ſunt notæ natura, ergo ſi habita cognitione cauſarū tantū per effectus, ex cognitione illarū cauſarū non poſsumus venire in cognitionē effectuū, nulla datur ſcientia; nec valet ſi quis reſpōdeat, ex effectu deuenim⁹ in cognitionem cauſę, tamē per cansā poſtea nō cognoſcimus illu effectū, ſed alios effectus, & cognitio de his eſt, quæ poſtea facit ſciētias; non valet inquā, quoniā hic effectuş eſt cognoſcibilis cognitione diſtincta, quę eſt per cauſam propriā: nō poteſt enim cognoſci diſtīctè per causā, niſi cognoſcatur per illammet causā, quā ipſemet oſtēdit à poſteriori; vel ergo dicendū eſt, quod talis effectus immediatus nō eſt cognoſcibilis diſtinctè per causā, vel quod debet admitti regreſsus iſte, etenim qñ per effectū notum oſtendimus causā, effectus eſt notus ſolum confuſò modo: per cauſam autem cognoſcitur diſtinctè.

Tertia rō

Adducuntur rationes contra Regreſſum, & ſoluuntur. Cap. 11.

Prima rō PRimò illi, qui negant regreſſum duobus illis argumentis arguunt quibus vtitur Ariſtoteles aduerſus circulum; quorum primum eſt; Si datur circulus idē eſſet notius, & ignotius eodem, ſcilicet cauſa eſset notior, & ignotior effectu; nam in proceſsu vno eſset cauſa ignotior effectu, in alio eſſet cauſa notior effectu, & ita idem eſset notius, & ignotius eodem; nec valet ſi quis dicat: hoc non ſequitur in propoſito, quia alio, & alio modo ſumitur notius, & ignotius: nam in vna demōſtratione cauſa eſt notior natura, ī alia eſt notior quo ad nos. Non valet dicūt: quia vtraque demonſtratio eſt propter nos, non propter naturam, & ideò vtraque de

bet

bet fieri à notioribus nobis. Vnde cum effectus ſit notior nobis, poſſumus quidem per illum oſtendere cauſam, at non poſſumus regredi à cauſa ad oſtendendum effectum, quia ſemper effectus erit notior nobis cauſa. *Secunda rō.* Secundo dato regreſſu nihil aliud probamus, niſi idem per ſeipſum, qui eſt proceſsus inutilis; nam priori proceſſu oſtendimns ex A. effectu cauſam B. in ſecundo proceſsu oſtendimus ex B. cauſa A. effectum; adeò quod à primo ad vltimum nihil aliud probamus, quod ſi A. eſt; A, eſt. Hæc duo argumenta conficit Ariſt. 1. Poſt. cap. 2. aduerſus Circulum.

Tertia. Tertio. Arguunt aliqui, & putant demonſtrare quando ab effectu ad cauſam procedimus, vel cognoſcimus illum effectum pendere ab illa cauſa, vel non, ſi nõ, non poſſumus etiam facere demonſtrationem illam, & per illum effectum adinuenire illam cauſam, quia maior propoſitio illius demonſtrationis eſſet falſa: vt ſi quis arguere vellet quod datur ignis in ligno, quia in ligno eſt fumus, deberet ſic formare demonſtrationem. Vbicumque eſt fumus, ibi eſt ignis, at in ligno eſt fumus, ergo in ligno eſt ignis, modo ſi ignotum eſſet quod fumus pendeat ab igne, nulla eſſet talis demonſtratio, quia maior eſſet ignota: ſi verò ſcimus quod effectus ille pendet ab illa cauſa; ergo ſuperfluus eſt ſecundus proceſſus, in quo oſtendimus effectum per cauſſam: nam per demonſtrationem propter quid, quærimus ſcire propter quid talis effectus: ſiue cauſam talis effectus: hoc autem iam conſequimur per priorem proceſſum, ergo ſuperfiua eſt ſecunda demonſtratio, ergo iſte regreſſus non eſt admittendus, quia vel eſt vitioſus, vel ſuperfluus.

Argumẽta Balduini Varia argumenta aduerſus hũc regreſſum adducuntur à Balduino, & illa probant ſecundum proceſſum a cauſa ad effectum non eſſe demõſtratiuum, & ideò non poſſe fieri talem regreſſum. *Quarta.* Primò ſic. Omnis demõſtratio eſt ex notioribus nobis: ſed demonſtratio in ſecundo proceſſu non eſt ex notioribus nobis, ergo. Maior eſt Ariſtotelis primo Poſteriorũ, capitulo ſecundo. Minor probatur ex Ariſtole primo Poſt. cap. 2. tex. 15. vbi ait Ariſtoteles, id quod eſt cauſa notitiæ alicuius, eſt magis notum illo, propter enim vnumquodque tale, & illud magis: ſed eſſe effectus eſt cauſa notitiæ eſſe cauſæ, ergo notitia eſſe effectus eſt maior, & certior notitia eſſe cauſæ. Secundo, demõſtratio fit ex præmiſſis neceſſarijs, ſed præmiſſæ talis proceſſus non ſunt neceſſariæ, ergo; maior eſt nota; minor probatur: quia præmiſsæ iſtius proceſsus ſunt neceſsarię ex ſuppoſitione, quia ſi effectus eſt, cauſa eſt; ergo ſi effectus non eſſet, neque cauſa eſſet, & hæc minor habetur ex Ariſtotele 2. Poſt. cap. 15. *Quinta.* Tertio, ſi daretur hic regreſſus, quælibet ſcientia poſſet oſtendere ſuum ſubiectum à priori, conſequens eſt falſum, ergo; conſequentia probatur hoc exẽplo; datur corpus compoſitum, ergo eſt corruptibile, ergo eſt materia. *Sexta.* Hoc proceſsu adinuenimus materiam ab effectu. Regrediamur à cauſa ad effectũ, datur materia, ergo datur corpus corruptibile, ergo datur corpus compoſitum, quod eſt ſubiectum in Philoſophia naturali: ſic in alijs poſſumus arguere.

Prædictæ rõnes ſoluũtur. Ex dictis in præcedẽti capite facilè ſoluuntur rationes adductæ. *Ad primam.* Ad primam, cõcedo quod idẽ eſt notius, & ignotius reſpectu eiuſdem, vt dictum eſt, neque hoc eſt incõueniens accipendo diuerſo modo notius, & ignotius; vnde argumentũ procedit contra circulum, non contra regreſſum, quia in regreſſu effectus eſt notior cauſa, cognitione confuſa; ſed eſt poſtea ignotior ipſamet cauſa cognitione diſtincta, & cum arguit cõtra hoc, quia in vtroque proceſsu debemus procedere à notioribus nobis, quia demonſtratio eſt propter nos, non propter naturã, dico, quod in vtroque proceſsu procedimus à notioribus nobis, ſed in vno cognitione confuſa, vt cum procedimus ab effectu ad cauſam; in alio verò proceſsu procedimus a notioribus nobis cognitione diſtincta, vt cum à cauſa procedimus ad effectum; neque enim dicimus alium proceſsum eſſe à notioribus nobis, & alium à notioribus naturæ, ſed vterque eſt à notioribus nobis, alio tamen, & alio modo, vt dictum eſt: *Ad ſecũdã.* Ad ſecundum iam dictum eſt, quod concludit aduerſus demonſtrationẽ circularem, non contra regreſſum, quia in regreſſu non eſt proceſsus ab eodem ad idem,

idem, eodem modo, vt contingit in circulo. Ad tertium dico, quòd ex primo proceſſu cum procedimus ab effectu ad cauſam, ignoramus cauſam eſſe cauſam illius effectus, & etiam ſcimus eſſe cauſam illius effectus, ſcimus illam cauſam eſſe cauſam illius effectus confuſo modo; ſed ignoramus diſtincto modo; Ideò cum obijciunt, ergo ſuperfluit ille ſecūdus proceſſus a cauſa ad effectum; dico, quod nō ſuperfluit; immò eſt neceſſarius, vt cognoſcam diſtinctè talem effectum eſſe à tali cauſa. Vndè iſti decipiuntur ſimili deceptione Memnonis, & Sophiſtarum 1. Poſt. cap. 1. arguentium, quòd non datur ſcientia; quia enim non concedebant mediam cognitionem inter perfectam ſcientiam, & meram ignorantiam, quæ eſt cognitio confuſa, ideò illos cauillos, vt etiā iſti ſoluere neſciebant; nos autem illa adinuenta faciliter cum Ariſtotele ſoluimus.

Ad 4. Ad quartum, negatur minor, profectò verum eſt, quòd effectus eſt cauſa notiæ cauſæ in cognitione confuſa, tamen in cognitione diſtincta effectus non eſt cauſa notitiæ cauſæ, ſed talis cognitio diſtincta habetur ex examine, & labore intellectus circa cognitionem illius, & net cauſæ; & hæc reſponſio confirmatur ex hoc, quod omnes concedunt cognitionem cōfuſam ſemper præcedere diſtinctam; immò diſtincta habet originem a confuſa; tamen ſi quis argueret, ergo certior eſt cognitio confuſa, quàm diſtincta: quia propter vnumquodque tale, & illud magis; nihil concluderet, quia vtique locum habet ratio in eodem ordine, at in diuerſis ordinibus nequaquam.

Ad 5. Ad quintum negatur minor; ad probationem dico, quod in ſecūdo proceſſu propoſitiones ſunt neceſſariæ per ſe, non ex ſuppoſitione, quia prædicatum ineſt ſubiecto neceſſario; ideò licet eorum cognitio originetur a cognitione effectus confuſa, tamen habita illa, venimus poſtea in cognitionem diſtinctam cauſæ, & ſic formamus propoſitiones neceſſarias per ſe, quia ſunt veræ, & neceſſariæ, licet euidentiam habeant ex illis; neque ſequitur, quod ſint neceſſariæ ex alio, & ex ſuppoſitione, licet earū cognitio diſtincta præſupponat aliquam cognitionem confuſam.

Ad 6. Ad ſextum negatur conſequentia; ad probationem per illud exemplum, dico, quod concludit, quod ſubiectum poteſt oſtendi à poſteriori, & hoc nos concedimus; immò ſi cognitio, quæ præſupponit aliā, non eſſet neceſſaria, nulla cognitio intellectus eſſet neceſſaria abſolutè, quia illa præſupponit cognitionem ſenſitiuam; ab illa enim originatur; hoc autem dicere, eſt abſurdum, & ſi hoc dicere non eſt abſurdum, neque eſt abſurdum hoc, quod ipſe pro abſurdo aſſumit; falſitatem autem conſequentiæ oſtendo per hoc, quia in regreſſu in primo proceſſu oſtendo cauſam per effectū, in ſecundo proceſſu oſtendo effectum per cauſam, modò ſi per talem regreſſum poſſum oſtēdere dari ſubiectū propter quid, hoc continget in primo proceſſu, in quo per effectum oſtendo ſubiectum, & cauſam, & tunc hoc non eſt probare dari ſubiectum à priori, ſed a poſteriori, quod nos concedimus, vt in proprio quæſito dictū eſt; in ſecūdo verò proceſſu, qui eſt à priori, non oſtendimus dari caſum, neque ſubiectum, ſed effectum, & paſſionem per cauſam, ita quod nulla eſt hæc ratio.

THEOREMA X.

Dantur tantum duæ ſpecies demonſtrationis.

Poſitio Scoti, & comprobatio. Cap. I.

De hac materia loquitur Scotus in Quodlib. quæſt. 7. ī principio ad A. & apertè aſſerit Ariſtotelem tantummodo duas ſpecies demonſtrationis admittere, ſcilicet, propter quid, & quia, quarum vna eſt per cauſam, alia eſt per effectum; quod autem ſufficiant duæ ſpecies demonſtrationis tantum, probat: quia omne verum neceſſarium non euidens ex terminis, habens tamen neceſſariam connexionem, & euidentem ad aliud verum neceſſarium, & euidens, poteſt probari per illud verum neceſſarium, & euidens. Hoc non probat Scotus, tamen ex ſe facillimè patet: nam ſicuti ex propoſitionibus euidentibus ex terminis probamus propoſitiones veras, ſed non euidentes ex terminis, quæ habent neceſſariam connexionē ad illas, Scot.

ad illas, ita poſſumus probare propoſitiones veras; ſed non euidentes ex alijs veritatibus neceſſarijs, & euidentibus, ad quas habet neceſſariam connexionem. Hæc omnia vera, & clara per ſe ſunt. Subinfert Scotus, at veritates neceſſariæ, & euidentes accipiuntur vel à cauſa, vel ab effectu, & ſic veritates neceſſariæ, ſed non euidentes, vt ſunt concluſiones neceſſariæ, poſſunt probari, vel per veritatem neceſſariã euidentem deductam ex cauſa, vel per veritatem neceſſariam euidentem deductã ex effectu; ſi primo modo, habetur demõſtratio propter quid, ſi ſecundo modo, habetur demonſtratio quia: ita quod in demonſtratione propter quid, oſtendimus concluſionem veram, ſed non euidentem ex veritate neceſſaria, & euidenti deducta ex cauſa; in demonſtratione quia, oſtendimus concluſionem veram, & non euidentem per veritatem euidentem deductam ex effectu. Hinc patet, cur ſint tãtum duæ ſpecies demonſtrationis, & hoc confirmatur ex 2. Sent. d. 3. q. 6. ſoluendo vltimum principale ad M. vbi demonſtrationem potiſſimã appellat propter quid; dicit enim, quod definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſsima; at definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione propter quid, ergò propter quid eſt demonſtratio potiſſima, & ita ſecundum Scotum nulla eſt differentia inter demonſtrationem propter quid, & potiſſimam; ſed cum eſt propter quid, eſt etiam potiſſima. Cur autem ſolum detur demonſtratio ex cauſa ad effectum, & ex effectu ad cauſam, eſt: quia ſolum inter has datur eſsentialis connexio, & vis illationis.

Notãdum. Notandum eſt autem, quod duplex eſt cauſa, & effectus, ſcilicet cauſa remota, & effectus remotus, & ſic poſſent eſse aliæ duæ ſpecies demonſtrationis; vna per cauſam remotam, alia per effectum remotum; de hac prima loquitur Philoſophus in cap. 10. primi Poſt. & eam appellat demonſtrationem quód; vnde ait quòd duplex eſt demonſtratio quod; vna per effectum, alia per cauſam remotam, & hanc quæ eſt per cauſam remotam, ait fieri tantum in ſecunda figura, ratio eſt: quia cauſæ ad effectum non eſt neceſſaria connexio; vnde poſita cauſa remota, non ponitur effectus, & ſic ſolum in ſecunda figura fit; quia è conuerſo negata cauſa remota, remouetur effectus, & ſic ſolum habet locum in ſecunda figura, in qua concluſio eſt ſemper negatiua, vt patet per exemplum adductum ibi, quod eſt, hoc, reductum in figura Cameſtres. Omne reſpirans eſt animal, nullus paries eſt animal; ergo nullus paries reſpirat: Ecce cauſam remotam, quæ eſt eſse animal (nam eſse animal non eſt cauſa proxima reſpirandi, ſed remota: quia ſunt multa animalia non reſpirantia, vt quæ carent pulmone) cauſa ergo proxima eſt pulmo: ſed quia tales demonſtrationes ſunt viles: ideò indignæ ſunt nomine demonſtrationis; ſimiliter demonſtratio ab effectu remoto, eſt adeo plena defectuum, quod illa in ſcientijs non venit in vſum: nam ab effectu remoto non poſsumus procedere ad cognitionem cauſæ remotæ, niſi prius habita cauſa proxima; & hac de cauſa Ariſtoteles de ea ne vnum quidem verbum facit. Solum ergo ſunt duæ ſpecies demonſtrationis, vna per cauſam proximam, quæ eſt propter quid, & habet omnes conditiones enumeratas ab Ariſt. 1. Poſt. 2. & 4. cap. & dicitur potiſſima demonſtratio. Altera ab effectu proximo, quia ſolum inter cauſam proximam, & effectum proximum eſt eſsentialis connexus, & hæc dicitur demonſtratio quia. Ex quo apparet, quod illa tertia ſpecies demonſtrationis adinuenta à Themiſtio non eſt admittenda, quæ vt ipſe ait, eſt non ab effectu ad cauſam, neque à cauſa ad effectum, ſed ab effectu ad effectum, & ab æquali ad æquale; non à priori, neque à poſteriori, & hæc fit quando duo effectus æqualiter prodeunt ab eadem cauſa: tunc enim ait ipſe, poſsumus vnum oſtendere per alterum; vt exempli gratia febris putrida habet duos effectus alterationem pulſus, & certum calorem in ægroto: Vnde ſi quis ex eo, quod eſt in ægroto certus talis calor, inferat: ergo eſt inæqualitas pulſus: ait quod erit demonſtratio ab æquali ad æquale diuerſa à duabus primis: Sed iure confutatur hæc ſpecies ab omnibus ferè, quia in demonſtratione requiritur connexio neceſsaria, quæ ſolum eſt inter cauſã, & effectum: modo illi duo effectus, cum *De demonſtrat. Themiſt. nõ admittitur.*

vnus non

vnus non ſit cauſa alterius nõ habent neceſſarium connexum;ſed quod ſint ſimul ſemper, & quod poſito vno,ponatur alterum eſt ex accidente,non prouenit ex neceſſaria,& interna natura eorum,' ſed ab extrinſeco,ſcilicet à febri;quod ſi illi effectus ita ſe habent, quod vnus dependeat ab altero,tunc ſe habent vt cauſa,& vt effectus, non vt effectus,& effectus. Hanc eandẽ ſententiã ſecuti ſunt omnes Græci expoſitores,& Latini,qui omnes dicunt, quod dãtur tantum duę ſpecies demonſtrationis,vna,quę oſtẽdit,quod eſt,alia, propter quid eſt,vt diximus.

Græci & Latini.

Confirmatur autẽ hæc poſitio primò teſtimonio Ariſt.cap.10.1.Poſt.vbi colligit omnes ſpecies demonſtrationis,& earum diſcrimen aſſignat,& tamen enumerat ſolùm demõſtrationẽ propter quid, & quia.Et confirmatur:quia Ariſt. ibi diuidit demonſtrationem quia,in duas partes,ſcilicet in demonſtrationẽ, quia, per cauſam remotam,& in demonſtrationẽ, quia,ab effectu:ergo ſi datur alia ſpecies demonſtrationis debebat illam aſſignare:neque ſolùm eo in loco de alijs ſpeciebus demonſtrationis non facit mentionem, ſed neque in vllo alio loco habetur ſpecialis tractatus, qui tamen requiri videbatur.

Probatio.

Opiniones aduerſariorum adducũtur. Cap. 11.

Auerroes.

AVerroes tamẽ,& eius ſectatores cõtrariam opinionem ſuſtinẽt, & aſſerunt tres eſſe demonſtrationis ſpecies, vna,quæ oſtendit,quod eſt tantum,vt demonſtratio quia,alia,quæ oſtẽdit propter quid eſt ſolum;nõ autem,quod eſt,vt demõſtratio propter quid,quam etiam appellant demonſtrationem cauſæ,& alia, quæ oſtẽdit,quod eſt, & propter quid eſt ſimul, & hãc appellant demoſtrationem potiſſimam, & demonſtrationem ſimpliciter, & ſic ſunt tres ſpecies demonſtrationis, quia,propter quid, & potiſſima: ab effectu prodit demonſtratio, quia: à cauſa verò duplex prouenit, ſcilicet demonſtratio propter quid, & demonſtratio potiſſima, & ſic demonſtratio propter quid, eſt duplex alia,propter quid ſolùm,& alia potiſſima. Tota itaque difficultas inter Auerroem, & eius ſectatores,& Scotum, & Græcos,ac Latinos omnes,eſt,an demonſtratio propter quid, & potiſſima,ſint duæ ſpecies demonſtrationis,quarum potiſſima ſit excellentior demonſtratione propter quid,vel potius illæ ſint vna,& eadem ſpecies demonſtrationis.Hoc aſſerunt Scotus,& Latini, & Græci;illud Auerroes, & ſectatores eius. Cum itaque Auerroiſtæ dicant demonſtrationem propter quid,& potiſſimam, eſſe duas ſpecies demonſtrationis, declarant etiam differentias,proprer quas iſtæ ſpecies ab inuicẽ diſtinguantur:ſed circa aſſignationem differentiarum nõ conueniunt.Aliqui dicunt,quod tres ſunt differentiæ,quibus diſtinguũtur:prima eſt ratione medij: vnde dicunt,quod medium in demonſtratione potiſſima, eſt ſemper cauſa formalis:ſed in demõſtratione propter quid, medium eſt, vel cauſa efficiẽs, vel materialis,vel finalis,nũquam formalis: Secunda eſt ratione terminorũ;vnde dicunt,quod demõſtratio potiſſima ſemper ſit in terminis cõuertibilibus, ſed propter quid,nõ ſit in terminis conuertibilibus;Tertia eſt,quod demonſtratio potiſſima,oſtendit quod eſt,& propter quid eſt ſimul:ſed demõſtratio propter quid,oſtẽdit ſolũ propter quid eſt:nõ autem quod eſt. Hæc opinio tribuitur M. Antonio Ianuæ,& Thomitano. Aliqui alij, vt Bernardinus Petrella,lib.6. ſuarum logicarũ diſputationum,c.7. adducit quattuor cõditiones;prima quod in potiſſima,mediũ eſt ſolũ cauſa formalis, in propter quid, omnia quattuor genera;Secũdã,quod in potiſſima,termini sũt reciproci,vt mediũ cum effectu:in propter quid verò, nequaquam,Tertiã,quod in potiſſima, mediũ & cauſa eſt nota natura, & nobis immediatè per ſenſum, & ſine demonſtratione, quia: ſed in demonſtratione propter quid,mediũ, & cauſa eſt nota ſolum natura,non nobis; ſed venimus in cognitionem illius cauſæ,& medij per demonſtrationẽ quia:vnde ſolum illæ cauſę, quę nobis innoteſcunt per demonſtrationem, quia, efficiunt demonſtrationem propter quid,nõ potiſſimam,ſed cauſæ,quæ ſunt notæ natura, & nobis immediatè,

Variæ opiniões Auerroiſtarum. Prima opinio.

Secũda opinio.

abſque demonſtratione,quia efficiunt demonſtrationem potiſſimã. Quartã,quod demonſtratio potiſſima facit ſcire quod eſt,& propter quid eſt : & ſic ſatisfacit duobus quæſitis, ſed propter quid , facit ſcire ſolum quid eſt, non quod eſt, quia iam ſcitur, quod eſt, per demonſtrationem , quia quæ ſemper in talibus præcedit. Aliqui alij,vt Balduinus in ſua quæſtione de regreſsu,duas tantum, vt videtur ponit differentias ; prima eſt ratione medij,quia in demonſtratione potiſſima, medium eſt notum natura, & nobis primò & immediatè,abſque demonſtratione, quia; ſed in demonſtratione propter quid,cauſa,& medium eſt notum ſolùm natura, non nobis ; nobis verò innoteſcit per demonſtrationẽ,quia;Secunda,quod demonſtratio potiſſima,facit ſcire quod eſt, & quid eſt ſimul ; ſed propter quid , facit ſcire ſolum propter quid eſt ; & deſumitur, & acquiritur ex priori ; nam ex eo, quod medium in demonſtratione potiſſima,eſt notum natura,& nobis,illa demõſtratio facit ſcire quod eſt, & propter quid eſt ; in demoſtratione verò propter quid,quia medium , & cauſa eſt nobis ignota, licet ſit nota natura, non facit ſcire, quod eſt,ſed ſolum propter quid eſt ; quod eſt autem,innoteſcit nobis per demonſtrationem quia ; Has differentias Auerroiſtæ ex varijs locis Auerrois colligunt. Prima ratio pro hac opinione,quã putant validiſſimam,eſt hæc,Demonſtratio, quę oſtendit ſolum quid eſt,differt à demonſtratione,quæ oſtendit quod eſt, & ſecundum omnes ſunt duę ſpecies,ergo etiam illa , quæ ſolum oſtendit propter quid eſt,debet eſſe alia ſpecies à demonſtratione,quæ oſtondit, quod eſt ſolum,& ab ea,quæ oſtendit , quod eſt, & propter quid eſt , propter eandem rationem; ſicuti enim demonſtratio, quia, oſtendit ſolum quæſitum quod eſt; ita propter quid, oſtendit ſolum quęſitum propter quid eſt;potiſſima verò vtrũque ; & ſic realiter iſtæ ſpecies diſtinguuntur ab inuicẽ,Et hæc differẽtia deſumitur à quęſitis.Secũda ratio deſumitur ex auctoritate Ariſt.in 1.Poſt.text.178. vbi ait, quod certior,& præſtãtior eſt ſcientia illa, qua cognoſcimus,qđ cũ propter quid,quã illa, qua cognoſcimus quod ſolũ, vel propter quid ſolũ, ergo videtur, quod Ariſt. etiam ponat talẽ diſtinctionem inter ſpecies demonſtrationis,qualem illi aſſignauerũt. Tertio Ariſt.in 2.Poſt.tex.39. ait, euenire interdum, vt cum cognoſcamus rem eſſe quæramus ſolum propter quid; euenire etiam aliquando , vt manifeſta ambo ſimul fiant ; & ita videtur quod tres ſpecies demonſtrationis admittat: vnam,qua ſolùm ſcimus quod eſt: aliam , qua ſolùm ſcimus propter quid eſt ; tertia,qua ſcimus vtrumque . Bernardinus Petrella lib.6.ſuarum diſputationum logicarum,cap.4.multa dicit pro cõfirmatione huius opinionis , ex quibus præter ſupra dicta duæ rationes tales colligi poſſunt;Prima, illæ ſunt diuerſæ ſpecies demonſtrationis , quæ habent diuerſa media, & diuerſas cauſas ; at demonſtratio propter quid,& demonſtratio potiſſima, habent diuerſas cauſas , & diuerſa media,ergo;minor probatur ex Ariſt.2.Poſt. tex.11. & 2. Phyſicorum tex. 71. vbi ait Ariſt.in demonſtrationem propter quid ingredi quattuor genera cauſarum;& ita colligitur quod demonſtrationem propter quid,ingreditur quartus modus dicendi per ſe,qui propriè eſt cauſa efficiẽs; at demonſtrationem potiſſimam ingreditur ſolum primus,& ſecundus modus dicẽdi per ſe,& excluditur tertius, & quartus ab Ariſt.1. Poſt.c.4. Secunda ratio ; Sunt quædã cauſæ,quæ ignotæ nobis sũt, & habent effectus notos,in his fit demõſtratio quia, ſolùm; ſunt etiam quædam cauſæ ignotæ nobis, tamen notæ natura ; ex his ſolum poſſumus facere ſcire propter quid;non autem quia;denique ſunt cauſæ notæ natura,& nobis.Ex his poſſumus facere demonſtrationem potiſſimã, quæ facit ſcire quod eſt , & propter quid eſt,ergo cũ ſint media triplicia; tres quoque demonſtrationum ſpecies dantur.

Tertia. *Prima rõ.* *Secunda.* *Tertia.* *Quarta Petrella.* *Quinta.*

Confutatio huius opinionis. Cap. III.

VErum cum omnes hę conditiones commentitiæ ſint,& apud Ariſt. vt ſuprà dictum eſt,tantum duæ ſpecies demõſtrationis dẽtur,propter quid,&quia; &propter quid ſit potiſſima,& præcipua de-

demonſtratio, facilè eſt omnes has differentias, quibus nituntur oſtendere potiſſimam, & propter quid eſſe diuerſas ſpecies reijcere, & confutare; ego tamen breuibus ago, quia plura de his quilibet legere poteſt apud Zabarellam de ſpeciebus demonſtrationis cap. 13. & infra, vbi has omnes egregiè confutat, Contra primam differentiam hanc vnicam rationem adduco; dicunt quod demonſtratio potiſſima, ſolum fit per cauſam formalem; propter quid verò, per alias cauſas nunquam per formalem, Contra demonſtratio propter quid, fit per cauſam formalem, ergo hæc differentia eſt nulla, & ſic non ſunt duæ ſpecies demonſtrationis, ſed vnica. Antecedens probatur; Contingere poteſt quod cauſa formalis ſit ignota nobis, effectus autem illius, vt puta accidens aliquod ſit nobis notum, vt apertè aſſerit Ariſtoteles in primo de Anima, tex. 11. tunc per effectum poſſum venire in cognitionē cauſæ formalis demonſtratione quia; & hoc facto poſſum regredi, & per illam cauſam demonſtrare effectum propter quid, tunc erit demonſtratio propter quid, & non facit ſcire quod de effectu, quia iā illud eſt notum; ſed facit ſcire ſolum propter quid eſt, & ſic nō eſt potiſſima demōſtratio, & tamen eſt per cauſam formalē, ergo non eſt bona differentia; Hęc omnia quæ ſunt ī hac ratione, admittūtur ab Auerroiſtis; nā ipſi admittūt regreſſū. Alias rōnes vide apud Zabarellam loco citato. Cōtra ſecundam differentiā, quam dicebant eſſe terminorū reciprocationē in potiſſima, non autē in propter quid. In omni demōſtratione, ī qua præmiſſæ ſūt immediatæ eſt terminorū reciprocatio, ſed in demōſtratione propter quid, & cauſæ (vt vocant) tātum ſunt propoſitiones immediatæ, ergo & in illa ſunt termini reciproci; ergo nulla eſt hæc ſecūda differentia; maior probatur: quia cauſa cur termini ſint reciproci, eſt, quia immediatè vnus ſequitur ad alterū, vt cauſa ad effectum proximū; ideò enim poſito homine ponitur riſibile, quia homo eſt cauſa ꝓxima riſibilis, & quādo ſunt immediatę, ſunt de omni, per ſe, & ſecundum quod ipſum. Ex quibus conditionibus ſequitur reciprocatio terminorū; idem enim eſt propoſitio immediata, quod propoſitio de omni, ꝑ ſe, & ſecundum quod ipſum, quia illæ cōditiones de 4. cap. 1. Poſt. ſunt eędem conditiones ſecundi cap. ſed magis illarum declaratiuę; eſt ergo vera maior; minor eſt conceſſa ab omnibus; nam clarum eſt quod demonſtrationē propter quid, non ingreditur cauſa remota, quia illa facit demonſtrationem quod, vt patet ex 10. cap. primi Poſt. ergo ſi tunc cauſa proxima ingreditur hanc demonſtrationem, vt etiam ipſe Auerroes concedit, ſequitur quod eius propoſitiones ſunt immediatę; nā cum effectus proximus demonſtratur per cauſam proximam de ſubiecto in aliqua demonſtratione, neceſse eſt, quod propoſitiones omnes ſint immediatæ; etiam ſequitur, quod in demonſtratione propter q̄d, termini ſunt cōuertibiles, ergo demōſtratio ꝓpter quid, eſt potiſſima, & ſic vna ſpecies demōſtrationis ſunt, non duæ. Alias rationes vide apud Zabarellam, vt ſupra. Præterea accipiantur cauſa, & effectus reciproci, & effectus ſit nobis notus, tunc poterimus in regreſſu per effectum oſtēdere cauſā, & erit demonſtratio propter quid tantū, ſecūndum eos, & tamen erit in terminis conuertibilibus, ergo non eſt bona differentia. Contra tertiam differentiā, quæ deſumitur à medio, & erat, quod mediū in demonſtratione potiſſima, eſt notum natura, & nobis; ſed mediū in demōſtratione propter quid eſt notū natura ſolū, non nobis, & in hac differentia maximè innitūtur; ideò hac refutata clara erit noſtra poſitio. Ex hac etiam patebit confutatio alterius conditionis ſequentis, ſcilicet quartæ, q̄ a ex hac deſumitur. Arguo itaque in hunc modum. Illa eſt demōſtratio potiſſima, & omnib. numeris abſoluta, quæ habet omnes conditiones aſſignatas ab Ariſtotele in 2. capit. & 4. primi Poſter. ſed hæc cōditio medij, quod debeat eſse notum nobis, & natura, non ponitur inter illas, ergo nō eſt cōditio neceſsaria ad potiſſimam demonſtrationem, & conſequēter cum ſolùm hæc differentia ponatur inter propter quid, & potiſſimā demonſtrationem, & demonſtratio propter quid, habeat omnes alias conditiones, ſequi-

Contra primam differētiā.

Contra ſecundā.

Contra 3.

quitur quod ſit demonſtratio potiſſima: non ergo differt propter quid, à potiſſima, maior probatur. Alioquin Ariſtoteles eſſet diminutus: hoc autem non eſt dicendum, neque illud dicerent aduerſarij; Minor probatur, cōditiones aſſignatę in definitione demonſtrationis 2. cap. ſunt iſtæ quinque; quod præmiſſæ ſint veræ, immediatæ, priores, notiores, & cauſę concluſionis; declarans autem illam conditionē notiores, ait duplex eſſe aliquid notius, natura, & nobis, & explicat ſe intelligere, quod debent eſſe notiores natura, non nobis; ſic enim eſt demoſtratio quia; conditiones autem de quarto cap. ſunt declaratiuæ illarum, & in nullo differunt; non ergo eſt inter conditiones demonſtrationis potiſſimæ, quod medium ſit nobis notius, & natura, ſed ſolū, quod ſit notius natura; conditiones autem præmiſſarum ſunt conditiones medij, vt patet ex textu, & alijs capitibus. Nec valet communis Auerroiſtarum reſponſio, qđ quādo Ariſtoteles dixit principia eſſe notiora, intellexit eſſe notiora natura, & nobis, non autē ſolùm notiora natura, quia demonſtratio eſt opus noſtrum, & propter nos inuentum; ideò debent illa principia eſse notiora etiam nobis: non valet inquam, quoniā Ariſtoteles aptè ait debere eſse notiora natura ſolum; & reddit rationem: quia ſunt cauſæ, cauſæ autem sūt priores, & notiores concluſione natura; quod autem dicunt principia demonſtrationis debere eſse notiora nobis, quia demonſtratio propter nos eſt adinuenta. Reſpondeo, quod iſta reſponſio prouenit ex quadam deceptione, vt optimè notauit Zabarella: quia credunt, quod nota natura, non ſint nota nobis, ſed ſint nota naturę, quaſi natura ſit quædā vis cognoſcens: nos verò illa non cognoſcamus; ſed decipiuntur, quia & nota natura, & nota nobis, ſunt nota nobis; ſed aliqua dicūtur nota natura, quia ſunt nota nobis eo ordine, quo natura procedit, ſcilicet cognitione diſtincta: & ideò dicuntur nota natura, id eſt nobis ordine diſtincto, quo natura procedit. Alia verò ſunt nota nobis, qa illa cognoſcimus ordine cōfuſo, & oppoſito ordini naturæ; & eo modo, quo nos procedimus ad cognitionem, rerum: non

Reſpōſio Auerroiſt. reijcitur.

ergo valet, debet medium demonſtrationis potiſſimæ eſse notū natura, & nobis: quia demōſtratio eſt inuēta propter nos, nam etiā nos concedimus, quod eſt notum nobis, ſed cognitione diſtincta. Præter ea forti⁹ arguo. Eſt impoſſibile, quod idem medium ſit notum natura, & etiā nobis, ſiue ordine diſtincto, & ordine cōfuſo, vt illi dicunt eſse mediū demonſtrationis potiſſimæ, quia vel illud medium eſt cauſa, vel effectus; ſi eſt cauſa, eſt impoſſibile, quod ſit notum nobis ordine confuſo; quia nō eadem ſunt nobis nota, & natura: ſi eſt effectus eſt impoſſibile, ꝙ ſit nobis notū ordine diſtincto, propter eandē rationem. Pręterea, ſtante hac eorum reſponſione, demonſtratio propter quid, non eſset propter nos, neque vllo pacto vtilis, quia illa ſolum per illos procedit per medium notum natura tantū, ergo nullo pacto tale medium eſset nobis notū. Fortaſse dicent per ſe eſt ignotum, ſed nobis ſit notum per demonſtrationem, quia, confuſo modo: at vt eſt medium in demonſtratione propter quid, eſt notum natura. Contra, ſi ergo tali modo, ſcilicet diſtinctè eſt ignotum nobis, ſequitur, quod talis demonſtratio nobis eſt inutilis, ſecundum ſe, quod eſt euidenter abſurdum. Itaque dicendum, quod quando Ariſtoteles ait præmiſsas, & medium eſse notiora natura, intellexit, mediū, & præmiſsas eſse nota, natura, id eſt nobis diſtincto modo, & ſic demonſtratio propter quid, cum habet hanc conditionem cum alijs, eſt potiſſima: quomodo autem veniamus in hanc cognitionē diſtinctam cauſæ, dictum eſt in Theoremate de regreſsu; venimus enim per multam collationem effectus ad cauſam.

Theorema 9.

Bernardinus Petrella lib. 6. ſuarum diſputationum cap. 11. reſpondet his rationibus: primò, quod falſum eſt, qđ demōſtratio propter quid, habeat cauſā immediatā: immò dicit, quod ſit per cauſā mediatam, quia in talibus ſemper eſt cauſa cauſata: vnde propoſitio immediata eſt illa, in qua nedum nullū eſt medium inter medium, & paſſionem; ſed etiam requiritur, quod nullum ſit mediū inter cauſā, & ſubiectum. Sed cōtra, conditiones principiorum demōſtrationis ſunt conditiones

Reſp. B. Petrella.

Reijcitur.

res medij, vt etiam ipſe Petrella fatetur in eodem loco, ergo cum dicit principia debere eſſe immediata: dicit medium debere eſſe cauſam immediatam maioris extremi, ſiue paſſionis, & effectus: nam cum ſcimus paſſionem propter cauſam proximam, propter quam res eſt, habemus optimam ſcientiam, ſiuè poſtea illa cauſa, & medium ſit cauſatum, & habeat eſſe ab alio, nihil impedit quin propoſitiones confectæ ex tali medio ſint immediatæ. Quod etiã cauſa immediatè inſit ſubiecto, probo: quia in demonſtratione propter quid, propoſitiones debent eſſe per ſe, minor autẽ neceſſariò eſt ſemper in primo modo: at conſtat, quod propoſitiones de primo modo dicendi per ſe, ſunt immediatæ, quia in his prædicatũ, vel eſt tota definitio, vel pars definitionis ſubiecti; at nec definitio, neque partes definitionis ſunt demonſtrabiles de definito per aliquam cauſam, quia quod quid eſt non demonſtratur de eo, cuius eſt, vt probat Ariſtoteles in 2. Poſt. licet à poſteriori illas adinuenire poſſimus, vt ſuo loco dicam; ſed hæc nõ eſt probatio, quæ faciat propoſitionem mediatã, quia ſic etiam prima principia declarãtur: Cũ itaque in demonſtratione propter quid, cauſa ſit immediata, & cauſa per ſe primo modo inſit ſubiecto, eſt dicẽdũ, quod etiam ſit potiſſima, & habeat omnes conditiones potiſſimæ, & perfectiſſimæ demonſtrationis. Dat aliam reſponſionem: & inquit, quod demonſtratio propter quid, & potiſſima, non habent principia nota eodem modo, quia potiſſima habet illa nota per ſenſum abſque vlla demonſtratione quia, ſed demonſtratio propter quid, habet illa nota per demonſtrationem quia. Contra, vel iſte vir intelligit, quod in demõſtratione potiſſima principia ſint nota nobis ſenſu, ideſt cõfuſo modo, & hoc eſſet maximum abſurdum; vel intelligit, quod ſint nobis nota diſtinctè, & tunc eodẽ modo nota ſunt in vtraque demonſtratione, vt dictum eſt; quod ſi velit dicere, quod intellectus noſter percipiat hanc cognitionẽ diſtinctã principiorum immediatè ex ſenſu, hoc falſum eſt: quia cognitio diſtincta, habetur non neceſſario poſt confuſam: confuſa autem originatur in nobis quidem per miniſterium ſenſuum, attamẽ ſenſus cauſas oſtendere non poteſt; quia ad affectus ſenſibiles ſe extendit: ſed intellectus mediante demonſtratione, quia illas cauſas adinuenit, & tandem actu facta multa collatione effectus ad cauſã, diſtinctè cognoſcit cauſam, & ſic progreditur ad demonſtrandum effectus per cauſam, & facit illa principia. Verùm illud profectò eſt, quod principia diſtinctò modo cognita, quãdoque ipſomet ſenſu comprobãtur, ſed hoc ſic intelligitur, quod ſenſu cõprobantur, ideſt experientia, & demonſtratione quia, quæ eſt per ſenſata media; attamen ſolo ſenſu non poſſunt ſic ſciri. Reſpondet etiam, quod falſum eſt, in omni demonſtratione propter quid, principia eſſe ſecundum quod ipſum, vt patet quã do poſita cauſa ponitur effectus, non è cõuerſo, nam in his poteſt fieri demonſtratio propter quid, quæ tamen non erit potiſſima, & exemplificat de igne, & illuminatione, nam poſito igne ponitur illuminatio, non è conuerſo, & ſic per ignem tãquam per cauſam, poſſumus demõſtrare illuminationem; hæc non erit demõſtratio potiſſima, quia termini non ſunt pares, neque reciprocantur. Ad hoc argumẽtum, & reſponſionem reſpondetur ex Ariſt. 2. Poſter. à textu 90. vſque ad 97. vbi apertè Ariſt. tractat hanc quæſtionem, vtrum reciprocetur cum effectu, & concludit in textu 94. quod cum cauſa eſt immediata ſemper effectus, & cauſa reciprocantur. Vnde ad propoſitum, cũ ipſi dicunt, quod demõſtratio propter quid, eſt per immediatam, & proximam cauſam (neque enim dicere poſſunt, quod ſit per cauſam remotam: quia ſic eſt demonſtratio, quod) ſequitur, quod in ipſa ſunt termini reciproci. Ad exempla illa, quod poſito igne, ponitur illuminatio, nõ è cõuerſo, reſpondeo ex eodemmet Ariſt. 2. Poſt. textu 97. vbi apertè ſoluens dubitationem, cur quãdoque non videatur cauſa reciprocari cum effectu, ait, quod eſt, quia non aſſignamus propriã causã proprio effectui, neque facim9 problema vniuerſale, ſed aſſignamus paſſionẽ generis alicui ſpeciei illius generis, quẽadmodũ euenit in propoſitis exemplis; nã illuminatio

Secũda reſponſio. *Reijcitur.* *Alia reſp.* *Reijcitur.*

ratio non eſt propria paſſio ignis, ſed ali cuius vniuerſalioris, quod eſt genus ad ignem, & ad aſtra, quod forſan eſt ignotum, hinc fit, quod non eſt reciprocatio.

Confutatur quarta differentia, & rationes pro Auerroiſtis ſoluuntur. Cap. IV.

Contra 4. differentiã. ADuerſus vltimam differentiã, quæ deſumitur a quæſito, arguitur primo ex dictis in præcedenti cap. cum demonſtratio propter quid, & potiſſima ſint vna met ſpecies demonſtrationis, & habeant eadem principia, & medium, eandem conclusionem parere eſt neceſſe; & ſic non poſſumus dicere, quod potiſſima facit ſcire quod, & propter quid, & demonſtratio propter quid; Secunda ratio eſt contra hanc differentiam propriè. Nulla demonſtratio poteſt oſtendere propter quid, de effectu, niſi etiam oſtendat, quod eſt de illo effectu, ergo ſi demonſtratio propter quid, oſtendit de effectu propter quid, etiam oſtẽdit quod eſt; Antecedens probatur: quia quæſtio quid eſt, includit ſi eſt, & ſecundum propriã naturã quid eſt, pręſupponit quod eſt. Sed forſan dicẽt, quod iam erat notũ ꝙ eſt; ideo talis cognitio per demonſtrationẽ propter quid, nõ acquiritur. Cõtra, quãdo ſcimus rem per cauſam, quod eſt, tunc ſcimus perfectè, & diſtinctè; ſed cũ ſcimus rẽ, nõ autem per cauſam, ſcimus confusè. Ad propoſitum cum ante demõſtrationẽ propter quid, ſcimus de re qđ eſt, ſcimus cõfusè; cum verò habemus demonſtrationẽ propter quid, tunc ſcimus diſtinctè. Ecce quod demonſtratio propter quid, facit ſcire, quod eſt; licet prius quoquo pacto, ideſt cõfusè ſcirem⁹ ꝙ eſt.

Reſp. Petr. Bernardin⁹ Petrella loco ſupra citato, cap. 13. his rationibus reſpõdet; ad primã quod nullius eſt roboris, quoniã ipſe probauit quod differentia à medio ſumpta ſit vera differẽtia, & propterea ex illa colligitur hæc vltima, & ita ſicuti nos ex illius cõditionis deſtructione deſtruximus hanc vltimam; ille ex cõſtructione illius, exſtruxit hanc vltimam; ſed cum nos iã ſupra oſtenderimus illam conditionem eſſe nullam, & rationes Petrellæ in reſpõſione refutauerimus, remanet hæc noſtra poſitio clara, & hæc ratio in ſuo robore. Ad ſecundam reſpondet, quod demoſtratio eſt adinuenta propter nos, vt illa mediante cognoſcamus illud, quod eſt nobis ignotum; & hic fuit ſcopus ſapientum, qui demonſtrationem adinuenerũt; ſi ergo quod eſt, prius notũ nobis eſt, abſurdum eſt dicere, quod illud per demõſtrationem acquiramus; nam ſi eſt iam notum, quomodo per demonſtrationem innoteſcit? & quod dicitur, ſi eſt, includi in quid eſt, intelligendum eſt, quod non poſſumus quærere quid eſt, niſi prius ſciamus, quod eſt, non autem, quod cognoſcendo quid eſt, cognoſcamus etiam quod eſt. Cõtra hanc reſponſionem accipio pro argumẽto, & ſic reflecto. Sapientes adinuenerũt demonſtrationem, vt ſciremus diſtinctè, ꝙ vel ignorabamus omnino, vel tantum confuſo modo ſciebamus; ſed ſic eſt, quod ꝑ demonſtrationẽ propter quid, & cauſæ tantũ venimus in cognitionem diſtinctam de effectu, quod eſt, ꝙ prius ignorabamus diſtincto modo, licet confusè ſciremus; ergo demõſtratio propter quid, facit ſcire quod eſt; maior nõ poteſt negari: neque enim diceret, quod demonſtratio adinuẽta ſit propter cognitionem confuſam; minor etiam patet; quia licet per ſenſum cognoſcam, qđ effectus eſt, tamẽ quo ad nos ſcio per cauſam, ſcio confuſo modo, neque ſum omninò certus. *Reijcitur.*

Ad primũ pro Aduerſarijs negatur illa differẽtia, ſcilicet ꝙ demonſtratio propter quid, oſtẽdat ſolum propter quid, & demonſtratio potiſſima, quod eſt, & propter quid eſt, quia iã dixi, quod hæc differentia eſt nulla. Ad ſecundam rationẽ ex Ariſtotele textu 178. primi libri Poſt. reſpondeo, quod Ariſtoteles ibi non ponit 3. membrũ, ſed inquit ſolũ, ꝙ præſtantior eſt illa ſcientia, qua cognoſcimus ſimul quod eſt, & quid eſt, quam illa, qua ſolum cognoſcimus, quod eſt; & nihil aliud dicit, hoc autem nihil nobis obeſt; non enim apponit aliud membrum, vt illi dicunt, ſcilicet, quod ſcientia qua cognoſcim⁹, quod & propter quid ſimul, ſit præſtãtior ſcientia, qua cognoſcimus ſolũ propter quid eſt; ideo hęc demõſtratio non habetur. Ad tertiã dico, quod Ariſto- *Ad rõnẽ Auerroiſt.* *Ad ſecũdã.*

teles

Ad tertiam. teles ibi ait quod aliquãdo ſcimus quod eſt ſolum,& tunc quærimus vlterius propter quid;ſed quãdoque contingit, quod dum quærimus an ſit, ſimul cognoſcamus propter quid;quia dum quærimus, an ſit, inuenimus cauſam propter quam res ſit,& ſic ſimul ſcimus vtrumque. Modò ex hoc non habemus, quod quandoque ſciamus ſolum propter quid,& ignoremus quod eſt. *Ad quartam.* Ad aliud Petrellæ dico, quod Ariſtoteles ait ĩ vtroqueloco quattuor genera cauſarum ingredi demoſtrationem propter quid, & ſic in vtraque ſunt eadem media;Quomodo autem diſtinguãtur demõſtrationes ꝓpter quid, & vna ſit perfectior alia, dicetur in proprio Theoremate de hac re. *Theo. 14.* Cũ ait ĩ quarto cap. primi Poſteriorũ iucludi quartũ modũ,dico quod immò excluditur tam à demõſtratione propter quid, quã à potiſſima,quia licet ſit cauſa efficiẽs,nõ tamẽ eſt cauſa efficiẽs interna, & neceſſaria, vt clarius dicemus in quæſtio ne de medio demõſtrationis. *Ad quintam.* Ad quintã dico,quod nõ datur illa cauſa,quæ ſit nota natura, & nõ ſit nota nobis,ex qua poſſit fieri demõſtratio;ſed omnis cauſa quæ eſt mediũ in demõſtratione propter quid, eſt nota natura,id eſt nota nobis diſtincto modo, & ſic eſt eadem,quę eſt mediũ in demõſtratione potiſſima;ſed hæc,quæ pertinẽt ad mediũ demonſtrationis; clarius habẽtur in quæſtione de medio demonſtrationis.

THEOREMA XI.

Demonſtratio quia, ſiue ab effectu, debet dici demonſtratio.

Explicatur, & comprobatur propoſitum. Cap. I.

EX dictis à Scoto quæſtione 7. quodlibet.in initio,vt ſupra diximus,dũ de regreſſu,& ſpeciebus demonſtrationis locuti ſumus,elici poteſt quid ſenſerit Scotus de hoc quæſito, licet illud ex profeſſo non tractauerit; Eodem etiam loco habemus rationem efficaciſſimam ad tuendã ſuam opinionem, *Opin. Scot. p.* Ait,quod duæ ſunt ſpecies demonſtrationis,ſcilicet demonſtratio per cauſam, & demonſtratio per effectum,& rationem adducit; quia omnis veritas non euidens,probatur per veritatem euidentem deductam ex cauſa, vel ex effectu;nam vt etiam Scotus ibi dicit, contingere poteſt, quod effectus ſit mihi notus per experientiam, & tamen neſcio propter quid,& ſic ex hac cognitione experimentali habeo cognitionem alicuius veritatis euidenter de illo effectu, & ex hac veritate deducta ex hoc effectu poſſum procedere ad cognitionem cauſæ; vndè per multam inquiſitionem ſic ſolemus venire in cognitionem diſtinctam cauſę illius effectus;aliquando etiam habita cognitione cauſæ,vel per demonſtrationem quia, vel ex aliqua cognitione alicuius alterius rei,ſcimus aliquas veritates euidẽter de illa cauſa,ſcilicet, aliquas propoſitiones,ex quibus poſtea venimus in cognitionem effectus diſtinctè,& propoſitionum notificantium effectum diſtinctè.Ex his deduco Scotum ſenſiſſe demonſtrationem ab effectu eſſe veram demonſtrationem, quia in ipſa eſt neceſſarius connexus,& illatio vnius veritatis ad aliam;etenim in ipſa veritas non euidens de cauſa proxima,demonſtratur ex veritate euidẽti deducta ex effectu proximo; omnis autem ſyllogiſmus in quo eſt connexus neceſſarius propoſitionum, & veritatum, eſt vera demonſtratio.Vndè Ariſtoteles in primo Poſt.adinuenit tot conditiones in demõſtratione propter quid, vt quod eſſet ex veris,primis, & cætera, & quod eſſent de omni,per ſe, & cætera vt eſſent neceſſariæ; nam cum principia habent illas conditiones, ſunt neceſſaria, & illatio in illis eſt vera, & neceſſaria; ſi itaque in demonſtratione ab effectu ad cauſam illatio eſt neceſſaria, vt dictum eſt,ſequitur, quod demonſtratio ſit vera demonſtratio,quia eſt neceſſaria ratione materiæ; non eſt tamen ita excellẽs ſicuti demonſtratio propter quid,quia non parit tam nobilem ſcientiam:nobilior enim cognitio eſt cum ſcimus per veritatẽ deductam ex cauſa,quam cum ſcimus per veritatem deductã ab effectu, licet vtrinque ſint connexus neceſſarius.Poſſumus itaque in hunc modum argumentari.Ille ſyllogiſmus eſt demonſtratio; qui eſt ex euidenter veris,& neceſsarijs inferentib. *Ratio prima.*

concluſionem veram; demonſtratio ab effectu eſt huiuſmodi, ergo. Maior probatur: quia non alia de cauſa demonſtratio propter quid eſt demonſtratio, niſi quia eſt ex veris euidenter, & neceſſariò inferentibus concluſionem: cum enim habent omnes illas conditiones, ſunt neceſſariæ cauſæ concluſionis. Minor probatur, quia propoſitiones demonſtrationis, quia, ſunt experientia notę, & cognitę habent etiam neceſſarium connexum cum veritate demõſtrata, quia ab effectu proximo ad cauſam proximam eſt neceſsarius connexus, vt patet de exemplo Ariſtotelis in 10. ca. primi Poſteriorũ, quod eſt hoc, Omne non ſcintillans eſt prope, Planetæ non ſcintillant, ergo Planetæ propè ſunt; maior eſt propoſitio vera deducta ex effectu, ſcilicet ex non ſcintillare, quod eſt medium, ſimiliter, & minor, quæ nobis ambæ experientia notæ ſunt; per has veritates probamus hanc veritatẽ de Planetis, quod propè ſunt, quæ eſt veritas pertinens ad cauſam; nam propè eſſe, eſt cauſa non ſcintillandi.

Notandum eſt autem hic, quod illæ duæ propoſitiones maior, & minor ſunt certiſſimæ, quia notæ ſunt experientia, ex qua generatur ſcientia; in illis etiam eſt euidens illatio quando vna ſumitur ſub altera, & ſic apparet, quod talis ſyllogiſmus eſt demonſtratio veriſſima. Hanc opinionem ſequuntur omnes Latini, & Auerroiſtæ.

Auicẽnas oppoſitam ſentẽtiam tenet.

Auicennas tamen contrariam partem tutatus eſt duabus rationibus; prima eſt hęc; Omnis demonſtratio eſt argumentum neceſſarium, & conſtans ex propoſitionibus neceſsarijs; at ſyllogiſmus ab effectu non eſt ex neceſsarijs, ergo non eſt demonſtratio, maior patet; nam ſolum illos ſyllogiſmos appellamus demonſtrationes, qui ſunt neceſsarij, & ex propoſitionibus neceſsarijs; minor probatur in demonſtratione ab effectu accipimus effectum ſiue proprium accidens inhęrere ſubiecto, & per hunc effectum probamus cauſam ineſſe ſubiecto; at quod effectus inhęreat ſubiecto neceſſariò, eſt nobis ignotum, quia non poſſumus hoc ſcire certè, niſi cognoſcamus cauſam (cauſa enim eſt ratio cur accidens proprium neceſſariò inſit ſubiecto) ergo demonſtratio ab effectu non eſt ex certiſſimis, & neceſſarijs, & ſic non eſt demonſtratio. Secundò ſic. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire; at hic ſyllogiſmus ab effectu non facit ſcire; ergo non eſt demonſtratio, maior patet ex definitione formali demonſtrationis aſſignata ab Ariſtotele ſecundo cap. primi Poſt. quæ eſt, Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, minor probatur ex definitione ſcire; nam ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere; at in tali demonſtratione non ſcimus per cauſam, ſed per effectum, ergo non eſt demonſtratio.

Primũ rõ. *Secũda.*

Ad primam.

Ad primum argumentum, ad minorem dico, quod accipimus quidem effectum inhęrere ſubiecto: ſed cum ſubinfert, quod hoc eſt nobis ignotum, quia ſolum hoc ſcitur per cauſam: dico quod ſcimus per experientiam talem effectum ineſſe tali ſubiecto, licet nõ ſciamus per cauſam; experientia autem eſt certior cognitio, quam ſi ſciremus per cauſam: eſt etenim radix ſciẽtię experiẽtia: & ideò tales propoſitiones notæ experientia ſunt certiſſimę, & fundamentum ſcientiarum.

Obiectio.

Contra hãc reſponſionem poteſt quis dicere, quod non valet, quod illæ præmiſſæ ſint notæ experientia, quia non omnes propoſitiones notæ experientia ſunt neceſſariæ, & eſſentiales: nam experientia notum eſt omnem Coruum eſſe nigrum, non tamen hæc propoſitio eſt neceſſaria, ſed accidentalis.

Reſpõſio.

Reſpondeo, quod experientia notum eſt Coruum eſſe nigrum, ſed non eſt notum hanc eſſe proprietatem Corui eſſe nigrum; immò ſcimus experientia, quod eſt ei accidens commune; non enim ſoli Coruo competit nigredo, ſed alijs, modo in demonſtratione ab effectu, quando ab effectu procedimus ad cauſam, experientia notum eſt tale accidẽs eſſe propriũ tali ſubiecto, ita quod illi ſoli, & ſemper cõpetit, & hæc cognitio eſt certiſſima, & fundamẽtum ſciẽtiæ; vnde cum experiẽtia eſt nobis notum, ꝙ aliquod accidẽs ineſt alicui ſubiecto ſoli, & ſemper, certiori modo ſcimus, quã ſi ſciremus per cauſam, licet non ſit nobilior; vnde ex talibus experientijs fit ſciẽtia, & talis cognitio ęquiualet cognitioni per cau-

Ad ſecundam. cauſam. Ad ſecundũ argumentũ negatur minor, ad probationem dicitur, quod duplex eſt ſcientia ſtrictè accepta, & largo modo ſumpta, prima eſt cognitio per cauſam certam, at ſecunda eſt cognitio certa, ſed non per cauſam, & ideò non ita perfecta; tunc dico, quod ſyllogiſmus ab effectu non parit ſcientiam primo modo dictam, tamen parit ſcientiam ſecundo modo dictam, quę pro tanto poteſt dici ſcientia, quia eſt cognitio certa.

THEOREMA XII.

Scientiæ ſubalternatæ præſertim habent duas conditiones; primã, quod notitia principiorum ſcientiæ ſubalternantis ſunt cauſa notitiæ ſcientiæ ſubalternatæ; ſecundã, quod concluſiones ſubalternatæ ſunt diuerſæ à concluſionibus ſubalternantis.

Exponitur ſcientia Scoti, & Ariſtotelis. Cap. I.

Scot⁹. SCotus in primo Sent. in prologo q. 4. an Theologia ſit ſcientia, & 3. diſt. 24. quę. 1. multa de his ſcientijs dicit, & multa etiam ſupponit tãquam communiter conceſſa, ſed præcipuè duas conditiones habere dicit, primã, quod notitia principorũ ſcientiæ ſubalternantis debet eſſe cauſa notitię principiorũ ſciẽtię ſubalternatæ. Secũdã, quod cõcluſiones ſubalternatæ ſunt diuerſæ à cõcluſionib. ſubalternantis: nõ. n. ſunt de iiſdem cõcluſionib⁹, quia sũt diuerſę. Supperaddit, quod ad hoc vt aliqua ſciẽtia dicatur ſubalternata, nõ ſufficit ſi ſubiectum eius cõtineatur aliquo pacto ſub ſubiecto alteri⁹ ſciẽtiæ, ſed requiritur, quod ſumat principia ab illa ſcientia ſuperiori ad probãdũ ſuas concluſiones. Addit inſuper, ꝙ maioris momẽti eſt, quod nihil refert, neque ſpectat ad ſubalternationem, ſi principiũ aliquod in aliqua ſcientia perfectius, & clarius cognoſcatur ab alia cõmuniori ſciẽtia, quam illamet ſciẽtia, in qua eſt principium, quia hoc nõ facit ſcientiam clarius cognoſcẽtem ſubalternatę ſibi ſcientiam obſcurius cognoſcẽtem illud principiũ; exempli gratia, Metaphyſicus cognoſcẽs diſtinctè quidditatẽ lineæ, perfectius cognoſcet aliquod principium immediatũ lineę, quàm Geometra obſcure, & in cõfuſo cognoſcens lineæ quidditatem, non tamẽ per hoc Metaphyſica ſubalternat ſibi Geometriam, vt communiter conceditur; Hæc, & multa alia dicit, quæ quoniã apud ſectatores D. Thomæ ſuſpecta sũt, vt cognoſcantur eſſe vera, oportet videre quæ ſint cõditiones, & q̃ ſit natura ſcientiarũ ſubalternatarum ſecundũ quod de illis locutus eſt Ariſt. Tres cõditiones explicant naturam, & conditionem ſciẽtiarum ſubalternarũ; Prima eſt, quod ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ ſit ſub ſubiecto ſciẽtię ſubalternantis, quæ colligitur ex text. 100. & 101. primi Poſt. ſed clari⁹ ex tex. 69. dũ enim ibi docet Ariſt. quod in ſciẽtijs nõ debet fieri tranſitus de vna ſciẽtia ad aliã, ſed quod quælibet ſcientia debet habere ꝓpria principia; excipit ab hac regula ſcientias ſubalternas; dicit enim ibi, ꝙ quãdo sũt ſciẽtiæ eiuſdẽ cognationis, & eiuſdẽ generis, tunc habẽt principia cõmunia; ſed quãdo nõ ſunt eiuſdẽ cognationis, ſed diuerſæ nõ sũt tamẽ omninò diuerſę, ſed sũt, vt Muſica, & Arithmetica, eodẽ modo ſe habẽt, ac ſi eſsẽt eiuſdẽ cognationis, ſolum differunt in hoc quod ſciẽtia ſuperior habet ꝓpter quid; inferior vęrò habet ſolũ quia, & rationẽ adducit: quia ſubiectũ inferioris eſt idẽ, quod ſubiectum ſuperioris; ſolum differt in hoc, quod eſt alteratũ, id eſt differt ſolùm hoc ſubiectũ inferioris à ſuperiori, quia eſt contractum per differentiã accidentalem ad illam inferiorem ſcientiam, adeò quod nõ eſt mutatũ illud ſubiectũ, ſed ſolum alteratum in ſcientia inferiori. *Tres conditiones ſcientiarũ ſubalternarum.*

Ex eo itaque tex. colligitur, quod ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ eſt ſub ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis: colligitur etiam ſecunda conditio ſcientiarum ſubalternarum, quæ eſt, quod ſubiectum inferioris addat differentiam accidẽtalem ſubiecto ſuperioris, & illud contrahat per illam differentiam. Tertia conditio eſt, quod inferior accipiat principia à ſuperiori, ſcilicet à ſubalternante, quia in eodem tex. vt dixi, ait in talib. ſcientijs, quæ ſic ſunt cognatæ principia eſſe eadem, ſolum intercedere hãc differentiã

quod ſuperiori facit ſcire propter quid concluſiones inferioris: ſed inferior facit eas ſcire tantum quia: ex quo clare habetur, quod ſubalternans largitur principia ad oſtendendum concluſiones a priori ſcientiæ ſubalternatæ: Vnde Muſica per ſe non oſtendit ſuas concluſiones à priori; ſed per principia Arithmeticę, cui ſubalternatur; ſolum illas oſtendit à poſteriori; Iſtæ conditiones conceduntur ab omnibus, ſunt enim expreſse ab Ariſtotele aſſignatę: tamen circa earum intelligentiam eſt aliqua defenſio, & maximè circa ſecundam conditionem, & difficultas eſt hęc, an illa differentia accidentalis, per quam ſubalternata contrahit, & alterat ſubiectum ſubalternãtis ſe teneat ex parte materiali ſubiecti, vel potius ex parte formali ſubiecti: ita quod dum dicimus Muſicam accipere ab Arithmetica numerum, & illum contrahere per differentiam hanc, vt in ſonis verſatur illa differentia, vt in ſonis ſit modus conſiderandi numerum in Muſica, & propterea ſit ratio formalis Muſicæ, vt dicamus Muſica verſatur circa numerum, vt in ſonis eſt: vel potius illa differentia non ſe teneat ex parte modi conſiderandi, ſed ex parte materiali, & rei conſideratæ, ita quod dicamus; Muſica conſiderat numerum ſonorum, vt numerum: ſic enim illa conditio accidentalis habebit rationem materiæ, & rei conſideratæ, non rationem modi conſiderandi, quia Muſica habet pro re conſiderata numerum cum alteratione, vt ſonorũs, & ſic differt accidentaliter ab Arithmetica, ſed habet eundem modum conſiderandi, quia conſiderat numerum ſonorum, vt eſt numerus. Zabarella libro de tribus præcognitis, ſuſtinet ſecundam opinionem hac ratione; quia ſi illa differentia ſenſibilis haberet rationem modi conſiderandi, tunc ſequeretur, quod ſcientia ſubalternata Mathematicæ non eſſet Mathematica, ſed pars ſcientiæ naturalis. Probatur conſequentia, quia ſicuti omnis res à forma conſtituitur, ita omnis ſcientia conſtituitur in eſſe à modo conſiderandi; ſonus autem, qui eſt differentia contrahens numerum, eſt res naturalis, ergo Muſica eſſet ſcientia naturalis, non Mathematica, & ſic non poſſet verificari id, quòd dicit Ariſtoteles Demonſtrationes Muſicas, & aliarum ſcientiarum ſubalternatarũ fieri ex principijs deſumptis ex ſuperioribus ſcientijs ſubalternantibus: quia tunc fieret tranſitus de genere in genus.

Diffi-cul-tas.

Opi-nio Zab. & ei' ratio.

Sed hæc opinio non mihi videtur ſuſtinenda, qu a certum eſt, quòd illa differentia adueniens ſubiecto ſubalternantis, illud ſubiectum reſtringit, & contrahit: ita quod in ſubalternata non eſt amplius ſubiectum in illa latitudine, & cõmunitate, ſub qua erat in ſuperiori; modò contrahere eſt officium differentiæ, & modi conſiderandi: non autem materiæ, ergo illa differentia ſe tenet ex parte formę, & modi conſiderandi. Ad illam rationem dico, quod illę ſcientiæ ſubalternatæ, vt Muſica, & Perſpectiua, quæ per differentias ſenſibiles contrahunt ſubiectum ſuperioris appellantur ab Ariſtotele ſecundo Phyſicorum text. 20. magis naturales, quàm Mathematicæ; ideò dico, quod ſunt partim Phyſicæ, & partim Mathematicæ, quia res conſiderata eſt Mathematica modus conſiderandi eſt naturalis, quia res Mathematica contrahitur per differentiam ſenſibilem, quæ eſt naturalis, vt numerus per ſonum; & quia principalius eſt modus conſiderandi, hinc ait Ariſtoteles, quod ſunt magis naturales, quam Mathematicæ; & magis confirmatur hæc poſitio, quia certum eſt, quòd ſcientia ſubalternata diſtincta eſt à ſubalternante, ſunt enim diuerſæ ſcientiæ, licet ſint cognatę, ſed diſtinctio eſt à forma, & à modo conſiderandi, vt Zabarella quoque loco citato ait, ſed ſic eſt, quòd differentia, per quam differunt iſtę ſcientię ab inuicem, eſt illa differentia accidentalis, ergo illa habet rationem formę, & ſe tenet ex parte modi conſiderandi, nõ ex parte materię. Ad illam obiectionem, quia tunc non videtur, quod ſcientiæ ſubalternatę poſſint accipere principia à ſubalternantibus, quia ſunt diuerſę, nam in his duabus Muſica, & Arithmetica, vna eſſet naturalis, altera Mathematica, ergo fieret tranſitus de genere in genus; Reſpondeo, quod licet ſint diuerſæ ſcientię, non tamen ſunt omninò diuerſę, ſed ſunt cognatę, quia ſunt de eadem

Reÿ-citur.

Ad rõnẽ Zab.

Ad rõnẽ in ſe.

te con-

re conſiderata, quę in inferiori quoquo pacto alteratur; & quia hęc differentia eſt parua, & accidentalis; hinc fit, quod non ſunt penitus diuerſæ, & quo ad rem, & quo ad modum ſicut ſunt ſcientię non ſubalternatę, vt Geometria eſt de linea, Arithmetica de numero, Metaphyſica de ente, vt ens eſt, naturalis Philoſophia de corpore naturali, vt naturale; de his enim patet, quod ſunt maximè differentes, & nullo pacto cognatę. Verùm circa dicta oritur non leuis dubitatio: nam non videtur reperiri aliquod diſcrimen inter ſciẽtias ſubalternas, & non ſubalternas, nam & illæ ſcientię non ſubalternæ, ſæpè conſiderant ſubiectum ſuperioris ſcientiæ, ſed ſub alio modo, & alia ratione, vt Mathematica conſiderat ens, vt quantum, & ſic conſiderat idem ſubiectum materiale, quòd Metaphyſica, ſed ſub alio modo, quia Metaphyſica conſiderat ens, vt ens, Mathematica, vt quantum, & hæc differentia videtur accidentalis, quia quãtitas eſt accidens, & ſic Mathematica videtur eſſe ſubalternata Metaphyſicæ, quod tamen falſum eſt; idem diceret poſſumus de naturali Philoſophia, & de alijs. Ad hoc dubium breuiter reſpondet Zabarella, quod licet verſentur circa eandem rem, tamen habent diuerſum modum conſiderandi, & ſic ſunt ſcientiæ diuerſæ; ſubalternæ autem retinẽt eundem modum conſiderandi, ideò hoc eſt verum diſcrimen, & regula ſeiungendi ſubalternas, à non ſubalternis. Nos verò, qui iudicamus illam differentiam accidentalem ſe tenere ex parte formæ, & modi cõſiderandi, non poſſumus reſpondere eo modo; ideò dicendum, quod ſicut non quælibet differentia adueniens generi illud facit ſpeciem, ſed ſolum eſſentialis, ita nõ quælibet differentia adueniens rei conſideratæ in aliqua ſcientia variat illã, & facit aliam ſpeciem ſubiecti, & conſequenter aliam ſcientiam de illo; ſed ſolùm differẽtia eſſentialis. Ideò dico, quod ſcientiæ non ſubalternæ ſi habent rem eãdem conſideratam, addunt illi differentiam eſſentialem, & ſic variant illam, & contrahunt illam rem conſideratam ad aliam ſpeciem entis, & ideò ſunt poſtea diuerſæ ſcientiæ, ſed ſubalternæ ſolùm

Dubium. *Solutio Zab.* *Alia ſolutio.*

addunt accidentalem, quæ non variat eſſentiam rei, & ſic nõ ſunt diuerſæ omninò, ſed ſolùm accidentaliter diuerſę. Hinc patet diſcrimen inter ſcientias ſub alternas, & non ſubalternas, quia non ſubalternæ, vel ſunt de rebus conſideratis, & modo conſiderandi diuerſo, vt Arithmetica, & Geometria, vel ſi ſunt de eadem re conſiderata, tamen ſunt de diuerſo modo conſiderandi: ſed hic modus eſt differentia eſſentialis diuidens illam rem conſideratam, & faciẽs illam aliam ſpeciem. Vnde ſuperior erit de genere, inferior de ſpecie, vt patet de Metaphyſica, & Philoſophia naturali, quia Metaphyſica eſt de ente in communi, naturalis eſt de ſpecie vna entis, ſcilicet de corpore naturali, & quia diuerſa eſt ſcientia generis à ſcientia ſpeciei, vt ſcientia de animali, à ſcientia de homine, & pendet à diuerſis principijs, vt patet, hinc fit, quod iſtæ ſcientiæ non ſunt ſubalternatæ, ſed omnino diuerſæ, at ſcientiæ ſubalternæ ſunt de eadem re, ſolum ei addũt illam differentiam accidentalem modo prædicto, quæ differẽtia virtualiter continetur in ſubiecto ſuperioris, & ſic virtualiter quoque in ſciẽtia ſuperiori cõtinetur cognitio inferioris ſcientię. Genus autem non continet virtualiter inferius, ſed potentia: ideò ſcientia de genere non poteſt gignere ſcientiam de ſpecie, licet prærequiratur, ſed per ſe ſolum non poteſt, quia ſpecies pendet ab alio, quàm à genere, ſcilicet à differentia; ideò ſcientię non ſubalternæ, nõ poſſunt præbere ſua principia alijs ſcientijs, quia nullo modo cognitæ ſunt, ſed ſolùm ſubalternæ. Hinc fit, quod ſubalternans largitur principia ſubalternatæ, quia ſunt de eodem ferè ſubiecto aliqualiter alterato, vt viſum eſt.

Oſtenditur veram eſſe opinionem Scoti. Cap. II.

DEclarata natura ſcientiarum ſubalternarum ſecundum opinionẽ Ariſtotelis veram, patet conditiones à Scoto aſſignatas eſſe rectè aſſignatas: prima erat, quod ſcientia ſubalternans probare debet principia ſubalternatæ, ſiue quod notitia principiorũ ſcientiæ ſubalternantis debet eſſe cauſa notitiæ principiorum ſubalter-

Cõditiões ſcientiarũ ſubalternarũ ſe-

cūdū Scotū ſubalternatæ. Hæc conditio patet ex ſecunda conditione Ariſtotelis aſſignata de his ſcientijs, quæ erat, quod ſubalternata accipit principia à ſubalternāte, & ratio iſtius conditionis patet ex dictis in declaratione naturæ harum ſcientiarum: nam inferior non poteſt oſtendere propter quid de ſuis conditionibus, ſed ſolùm quia, & ratio eſt: quia ſubiectum inferioris pullulat à ſuperiori, immò nihil aliud eſt, niſi ſubiectum ipſum ſuperioris cum aliqua parua alteratione. Hinc apparet quoque cõfutatio opinionis illorum, qui aſſerunt ſubalternatam ſcientiam poſſe dari quæ ſit cognitio per principia ſua tantum credita, non tamen euidenter cognita, vt eſt opinio D. Thomæ in materia de ſubalternatione Sacræ Theologiç: (D. Tho.) nã ſi ſcientia ſubalternata non poteſt oſtendere ſuas concluſiones à priori, niſi per principia ſubalternantis, habens ſcientiam ſubalternatam neceſſariò euidenter cognoſcere debet illa principia ſubalternantis: alioquin non cognoſcens talia principia, non poterit ſcire propter quid, de concluſionibus ſubalternatæ: vel ergo ſcientia ſubalternata non erit ſcientia, ſed fides, vel ſi eſt ſcientia, neceſſariò oportet quòd euidenter ſciat illa principia ſub alternantis, quòd ſi quis dicat: (Reſpõſio.) Subalternata ſuponit illa principia vera ex ſubalternante, in qua probantur, & ideò illa credit, ſicuti euenit de alijs ſcientijs, quæ ſupponunt pro veris ſua principia, & illa credunt, & tamen ſunt ſcientiæ. Contra nulla cognitio vnquam erit ſcientia ſi non habeat euidentiam principiorum, quia magis ſcire debemus principia, quàm concluſiones: concluſio autẽ eſt cognitio neceſſaria, quod res aliter nõ ſe poſſit habere, ergo multo magis ſcire debemus principia ex Ariſtotele primo Poſt. c. 2. propter vnumquodque tale, & illud magis: ideo dico ad argumentum, quod licet addiſcens aliquam ſcientiam ipſe ſupponat illa principia, tamen oportet, quod illa principia habeant euidentiam ex terminis in illa ſcientia, in qua ſupponuntur: alioquin non poterunt parere ſcientiam, quia euidentia ex terminis neceſſariò comitatur habitum illum cognitionis, qui dicitur ſcientia. Ad propoſitum licet ſubalternata ſupponat ſua principia: tamen oportet, quod illa habeant euidentiam ex terminis in ſuperiori ſcientia, in qua ſupponuntur, ſcilicet in ſubalternante, alioquin non eſſet ſcientia hæc inferior ſcilicet ſubalternata, & habens ſcientiam ſubalternatam, & non cognoſcens euidenter principia ſuppoſita in ſcientia ſuperiori, non poteſt dici propriè ſciens: dicitur tamen talis communiter ſciens, quia ſi vellet ſcire hæc principia ſubalternatæ, poteſt diſcere ſubalternantem: ex qua poſtea euidenter poteſt cognoſcere principia ſubalternatæ, & ſic contingere poteſt, quod quis ſæpe ſciat ſubalternatam, & etiam ſubalternantẽ ſcientiam: at non poteſt fieri, quod verè, & propriè ſciat ſubalternantem, & ignoret principia ſubalternantis. Dicendum eſt itaque, quod ſicut ſcientia ſubalternata non eſt ſcientia, niſi ſua principia habeant euidentiam in ſuperiori ſcientia; ita neque ſciens ſcientiam ſubalternatam vnquam verè dici poteſt ſciens, niſi cognoſcat principia ſubalternatæ euidenter, ſcilicet ex notitia terminorum: ſed ille habitus erit fides, quia ſcilicet vera eſſe principia illius ſcientiæ credit. Hinc manifeſta redditur ſecunda conditio Scoti, (Secũda cõditio.) quæ erat, quod ſub alternans, & ſubalternata non ſunt de eiſdem concluſionibus, quia ſi inferior eſt diuerſa à ſuperiori, quia eſt de ſubiecto eodem, ſed ſub differentia accidentali, ſequitur, quod concluſiones quoque erunt diuerſæ. Patet etiam veritas tertiæ conditionis: (Tertia cõditio.) non enim ſufficit ad ſubalternationem, quod ſubiectum vnius ſcientiæ ſit ſub ſubiecto alterius, quia hoc quoque reperitur in non ſubalternis, ſed aliæ duæ conditiones aſſignatæ ab Ariſtotele quoque requiruntur. Patet etiam quarta conditio, quod (Quarta cõditio.) clarius cognoſcere non facit ſubalternationem, quia ſubalternans non cognoſcit clarius concluſiones ſubalternatæ, quàm ipſamet ſubalternata, nam vtraque per eadem principia cognoſcit illas concluſiones, & ſciens concluſiones ſubalternatas, ſi debet eſſe verè ſciens, & non habere fidem, oportet quod cognoſcat euidentiã principiorum ex terminis, ſicuti ſciens ſubalternãtem. Præterea probatur, quod

clarius

clarius cognoſcere non ſit conditio ſcientiarum ſubalternarum, quia Metaphyſica clarius,& diſtinctius cognoſcit principia ſcientiæ naturalis,quam ipſa Philoſophia naturalis,quæ illa coguoſcit tantum in confuſo, & tamen non dicimus, quod Metaphyſica ſit ſcientia ſubalternans reſpectu Philoſophiæ naturalis.

THEOREMA VII.

In demonſtratione potisſima ſolùm definitio ſubiecti eſt medium.

Ponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Scot. EX varijs locis ſuper quarto Sent. elicitur ſententiam Scoti fuiſſe definitionẽ ſubiecti eſſe medium in potiſſima demonſtratione,& etiam 2. Sent. diſt. 3. quæſtione 6.ſoluendo vltimum principale ad M.ait apertè,quod definitio ſubiecti eſt medium in potiſſima demonſtratione.Item in 3.diſt.14.quæſt.2.ait ex Ariſtot.1. Poſt. quod de ſubiecto debemus præſupponere quid eſt, & adducit rationem, quia in ratione, & quidditate ſubiecti virtualiter includitur tota ſcientia de ſubiecto. Hæc eadem ſententia habetur in Prologo quæſtione de ſubiecto in principio, vbi oſtendit, quod ſubiectum virtualiter continet omnes veritates ſciẽtiæ,cuius eſt ſubiectum, & multis alijs in locis eadem ſententia habetur: ex quibus apparet ſecundum Scotum,quod definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione propter quid,& potiſſima,ſiquidem à medio pendet ſcientia:ipſe autem ait ſciẽtiam pendere à definitione ſubiecti, tamquam à cauſa propria. Item in prologo quæſt. 1.tertio argumento contra Philoſophos:vbi probat quod nõ poſſumus cognoſcere proprietates ſubſtantiarum abſtractarum,adducit hãc rationem,quòd non poſſumus illas proprietates cognoſcere à priori, & propter quid, ideſt per cauſam, quia non cognoſcimus ſubſtantiam illarum proprietatum: vndè ſi cognoſceremus illam ſubſtantiam quidditatiuè:tunc etiam propter quid cognoſceremus illas proprietates: Per hoc autem vult dicere, quod definitio ſubſtãtiarum abſtractarum eſt cauſa cognitionis ſuarũ proprietatum, & eſt medium in demonſtratione propter quid, & quia ignoramus talem definitionem, ideò tales paſſiones non poſſunt ſciri à nobis propter quid. Hanc ſententiam clarè habemus in quæſtione illa de medio demonſtrationis in illis quæſtionibus ſuper libros Poſteriorum, quæ editæ ſunt ſub nomine Scoti;has enim potius eſſe alicuius Scotiſtæ exiſtimo, quam ipſiuſmet Scoti; ſed vtcumque ſit,hæc eſt Opinio Scoti,quod medium in demonſtratione potiſſima ſit definitio ſubiecti,quæ comprobatur hac potiſſima ratione, & deſumitur ex dictis varijs Scoti ſupra citatis. In demonſtratione potiſſima ſemper demõſtratur propria paſſio de ſubiecto, ſiue inhærere ſubiecto;Hoc ſtante ſic arguitur. Illud eſt medium in demonſtratione potiſſima, quod eſt cauſa proxima inhęrentiæ paſſionis propriè cum ſubiecto; ſed ſic eſt, quod definitio ſubiecti eſt cauſa inhęrentiæ talis pasſionis propriæ cum ſubiecto, ergo definitio ſubiecti eſt medium in potiſſima demonſtratione. Suppoſitum in hac ratione eſt clarum, quia accidentia communia non demonſtrãtur de aliquo per demonſtrationem, quia non pertinẽt ad ſcientiam,ſolùm ergo accidentia propria demonſtrãtur, maior rationis patet ex definitione ſcire, & ex conditionibus demonſtrationis; minor probatur: quia propria pasſio fluit à principijs intrinſecis ſubiecti, ergo ſolũ principia intrinſeca ſubiecti,ſcilicet materia,et forma,quę integrant definitionẽ ſunt mediũ, & cauſa ſimul iſtius pasſionis, & conſequenter ſolùm definitio ſubiecti eſt mediũ in demõſtratione potisſima. Hinc poſſumus etiam arguere, quod definitio paſſionis non poteſt eſſe medium,quia tàm paſſio, quam definitio pasſionis, cum ſint vnũ, & idem definitio, & definitum, pendent à definitione ſubiecti. Tertia ratio eſt, quia tunc eſſet petitio principij in demõſtratione potiſſima, ſi definitio pasſionis eſſet medium;ratio eſt:quia idem eſt definitio paſſionis,quod ipſamet pasſio, & ſic non eſt notius, quod definitio paſſionis īſit ſubiecto,quã quod pasſio ipſamet inſit.

Prima rō *Secũda rō.* *Tertia rō*

inſit. Hæc eſt poſitio certè Scoti, quæ etiã mihi re vera veriſſima videtur; ſed quia à multis reijcitur, & variæ poſitiones adinuentæ ſunt; ideò quomodo eam labefactare laborauerint alij, & quas opiniones veras aſſeruerint, in medium adducere oportet vt quilibet ſtudioſus iudicium proferre poſſit.

Rationes Aduerſariorum contra ſententiam Scoti. Cap. 11.

Zab. Prima rõ Suppoſitũ CONtra hanc opinionem arguit Zabarella libro primo de medio demonſtrationis cap. 3. primò ſic. Scientia, quæ acquiritur in demonſtratione potiſſima eſt ſcientia effectionis non ſubiecti, quia ſubiectũ omnino præcognoſcitur; hoc ſuppoſito tunc ſic, ergo medium in demonſtratione, quæ parit ſcientiam paſſionis debet eſſe cauſa paſſionis; at definitio paſſionis includit cauſam paſſionis, ergo definitio paſſionis eſt medium, non definitio ſubiecti. Suppoſitum primum eſt clarum per ſe; maior etiã patet ex definitione ſcire, nam ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere. Oportet ergo, quod res cognoſcatur per cauſam, & ſic medium debet eſſe cauſa, minor probatur à Zabarella lib. 4. de Methodis, cap. 14. nam definitio accidentis ſi debet eſſe perfecta, neceſſariò includit cauſam, per quam affectio eſt. Vbi notat definitionem accidẽtis eſſe triplicem; vnã, quæ dicitur formalis, ſecundã quæ cauſalis, tertiam, quæ eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens; formalis, & eſſentialis eſt illa, in qua ponitur proprium genus paſſionis, & proprium ſubiectum, vt diffiniendo Eclypſim, ſi dicamus. Eclypſis eſt priuatio luminis in luna, & licet hæc definitio ſit eſſentialis, non eſt tamẽ perfecta, quia non adeſt cauſa Eclypſis, & ſic non quietat animum ſapiẽtis, qui adhuc quæret cauſam talis Eclypſis. Secunda definitio eſt cauſalis, & eſt quãdo definimus paſſionem per cauſam propriã, vt ſi dicam. Eclypſis eſt interpoſitio terræ inter ſolem, & lunam: hæc enim ſolũ eſt per propriam cauſam Eclypſis: neque eſt perfecta, ſed valdè imperfecta. Tertia integratur ex his duabus, & eſt perfecta definitio, quæ conuertitur cum demonſtratione; ſolumq. ab illa differt terminorum ſitu, vt ſi dicamus. Eclypſis eſt priuatio luminis in Luna, propter interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam. Ad propoſitum, quando ait Zabarella in propoſito, quod definitio paſſionis eſt medium in demonſtratione potiſſima, non intelligit de definitione formali, quia illa eſt concluſio demonſtrationis ex Ariſtotele, neque de definitione perfecta, quia hæc eſt tota demonſtratio; ſed intelligit de definitione cauſali, quam etiam ſępe Ariſtoteles ait eſſe principium demonſtrationis, & hæc ait expreſſe Zabarella libro primo de medio demonſtrationis capit. 21. hacq. ratione oſtendit, quod non eſt definitio ſubiecti medium in demonſtratione, ſed paſſionis. *Secũda rõ.* Secunda ratio eſt hæc; Ariſtoteles ſecundo Poſteriorum tex. 41. 95. & 97. ait, quod medium demonſtrationis eſt ratio primi termini, ideſt affectionis, vt videre eſt in locis citatis. *Tertia rõ* Item in omnibus demonſtrationibus, quas conficit in illo ſecundo ſẽper medium eſt definitio cauſalis paſſionis, illæ autem ſunt potiſſimæ, ergo definitio paſſionis eſt medium in demonſtratione potiſſima; quod autem in illis exẽplis definitio paſſionis, & non ſubiecti ſit medium patet, nam ait Ariſtoteles locis citatis, quod interpoſitio terræ eſt mediũ ad oſtendendum Eclypſim ineſſe Lunæ; modo interpoſitio terræ nõ eſt definitio, neque cauſa Lunæ, ſed Eclypſis: mediũ ad oſtendendum tonitruum ineſſe nubi ait eſſe extinctionem ignis in nube, modò extinctio ignis in nube non eſt definitio, neque cauſa nubis, ſed tonitrui, probat caſum foliorum ineſſe arboribus propter congelationem humoris in arbore: at congelatio humoris in arbore non eſt definitio, nec cauſa arboris; ſed caſus foliorum. Ecce ergo quod in omnibus demonſtrationibus Ariſtotelis definitio paſſionis eſt medium, ergo falſum eſt, quod definitio ſubiecti ſit medium. *Quartarõ.* Quarta ratio Zabarellæ contra Scotum eſt, quia multa ſunt accidentia, quæ habent eſſe non à forma ſubiecti, ſed ab alijs accidentibus, vt patet de accretione luminis in Luna, quod ineſt per ſphæricam figurã,

quod eſt

quod eſt accidens;hoc accidens accretio luminis eſt ſcibile , & eſt ſcibile per propriam,& immediatam cauſam,& ſic poteſt ſciri per demonſtrationem potiſſimam , & tamen in hac demonſtratione non poteſt eſſe medium definitio ſubiecti: quia hæc non eſt cauſa, ſed erit illud accidens,quod eſt cauſa accretionis luminis,ſcilicet ſphęrica figura; non ergo definitio ſubiecti erit medium .

Opinio Iacobi Zabarellæ. Cap. III.

His habitis ponit Zabarella propriã opinionem,quàm aſſerit eſſe Auerrois in multis locis,& hęc eſt qđ medium in demonſtratione potiſſima ſit cauſa,& definitio maioris extremi,definitio vero, & cauſa minoris extremi , ideſt ſubiecti tantum, numquam;neque talis ſyllogiſmus, inquit, eſt appellandus demonſtratio, in aliquibus vero , ſed paucis admodum contingit , quod cauſa , & definitio vtriuſque extremi,ſcilicet maioris,& minoris ſit medium ; adeo quòd cum hæc raro eueniant,in diſciplinis non ſunt conſiderenda , & non ſunt tradenda præcepta de talibus demonſtrationibus . (Nota , quod Auerroes , & Zabarella dicunt formam ſubiecti eſſe cauſam vtriuſque extremi,ſcilicet maioris,& minoris, quia conſtituit ſubiectum in eſſe , & eſt cauſa etiam paſſionis, & quoniam nulla eſt forma ſubiecti, quæ non ſit etiam cauſa paſſionis, ideò dicit, quod numquam cauſa minoris extremi ſolum eſt medium,quia opus eſt , quod etiã ſit cauſa maioris extremi.) Ideò Zabarella cum Auerroe ad propoſitam quæſtionem nil aliud reſpõdendum eſſe arbitrantur , niſi quod medium in omni potiſſima demonſtratione ex neceſſitate eſt cauſa , & definitio maioris extremi,ſcilicet paſſionis: non autẽ cauſa, & definitio minoris , quia hoc eſt accidentale,immò definitio minoris,ſcilicet ſubiecti,ſola nunquam medium eſſe poteſt . Pro declaratione, & probatione huius opinionis ſupponit Zabarella , quod duo ſunt genera accidentium, quæ ex ſuis cauſis demonſtrari,& ſciri per demonſtrationem poſſunt;alia namque accidentia habent cauſam externam , alia verò internam,cauſa externa eſt illa,quæ loco , & ſubiecto diſtincta eſt à ſubiecto illiuſmet accidentis,vt interpoſitio terræ inter Solem , & Lunam eſt cauſa huius accidentis Eclypſis in Luna, & tamen eſt loco diſtincta à Luna,quæ eſt ſubiectum Eclypſis; cauſa vero interna eſt,quæ non eſt loco , & ſubiecto diſtincta à ſubiecto accidentis,vt figura ſphęrica eſt cauſa accretionis luminis in Luna ; hæc accidentia ait ipſe primo de medio demonſtrationis c. 11.habeut hoc diſcrimen, quod, quæ pendent a cauſa externa perpetuò comittantur cauſam , & cum ea reciprocantur,ſed non perpetuò comittantur ſubiectum,neque cum ipſo reciprocantur , non enim Eclypſis ſemper eſt in Luna , neque reciprocatur cùm Luna in paucis contingit,quod ſemper comitentur ſuas cauſas, vt motus Cælum, & hæc pertinere ad demonſtrationem,& poſse ſciri per eandem probat lib. 1. de propoſitionibus neceſſarijs,c. 15.accidentia verò quæ pendent à cauſa interna, perpetuò comitantur ſubiectum,atque cum illo reciprocãtur,quia fluũt à forma ſubiecti,quæ perpetuò ineſt ſubiecto,& ſic ipſa perpetuò, & inſeparabiliter inſunt ſubiecto . Hoc

Suppoſitũ

ſuppoſito facto,ſuam opinionem ſic declarat. In illis demonſtrationibus,in quibus oſtenditur de ſubięcto,illud accidẽs, quod pendet à cauſa externa, neceſſariò mediũ eſt cauſa externa , ſcilicet illa cauſa , à qua tale accidens pendet , & in his eſt omninò falſa poſitio Scoti , quia cum illud accidens pendeat à cauſa ex terna , definitio ſubiecti non poteſt eſſe mediũ ; hæ autem ſunt demonſtrationes potiſſimæ , ergo in demonſtratione potisſima medium non eſt ſemper definitio ſubiecti,ſed paſſionis(ſed de his demonſtrationibus an ſint potisſimæ , erit particularis quæſtio) in demonſtrationibus verò, in quibus oſtenditur accidens de ſubiecto , quod pẽdet à cauſa interna,ſcilicet à cauſa non diſtincta loco , neque ſubiecto ab ipſo ſubiecto ait , quod hic ordo ſeruatur , quia omnia iſta accidentia pendent quidem,& proueniunt à forma ſubiecti, ſed ordine quodam : aliquod enim accidens prouenit à forma , ſed illud poſtea producit aliud accidens,& illud aliud,& ſic dein-

ſic deinceps, & ſic forma quidem ſubiecti eſt radix omnium iſtorum accidentium, ſed non eſt cauſa immediata omnium illorum, ſed ſolum primi, qui ab ipſa prodit: illud vero eſt poſtea cauſa immediata alterius accidẽtis, & illud eſt cauſa immediata alterius, & ſic forma ſubiecti ſolum poteſt eſse medium ad oſtendendum illud accidẽs primum, quod ab ipſa prodit immediatè, & in his ſolum habet veritatem opinio Scoti, Sed hæc adeò pauca ſunt, vt ſint de illis, quæ raro eueniant, & ideo non pertinent ad ſcientiã; in alijs verò accidentibus forma ſubiecti non poteſt eſſe medium, quia non eſt cauſa immediata, & proxima; ſed eſt illud accidens, quod eſt cauſa proxima: patet autem, quod tale accidens eſt cauſa ſolũ maioris extremi, id eſt paſſionis, ergo definitio cauſalis, ſiue cauſa maioris, etiam in his accidentibus eſt medium quando de ſubiecto oſtenduntur. Hoc manifeſtat exemplo, quia per rotunditatem Lunæ oſtendimus Lunam paulatim augeri, paulatim augeri eſt accidens, quod pendet immediatè a figura ſphęrica Lunæ, quia enim Luna eſt rotunda, ideo non ſtatim illuminatur, ſed paulatim, figura verò eſt accidens Lunæ, quod pẽdet a ſubſtantiali forma Lunæ; hoc ergo accidens accretio luminis eſt accidens pendens à cauſa interna, quod eſt accidens illud ſphęrica figura, & ſic Ariſtoteles oſtendit Lunam eſſe paulatim augmentabilem, quia eſt rotunda; medium ergo eſt accidens, quòd eſt cauſa immediata, non autẽ forma ſubiecti; & ita ex his habemus, quod etiam in accidentibus, quę pẽdent à cauſa interna, medium eſt cauſa maioris, nõ autem minoris. Hęc opinio probatur primò per rationes adductas contra Scotũ. *Ratio primum* Secundò, quia in ſcientijs Mathematicis non demonſtrantur omnia Theoremata ex definitionibus, & ex primis principijs earum ſcientiarum, ſed aliqua pauca tantum, quę poſtea ſumuntur vt propoſitiones ad aliorum Theorematum demonſtrationem, & ſic accidens demõſtratum ſumitur vt medium ad aliud accidens oſtendendum, & illud ad aliud, & ſic deinceps. *Secundarõ.* Secunda ratio, ait Ariſtoteles primo de Anima tex. 11. quod quod quid eſt, eſt vtile ad cognoſcendum cauſas accidentium ſubſtantię; quo in loco vult quidem ſignificare definitionem ſubiecti eſſe cauſam primam, & radicem omnium accidẽtium, non tamen eſſe cauſam proximam ſingulorum accidẽtium; diſtinguit enim definitionem à cauſis accidentium, quia inquit, quod quod quid eſt eſse vtile ad cognoſcendum cauſas accidentium, ergo præter ipſam definitionem ſubiecti, accidentia habent alias cauſas, adeo quod ille locus intelligitur, quod definitio eſt vtilis ad cognoſcendum cauſas, quia eſt prima cauſa, & radix omnium accidentiũ, ſed non proxima cauſa. *Tertia.* Tertiò multa ſunt accidentia quæ habent eſſe non à forma ſubiecti, ſed ab alijs accidentibus, vt patet de accretione luminis in Luna, quæ adeſt propter Sphęricam figuram, quod eſt accidens ſcibile, & eſt ſcibile per propriam, & immediatam cauſam, & ſic ſciri poteſt per demonſtrationem potiſſimã, & tamen in demonſtratione iſta mediũ nõ poteſt eſſe definitio ſubiecti, quia hęc non eſt cauſa, ergo erit accidẽs illud quod eſt cauſa accretionis luminis in Luna: non ergo ſemper definitio ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſſima.

Confutatur prædicta opinio, & defenditur Opinio Scoti. Cap. IV.

HAec Opinio diligenter eſt conſideranda, quia ex oſtenſione falſitatis eius, patebit falſitas aliarum opinionum, quæ diſsentiũt ab opinione Scoti, & pro vidẽda veritate ſuppono vnum, quod etiam conceditur ab ipſo multis in locis, *Primum ſuppoſitũ.* & pręcipuè in primo libro de medio demonſtrationis, capitulo vigeſimo, & vigeſimoprimo, ſcilicet, quod cum dicimus definitionem ſubiecti eſſe medium in potiſſima demõſtratione, per definitionem intelligimus formam ſubiecti, quæ eſt pręcipua pars definitionis, & ſic cum dicimus, quod definitio hominis eſt medium ad demonſtrandum hominem eſse riſibilem, intelligimus, quod rationale, quę eſt præcipua pars definitionis, eſt mediũ, vltima enim pars definitionis ex Ariſtotele 7. Metaphyſicę, eſt tota definitio, quia continet alias priores differentias, & ſic

ſępe illã vltimam differentiam appellamus definitionem: ita etiam cum Zabarella dicit, quod definitio paſſionis eſt medium, intelligit, quod vltima differentia definitionis accidentis perfectæ, quæ eſt cauſa ipſius accidentis eſt medium, non tota definitio, ſed illa vltima particula, quæ eſt definitio cauſalis. Secundo ſuppono, quod in omni demonſtratione potiſſima oſtenditur ſemper propria paſſio de ſuo ſubiecto, numquam autem accidens commune de ſubiecto communi. Hoc ſuppoſitum, præterquam quod eſt commune, & conceſſum ab omnibus, quod ego viderim, etiam eſt Ariſtotelis apertè primo Poſteriorum, cap. 4. tex. 37. vbi probat, quod concluſio demonſtrationis debet eſſe ſecundum quod ipſum, & æqualis, ita quod paſſio debet reciprocari cum ſuo ſubiecto, & ſubiectum cum ſua paſſione, & hoc apertè, & egregiè declarat in declaratione eiuſdem loci Zabarella, & etiam vberius ſecundo libro de propoſitione neceſſaria capitulo ſecundo, tertio, & maximè in quinto capitulo eiuſdem libri, vbi confutat errorem Alexandri, & Tehmiſtij, qui ſoli dixerunt concluſionem non eſſe vniuerſalem, & ſecundum quod ipſum, & probat egregiè, quod etiam concluſio debet eſſe vniuerſalis, & ſecundum quod ipſum, hoc facto ſuppoſito veriſſimo, arguo tali pacto. Illud eſt medium in potiſſima demõſtratione, quod eſt cauſa proxima, immediata, & per ſe, propriæ affectionis, quæ demonſtratur, ſed ſolum definitio ſubiecti, ſiue forma ſubiecti eſt cauſa proxima, & immediata, & per ſe propriæ affectionis, & paſſionis: ergo ſolum definitio ſubiecti, ſiue forma ſubiecti, quæ ab Auerroiſtis, & Zabarella appellatur cauſa vtriuſque extremi, vt ſupra dixi, quia eſt cauſa cõſtitutiua ſubiecti, & effectiua paſſionis, eſt mediũ in demonſtratione potiſſima. Maior eſt clara, & certiſſima: quia deducitur ex definitione ſcire; tunc enim ſcire arbitramur vnũquodque; cum cognoſcimus cauſam propter quam res eſt, vbi intelligit de cauſa proxima, vt etiam ipſe Zabarella ęxponit; probatur etiã ex cõditionibus principiorum demõſtrationis, quæ debẽt eſſe prima, immediata cauſæ, & cætera, at conditiones principiorũ ſunt conditiones medij, vt ipſemet Zabarella ſuſtinet in pluribus locis, & maximè libro quarto de Methodis, vbi confutat opinionem illorum, qui dicunt conſilium Ariſtotelis in Poſterioribus Analyticis eſſe agere in primo de principijs, in ſecundò de medio; ait enim, quod tractatio de principijs eſt tractatio de medio, & idem habet pluribus in locis ſuæ doctrinæ paſſim; Tandem hanc maiorem expreſsè cõfitetur libro primo de medio demonſtrationis, capitulo decimotertio, vbi probat contra Scotum accidentia interna mediata nõ poſſe probari per formam ſubiecti, quia etſi illa accidentia pẽdeant à forma ſubiecti, non tamen immediatè omnia ab illa prodeunt, ſed ordine quodam, & ſic cum forma ſubiecti nõ ſit proxima, & immediata cauſa illorum accidentium, neque etiam poteſt eſſe medium ad demonſtrandum illa de ſubiecto; eſt ergo maior vera, & conceſſa; tota difficultas conſiſtit in minori, quæ ſi clarè probetur, vt facilè probabo, tota veritas quoque patebit; hęc ratio mihi efficaciſſima videtur; adeo quod ſolus Scotus, & ſequaces eius, & etiam quidã Thomiſtę in hac materia veritatem attigiſſe mihi videntur; minor itaque ita probatur. Illud eſt cauſa proxima, per ſe, & immediata propriæ affectionis, quo poſito ponitur propria affectio, & quo ablato, aufertur propria affectio; ſed ſic eſt, quod poſita forma ſubiecti, ponitur propria paſſio, & illa ablata aufertur propria affectio: ergo forma ſubiecti eſt propria immediata, & per ſe cauſa affectionis proprię, maior eſt euidẽs: quãdo enim cauſa nõ eſt per ſe, proxima, & immediata, ſed remota, poſita cauſa nõ ponitur effectus, vt animal ẽ cauſa remota riſibilitatis, & ideò poſito animali non ponitur riſibile: ſed quia rationale eſt cauſa, proxima riſibilitatis, ideò poſito rationali ponitur riſibile: propria affectio igitur perpetuò comitatur ſuã cauſã proximã, & immediatã: Minor probatur: quia poſita forma ſubiecti, ſtatim cõſequitur propria affectio immediatè abſque vlla alia cauſa, quod ſi acquireretur aliqua alia cauſa ad hoc vt paſſio ineſſet ſubiecto, illa paſſio nõ eſſet pro-

Secũdum ſuppoſitũ.

1. Ratio.

propria paſſio illius ſubiecti, ſed eſſet illi accidens commune, nam proprium eſt illud, quod ineſt alicui ſubiecto ſoli, omni, & ſemper, ideo ſi poſito illo ſubiecto, & forma eſſentiali illius ſubiecti non ineſt ei paſſio propria, non ineſt ſemper, & ſic eſt accidens commune non proprium.

Secundò probatur eadem minor principalis argumenti, quod fluit à principijs internis ſubiecti per ſe, & immediatè, habet pro cauſa interna principia ſubiecti, ſed propria paſſio fluit ab internis principijs ſubiecti, ergo propria principia ſubiecti erunt cauſæ propriæ affectionis, maior eſt euidens, minor probatur, quia affectus ſemper conſequitur ſuam cauſam immediatam: propria paſſio autem ſemper conſequitur proprium ſubiectum, quia ineſt vni, & ſoli ſubiecto, & ſemper, ergo opus eſt, quod fluat à principijs internis illius ſubiecti.

3. Tertiò, quod inhęret inſeparabiliter alicui ſubiecto nullam aliam cauſam habet quã ipſum ſubiectũ; ſed paſſio propria inhęret inſeparabiliter ſuo ſubiecto, ergo nullam aliam cauſam habet quam ipſum ſubiectum; maior probatur, quia ſi penderet ab aliqua alia cauſa, quàm ab ipſo ſubiecto, contingeret quandoque illam paſſionem eſſe ſine ſubiecto, vt putà deſtructa tali cauſa; hoc autem de propria paſſione non poſſumus dicere, quia data forma ſubſtãtiali ſubiecti, eſt impoſſibile qđ propria paſſio nõ ſequatur, vt poſito rationali, & homine, eſt impoſſibile, quod riſibilitas ei non inſit; Ex hoc etiã minor patet, quia cũ paſſio intrinſecè ſequatur principia ſubiecti, neceſſariũ eſt, qđ poſitis principijs ſubiecti, paſſio, quoque ponatur, neque poſſem⁹ intelligere, quod ſubiectũ poſſit eſſe diuiſum, & ſine proprio, quia ſi poſſem⁹ ĩtelligere ſubiectũ abſque proprio, & diuiſũ ſic ĩ re eſſe, accidẽs proprium nõ eſſet proprium, ſed commune, poſſum quidẽ cõcipere vnũ, nõ cõcipiendo aliud: ſed nõ poſſum concipere ſubiectũ exiſtere ſine ꝓprio. Hinc patet falſitas dicti illius Zabarellæ, quod accidẽtia externa ſubiecti, quæ nõ concomittãtur ſemper ſubiectũ, poſſint demonſtrari demõſtratione potiſſima, qa patet, quod non ſunt propria accidentia ſubiecti, & hoc etiam ipſe cõfitetur; ſi enim nõ ſemper committantur ſubiectum, neque etiam ſunt propria; patet etiam, quod accidentia, quæ vocat ipſe interna, quæ tamen non procedunt immediatè à forma ſubiecti, ſed ab alio accidente prouenien te à forma ſubiecti, non poſſunt eſſe concluſio demonſtrationis, quia illa non ſunt propria accidentia: non enim inſunt ſubiecto ſecundum quod ipſum, neque ſecũdum propriam formam ſubiecti, ſed ſecundum cauſam accidentalem; vnde ſi contingeret ſeparari à ſubiecto illud accidens primum, ſcilicet rotunditas Lunæ, neque illud accidens ſecundum, vt accretio luminis, ineſſet Lunæ; ineſt ergo accidentaliter, & ſic nõ eſt concluſio neceſſaria, nec vniuerſalis, qualis requiritur in demonſtratione potiſſima, neque iſtæ paſſiones ſunt propriæ; Sed hæc clarius patebunt in proprio quæſito, vbi oſtendam, quod illæ demonſtrationes de accidentibus illis tam internis, quam externis, non ſunt potiſſimę demonſtrationes. Præterea Zabarella lib. 4. de Methodis c. 13. & 14. apertè aſſerit definitionem ſubſtantiæ eſſe principium demonſtrationis, & duobus modis conſiderari in libro Poſteriorum, ſcilicet, vt principium demonſtrationis ꝓpter quid, & vt finis Methodi reſolutiuę, & in primo libro per tractari de definitione ſubſtantiæ ſecũdũ primum modũ, ac Ariſtotelem, dũ in primo libro agit de principijs demõſtrationis, agere de medio, & quod illud eſt definitio ſubſtãtię, ergo velit nolit fatetur definitionẽ ſubiecti, quod eſt ſubſtantia, eſſe mediũ in demõſtratione potiſſima. Ex his omnibus rationibus conſpicuè apparet, quod eſt ſolùm demõſtratio propter quid, & potiſſima, in qua paſſio propria oſtẽditur de ſuo ſubiecto ꝑ principia ſubiecti, quæ ſunt incluſa in definitione ſubiecti, & quod reliquæ demõſtrationes, in quibus definitio ſubiecti nõ eſt mediũ nõ ſunt perfectę demõſtrationes: quia nõ habẽt cõditiones aſſignatas ab Ariſtotele. & ita patet; quod definitio paſſionis non eſt mediũ vnquã in perfecta demonſtratione, ſed definitio ſubiecti, quæ poteſt dici cauſa paſſionis, vt expoſuim⁹, vera eſt ergo opi-

Dictum Zabarellæ falsũ. *Theo. 17.* *Secũda rõ.*

go opinio Scoti, & falſa opinio Zabarellæ, ſed hoc magis patebit in ſequẽti Theoremate, vbi oſtendemus, quod illæ demonſtrationes, quas putat potiſſimas, nõ ſunt potiſſimæ. Sed aliquis dicet, ergo demonſtrationes potiſſimæ erunt admodũ paucæ: Hoc cõcedo, immò aſſero, quia & illud aſſerit Ariſtoteles primo Poſter. tex. 72. & ratio eſt; quia cauſæ, & formę ſubiectorum valde latent, vndè magnus numerus demonſtrationum per cauſas remotas habetur, ſed per proximas exiguus, multas etiam per effectus habemus.

Ad rationes Zabarellæ. *Ad primum.*

Ad rationes Zabarellæ, ad primum cõcedo, quod definitio cauſalis accidentis, ſiue cauſa accidentis eſt medium in demonſtratione potiſſima, ſed dico, quod illud eſt ſemper forma ſubiecti, quia illa ponitur in definitione propriæ paſſionis, tanquam cauſa ipſius ad perfectè quietãdum intellectum noſtrum, vt ipſemet cõcedit, & ego aliàs in Metaphyſica oſtendam; Ratio huius eſt ſuperius dicta, quia in demonſtratione potiſſima, ſemper oſtenditur paſſio de proprio ſubiecto per cauſam proximam, & immediatam paſſionis, talis autem cauſa eſt forma ſubiecti; in demonſtratiobus verò non potiſſimis, vt eſt illa de Eclypſi non eſt opus, quod definitio cauſalis ſit forma ſubiecti, quia in illis non oſtenditur accidens proprium de ſubiecto, ſed accidens commune, quod pendet ab alia cauſa, quam à forma ſubiecti, ideò in illis non debet forma ſubiecti eſſe medium, ſed cauſa paſſionis quæcumque illa ſit. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundam, ad auctoritates Ariſtotelis de ſecundo Poſt. in quibus dicit, quod in demonſtratione mediũ eſt ratio primi termini; dico, quod eſt verum, ſed per rationẽ intelligit definitionem cauſalem, vt ſupra expoſuimus, ſiue cauſam paſſionis, quam diximus eſſe definitionem ſubiecti; quando autem nos dicimus quod definitio ſubiecti eſt medium, loquimur de definitione formali ſubiecti, quæ definitio formalis eſt definitio cauſalis paſſionis; ſi enim definiretur paſſio per propriã causã, in tali definitione poneretur forma ſubiecti, quæ eſt vera cauſa eius. *Ad tertiũ.* Ad tertiam rationẽ dico, quod illæ demõſtrationes nõ ſunt potiſſimæ, vt ipſe in proprio quęſito oſtendam; Ad illam rationem ex Mathematicis dico, quod demonſtrationes Mathematicæ, in quibus propria paſſio non oſtenditur de proprio ſubiecto, non ſunt demonſtrationes potiſſimæ, vt dictum eſt, neque illæ ſunt certiſſimæ, quia non habent ſummam neceſſitatẽ, neque earum concluſio eſt ſecũdum quod ipſum, quod magis patebit in quæſito an tales demonſtrationes ſint potiſſimæ. *Ad quartum.* Ad rationem illam Ariſtotelis ex primo de anima tex. 11. dico, quod Ariſtoteles ibi dicit, quod definitio ſubiecti ſiue ſubſtantiæ eſt medium in demonſtratione; vndè in calce textus ait, quod definitio eſt principiũ demonſtrationis, &, quod illa definitio quæ non facit ſcire accidentia non eſt bona definitio, & licet dicat, quod definitio facit ſcire cauſas accidentium in numero plurali, nõ propter hoc vult inferre, quod definitio ipſa non ſit medium proximũ, & cauſa immediata accidentis, ſed per hoc innuit ſolum, quod definitiones ſubiecti ſunt cauſæ accidentium, & cauſæ immediatę; vndè in calce textus aſſerit, quod illæ definitiones, quæ non faciunt innoteſcere accidentia, non ſunt bonæ definitiones, ſed vanæ, & in eodẽ textu ait, quod ſicuti quod quid eſt, eſt vtile ad cognoſcendum accidẽtia ita accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt; oportet ergo quod hæc accidentia immediatè fluant ab ipſo quod quid eſt ſubſtantiæ, alioquin non poſſent conferre maximè ad cognitionẽ definitionis ſubſtantiæ, quia effectus remoti nihil ferè conferunt ad cognoſcendum definitionem ſubiecti à qua radicaliter prodeunt. Præterea ait, quod quod quid eſt, eſt principium demonſtrationis reſpectu accidentium; non ergo hæc accidentia debent eſſe remota, quia tunc reſpectu illorum definitio ſubiecti non poſſet eſſe principium demonſtrationis, quia principia demonſtrationis non debent eſſe remota, ſed proxima, & immediata. *Ad quintum.* Ad vltimum reſpondetur, vt ſupra dictũ eſt, quod tales nõ ſunt demonſtrationes potiſſimæ, nec propter quid, vt patebit in proprio quæſito de his demõſtrationibus: ratio eſt, quia ĩ potiſſima demõſtratione ſemper oſtẽditur propria paſſio

de ſubiecto, hæc autem ſolùm habet pro cauſa formam ſubiecti: illa verò accidentia, quæ ab alia cauſa quàm à forma ſubiecti prodeunt non ſunt propriæ paſſiones, neque accidentia propria, ſed communia, ideò licet habeant proprias cauſas proximas, per quas ſciri poſſunt, non tamen cadunt ſub demonſtrationem potiſſimam, vt clarius ſuo loco oſtendam, ſed ſunt ſyllogiſmi probabiles per cauſam remotam.

Adducuntur aliæ opiniones, & confutantur. Cap. V.

Balduini opinio reijcitur. Ex cõfutatione huius opinionis patet cõfutatio opinionũ aliorum, vt Balduini, qui in quęſtione de medio demonſtrationis ſuſtinet, quod cauſa maioris extremi ſit mediũ, nõ vt definitio, ſed vt cauſa, nã & nos dicimus, quod mediũ in demonſtratione eſt cauſa maioris extremi, ſed cũ hoc dicimus etiã illud eſſe definitionem ſubiecti, vt ſupra dictum eſt, & ex dictis patet etiam ſolutio ad rationes pro ſua opinione, probant enim ſolùm, quod cauſa maioris extremi eſt mediũ, & hoc nos concedimus, ſed dicimus, quod illud eſt forma, & cauſa ſubiecti: illa ratio de ſimilitudine nihil valet. *Rationes Balduini ſoluũtur.* Ad illas tres rationes, quas cõficit aduerſ⁹ Alpharabiũ, quas ait Balduinus valere cõtra Scotum, quidquid ſit de opinione Alpharabij dico pro nunc, quod contra Scotũ nihil cõcludunt, non prima, quia non dicit Scotus, quod mediũ in potiſſima demõſtratione ſit tantum cauſa minoris, & non maioris extremi, ſed ait quod eſt cauſa maioris; immò hoc eſt totum ſuũ fundamentum: vndè illa ſequela, quæ eſt ſtante opinione Alpharabij, & Scoti (putat enim, qđ ſint eiuſdẽ opinionis) ſequitur, qđ pręmiſsæ demonſtrationis potiſſimæ nõ ſint per ſe, de omni, & ſecundum quod ipſum, negatur; & ad illud exemplũ adductum, quod Alpharabiũ admiſiſse ait Balduin⁹, quod eſt hoc, omne animal eſt corpus, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt corpus, dico, quod hoc non admitteret Scotus, neque hanc eſse verã, & perfectã demõſtrationẽ ſequitur ex opinione Scoti, quia ſecundũ opinionem Scoti neceſse eſt, quòd omnes propoſitiones ſint vniuerſales, & ſecundum quod ipſum, & cõcluſio debet eſse in ſecũdo modo dicendi per ſe, vt egregie patebit in quæſtione an demonſtratio de Eclypſi cum cæteris de 2. Poſteriorum ſint potiſſimæ, hoc autem non verificatur in exemplo allato; nam homo, quod eſt medium, nõ eſt cauſa corporis, nec animalis, nec corpus ineſt primo homini: ideo concluſio non eſt ſecundum quod ipſum, neque in ſecundo modo. Ex his patet, quod neque ſecunda, neque tertia, aliquid officiunt opinioni Scoti, procedunt enim ex eodem medio. Patet etiam, quod malè reprehendit Scotum, quod propoſuerit cum alijs Latius hoc quæſitum ſub nomine definitionis, quia nos per definitionem intelligimus pręcipuam partem definitionis accidentis, quæ eſt cauſa ipſiuſmet: vel dico, vt credo exiſtimaſſe Scotum, quod quęſiuit an definitio ſubiecti ſit medium, & ſtatuit quod ſic, quia definitio ſubiecti, ideſt partes definitionis ſubiecti ſunt medium, & cauſa paſſionis, vt re vera ſunt. Multę alię nugę ſunt apud virum iſtum, quas nolo recenſere; multa enim tribuit Scoto, quæ nec ſomniauit, & illas cõfutando, & reſpondendo multa maiora addidit, quæ vnuſquiſque per ſemetipſum videre poteſt. Hinc patet etiam falſitas opinionis Aegidij, qui dixit medium in demonſtratione potiſſima ſemper eſſe definitionem paſſionis, numquam ſubiecti, & ipſe intelligit de definitione formali accidentis, non de cauſali, patet enim, quod propria paſſio nõ pendet à propria definitione formali paſſionis, ſed à forma ſubiecti, vt ſupra oſtẽdimus. *Opinio Aegidij reijcitur* 1. Præterea, eſt petitio principij, & maximè ſecũdum ipſum, quia refutat opinionẽ Scoti ꝑ hoc, quod definitio ſubiecti nõ poteſt eſſe medium, quia eſt idem cum ſubiecto, & ſic peteremus principiũ; à pari; ego dico qđ definitio paſſionis, & paſſio ſunt idẽ, & maximè definitio formalis; ergo ſi in demõſtratione potiſſima definitio paſſionis eſt mediũ, committitur petitio principij; & hæc ratio optimè concludit aduerſus Aegidiũ, ſed aduerſus Scotũ nequaquã, vt infra clarè oſtẽdam in ſolutione rationis ꝓ Aegidio. Tertiò definitio paſſionis 3.

conſtat ex proprio genere, & ex proprio ſubiecto, quod ponitur loco differentiæ, & ex cauſa, ſi debet eſſe perfecta, vt ſi quis definiat Eclypſim, dicet. Eclypſis eſt priuatio luminis in Luna ob interpoſitionẽ terræ; & ſi quis definiat riſibile, dicet, riſibilitas eſt paſsio hominis propter rationalitatem; ſic definiũtur omnes paſſiones, & accidentia quęcumque ſint, vt habetur ex Ariſtotele 7. Metaphyſices, & vt eſt per ſe clarum. Hoc ſtãte, quæro, quodnam ſit illud, quod eſt medium in hac definitione ad demonſtrandum paſſionem de ſubiecto, ſi dicas, quod eſt cauſa, quæ eſt vltima particula definitionis, coincidit cum opinione Zabarellæ, & tunc nos concedimus hoc, ſed dicimus illud eſſe formam ſubiecti, & ſic erit definitio ſubiecti eo modo, quo nos ſupra diximus definitionem eſſe medium, & ſic ad oſtendendum quamlibet paſſionem, oportebit pro medio ſumere formam ſubiecti, quia eſt illa à qua ipſa dependet; vel erit ipſum ſubiectum; ſed ſi hoc; habeo intentum, quia tunc medium erit ſubiectum, & ſic etiam definitio ſubiecti, vt dictum eſt, vel erit genus ipſius paſſionis; ſed hoc non poteſt eſſe, quia ſpecies non cauſantur à genere, neque ab ipſo dependent, niſi remotè: non enim homo habet eſſe hominem ab animali, & ſic accidens proprium nõ habet eſſe à ſuo genere, ſed habet eſſe à ſuo ſubiecto, à quo fluit; non ergo genus accidentis proprij poteſt eſſe medium ad oſtendendum propriam paſſionem de ſubiecto, cum propria paſsio nõ pendeat à genere ſuo quò ad eſse proprium, & ſpecificum: ſi dicat à tota definitione ſimul, nihil eſt, quia non tota definitio eſt cauſa paſſionis, ſed ſola defini-

Quarto. tio cauſalis. Pręterea, propria paſſio eſt accidens, & ſic eſt forma ſimplex: non ergo pendere poteſt à propria definitione formali, cum nullam habeat formam per quã habeat eſſe formale, ſolum pendet à ſubiecto, cuius eſt forma accidentalis, ſed ei neceſſariò cõnexa, & ab illo pullulans.

Ad rationi Aegidij Rationes Aegidij nullius roboris ſunt, innituntur enim præcipuè auctoritati Ariſtotelis, qui i 2. Poſt. dicit, quod ratio primi termini eſt mediũ nũquã dicit quod ratio minoris: Itẽ exẽpla omnia, quæ adducit Ariſtoteles de demonſtratione potiſſima, habent pro medio rationem paſſionis, vt patet in demonſtratione de Eclypſi, & alijs. Ad has auctoritates dico, quod illæ demonſtrationes non ſunt potiſſimæ, vt oſtendam in proprio quęſito, & quando Ariſtoteles ait, quod medium in demonſtratione eſt ratio primi termini, pro ratione intelligit cauſalẽ definitionem, quę datur per formã ſubiecti, & ſic eſt pro nobis. Secunda ratio: ſi definitio *Secũdarũ.* ſubiecti eſset medium, eſſet petitio principij, quia ſubiectum, & propria definitio ſunt idem; Reſpondeo, quòd non cõmittitur petitio principij pro nunc, quia per definitionem poſsumus intelligere, vel definitionem totam continentem materiam et formam ſubiecti, vel poſsumus intelligere formam ſubiecti tãtum, & ſic intelligimus in propoſito; modò definitio vt includit totum, & forma ſubiecti, non ſunt idem, vt patet, quia definitio explicat totum definitum; forma autem dicit partem ſubiecti; ſcilicet formam ipſam. Pręterea definitio, & definitum, licet ſint idem realiter, non tamen ſunt idem ex natura rei, quia definitum dicit compoſitum, & totum, ſed definitio dicit partes componentes totum; & ſic non eſt mirum; immò omninò exigit ratio diſtinctę cognitionis, vt ex partibus veniamus in cognitionem totius, ſicuti dicebat Ariſtoteles 1. Phyſicorum textu 5. quod aliud eſt definitio circuli, & circulus: eſt enim notior nobis cognitione confuſa circulus, quam definitio circuli; ſed cognitione diſtincta eſt notior definitio circuli, quam circulus, quia partes ſunt notiores toto cognitione diſtincta, & ſic per definitionem poſsumus oſtendere aliquid de definito, vt per notius de ignoto; oſtendimus etiã in Theoremate de propoſitione per *Theore. 7.* ſe nota, quod definitum, & definitio ſunt diuerſi termini, pręter opus intellectus.

Ad tertiã rõnẽ. Tertia ratio pro Aegidio eſt hęc. Si definitio ſubiecti eſt mediũ in potiſſima demonſtratione, ſequitur, quòd demonſtrationis principia nõ erunt ex proprijs, ſed ex communibus, ſed hoc eſt inconueniẽs, vt oſtendit Ariſt. cõtra Briſonem 1. Poſt. Conſequẽtia probatur: quia exẽpli gratia animal rationale, ſiue rationale eſt me-

dium ad oſtendendum de homine, quod eſt riſibilis; erit etiam medium ad probãdum, quod homo eſt diſciplinæ capax, & ad demonſtrandum alias proprias paſſiones; non ergo vnaquæque paſſio erit ex cauſa propria, quæ ſibi ſoli competat demonſtrata, & ſic non erit ex proprijs. Ad hanc rationem nego conſequentiam; ad probationem dico, quod Ariſtoteles quãdo dixit principia debere eſſe propria, & non communia intelligebat, quod principia deberẽt eſse cauſæ per ſe immediatæ, & neceſsariæ, & proximæ paſſionis, & concluſionis, quia tunc ſunt propria, non autem remota, & mediata, quia tuuc non ſunt propria; ſi autem contingat, quod ab vna cauſa pendeant immediate plures paſſiones, non eſt inconueniẽs, quod omnes illæ paſſiones demonſtrentur per illã cauſam, cum ſit ſua proxima, & vera cauſa, & ſic nos dicimus, quod non eſt inconueniẽs, quod riſibile, & diſciplinæ capax, & aliæ proprietates quæ inſunt homini propter rationale demonſtrentur de homine per rationale; neque propter hoc eſt dicendum; quod rationale ſit mediũ commune, nõ proprium. Quarta ratio; ſi definitio ſubiecti eſset medium in demõſtratione potiſſima, ſe quereretur, quod maior eſset demonſtrabilis, contra ſententiam Ariſtotelis, qui 1. Poſt. cap. 2. ait principia debere eſse immediata; conſequentia probatur: quia inter ſubiecti definitionem, & paſſionem demonſtrandam, mediat definitio paſſionis, per quam poterit paſſio demonſtrari de ſubiecti definitione. Hęc ratio nihil concludit, & eſt ineptiſſima; quæro enim qua nã definitio paſſionis eſt hęc, quæ erit medium, vel enim erit definitio formalis, & hæc non, quia ex Ariſtotele ſemper eſt concluſio demõſtrationis, numquam principium; ſi dicat erit cauſalis, iam dictũ eſt, quod hæc eſt forma ſubiecti, neque tota, & perfecta definitio, quia hęc nõ eſt medium, ſed tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens. Ex his patet confutatio aliarum opinionum, & ſolutio ſuarũ rationum, vel enim coincidunt cum opinionibus prædictis, vel parum ab illis diſtant, ita vt ex dictis quilibet, vel parum eruditus ſciat cognoſcere quid dicendũ ſit; omnia autem dicta, & rationes recenſere eſſet longum, cum nonnulli duos libros, alij longiſsimas quæſtiones confecerint de hac materia.

Ad 4.

Aliorũ opinio- nes cõfutãtur.

THEOREMA XIIII.

Demonſtrationes, in quibus medium non eſt definitio ſubiecti, non ſunt potiſsimæ.

Opinio Scoti, & Zabarellæ cum ſuis fundamentis. Cap. I.

EX dictis à Scoto, & ad mentem eius in præcedenti Theoremate patet reſolutè veritas huius Theorematis, ratio iam dicta eſt: quia in potiſſima demonſtratione oſtenditur ſemper propria paſſio de proprio ſubiecto, quia concluſio debet eſſe vniuerſalis, & ſecundum quod ipſum; at ſi accipiatur accidens commune de aliquo ſubiecto, vt contingit in propoſito, non erit concluſio vniuerſalis, & ſecũdum quod ipſum; patet etiam, quod propria paſſio ſolùm pendet a definitione ſubiecti, vt ſupra declarauim⁹, ergo ſolùm definitio ſnbiecti eſt medium in potiſſima demonſtratione, & conſequenter illæ demõſtrationes, in quibus mediũ nõ eſt definitio ſubiecti, ſed vel cauſa externa, vel aliud accidẽs, nõ ſũt potiſſimę; ſed hoc magis patebit ex cõfuratione contrariæ opinionis. Zabarella cum multis alijs opinionẽ cõtrariam ſuſtinet in multis locis ĩ ſuis operib. logicis; ſed pręſertim lib. 1. de medio demonſtrationis, & in lib. 2. de propoſitionib. neceſſarijs. In primo itaque libro de medio demonſtrationis c. 3. probat, quod hæ demonſtrationes, in quibus medium eſt cauſa externa, vt cũ oſtẽdimus Eclypſim ineſſe Lunæ per interpoſitionem terræ inter Solẽ, & Lunã, & cum probamus tonitruũ ineſſe nubi ꝓpter extinctionem ignis, & caſum foliorũ ineſſe arbori propter humoris congelationem, ſint potiſſimæ, & in cap. 4. eiuſdem aliam demonſtrationem adducit, ſæpe adductã ab Ariſtotele, quæ nõ eſt per cauſã externam, ſed per cauſam internam, quæ ineſt ſubiecto, non tamen eſt definitio ſubiecti,

Opinio Zabarellæ, & aliorũ.

ꝺti,ſed accidens quoddam,quod eſt cauſa proxima illius effectus, vt cum probamus, quod Lunæ ineſt accretio luminis propter ſphęricā figuram, quod ergo hæ omnes demōſtrationes,& ſimiles ſint demonſtrationes potiſſimæ, probat primò hac ratione,quā ipſe putat efficaciſſimā, & eſt totum ſuum fundamentum. Illa demonſtratio eſt appellanda potiſſima, quæ perfectam rei ſcientiam tradit,ita vt nihil amplius de ea re quæri,vel cognoſci poſſit; at demōſtratio Eclypſis Lunæ per obiectionem terræ, plenā ipſius Eclypſis ſcientiam tradit, ita vt nihil amplius de Eclypſi ſciendum,vel quęrendum remaneat, ergo hæc demonſtratio eſt potiſſima appellanda;idem dicit de alijs memoratis demonſtrationibus,ergo omnes illæ ſunt potiſſimæ, & potiſſimæ appellandæ ſunt,maior propoſitio à nullo ſanæ mentis (ait ipſe negari debet) probatur, quia quæ, & qualis ſit demonſtratio conſpicitur ex fine,quæ eſt ſcientia;demonſtratio ergo, quæ præſtantiſſimam parit ſcientiam,eſt præſtantiſſima demonſtratio,& præſtantiſſima appellari debet; pręſtantiſſima autem ſcientia eſt, quæ omninò ſatisfacit omni quæſito, ac toti deſiderio animi noſtri,ita vt nihil amplius quærendum remaneat,vel deſiderādum. Minor probantur quoque, quia ex Ariſtotile in 2.lib.Poſt.1.cap.& contextu 40.& 41. eiuſdem aſſerit quod ea, quæ ad ſummū quęri poſſunt, sūt quattuor. An ſit, Quid ſit, An inſit, & Cur inſit, & poſtea oſtendit has omnes vnius,& eiuſdem medij eſſe quęſtiones:ita vt eo vno medio inuento, ijs omnibus quæſtionibus ſimul ſatiſfacimus,quod etiam ipſemet Ariſtoteles oſtendit in exemplo de Eclypſi Lunæ;poſſumus enim quęrere an Eclypſis ſit,quid ſit Eclypſis,an inſit Eclypſis Lunæ,& propter quid inſit Lunæ Eclypſis; hæ omnes quęſtiones eādem cauſam quærunt, quę eſt interpoſitio terræ inter Solem, & Lunam;hoc enim inuento,ceſſat omnis quæſtio,& ita perfectè,vt de Eclypſi nihil amplius quęrendum remaneat; vndè ait, quod ſi eſſemus ſupra Lunam, ita quod terram interpoſitam intueremur inter Solem, & Lunam, ſenſu cognoſceremus cauſam Eclypſis, & ſic non quęreremus an Eclypſis ſit,neque an inſit, neque tandem propter quid ſit. Ex his patet probatio minoris, quia in hac demonſtratione de Eclypſi habemus medium, quod optimam ſcientiam inducit, quia ſatisfacit omni quęſito, quod facere poſſumus de Eclypſi, & omni noſtro deſiderio ſatisfacit, ita vt eo habito, nihil amplius de Eclypſi remaneat quęrendum, neque cognoſcendum,ergo hæc demonſtratio debet dici potiſſima;& hoc idem aſſere poſſumus de alijs demonſtrationibus ſupra citatis, quia earum medium eodem modo ſe habet,quo medium demonſtrationis de Eclypſi; Demonſtratio Eclypſis ergo,& illæ omnes ſunt potiſſimæ. Secunda ratio. Secundus liber Poſter. eſt omnium librorum logices ſcopus,& finis,& ideò dicendum eſt, quod illa demonſtratio, de qua loquitur Ariſtoteles in eo libro, eſt quoque præſtantiſſima demonſtratio; cum itaque in eo libro adducat has demonſtrationes, & præcepta de demonſtratione tradita in illis accōmodet, & declaret;iure etiam eſt dicēdum,quod illę demonſtrationes ſunt potisſimę. Tertia ratio. Eclypſis in Luna eſt ſcibilis non niſi per cauſam propter quam eſt;cognoſcit per cauſam propter quam res eſt, proximè eſt demonſtrari, ergo ſyllogiſmi, quibus Eclypſis, & ſimilia per ſuas cauſas cognoſcuntur,ſunt demonſtrationes, ſed Lunę Eclypſis eſt propter obiectionem terrę,& cętera,ergo demonſtratio, qua probamus Lunæ ineſſe Eclypſim propter terræ obiectionem eſt demonſtratio potiſſima. Quarta ratio. Iſtę demonſtrationes vertuntur in definitionē, ergo ſunt potiſſimæ: Multę alię rationes pro hac opinione elici poſſunt ex varijs dictis,ſed hęc prima eſt totū ſuum fundamentum,& ex dicendis omnia, quæ pro hac opinione adduci poſsunt ſoluentur.

Pri- ma rō · *Secū- da rō.* · *Ter- tia rō* · *Quar ta rō*

Opinio Zabarellæ reijcitur. Cap. II.

PRo cognoſcēda veritate in hoc quæſito duo præcipuè animaduertere debemus,quæ ſunt veriſſima,& communiter conceſſa,etiam ab ipſo Zabarella pluribus in locis ſuorum operum logicorū, & expoſitionis ſuæ ſuper librum Poſter.

Primum ſuppoſitũ. primum eſt, quod Ariſt. in 1. Poſt. tradit pręcepta de demonſtratione via reſolutiua, & propterea in 2. c. à definitione ſcire ſimpliciter exorditur, & ex definitione ſcire inueſtigat poſteà definitionẽ materialem demonſtrationis, vndè ait: ſi itaque ſcire eſt, vt definiuimus, demõſtratio eſt ex principijs veris, &c. adeò quod concludit, quod ſi demonſtratio debet eſſe ſyllogiſmus faciens ſcire ſimpliciter, oportet, quod ſit ex principijs veris, & quod habeat omnes illas conditiones ibi nominatas, quas poſtea magis declarat in 4. c. dum docet hæc principia debere eſſe per ſe, de omni, & vniuerſalia, ex hoc deduco quod illa demonſtratio, ſiuè ille ſyllogiſmus ſolùm facit ſcire ſimpliciter, & parit propriam, & veram ſcientiam, qui habet illas conditiones aſſignatas ab Ariſtotele; quod ſi aliquis ſyllogiſmus ſine illis conditionibus poſſet perfectiſſimam ſciẽtiam parere, fruſtra aſſignaſſet illas conditiones; & argumentatio Ariſtotelis nõ eſſet bona, dum à definitione ſcire, probat definitionem demonſtrationis, dicens text. 9. ſi ſcire igitur eſt, vt poſuimus, neceſſe eſt & demonſtratiuã ſcientiam ex veris eſſe, &c. Ex quo loco patet apertè, Ariſtotelem dicere, quod certa ſcientia, & perfectiſſima, & ſimpliciter, non poteſt eſſe, niſi ex propoſitionibus veris, & habẽtibus omnes illas conditiones; quòd ſi aliquis aſſignetur ſyllogiſmus carens aliqua illarum conditionum, non pariet ſcire ſimpliciter, & perfectum. Secundũ, *Secundum ſuppoſitum* quod notare debemus eſt, & deducitur ex pręcedenti, quod non poſſumus dicere de vlla concluſione, eſt veriſſima, & certiſſima ſcientia, niſi illa deducatur ex principijs primis, veris, &c. quæ habeant illas conditiones aſſignatas ab Ariſtotele tam in 2. quam in 4. c. 1. Poſt. Hoc ſuppoſitum comprobatur ex priori, quia ſcientia ſimpliciter, neceſſariò eſt ex principijs veris, & cætera, ergo non poſſum ego eſſe certus, & ſcire, quod illa concluſio ſit neceſſaria, & certiſſima, niſi videro quod deducatur ex propoſitionibus veriſſimis, & certiſſimis, cuiuſmodi ſunt ſolùm propoſitiones conſtantes ex conditionibus aſſignatis ab Ariſtotele locis citatis. Hæc ſunt adeò clara per ſe quod non egent probatione. Tunc arguo ex primo ſuppoſito. Ille ſyllogiſmus, & demõſtratio illa eſt potiſſima, & præſtãtiſſima demonſtratio, quæ facit perfectiſſimam, & præſtantiſſimã ſcientiam, vt eſt ſcire ſimpliciter; ſed ſic eſt, quod demonſtrationes allatæ, & omnes aliæ, in quibus medium non eſt definitio ſubiecti, non pariunt perfectiſſimam ſcientiam, ergo non ſunt demonſtrationes potiſſimæ, & perfectiſſimę: maior patet ex primo ſuppoſito, & ab Aduerſarijs conceditur, immò accipitur pro maiori ad probandum ſuam opinionem. Minor ita probatur. Illa demonſtratio facit ſcire ſimpliciter, & perfectiſſimam ſcientiam; quæ conſtat ex propoſitionibus per ſe, de omni, & vniuerſalibus: ſed demonſtrationes allatæ, & ſimiles non conſtant ex propoſitionibus per ſe, de omni, & vniuerſalibus, ergo non pariunt veram & perfectiſſimam ſcientiam: maior etiam in hoc ſyllogiſmo eſt veriſſima, & patet ex primo ſuppoſito, & eſt conceſſa; tota difficultas eſt in minori, quam probo primò in vniuerſali vna ratione validiſſima deducta ex præcedentibus; deinde probabo in ſpeciali de vnaquaque; ratio vniuerſalis eſt hæc. *1. Ratio generalis.* In omnibus demonſtrationibus, in quibus medium eſt cauſa externa, oſtenditur de ſubiecto aliqua paſſio, quæ non eſt propria paſſio ſubiecti, ſed eſt illi accidens commune, nam paſſio propria ſubiecti pendet cauſaliter ab ipſo ſubiecto, nõ ab aliqua cauſa externa, ergo vniuerſaliter in his demõſtrationibus cõcluſio nõ eſt vniuerſalis: at illa non eſt demonſtratio potiſſima, in qua concluſio nõ eſt vniuerſalis, vt dictũ eſt ſupra. Inſuper minor nõ erit per ſe, quia ĩ minori cauſa illa externa, quæ eſt mediũ prædicatur de ſubiecto: non eſt autẽ definitio, nec pars definitionis ſubiecti, q̃a eſt quid externũ à ſubiecto, & ſic nõ eſt in primo modo, neque eſt in ſecũdo, quia in illo propria paſſio prædicatur de ſubiectò, mediũ autem non eſt paſſio ſubiecti: quòd ſi dicas, pertinet ad quartũ modũ, hoc infra confutatur capite tertio, ſed in particulari de vnaquaque demonſtratione hoc oſtendamus, & primò in demonſtratione de Eclypſi, & primò oſtẽdo, quod propoſitiones *2. Ratio.* *3. Ratio q̃ eſt in particulari cõ-*

nes

Contra demonſtrationē de Eclypſi Arguitur cōtra maiorē propoſitionē.

nes eius non ſunt vniuerſales, & ſecundum quod ipſum; deinde oſtēdam, quod non ſunt per ſe, neque de omni. Quò ad primum formemus demonſtrationem in hunc modum, quomodo etiam Zabarella formandam eſſe aſſerit lib. 2. de propoſitionibus neceſſarijs c. 17. Quod prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta, id obſcuratur, at Luna prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta, ergo Luna obſcuratur. Conſideremus has propoſitiones: maior quidem nedum non eſt vniuerſalis, ſed neque per ſe, neque de omni: ſed nūc oſtendamus, quod non eſt vniuerſalis. In propoſitione vniuerſali termini debent eſſe æquales, ita quod vnus non ſit vniuerſalior altero, & debent eſſe cōuertibiles, ita quòd poſito vno, ponatur & reliquum, vt patet ex declaratione Ariſtotelis ſecundum omnes, quid ſit vniuerſale, & ſecundum quòd ipſum; at in hāc propoſitione termini neque ſunt æquales, neque ſunt conuertibiles: nam hoc ſubiectum, quod prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta, latius eſt, quàm prædicatum illud, obſcuratur: non enim omne illud quod priuatur radijs ſolaribus propter terram obiectam, obſcuratur, vt patet de alijs ſtellis, in quibus euenit ſæpè, quod inter illas, & Solem interponatur terra, ſicuti interponitur inter Solem, & Lunam, & tamen illæ Stellæ ob talem interpoſitionem non obſcurantur; lucent enim propria luce, non luce recepta à Sole; Idem dicendum, ſi aliquis in aliquo ſubterraneo thalamo ponat carbūculū pretioſum, ille priuatur radijs Solis propter obiectam terram inter ipſum, & Solem, & tamen non obſcuratur: non ergo iſti termini ſunt æquales, immò hæc propoſitio eſt falſa, ſic vniuerſaliter prolata, vt patet ex inſtātijs adductis. Nec valet ſi quis dicat, quod hæc demonſtratio de Eclypſi ſupponit aliam priorem demōſtrationem, per quam noſcamus, quod lumē, qđ habet Luna à Sole recipit, qua habita tunc optimè nouerimus Lunam Eclypſari, ſi aliquod corpus dēſum interponatur: quia priuatio nō cognoſcitur niſi per ſuum oppoſitum poſitiuum, vt per habitum, Eclypſis autem eſt priuatio quædā.

Reſpōſio.

Reiec- Dico, quod hæc reſpōſio eſt nulla: quoniam etſi per aliquam demonſtrationem *tio.* certam ego ſcio, quod Luna recipit lumē à Sole, tamen non propter hoc ſciam hāc propoſitionē eſſe veram, & certam, & vniuerſalem, omne quod prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta, id obſcuratur: quia ſtante illa demōſtratione, quod Luna recipiat lumen à Sole, nō probatur per illam hæc propoſitio vniuerſalis, omne quod prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta, id obſcuratur; ſed etiam ſtante illa demōſtratione, hæc maior non eſt vera, ſaltem non eſt vniuerſalis, vt neceſſe eſt quod ſit, ex ſuppoſitis. Probo etiam quod non ſit per ſe, quia nō eſt in primo, neque in ſecundo modo dicendi per ſe, vt patet; non enim prędicatū eſt de definitione ſubiecti, neque è conuerſo: ſed iſti ſunt ſoli modi, qui inſeruiunt demonſtrationi, ergo hæc propoſitio non eſt per ſe; Sed hic reſpondet Zabarella in 2. libro de propoſitione neceſſaria, c. 17. quod hęc propoſitio eſt in quarto modo dicendi per ſe, & ideò eſt per ſe, ſed infra hāc reſponſionem infringam: quia quartus modus dicendi per ſe, nō ingreditur demonſtrationem. Neque hæc propoſitio maior eſt de omni, quia propoſitio de omni, habet duplicem vniuerſalitatem, ſcilicet ſubiecti, & temporis, at hic non eſt vniuerſalitas ſubiecti, quia obſcurari non competit omnibus quæ priuantur radijs ſolaribus ob terram interpoſitam, ſed ſolum illis, quæ recipiunt lumen à Sole, & cum deſit hæc vniuerſalitas, quæ eſt præcipua, deeſt & ſecunda, & ſic non eſt vniuerſalis. Ex his itaque habemus, quod maior huius demonſtrationis non eſt vniuerſalis, neque per ſe, neque de omni; quomodo ergo talis demonſtratio poteſt eſſe potiſſima? Sed idem oſtendamus de minori; minor eſt hęc: ſed Luna prohibetur radijs ſolaribus à terra obiecta. Hæc minor neque eſt vniuerſalis, neque per ſe, neque de omni. Non eſt vniuerſalis, quia iſti termini non ſunt æquales, neque conuertuntur; non ſunt æquales, nam latius patet prædicatū, quàm ſubiectum; latius enim patet prohiberi radijs ſolarib. à terra obiecta, quàm Luna, quia hoc prædicatum multis alijs conuenit, quàm Lunæ, omnia enim īter quę, &

Reſpōſio Zabarellæ.

Reijcitur.

Contra minorem.

Solem

Solem interponitur terra, prohibentur radijs Solis, vt animalia in nocte, &c. neque iſti termini conuertuntnr: nam poſita Luna, non ponitur prohibitio radiorum Solis à terra, neque poſita prohibitione radiorum ſolis à terra, ponitur Luna, quia dato caſu, quod Luna non eſſet, eſſet adhuc prohibitio radiorum Solis in alijs ob terram interpoſitam, non eſt ergo vniuerſalis, neque eſt per ſe, quia non eſt in primo, neque in ſecundo modo dicendi per ſe: neque enim Luna eſt de prohibitionis radiorum definitione, neque è conuerſo, neque eſt de omni, quia licet competat Lnnæ, non tamen ſemper, & ſic deficit ei vniuerſalitas temporis, quomodo ergo eſt de omni? ſi ergo maior, & minor non ſunt de omni, neque per ſe, neque vniuerſales, non video quomodo talis demonſtratio ſit potiſſima, & miror viros grauiſſimos hoc aſſeruiſſe, neque rationem ipſam per ſe loquentem animaduertiſſe. Sed aliquis dicet, ergo videtur quod tales propoſitiones ſint falſæ, quod non eſt aſſerendum, cum eas admiſerit pro veris tantus vir, qui fuit Ariſt. Dico quod iſtæ propoſitiones ſic abſolutè prolatæ ſunt falſæ, & non concludunt, ſed tenent rationes aliquorum ſingularium, quæ eſſe vera compertum eſt per experientiam, neque Ariſt. dixit illas propoſitiones vniuerſales eſſe veras vniuerſaliter. Patet ergo, quod concluſio deducta ex his præmiſſis non eſt certiſſima, & ſimpliciter, omnes iſti defectus facilè conſpici poſſunt in alijs memoratis demonſtrationibus ex cauſa externa; Nunc oſtendamus, quod demonſtrationes per cauſam internam, in quibus medium non eſt definitio ſubiecti, ſed accidens, non conſtat ex propoſitionibus de omni, neque per ſe, neque vniuerſalibus; & hoc facilè conſequimur conſiderando illam demonſtrationem, quam habet Ariſtoteles præ manibus, dum oſtendit accretionem luminis in Luna propter Sphęricam figuram; demonſtratio ſic formatur ex Zabarella. Omne corpus ſphæricum paulatim illuminatur, Luna eſt ſphærica figura, ergo Luna paulatim illuminatur; Maior non videtur eſſe vniuerſalis, ratio eſt: quia iſti termini non ſunt pares, neque reciproci, corpus ſphæricum, & paulatim illuminari, nam latius patet paulatim illuminari, quàm corpus ſphæricum, nam omne corpus ſphæricũ paulatim illuminatur, ſed nõ omne, quod paulatim illuminatur eſt corpus ſphæricum; Præterea, non eſt per ſe, non enim eſt in primo, neque in ſecundo modo, quia prædicatum ſcilicet paulatim illuminari, non eſt de definitione corporis ſphęrici, neque corpus ſphæricũ eſt de definitione paulatim illuminari, ſed dato, quod hæc eſſet per ſe, & maior ſit vniuerſalis, minor non eſt per ſe, neque vniuerſalis, minor eſt hæc. Luna eſt ſphærica figura; quod nõ ſit vniuerſalis patet: quia ſphærica figura eſt accidens commune nedum Lunæ, ſed alijs orbibus; & alijs corporibus, latius ergo patet ſphærica figura, quàm Luna, neque illi termini ſunt conuertibiles, Luna, & ſphęrica figura, quia licet valeat, eſt Luna, ergo eſt ſphærica figura: non tamen valet, eſt ſphęrica figura, ergo eſt Luna, quia poteſt eſſe Sol, vel aliud ſydus, ſiue aliquod aliud corpus; eſſe ergo ſphæricæ figuræ competit Lunæ, non quatenus Luna, ſed quatenus corpus ſphæricum, & ſic non ineſt Lunæ ſecundum quod ipſum, & propterea non eſt vniuerſalis; neque eſt per ſe, quia neque eſt in primo, neque in ſecundo modo dicendi per ſe, non in primo, quia in definitione eſſentiali Lunæ nõ ponitur ſphærica figura, quia hoc eſt accidẽs, & extraneum à natura Lunæ, neque in definitione ſphæricæ figuræ ponitur Luna, ergo non eſt per ſe, neque poteſt dicere, quod ſit in quarto modo dicendi per ſe, quia ille non pertinet ad demonſtrationem; & poſtea hęc demonſtratio ſecundum ipſum, non eſt per cauſam externam, ſed per internam, ergo debet eſſe in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe; Cum ergo minor propoſitio non ſit per ſe, non eſt demonſtratio potiſſima, & præſtantiſſima, cum potiſſima illa ſolum ſit, quæ conſtat ex principijs omnibus per ſe, & vniuerſalibus. Sed forſan hic aliquis dicet, quod non eſt neceſſe, quod minor ſemper ſit per ſe, vt dicit Zabarella libro ſecundo de propoſitione neceſſaria Poſt. c. 17. Sed hanc reſponſionem abſurdiſſimam eſſe infra oſtendam, dum

oſt endam

Obiectio. *Reſpõſio.* *Demonſtratio ex cauſa interna reijcitur*

oſtendam maiorem, & minorem debere eſſe per ſe, de omni, & vniuerſales.

Aliæ rationes adducuntur contra prædictam opinionem. Cap. III.

Secũda rõ principalis. SEcunda ratio principalis. Apertè aſſerit Ariſtoteles in primo Poſt. cap. 14. quod concluſio demonſtrationis debet eſſe vniuerſalis, vt ſupra in quæſtione de medio demonſtrationis abundè probatũ eſt, ſed nulla concluſio iſtarum demõſtrationum, quæ fiunt per cauſam externã, vel per aliquod accidens etiam connexu ſubiecto eſt vniuerſalis, ergo illæ nõ ſunt demonſtrationes perfectiſſimæ, & potiſſimæ: maior, vt dicebam, eſt Ariſtotelis; minor probatur primò in demonſtratione de Eclypſi, concludimus enim ergo Eclypſis eſt in Luna: at hæc paſſio Eclypſis, ſiue priuari lumine, non competit Lunę, vt Luna eſt, ſed quatenus eſt corpus tale, quod recipit lumen à Sole: vnde ſi daretur aliquod aliud corpus quod reciperet lumen à Sole obiecta terra inter illud, & Solem, eclypſaretur, nõ ergo hæc proprietas ineſt Lunæ quatenus Luna, & ſecundum quod eſt Luna, ſed ſecũdum genus Lunæ, quod eſt corpus receptiuum luminis ab alio. Idem patet de demonſtratione, in qua cõcludimus tonitruum eſſe in nube propter exſtinctionem ignis, nam tonitruus non eſt propria paſſio nubis, quia non ineſt ſoli nubi, ſed cuicumque corpori, in quo exſtinguitur ignis eſt tonitruus, & rumor, ergo, neque ineſt ſemper, vt per ſe patet, non enim ſemper in nube eſt tonitruus, ergo conclnſio iſta nõ eſt vniuerſalis. Idem dicẽdum de illa alia demonſtratione, in qua oſtendimus caſum foliorum arboribus propter congelationem humoris ineſſe, neque enim caſus foliorum ineſt omni arbori, nam laurus nõ haber caſum foliorum in hyeme, & neque multis alijs ineſt caſus foliorũ, neque ineſt arbori, vt arbor, ſed ſecundũ aliquam ſpeciem arboris. Idem dicẽdum de illa demonſtratione, in qua oſtendimus Lunam ſuſcipere accretionem luminis propter ſphęricam figuram, nõ enim acretio luminis ineſt Lunæ quatenus Luna, ſed quatenus eſt ſphęricũ corpus, ſicut ergo ſenſibile non ineſt homini quatenus homo, ſed quatenus animal, ita neque ſuſcipere accretionem luminis ineſt Lunæ quatenus Luna, ſed quatenus eſt corpus ſphęricum, quod eſt genus ad Lunam, vt animal ad hominem, & forſan cõmunius: & ſic non eſt ſecundum quod ipſum hæc concluſio. Tertiò particulariter arguo contra demonſtrationes ex cauſa externa, & probo quod illæ demonſtrationes non ſunt potiſſimæ. *Tertia rõ* Demonſtrationes conſtantes ex propoſitionibus per ſe quarto modo, non ſunt potiſſimæ: ſed omnes demõſtrationes, in quibus oſtenditur effectus externus ex cauſa externa, omnes conſtant ex propoſitionibus de quarto modo, ergo illæ non ſunt potiſſimæ; Minor conceditur ab Aduerſarijs, & patet inſpiciendo vnamquamque demonſtrationem aſſignatam, nam ſi cauſa eſt externa, & effectus eſt externus, nõ poſſunt eſſe niſi in quarto modo dicendi per ſe, &, quæ non ſunt per ſe quarto modo, nullo modo ſunt per ſe, vt videbimus. *Propoſitiones per ſe ex 4. modo nõ pertinent ad demonſtratione.* Maior probatur: quia ponitur expreſsè ab Ariſtotele, in primo Poſter. cap. 4. text. 35. & eſt opinio ferè omnium; & eãdem ſententiam Ariſtot. eſſe teſtatur ipſemet Zabarella, libro primo de propoſitione neceſſaria, cap. 11. vbi ait apertè quartum modum reijci ab Ariſtotele, neque eſſe vtilem ad demonſtrationem, quia nõ habet neceſſitatem; & idem teſtatur in ſecũdo de propoſitione neceſſaria, cap. 14. Ex his ergo patet, quod tales demonſtrationes, in quibus propoſitiones ſunt per ſe quarto modo, non ſunt potiſſimæ, quia non habent neceſſitatem. *Reſponſio.* Ad hoc argumentum reſpondet, ſiue innuit reſpõſionem libro 2. de propoſitione neceſſaria cap. 14. vbi longo ſermone declarat quomodo quartus modus dicẽdi per ſe, quãdoque fit vtilis ad demonſtrationem; dicit enim ex Auerroe, quod cauſa propter quam quartus modus reijcitur ab Ariſtotele eſt, quia raro cauſa effectus externa eſt æqualis ſuo effectui, & rarò eſt ſimul cum effectn, & ideò rarò poteſt eſſe medium in demonſtratione; ſed ſolùm tunc eſt medium, quãdo ipſa cum ſuo effectu reciprocatur: hoc enim quandoque euenit, & ex accidenti, vt patet de Eclypſi, &

obiectio-

obiectione terræ: hæc enim eſt cauſa externa, & tamẽ eſt ęqualis, & cõuertitur: quia poſita obiectione terræ, Eclypſis ponitur, & ablata obiectione terræ, auffertur Eclypſis; eſt ergo æqualis, & ſic quartus modus per ſe, quandoque eſt vtilis, ſed per accidens; & ſubinfert, quod ideò vera eſt ſententia communis multorum, quod ſolùm duo priores modi dicendi per ſe, ſunt vtiles ad demonſtrationem, & quod Ariſtoteles iure hunc quartum modum reiecit, quia non eſt ſemper, & perpetuò vtilis, ſed aliquando, & ex accidenti eſt vtilis; illa verò quæ rarò eueniunt, & ex accidenti, non pertinent ad ſcientiam; ideo Ariſtoteles hunc quartũ modum reiecit, non tamen propter hoc negat, quod aliquando nõ ſit vtilis, vt patet in hac demonſtratione de Eclypſi, quam 2. Poſt. vult eſſe potiſſimam, & verti in definitionem, & hic vnum eſt aduertendum, quod ipſe vt declaret multum laborat, ſcilicet quomodo intelligatur, cũ ipſe, & Auerroes dicunt, quod ex accidenti cauſa externa eſt medium in demonſtratione: non enim volunt dicere, quod cauſa externa, quæ ſumitur in demonſtratione oſtendat effectum accidentaliter, quaſi nõ ſit vera, & neceſſaria cauſa: quia demonſtratio Eclypſis in Luna per obiectionem terræ, eſt ita vt neceſſariò oſtendat, vt melius non poſſit demõſtrari, neque per magis neceſſariam cauſam, ſed dicunt, quod genus cauſæ efficientis per accidens, euenit quod ſit medium in demonſtratione: quia tale genus cauſæ efficientis per accidens, cum ſuo effectu rarò habet neceſſariam connexionem, & conuertibilitatem; ſed cum loquimur de cauſa particulari, vt obiectio terræ, dicit, quod huic non euenit per accidẽs quod ſit medium, ſed per ſe, & neceſſariò ineſt eſſe medium, quia eſt vera, & neceſſaria cauſa. Per hæc patet reſponſio formalis ad argumentũ, cũ dicitur quod propoſitiones de quarto modo non ſunt neceſſariæ, &c. Reſpondetur, quod verum eſt vniuerſaliter, tamen quandoque ſunt vtiles, vt contingit in allatis demonſtrationibus; hanc ſuam ſententiam confirmat auctoritate Ariſt. 1. Poſt. tex. 65. vbi Ariſtoteles hanc ſententiam expreſsè ponere

Notand. *Dictum Zabarella notabile reijcitur.*

videtur; declarat etiam quomodo fieri poſſit in cap. 16. eiuſdem libri ſecundi de propoſitionibus neceſſarijs, hoc modo; Accidens proprium duobus modis pendet à ſubiecto, vt riſibilitas ab homine, Primò ab eo tamquam à cauſa ſubiecti, quia riſibilitas recipitur in homine tamquam in materia. Secũdò ab eodem tamquam à cauſa efficiente, quia rationabilitas eſt eſt cauſa efficiens riſibilitatis: verum hęc ſecunda pendentia, eſt quæ facit hominem neceſſariò riſibilem, quia dato caſu quod homo non eſſet rationalis, non eſſet riſibilis, quia non adeſset cauſa efficiens riſibilitatis; ita in propoſito, accidẽs externum vt Eclypſis pendet à cauſa efficiente, & à ſubiecto, ſed adeſt hæc differentia, quod iſtæ duæ cauſæ ſunt loco diſtinctæ, & ſubiecto, in homine autem sũt in eodem ſubiecto: vndè ſi accipiamus ſubiectum, vt Lunam non ſolam, & nudam, ſed cum cauſa externa, vt cum obiectione terræ, tunc hoc accidẽs neceſſariò ineſt illi ſubiecto, eſt Eclypſis Lunæ propter cauſam efficientem iam inexiſtẽtem Lunæ cogentem tale accidens, illi ſubiecto ineſse. In propoſito ergo licet cauſa efficiens Eclypſis non ſemper concomitetur Lunam, & conſequenter non ſemper inſit Eclypſis Lunæ, tamen quando talis cauſa ineſt Lunæ, eſt cauſa neceſſaria Eclypſis. Hæc sũt, quæ pro ſua defenſione, ni fallor, diceret Zabarella, vel aliquis alius pro eo.

Contra hanc reſponſionem; ſi valeret, ſequeretur etiam, quod hæc demõſtratio eſſet potiſſima; cum ergo probo in me eſſe calorem, quia me calefacio ad ignem; ita quod corpus meum erit ſubiectum, calor erit paſſio, & accidens, calefactio erit medium, nam hic effectus, & accidens eſt externum, & eſt cum cauſa efficiente, quæ eſt calefactio, & poſita calefactione, ponitur calor in me, & hæc calefactio eſt etiã cauſa per ſe caloris in me, neque vlla alia cauſa efficiens aſſignari poteſt; qui ergo ſcit in me eſſe calorem propter calefactionem certiſſimè ſcit, & hæc erit demonſtratio potiſſima, ſicuti illa, qua ſcio Eclypſim ineſſe Lunæ propter obiectionem terrę; eſt enim omnino ſimilis. Sed quis dicet vnquã hanc eſse demonſtra- *Reijcitur.*

monſtra-

monſtrationem, cũ de accidentibus communibus nulla poſſit dari ſcientia; calor autem eſt accidens commune, quod corpori meo adeſt quandoque, & quandoque non; Sicut etiam Eclypſis eſt accidẽs commune, quod ineſt Lunæ quãdoque, & quandoque non, & etiam alijs corporibus propter eamdem cauſam ineſſet; ſi enim daretur aliquod aliud corp⁹, quod reciperet lumẽ à Sole, & non eſſet Luna, etiam in ipſo propter eamdem cauſam fieret Eclypſis, ſicuti eadẽ calefactio induceret in aliud corpus calorem, ſi illud calefaceret. Similiter, ſi ego oſtẽderem, quod Socrates interijt propter iugulationem, eſset demonſtratio; at quis non videat has demonſtrationes, neque bonos ſyllogiſmos eſse, quia ſunt de accidentibus, quæ non habent certam, vniuerſalẽ, & determinatam cauſam, ſed particularem, quæ non cadit ſub ſcientia. Præterea, ſi illæ demonſtrationes formentur, videbimus, quod propoſitiones vniuerſales erunt falſæ, vt ego ſupra oſtẽdi de illa demonſtratione Eclypſis, ſolùm concluſio eſt vera, quia aliqua particularis propoſitio eſt nota experientia, vel ſenſu, ſed non virtute alicuius illationis vniuerſalis, quę ſit in demonſtratione; Iure ergo dixit Ariſtoteles, quod quartus modus dicendi per ſe, non eſt vtilis, quia in illis non eſt aliqua illatio neceſsaria, quia cauſa, & effectus non habent nexum neceſsarium in illis, & ſi quandoque cauſa efficiens inducat effectum, hoc non prouenit ratione, & natura illius cauſæ: ſed illi accidit, quod talem effectum producat: vnde Eclypſis nõ prouenit ex natura, & eſſentia terræ, ſed accidit terræ, quod Eclypſim producat: cum enim ſit corpus opacum, & Sol voluatur circa ipſam, accidit terrę vt interponatur inter Solem, & Lunã, & ſic cauſat vmbram, & obſcurat Lunã, & ſic fit Eclypſis. Idẽ dicendum de alijs cauſis externis. Cum ergo dicit, quod obiectio terræ eſt cauſa Eclypſis, dico, quòd eſt cauſa, ſed eſt cauſa particularis, & accidentalis eo modo, quo nũc dictum eſt, quæ non pertinet ad demonſtrationem; cauſa enim, quę ingreditur demõſtrationem debet eſse vniuerſalis, & propria; & per ſe debet talem effectum intẽdere, ita

Præterea 2.

quod talis effectus ab illa intẽdatur, & nõ poſſit eſse illa cauſa deſtructa; at ſi fieri poſset, quod aliud corpus denſum, quod nõ eſset terra interponeretur inter Solẽ, & Lunã, etiã illud cauſaret Eclypſim. Præterea, iſta cauſa, ſcilicet obiectio terræ, nõ eſt cauſa neceſsaria Eclypſis neceſſitate conſequentis, ſed conſequentiæ, de qua Ariſtot. in lib. Peryhermenias ait hanc eſſe neceſsariam; Homo quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ſic in propoſito, quando obiectio terræ cauſat Eclypſim, neceſſariò cauſat Eclypſim, eſt neceſsaria in ſenſu cõpoſito, non in ſenſu diuiſo: quia alio tempore poteſt eſſe Eclypſis, & non eſse per obiectionem terrę, vt dictum eſt. Tertiò in talibus demonſtrationibus eſt altera prę-miſsarum, quæ non eſt neceſsaria, vt in demonſtratione de Eclypſi patet de minori, quæ eſt: Luna priuatur radijs ſolaribus à terra obiecta, neque enim eſt in primo, neque in ſecundo, ergo non eſt per ſe, neque talis demonſtratio eſt potiſſima, quia neuter terminorum iſtius propoſitionis eſt cauſa alterius termini.

Præterea 3.

Tertio principaliter.

Reſpõſio Zabarel.

Ad hanc rationẽ apertè reſpondet Zabarella lib. 2. de propoſitione neceſsaria, cap. 17. & concedit, quod non eſt per ſe illa minor, ſed ait non eſse hoc incõueniẽs: quia non eſt neceſse ſemper, quod in demõſtratione minor ſit neceſsaria, & hoc declarat hoc pacto. Finis demonſtrationis eſt ſola cognitio effectionis; ideò in demõſtratione attẽdenda præcipuè ſunt illa, quæ ducunt nos ad cognitionem affectionis: hæc autem duo ſunt: primum eſt quod talis affectio demonſtretur de ſubiecto, cui primo ineſt, vt riſibile de homine. Secundũ per cauſam proximam & æquatam, non per communem, & remotã, cum hæc duo in demonſtratione ſunt, demonſtratio eſt præſtantiſſima, & potiſſima; ex hoc inſpicitur, quod in demonſtratione potiſſima debet eſse eſsentialis connexus affectionis cũ medio, per quod demonſtratur, & cum ſubiecto, cui ineſſe demonſtratur, ſed medij cum ſubiecto non eſt neceſse, quod ſit vllus eſsentialis connexus, quia poteſt euenire, quod nulla ſit affinitas cauſæ affectionis cũ ſubiecto, cui ineſse demonſtratur, vt contingit in præſenti demonſtratione de Eclypſi;

Minor demõſtrationis debet eſſe neceſſaria.

certum

certum eſt enim, quod hoc accidens, & paſſio Eclypſis poteſt ſciri,quia quod habet cauſam certam, proximam & adæquatam, ſicuti ab ea habet vt ſit, ita habet vt poſſit cognoſci, cognoſci autẽ per talem cauſam,eſt demonſtrari, ergo dicẽdum,quod hæc eſt demonſtratio potiſſima,licet hæc minor non ſit per ſe : quia hoc non neceſſario requiritur.

Reijcitur. Contra hanc reſponſionem Zabarellæ non eſt opus laborare multum,cum ipſa omnino aduerſetur regulis veræ demõſtrationis, & ipſimet Ariſtoteli artifici huius inſtrumenti;& miror de hoc viro, quidem doctiſſimo, qui ita ingenioſè de rebus logicis locutus eſt, quod vt tueretur hoc falſum dogma,quod hæ demonſtrationes ſint potiſſimæ,voluerit incidere in hoc abſurdum, quod ex ſuiſmet operibus elicitur eſſe maximum; In primis contra hanc reſponſionem eſt Ariſt. in 1.Poſt.tex.44.vbi probans,quod principia demonſtrationis debent eſse neceſſaria, ait, quod non poſſunt eſſe neceſſaria,niſi ſint per ſe;ex hoc arguo.Quæro à Zabarella, an minor in demonſtratione debeat eſſe neceſsaria; ſi dicat quod ſic, ergo,debet eſse per ſe,quia niſi ſit per ſe, non eſt neceſsaria, vt ait Ariſtoteles, & per ſe patet ex rationib. Ariſtotelis;ſi non eſt neceſsaria, neque concluſio erit neceſſaria, quia neceſſarium deducitur ex neceſsario,non ex contingenti,& non neceſſario,niſi per accidens,vt ibi docet Ariſtoteles; eſt autem clarum, quod minor in demonſtratione habet vim illatiuam:ita quod concluſio pendet etiam à minori; ſi ergo minor non ſit neceſſaria, neque concluſio erit neceſsaria, & eo magis, quia concluſio ſemper ſequitur debiliorẽ partẽ;Neque valet dicere,qđ eſt vera,q̃a hoc non ſufficit,vt ibidem docet Ariſtoteles, ſed requiruntur aliæ conditiones, quia etſi ſit vera,non tamen facit concluſionẽ veram neceſsariò,ſed ſolum inducit concluſionem veram caſu, vt etiam ſyllogiſmus topicus quandoque, ſed non erit vera neceſsariò; hoc patet clarè per totum illud cap.6.ex quo etiam patet,quod Ariſtot. nedum loquitur de maiori, ſed de minori, & maiori ſimul, & maximè hoc elicitur ex textu 46. vbi probat à ſigno, quod demonſtratio eſt ex propoſitionibus neceſsarijs,quia ſolemus ferre inſtantias,quando ambo principia non ſunt neceſsaria,vel alterum,& illud ſolemus negare, ergo debent omnia eſse neceſsaria, & per ſe;Sed hæc clariora ſunt,quam ipſe explicare valeam:ratio iſta mihi videtur efficaciſſima, quia præter quam eſt Ariſtotelis,eſt etiam euidentiſſima. Item 2. c. Ariſt. ait,quod demonſtratio debet eſse ex primis,veris,&c.ecce quod loquitur in plurali, ergo omnia principia demonſtrationis debent habere illas conditiones,non alteram illarum, at principia non poſſunt eſſe prima, &c. niſi ſint per ſe:vnde iſtæ conditiones de omni, per ſe, & vniuerſales, non ſunt diuerſæ ab illis poſitis in definitione, ſed illæ eodem magis explicatæ, vt docet ipſemet Zabarella in initio 4.c.1.Poſt.Accedit,quod fruſtra laboraſſet Ariſt. oſtendendo, quod principia demõſtrationis debent eſſe neceſſaria, & per ſe, quia hoc non eſſet neceſſe verificari de minori: Ad rationem autem, qua hanc ſuam reſponſionẽ probat,dico, quod nedum in demonſtratione requiritur connexus cauſæ cum affectione,& affectionis cum ſubiecto,ſed requiritur connexio neceſſaria cauſæ cum ſubiecto; alioquin numquam oſtendere potero affectionem illam neceſſariò inhærere illi ſubiecto, quia licet cognoſcã quod rationalitas eſt cauſa riſibilitatis, non tamen cognoſcere potero,quod riſibilitas ineſt homini, niſi prius certè cognouero, quod rationale neceſſariò ineſt homini,ita quod connexus affectionis cũ ſubiecto, non poteſt cognoſci, niſi prius cognouero connexum medij cum ſubiecto: vnde in maiori cognoſco connexionem medij cum affectione,in minori cognoſcitur connexio medij cum ſubiecto; & hæc ita clara ſunt, quod omnes id aſſerunt, & ipſemet pluribus in locis idem fatetur:adeò quod alio modo res ſeſe habet, atque ille iudicauerit; exempli gratia,cognoſco,quod omne animal rationale eſt riſibile,deinde cognoſco,quod omnis homo eſt rationalis; ecce quod requiritur hæc connexio, deinde ex eo quod cognoſco,quod rationale,quod eſt cauſa riſibilitatis,ineſt homini, cognoſco etiã, quod ho- *Ad rõnẽ Zab.*

quod homo eſt riſibilis, nec valet ſi dicat hoc habere locum tantum in demonſtratione à cauſa interna: quia hæc eſt regula vniuerſalis, quod concluſio deducitur ex maiori, & minori, & quando eſt neceſſaria ratione materiæ, neceſſariò debet vtraque propoſitio eſſe neceſſaria, alioquin illa cõcluſio non erit neceſſaria: ſed ſi eſt vera, eſt accidentaliter vera; quod ſautem dicit huiuſmodi affectionẽ Eclypſis eſſe ſcibilem de Luna, & per cauſam propter quam eſt, infra reſpondebitur.

Impugnatur demonſtratio habens pro medio accidens inhærens ſubiecto. Cap. IV.

Contra demonſtrationem illam ex cauſa interna, quæ non eſt definitio ſubiecti, ſed accidens aliquod inhærens ſubiecto, vt eſt illa, qua oſtendimus accretionem luminis in Luna propter ſphęricam figuram, primo ſic arguo. *Prima rõ.* Hęc demonſtratio, & ſimiles, non ſunt ex propoſitionibus vniuerſalibus, neque per ſe, ergo talis demonſtratio, & ſimiles, non ſunt potiſſimæ; conſequentia patet, quia ex dictis in calce præcedentis capitis cum propoſitiones non ſunt vniuerſales, & per ſe, non ſunt neceſſariæ, & conſequenter concluſio deducta ex illis præmiſſis, non eſt neceſſaria, & ſic neque talis demonſtratio eſt neceſſaria. Antecedens probatur: quia in huiuſmodi demonſtrationibus accipitur pro medio accidẽs aliquod commune, quod ſemper ineſt ſubiecto, & propter hoc ſaltem minor non erit vniuerſalis, neque per ſe, in qua accipitur hoc accidens ineſſe tali ſubiecto, vt in aſſignata demonſtratione; Minor eſt hæc, Luna eſt ſphærica figura, hęc non eſt per ſe in primo modo, quia ſphærica figura non eſt de definitione Lunæ, quia ſphęrica figura eſt accidens, & Luna eſt ſubſtantia; neque, eſt in ſecũdo modo, quia ſphęrica figura non eſt propria paſſio Lunæ, quia ineſt alijs corporibus à Luna, ideò deceptus eſt Zabarella lib. 2. de propoſitione neceſſaria, c. 12. & 15. neque eſt in 4. modo, quia quod ibi dicit, valet de accidente proprio, non de communi; ſed hoc eſt commune, quod etiam ipſi concedũt, & etiam, quia Luna non eſt cauſa efficiens adæquata figuræ ſphęricæ, ſed eſt aliquod genus commune ad Lunam, & alia corpora ſphærica, quod eſt innominatum, quod eſt cauſa talis accidentis. Præterea, iam eſt dictum, quod hic quartus modus non eſt vtilis ad demõſtrationem. Secundò, concluſio non eſt vniuerſalis, neque ſecũdum quod ipſum, quia accretio luminis non ineſt Lunæ quatenus Luna, ſed quatenus corpus ſphæricum, ſicuti ſenſibile ineſt homini, non quatenus homo, ſed quatenus eſt animal; at in demonſtrationibus potiſſimis concluſio debet eſſe vniuerſalis, & paſſio demonſtrata debet eſſe propria. *Secũda rõ.* Tertiò maior non eſt per ſe vllo modo, quæ eſt hæc. *Tertia.* Omne corpus ſphæricum ſuſcipit accretionem luminis, prædicatum hoc non eſt genus, vel differentia corporis ſphærici, ſed effectus eius: nam in maiori ſemper prædicatur paſſio, & effectus de propria cauſa, & ideo non eſt in primò modo, neque eſt in ſecundo modo, vt vult Zabarella lib. 2. de propoſitione neceſſaria, quia accretio luminis non eſt proprietas figuræ ſphęricæ, ſed accidens commune cõpetens multis alijs corporibus; at in ſecũdo modo paſſio prædicatur de proprio ſubiecto, ergo non eſt in ſecundo modo; Nec valet, quod ait Zabarella lib. 2. de propoſitione neceſſaria; nẽpè quod in talibus demonſtrationibus in maiori explicatur ſolùm pendentia effectus à cauſa explicitè, ſed implicitè etiam eſt pendentia effectus à ſubiecto, vt dum dicimus rationale eſt riſibile, explicamus cauſam actu riſibilitatis, non autem ſubiectum, ſcilicet hominem, ſed tamen poteſtate, & implicitè ſubintelligitur, quia cum dicimus rationabile eſt riſibile, idem eſt ac ſi dicamus, homo rationalis eſt riſibilis, & ſic hæc propoſitio maior eſt in ſecundo modo implicitè. Sed hæc licet aliquo pacto poſſint accommodari demonſtrationibus, in quibus medium eſt forma ſubiecti, vt eſt illa demonſtratio, qua probamus, quod homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis, de qua etiam ipſe exemplificat, nõ tamen vllo pacto poteſt accommodari demõſtrationibus, in quibus medium eſt cauſa accidentalis, quia hoc accidens implicitè nõ poteſt intelligi inhærere illi ſubiecto, quia non eſt illi neceſſariò connexum.

Dubium. Ad quam ſpeciẽ demõſtrationis iſtæ reducãtur. Reſpõſio.

nexum. Præterea, propoſitiones debẽt eſſe explicitè per ſe, non implicitè, & propterea, minor debet etiã eſſe per ſe explicitè. Sed hic eſt maxima dubitatio: ſi iſtæ demonſtrationes non ſunt potiſſimæ, & tamen ſunt per cauſam, & omnis demonſtratio per cauſam, vel eſt proxima, vel remota, quia diximus in quæſtione de ſpeciebus demonſtrationis, quod nõ datur demonſtratio potiſſima diſtincta à demõſtratione propter quid, in quorum numero debent reponi? Dico quod debent reponi in numero demonſtrationũ per cauſam remotã, licet enim talis cauſa videatur nobis vera, & proxima cauſa, tamẽ non eſt, quia tunc eſſet cauſa neceſſaria, & ſic illius propoſitiones eſſent neceſſariæ: vnde ſi perfectè cognoſceremus eſſentiam, & naturam rerum, videremus, quod multæ cauſæ, quas putamus eſſe proximas, & immediatas, reuera nõ ſunt cauſæ proximæ; vel dicamus, quod ſunt demonſtrationes quia, primæ ſpeciei, de qua Ariſt. in 1. Poſt. cap. 10. quia licet ſint per cauſam, non habẽt tamen omnes conditiones requiſitas ad demonſtrationem propter quid, & ſic non pariunt ſcientiã propter quid, ſed quia.

Rationes Zabarellæ ſoluuntur. Cap. V.

Ad primum.

AD rationes Zabarellæ reſpondetur & primò ad primum argumentũ patet ex dictis in primo ſuppoſito, & in confutatione ſuæ opinionis; maior quidẽ eſt vera, ſed debet addi hæc particula, neceſſariò, ita quod hæc ſit maior. Illa demonſtratio eſt potiſſima, quæ perfectiſſimam, & neceſſariam rei ſcientiam neceſſariò tradit, ita vt nihil amplius quęri, vel cognoſci poſſit: hoc modo eſt vera maior, & in hoc ſenſu illã pro nobis accepimus contra Zabarellam: ſed minor tunc eſt falſa, quia illæ demonſtrationes non pariunt ſcientiam neceſſariò; ratio eſt: quia vt dictum eſt ſæpe ſupra in primo ſuppoſito concluſio, & ſcientia neceſſaria eſt ex propoſitionibus neceſſarijs, & per ſe, non ex accidentibus, & hæc ſcientia, quę deducta eſt ex propoſitionibus per ſe, & neceſſarijs, ſola dicitur perfectiſſima, & abſolutiſſima, quæ aliter eſſe non poteſt, vt Ariſtoteles illam definiuit, ſed hę demonſtrationes non ſunt ex propoſitionibus per ſe, & neceſſarijs, ideo non poſſunt parere perfectiſſimam ſcientiã. Ad probationem minoris dico, quod illud medium, vt terra obiecta, ſatisfacit quidem omnibus quęſtionibus de Eclypſi, non tamen ſatisfacit neceſſario, ſed accidentaliter, quia non eſt medium neceſſarium, ſed accidentale, & eſt veluti mediũ in ſyllogiſmo Topico vero, quod etiam ſatisfacit omni quæſtioni de problemate propoſito, quia eſt verum, at nõ neceſſariò, ſed ex accidenti. Preter dicta in præcedenti, adduco exemplum ad hoc declarandum. Cadit lapis è domo, & occidit Franciſcum me vidente, tũc ego perfectiſſimè ſcio an ſit occiſio in Franciſco, & quid ſit occiſio in Franciſco, an inſit occiſio Franciſco, & propter quid inſit, quia omnibus his quęſtionibus ſatisfacit caſus lapidis, hęc enim omnia ſunt à caſu lapidis, ergo hęc cognitio eſt cognitio certa, & perfectiſſima, qua melior haberi nõ poteſt, quia eſt propter cauſam proximã, propter quam res eſt, non tamen dicitur ſcientia, quia hoc medium, eſt mediũ accidentale, accidit enim lapidi cadenti, quod occideret Franciſcum; non enim caſus lapidis neceſſariò producit hunc effectum, ſcilicet occiſionem Franciſci: at in demonſtratione opus eſt quod mediũ ſit cauſa neceſſaria neceſſariò inducens talem effectum, itaquod non poſſit aliter euenire, ità euenit de obiectione terrę reſpectu Eclypſis, accidit enim obiectioni terræ quod cauſet Eclypſim; vndè ſi obijceretur alicui alij corpori recipienti lumẽ à radijs Solis, etiam in illud Eclypſim induceret, & etiã Eclypſis induceretur in Lunã à quocumque alio corpore opaco, ſi daretur quod poſſet interponi inter Solem, & ipſam Lunam. Minor ergo eſt falſa; & hic eſt notandum vnũ ſcitu digniſſimum, quod ſi Zabarella, & alij animaduerterẽt, non offenderẽt in huiuſmodi errores, quod cum medium eſt neceſſariũ, & habet illas conditiones, quas explicauit Philoſophus in definitione ſcire, ſemper demonſtratio eius eſt ex propoſitionibus per ſe neceſſarijs, & vniuerſalibus, vt declaratur ĩ primo ſuppoſito, ita quod hæc con-

Exemplum. *Notãdum.*

hęc conuertuntur, medium eſt neceſſarium,& præmiſſæ ſunt neceſſariæ,pręmiſſæ ſunt neceſſarię & medium eſt neceſſarium. Quoniam autem difficile eſt cognoſcere quando medium ſit neceſſarium, ideò Ariſt. docuit nos formare demonſtrationem; quando enim habemus demonſtrationem conſtantem ex propoſitionibus neceſſarijs, quæ ſunt per ſe, & vniuerſales, ſumus certi, quod habemus etiam medium neceſſarium,& hæc eſt vnica via cognoſcẽdi quando medium eſt neceſſarium, & parit mihi ſcientiam neceſſariam; vnde etiam habito medio neceſſario, niſi ordinetur in forma ſyllogiſtica, non facit fidem mihi quod ſit medium neceſſarium,neque me omnino certificat;non valet ergo dicere, hoc mediũ eſt cauſa huius effectus,ergo demonſtratio facta ex hoc medio,eſt potiſſima,quia non poſſum ſcire vnquam(non loquor de cognitione ſenſitiua) quod hoc medium ſit cauſa huius effectus, niſi ſit ordinatũ per demonſtrationem habentem conditiones requiſitas,vndè tũc aſſũmo, quod probare debeo;ſed bene valet hæc demõſtratio eſt potiſſima,& habet omnes conditiones requiſitas, ergo medium huius demonſtrationis eſt neceſſarium, & habet omnes conditiones aſſignatas ab Ariſt.in definitione ſcire, & ſic patet error argumenti Zabarellæ,ſic enim arguit.obiectio terræ eſt cauſa proxima Eclypſis; ergo demonſtratio in qua eſt medim, eſt neceſſaria,& potiſſima;nego hanc conſequẽtiam propter rationem dictam: quia non poſſũ cognoſcere, quod hoc mediũ ſit medium neceſſarium,niſi per demonſtrationẽ rectam, & omnibus conditionibus abſolutam, & quando eius demonſtratio non eſt ex neceſarijs, cognoſco, quod hoc medium non eſt cauſa neceſſaria,& ſic non mihi facit ſcientiam, vndè in antecedenti deberet addere eſt neceſſaria cauſa;demõſtrationes ergo hę sũt verę ſed nõ neceſſarię; ſed propoſitiones notę ſunt experiẽtia,& obſeruatione lõga, nõ per viã demonſtratiuam,& ſcientificam.

Ad ſecundũ. Ad ſecundũ dico,quod Ariſt. vſus eſt exemplis nobis notioribus, & quę ſępè præ manib. habemus, & præſertim, q̃a quando vſus eſt his exemplis declarabat cuius extremi definitio ſit medium,& dixit, quod eſt ratio maioris extremi ſcilicet cauſa,vel definitio paſſionis,& adduxit exemplum de Eclypſi, dicens, quod medium ad demonſtrandum Eclypſim de Luna, eſt cauſa Eclypſis quæcumque illa ſit, adduxitque illam cauſam,quàm omnes vulgò exiſtimabant eſſe cauſam propriam,non tamen propter hoc dicendum eſt,quod Ariſt.voluerit aſſerere hãc demonſtrationem eſſe potiſſimam, cum omnino aduerſetur ſuis regulis,& documentis, hæc tamen demonſtratio eſt ſecundi gradus,& licet non ſit per cauſam neceſſariam,eſt tamen per cauſam verã, & ſic non eſt inutilis,nec vana.

Ad tertiũ. Ad tertium reſpondeo, quod Eclypſis non eſt ſcibilis ineſſe Lunæ via ſcientifica,& demonſtratiua, quia accidentia cõmunia non ſunt ſcibilia, Eclypſis autem eſt accidens commune, vnde maior eſt falſa,vt dictum eſt ſuprà; vel dicamus, quod eſt ſcibilis, ſed non per tale mediũ, ſed per aliud,quod nos latet.

Ad quartum. Ad quartum non valet conſequentia, poteſt enim quælibet demonſtratio per cauſam remotam verti in definitionem; ſed tunc ſicuti non eſt potiſſima demonſtratio,ita non eſt perfecta definitio.

THEOREMA XV.

Sola cauſa formalis eſt medium in demonſtratione potiſſima.

Exponitur, & declaratur ſententia Scoti. Cap. I.

EX dictis in præcedentibus patet reſpondendum eſſe ad quæſtionem illam, qua quæritur quodnam genus cauſæ ſit illud, quod eſt medium in demonſtratione potiſſima, eſſe cauſam formalem; ratio præcipua eſt: quia ſupra diximus formam ſubiecti eſſe cauſam efficiẽtem proximã paſſionis, & neceſſariam; Sola autem paſſio propria oſtenditur de ſubiecto in demonſtratione; alia verò accidentia communia nequaquã;ideò ſola forma ſubiecti eſt mediũ in demõſtratione potiſſima,non autem aliæ cauſæ, quia paſſio habet effectiuè à forma ſubiecti,& ſic

ſic etiam ab ipſa habet cognoſcibilitatẽ, & ideò forma eſt proxima cauſa paſſionis; habet etiam paſſio eſſe à materia, ideſt à ſubiecto, & à fine, ſed iſtæ non ſunt præcipuè cauſæ, & propriæ, vti eſt forma ſubiecti; vnde licet ſubiectum, & paſſio conuertantur, hoc euenit ſolùm, quia in ſubiecto neceſſariò eſt talis forma, quæ eſt cauſatiua talis paſſionis neceſſariò: cauſa autem finalis non habet propriè cauſalitatem realem, ſed ſolum metaphoricam, quia eſt vltima in eſſe, & eſt poſt rem; forma igitur eſt medium in demonſtratione potiſſima ſolùm, reliquæ autẽ cauſæ per ſe ſolæ nequaquam.

Notandum Et notandum eſt, quod cum dicimus medium eſſe cauſam formalem, non intelligimus quod hoc medium, & cauſa ſit forma ipſius paſſionis, quia paſſio cum non ſit aliquod compoſitum, eſt quædã pura forma, & ſic nullam aliam habet formam, per quam ſit, niſi ſeipſam; cum ergo dicimus medium eſſe cauſam formalẽ, non intelligimus eſſe ipſam formã, quæ eſt paſſio, quia tũc idẽ oſtenderetur per ſeipſum, quod nihil eſt, ſed intelligimus per formam ſubiecti, formam, quæ eſt cauſa efficiens ipſius paſſionis; forma ergo eſt mediũ; ſed tamen hic notandum eſt, quod cũ forma eſt mediũ ĩ demõſtratione, non eſt amplius forma, ſed eſt efficiens, & ideò medium licet ſit forma, habet tamen rationem efficientis, quia efficit concluſionem. Cõfirmatur hæc poſitio, quia ſi accipiatur aliqua alia cauſa pro medio, ſiue ſit materialis, ſiue efficiẽs, ſiue finalis, ſi non eſt propria forma ſubiecti, numquam erit cauſa neceſſaria, & ſic neque cõcluſio erit neceſſaria, neque vniuerſalis, neque præmiſſæ erunt neceſsariæ, & vniuerſales, vt in exẽplis vidimus, & in alijs ab Ariſt. in 2. Poſter. adductis videre poſsumus.

Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur. Cap. 11.

Primò CONtra hãc ſentẽtiã eſt Ariſt. 2. Poſt. c. de cauſis, quod eſt 11. vbi ait, quod poſſumus demõſtrare p omnia quattuor genera cauſarum, ergo videtur quod medium in potiſſima demonſtratione poſſit eſſe nedum cauſa efficiens, quæ eſt forma ſubiecti, ſed cauſa materialis, & finalis, quæcumque, à qua aliquis effectus proueniat. Ad hanc rationẽ, & auctoritatem ego iudico reſpondendum eſſe, vt multi reſpõdent, & ipſe nunc ſupra tetigi, quod in demonſtratione propter quid, perfecta & potiſſima ſolum cauſa formalis eſt medium, vt nunc declaraui, in alijs verò demõſtrationibus propter quid, quæ nõ ſunt potiſſimæ, & perfectæ, medium poteſt eſſe cauſa materialis, efficiens, & finalis, quia vnaquęque iſtarũ habet aliquos effectus, & hi per illas cauſas demonſtrari poſſunt; quando ergo Ariſtoteles ait p omnia quattuor genera cauſarum poſſe demõſtrari, concedo, ſed tamen nõ ſequitur quod omnes illæ demõſtrationes ſint potiſſimæ, vt dictum eſt, & quod hæc fuerit mens Ariſtotelis conſpicitur in lectione 2. Poſt. ĩ illo c. de cauſis abſque tot ſubtilitatibus, & nugis, nam poſtquam dixit, quod per omne genus cauſæ poteſt fieri demonſtratio, diſtinxit cauſas, quia aliæ ſunt, ad quas cõſequitur effectus ſemper, aliæ ad quas quãdoque, & alię ſunt neceſſariæ, & aliæ accidentales, & denique enumerat omnes modos cauſarũ & poſtea declarat quomodo vnuſquiſque effectus poſſit demõſtrari per ſuã causã; vnde tãdẽ in tex. 56. & 57. ait quod illa cauſa eſt mediũ in demõſtratione, quę reſpondet ſuo effectui, & ſic vnuſquiſque effectus oſtẽditur p propriã causã, ita vt ille effect⁹, qui eſt, ſæpe debet mõſtrari p causã quę eſt ſępe effectus, qui eſt ſẽper, per causã, quę eſt ſẽper, qui raro, per causã quę eſt raro. Conſtat autem, quod multæ demonſtrationũ harũ non ſunt potiſſimæ, neque habent omnes conditiones aſſignatas ab Ariſtot. perfectæ demõſtrationis propter quid, & tamẽ in illis cauſa erit quãdoque materialis. Idẽ clarius exprimit in c. 16. & 17. 2. Poſteriorũ, poſtquã enim cõpleuit tractationẽ de definitione, quã ĩſeruit tractationi de cauſis, eſt enim definitio medium, & cõſequẽter cauſa, & ſic pertinebat ad eã tractationẽ in tex. 90. qui eſt principiũ Capituli 17. & in ſequẽtibus, & maximè ĩ tex. 94. docet cauſam debere reciprocari cũ ſuo effectu, & ratio eſt: quia problema debet eſſe vniuerſale, & ꝓpria

Solutio.

affe-

affectio debet apponi proprio ſubiecto, & hoc etiam aſſerit in præcedenti capite 16. ſcilicet, quod problema debet eſse vniuerſale, & quod affectio debet apponi proprio ſubiecto, alioquin non poterit demonſtrari; Clarum eſt, quod hoc aſſerit de demonſtratione potiſſima, in textu vero 96. mouet dubitationem an ſi problema non ſit vniuerſale, medium debeat eſſe vniuerſale, & reſpondet quod non, ſed quale eſt problema, tale debet eſſe medium. Ex his locis conſpicitur, quod licet Ariſtot. in cap. de cauſis, dicat poſſe demonſtrari per omne genus cauſæ, non tamen intelligit, quod per omne genus cauſæ fiat demonſtratio vniuerſalis, & neceſſaria, quæ ſola eſt potiſſima, vndè demonſtrationes à ſigno, & à poſteriori, & etiam per cauſam remotam, quę tamē nobis proxima videtur, appellat demonſtrationes, & re vera in ſciētijs paucę admodum ſunt demōſtrationes potiſſimę, ſed plurimę à poſteriori, & per cauſam remotam; vnde per accidentia generū ſępè oſtendimus paſſiones de ſpeciebus, quia natura ſpecierum eſt ignota.

Rationes Zab. in cōtrariū.

Sed contra hanc ſententiam arguit Zabarella lib. 2. de medio demonſtrationis, capitulo tertio, primò: quia tunc facimus diſtinctionem inter demōſtrationem propter quid, & demonſtrationem potiſſimam, quæ tamen nō diſtinguuntur, vt vidimus in quęſtione de ſpeciebus demonſtrationis, & ex eodem Ariſtotele in illo ſecundo, dicente per eandem demonſtrationem notificari quid eſt, & propter quid eſt, & eam eſſe potiſſimam.

Secūda.

Secundò in eodem libro Ariſtoteles ait, quod vnius rei eſt vnica cauſa, quæ tradit cognitionem propter quid eſt, eamq. vult cum effectu ſuo reciprocari, ergo fieri non poteſt, quod idem effectus per cauſam formalem potiſſimè demonſtretur, per aliā verò cauſam demonſtretur propter quid tantum, quia tunc vnius rei eſſent plures cauſæ, per quas poſſet demonſtrari.

Tertia.

Tertiò cum dicimus cauſam formalē eſſe medium in demonſtratione, vel intelligimus de cauſa formali ſubiecti, vel de cauſa formali paſſionis, primum non poteſt dici, quia rarò euenit, quod forma ſubiecti ſit cauſa paſſionis; neque ſecundum eſſe poteſt; quia forma paſſionis eſt ipſamet eſsentia paſſionis, vnde ſi paſſio per ſuam formam demonſtraretur, idem demonſtraretur per ſeipſum.

Ad 1.

Ad has obiectiones reſpondeo, & ad primam quidem dico, quod vt dixi in quæſtione de ſpeciebus demonſtrationis, demonſtratio propter quid eſt eadem quod demonſtratio potiſſima; quia demonſtratio propter quid, quæ habet omnes conditiones aſſignatas ab Ariſt. 1. Poſt. c. 2. & 4. eſt vera demonſtratio, & potiſſima, & facit ſcire quid eſt, & propter quid eſt, & vertitur in definitionem, ſed ſunt alię demonſtrationes, quæ non ſunt ſic perfectæ, neque habent omnes conditiones illas, & ideò non ſunt omninò neceſſariæ, vt ſunt iſtæ de Eclypſi, & aliæ, & dico, quod iſtæ poſſunt dici demonſtrationes propter quid, quia ſunt per cauſam, non tamen potiſſimæ, quia non ſunt per cauſam omninò neceſsariam; vnde dato, quod ſit vera, & proxima cauſa, quia tamen eſt accidentaliter cauſa, vt ſupra oſtendi, ideò non eſt neceſsaria, & hę reduci debent propriè ad demonſtrationem per cauſam remotā, quia revera, illæ fiunt per cauſam remotā, licet nobis videantur per cauſam proximam, & hoc prouenit, quia naturas rerū nō optimè cognoſcimus; ſi enim optimè cognoſceremus Lunā, videremus aliam eſſe immediatiorē, & proximiorē cauſam in Luna propter quam Luna eclypſatur, quā īterpoſitio terræ, hęc enim eſt accidentalis, & remota: ſed quia potiorem non habemus, eam vt proximam iudicamus.

Ad 2.

Ad ſecundam concedo, quod vnius effectus eſt vnica cauſa proxima, & neceſsaria, & per eā ſolā poteſt demōſtrari potiſſimè; non tamen eſt inconueniēs, quod demōſtratione minꝰ perfecta poſſit demonſtrari per alias nō ita proximas, & maximè cum multę cauſę requirātur ad vnum effectum cauſandum; Illę ergo poſsūt eſse mediū eo modo, quo sūt cauſæ, vt diximus nunc ſupra.

Ad 3. The. 13.

Ad tertiū dico, quod cum dicimus cauſam formalē eſse mediū in demōſtratione potiſſima, loquimur de forma ſubiecti, vt dixi ī quęſtione de medio demonſtrationis; cum autem ait hoc eſse incōueniēs, quia illa cauſa rarò eſt mediū, patet eſſe falſum ex ea-

demmet diſputatione de medio demonſtrationis, vbi formam ſubiecti eſſe cauſã paſſionis oſtendimus, & cõſequenter eſſe medium in demonſtratione potiſſima.

THEOREMA XVI.

Definitio non eſt inſtrumentum Logicũ.

Exponitur ſententia Scoti, & comprobatur. Cap. I.

Opinio Scoti. EX ijs, quæ diximus in quæſtione de ſubiecto Logicæ ad mentem Scoti, apertè mihi dicendum videtur, quod definitio non ſit inſtrumentum logicum diuerſum à demonſtratione, vt aliqui enixè ſuſtinent; ratio eſt: quia tunc logica nõ *Prima ratio.* eſſet vna ſcientia, neque haberet vnum ſubiectum, ſed duo, ſcilicet ſyllogiſmum, & definitionem, hoc autem eſt falſum. ergo non eſt dicendum, quod definitio ſit inſtrumentum logicum diuerſum à demonſtratione, & ſyllogiſmo; Conſequẽtis falſitas patet: conſequentia probatur; quia ſi definitio ſit inſtrumentum re diſtinctum à demonſtratione, non poterit cõtineri ſub ſyllogiſmo, quem ſtatuimus ſubiectum in tota logica; ratio eſt: quia non eſt pars, neque paſſio ſyllogiſmi, & ſic non continebitur ſub ſyllogiſmo, ſed habebit propriam tractationẽ per ſe diuerſam à ſyllogiſmo; ita quod, vel erunt duo ſubiecta in logica, vel erit ſtatuendũ pro ſubiecto in logica aliud aliquid commune illis, ſcilicet inſtrumentum ſciendi, vt aliqui dicũt, quod nos cõfutauimus in quæſtione de ſubiecto. Quod ſi quis dicat, licet definitio ſit inſtrumentum logi- *The. 6.* cũ, tamẽ reducitur ad demonſtrationem: quia eſt principiũ demonſtrationis, & me- *Solutio.* diũ, & cõcluſio, & tota demonſtratio ſola poſitione terminorũ differẽs. Dico, quod dũ hoc dicimus, nõ ſtatuim⁹ definitionẽ inſtrumentum diuerſum à demõſtratione, cuius munus ſit notificare ſubſtantiã, *Cõfutatio.* ſed facimus definitionem partem demõſtrationis, & hoc quidem concedo; ſed tunc recedunt ab opinione cõtraria; Quę autem pars ſit, & quomodo pertineat *Secũda.* ad demonſtrationẽ inferius patebit; Hoc etiam cõfirmo; quia, qui dicunt definitionem eſſe inſtrumentum logicum, hoc dicunt, quia aſſerunt definitionem notificare ſubſtantiam, demonſtrationem verò accidens: at nos diximus in Theoremate de regreſſu, quod ſubſtantia, & cauſæ notificantur per demonſtrationem, quia, & per inductionem, accidentia verò, & effectus per demõſtrationem propter quid, vt abundantius oſtendemus in proprio Theoremate; non ergo eſt opus dicere, *The. 9.* quod definitio ſit inſtrumentum notificatiuum ſubſtantiæ. Hoc etiam confirmatur ex conſideratione logicæ Ariſtotelis; ſi enim eam totã ſpectemus, videbimus, quod ſolum in illa agit de inſtrumentis, quæ habent vim illatiuam, & pertinẽt ad diſcurſum, & ſic prout varias ſpecies habent, varios libros confecit, vt libros Priorum, Topicorum, Poſteriorum, Elenchorum, in quibus de forma, vel aliqua ſpecie ſyllogiſmi egit, & libros Perihermenias, in quibus de propoſitionibus egit, & librum Prædicamentorũ, in quo de ter- *Tertia.* minis ſimplicibus egit; Voluit ergo logicam facultatem ſolum eſſe de inſtrumento diſcurſiuo, at definitio non habet diſcurſum, neque vim illatiuam, & ideò nõ eſt inſtrumẽtum logicum; Quod verò definitio non habeat vim illatiuã, patet ex ſe, quia tunc Ariſtoteles de hac ſpecie ſyllogiſtica verba faceret in aliquo libro, vel facere debuiſſet, alioquin eſſet diminutus: hoc non eſt dicendum, & præſertim in facultate, quam ipſe proprio marte ſi non adinuenit, ſaltem maximè exornauit; Quod verò Ariſtoteles in nullo libro agat de definitione, vt eſt inſtrumentum habens vim illatiuam notificãdi ſubiectum, patet; quod ſi quis dicat, quod hæc tractatio habetur in ſecundo Poſteriorum, hoc nõ eſt verũ: quia vt concedamus, quod in ſecundo Ariſt. agat de definitione, non tamen agit quomodo per definitionem via diſcurſus, & cũ illatione notificare poſſimus ſubſtãtiã, & quidditatem ſubſtantiæ, nam à text. 82. vſque ad 47. ptractat illa quattuor de definitione, quæ in illo 8. tex. proponit, ſcilicet, quomodo poſſimus venire in cognitionẽ de quod quid eſt. Secũdum quomodo quod qd eſt, reducatur ad demõſtrationẽ. Tertium quid ſit definitio, & quod quid eſt.

Quar-

Quartum quorum ſit definitio, ſed ferè in tota hac tractatione oſtendit quod quod quid eſt, non poteſt demõſtrari de eo cuius eſt,& tãdem circa tex. 44. & 45. illius 2. Poſt. concludit, quod ſola demonſtratio perfecta, quæ vertitur in definitione, oſtendit quid eſt, quia cauſa, quę facit ſcire, propter quid eſt, facit etiam ſcire quid eſt: ſed illud pertinet ad definitionem accidentis, non ſubſtantiæ, de quibus cauſis agit vſque ad 68. deinde reuertitur ad tractandum de definitione,& de illa agit vſque ad tex. 85. & in hac ſecunda tractatione docet, quomodo poſſimus venari quod quid ſubſtantiæ, ſiue prædicata eſſentialia ſubſtantiæ, quæ ſunt ipſamet definitio,& in proceſſu illo oſtendit, quod adinueniuntur nõ via diuiſiua ſolum, vt voluit Plato, ſed etiam via compoſitiua, quæ eſt demonſtratio a ſigno,& inductio, vt videbimus, non ergo agit de definitione quatenus ipſa habet vim notificandi ſubſtãtiam,& quidditatem rei, ſed docet quomodo quidditas, & eſſentia rei, quæ eſt idem quod ipſa definitio venetur,& noſcatur a nobis; & hoc ait fieri via compoſitiua, quæ eſt quid diuerſum ab ipſamet definitione, ſcilicet demonſtratio à ſigno,& inductio.

Zab. opin. Zabarella hãc eandẽ ſententiã multis in locis in ſuis Operibus logicis ſuſtinet, ſcilicet, quod definitio non ſit inſtrumentũ logicum,& primò arguit ſic. In 3. lib. de Method. c. 13. Omne inſtrumentũ logicũ eſt diſcurſus à noto ad ignotum: ſed *Prima ratio.* definitio non eſt diſcurſus à noto ad ignotũ, ergo definitio nõ eſt inſtrumentũ logicũ: maior probatur ex nomine facultatis logicæ, logica enim dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου Græcè, ideſt à ratione,& diſcurſu; vnde ipſa eſt ratiocinatiua,& qui diceret logicã ſine ratione,& diſcurſu eſſe, eſſet ac ſi diceret calidum ſine calore; de ratione ergo logicæ eſt, quod ſit diſcurſiua,& cõſequenter inſtrumenta logica ſi debẽt reuera eſſe logica, debent habere diſcurſum à noto ad ignotũ; Minor probatur: quia in definitione non eſt diſcurſus, neque eſt inſtrumentũ diſcurſiuũ manifeſtãs ignotũ ex noto; Hoc autẽ probat Zabarella lõgo diſcurſu in c. 12. 13.& 14. eiuſdẽ tertij de Methodis, non enim in definitione fit diſcurſus à parte ad partẽ, vt à parte definitionis notæ ad partẽ definitionis ignotã, quia omnes illæ particulæ definitionis nõ ſunt quid plura, ſed quid vnum integrũ, veluti definitum eſt vnum integrũ. Præterea, ſi eſſet illatio, oporteret à genere arguere ad differentiã, quia genus ſemper priori loco ponitur, ſed hęc illatio eſt nulla; non enim valet: Franciſcus eſt animal, ergo, eſt rationalis; neque poſſumus dicere, quod ſit illatio à definito noto ad definitionem ignotã: quia tunc eſſet illatio ab eodem in idẽ; quia definitio,& definitum ſunt idem. Sed præter hoc poſſumus nos confirmare, quia talia illatio eſt contra naturã, nam definitio eſt, quæ notificat definitum, non quæ notificatur à re; neque eſt proceſſus,& diſcurſus à tota definitione ad definitum: quia definitio eſt idem re cum definito, ſicuti nomẽ eſt idem re cum re nominata,& ſignificata per ipſum,& ſic cum ſint idem, ſi definitio eſt nota, neceſſariò quoque definitum eſt notũ,& ſi definitio ſit ignota,& definitum ignotum eſſe neceſſe eſt, ſicuti,& nomen ſi eſt notũ, eſt quoque res ipſa nota, ſi nomẽ ignotũ, eſt res ignota; ſolùm differt in hoc definitio,& nomen, quod nomen ſignificat rẽ confusè, definitio ſignificat rem diſtinctè, quia ſignificat quidditatẽ; ſi ergo definitio eſt ignota,& quidditas eſt ignota, ſi eſt ignota quidditas,& definitio eſt ignota; vnde poteſt ſic formari ratio. Si definitio eſt inſtrumentũ logicum,& nomen,& verbum ſunt inſtrumẽta logica; cõſequens eſt falſum, vt omnes concederent; conſequẽtia probatur: quia ſicuti ſe habet nomen ad rẽ, ita definitio ad quidditatem, quia ſicuti nomen ſignificat rem confusè, ita definitio ſignificat quidditatem rei diſtinctè, neque poteſt eſſe diſcurſus à partibus definitionis ad totam definitionem, vt oſtendit Zabarella libro eodem, cap. 14. quia partes definitionis ſunt ipſamet tota definitio, partes autem ſimul collectæ non differunt à toto; non ergo à partibus definitionis ad totam definitionem eſt illatio, quia eſſet illatio ab eodem ad idem: verum eſt quidem partes definitionis cognoſci poſſe, antequam cognoſcantur ineſſe definito, vt partes eſſentiales,& vt definitio,

deinde cognoſci, vt prædicata eſſentialia, & conſtituentia definitionem definiti, ſed hęc ſecunda cognitio non illatiuè deducitur ex prima, quia vt Ariſt. oſtendit in 2. Poſt. quod quid eſt non poteſt oſtendi de eo, cuius eſt; non enim poſſumus vlla methodo oſtẽdere hoc prædicatum rationale ineſſe homini in eo quod quid eſt, ſed per ſe nobis innoteſcit, vel ab experientia, vel ab effectibus, vel alia via, vt inductione, & denique via reſolutiua, vt proprio loco dicam. Quando autem ignorantur partes definitionis ſubſtantiæ omnes, vel aliquæ, cõfugere debemus ad methodum reſolutiuam, quæ illas notificat, & inuenit definitiones ſubſtantiæ, vt ipſe in 3. lib. de Methodis oſtendit, cap. 17. ſed tamen cum ſint notæ, non habent vim illatiuam ad definitionẽ totam, quia cum ipſæ ſunt notæ, eſt quoque nota tota definitio, quia ipſæ ſunt tota definitio.

Secũda rõ. Secundò ſic arguit ibidem Ariſt. 1. de Anima, tex. 4. & 5. vbi quærit, an ſit vna cõmunis methodus inueſtigandi ſubſtantiam, & quid eſt in omnibus ſubſtantijs, & nominat aliquas methodos; ſubiungit enim, an demonſtratio, & diuiſio, an aliqua alia methodus; quęrit itaque, an methodus inueſtigandi ſubſtãtiam, & quid eſt rei, ſit demonſtratio, vel diuiſio, vel aliqua alia; ex hoc ſic arguit. Si definitio eſt communis, methodus inueſtigandi ſubſtantiam rei, ad quid Ariſt. quæreret, an ſit demonſtratio, vel diuiſio, vel aliquid aliud? certè ex hoc innuit Ariſt. quod definitio nõ eſt inſtrumentum notificandi quid eſt ſubſtantiæ, Sed potius, quod ipſa eſt finis, & ſcopus demonſtrationum, & aliarum methodorum.

Tertia ratio. Pręterea, ſubſtantia cognoſcitur à nobis per demonſtrationem quia, & per methodum reſolutiuam: ergo definitio non eſt inſtrumentum notificandi ſubſtantiam: antecedens probatur in proprio quæſito, conſequentia probatur: quia tunc alterum ſuperflueret.

Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur. Cap. 11.

Petrella. Contra hãc opinionẽ arguitur à multis, & præcipuè à Bernardino Petrella, 2. libro ſuarum diſputationum logicarum cap. 2. qui ſuſtinet definitionem eſſe inſtrumentum logicum, ſed ſine vi illatiua; ait enim, quod duplex eſt inſtrumentum logicum, ſcilicet notificans cum ratione, vt demonſtratio, & notificãs ſine ratione, vt definitio; arguit autem ſic Definitio conſideratur à logico, ergo definitio eſt inſtrumentum logicum; antecedẽs clariſſimum eſt ex Ariſtot. in 7. Metaph. tex. 42. & ex Auerroe ibidem, conſequentia probatur; modus conſiderandi logici eſt vt inſtrumẽtum, ita quod omnia, quæ conſiderat logicus, conſiderat vt inſtrumenta ſciendi, & notificandi, & hoc habetur ex Auerroe in prologo primi Poſt. ergo definitio eſt inſtrumentum logicum. *1. rõ.*

2. rõ. Secundò Ariſtoteles in 6. Top. cap. 1. & 3. ait definitionem facere, vt cognoſcatur ſubſtantia, ſiuè ſubſtantia accipiatur pro eſſentia rei, ſiue ſit accidens, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accipiatur pro ipſamet ſubſtantia contradiſtincta ab accidentibus.

3. rõ. Tertiò, Philoſophus in 2. Poſt. capitulo 2. habet hæc verba. Amplius ſi definitio ſubſtantiæ quædam cognitio eſt, & cætera) vult denotare Ariſtoteles per illud verbum, quædam cognitio eſt, quod cognitio acquiritur nedum per rationem, ſed etiam ſine, & ſic cognitio ſubſtantię poteſt acquiri per definitionem, licet definitio non ſit inſtrumentum cum ratione, & diſcurſiuum.

4. rõ. Quartò, in eodẽ loco proponit, an idẽ poſſit ſciri per definitionẽ, & per demõſtrationẽ, ergo videtur velle Ariſtoteles, quod definitio ſit inſtrumẽtũ faciens ſcire, alioquin eſſet vanum talem quęſtionẽ proponere.

5. rõ. Quintò ſeptimo diuinorum ex Ariſtotele tex. 4. nulla eſt melior, atque pręſtantior ſcientia ea quę eſt acquiſita per definitionem,

6. rõ. Sextò, Philoſoph⁹ 1. de Anima, & 1. Metaph. tex. 48. vtrobique vult omnes diſciplinas vti pro ĩſtrumento, definitione, & demonſtratione; (hęc n. ſunt verba Philoſophi.) Atqui omnis diſciplina per pręcognita omnia, aut aliqua eſt, & aut per definitionẽ, aut per demonſtrationem, & ſic concludi poteſt, quod etſi definitio non ſit inſtrumentum habens vim illatiuam, eſt tamen inſtrumentum logicum pariens ſcientiam.

Bald. Hieronymus Balduinus in ſuo quęſito, vtrum

vtrum nobilius inſtrumentum ſit definitio, vel demonſtratio, duab. rationibus oſtendere nititur definitionem eſse nobilius inſtrumentum demonſtratione: ſupponit autem, quod definitio ſit inſtrumẽtum cognoſcendi, & notificandi ſubſtantiam, ſicuti demonſtratio notificat accidens. 1. rō. Prima eius ratio eſt hęc. Illud eſt nobilius inſtrumentum logicum, ad quod omnia logica inſtrumenta reducuntur, ſed omnia inſtrumẽta logica reducuntur ad definitionem; ergo; Hæc minor probatur ab eo multis auctoritatibus Auerrois, qui multis in locis dicit demonſtrationem reduci ad definitionem; ex hac ratione poteſt ſic argui. Si ergo demonſtratio reducitur ad definitionem tamquam ad nobilius inſtrumentum logicum: ergo 2. rō. definitio eſt inſtrumentum logicum. Secunda ratio eſt hæc. Illud inſtrumentum eſt nobilius, quod verſatur circa nobilius ſubiectum, & quod cauſat ſcientiam de nobiliori ſubiecto, & etiam quod habet nobilius medium, ſed definitio verſatur circa nobilius ſubiectũ, quia circa ſubſtãtiam, & habet nobilius medium, quia notificat per cauſam formalem, ergo. Hæc minor non probatur ab ipſo; ex hoc arguitur, ergo ſi definitio notificat ſubſtantiã, & per cauſam formalem definitio eſt inſtrumentum logicum. Balduinus itaque ſuſtinet definitionem eſſe inſtrumentũ, & raciocinatiuum; Sed Petrella, & nonnulli alij, eſſe inſtrumentum logicum ſine ratione. Reij- citur. Pro nunc tamen poſſumus vnica ratione contra Petrellam arguere; ait, quod datur aliquod inſtrumentum Opi- nio Petr. logicum, quod parit ſcientiam abſque ratione: hæc enim ſunt verba eius ĩ 2. lib. cap. 1. (pars autem inſtrumentaria ſciẽtię notificãdo inſeruiens, id præſtat, vel cum ratione, vel ſine ratione, ſi cũ ratione, appellatur inſtrumentum demõſtratiuum, ſi ſine ratione, appellatur inſtrumentum definitiuum, vel definitio) quæro ab ipſo quomodo aliqua propoſitio ſciri poſſit abſque ratione? quænam poteſt eſſe ſcientia abſque ratione? & conſequenter, q̃nã inſtrumentum erit illud, quod notificat aliq̃d abſque ratione? certè omne, quod ſine ratione profertur, videtur inſulsũ, & ſtultum dictũ; ſi autẽ velit dicere, vt nos dicimus, quod datur aliquod inſtrumentum logicum, quod notificat aliquid, id eſt ſignificat, & explicat aliquid ſine ratione, hoc vltrò damus, neque enim talia inſtrumenta nata ſunt notificare aliquid ratione; ſed negamus huiuſmodi inſtrumentum debere dici logicum: quia tunc nomen, verbũ, propoſitio, oratio, & multa alia, erunt inſtrumẽta logica, quod eſt abſurdum. Sed hęc opinio ſatis confutata eſt ex his, quæ dicta ſunt ſuprà in præcedenti c. ideò ad Rationes reſpondetur. Ad primam nego conſequentiam, & probatio eſt nulla, quia logicus cõſiderat decem prędicamenta, propoſitiones, principia demonſtrationis, conſiderat queſtiones, & multa alia, quæ tamen nõ ſunt inſtrumenta notificandi, & ſciendi, ſed partes, vel principia inſtrumenti ratiocinatiui; ideò bene ſequitur, logica eſt ſcientia inſtrumentalis? ergo quidquid conſideratur à logico, vel eſt inſtrumentum ſciẽdi, vel pars eius, vel principium, vel finis, ſed non ſequitur, ergo quidquid conſideratur à logico, eſt inſtrumentum per ſe diſtinctũ ab alijs, definitio autem eſt pars demonſtrationis. Ad ſecũdam dico, quod Ariſtoteles in illo 6. lib. cap. 1. ait, quod definitio debet dari p̃ verba magis nota, & perſpicua, & quæ ſint propria, & clarè declarantia quidditatẽ, & eſſentiam rei, non tamen propter hoc dicit, quod illa verba, per quæ explicatur, & ex quibus cõſtituitur definitio habeãt vim illatiuã, ſolùm ſunt declaratiua definiti, veluti vna vox eſt notior, & clarior altera voce; & ſic ex hoc loco habemus, quod definitio eſt oratio complexa, & inſtrumentum ſignificatiuum eſſentię rei, ſiue illa res ſit ſubſtantia, ſiue ſit accidens, non autem eſt inſtrumentum notificatiuum, & ſic non eſt inſtrumentum logicum. Ad tertium dico: quod illa verba dicunt, quod definitio eſt cognitio ſubſtantiæ, ſiue oratio ſignificatiua ſubſtantiæ, & hoc ego concedo, non tamen propter hoc ſequitur, quod habeat vim illatiuam, & vim notificandi, ſolum ſignificat ſubſtantiam: tale autem inſtrumentum non eſt inſtrumentum logicum. Ad quartum dico, quod Ariſtoteles ibi proponit, an omne definibile ſit demonſtrabile, &

Ad 1 Ad 2. Ad 3. Ad 4.

omne demonſtrabile ſit definibile,& propterea verum eſt, quod Ariſtoteles proponit, an idem ſciri poſſit per definitionem,& per demonſtrationem,ſed poſtea concludit in tex. 19. poſtquam ad vtramque partem multum diſputauit,quod nõ poteſt idem ſciri per definitionem,& per demonſtrationem;& ratio eſt in hoc poſita: quia definitio non oſtendit aliquid de aliquo,ſed illud eſt demonſtratio;definitio verò ſolùm ſignificat, & declarat quid, & propterea non eſt inſtrumentũ notificatiuum; propoſuit autem hoc in quæſtionem, quia aliquĩ exiſtimabant, quod idem poſſit ſciri per definitionem, & per demonſtrationem. Ad quintam dico,quod Ariſtoteles 7. Metaph.tex.4.nõ ait ſcientiam acquiſitam definitione eſſe præſtantiorem, vt videre eſt in textu ſed dato, quod hoc dicat ibi, vel alibi,ſenſus eſt,quod illa cognitio,quæ eſt per definitionem,eſt omnium præſtantiſſima,quia eſt cognitio eſſentię rei,tamen hęc cognitio non habetur vi definitionis,ſed ratione demonſtrationis à ſigno,vel inductionis, definitio ſolùm ſignificat eſſentiam, non autem notificat. Ad ſextam dico in 1.Metaph.tex.48.& primo de Anima loqui contra Antiquos, vnde ſæpè accipit propoſitiones ab illis conceſſas:& quia aliqui eorum iudicabant definitionem parere ſcientiam, propter hoc dicit, quod omnis ſcientia acquiritur,vel per demonſtrationem, vel per definitionem; tamen cum ipſe loquitur ſecundum propriam mentem,nunquam dicit, quod definitio pariat ſcientiam, eſt enim ridiculum dicere definitionem parere ſcientiam, ſed ſine ratione.

Ad 5. *Ad 6.*

Ad 1. Ad rationes Balduini patet,quod cõtra nos nihil cõcludunt. Ad primã, negamus, quod omnia,quę tractãtur in logica,redu cantur ad definitionẽ tamquam ad nobilius inſtrumẽtum,quod nõ probatur niſi auctoritatib. Auerrois male ĩtellectis,& quas non ſuſtinemus. *Ad 2.* Ad ſecũdã falſa eſt maior,& minor; maior eſt vera tãtum in ſciẽtijs realibus in quib. attenditur nobilitas ratione ſubiecti,ſed in logicis inſtrumẽtis,in quib. conſideratur nobilitas pęnes vim illationis,& efficacitatẽ cõcludẽdi,nõ eſt vera; in propoſito autem ſit ſermo de demõſtratione,& definitione,quę ſunt logica inſtrumenta; minor etiam eſt falſa,quia definitio nõ notificat ſubſtantiã,neque vtitur cauſa formali, cum ipſa nõ vtatur medio, ſed ipſa eſt medium in demonſtratione potiſſima,& ſic definitio reducitur ad demonſtrationem, vt pars ad totum.

THEOREMA XVII.

Omnia per demonſtrationem cognoſcimus, ſcilicet tàm ſubſtantiam, quàm accidens.

Exponitur propoſitum Theorema, & confirmatur, & declaratur quid ſit definitio. Caput vnicum.

Occurit quædam difficultas non leuis ex dictis:nam ſi definitio nõ eſt inſtrumentum logicum,& nobis non notificat ſubſtãtiam, quodnam ergo inſtrumentum erit iſtud, quod nobis notificat ſubſtantiam? Reſpondeo abſolutè, quod per ſolam viam ratiocinatiuam venire poſſumus in cognitionem tam ſubſtantiæ,quàm accidentis,quia ſola inſtrumẽta,quæ habent vim illatiuam, ex noto ad ignotum poſſunt notificare nobis, & parere cognitionem; duæ autem ſunt ſpecies methodorum,ſiue argumentationũ, & inſtrumentorum notificantium rem ignotam; ſcilicet methodus compoſitiua,& methodus reſolutiua, methodus cõpoſitiua eſt ſyllogiſmus procedens per cauſã ad effectũ,methodus reſolutiua eſt ſyllogiſmus procedens ab effectu ad cauſam,methodus cõpoſitiua nõ diuiditur ĩ plures ſpecies, ſed methodus reſolutiua diuiditur in duas ſpecies,ſ.in demõſtrationẽ,quia,& ĩ inductionẽ;modò,ꝙ hę duę methodꝰ ſufficiãt,probatur ex reb.cognoſcẽdis,duo enim ſunt,quę à nobis cognoſci poſſunt, ſcilicet ſubſtãtia,& accidens, accidẽs cognoſcitur ſolum per cauſã propriam, quia accidẽtia cõmunia non pertinẽt ad ſcientiam, ſed ſolum accidentia propria, hæc autem ſolùm cognoſci poſſunt per cauſam propriã,& ita ſolùm poſſunt cognoſci per demõſtrationem propter quid,vt abundè dictũ eſt ſupra. Subſtantia

Dubitatio. *Reſpõſio.*

Quo ſubſtantia cognoſcatur. Subſtantia autem non poteſt cognoſci per cauſam, quia non habet cauſam, ſolùm ergo cognoſci poteſt per effectus,& ideò poteſt notificari ſolum per demonſtratio nem quia,& per inductionem, quæ procedunt ab effectibus ad cauſam, cognoſcitur autem ſubſtantia hoc modo. Subſtantia perfectè cognoſcitur,cum cognoſcitur eius definitio,definitio autem tunc cognoſcitur, & habetur, cum habentur prædicata quidditatiua integrantia ipsã definitionem; hæc autem prædicata eſſentialia non poſſunt cognoſci per demõ ſtrationem propter quid; quod patet ex Ariſtotele in ſecundo Poſteriorum, vbi oſtendit,quod quid eſt non poſſe demon ſtrari de eo cuius eſt. Reliquum eſt itaque quod à poſteriori ſiue per aliquos effectus, & per accidentia, ſubſtantię cognoſcantur, vt ait Ariſtoteles primo de anima,textu 11.accidentia magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt,& ſic per ſigna venimus in cognitionem prædicatorum eſſentialium, & conſequenter quidditatis,& eſſentiæ ſubſtantiæ, quæ eſt cauſa illorum accidentiũ,vti fecit Ariſtoteles in 8. Phyſ.qui per effectus primi motoris, & præſertim per motum venit in cognitionem eſſentiæ primi motoris;& alibi ſæpè idẽ effecit.Quomodo autem propoſitiones demonſtrationis ab effectu ſint veræ, & neceſſariæ, dictum eſt in quæſtione de regreſſu c. 1. & 2.Et in Theoremate 11. Poſſumus etiã dicere pro nunc, quod propoſitiones demõſtrationis ab effectu ſunt neceſſariæ, quia illæ conſtant ex effectu,& cauſa proxima, inter quas eſt cõnexus neceſſarius, ſed talis connexus notificatur experiẽtia; vndè per multum examen effectus,& col latione eius ad cauſam, cognoſcitur cauſa diſtinctè; Venamur etiã prædicata eſſẽtialia,& definitionẽ ſubſtantiæ per inductionẽ,quæ eſt ſpecies ipſius methodi reſolutiuæ,vt docet Ariſt.in 2. Poſt.à textu 69.& infra; poſtquã enim refutauit opinionem Platonis,qui dicebat definitionẽ adinueniri via diuiſiua,vt patet ĩ tex. 73. docet diuiſionem cũ inductione, quã ibi appellat viã compoſitiuam eſſe vtilẽ; Diuiſio enim ſola nihil probat, quia non habet vim illatiuã, ſed inductio habet vim

Theore 9.

illatiuam, quia reducitur ad ſyllogiſmũ, & ex ſingularibus notis inducit cognitionem vniuerſalis; ex eo enim quod aliqua prædicata experimur ineſſe multis ſingularibus, inferimus illa ineſse vniuerſali; vnde via cognoſcendi prædicata eſsentialia ſpeciei,eſt accipere prædicata, quæ cõ petunt omnibus indiuiduis illius ſpeciei, & ſolis indiuiduis illius ſpeciei, vt dicere ſic.Franciſcus eſt rationalis,Antonius eſt rationalis,Socrates eſt rationalis, ſed iſti ſunt homines,ergo omnis homo eſt ratio nalis;ecce quod inductione cognoſcimus prædicata eſsentialia ſpeciei, & ſic venimus in cognitionem definitionis ſubſtantiæ per inductionem. Ex his patet inductionem ducere nos in cognitionem ſubſtantiæ, quia inductio ducit nos in cognitionem prædicatorum ſubſtantiæ vniuerſalis, ex eo quod noſcimus illa prædicata ineſse ſingularibus illius vniuerſalis; cognoſcimus autẽ illa prædicata quidditatiua ineſse illis ſingularibus ex effectibus ſingularium, & ita per experientiam venimus in cognitionẽ ſubſtantiæ ſingularium, & ex cognitione ſubſtantiæ ſingularium, poſtea per inductionẽ venimus in cognitionem vniuerſalium ſubſtantiarũ; adeò,quod experientia eſt radix, & fundamẽtũ ſcientiæ,& præcedit inductionẽ; vndè hic eſt ordo noſtræ cognitionis, ad ſunt ſingularia in rerũ natura, iſta producunt ſuos effectus per ſuas proprias formas ſubſtantiales, cognoſcimus effectus illos experientia, illos incipimus examinare, & comparare ad ſuas cauſas per experientiã, & ſic venimus in cognitionẽ cauſarũ illorũ effectuum in illis ſingularibus,deinde inductione cauſas illas, & formas, quę ſunt in ſingularibus concludimus ineſse vniuerſalibus,vt ſpeciei, & gñri, & facimus propoſitiones vniuerſales,quę poſtea ſunt principia Demonſtrationis,quia exemplũ ex Ariſt.1.Poſt.cap. 10.Omne nõ ſcintillans prope eſt,Planetæ non ſcintillãt,ergo Planetæ prope sũt. maior, & minor experientia notæ ſunt, quia enim experientia compertum eſt, quod hæc ſtella, quando eſt prope, non ſcintillat, & ſimiliter illa, & illa, & ſic de alijs,inductione facta eſt hæc propoſitio maior, omne ſydus nõ ſcintillãs prope eſt,

pe eſt, eodem modo nota facta eſt minor; per hanc demonſtrationem colligitur hoc prædicatum de Planeta eſſe prope nos, quod eſt prædicatum eſſentiale ingrediens eius definitionem, vel ſaltem gerit vicem prædicari eſſentialis, quia nō habere poſſumus eſſentialiorem; aliud exemplum; volo probare, quod homo eſt rationalis, dico ſic: Omne animal quod proficit in cognitione, eſt diſcurſiuum, homo proficit in cognitione, ergo homo eſt diſcurſiuus, ſiue rationalis; maior eſt ex terminis euidens, minor patet inductione; ecce quod per demonſtrationem quia, inueſtigaui prædicatum eſſentiale, & quidditatiuum hominis, ergo experiētia fit inductio, per inductionem fiunt propoſitiones vniuerſales, quæ ſunt principia demonſtrationum à poſteriori, & ita per demonſtrationem quia, inueſtigamus prædicata eſſentialia ſubſtantiæ conſtituentia definitionem ipſius: vide Theoremate 88. deinde poſtea fit regreſſus ab illis cauſis diſtinctè cognitis, ad illos effectus.

Tamē inductio, p ſe ſola cum diuiſione ſufficit eo modo, quo explicat Ariſt. 2. Poſt. tex. *69.* nam exempli gratia; accipio genus hominis notiſſimum, vt quod eſt ſubſtantia, & deinde diuido illud, dicens: ſubſtantia alia animata, alia inanimata, cognoſco quod homo eſt ſubſtantia animata, quia inductione fundata ſuper experiētiam video quod Socrates eſt animatus, Petrus eſt animatus, & ſic de alijs, ideo concludo, ergo homo eſt animatus. Sed vt hoc melius intelligatur, nota, quod ex Ariſtotele in proęmio Metaphyſicæ experientia differt ab arte: quia experientia verſatur circa ſingularia, vt ſingularia ſunt, ars verò verſatur circa ſingularia, nō vt ſingularia ſunt, ſed vt ſunt vniuerſalia; experimentum enim vnum fit ex multis memorijs particularibus, vt quia recordor hoc reubarbarum purgaſſe coleram in hoc, & in hoc, &c. fit hoc experimentum, quod reubarbarum purgat coleram, perſiſtendo tantum in conſideratione reubarbari, & coleræ, vt ſingularia ſunt abſque vlla abſtractione naturæ vniuerſalis: Ars verò fit ex illis ſingularibus, quatenus intellectus procedit vlterius ex multa collatione illorum ſingularium; & conditionum adinuicem, ad cognitionem alicuius naturæ vniuerſalis in illis ſingularibus, quod fit inſtrumento inductionis; hæc enim ex multis ſingularibus eodem modo ſe habentibus colligit vniuerſale; & hoc eſt, quod Ariſtoteles in eodem proęmio dicit, artem, ſiue ſcientiam fieri ex experientia, experientia ergo eſt fundamentum ſcientiæ, & per ipſam probātur principia demōſtrationis quia, in quibus aſſumitur effectum ineſſe cauſæ, & ſubiecto, & etiam eadem experientia probātnt propoſitiones ſingulares inductionis, quæ ſimiliter aſſumunt effectus ineſſe ſuis cauſis, vel proprijs ſubiectis. Ex hoc etiam apparet, quid ſit definitio; ego quidem exiſtimo, quod definitio ſubſtantiæ nil aliud ſit, niſi quoddā principium, quod appellatur ſuppoſitio, vt apertè Ariſtoteles pronunciauit in primo Poſt. tex. 14. vbi ait, quod definitio quædam poſitio eſt, & cōfirmatur: quia eodem modo eius cognitio acquiritur, quo docuit Ariſt. vlt. cap. 2. Poſt. acquiri cognitionem principiorum; nam ſicuti experientia principia cognoſcūtur, ita definitionis cognitio mediante experiētia habetur; per experientiam enim nobis notæ fiūt propoſitiones demonſtrationis ab effectu, qua venimus in cognitionē prædicatorum eſſentialiū ſubſtātiæ, vt dictū eſt ſuprà. Similiter notificatur inductione, vt dictum eſt; adeò quod non eſt laborandum quomodo ipſa ſit inſtrumētum logicum, cum non notificet, ſed ſolùm ſit inſtrumentum ſignificandi, veluti cęterę orationes complexę, & hoc maximè verificatur de definitione, ſubſtantiæ, quæ ſola eſt principium demonſtrationis, eſt enim medium, loquendo verò de definitione in communi ad definitionem ſubſtantiæ, & accidentis, eſt dicendū, quod eſt inſtrumentum ſignificandi, vt cęteræ voces ſimplices, vel complexæ, & ita genus proprium definitionis eſt inſtrumentum ſignificandi, differentia faciēs ipſam differre ab alijs vocibus eſt ſignificare quidditatem rei diſtinctè; per hanc enim differentiam differt ab alijs vocibus, & maximè à nomine: quia cæteræ voces cōplexæ non ſignificant quidditatem rerū,

nomen

nomen verò ſignificat quidditatem, ſed in confuſo.

Ex hoc patet etiam, quod definitio eſt vltimus ſcopus demonſtrationis: nam ſcopus demõſtrationis propter quid, eſt definitio perfecta accidentis, quia eſt tota demõſtratio ſola poſitione terminorum differens: ſcopus demonſtrationis quia, eſt definitio ſubſtãtiæ, quę poſtea eſt principium in demonſtratione propter quid; nihil enim tandem ſcire quærimus per inſtrumenta ſyllogiſtica, niſi ſcire omne ſcibile per rationem, ſcibile autem eſt duplex, ſcilicet, ſubſtantia, & accidens; cum ergo ſcimus quid ſit ſubſtantia, & quid ſit accidens, per rationem habemus omnem ſciẽtiam poſſibilem, & quieſcimus. Vndè Ariſtoteles poſtquam in 1. Poſteriorũ & 2. maxima in parte docuit quomodo definitionem accidentium per demonſtrationem propter quid inueſtigare poſſimus; in ſecundo à tex. 69. vſque ad 84. docet, quomodo definitionem ſubſtantiæ, quæ eſt indemonſtrabilis à priori inueſtigare poſſimus; & docet quod à poſteriori præter alios multos locos, vt ſupra diximus.

Obiectio Petrella. Sed quo ad id quod diximus demonſtrationem quia, oſtendere, & inueſtigare definitionem ſubſtantiæ, arguit Petrella hoc modo. Demonſtratio quia, oſtendit ſolùm principia demõſtrationis propter quid, quando ſunt ignota, nõ autem prædicata quidditatiua ſubſtantiæ, ergo demonſtratio, quia, non poteſt notificare quidditatem ſubſtantiæ. *Solutio.* Reſpondeo, quod hæc obiectio confirmat meam ſententiam: quia ſi demonſtratio, quia, oſtẽdit principia demonſtrationis propter quid, hæc ſunt ipſummet medium, vt diximus in Theoremate de medio demonſtrationis, medium eſt definitio ſubiecti, vt dictum eſt in eodem Theoremate de medio demonſtrationis, ergo demonſtratio, quia, dum oſtendit principia propter quid, oſtendit prædicata quidditatiua, & ipſam definitionem ſubiecti, quæ eſt ſubſtãtia. *Obiectio.* Sed cõtra, definitio non poteſt demonſtrari de definito per vllum ſyllogiſmum, ex 2. Poſt. *Solutio.* Reſpondeo, quod hoc dicit Ariſtot. de demonſtratione, propter quid, nõ tamen negat hoc fieri poſſe per demonſtrationem, quia, & per inductionem: immò in 2. lib. Poſteriorum, vt dictum eſt, docet definitionem venari non poſſe ſola diuiſione, ſine compoſitione, quæ eſt inductio, vt ibi manifeſtat. *Obiectio.* Sed hic eſt aliud dubium: dicitur comuniter, quod agere de definitione, pertinet ad Metaphyſ. & hoc eſt verum, vt videre eſt apud ipſum 7. Metaphyſ. vbi longo ſermone tractat de quod quid eſt rerum, ergo non pertinet ad logicum agere de definitione.

Solutio. Breuiter reſpondetur, quod definitio conſideratur à Logico, & à Metaphyſico, ſed diuerſo modo. Pro cuius intelligentia eſt notandum, quod definitio nõ poteſt conſiderari, quod ſimul non conſideretur quidditas, quæ explicatur per definitionem, nec poteſt cõſiderari quidditas, quod ſimul non cõſideretur definitio, quæ eſt vox complexa explicatiua quidditatis, quia ſunt ſimul maximè cõnexa. Ad propoſitum dico, quod Metaphyſicus conſiderat quidditates rerum, & conſequenter conſiderat definitionẽ, ſed primò quidditatem, ſecundario definitionem; logicus è conuerſo conſiderat principaliter definitionem, vt eſt vox cõplexa, ſed ſecundariò quidditatem explicatam per definitionem; ratio huius eſt: quia Metaphyſicus agit de omni ente vt ens eſt, & ſic agit de quidditate, & eſſentia rerum in communi; logicus autem cõſiderat inſtrumenta explicantia res, vt ſunt nomen, verbum, oratio, &c. & etiam conſiderat inſtrumenta notificantia per diſcurſum, vt eſt ſyllogiſmus, definitio pertinet ad inſtrumenta primi generis, & hoc modo non eſt inconueniens, quod definitio dicatur inſtrumentum logicũ, ſed ſecundo modo eſt inconueniens; communiter autem inſtrumenta logica illa ſola dicuntur, quæ ſunt diſcurſiua, & habent vim illatiuam, & illa principaliter conſiderantur à logica, & propriè logica inſtrumenta dicuntur.

THEOREMA XVIII.

Facilior modus noſtræ cognitionis eſt norma ordinis doctrinæ.

Opinio Scoti, & aliorum. Cap. I.

COmmuniter omnes dicunt, ordinẽ doctrinæ eſſe habitum inſtrumentalem, quo docemur partes cuiuſque diſciplinæ conuenienter diſponere, & ordinare, ſed quænam ſit norma, & regula conuenienter diſponendi partes ſcientiæ, in qua conſiſtit tota eſſentia ordinis, eſt valdè dubium: nam ſi ignoramus normam, & regulam ſecundum quam partes ſciẽtiæ, vel ſcientiæ ad inuicem debent diſponi, ignorabimus, an partes illæ ſint rectè diſpoſitæ, vel non, & ignorabimus verum ordinem, & ideò his temporibus non leuis controuerſia orta eſt inter viros doctos de hac norma.

Scot. Scotus de hac re parum loquitur: quia ſuo tempore non vertebatur in dubium, vnde ſimul cum Auerroe, & Ariſtotele ſuſtinet, quod hæc norma ſit facilior modus noſtræ cognitionis, & exiſtimat tunc partes ſcientiæ eſſe rectè diſpoſitas, cum primo loco ponuntur illæ partes, quas facilius addiſcimus, & ex quibus faciliorẽ aditum habemus ad alias partes ſciẽtiæ adipiſcendas; non itaque naturalis ordo rerũ ſed facilior, & melior noſtra cognitio erit norma ordinis doctrinæ. Hãc eſſe opinionem Scoti deſumitur ex 1. Sent. diſt. 2. quæſtione ſecunda, vbi loquitur de primo cognito, nam ſecundum argumentum pro ſua opinione eſt hoc. Metaphyſica ordine doctrinæ eſt vltima ſcientia, & tamen ipſa agit de principijs omnium aliarum ſcientiarum, eſt enim velùti Regina: & aliæ ſcientiæ non probant propria principia, ſed relinquũt hoc munus Metaphyſicæ, quæ probat principia aliarum ſcientiarum: Philoſophia naturalis itaque ordine doctrinæ eſt prior; ſi ergo quæratur quare Ariſtoteles primo loco ipſam propoſuit, certè non eſt dicẽdum, quia naturalis ordo rerum hoc expoſtulabat, quia naturalis ordo rerum expoſtularet, quod primò ageretur de Metaphyſica, quæ agit de principijs primis omnium rerum communiſſimis, non de Phyſica, in qua agitur de rebus ſenſibilibus. Dicendum eſt ergo, quod hoc factũ eſt, quia Philoſophia naturalis eſt facilior, vt quæ eſt de rebus ſenſibilibus, quas facilè addiſcere poſſumus, & poſtea ex illa cognitione ad Metaphyſicam aſcendere quiſque poteſt facilè. Ex hoc deducitur ergo, quod norma recti ordinis doctrinæ eſt facilior noſtra cognitio, ita quod cum primò tractamus res faciliores cognitu, & aſcendimus ad difficiliores, ſeruamus ordinem rectum doctrinę, licet non ſeruetur ordo naturalis rerum: hæc eſt intentio Scoti.

Mercenarius hanc eãdem opinionem ſuſtinet in ſuis Dilucidationibus, & Zabarella lib. 1. de Methodis, cap. 6. *Opinio Mercenarij.*

Mercenarius adducit has rationes. Ariſtoteles 1. Phyſ. tex. 4. aſſignans ordinem procedendi in principijs ſcientiæ naturalis, ait ab vniuerſalioribus eſſe incipiendum, & rationem huius adducẽs, inquit, quia ſunt nobis notiora, ergo ordinis norma eſt facilior noſtra cognitio, non ordo naturalis rerum; Quod ſi quis dicat illam propoſitionem pertinere ad viam doctrinæ, & eſſe concluſionem ſyllogiſmi de via facti in 2. & 3. tex. hoc impugnat, quia tunc Ariſtoteles prætermiſiſſet ordinem doctrinæ, quod tamen non eſt dicendũ: Præterea, vt patet, ibi loquitur de ordine doctrinæ, non de via. Secunda, ſi ordo doctrinę à naturali rerum ordine eſſet deſumendus, debuiſset Philoſophus prius agere de plantis, quàm de animalibus, quia plantæ ſunt communiores, & priores, tamen voluit agere prius de animalibus, quia ſunt notiora, vt dixit in lib. de longitudine, & breuitate vitæ, ergo. Tertia Philoſophus 5. Metaph. tex. 1. ait principium doctrinę non ſemper eſt principium rei, ſed vndè quis facilè adiſcere poteſt, ergo norma ordinis doctrinę eſt facilitas noſtrę cognitionis. *1. rõ. 2. rõ. 3. rõ.*

Zabarella alias rationes adducit. Prima; ſi norma ordinis doctrinę eſſet naturalis ordo rerum, ſequeretur dari ſolũ ordinem compoſitiuum, ſed conſequẽs eſt falſum. Probatur conſequentia: quia in omnibus rebus principia, & ſimplicia sũt priora natura effectibus, ergo in cognitio- *Opin. Zab. 1. rõ.*

nece-

re cuiuſcumque rei erit incipiendum à cauſis, & ſimplicibus nunquam ab effectibus compoſitis, & ſic ſolum compoſitiuus ordo haberetur, nõ reſolutiuus, falſitas conſequentis probatur; quia omnes admittunt ordinem reſolutiuum, & Ariſtoteles multa ſcripſit ordine reſolutiuo, vt libros Priorum, & Poſteriorum Analyticorum, libros Philoſophiæ moralis, &
2. rõ. alios. Secundò illa eſt vera cauſa alicuius rei, qua habita conquieſcimus; at ſi quæramus ab Ariſtotele in Proęmio Phyſicorum, qua de cauſa prius vult agere de principijs rerum naturalium, & aliquis dicat, quia illa ſunt priora in ordine naturali, non conquieſcimus, ſed adhuc quæri mus, quare vult agere prius de his, quę ordine naturali ſunt potiora? Vnde cogitur reſpõdere, quia faciliorẽ, & meliorem cognitionem habemus ſeruando hunc ordinem, hæc ergo cauſa, ſcilicet modus facilioris noſtræ cognitionis, quietat intelle
3. rõ. ctum noſtrum. Tertiò hęc poſitio confirmatur ex multis locis Ariſtotelis, vbi ſæpè ſpernit ordinẽ naturę, & ſequitur faciliorẽ modum noſtrę cognitionis, ſicuti dixit faciendũ eſſe in 5. lib. Metaph. tex. 1. vbi ait principium doctrinæ non ſemper eſse principiũ rei, ſed vnde quis facilius addiſcere poteſt; Habes multa alia apud Zabarellam 1. de Methodis, cap. 6. & 7.

Opinio Picolomin. Probatur p auctoritates. Franciſcus Picolomineus in ſua Morali in Introductione cap. 14. contrariam opinionem ſuſtinet, ſcilicet, quod ordo naturalis rerum ſit regula, & norma ordinis doctrinæ, & hanc opinionem probat cap. 14. & capit. 15. primò Ariſtoteles in initio primi Elenchorum, inquit, incipiẽtes ſecundum naturam à principijs, & in initio primi Rhetoricorum ait, primum igitur quæſitum eſt ſecundum naturam, quòd natura primum eſt, & in 1. Phyſicorum 57. eſt enim ſecundum naturam cõmunia prius dicentes, ita circa vnũquodque ſpeculari; & in libro de ſenſu, & ſenſili. De reliquis primum dicamus, ac primum de primis, & in ſecundo de generatione animalium c. 4. nunc à primis incipiendum eſt, prima autem ſunt perfecta, & eiuſmodi ſunt, quæ animal generant, eorumq. principiũ homo 2. lib. de Anima tex. 34. primum de alimento, & generatione dicendum eſt, quia hæc facultas, & prima eſt, & communiſſima aliarum.

Rationibus ſic arguit primo. Scientiæ ſunt res ipſę per repræſentationem in eſſe cognito, ergo debent repræſentare res, eo modo, quo ſunt, ergo in diſtributione, & ordine partium debent imitari ipſas res, ergo naturalis ordo rerum eſt norma ordinis doctrinæ. Secundò ſemper principia, & ſimpliciſſima primò tractantur, vt in 1. Phyſicorum patet, vbi primò de prima materia, & forma in communi agit, ergo. Tertiò Metaphyſica dicitur prima Philoſophia, quia eſt de primis entibus ſecundum naturam, vndè licet ordinamur à Phyſica, non tamen dicitur Metaphyſica vltima, ſed prima. Quartò omnes tractantes de ſenſibus ſemper ſeruãt naturæ ordinem, vel originis, vel dignitatis, Ariſtoteles ſeruauit ordinem dignitatis, ideò incepit à viſu, & à nobiliori, Plato, & Auicennas ſeruauerũt ordinem originis, ideò pertractauerunt prius de tactu, ergo ordo naturalis rerum, ſiue originis, ſiue dignitatis eſt norma ordinis recti, non autem noſtra facilior cognitio. 1. rõ. 2. rõ. 3. rõ. 4. rõ.

Ad rationes pro opinione, quã ſequitur Scotus, ad primam Mercenarij, de 1. Phyſicorum tex. 4. dicit, quod illa non eſt ſufficiens ratio, neque primaria, ſcilicet, quia ex vniuerſalium cognitione facilius habeamus cognitionem aliarum rerum naturalium, ſed primaria ratio eſt, quia ſunt priora, ideò illis cognitis facilius aliæ res cognoſcuntur. Ad ſecundum de Plantis, & ad omnes auctoritates Ariſtotelis, in quibus probatur quod quandoque prætermiſit ordinem naturalem rerum, & ſecutus eſt ordine noſtræ facilioris cognitionis, dicit, quod hoc factum eſt ex accidenti, quod nihil refert, ſufficit, quod vt plurimũ, & in reb. grauibus egit de rebus ſecũdũ ordinẽ naturalẽ rerum. *Ad rõnes p via Scoti.* *Ad 2.*

Ad primam rationem Zabarellæ reſpondet, quod ordo naturæ eſt duplex, ſcilicet compoſitiuus, & reſolutiuus, & ideò non ſequitur, dabitur ſolùm ordo compoſitiuus. *Ad 1. Zab.*

Ad ſecundam rationẽ inquit, quod vera cauſa propter quã conquieſcimus, eſt, quãdo dicimus quia hic eſt ordo naturæ, vnde ſi quis quærat cur Ariſtoteles prius *Ad 2.*

agit de

agit de principijs: Reſpondet, quia illa ſunt priora, & illis ignoratis non poſſumus alia ſcire, & quia ſunt priora in ordine ipſarum rerum, eſt cauſa quietans intellectum noſtrum. Ad auctoritatem illam de 5. Metaphyſices tex. 1. ait, quod ibi Philoſophus loquitur de via doctrinæ, non de ordine doctrinæ.

Confirmatio prioris opinionis, & confutatio iſtius ſecundæ. Cap. 11.

Prima rō Verùm hæc opinio non eſt ſuſtinenda, vt probant rationes, & auctoritates ſuperius adductæ pro prima opinione, & præcipuè ex ratione deducta ex Scoto, & ex prima ratione Mercenarij, nam apertè Ariſtoteles in 4. textu primi Phyſicorum ait, ſe velle agere prius de vniuerſalibus, quia illa notiora ſunt, vt probat in 5. textu, & in illo 4. ergo norma illius ordinis eſt facilior cognitio, non ordo naturalis rerum, neque enim dixit Ariſtoteles ſe velle incipere ab vniuerſalibus, quia illa ſunt priora ſecundum naturam; ſed quia ſunt faciliora; nec ſolutio, quam affert huic argumento, eſt vllius valoris, quoniam dicere, quòd hæc non eſt præcipua ratio, & quòd Ariſtoteles hic non aſſignat primariam rationem, ſed ſecũdariam: eſt dicere Philoſophum eſſe valde inconſideratum in re tam principali, nam vbi aggreditur nobiliſſimam ſcientiam, ſi reddens rationem ordinis non aſſignaret veram, & præcipuam cauſam, ſed ſecundariam, multum peccaret. Adde, quod ſi Philoſophus non exiſtimaret hanc eſſe præcipuam rationem, non laboraret oſtendere per tres illas rationes de quarto, & quinto textu, quod vniuerſalia ſunt nobis notiora, & q̃ ideo iure ab vniuerſalib. eſt inchoandum. Secũdũ argumentum etiam eſt efficax, neque valet dicere, quod quando Ariſtoteles ordinando partes ſcientiæ, ſæpè propoſuit partes faciliores cognitu, hoc fuit per accidens, quia non eſt arbitrandum Ariſtotelem aliquid efficere, & maximè euidens contra rectitudinem, & ita ſæpè, & eo magis, quia ſæpè adducit hanc rationem talis ordinis, quæ eſt noſtra facilior cognitio. Tertia eſt etiam præ omnibus efficax, & reſponſio quam affert, quod ibi, ſcilicet in quinto Metaphyſices textu primo intelligat de via doctrinæ, eſt omninò falſa: quoniam eo loco Ariſtóteles ponit varias acceptiones principij, & tandem ait, quod vno modo dicitur, vnde res moueri incipit, ſecundum quam acceptionem ſolemus dicere principium viæ, vnde incipit via. Deinde ponit aliam acceptionem principij, quæ eſt, quod illud dicitur principium, etiam a quo facilius res cognoſcitur, & exemplificat vt principium doctrinæ, non a primo rei principio aliquãdo eſt inchoandum, ſed vndè faciliimè quis addiſcet; ecce quod apertè loquitur de ordine, non de methodo, & demonſtratione, quia inquit, quod doctrinæ inchoatio aliquãdo non fit a primo rei principio, modo inchoare pertinet ad ordinem, non ad viam doctrinæ, & hoc magis patet: quia inferius in eodẽ capitulo paulo poſtponit præter alias ſignificationes principij, etiam hanc, quòd principium quandoque accipitur pro medio demonſtrationis, his verbis (Præterea, cum cognoſcibilis res eſt, principium hoc quoque dicitur vt demonſtrationum ſuppoſitiones) non ergo in priori loco loquitur de methodo, ſed de ordine. Ad quartùm reſpondet, quod duplex eſt ordo naturæ, compoſitiuus, & reſolutiuus, ideo etiam datur ordo reſolutiuus; Hęc reſponſio eſt vana: quia ſi natura procedit ex ordine cõpoſitiuo, & reſolutiuo, niſi adſit aliqua norma, erimus perplexi quem ordinem ſeruare debeamus; eſt ergo dicendum, quod datur norma, quæ eſt noſtra facilior cognitio, quod ipſemet fatetur coactus ratione, dum dicit, quod vno, vel altero modo imitamur naturam pro varijs inſtitutis noſtris. *Quarta.* Ad vltimum ait, veram normã eſſe ordinem naturalem rerum; & hanc eſſe ſufficientem ad quietandum nos. *Quinta.* Sed contra hanc reſponſionem ſuperius argutum eſt, ideò ad rationes Picolominei eſt reſpondendum, & pro ſolutione notandum, quod licet quandoque, & vt plurimum in ſcientijs ordo doctrinæ ſequatur ordinem rerum, hoc non euenit, quia ordo naturalis rei ſit norma veri ordinis doctrinæ, ſed quia facilior noſtra cognitio tunc expoſtulat, vt diſponamus rei ſecundum illum ordinem, vt putà, *Notãdum Ad rationes Picolominei.*

quia illa

quia illa priora ſecundum naturam ſunt ita neceſſaria, quod non poteſt haberi cognitio de alijs poſterioribus, niſi prius illa declarentur, vt exempli gratia non poſſumus loqui, nec cognoſcere mixtum, niſi prius cognoſcamus elementa, ideò prius agit de elementis, quàm de mixto, per hoc reſpondemus ad omnes auctoritates Ariſtotelis, quod quando ait incipiendum eſſe a prioribus ſecundum naturam, hoc efficit propter noſtram faciliorem cognitionem; quando etiam omittit ordinem rerum, id facit propter noſtram faciliorem cognitionem.

Ad primā. Ad rationes; ad primā dico, quod probat nos debere ſcire res eo modo, quo inter ſe diſpoſitæ ſunt, & hoc cōcedo: quia res ſicuti ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci; vnde ſi quis cognoſcendo hominem non ſciret, quod cor eſt prior pars, ſed exiſtimaret eſſe pedes, hæc non eſset ſciētia recta, oportet enim quod ego cognoſcam res in eo ordine, quo ſunt, non in oppoſito ordine, ſed non propter hoc ſequitur, quod ego in addiſcendo has res non poſſim incipere a parte rei, quæ eſt mihi notior, per quam facilius poſsum venire in cognitionem rei, & deſerere ordinem naturalem rerum. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam rationem dicendum eſt, quod id factū eſt propter noſtram faciliorem cognitionem. *Ad tertiam.* Ad tertiam, reſponſio patet ex prima ratione Scoti, nam hoc argumentum facit pro nobis, non pro ipſo, quia Metaphyſica dicitur prima Philoſophia, quia eſt de primis entibus, & tamen non locatur in primo loco, ſed poſt Phyſicam, vndè inſcribitur ab ordine quem obtinet, Metaphyſica, ſi ergo ordo doctrinæ ſemper debet ſumi ab ordine rerum, Metaphyſica primo loco eſſet collocanda, non Phyſica. *Ad quartam.* Ad quartum de ordine ſenſuum dico, quod variauit etiam Ariſtoteles ordinem ipſorum ſenſuum, quia diuerſos ſcopos intendebat, & ideò quia modo vnus ſenſus, modo alius magis manifeſtabat illum, ideò variauit ordinem, ſed tamen ſemper ſecutus eſt faciliorem modū noſtræ cognitionis, quod modò explicare eſſet lōgum; De hac re vide Iacobum Zabarellam in Apologia ſua. *Reſolutio* ¶ Reſolutio huius quæſtionis itaque conſiſtit in hoc, quod norma ordinis doctrinæ eſt noſtra facilior cognitio, & quod ideò debemus ſemper incipere a notioribus nobis; Sed nota, quod hic *Nota.* per notiora nobis non intelligimus illa, quę contra diſtinguuntur a notis natura, ſed appello notiora illa nobis, quæ facilius alijs in initio illius ſcientiæ diſco, & ex quorum cognitione facilius alia addiſco, ſiue illa ſint per propriam naturam nota natura, vel nota nobis.

Diſputatur vtrum in ordine doctrinæ ſemper incipere debeamus à notioribus nobis cognitione diſtincta, & ab vniuerſalibus, & ordo compoſitiuus ſemper ſeruari debeat in ſcientijs. Cap. III.

Ex determinatione præcedētis Theorematis elicitur declaratio alterius concluſionis, quæ ex illo deducitur, & eſt, an in ordine doctrinæ sēper incipiamus à notioribus nobis cognitione diſtincta? Scotus loco citato paulo infrà aſſerit Metaphyſicam, * licet ſit prima in ordine cognitionis diſtinctæ, quia ipſa probat principia omnium aliarum ſcientiarum, tamen eſſe vltimam in ordine doctrinæ. Ita que ſuſtinet Scotus in ordine doctrinæ *Opinio Scoti.* non eſſe ſemper incipiendum a notioribus cognitione diſtincta, neque ſemper eſſe ſeruandum ordinem compoſitiuum, ſed ſemper incipiendium eſſe ab illis, à quibus facilius addiſcimus, & ſunt nobis faciliora cognitu, vt ſupra dixi in concluſione quæſiti præcedētis; & ſic poſſumus quandoque omittere ordinem compoſitiuum, & ſeruare ordinem reſolutiuum. Probatio iſtius Theorematis patet ex probatione antecedentis: quia hæc concluſio ſequitur ex illo, non ſemper in ordine doctrinæ eſt incipiendum à notioribus nobis, id eſt ab his vnde facilius diſcimus: at notiora nobis cognitione diſtincta, & cauſæ non ſunt ſemper faciliores cognitu, neque incipiendo ab illis ſemper facilius illam ſcientiam addiſcimus, vnde diximus nos quandoque negligere ordinem naturæ.

Sed cōtra hoc eſt Zabarella: nam aſſerit oppoſitum libro 1. de Methodis, c. 9. *Zab. opin. cōtraria.* inquit enim ſemper eſſe incipiēdum à notioribus nobis ſecundum noſtram cognitionem

tionem diſtinctam ſimpliciter, vel ſaltem in generę, quam particulā addit propter ordinem reſolutiuum, qui ſeruatur in artibus, qui incipit ab effectu, & fine, qui non eſt notus nobis ſecundum cognitionem noſtram diſtinctam, ſed ſolum in genere, eſt enim notus finis exquiſitè per ſe, abſque vlla probatione; vnde de fine nulla fit conſultatio, ſed de medijs ad finem; Idem dicit 2. libro de Methodis capite 7. vbi probat, quòd ſcientiæ non poſſunt ordinari alio ordine, quàm compoſitiuo, compoſitiuus autē ordo ſemper eſt à diſtinctis, & ſimplicibus & cauſis; eſt etiam aliud dictum Zabarellę in primo de Methodis, cap. 12. nempè, quod commune eſt omnibus ordinibus, tàm compoſitiuo, quàm reſolutiuo, incipere ab vniuerſalibus, & tendere ad particularia: quia vniuerſaliora ſunt notiora; ratio pręcipua iſtius aſſertionis eſt, quia ordo debet tradere cognitionem diſtinctam rei, ergo debet incipere à ſimplicibus, & principijs, & cauſis, quæ ſunt notiora nobis cognitione diſtincta. Suſtinet ergo Zabarella quod in ſcientijs debemus ſemper ſeruare ordinem compoſitiuum, & incipere à principijs, & magis ſimplicibus, quæ ſunt nobis notiora cognitione diſtincta.

Ratio Zab.

Reijcitur. 1. rō.

Contra hanc opinionem arguo primò ſic; Quandoque contingit, quod facilius addiſcamus incipiēdo à minus vniuerſalibus, & à compoſitis; ergo non debemus ſemper ſeruare ordinem compoſitiuum, & incipere à notioribus cognitione diſtincta, id eſt cauſis, & magis vniuerſalibus: Antecedens probatur, primò ab ipſo Zabarella multis in locis; & probatur etiam: quia aliter non eſſet vera norma ordinis doctrinæ ea, quam nos aſſignauimus, ſcilicet noſtra facilior, & melior cognitio, ſed norma aſſignata à Picolomineo, ſcilicet ordo naturalis rerū, nam dicere, quod debemus ſemper ſeruare ordinem compoſitiuum in ſcientijs, & incipere à magis vniuerſalibus, & principijs, eſt dicere, quod debemus ſeruare ordinem naturalem rerum, quia hinc incipit à principijs, & à magis ſimplicibus, quia natura procedit à principijs ad effectus ſemper; diximus autem ſuprà, & ipſe nobiſcum, quòd ordo doctrinæ incipit ab eo, vnde melius & facilius addiſcimus etiam ſpreto ordine naturæ; vnde ſi minus vniuerſalia: & poſteriora natura ſint talia, quod nos facilius ducant in cognitionē rei, debemus incipere ab illis, ergo confitente etiam ipſomet Zabarella, non debemus ſeruare ſemper in ſcientijs ordinem compoſitiuum, & incipere à principijs, & magis ſimplicibus.

Secūdarā.

Secundò videmus ſępe Ariſtotelē agere prius de multis, quæ ſunt poſteriora ſecundum naturam alijs prioribus natura etiam in ſcientia ſpeculatiua, nam in libris Phyſicis, vt dicebamus agit prius de animalibus quàm de plantis, & tamē eſt prior, & vniuerſalior ſecundum naturam tractatio de plantis, quàm tractatio de animalibus. Item in octo libris Phyſicorum etiam ex mente ipſius Zabarellæ in libro de Conſtitutione Philoſophiæ naturalis, prius agit de principijs corporis generabilis, & corruptibilis, cuiuſmodi ſunt materia, forma, & priuatio, de quibus 1. Phyſicorum, quàm de principijs corporis naturalis, de quibus in ſecundo, & ſic pręponit principia ſpeciei principijs generis, ergo non ſemper incipit à notioribus nobis cognitione diſtincta; Quod ſi dicat Zabarella, vt dicit in libro de Conſtitutione Philoſophię naturalis, Ariſtot. hoc feciſſe aliquando propter noſtram faciliorem cognitionem; Hęc reſponſio cōfirmat noſtram ſententiam, quia iam diximus ordinem doctrinę reſpicere noſtrā faciliorem, & meliorem cognitionem; non ergo verum eſt, quòd ſemper à ſimplicibus & cognitione diſtincta notis ſit inchoandum: ſed ſolum tunc hoc eſt verum, quando à talibus ſimplicibus inchoando facilius addiſcimus, & ſic tunc ſeruamus ordinem compoſitiuum: quod ſi ſit ſecus, etiam hunc ordinem compoſitiuum negligemus; & ita illæ duæ concluſiones primæ ſunt falſæ, quod ſemper in ordine doctrinę incipiamus à notioribus nobis cognitione diſtincta, & quod in ſcientijs contemplatiuis vtamur ſemper ordine compoſitiuo: quia de directo repugnat dicere, Ordo doctrinę, eſt ab his vnde facilius addiſcere poſſumus, & dicere, eſt à notioribus cognitione diſtincta ſemper, & ſemper eſt compoſitiuus.

3. reſpōſio.

Reijcitur.

Ad ra-

Ad rõne Zab. Ad ratione ſuam dico, quod non ſpectat ad ordinem inducere cognitione diſtinctã, ſed ad methodũ; vnde ſicuti duplex eſt ſcientia noſtra, confuſa, & diſtincta, ita duplex eſt methodus, perfecta, & imperfecta: Methodus perfecta propter quid, facit ſcientiam diſtinctam, ſimiliter Methodus perfecta quia, facit ſcientiam diſtinctam de cauſa, & de an ſit, & quid ſit: ſed Methodus propter quid, per cauſam remotã, vel quia, per effectũ remotũ cauſat ſcientiam imperfectam, Ordo autem inſeruit ſolum facilitati ſcientiæ, vnde ſæpè euenit, quód priori loco ponimus aliqua, de quibus habemus ſolum cognitionem quandam rudem, & per rationes parum efficaces: quia hæc rudis cognitio nos adiuuat ad claram cognitionem aliarum rerum, non igitur pertinet ad ordinem, vt cognitio ſit diſtincta, vel confuſa.

Aliud aſſertum impugnatur. Ex quo colligitur etiam falſam eſſe illam concluſionem Zabarellæ, quam habet primo de Methodis, capite 3. quod illæ duæ particulæ melius, & facilius declarent ordinem doctrinæ, quia ſola ſecunda requiritur, vnde Philoſophus in quinto Metaphyſices ſolum ſecundam poſuit, ait enim; Non enim ſemper principium rei in doctrina eſt principium, ſed vnde quis facilius addiſcit; & quãdo in primo textu primi Phyſicorum ait incipiendum eſſe à principijs, non hoc dixit, quia ordo faciat diſtinctam cognitione: ſed quia facilius acquirimus cognitione rerum naturalium incipiendo à principijs, iuxta dictũ in quinto Metaphyſices textu primo, quia in ordine doctrinæ, licet non ſemper principiũ in doctrina ſit principium rei, tamen quãdoque, & vt plurimum principium eſt, vt in loco primi Phyſicorum; quia incipiendo à principijs in Philoſophia naturali, addiſcimus facilius.

THEOREMA XIX.

Demonſtratio eſt ſubiectum in libris Poſteriorum.

Aliorum opiniones adducuntur, & reijciuntur. Cap. I.

Ex determinatione facta in præcedentib. oritur determinatio alterius quæſiti, quod eſt valde controuerſum inter Doctores; & eſt de ſubiecto, ſiue ſcopo principali Ariſt. in libris Poſt. Ego tamen prius aliorum opiniones conſiderabo; deinde opinionem, quam puto Scoti, & conformem veritati adducam. Prima opinio eſt Linconienſis, & communiter tribuitur Auer. & Them. quam etiam ſequitur, & tuetur Bernardinus Petrella in ſuis Diſputationibus logicis, lib. 2. c. 9. qui dicunt, quod Ariſt. agit in primo quidem lib. de demonſtratione; in ſecundo autẽ de definitione, vt eſt inſtrumentũ diſtinctũ à demonſtratione, & ſic voluit, quod in libris Poſter. agatur de duobus inſtrumentis diſtinctis, ſcilicet de demonſtratione in primo, & de definitione in ſecundo. *Opinio Linconiẽſis Auerro. & Petr.*

1. argumẽtum. Hanc opinionem probant primo ſic. Duo ſunt, quæ cognoſcenda ſunt in vnaquaque re, ſcilicet ſubſtantia, & accidentia rei; Accidentia propria cognoſcuntur per demonſtrationem, ſubſtantia, & eſſentia ſubiecti per definitionem; tunc ſic; Logica eſt ſcientia inſtrumentalis, ergo debet docere inſtrumenta, quæ docent cognoſcere ſubſtantiam, & accidens alioquin non eſſet perfecta; ſed de definitione, qua cognoſcimus ſubſtantiam, in nullo alio libro logicę agitur; niſi in ſecundo Poſteriorum, ergo in ſecundo Poſteriorũ agitur de definitione, vt eſt inſtrumentum cognoſcendi ſubſtantiam.

Secũdum. Secundò, quidquid tractatur à logico, eſt inſtrumentum ſciendi, at à logico in ſecundo Poſteriorum tractatur de definitione, ergo vt eſt inſtrumentum ſciendi. Maior propoſitio probatur: quia à logica eſt ſcientia inſtrumentalis, & quidquid docet, vt inſtrumentum ſciendi docet, minor eſt clara.

Tertium. Tertiò, definitio duobus modis poteſt conſiderari, vno modo, vt eſt eſſentia rei, alio modo, vt eſt inſtrumẽtum ſciendi, & cognoſcẽdi quid eſt; primo quidẽ modo cõſideratur à Metaphyſico, ergo ſecundo modo cõſideratur à Logico; ſed hæc conſideratio, eſt cõſideratio definitionis, vt eſt inſtrumẽtum cognoſcendi quid eſt, ergo logicus agit de definitione, vt eſt inſtrumẽtum cognoſcendi quid eſt; de definitione autem ſolum agit in ſecundo Poſteriorũ, ergo definitio, vt inſtrumentum cognoſcẽdi eſt

di eſt ſubiectum in ſecũdo Poſteriorum; & confirmatur hæc ratio: quia definitio ſolum illis duobus modis poteſt conſiderari , ſecundo modo autem non poteſt cõſiderari à Philoſopho diuino, quia tũc metaphyſica eſſet ſcientia inſtrumentalis, ergo hoc ſecundo modo conſideratur à logico.

Quarto. Quartò; Quæ ſciuntur aliquo inſtrumento ſciri neceſſe eſt; at quattuor ſunt , quæ queruntur, vt ſciantur, an ſit, quid ſit, an inſit & propter quid inſit. Tribus ſatisfacit demonſtratio, ſcilicet an ſit, an inſit & propter quid inſit; queſtioni verò quid ſit, ſolum definitio ſatisfacit: at ad logicum ſpectat in libris Poſteriorum agere de inſtrumentis ſciendi omnes quę ſtiones, vt inſtrumenta ſunt, & in primo agit de demonſtratione, ergo in ſecundo de definitione agere debet, vt eſt inſtrumentum ſciendi.

Reijcitur. Hæc opinio non eſt ſuſtinenda, quoniã ſuprà nos oſtendimus, quod definitio nõ eſt inſtrumentum logicum, cum ipſa nõ habeat vim illatiuam, & propterea licet Ariſt. agat de definitione in ſecũdo Poſteriorum, non agit tamen de illa, vt eſt inſtrumentum ſciendi, cum tale inſtrumentum ipſa non ſit, & propterea talis conſideratio ei non competere poteſt; *Reſpõſio tãcita reijcitur.* Quod ſi dicant, vt Bernardinus Petrella, quod eſt inſtrumentũ notificãdi, ſed ſine ratione: Hæc reſponſio ſuam abſurditatem ſecũ defert: nam ſi procedit ſine ratione, quomodo notificare, & facere ſcire poteſt? nã vbi nõ eſt vis illatiua, nulla eſt certitudo, neque cognitio, ſi quidem cognitio procedit à noto ad ignotum per vim illatiuã , vt ſupra diximus, immò tũc fieret petitio principij; Vnde propter hãc rationem Ariſtot. ſecundo Poſteriorum, vbi docet methodum inueſtigãdi definitionem ſubſtantiæ, reijcit diuiſionem, quia diuiſio ſola nihil probat; quia nõ habet vim illatiuam. Secunda ratio, Si Ariſt. ageret in ſecundo libro de definitione, tãquam de inſtrumento re diſtincto à demõſtratione, liber Poſteriorum non eſt vnus liber, ſed duo, quia haberet duo ſubiecta principalia, quod tamẽ eſſe falſum conſpicitur ex inſcriptione, & connexione illorum librorum, quia vterque eſt de poſteriori reſolutione; *Reſp. tacita reijcitur.* Neque valet ſi qs dicat, quod licet definitio, & demonſtratio ſint diuerſa, tamen in idem redeũt; quia definitio eſt demonſtratio ſola poſitione terminorum differens quia illa definitio , quæ eſt demonſtratio ſola poſitione terminorũ differens, non eſt definitio ſubſtantiæ , ſed accidentis, vt patet 2. Poſt. à tex. 39. vſque ad 42. *Alia tacita reſp reijcitur.* Nec valet ſi quis dicat, quod iſti duo libri habẽt vnitatem à genere ſuperiore ad demonſtrationem, & definitionem, quod eſt inſtrumẽtum ſciendi: quia vt diximus in quæſt. de ſubiecto logicæ , inſtrumentum cognoſcendi non eſt ſubiectum in logica, ſed ſyllogiſmus, ſyllogiſmus autem ſolum eſt genus demonſtrationis; & ideò non competit definitioni; quia definitio non eſt ſyllogiſmus, neque etiam definitio eſt inſtrumentum logicũ, vt oſtendimus; & ſic iſti duo libri in hoc genere non poſſunt conuenire , neque ab eo habere vnitatẽ; Preterea, dicere, quod libri Poſteriorum, ſunt vnus, quia agunt de inſtrumento ſciendi, eſt ex ſe abſurdũ; quia ſic etiam liber Topicornm, Priorũ, & Poſteriorum, ſunt vnus liber: quia in omnibus agitur de inſtrumentis cognoſcendi: *Reijcitur reſp. Petr.* Neque denique valet reſponſio Petrellæ ad hoc argumentum , quæ proximè accedit ad reſponſionem aſſignatã: dicit enim, quod liber Poſteriorũ habet vnitatem non à materia conſiderata: ſed à modo conſiderandi, vnde licet in primo agat de demonſtratione, & in ſecundo de definitione, tamen, quia de vtraque agit ſub eadem ratione formali, quæ eſt, vt inſtrumentum ſciendi, agit enim de demõſtratione, & definitione, vt ſunt inſtrumenta ſciendi , habent vnitatem non à materia conſiderata, ſed à modo conſiderandi, qui eſt vnus, & idem in vtroque, & ſic liber Poſteriorum eſt vnus, non valet inquam, Primò, quia iam oſtendimus , quod definitio non eſt inſtrumentum logicum, neque eſt aptum , ex natura ſua notificare, ideò talis cõſideratio vt inſtrumentum logicum, illi non competit; Prętera, hęc ratio formalis competit omnibus alijs ſpeciebus ſyllogiſmi, vt formali, & topico: nam ita dicere poſſumus, quod Ariſtoteles in libris logices agit de Topicis, de ſyllogiſmo formali , de enthimemate,

mate, de exemplo, vt ſunt inſtrumenta ſciendi; ergo liber Poſteriorum, & Topicorum, & Priorum, ſunt vnus liber, quia habent eandem rationem formalem, quæ eſt vt inſtrumentum ſciendi, nam in his omnibus agit de ſyllogiſmis, vt ſunt inſtrumenta ſciendi; hoc tamen dicere eſt magnum abſurdum, vt omnes confiterētur. Prætetea, dictum eſt ſupra, quod ſubiectum in tota logica non eſt inſtrumentum ſciendi, neque materiale, neque formale, ſed ſyllogiſmus; ideo hęc reſponſio eſt nulla.

Opin. Iac. Zab. Iacobus Zabarella lib. 4. de Meth. longo ſermone, & in expoſitione primi, & ſecundi libri Poſteriorum in initio, declarat ſuam intentionem multis verbis, quæ eſt. Scopus Ariſt. in vtroque libro Poſteriorum eſt agere de demonſtratione potisſima, duplex eſt enim method⁹, ſcilicet demonſtratiua, & reſolutiua; demonſtratiua eſt propter quid, reſolutiua eſt demonſtratio quia, & inductio; de vtraque quidem agit in libris Poſteriorum: ſed quia reſolutiua reducitur, & ordinatur ad demonſtratiuam, ea enim vtimur vt cauſas adinueniamus, quibus poſtea vtimur ad oſtendendum effectus, per quas cauſas formātur demōſtrationes propter quid; vndè ſi cauſæ notæ ſint, deſpicimus demōſtrationem quia; & inductionē; hac ratione dicit in libris Poſteriorum ſubiectum eſſe methodū demōſtratiuam; ſiue ſcopum Ariſtot. eſſe methodū demōſtratiuam (non vult enim tale ſubiectū poſſe dici verè ſubiectum in libro de trib. pręcognitis.) Verum quia in 2. lib. Poſteriorū agit Philoſophus de definitione, declarās quomodo reducatur ad demōſtrationē: cū enim definitio non ſit inſtrumentū logicū, non poteſt agere de ea vt de inſtrumento diſtincto à demōſtratione (agit ergo de illa vt reducitur ad demōſtrationē) ait, ꝙ tribus modis definitio reducitur ad demonſtrationē, ſcilicet vt principiū, vt concluſio, & vt tota demōſtratio, ſola poſitione terminorum differēs: hæc autē vltima eſt pręcipua conſideratio, & videtur eſſe vltimus demōſtrantiū finis; vndè dicēdū quod Ariſtoteles agit in ſecundo de demonſtratione, vt conuertitur in definitionē, & facit ſcire quid eſt de paſſione demonſtrata; Breuiter ergo hæc eſt ſententia Zabarellæ, quod Philoſophus agit in primo de demonſtratione, vt facit ſcire propter quid; in ſecundo verò de demonſtratione vt facit ſcire quid eſt: docet enim in primo, quomodo per demonſtrationem poſſimus cognoſcere paſſionem per cauſam, quod eſt ſcire propter quid; in ſecundo verò quomodo per demonſtrationem poſſimus cognoſcere quid eſt paſſio: Demonſtratio enim conuerſa in definitionem, eſt definitio paſſionis, & ſic in ſecundo libro Poſteriorum agit de demonſtratione quatenus conuerſa in definitionem facit ſcire quid eſt de paſſione demonſtrata, & ſic finis methodi demonſtratiuæ eſt definitio accidentis, finis methodi reſolutiuæ eſt definitio ſubſtantiæ: ſed hæc ſecunda ordinatur ad primam, & propter hoc abſolutè eſt dicendum, quod ſubiectum in libris Poſteriorum eſt demonſtratio propter quid, ſiue potiſſima. Hæc opinio ab ipſo longo ſermone probatur, præcipuè tamen hoc modo: Hęc poſitio habet duas partes. Primā, quod demonſtratio potiſſima eſt ſubiectum, & ſcopus Ariſtotelis in vtroque libro: quia duæ ſolum ſunt methodi reſolutiua ſcilicet & demonſtratiua; & demōſtratiua eſt principalis: ideo ea eſt præcipuus ſcopus Ariſt. Secunda pars, eſt quod in 1. lib. agit de ea vt facit ſcire propter quid eſt, in ſecūdo, vt facit ſcire quid eſt; quæ probatur: quia vltimus demonſtrantium ſcopus eſt ſcire quid eſt: vndè demonſtratio eſt motus quidem, & terminus ad quem eſt definitio pasſionis, ideò iure dicit Ariſt. agere in ſecundo de demonſtratione, vt facit ſcire quid eſt. *Ratio poſitionis*

Hęc opinio quo ad primam partem mihi ſummè probatur, exiſtimo enim quod ſubiectum in vtroque libro ſit demonſtratio, ſed quo ad ſecundam partem, in qua dicit in ſecundo libro Ariſtotelem agere de demonſtratione, vt facit ſcire quid eſt, & vt notificat definitionem accidentium, & hac ratione conſiderari definitionem in ſecundo Poſteriorum quatenus ſcilicet eſt finis, & ſcopus demonſtrationis propter quid, non mihi probatur; Ratio eſt: quia ſi Ariſt. in ſecūdo Poſter. ageret de demonſtratione vt *Reijcitur opinio Zabarellæ.* *1. ratio.*

facit ſcire quid eſt;ſequeretur quod in ſecundo ageret de definitione, vt definitio eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens:conſequentia eſt clara,& conceſſa,ſed conſequens eſt falſum: quia definitio habet triplicem reſpectũ ad demonſtrationem; eſt enim principiũ demonſtrationis, eſt concluſio, & eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens;cũ ergo habeat hunc triplicem reſpectum ad demonſtrationem, & Ariſt.in illo ſecundo agat de definitione, vt ordinatur ad demonſtrationem, debet Ariſtoteles agere de definitione ſecũdum hunc triplicem reſpectũ, non ergo agit in ſecundo de definitione ſolum, vt eſt finis demonſtrationis. Quod ſi dicat Ariſtotelem etiam de definitione ſecundum alios duos reſpectus agere, ſed quia hic eſt præcipuus,& ſcopus aliorũ, ideò omnia ſub eo comprehendi;Hæc reſponſio non valet: quia illa definitio, quæ eſt principium demonſtrationis,eſt definitio ſubſtantiæ,hæc enim eſt medium,ſed hęc eſt multum diuerſa a definitione, quæ eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens; quia iſta eſt definitio ſubſtantiæ; illa accidentis; Præterea, principalior conſideratio eſt reſpectu medij,quam finis:quia medium eſt cauſa interna,finis externa, neque valet ſi quis dicat,quod in 1.lib.Ariſtoteles agit de definitione,vt eſt principium,& cõcluſio demonſtrationis:dum declarauit conditiones principiorum,& concluſionis:non valet inquam, quoniam licet dixerit in primo,principia debere eſſe vniuerſalia, & per ſe, & ſimiliter concluſionem,non tamen propter hoc,mentionem facit de definitione, neque de hoc reſpectu, quem habet definitio ad demonſtrationem: ſed in ſecundo libro hoc explicauit, & explicare debuit,vbi de definitione locutus eſt explicitè, non in primo, in quo ne vllum quidem verbum de definitione fecit;Sed his omiſſis, ſecundo arguo ſic,& hæc eſt efficaciſſima ratio. Stante opinione Zabarellæ, ſequeretur quod Ariſtot. in ſecundo Poſteriorum non ageret de definitione ſubſtantiæ,conſequens autem eſt apertè falſum, vt patet diſcurendo per totum ſecundum librum, nam tex. 8. illius ſecundi,inter cæteras quęſtiones,pro ponit quærendum,an,quod quid eſt, poſſit demonſtrari de eo cuius eſt,at clarum eſt quod tũc loquitur de definitione ſubſtantiæ, hæc enim ſola definitio demonſtrari non poteſt; ſed definitio accidentis demonſtratur de accidente: ſi quidem eſt terminus,& finis demõſtrationis propter quid, & hoc determinat, poſtea à textu 39. vſque ad 42. Præterea, à textu 69.vſque ad 84. vbi tractat de inuentione quod quid eſt,& definitionis: clarum eſt, quod loquitur de inuentione definitionis ſubſtantiæ: ait enim,quod diuiſio non eſt ſufficiens, ſed requiritur etiam via compoſitiua,quæ eſt inductio:at talis definitio, non eſt definitio accidentium; quia horum definitio acquiritur per demonſtrationem propter quid, vt dictum eſt, & ipſe fatetur, quia ſcopus demonſtrationis propter quid,eſt definitio perfecta accidentis proprij;conſequentia probatur:quia ſi in 2.lib.agit de definitione, vt eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens,non poterit agere de definitione ſubſtãtiæ;quia hæc nõ eſt ſcopus demonſtrationis, neque vertitur in demonſtrationem,neque per hanc demonſtrationem ſatisfacimus quæſtioni quid eſt accidentis, neque eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens.

Reſpõſio tacita reijcitur.

Secũda ratio.

Exponitur ſententia Scoti, & rationes in contrarium ſoluuntur. Cap. II.

EGo veram puto opinionẽ Græcorũ, & Latinorũ ferè omnium,qui dicũt in vtroque lib. Poſteriorũ ſubiectum eſſe demonſtrationem,& quod in primo agit Ariſtoteles de principijs demonſtrationis in ſecundo vero de medio demonſtrationis,quod eſt ipſa definitio;quæ opinio rectè declarata, omnes difficultates tollit. Quòd in primo Philoſophus agat de principijs demonſtrationis, ac de conditionibus eorum, non eſt dubium:quia id omnes fatentur, & licet tractando de principijs demonſtrationis, tractet quoque neceſſario de medio, quia mediũ eſt incluſum in ipſis principijs,immò eſt ipſamet principia, quia illa ex eo conflantur,nõ tamen explicitè locutus eſt de medio,

Græcorũ & Latinorũ opinio.

dio,neque declarauit quænā res ſit hæc, quæ poteſt eſſe mediū, ſed de principijs ſolùm,at in ſecundo explicitè loquitur de medio,& quia hoc medium eſt definitio, ferè in toto ſecundo agit de definitione, & declarat quomodo venari illam poſſimus, & quomodo ordinetur ad demonſtrationem, & quid ſit,& quorum ſit, & in his declarandis verſatur in toto ſecundo libro excepto vltimo cap.Cum itaque agat in ſecundo de definitione, & definitio ſit medium in demonſtratione, iure dicimus,quod in ſecundo agit de medio demonſtrationis. Sed vt plenius hæc res intelligatur,eſt notādum,quod vt probauimus in Theoremate de medio demonſtrationis, ex cōditionibus præmiſsarum aſſignatis in primo libro Poſteriorum, ſequitur,quod medium in demonſtratione eſt definitio ſubiecti, & propterea erat neceſsaria diligens cognitio definitionis ſubiecti,quod eſt ſubſtantia, vt eā ad medium aptare poſsemus in demonſtrationibus,ideò Philoſophus in ſecundo libro Poſteriorum,voluit diligenter loqui de definitione illa ſubiecti, & vt magis eluceſceret, diſputauit in communi de definitione,quorum ſit,quotuplex ſit, quomodo reducatur ad demonſtrationem,in qua parte maximè detexit nobis ſuam intentionem eſſe, quod non agebat in eo ſecundo de definitione propter ſe,ſed in ordine ad demonſtrationē; Docuit etiam quomodo definitio ſit cauſa, & medium, quomodo illam venari poſſimus,& denique circa illam nihil intactum reliquit,vt patet ex lectione 2.Poſt. & licet ſola definitio ſubiecti, & ſubſtantiæ, ſit medium in demonſtratione potiſſima, tamen loquutus eſt in genere de definitione,vt nobis pateret magis definitio ſubſtantiæ, quæ eſt principium demonſtrationis, & medium; & quomodo definitiones accidentium differant à definitione ſubſtantiæ,& ordinentur ad demonſtrationē;vel ex illa educantur, & quoniam ipſa definitio eſt medium, & propterea ſatisfacit omni quæſtioni,ideò in initio ſecūdi propoſuit numerum quæſitorū, quæ omnia eſſe quæſita medij,& quib. omnibus medium idem ſatisfacere docuit,deinde ſtatim de definitione tractare incepit.Quoniam ergo definitio ſubſtantiæ eſt principaliter,& eſsentialiter pars demōſtrationis,quia eſt medium,facimus denominationem ab ipſa,& diſcimus Ariſt.in ſecundo lib.agere de medio,licet agat quoque de definitione quæ eſt concluſio demonſtrationis, & de definitione quæ eſt tota demonſtratio ſola poſitione terminorum differens.Rurſus quia ſunt ignobiliores, ea quæ eſt medium facimus denominationem ab ea,quæ eſt mediū,vt diximus, agit igitur Ariſt.in vtroque lib.de demōſtratione, ſed in primo de principijs demōſtrationis,& de ſuis conditioñibus explicitè,in ſecundo verò de medio eiuſdē, ſcilicet de definitione, vnde non dico qđ agat de medio ſub hac reduplicatione,vt medium,in quo ſenſu impugnatur à Zabarella,ſed de definitione,quę eſt mediū, ſiue de definitione ſecundum naturā abſolutam,quæ poſtea inſeruit pro medio, talis enim cognitio erat omninò neceſſaria,vt perfectam cognitionem de demonſtratione,& de medio ipſius haberemus, ſcio, quod hęc opinio non conſonat dictis multorum Latinorū omnino,ſed hęc mihi verior videtur, & minus defectibus referta,neque repugnat dictis Scoti.

Hæc opinio ſatis probata eſt ex dictis tamen poſſumus ſic arguere; Certum eſt quod in ſecundo Poſteriorum agitur de definitione, at definitio eſt medium demonſtrationis,ergo in ſecundo agitur de medio demonſtrationis; Maior eſt clara, Minor etiam eſt fundata in Theoremate de medio demonſtratinnis; neque valet ſi quis dicat, quód in ſecundo agitur de definitione, vt eſt inſtrumentum notificandi quid eſt, & diſtinctum à demonſtratione: quia iam oſtenſum eſt, quod definitio non eſt inſtrumentum logicū; Neque valet etiā ſi quis dicat,quod agitur de definitione,vt eſt finis demonſtrationis: quia definitio ſubſtantiæ non eſt finis demonſtrationis propter quid, & potiſſimæ,ſed principium,ſiue mediū: in ſecundo autem plurimum agit de definitione ſubſtantiæ,vt doceat venari illam. *Scoti opinio. 1. rō.*

Præterea;in primo agit de præmiſſis, ergo in ſecundo agere debebat de medio; licet enim agendo de præmiſſis, egerit de medio implicitè, non tamen egit *Secūda.*

explicitè, ideo in ſecundo agere debebat de medio explicitè. Sed hæc ſententia magis confirmatur ex ſolutione rationum in oppoſitum. Rationes autem in contrariũ præcipuæ ſunt iſtæ.

Prima rō in oppoſitũ Primò, ſi Ariſt. agit in 2. de medio demonſtrationis, vel agit de eo, vt facit ſcire quid eſt, vel vt facit ſcire propter quid eſt, at neutrum eſt verum, ergo; Minor probatur: quia ſi primo modo ageretur de definitione, vt definitio eſt inſtrumentum cognoſcendi res, & tunc non ageretur de definitione, vt de medio, ſed vt de inſtrumento ſeparato; ſi ſecundo modo, de hoc loquutus eſt Ariſt. in 1. libro, dũ aſsignauit conditiones propoſitionum demonſtrationis; illæ enim ſunt etiam cõditiones medij demonſtrationis propter quid, ergo in ſecundo non debebat agere de medio hoc modo. *Secunda.* Secundo ſequeretur, quod ars logica eſſet mãca & diminuta, quia non daretur medium, quod nos ducat in cognitionem quid eſt: nam ſi definitio conſideratur ſolùm vt mediũ demonſtrationis, ſic ſolùm notificat propter quid eſt, ergo non eſt dicendum, quod agat de definitione, vt eſt medium demonſtrationis in ſecundo libro, ſed de ea vt notificat quid eſt. *Tertia.* Tertiò ſtante hac opinione, non habemus inſtrumentum quod notificet ſubſtantiam, at logica eſt ſcientia inſtrumentalis, ideo debet docere nos omne cognoſcibile, ſcilicet tàm ſubſtantiam quam accidens, demonſtratio autem propter quid, ſolum notificat accidens, non autem ſubſtantiam: ergo niſi agat in 2. lib. Poſter. de definitione, vt eſt inſtrumentum notificandi ſubſtantiam, logica eſſet diminuta, & manca.

Ad primũ Ad primum argumentum Reſpon. quod Ariſt. in ſecundo non agit de medio, vt medium eſt, & propterea nõ agit de eo, vt facit ſcire propter quid eſt, neque vt facit ſcire quid eſt, ſed agit de definitione abſolutè ſecundum ſuam eſſentiam, quæ poſtea eſt medium, & docet cũ hoc quomodo reducatur ad demonſtrationem, reducitur autem præcipuè, quia eſt medium, ideo à principali reſpectu facta denominatione dico, quod agit in ſecundo de medio demonſtrationis, quod eſt dictum: agit in ſecundo de medio demonſtrationis materialiter, non formaliter. Sed dices definitio, vt definitio, ſatisfacit quęſtioni quid eſt, ergo ſi agit de definitione vt definitio, agit de ea vt inſtrumentum notificandi quid eſt.

Reſpondeo quod ſatisfacere quæſtioni quid eſt, poteſt duobus modis intelligi, vno modo cum ratione, alio modo ſine ratione, ſicuti etiam quęſtioni propter quid, duobus modis poſſumus ſatisfacere, ſine ratione, & cum ratione: ſine ratione ſatisfacimus: ſi quis quærat propter quid eclypſatur Luna? & ego Reſpondeo propter interpoſitionem terræ, ſatisfacio quęſtioni, quia queritur cauſa eclypſis, & ego adduco cauſam; ſed hęc ſatisfactio licet ſit per veram cauſam, tamen eſt ſine ratione neceſſaria, & illatiua, non enim oſtendo ratione aliqua hanc eſſe veram cauſam eclypſis; vnde poſſet ille eam negare: at cum per demonſtrationem propter quid, ſatisfacio huic quęſtioni, & accepta cauſam formo demonſtrationem ſecũdum regulas aſsignatas, ſatisfacio quęſtioni propter quid, cum ratione, & omne dubium aufero, exiſtentibus enim veris omnibus propoſitionibus, & per ſe, & vniuerſalibus, ſcio, quod hæc cauſa eſt cauſa talis effectus; cauſa ergo ſatisfacit quęſtioni ſine ratione, ſed demonſtratio ex ipſamet cauſa ſatisfacit quęſtioni cum ratione: vnde dicimus demonſtrationem eſſe inſtrumẽtum notificãs propter quid eſt. Et ita quæſtioni quid eſt, ſatisfacit definitio, ſed ſine ratione; nam quando ad quid eſt quærentem eſſentiam, & quidditatem rei ſatisfacio adducendo definitionem declarantem eſſentiã rei, ſatisfacio illi quęſtioni quid eſt, ſed ſatisfacio ſine ratione, vnde remanet dubius animus quærẽtis, an hæc ſit definitio vera; ſi quis enim quærat: quid eſt Cęlum? & ego Reſpondeo, eſt corpus æternum, ſatisfacio quæſtioni quidem, ſed non certifico animum quærentis: ſed adhuc dubitabit, numquid verum ſit quod cælum ſit corpus ęternum, vel aliquid aliud, quia non adduco vllam rationem mei dicti, at ſi demonſtratione quia, & ab effectu oſtendo cęlum eſſe corpus æternum, ſatisfacio quæſtioni quid eſt, & cũ ratione, & quieto animum quærentis. Poſſumus ergo dicere,

cere, quod definitio ſatisfacit quæſtioni quid eſt, ſed tamen non eſt inſtrumentũ logicum ſatisfaciens tali quæſito perfectè, quia non certificat animum querentis; ſed hoc eſt demonſtratio ab effectu, & inductio loquendo de ſubſtantia; ſed loquendo de accidente, eſt demonſtratio propter quid; quia hæc ſatisfacit iſtis quę ſitis cum ratione, & ideo propriè loquendo definitio non eſt inſtrumentũ ſatisfaciendi quæſito quid eſt ſubſtantiæ, vt dicitur communiter; ſed demõſtratio quia; Ad propoſitum dico, quod licet Ariſt. agat in ſecundo de definitione abſolutè, non tamen propter hoc ſequitur quod agat de definitione vt eſt inſtrumentum ſatisfaciendi quęſito quid eſt: quia ipſa non eſt tale inſtrumentum, ſed agit de illa ſecundum ſuam eſſentiã, cui poſtea accidit quod ſit medium, & pars demonſtrationis, & talis cognitio erat omninò neceſſaria ad perfectam demonſtrationis cognitionem ſicuti ad cognitionem totius requiritur cognitio omnium partium.

Ad ſecundũ, & quartum. Ex his patet quid dicendum ſit ad alia duo, non enim ſequitur quod ars logica ſit manca; quia licet definitio non ſatiſfaciat quæſtioni quid eſt, ſubſtantiæ, tamen illi ſatisfacit demonſtratio à poſteriori, & inductio, & quæſtioni quid eſt de accidẽte, ſatisfacit demonſtratio propter quid, vt dictum eſt in proprio quæſito.

Ad primum ꝓ prima opinione. Ad argumenta pro prima opinione, Reſpondeo ad primum, quod definitio non eſt inſtrumentum cognoſcendi ſubſtantiam, vt viſum eſt; & ideò licet in ſecundo libro Poſteriorum de definitione tractet, non tamen tractat de ea vt eſt inſtrumentum cognoſcendi ſubſtantiam, ſed agit de definitione, modo quo ſuperius diximus.

Ad ſecũdũ. Ad ſecundum nego Maiorem, & ad probationem dico, quod licet logica ſit ſcientia inſtrumentalis, non tamen propter hoc ſequitur, quod quidquid tractatur in logica ſit inſturmentum cognoſcẽdi: quoniam in logica agitur de quattuor quæſtionibus, de cognitione principiorũ, de vocibus incomplexis, & complexis, & de multis alijs quæ non ſunt inſtrumenta cognoſcendi, & notificandi, ſed ſufficit ſi reducantur ad inſtrumenta cognoſcendi aliquo modo.

Ad tertiũ Ad tertium dico, quod maior eſt falſa: quia non eſt verum quod definitio poſſit conſiderari vt inſtrumentum tale, ſed ſolum poteſt conſiderari, vt inſtrumentum ſignificandi ſubſtantiam, vt dictum eſt; quomodo autem conſideretur, & à logico, & à Metaphyſico diuerſo modo iã dictum eſt in Theoremate, quod definitio non eſt inſtrumentum logicum. *Theo. 16.*

Ad quartum. Ad quartum Reſpondetur, vt ad primum dictum eſt.

Ad argumẽtũ Zabarellæ. Ad argumentum Zabarellæ, concedo eius opinionem quo ad primam partẽ, quia ſumus cõcordes; quo ad ſecundam eam non teneo, ideò ad rationem pro ea dico, quod licet demonſtratio propter quid, reſoluatur in definitionem accidentis perfectam, & quod finis demonſtrationis propter quid, ſit illa definitio, non tamen propter hoc ſequitur, quod in toto ſecundo libro agat de tali definitione ſolum, vel de demonſtratione, vt reſoluitur in talem definitionem, & vt facit ſcire quid eſt de accidente proprio, quia iam viſum eſt, quod agit etiam de definitione ſubſtantiæ, quæ non eſt finis demonſtrationis propter quid, agit etiam de definitione in communi, agit de quæſtionibus de medio, & agit de ipſamet definitione abſolutè, vt refertur ad demonſtrationem, non refertur autem ſolum vt cõcluſio, ſed etiam vt principium demonſtrationis, ideò dicimus, quod abſolutè agat in ſecundo de definitione, & quia pręcipuus reſpectus definitionis ad demonſtrationem eſt inſeruire pro medio, dicimus in ſecundo lib. agi de definitione vt eſt medium, ſed illud, vt, non accipitur reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè, quatenus denotat proprium reſpectum conſequẽs definitionem, ita quod eſt ſenſus, agit Ariſt. in ſecundo Poſteriorum de definitione, quia munus definitionis principale eſt ingredi demonſtrationem propter quid, vt medium.

THEOREMATA PHILOSOPHICA.

THEOREMA XX.

Corpus naturale eſt ſubiectum in Philoſophia naturali.

Exponitur opinio Scoti, & aliorum, cum ſuis fundamentis. Cap. I.

SCotus multis in locis de hac re loquitur, ſed præcipue 6. Meth. q. 1. ſuam ſententiam apertè explicat, & comprobat, quæ eſt, quod ſubiectum in Philoſophia naturali eſt ſubſtantia corporea naturalis, quod eſt ac ſi dicat, corpus naturale eſſe ſubiectum. Clarũ eſt enim, quod corpus naturale, non eſt aliud, quam ſubſtantia corporea naturalis; etenim cum dicimus corpus eſſe ſubiectum in Philoſophia naturali, certum eſt quod non intelligimus de corpore Mathematico, & quãto, quia hoc à Mathematico conſideratur, ſed loquimur de corpore, quod eſt ſubſtantia, & cum addimus illam particulam, naturalẽ, hoc apertè declaramus; nam corpus naturale certum eſt, quod eſt ſubſtantia, non accidens; itaque cum dicimus ſubſtantiam naturalem, ſignificamus corpus naturale; & licet ſubſtantia ſit quid abſtractius corpore, tamen dum contrahitur per hanc particulam, naturalis, idem eſt quod corpus naturale, quia nulla ſubſtantia eſt naturalis, nec habet principium motus, niſi corpus naturale. Hanc opinionem probat Scotus ex ſufficienti diuiſione ſcientiarum facta ab Ariſt. in eo loco, ait enim, quod tres ſunt tãtum ſcientiæ ſpeculatiuæ, Metaphyſica, Mathematica, & Philoſophia naturalis, quia etiam ſunt ſolùm tria ſubiecta generica virtualiter, & in cõmuni continentia cognitionẽ omniũ rerum ſpeculabiliũ, & ſic ſunt tantum tres ſcientiæ ſpeculatiuę. Pobatur autem hoc ab eo ſic. Ab omnib. rebus ſpeculabilibus poteſt vnũ cõmune abſtrahi ſcilicet ens, de cuius cõmunitate dicta ſunt multa ĩ quęſtione de vniuocatione entis, hoc habet proprias paſſiones, & hoc cõſtituit Metaphyſicam; ſed quia ens complectitur omnia ſpeculabilia in vniuerſali, non autem in ſpeciali, debemus quærere ſubiecta ſpecialia, ſub ente autem prima diuidẽtia ſunt decem prędicamenta, ſed de his non poteſt eſſe alia ſcientia, niſi Metaphyſica, quia illa non habent alias paſſiones ſcibiles diuerſas à paſſionibus entis; oportet ergo inferius deſcendere diuidendo volentes inuenire alia ſubiecta ſpecialia, & ſic deſcendentes diuidendo non poſſumus diuidere aliquod genus accidentis, quia quodlibet illorum continetur virtualiter in ſubſtantia mediatè, vel immediatè, & ſic licet genus accidentis habeat aliquas paſſiones, quia tamen ipſum dependet ab alio, non poteſt eſſe primum ſubiectum, oportet ergo diuidere præciſè ſubſtantiam, vt habeatur ſubiectũ primum ſc entię alterius à metaphyſica. Diuiditur autem ſubſtantia in corporeã, & in incorpoream, incorporea pertinet ad Metaphyſicum, quia de ipſa nobis notæ sũt ſolùm pro hoc ſtatu paſſiones entis; vt aliàs in rebus Metaphyſicalibus declarabo contra quoſdam modernos; corporea verò eſt talis conditionis, quod ei primò conſideratę, abſolutè ineſt quãtitas, ad quam poſtea multa alia conſequuntur, quæ omnia ſunt ſcibilia, & ſic ſubſtantia corporea quanta eſt ſcibilis, & ſic ipſa conſtituit aliam ſcientiã diuerſam à Metaphyſica, quæ dicitur Mathematica. Et licet communiter Mathematica dicatur eſſe ſolùm de quantitate, hoc nihil refert, vt ibi declarãt Scotus, & Anton. Andręas, q. 3. quia hoc non prouenit, quia quantitas ſit ſubiectum in Mathematica ſed hoc prouenit, quia in Mathematica non oſtenditur, quantitatẽ ineſſe ſubſtantiæ corporeæ, ſed ſupponitur quaſi medium ad probandum poſteriores paſſiones quę cõſequuntur quãtitatem neque in Mathematica oſtenditur aliquid de ſubſtãtia corporea niſi per naturam quantitatis tamquam primæ paſſionis: ideò videtur eſſe quaſi ratio propria ſubiecti illius ſcientię, & quaſi ponitur ſubiectũ, licet ſit ibi paſſio, quia includitur in ſubiecto priori, ſcilicet ſubſtantia corporea. Vlterius eadem ſubſtantia corporea non contracta ad aliquod inferius, ſed aliter conſiderata, ſcilicet

Probat Scot⁹ ſuã opinionem.

licet in quantum habet formam, quę eſt principium determinatę operationis, ſcilicet motus, & quietis, habet multas paſſiones ſibi inhærentes, & ſcibiles via ſenſus, & ſic poteſt cōſtituere aliā ſcientiam ſpeculatiuam, quæ Phyſica, ſiue Philoſophia naturalis dicitur. Præter iſtas tres ſcientias, non poteſt reperiri aliqua ſciētia ſpeculatiua, quæ non contineatur ſub aliqua iſtarum, quia erit de aliqua ſubſtantia inferiori, vel de aliquo accidente, quę omnia ſub his continebuntur neceſſariò. Ex hac ſufficientia diuiſionis ſcientiarum tradita ab Ariſtot. Scotus probat, quod ſubſtantia naturalis corporea ſit ſubiectum in Philoſophia naturali, dictū eſt autem, quod ſubſtantia corporea naturalis idem eſt quod corpus naturale, ergo Scotus iudicauit, quod corpus naturale ſit ſubiectum; elicitur etiam quod iudicauit ſubiectum formale eſſe, vt naturale: quia dixit, quod ſubſtantia naturalis eſt ſubiectum quatenus habet formam, quę eſt principium motus, & quietis, quod eſt dicere corpus naturale eſſe ſubiectum, vt naturale, eſt enim principium motus ſolum quatenus eſt naturale; Hęc igitur eſt vera opinio Scoti, & coincidit cum opinione ferè omnium Philoſophorum huius ætatis, qui ſuſtinent, quod corpus naturale in tota Philoſophia naturali eſt ſubiectum adęquatum ſub hac conſideratione quatenus eſt naturale. Hęc opinio probatur ex conditionibus ſubiecti aſſignatis ab Ariſt. varijs in locis in libris Poſteriorum. Prima, quod de eo præcognoſcatur quod eſt, & quid eſt; Secunda, quod habeat principia, & paſſiones, quæ paſſiones demonſtrentur de ipſo ſubiecto per eius principia; Tertia, quæ deſumitur ex his, quod ſit adæquatum ſcientiæ, ita quod nihil contineatur in ſcientia, quod non contineatur etiam in ſubiecto, & nihil ſit in ſubiecto, quod nō explicetur in ſcientia; modo clarum eſt, quod iſtæ conditiones competunt corpori naturali, nam Ariſtoteles in 2. Phyſ. ponit ſtatim definitionem corporis naturalis, & ex hoc pręſupponit, quod ſit, quia nunquam quærimus de re quid ſit, niſi præſupponatur, quod ſit; Secunda conditio patet: nam principia ſubiecti ſunt in duplici conſideratione: alia ſunt principia eſſendi, & alia ſunt principia cognoſcendi; principia eſſendi ſunt, quæ conſtituunt ſubiectum, vt reſpectu hominis materia, & forma; principia cognoſcendi ſunt propoſitiones quædā maximæ, ex quibus deuenimus in cognitionem ſubiecti, non eſt neceſſe, quod quodlibet ſubiectum habeat principia eſſendi, ſed neceſſarium eſt, quod ſemper habeat principia cognoſcendi; in ſecūdo autē Phyſic. Philoſophus ponit multas propoſitiones, quæ ſunt principia cognoſcendi corpus naturale, vt eſt definitio corporis naturalis, definitio naturæ, & aliæ multæ propoſitiones. De paſſionibus, patet: quia in reliquis ſex vltimis libris agit de motu, loco, tempore, infinito, & vacuo, quæ ſunt paſſiones corporis naturalis, vt etiam amplectitur Cęlum. Confirmatur ex primo de Cælo, textu primo, vbi Ariſt. apertè ait, Philoſophiam naturalem verſari circa corpora, & rurſus circa paſſiones, & motum talium corporū, etiam circa principia corporum, quæ ſunt ſubſtantię; & probat hac ratione; quia quæ natura conſtant, ſunt corpora, & magnitudines, & horum paſſiones, & principia. Item 6. Metaph. tex. 1. ait Philoſophiam naturalem conſiderare ſubſtantias ſenſibiles, quæ cum motu ſunt. Patet etiam tertia conditio, quia nihil conſideratur in Philoſophia naturali, niſi vt habet naturam, ſiue principium motus in ſeipſo, & nihil omittitur, quod habet principium motus, & quietis in ſemetipſo, & ſic eſt adęquatum; vnde breuiter ſic poteſt cōſtitui ratio. Illud eſt ſubiectum in tota Philoſophia naturali, cuius principia, & paſſiones conſiderantur in octo libris Phyſ. ſed ſic eſt, quod ī iſtis octo libris Phyſ. agitur de principijs, & paſſionibus corporis naturalis, ergo corpus naturale eſt ſubiectum; Maior, & Minor patent ex prædictis. Hæc eſt ſententia Scoti, ideò veri Scotiſtæ naturaliter loquuntur, non innaturaliter, vt inquit Caietanus in quæſtione de ſubiecto Philoſopiæ naturalis, quod dico propter Ioan. Canonicum, & nonnullos alios, qui ad mentem Scoti ponunt ſubiectum in Philoſophia naturali eſſe ſubſtantiam finitam, quatenus complectitur Ange- *Caietani calūnia reijcitur.*

Angelos quoque; hæc enim opinio non eſt ad mentem Scoti, nec Ariſt. quia licet Angeli moueantur verè de loco ad locũ, ſecundum ſubſtantiam, tamen hoc ignorauit Ariſtot, quia voluit motum eſſe paſſionem corporis non ſubſtantiarum abſtractarum; neque Scotus hoc impoſuit, vel imponere intendit Ariſtoteli. Aliæ rationes, & auctoritates haberi poſſunt apud alios auctores pro hac opinione. Sed hæc opinio magis confirmatur ex confutatione aliarum opinionum contrariarum, ideo illas examinare oportet.

Præter hanc, quam nos ſuſtinemus ſunt aliæ tres opiniones de hoc ſubiecto Philoſophiæ naturalis. Prima opinio eſt D. Thomæ, & ſuorum ſequaciũ, qui in 1. Phyſ. aſſerit ſubiectum eſſe ens mobile; ſed hæc opinio diuerſimodè explicatur à Thomiſtis; quidam accipiunt ens mobile abſolutè, ſic, vt eſt quid communius ad corpus naturale, & in hoc ſenſu eam probare nituntur; eorum autem fundamentum eſt, quod putant materiam, & formam eſſe mobiles per ſe aliquo pacto, modo materia, & forma non continentur ſub corpore, ſed ſub ente, & ideo ſtatuunt pro ſubiecto ens mobile, non corpus mobile, ſiue naturale; vnde pro ipſis ſic poſſumus arguere. Illud eſt ſubiectum in aliqua facultate, quod complectitur omnia, quæ tractantur in illa facultate, ſed ſic eſt quod ens mobile, & non corpus mobile complectitur omnia tractata in Philoſophia naturali, ergo ens mobile eſt ſubiectum. Maior eſt euidens, Minor probatur: quia materia, & forma ſunt per ſe aliquo modo mobiles; & illæ non continentur ſub alio conceptu, quã cõceptu entis, vt eſt mobile, ergo ens mobile eſt ſubiectum D. Thomas autem probat, quod corpus mobile non poſſit eſſe ſubiectum in Philoſophia naturali, vnica ratione, quæ talis eſt. Nulla ſcientia probat ſuum ſubiectũ dari, ſed ſic eſt, quod in 6. lib. Phyſ. Ariſtoteles probat dari corpus mobile (probat enim omne illud, quod mouetur eſſe corpus,) ergo corpus mobile non poteſt eſſe ſubiectum, vnde ex hoc poſſumus elicere confirmationem opinionis D. Thomæ ſic deducendo. Subiectum in tota Philoſophia naturali neceſſariò eſt ens mobile, vel corpus mobile: quia non videtur aliquid aliud poſſe poni ſubiectum, ſed ſic eſt, quod corpus mobile non eſt ſubiectum, quod probauimus, ergo relinquitur quod ſubiectum ſit ens mobile. Tertiò arguitur pro hac opinione D. Thomæ. Illud eſt ſubiectum in tota Philoſophia naturali, quod eſt ſubiectum primæ paſſionis conſideratæ in Philoſophia naturali: ſed ſic eſt quod prima paſſio, quæ conſideratur in Philoſophia naturali eſt mobilitas, ergo ſubiectum primum mobilitatis erit ſubiectum in tota Philoſophia; ſubinferas minorem; ſed ſic eſt, quod ſubiectum mobilitatis eſt ens mobile, ergo ens mobile eſt ſubiectum in tota Philoſophia naturali; Probatur hæc vltima minor per definitionem motus aſſignatam ab Ariſt. tertio Phyſ. vbi dicit, quod motus eſt actus entis mobilis, vt mobile, non dicit corporis, ſed entis, ergo.

Opinio D. Tho. — *Secundo.* — *Tertio.*

Et cõfirmatur a Jauello in primo Phy. q. 1. quia Ariſt. ibi declarans definitionẽ motus, exẽplificat de generatione, & corruptione, quarum ſubiectum eſt materia prima; ergo materia prima eſt mobilis, ſiue ſubiectum motus, & conſequenter primum ſubiectum nobilitatis eſt ens.

Caietanus autem in proprio quæſito de ſubiecto Philoſophiæ naturalis, hanc opinionem diligentius examinat, & tandem aſſerit, quod D. Thomas quando ait ens mobile eſſe ſubiectum Philoſophiæ naturalis, per ens intelligit ens propriè, quod eſt illud, quod fit ſcilicet compoſitum, adeo quod per ens non intelligit quodcumque, quod habeat eſſe quocũque modo, ſed intelligit ens verum quod proprium habet eſſe, vt eſt compoſitum, quod habet eſſe per generationem, ſiue ſit ſubſtãtiale, vt homo, ſiue accidentale, vt homo albus, & ſic colligit, quod quælibet pars, ſubiectiua entis mobilis (quod eſt ſubiectum) debet eſſe propria ens id eſt compoſitum, & mutabile mutatione Phyſica: & ideo ſubinfert, quod nec materia prima, nec forma ſubſtãtialis, nec accidentalis, ſunt ens mobile, ſed ſolũ ſunt principia entis mobilis. Per mobile verò poſt longum ſermonem intelligi ait, fundamen-

Opinio Caietani.

damentum aptitudinis ad motum; & tādem ait, quod hæc mobilitas eſt quod quid eſt rerum naturalium præcedens naturalitatem, & mobilitatem paſſionis earum; Quæ ſententia ſi habet vllum ſenſum, ſignificare videtur, quod mobilitas, quæ eſt ratio formalis entis, (quod eſt ſubiectum) non eſt paſſio entis, ſed quid intimius, & eſſentiale enti, quod clarius dixerat, dum aſſeruit mobilitatem hanc eſſe fundamentum aptitudinis ad motum. Recolligens autem hanc ſuam ſententiā, ne quis exiſtimaret propter has reſtrictiones eum declinare ad eam ſententiam, quod corpus naturale, vel ſubſtantia naturalis, ſit ſubiectum, declarat quomodo differat ab his ſententijs hoc modo; Ens mobile ſe extendit ad omnia naturalia compoſita, quæ ſunt mutabilia, ſiue ſint ſubſtantialia, ſiue accidentalia, ſiue ſint mutabilia ſecūdum formam abſolutam, ſiue ſecundum Vbi, & inſuper ens mobile hoc modo eſt tanto quid abſtractius corpore mobili, & ſubſtantia naturali, quanto ens aliquem gradum concomitans eſt prius corpore mobili, & ſubſtantia naturali, & licet ens coarctetur per mobile (ait Caietanus) hoc nihil obſtat: quia licet ens mobile, & ſubſtantia mobilis, quo ad ly mobile, conueniant, & ſint æqualis abſtractionis, tamen remanet maior abſtractio ex parte entis reſpectu ſubſtantiæ, & corporis; vnde ſicut ſubſtantia rationalis eſt quid abſtractius, quàm animal rationale, ita ens mobile eſt quid abſtractius ſubſtantia naturali, & corpore mobili, quod declarat exemplo. Si quis concederet eſſe ſubſtantiam rationalem, adhuc eſſet locus diſputandi, an illa ſubſtātia rationalis eſſet corpus, aut animal, & tunc quæſtio à magis abſtracto, ad minus abſtractum, deſcenderet; ita in propoſito ſub ente mobili remanet quæſtio, an ens ſit ſubſtantia, & an ſit corpus, & ſic ens eſt quid abſtractius corpore mobili, & ſubſtantia naturali, & ſic cōcludit quod de mente Diui Thomæ res, quæ ſunt in Philoſophia naturali, induunt rationem ſubiecti Philoſophiæ naturalis, nō quatenus ſunt ſubſtātiæ mutabiles, & naturales, neque quatenus corpora mobilia ſūt, ſed quatenus ſunt entia mobilia.

Hanc ſententiā probat tribus medijs. *1. rō.* Primum eſt. Adæquatum ſubiectum primarum paſſionum naturalium eſt adæquatum ſubiectum in Philoſophia naturali: ſed ens mobile, & nō ſubſtantia mobilis, vel naturalis, eſt adæquatum ſubiectum paſſionum naturalium, ergo, maior eſt per ſe nota; minor probatur: ſupponendo, quod tranſmutabilitas ſit prima paſſio Phyſica, ſic. Adæquatum ſubiectum tranſmutabilitatis habet materiā, formam, & priuationem pro adæquatis principijs, ſed tantum ens mobile habet hæc pro adæquatis principijs, ergo nihil aliud ab ente eſt ſubiectum. Adhuc probat minorem ex 12. Metaph. textu 19. vſque ad 29. vbi oſtenditur, quòd materia, forma, & priuatio non arctantur ad genus ſubſtantiæ, ſed ſunt in alijs prædicamentis; adeo quod materia, forma, & priuatio, generis ſubſtantiæ, ſunt principia propria ſubſtantiæ mutabilis, materia, forma, & priuatio in genere quantitatis ſunt principia propria quanti mutabilis, & ſic de qualitate; Secundò arguit *2. rō.* auctoritate Ariſt. in 3. Phyſ. qui definiens motum, dixit: motus eſt actus entis in potentia, id eſt, eſt actus entis mobilis. Ariſt. non dixit, quòd motus ſit actus corporis, vel ſubſtantiæ, ſed entis; ex hoc arguitur ſic. Illud eſt ſubiectū Philoſophiæ, quod ponitur in definitione primorum accidērium naturalium, quia tale eſt proprium ſubiectum eorum, vt patet ex 7. Metaph. tex. 15. ſed non corpus, neque ſubſtantia ponitur in definitione motus, qui eſt præcipua paſſio naturalis, ergo ens mobile eſt ſubiectum in Philoſophia naturali. Confirmatur ex primo Phyſ. textu 11. vbi Ariſtoteles ait, ſupponendum eſſe omnia, aut quædam moueri, non dicit corpora, vel ſubſtantias, ergo.

Opinio Aegidij. Aegidius Romanus aliam opinionem ſuſtinet, & eſt, quod ſubiectum in tota Philoſophia naturali ſit corpus mobile, & ſupponit hanc propoſitionem eſſe veram, quod ſubiectum in Philoſophia naturali, vel ſit ens mobile, vel corpus mobile; ſtante hoc ſuppoſito, ſic arguit: ſed ſic eſt, quod ens mobile non eſt ſubiectū, ergo corpus mobile erit ſubiectum; Probat hanc minorem tali pacto: quia ſi Philoſophia

loſophia naturalis contemplaretur ens mobile, ſubalternaretur Metaph. quod eſt falſum, Probatur conſequentia: quia illa eſt ſcientia ſubalternata, quæ conſiderat idem ſubiectum, quod conſiderat ſuperior addita tantum differentia accidentali, at Metaph. contemplatur ens, vt ens eſt, ergo ſi Philoſophia naturalis contemplatur ens, vt mobile, conſiderat idē ſubiectum, quod Metaphyſica, addita ei tantum differentia accidentali, quæ eſt mobile; hac ratione iudicat ſubiectum eſſe corpus mobile, non autem ens mobile.

3. opinio. Tertia opinio eſt quorundā recentiorum, qui dicunt ſubiectum Philoſophiæ naturalis eſſe corpus generabile, & corruptibile; hanc ſuam opinionem comprobant tali ratione. Illud eſt ſubiectum in Philoſophia naturali, cuius principia cōſiderantur in primo libro Phyſic. at in primo libro Phyſ. conſiderātur ſolūm principia corporis generabilis, & corruptibilis, ergo corpus generabile, & corruptibile eſt ſubiectum. Maior probatur: quia illud eſt ſubiectum in aliqua facultate, cuius principia in illa conſiderantur; minor autem probatur: quia in primo lib. Phyſ. agitur de materia, forma, & priuatione, quæ ſunt principia corporis generabilis, & corruptibilis ſolum, patet enim quod Cælum non conſtat ex materia, & forma.

Secundo ſubiectum debet eſſe vniuocum; at corpus vniuerſale, vt complectitur cæleſte, & generabile corpus, non eſt vniuocum, ſed æquiuocum, ergo. Maior eſt clara. Minor probatur: quia ex Ariſt. 10. Met. tex. vltimo, æternum, & corruptibile inter ſe genere differunt, ergo non habent vnam naturam communem vniuocam. Nec valet reſponſio cōmunis, quod corpus naturale eſt analogum, quoniam analogia non mediat inter vniuocum, & æquiuocum, vniuocum enim, & æquiuocum contradictoriè opponuntur: inter cōtradictoria autem non datur medium, ergo analogum erit, vel vniuocum, vel æquiuocum, ergo admiſſo, quod corpus naturale, vt ſic, commune ſit analogum, adhuc neceſſario æquiuocum, vel vniuocum erit, non eſt vniuocum, ex argumento allato, ergo erit æquiuocum, & ſic non poteſt eſſe ſubiectum.

Tertio ſi Cælum eſſet pars corporis naturalis, quod eſt ſubiectum in Philoſophia naturali, ſequeretur Cælo competere definitionem corporis naturalis, quod eſt ſubiectum Philoſophiæ naturalis; ſed hoc eſt falſum, ergo. Conſequentia eſt euidens, quia prędicata, quæ competunt generi, debent competere quoque ſpeciebus, iuxta illam Regulam Antepredicamentalem: Quæcumque de prædicato dicuntur, & de ſubiecto. Falſitas conſequētis probatur: quia corpus naturale, quod eſt ſubiectum in Philoſophia naturali, ex Ariſt. 2. Phyſicorum tex. 1. eſt, quod habet in ſeipſo principium internum motus; at Cęlum nullum habet internum principium motus, ſed externum tantū; ſcilicet ab intelligentia, quæ eſt motrix illius, ergo.

Cæteræ opiniones reijciuntur, & confirmatur opinio Scoti. Cap. II.

PRo intelligentia iſtius materiæ animaduertendum eſt illud commune, quod duplex eſt ſubiectum, ſcilicet materiale, & formale, materiale eſt res conſiderata, formale verò eſt modus conſiderandi, quò ad vtrumque errauerunt opiniones iſtę, tamen poſſunt redigi ad bonum ſenſum D. Thomas pro ſubiecto materiali poſuit ens, & modum conſiderandi voluit eſſe mobile; tamen ſi rectè conſideremus quid ſit ens mobile, videbimus, quod nihil aliud eſt, niſi corpus naturale, propterea quod ſolum corpus naturale eſt mobile; materia enim per ſe, & forma per ſe, non ſunt mobiles, ſed compoſitum ſolum eſt per ſe mobile, quia habet in ſeipſo principia motus, quæ ſunt materia, & forma; vnde dum dixit ens mobile eſſe ſubiectum in Philoſophia naturali, eſt, ac ſi dixiſſet corpus naturale eſſe ſubiectum, & ſic opinio D. Thomę poteſt redigi ad bonum ſenſum; Quò ad formale opinio D. Thomæ ſimiliter, & opinio Aegidij poſſunt redigi ad bonum ſenſum. Aegidius autem non errauit circa ſubiectum materiale, quia poſuit illud eſſe corpus, ſed cum D. Thom. Opiniones addictæ poſſunt reduci ad bonū ſenſum.

errauit

errauit circa formale,quia poſuit corpus vt mobile:poſſunt tamen iſtæ duæ opiniones redigi ad bonum ſenſum,hoc modo. Mobile poteſt duobus modis accipi; vno modo pro aptitudine illa ad moueri,quę eſt qualitas,& accidens,de Prædicamento Qualitatis,alio modo poteſt accipi pro principio iſtius aptitudinis ad moueri, ſcilicet pro illa vi,& principio interno ad moueri:ſi accipiatur hoc ſecundo modo, ſunt nobiſcũ,quia tunc tantũ eſt ac ſi dicant,quod corpus,vt eſt principium motus,eſt ſubiectum,at illud,quod eſt principium motus,eſt tantum corpus naturale,vt habetur in 2.lib.Phyſ.tex.1. & 2. nã corpus naturale eſt illud, qnod habet internum principiũ motus; ſi verò accipiatur mobile pro aptitudine illa ad moueri, quæ eſt accidẽs de Prædicamẽto Qualitatis,tunc eorum opinio eſt falſa;& quoniã Thomiſtæ Moderni,& ſectatores Aegidij nolunt has accipere interpretationes, quibus iſtę opiniones poſſunt redigi ad bonum ſenſum,ſed illas volunt ſuſtinere ſecundũ eum ſenſum,quo proferũtur, ideò illas vt falſas impugnare debemus.

Contra D. Tho. 1. rõ. Contra itaque opinionẽ D.Tho.vt illã ſuſtinent Thomiſtæ cõmuniter, Primò ſic arguitur. Illud eſt ſubiectum in Philoſophia naturali,quod poteſt moueri,(& hęc ratio probat aduerſus ſubiectũ materiale)ſed ſolùm corpus,non autẽ materia,& forma, nec quid abſtractius corpore poteſt moueri,ergo corpus eſt ſubiectũ materiale,non autem aliquid cõmunius corpore, & communiter ens mobile non eſt ſubiectum. Minor probatur ex Ariſt. 3. Phyſ.tex.8.& etiã 5.lib.text.7.8. & 9. vbi probat,quod omne illud quod mouetur, debet eſſe actu,quia,quod nõ eſt actu,nõ poteſt moueri,& præſertim 3.Phyſ.poſtquã aſſignauit definitionem motus,& dixit,quod eſt actus entis in potẽtia, in tex. 8.declarat quomodo ſit entis in potentia, ne quis exiſtimaret, quod motus eſſet actus entis,quod eſt omnino in potentia, diſtinxit, quod motus eſt actus illius entis,quod eſt partim actu,& partim potẽtia,& quod motus eſt actus illius entis nõ ea parte, qua eſt actus, ſed ea parte qua eſt potentia: vnde poſtea ſtatuit illã propoſitionum vniuerſalẽ,quod illa ſunt entia Phyſica, quæ mota,mouent:quia partim ſunt actu,& partim potentia: at materia,& forma,per ſe conſiderata ante compoſitionem non ſunt actu,ſed ſolum corpus,ergo nihil quod eſt communius corpore,poteſt moueri. Secundò probatur idem. Ariſtoteles in ſecundo Phyſ.tex.12. ait,quod materia eſt terminus à quo,generationis,forma verò terminus ad quẽ, ſed illud, quod eſt terminus à quo, motus,non mouetur: quia ab illo incipit motus,ipſum autem excluditur à motu: ait autẽ Ariſtoteles quod materia eſt terminus à quo,generationis, ergo materia nõ generatur,& ſic non mouetur, ergo nihil commune ad materiam, veluti eſt ens, debet poni ſubiectum. *Secũda rõ.*

Tertia rõ. Tertiò arguo ſic. Materia, & forma nulla ſpecie motus poſſunt moueri, ergo non poſſunt eſſe ſubiectum motus. Antecedẽs probatur ex Ariſtotele primo Phyſ. tex.82.materiã eſt ingenerabilis,& incorruptibilis,ſimiliter forma,quia eſt principium,& cauſa,non cauſara,neque principiata,ergo materia,& forma, non poſſũt moueri motu generationis, neque motu corruptionis,quæ eſt prima ſpecies mutationis; neque moueri poſſunt motu augmẽtationis:quia hic fit in Prædicamento Quantitatis, ſed materia, & forma non ſunt quantitates, ſed ſubſtantia; neque motu alterationis: quia hic fit ſolùm in Qualitate, materia, & forma non ſunt qualitates; neque fit in Prædicamento Vbi:quia,quod mouetur ad Vbi, eſt corpus, materia autem per ſe, & forma per ſe, non ſunt corpus, ſed principia corporis.Corpus ergo eſt illud,quod per ſe mouetur, materia verò,& forma, ſolùm per accidens mouentur, ſcilicet, ad motum corporis. Subiectum ergo motus propriè, & per ſe eſt corpus, non quid cõmunius corpore. Sed fortaſſe quis dicet:materia,& forma dicuntur moueri, ſed vario modo, atque corpus;corpus enim eſt ſubiectum motus adæquatum,materia eſt ſubiectum motus radicaliter, quia materia eſt radix omnis paſſionis:forma verò eſt ſubiectum motus terminatiuè, quia motus terminatur ad formam. Contra, tunc ſequeretur quod quidquid coniunctũ eſt cum motu,vel quod habet aliquã *Reſpõſio queudã.* *Reijcitur.*

relationem

relationem ad motum, eſſet ſubiectum motus, & aliqua ſpecies ſubiecti, quod eſt falſum; falſitas conſequentis patet: quia tunc nulla erunt principia diſtincta à ſubiecto, nullæ paſſiones, ſed omnia tacta in Philoſophia naturali erunt partes integrales ſubiecti; Conſequentia patet: quia & principia, & paſſiones, & accidentia naturalia, ſunt aliquo pacto mobilia, ſi enim eſſent immobilia, non pertinerent ad Philoſophiam naturalem; ſi ergo materia, & forma, quia aliquo modo ſunt mobilia, ſunt partes integrales ſubiecti, eadem ratione, & principia, & paſſiones erunt partes integrales ſubiecti. Præterea, cum motus propriè, & principaliter dicatur de motu locali, deinde de alijs motibus, illa quæ habent relationẽ ad motum localem, dici debebunt mobilia motu locali, & ſic locus cum ſit terminus motus localis, vt forma ſubſtantialis, eſt terminus generationis, erit mobilis, quod tamen Ariſtoteles expreſsè negat in quinto Phyſ. in definitione loci, vbi apertè dicit, quod locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum; ex quo loco apertè patet Ariſtotelem dicere locum eſſe immobilem. Tempus quoque quia eſt numerus motus, erit mobile; habet enim relationem ad motum; non eſt ergo dicendum, aliquid communius corpore naturali eſſe ſubiectum adæquatum motus.

Contra ſubie- ctum for- male. Contra ſubiectum formale arguo. Nulla ſcientia poteſt probare de ſuo ſubiecto quod ſit à priori, neque poteſt oſtendere ſubiectum formale ineſſe ſubiecto materiali à priori, ſed ſic eſt, quod in Philoſophia naturali poſſumus probare à priori, quod mobilitas ſit, & quod mobilitas inſit corpori, ergo mobilitas non poteſt eſſe ſubiectum formale Philoſophiæ naturalis; Maior eſt euidens ex dictis ab Ariſtotele in lib. Poſteriorum: nam ſubiectum præſupponitur, & quæritur de paſſione ipſius; Minor probatur: quia poſſumus ſic arguere. Illud, quod habet principium internum motus, eſt mobile, ſed corpus naturale habet internũ principium motus, nempe naturam, ſiue materiam, & formam, ergo Corpus naturale eſt mobile. Tertiò arguitur contra vtrumque, ſcilicet tàm contra ſubiectum materiale, quàm formale. *Contra vtrumque.* Nullum aggregatum per accidẽs poteſt eſſe ſubiectum in aliqua ſcientia, ſed corpus mobile eſt aggregatum per accidens, ergo non poteſt eſſe ſubiectum. Maior probatur: quia aggregatum per accidens, non eſt ſcibile, non enim de ipſo poteſt aſſignari definitio, vt inquit Ariſtoteles in ſeptimo Metaph. poſt tex. 12. vſque ad 20. neque de ipſo poteſt haberi ſcientia, quia non eſt vna res, vt homo albus, ſed duæ res diſtinctæ. Minor probatur: quia corpus eſt ſubſtantia, mobilitas verò eſt accidens, ergo corpus mobile eſt aggregatum per accidens. Reſpondet huic rationi Iauellus in 4. Metaph. quòd mobile licet ſit accidens, tamen gerit vicem differentiæ, & ſic non eſt inconueniẽs, quod aſſignetur pro formali ſubiecto Philoſophiæ naturalis; Sed hæc reſponſio eſt nulla: quia primo non tollitur per hoc, quin corpus mobile ſit aggregatum per accidens, de quo negatur ab Ariſt. poſſe haberi ſcientia; ſecundo falſum eſt, quod non poſſit haberi differentia Subſtantialis ſecundum quam cõſideratur corpus in Philoſophia naturali, quia illa eſt naturale, vt oſtendimus.

Ad rationes D. Thomæ. Ad rationes D. Tho. Reſp. & primo, ad primum quod maior propoſitio deficit, non enim ſolùm requiritur ad ſubiectum quod amplectatur omnia conſiderata, ſed debet eſſe etiam adæquatum, ita quod non excedat ſcientiam; modo ens eſt nimis commune, & propterea non eſt adæquatũ. Præterea eſt falſum, quod omnia reducantur ad ens mobile tamquàm ſubiectum proximum, quia illud eſt corpus naturale, & fundamentum rationis ſuæ, quod erat, quod materia, & forma erant mobiles; iam viſum eſt eſſe falſum, nam nec materia, nec forma per ſe ſunt mobiles, quia non ſunt actu, ſed ſolum corpus per ſe eſt mobile. *Ad ſecũdã rationem.* Ad ſecundam rationem negatur illa propoſitio, quæ ſubintelligitur, videlicet, quod in Philoſophia naturali ſubiectum ſit, vel ens mobile, vel corpus mobile: oſtendimus enim, quod neutrum eſt ſubiectum. *Ad 3.* Ad tertiam negatur minor ſcilicet quod primum ſubiectum motus ſit ens mobile, quia,

ſe, quia, vt dictum, eſt primum ſubiectũ motus eſt corpus naturale, non enim materia, & forma ſunt mobiles per ſe. Ad definitionem Ariſt. de motu, dictum eſt, quod motus eſt actus entis non omnino in potentia, ſed partim actu, partim potentia, & quod motus eſt actus entis, non ex ea parte, qua eſt actus, ſed ex ea parte, qua eſt potentia, hoc autem eſt corpus naturale. Ad rationem Iauelli dico, quod materiam eſſe ſubiectum generationis, duobus modis poteſt conſiderari, vno modo pro fundamẽto, ſuper quo fit motus generationis, & corruptionis, & hoc modo verum eſt, quod materia eſt ſubiectum generationis: ſed in hoc ſenſu non accipitur in propoſito; alio modo ſubiectum accipitur pro mobili, quod ſubijcitur motui, & mutatur, & hoc modo ſubiectum accipitur ab Ariſt. in definitione motus, & ſic materia non eſt ſubiectum: quia non eſt mobilis; non enim generatur, vel corrumpitur, ſed corpus naturale ſolùm eſt ſic ſubiectum. Ex his patet confutatio opinionis Ægidij, & ſolutio ſuarum rationum.

Ad rationẽ Iauelli.

Reijcitur ſententia Caietani, & Recentiorum. Cap. III.

OPinio verò D. Tho. ſecundum explicationẽ Caiet. impugnatur hoc modo. Primò, quia non eſt ad mentem D. Tho. vt colligi poteſt ex dictis ſuprà, vbi explicauimus quomodo ſentẽtia D. Tho. poſſit redigi ad bonum ſenſum. Secundò, illa opinio, vt conſideratur à Caieta. neceſſario in re coincidit cum noſtra ſententia, licet ſecundum eius mentem diuerſa ſit, quod oſtenditur breuiter: Primò per mobile ſe declarat, quod intelligit fundamentum aptitudinis ad motum rei mobili; at hoc fundamentum aptitudinis ad moueri, eſt naturalitas, quia ratio propter quam aliquid eſt mobile, eſt natura, vt declarauimus, neque aliquid eſt in re mobili, quod pręcedat naturam, mobile ergo idem eſt quod naturale, accipiendo mobile ſecundum declarationem Caiet. declarando verò quid intelligat per ens, quod eſt ſubiectum materiale ſit, ſe intelligere compoſitum ex materia, & forma, nõ quodcumque ens, quod ſub ſe comprehendit materiam, & formam tamquam partes integrales: at ens compoſitum ex materia, & forma, eſt idem quod corpus naturale; probatur: quia omne ens compoſitum ex materia, & forma, eſt corpus naturale, & licet hoc ſit de ſe clarum, & nullus ſanæ mentis negaret, tamen probatur, quod hoc ens cõpoſitum ex materia, & forma, vel ſit idẽ quod corpus naturale, vel ſit figmentũ. Hoc ens compoſitum ex materia, & forma, poſitum à Caiet. quod eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti, & enti per accidens, neceſſariò eſt quid communius decem prædicamentis, alioquin non extenderetur ad compoſitum ſubſtantiale, & accidentale ſimul, vt vult Caietanus, tũc ſic arguitur. Nullum compoſitum ex materia, & forma, datur, quod ſit ſupra Prędicamentum ſubſtantiæ, ſed omne tale compoſitum idem eſt, quod corpus naturale de Prædicamento ſubſtãtiæ, ergo idem eſt ens mobile expoſitum pro compoſito ex materia & forma, quod corpus naturale, vel tale ens compoſitum eſt commentum, conſequentia patet: antecedens probatur. Si daretur hoc ens compoſitum diſtinctum, & commune ſubſtãtiæ, & accidenti, ſequeretur quod omnis ſubſtantia Prædicamentalis, & omne accidens eſſet compoſitum ex materia, & forma, conſequens eſt falſum, vt patet de ſubſtantia incorporea, quæ eſt in Prædicamento, etiam ſecundum D. Tho. qui cum alijs Latinis vult, quod ſupremum genus de Prædicamento ſubſtantiæ ſit ſubſtantia, & quod ęterno, & corruptibili ſit aliquid vniuocum, & de accidentibus quæ ſunt formæ ſimplices, vt infra dicam; conſequentia probatur. Omne ſuperius includitur in ſuis inferioribus, ſed compoſitum illud eſt ſuperius ad ſubſtantiam, & accidens, ergo includitur in ſubſtantia, & accidente, & ſic omnis ſubſtantia, & omne accidens, eſſent compoſita ex materia, & forma; & nota quod hanc rationem non poteſt vitare Caiet. quia tenet, quod ens mobile hoc modo eſt quid abſtractius ſubſtantia naturali, & quid commune accidentibus; modo quod eſt commune ſubſtantiæ, & accidentibus, eſt

1. ratio cõtra Caietanũ.

Arguitur 1.

tranſcen-

tranſcendēs,& cum tranſcendentia claudantur in omnibus ſuis inferioribus,hoc ens mobile compoſitum, claudetur in Prædicamento Subſtantiæ, & ſic totum Prædicamentum Subſtantiæ erit compoſitum;& ita intelligentiæ cum reponantur in Predicamento Subſtantiæ ſecundū D. Tho. erunt compoſitæ ex materia, & forma;quia quidquid eſt in ſuperiori,eſt quoque in inferiori; & hæc ratio habet vim, ſiue iſtud ens mobile compoſitum dicat conceptum Vniuocum, vel Analogum.: nam certum eſt,quod cum verum ſit dicere,ens mobile, eſt compoſitum ex materia,& forma, & eſt ſuperius ad ſubſtantiam,& accidens,etiam eſt verum dicere,quod ſubſtantia quoque, & accidēs ſunt cōpoſita ex materia, & forma, quia quidquid prædicatur de ſuperiori, illud idem prædicatur de inferiori, ex regula Antepraedicamentorum. Cum itaque nō detur hoc compoſitum ex materia,& forma,quod ſit abſtractius corpore naturali,dicendum eſt quod cōpoſitum ex materia,& forma,eſt idem quod corpus naturale:vel quod tale compoſitum eſt cōmentum. Præterea, dum reſtringit ens per mobile,contrahit ens ad corpus,nec eius reſpōſio valet, quod oſtenditur exēplo adducto ex eo. Si quis concedat, Socratē eſſe ſubſtantiam rationalem,etiam concedit Socratē eſſe hominem; & falsū eſt quod remaneat adhuc inquirendum, an Socrates ſit corpus,& animal:quia eſt impoſſibile,quod Socrates ſit rationalis, & non ſit animal. Cōcedendo ergo quod Socrates ſit rationalis, conceditur quoque Socratem eſſe animal. Sic in propoſito, dicendo ens mobile,mobile contrahit ens ad illud, quod eſt verè mobile, vt oſtendimus contra alteram ſententiam Thomiſtarum ;ergo dicendo ſubiectum eſſe ens mobile, eſt dicere,ſubiectum eſſe corpus naturale.

Sed his dimiſſis, opinio Caiet. eſt in ſe falſa:nā Caiet. non vult concedere, quod corpus naturale, ſiue ſubſtantia naturalis,quod idem eſt,ſit ſubiectum,vt includat accidentia, quæ putat per ſe ſola eſſe mobilia, & tamen illa non ſunt ſubſtantiæ, neque corpora; & hoc colligitur expreſsè ex ſua ſententia,& ex prima ratione ſua. Sed arguo contra,& quæro à Caiet. an accidentia ſint compoſita,an non: *arguitur 1.* ſi non ſunt compoſita, ſed formæ ſimplices, ergo non poſſunt eſſe partes integrales,& ſubiectiuæ entis mobilis, quia ipſe intelligit per ens mobile compoſitum ex materia,& forma;Si verò dicit accidētia eſſe compoſita,vt Quātitatē, & Qualitatē,&c. hoc eſt falſum:quia omne accidēs eſt forma ſimplex apud omnes,immò aliqui Thomiſtæ, & alij exiſtimantes Scotū ſtatuere accidētia eſſe compoſita, illum reprehendunt, vt patet ex Paulo Soncinate 12.Metaph. (ſed ego in Theoremate, quod Deus non eſt in genere, reſpondendo ad argumenta Gregorij de Arimino, oſtendi mentem Scoti, & declaraui quomodo non ſit verum accidentia eſſe compoſita)Præterea, eſt expreſſa ſententia D.Tho.2.2.q.55.art.4.in corpore,vbi ait nulla accidentia conſtare ex materia, ex qua,ſed in qua,& circa quam;attamē ſi accidens eſt compoſitum ex materia, & forma, vt ipſe vult, conſtabit accidens ex materia ex qua,& forma,quæ facie cō poſitum, & hoc vitare non poteſt Caiet. niſi ſua verba neget; accidens ergo per ſe,non eſt compoſitum, & ſic non poteſt moueri:vt verò iungitur ſubſtantiæ,facit ens per accidens, quod ſicut non eſt ens per ſe,neque eſt mobile per ſe,ſed per accidens,& pro tanto eſt mobile, quia ſubiectum cui adhæret mouetur; modo ea quæ ſunt per accidens, non pertinent ad ſcientiam,& in præſenti loquimur de eo, quod per ſe mouetur, & quod eſt ſubiectum in Philoſophia naturali, quod eſt propriè per ſe mobile. Præterea, ſi accidens eſt compoſitum, quæro ex qua materia ſit compoſitum, vel ex materia prima,vel ex alia diuerſa: ſi ex materia prima, ergo eſt compoſitum ex ſubſtantia, vel vltrà materiam primam eſt alia materia prima vniuerſalior,quæ eſt communis materia ſubſtantiæ,& accidentis:ſi eſt diuerſæ rationis, ergo ſunt plures materiæ primæ.Præterea,illud debet ſtatui ſubiectum in Philoſophia naturali, quod mouetur vt quod, non vt quo, ſed ſi eſt quod accidens mouetur ſolum,vt quo, corpus verò ſubſtantiale, vt quod, ergo non debet ſtatui pro ſubiecto aliquid cō

Theoremate 96.

mune

mune ſubſtantię,& accidenti,ſed præciſè aliquid ſubſtantiale. Maior conceditur; Minor probatur:quia Ariſt. in 3. Phyſic. tex.4.& 5. Phyſ.à tex. 9. & inde inquit, quod motus fit in Quantitate,Qualitate, Vbi, non dicit quod Quantitas, Qualitas,& Vbi,moueantur,quoniam illa non mouetur vt quod, ſed eſt corpus ſubſtantiale, quod mouetur ſecundum Quantitatem,Qualitatem,vel Vbi.Præterea probo, ex conceſſis quod corpus naturale,ſiue ſubſtantia naturalis,quod idem eſt,vt declaraui in 1.cap.ſit ſubiectum.Illud eſt ſubiectum in Philoſophia naturali, cuius principia ſūt illa materia,forma,& priuatio, de quibus loquitur Ariſt. in 1.Phyſ. hæc maior aſſumitur quoque à Caiet. & conceditur,ſed materia, & forma,quæ in 1.Phyſ.tractantur, ſunt principia ſubſtātiæ tantum,non accidentium, neque entis per accidens,neque entis,quod cōmune eſt ſubſtātiæ, & accidēti,ergo ſubiectū in Philoſophia naturali eſt ſubſtātia naturalis,ſiue corpus de Prædicamēto ſubſtātiæ tantū,nō quid cōmunius. Minor probatur: quia materia prima eſt ſubſtantia imperfecta, vt dicitur toties in primo Phyſ. tex.81.& 7.Metaph. textu 7.& forma eſt ſubſtantia pfecta,dās eſſe materię, exſtat etiā Ariſt. diuiſio 2. de Anima tex. 2.& 7.Metaph.quod triplex eſt ſubſtātia, ſcilicet materia,forma,& cōpoſitū,qđ eſt ex illis.Rationes ſuę nullius momēti ſunt.

Ad 1. ratione Caietani. Ad primā rationē Caiet.dico, quod in eodē loco ſcilicet in 12.lib. tex.19. vſque ad 29.Ariſt.docet,quomodo eadem ſunt principia omnium Prædicamentorū non abſolutè,ſed quadā proportione,quia in quolibet ente, tā in ſubſtātia,quam accidente, eſt aliquid quod habet rationem actus,& aliquid quod potentiæ, in ſubſtātia materia eſt potētia,forma eſt actus,in accidēte verò materia eſt ſubſtātia, accidēs ipſum eſt forma.Secundò ait ſimpliciter eſſe eadē principia omnium Prędicamētorū,quia quę ſunt principia ſubſtantiæ,tam extrinſeca,quā intrinſeca,ſunt etiam principia accidentiū; quia accidentia fluunt à ſubſtātia. Tertiò,quia omne ens eſt prius in potentia, deinde in actu; & ſic actus, & forma ſunt principia omnium entium,loquendo de principijs vniuerſaliter. *Ad ſecūdā.* Ad ſecūdū dico,quod Ariſt.in definitione motus, per ens intelligit ens actu, & cōpletū, quod eſt in potentia ad terminū, ad quē, ſed hoc eſt ſolum compoſitum ſubſtantiale, hoc enim eſt quod generatur, & corrumpitur,alteratur, augetur,& mouetur de loco ad locum, & hæc clara per ſe ſunt. Alia auctoritas nō facit ad propoſitū,quia ibi facit Ariſt.quādā ſuppoſitionē,qđ omnia aut ſaltem aliqua mouētur,quę ſuppoſitio accipitur in ſua communitate maxima, & eſt veriſſima;ſed illa,quæ mouentur ſunt corpora.

Opin. 3. reijcitur. Tertia opinio ſuperius adducta,nec etiā eſt ſuſtinenda:dicebat enim quod ſubiectū in tota Philoſophia naturali,eſt corpus generabile, & corruptibile,verum ſi hęc opinio eſſet vera,ſequeretur quod Cęlū nō eſſet de cōſideratione Phyſ.hoc autem eſt falsū: nā clarū eſt, quod Cælū eſt corpus naturale,& de ipſo agit Phyſicus: probatur cōſequētia,nā Cælū nō eſt generablie, nec corruptibile, vt probat Philoſophus in 1.de Cælo. Præterea, ſequeretur,quod libri de Cælo non deberent cōnumerari inter libros Philoſophiæ naturalis,& tamen videmus Ariſt. poſt libros Phyſ.poſuiſſe libros de Cælo. Tertiò omne mobile pertinet ad Phyſicum,nam mobilitas eſt paſſio,quę pertinet ad Philoſophum naturalem, ſed Cælum eſt mobile motu locali, ergo Cælum eſt de conſideratione Philoſophiæ naturalis.

Recentiorū reſpōſio. Sed quidam ſequentes hanc opinionē reſpondent, quod etſi Cęlum ſit corpus mobile,& conſideretur à Phyſico,non tamen ſequitur illud cōtineri ſub ſubiecto Philoſophiæ naturalis, ſed tractationem eius eſſe quaſi appendicem quandam ad Philoſophiam naturalem, aiunt, renera requirere propriam ſcientiam,nec contineri ſub aliquo illorum trium membrorum ſcientiarum,quas enumerat Ariſt.6. Metaph.tamen Ariſtot. ne multiplicaret ſcientias ſine neceſſitate, de eo tractauit inter tractandū de corporibus naturalib.

Reijcitur. Cæterum,hæc reſponſio non ſatisfacit: nā in primis,dicere,quod illa diuiſio ſciētiarum facta ab Ariſt. nō comprehendat ſub ſe omne ens,eſt facere Ariſt.diminutum, & negare diuiſionem communiſſimam ſcientiarum, qua negata, ad libitū pote-

poterimus multiplicare genera ſcientiarum: nam ſi eo quia Cælum, & ſublunaria differunt per corruptibile, & incorruptibile, exigunt diuerſas ſcientias; ita cum animata corpora differant ab inanimatis per viuere, & non viuere, quæ ſunt differentiæ euidentiſſimę, & maximę, dicere poterimus exigere diuerſas ſcientias, & alterum illorum non contineri ſub Philoſophia naturali, & ſic de alijs.

Prçterea, dicunt Ariſt. non conſtituiſſe proprium genus ſcientię corpori cęleſti; ne multiplicaret ſcientias ſine neceſſitate; at hoc eſt vanum: quia cum Cęlum ſit pars preſtantiſſima entis, & per eos nõ contineatur per ſe ſub aliquo trium mẽbrorum ſcientiarum, erat neceſſitas multiplicandi ſcientias, alioquin fuiſset diminutus Ariſt.

Præterea, ibi Ariſtot. ait Philoſophiam naturalem verſari circa mobilia, & inſeparabilia, & per hoc differe à Metaph. & Mathematica, at Cęlum eſt mobile, ergo ad Phyſicam ſpectat.

2. rō. reflectitur cõtra adu. Quod magis confirmatur ex ſolutione rationum recentiorum, maximè ex ſolutione ſecũdæ, & tertiæ. Secundam enim reflectere poſſumus ſic. Corpus naturale latè ſumptum, vt complectitur æternũ, & mortale, eſt vniuocum, ergo. Antecedens probatur: quia definitio corporis naturalis eſt hæc, ex primo textu ſecundi Phyſicorũ. Corpus naturale eſt, quod habet in ſeipſo principiũ motus, & quietis per ſe primo, & non per accidens, & hæc competit ſublunaribus, & Cælo, vt patet; vnde de facto continuo mouetur; quod verò Cælum eſt incorruptibile, ſublunaria corruptibilia, hoc non facit, quod corpus naturale in communi non ſit illis vniuocum, ſed facit, quod differant genere proximo; ſicut non ſequitur, quod etſi animal diuidatur per rationale, & irrationale, animal non ſit vniuocum homini, & bruto: ſufficit enim quod in definitione animalis conueniant, ergo ſufficit, quod Cælum, & corruptibilia corpora conueniant in hac definitione, quod eſt habere principium motus, & quietis per ſe primo, & non per accidens. Ad text. ante dictum ex 10. Metaph. Reſpondetur, eum loqui de genere phyſico proximo, non de remoto.

Tertia ratio verò omninò eſt pro nobis; Minor enim eſt falſa, & oppoſita eſt vera, ſcilicet quod Cęlum habet internũ principium motus, nam ibi per principiũ non intelligitur principium actiuũ, quia tunc inanimata non eſſent corpora naturalia, ſed ĩtelligitur de principio paſſiuo, hoc autem poteſt eſſe in Cælo cum de facto ab intelligentia moueatur, & naturaliter, non violenter. 3. rō reflectitur.

Ad primam rationẽ verò, quæ eſt fundamentum eorum, licet poſsent multa dici, ſatis ſit hoc, quod Ariſt. voluit in principio Philoſophiæ naturalis agere de principijs corporis generabilis, & corruptibilis, non quia corpus generabile, & corruptibile ſit adæquatum ſubiectum philoſophiæ, ſed quia illud genus corporum eſt notius, & ex eius principijs parabatur magis via ad alias res naturales intelligendas, & ideo ad formam argumenti dico, quod maior eſt falſa, dicebat enim maior. Illud eſt ſubiectum in tota Philoſophia naturali, cuius principia naturalia, conſiderãtur in 1. Phyſ. hæc perpetuò eſt falſa, deberet ſic dicere, illud eſt ſubiectũ in tota Philoſophia naturali, cuius principia & paſſiones cõſiderãtur in octo libris Phyſicorum, & tunc eſset vera; verum poſita hac maiori, minor illa non ſequitur, ſed potius ſequitur hoc, at in octo libris Phyſicorum agitur de principijs, & paſſionibus corporis naturalis vt complectitur etiam Cælum, ergo corpus naturale, quod etiam complectitur Cælum, eſt ſubiectum in tota Philoſophia naturali, in 2. enim lib. agitur de principijs cognoſcendi corporis naturalis, quæ eſt neceſse habere quodlibet ſubiectum; non eſt autẽ neceſse quodlibet ſubiectũ habere principia eſſendi, vt dictum eſt The. 4. materia autem, & forma ſunt principia eſsendi corporis generabilis & corruptibilis. Corpus autem naturale, non habet principia eſsendi, ſed ſolum cognoſcendi, vt dictum eſt. 1. rō ſoluitur.

THEO-

THEOREMA XXI.

Totum eſſentiale eſt aliud ens ab omnibus partibus ſuis coninctim, & diuiſim.

Poſitio opinionis Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Auerroes. DE hac materia loquitur ex profeſſo Scot. 3. Sent. diſt. 2. q. 2. art. 1. litera C. vbi primo refert opin. Auerrois, ſecundò eam confutat, & ponit propriam ſententiam. Auerroes 1. Phyſ. com. 17. videtur dicere, quod totum licet ſit aliud à partibus, ſiue à qualibet parte ſeorſum, non tamen ab omnibus ſimul; ita quod Auerroes ſuſtinet, quod totum non eſt aliquod ens reale aliud à partib. ſuis ſimul ſumptis, ſed eſt eadem entitas partium.

Scoti 1. rō. Scotus ex oppoſito ſuſtinet, quod totum eſt aliud ens à ſuis partibus ſeiunctim, & coniunctim ſumptis. Hanc ſententiam probat multis rationibus; primò, niſi totum eſſentiale eſſet aliud ens à ſuis partibus, ſequeretur, quod non eſſet differentia totius, quod eſt per ſe vnum, à toto, quod eſt vnum aggregatione, vt cumulus lapidum, conſequens eſt falſum; probatur conſequentia: quia omne totum, quod eſt vnum aggregatione, non eſt aliud, quàm ſuæ partes vnitæ, vt cumulus lapidum nihil aliud eſt, niſi ipſimet lapides cumulati, & vniti, falſitas conſequentiæ probatur: quia vnum per accidens eſt magis vnum, quàm vnum agregatione, & minus vnum, quàm totum vnum per ſe, & tamen totum vnum per accidens non eſt ſuæ partes, ergo multo minus totum eſſentiale; quod totum vnum per accidens non ſit ſuæ partes, patet ex Ariſt. 7. Metaph. ca. 11. & 12. ibi enim ait Ariſt. homo albus eſt vnum aliquid, quia albedo ineſt homini, & informat hominem, & facit hominē aliud, ſcilicet album, vnde ait, quod homo albus eſt vnum aliquid; non ergo ſunt duo; at ſi totum illud eſſet ſolum ſuę partes, non eſset vnum, ſed duo, quia partes ſunt duæ entitates. Sed fortius ſecundò ſic arguit.

2. rō. Terminus generationis eſt ens, habens propriam entitatem, quia generatio producit in eſſe proprium terminum, ſed totum eſt primus terminus generationis, ad quem, non altera pars, ergo totum eſt aliud ens à ſuis partibus, ſiue coniunctim, ſiue diuiſim. Tertiò, ſic arguit à ſimili, de corruptione ex Philoſopho 7. Metaph. in fine. Corruptionis terminus eſt, non eſſe, ſiue deſtructio alicuius entis realis, at in quacumque corruptione terminus eſt non eſſe compoſiti, non autem nō eſſe partium, quia partes quandoque remanere poſſunt deſtructo compoſito, vt dicunt Theologi de anima, & corpore hominis, & perſiſtendo in Philoſophia Ariſtotelis, cum deſtruitur hæc ſyllaba, ab, remanet, a. & b. & tamen non manet ab. ergo ab, eſt aliud realiter à ſuis partibus ſcilicet ab a. & b. idem dicendum de alijs totis eſſentialibus. Quartò ſequeretur, quod cauſæ intrinſecæ nihil cauſarent, ſcilicet materia, neque forma, quia iſtæ cauſæ cauſant hoc compoſitum, quia sūt partes cauſati, ſed iſtę non ſunt partes, neque alterius earum, neque ambarū, quia neutra eſt cauſata; neque ambæ: quia sūt primæ cauſæ, & prima principia rei, igitur opus eſt, quod ſi ſunt cauſæ reales, & effectus eſt realis quod compoſitū ſit ens reale aliud à materia, & forma. Quintò ſequeretur quod nullum ens eſſet, cui ineſſet propria paſſio per ſe, & propria paſſio ſpeciei, quia nec propria paſſio, neque propria operatio ſunt materiæ, vel formę, ſed cōpoſiti. Relinquitur ergo, quod compoſitum ſit aliud ens à partibus quocumque modo ſumptis. Tertio. 4. rō. 5. rō.

6. rō. Pro hac eadē opinione arguūt alij Ariſt. ſecundo de Anima, tex. 20. & ſeptimo Metaph. textu 7. & alibi ſæpè, diuidit ſubſtantiā in materiā, formā, & compoſitum, & ait eſſe tres ſubſtantias; cùm autē membra diuidētia nō debeant ad inuicē coincidere, ſed eſſe diuerſa, ſequitur, qđ totū ſit aliud ens, & ſubſtantia à materia, & forma. Septimò, poſſumꝰ arguere ex dictis efficaciſſimo modo. Si totū nil aliud eſt quàm ſuæ partes vnitę, ſequitur quod terminus generationis ſubſtantialis eſt vnio, hoc eſt falſum, ergo, probatur conſequentia: quia tunc in generatione nil aliud ſit, niſi quod partes ſimul vniuntur

vt forma materiæ; falſitas conſequentis patet ex ſe, quia vnio eſt relatio, at terminus generationis ſubſtantialis debet eſſe ſubſtantia, non accidens, generaretur enim tunc vnio partium, non ſubſtantia compoſiti.

Vlterius Scotus in eodem loco declarat quænam entitas ſit hæc entitas compoſiti, quæ eſt alia ab entitate partium, & ait, quod non eſt entitas reſpectiua, ſed entitas abſoluta; hoc patet ex rationibus adductis, quia nulla generatio eſt per ſe ad reſpectum: ſi autem entitas totius eſſentialis eſſet reſpectus, illud abſurdum admittere cogeremur.

Qualis entitas ſit entitas compoſiti. Quid ſit forma totius, & materia toti⁹. Vlterius etiam docet, non eſſe imaginandum quod hoc totum (quod dicimus eſſe aliud ens reale à ſuis partibus, etiam ſimul ſumptis) conſtituatur in hoc eſſe tertiæ entitatis ab aliqua alia forma superueniente illi vltra formam partis, quę dicatur forma totius; quia hic intellectus eſt falſus; nam tunc in homine pręter animam intellectiuam, eſſet alia forma perfectior conſtituens eum in eſſe hominis, quod eſt abſurdiſſimum; eſt ergo dicendum, quod totum conſtituitur in hac tertia entitate per formam partis, & præter illam non eſt ponenda alia vlterior forma, quæ perficiat materiam, & formam vltimatè, quia materia, & forma non ſunt elementa perfectibilia ab alio tertio actu, & forma, ſed vnum illorum eſt proprium perfectibile, ſcilicet materia, & aliud proprium perfectiuum, ſcilicet forma; & hęc eſt pręciſa ratio, propter quam faciunt vnum per ſe, quod eſt ens aliud ab ipſis realiter diſtinctum; Et ſi quæras, vnde eſt, quod tales cauſæ cauſent, & cōſtituant entitatem tertiā aliā à ſe, quæ ſit per ſe vna, & aliæ cauſę non, vt homo, & albus, nō eſt aſſignanda alia ratio, niſi qa iſtæ entitates illarum cauſarum ſunt tales, & aliæ ſunt alterius rationis, quod innuit Philoſophus 8. Met. tex. 15. vbi reſpōdēs ad quæſtionē de vnitate compoſiti quomodo fiat vnū per ſe, ex materia, & forma, aſſignat pro cauſa: quia hoc per ſe eſt actus, hoc verò per ſe eſt potētia, & ſicut hoc eſt per ſe actus, illud verò p ſe potentia, ita hoc totum eſt vnum per ſe, & ſicut illud eſt actus per accidens, & potētia per accidens, ita totum, quod fit ex illis, eſt vnum per accidens; quare autem iſta entitas ſit per ſe actus reſpectu vnius, & alia ſit tantum actus per accidens reſpectu alterius, non eſt ratio, niſi quia hæc entitas eſt hęc entitas, ſicuti calidum eſt calefactiuum, quia eſt talis entitas, neque vlla ratio aſſignari poteſt; poſſumus tamen admittere in compoſito formā totius, ſed in hoc ſenſu, non quod hæc forma ſit quid conſtituens, ſed quod ſit ſolū ipſa natura tota totius, quæ quidditas dīcitur, & in hoc ſenſu in homine forma totius erit humanitas, & hic ſenſus eſt bonus, & hæc forma eſt diuerſa à forma partis, ſicut totum eſt aliud à forma partis, & ei reſpōdet materia toti⁹, quæ eſt ipſūmet cōpoſitū, nō quod informetur à forma totius, quia iam dixit, quod ea non eſt forma informans, ſed eſt forma compoſiti: quia eſt forma, qua compoſitum eſt ens quidditatiuè, vt hoc compoſitum homo, eſt homo humanitate; ſicuti enim in generatione generatur ens reale aliud à partibus, ita generatur natura alia à natura partiū, hæc poteſt dici forma totius, illud materia totius. Ex his apparet, quot ineptias dicant illi Scotiſtæ, qui de hac materia totius, & forma totius tantum laborant, & tot quinternos ſcribunt: neque enim Scotus multum laborat, vt illam oſtendat dari, ſed ſolum ait, quod in compoſito non eſt opus ponere aliam formā à forma partis, neque aliam materiam à materia partis, quæ ſit informans, ſed ſi aliquam formam in toto eſse velimus, poſsumus dicere, illam eſſe naturam totius, quæ etiā quandoque ab Ariſt. & alijs Auctoribus, vt ab Auicenna, appellatur forma, vt Equinitas dicitur forma totius equi ab Auicenna, & compoſitum ipſum dicitur materia talis formę totius, non quod informetur ab ipſa, ſed quia ea natura quidditatiuè eſt compoſitum. *Error quorūdā Scotiſtarū.*

Mercen. Sed Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, aduerſus hanc formā totius, & materiam totius, arguit: & quia vt patet ex dictis, non aſserimus formam totius eſſe quidditatem totius reſultantem ex partibus, vt in homine humanitatem, ipſe aſsumit probandum, quod non datur quidditas talis reſultans ex partibus, ſed

quod

quod quidditas, & eſsentia totius eſt ſola forma, materiam autē omnino à quidditate excludit, & ſic ſolam formam partis eſſe quidditatem probare nititur: ſed quia hoc eſt aliud quæſitum, & illud ſuo loco pertractauimus, & oſtendimus quod materia quoque eſt pars quidditatis, ideò ibi etiam rationes Mercenarij ſoluimus; quæ verò dicit aduerſus materiam totius, ſoluimus abundè in Theoremate de principio indiuiduationis, vbi declarauimus, qua ratione Scotus appellet differentiam indiuidualem materiam; oſtendimus etiam non rectè dici ad mētem Scoti, materiam totius eſſe principium indiuiduationis. Præterea, ratio Mercenarij, quam adducit contra materiam totius, non concludit contra eam in ſenſu quo nunc nos illam declarauimus, nam dicit ipſe, quod apud Ariſtotelem materia ſēper eſt potentialis, & paſſiua; nos autem dicimus, & concedimus hanc materiam totius eſſe actualem, & conſtitutiuā, hoc enim eſt falſum: quia dicimus eſſe potentialem, & paſſiuam, ſiquidem reſpondet formæ totius, vt viſum eſt; alia ratio non militat contra propoſitum noſtrum.

The. 20.

Theo. 90.

Picco lom. Ex his etiam patet, quod non rectè Piccolomineus expoſuit mentem Scoti libro de materia rerum naturalium, capite ſecundo, dum tribuit Scoto cum alijs, quod materia totius ſit principium indiuiduationis, neque enim hoc dicit Scotus, vt oſtendimus in Theoremate de principio indiuiduationis, cap. 2. & ideò rationes eius contra Scotum nullius ſunt momenti.

Rationes aduerſariorum contra hanc ſententiam, & ſolutio rationum pro Scoto. Cap. II.

CONtra hanc opinionē Scoti arguunt multis ex Antiquis, & modernis, & præcipuè Aureolus Durandus 3. Sent. diſtinct. 2. q. 2. & Gregorius de Arimino, primo Sent. diſt. 24. quæſtione prima, articulo primo, ſed pauca dicit; rationes autē, quæ contra hanc opinionem adduci ſolent, ſunt iſtæ præcipuæ.

Pri. ma rō Primò arguit Aureolus; Omne abſolutum poteſt eſſe ſine quocumque alio, à quo diſtinguitur realiter per diuinam potentiam, ſed ſic eſt, quod per Scotū compoſitum eſt ens abſolutum, ergo ſi eſt realiter diſtinctum à ſuis partibus, poterit eſſe per diuinam potentiam ſine ſuis partibus ſubinfert, at implicat contradictionem dicere, quod totum poſſit eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus, vt quod homo ſit ſine materia, & forma, ſiue anima & corpore, ergo eſt impoſſibile, quod totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus, ſiue quod ſit alia entitas realis à ſuis partibus. Alij verò ſic. Si totum diſtinguitur à partibus ſuis, vel diſtinguitur à partibus ſecundum ſe totum, vel ſecundum aliquam partem ſui. Si primo modo, ergo ſecundum omnes partes ſuas diſtinguitur ab omnibus partibus ſuis, quod implicat contradictionem; ſi ſecundo modo, illud, vel erit paſſio, vel aliqua pars totius, nō poteſt eſſe paſſio; quia eſt poſterior, ergo pars, & ſic ſecundum partem diſtinguetur realiter ab omnib. partibus, quod ſimiliter implicat contradictionem. 2. rō. Tertia ratio, Si totum diſtinguitur realiter à ſuis partibus ergo ternarius erit quaternarius, conſequens eſt euidenter falſum, conſequentia probatur; quia præter tres vnitates partiales, eſſet quarta vnitas, nempe entitas totius ternarij, quæ cum illis tribus conſtitueret quaternarium. 3. rō. Quarta, tota aliqua quantitas eſſet maior, quàm omnes partes ſuę ſimul ſumptæ: probatur conſequentia vt ſuprà, quia illa quantitas habet omnes quantitates partium, & præter illas habet entitatem totius, quæ non poteſt eſſe aliud quàm quantitas, ergo eſt maior quam omnes partes ſuæ ſimul ſumptæ, quod eſt apertè falſum. 4. rō. Quinta ratio cuiuslibet generationis eſſent duo termini, vnus forma, alius entitas totius, at vnius motus numero vnus terminus tantum eſt, ille eſt forma, ex Ariſtotele ſæpè, ergo hæc entitas totius non datur. 5 rō. Sextò, 6. rō. Quidquid aduenit enti in actu, eſt accidens, ſed iſta entitas totius aduenit formæ vnitæ cum materia, quæ forma eſt actus: ergo illa entitas totius eſt accidens; non ergo poterit eſſe terminus generationis ſubſtantialis. Septimò ſecundum Ariſtotelem forma eſt tota quidditas rei, at ſi datur hęc entitas totius, hæc erit quid- 7. rō.

de causis. ditas, & ſic quidditas non eſſet forma, quod eſt contra Ariſtotelem, vt dictum eſt. 8. rō. Octauo, Si hęc entitas eſt aliud ab entitate partium, ergo ſimul cum entitate illarum partium facit compoſitionem, & vnum ens per ſe, & ſic in quolibet compoſito præter materiam, & formam, erit alia compoſitio in materia, & forma, cum iſta entitate tertia, & rurſus aliud tertiũ compoſitum conſtans ex entitate materiæ, & formæ, ex vna parte, & ex hac entitate totius ex altera parte, quod eſt abſurdiſſimũ. 9. rō. Nona, Iſta tertia entitas ſi ſeparetur ab entitate omnium partium, tunc quæro an in entitate totius ſeparatim a partibus conſiderata, includantur partes, nec ne; non includi eas eſt contra rationem totius, includi autem, eſt contra ſuppoſitionem. Nec valet ſi quis dicat, quod non poteſt mente hæc entitas ſeparari ab entitate partium: quia cum entitas totius ſit abſoluta, & diſtincta realiter ab entitate partium, nulla cauſa eſt, quin mente vnum ſine altero intelligi
10. rō poſſit. Decima, Erit triplex natura, ſcilicet materia, forma, & hæc entitas totius, quod eſt contra Ariſtotelem, qui ponit ſolum duplicem naturam, ſcilicet materiã, & formam; probatur conſequentia: quia omnis ſubſtantia phyſica eſt natura; etiã ad hoc poſtea conſequuntur multa abſurda, quia non eſt facilè videre quomodo ei poſſit competere definitio naturæ, quomodo ſit principium motus, quodq. principium ſit, an actiuum, an paſſiuum. His rationibus moti multi, exiſtimant totum nil aliud eſſe, quàm ſuæ partes ſimul ſumptæ.

Ad rōnes ꝑ Scoto Ad 1. Ad rationes vero adductas ꝑ Scoto reſpondẽt Aduerſarij. Ad primam dicunt, quod totũ nihil aliud eſt, quàm aggregatio partium, ſicuti ternarius nil aliud eſt, quàm vnio, ac determinata collectio triũ vnitatũ; vnde non eſt ſpecies numeri per aliquam vnã entitatẽ diſtinctam ab vnitatibus illis re; ſicuti etiã domus eſt vna, propter vnam compoſitionem, & figurã partium, non propter aliquã entitatẽ diſtinctam à partibus. Ad argumentũ autẽ dicũt, quod in hoc ſtat differẽtia inter totum vnum aggregatione, & per accidẽs, & inter totum eſſentiale, quia in hoc eſt eſſentialis connexio dependentiæ, & ordo inter partes, in illis vero eſt ordo, & connexio accidentalis. Ad ſecundum aiunt Ad 2. quod terminus generationis ſubſtantialis eſt forma ſubſtantialis non per ſe, ſed in materia, vnde ait Ariſtot. 7. Metaph. textu 27. non generatur hoc, vel hoc, ſed hoc in hoc, id eſt non generatur materia, vel forma, ſed forma in materia, & quia compoſitum nihil aliud eſt, quam forma in materia, ideò dicitur generari compoſitum. Ad tertium dicunt, quod eſſentia Ad 3. compoſiti eſt forma in materia, ideò cũ corrumpitur forma in materia, deſtruitur eſſentia compoſiti, & ſic eſt terminus corruptionis. Ad quartum dicunt, quod Ad 4. materia, & forma, ſunt ſibi inuicem cauſæ; quia materia cauſat formam, quatenus forma educitur de potentia materię, forma verò eſt cauſa materię, quia actuat materiã; ex hac autẽ cauſalitate mutua oritur vnio naturalis, propter quam terminatur, & eſt compoſitum naturale; cũ verò dicitur, quod ſunt prima principia, & primę cauſæ, ideo ſunt incauſatę, hoc valet de prima cauſa efficiẽte extrinſeca, non de intrinſecis, vt eſt materia, & forma, alioquin etiam valeret de partibus quantitatiuis, quia ſicuti partes eſſentiales conſtituunt totum eſſentiale, ſic partes quantitatiuę conſtituunt totum quantitatiuum, & tamẽ hę non diſtinguuntur a ſuo toto. Ad quintum dicunt, quod pro Ad 5. priæ paſſiones dicuntur eſſe paſſiones cõpoſiti: quia ſunt formæ ſolum quatenus eſt in materia, & materię, prout eſt actuata a forma. Ad ſextum reſpondent, quod Ad 6. Ariſtoteles pro tanto appellat compoſitum tertiam qnandam ſubſtantiam à materia, & forma, quia forma coniuncta materię habet quendam modum eſſendi, qui eſt diuerſus a modo eſſendi materiæ per ſe, & à modo eſſendi formæ per ſe, & hac de cauſa dicit compoſitum eſſe tertiam ſubſtantiam ab illis. Ad ſeptimum Ad 7. reſpondent, quod terminus generationis non eſt vnio, ſed forma in materia, vt dictum eſt ſupra ad ſecundum.

Zimara cùm multũ opinionem Scoti cõſiderauerit in præſenti materia, & ſimi- Zim. liter rationes Aduerſariorũ, venit in hãc ſententiam, quod opinio Scoti ſit vera, &

ideò

ideò in concordantijs inter Auerroem,& Ariſtotelem in primo Phyſicorum ſolutione ſeptima, & etiam Theoremate 75. apertè nititur probare Auerroem habuiſſe eandem ſententiam cum Scoto, aitq. eos leuiter conſiderare Auerrois dicta, qui manifeſtum hoc abſurdum Auerroi aſcripſerunt, quod multis rationibus, & auctoritatibus comprobat,& ſic ait Scot. iniuria tribuiſſe Auerroi hanc opinionem, quod exiſtimauerit totum nihil aliud eſſe,quàm ſuæ partes ſimul ſumptę, cum oppoſitum habeatur ex doctrina Auerrois multis in locis; vnde reſpondet ad auctoritates Auerrois in contrarium, dicens,quod quando Auerroes ait, quod totum non eſt aliud,niſi ſuæ partes ſimul ſumptæ,debet hoc intelligi,quod hoc eſt verum conſtitutiuè,& integratiuè, quia nihil aliud per ſe intrinſecè concurrit ad conſtitutionem totius,quàm ſuæ partes ſimul iunctæ: cum hoc tamen ſtat, quod entitas ſit alia ab entitate partium ſimul ſumptarum,&vniuerſaliter cum dicitur, totum nō eſt aliud à partibus ſimul ſumptis,verum eſt aliud diſtinctum loco, & ſubiecto, ſed eſt aliud ſecundum rem ipſam,Hæc Zimara.

Confutatio huius opinionis, & reſponſionum ad rationes Scoti. Cap. III.

PRo clara, & dilucida cognitione huius Theorematis eſt cōſiderandus titulus quæſtionis: ex declaratione enim & recto intellectu eius, patebit rationes Scoti eſſe validas, & Theorema veriſſimum eſſe,habebimus quoque falſam eſſe ſolutionem allatam ab aduerſarijs rationibus Scoti.

Notandum. Notandum eſt ergo, quod Auerroes in textu 17. primi Phyſicorum,apertè dicere videtur,quod ad conſtituendum aliquod totum, nil aliud requiritur, niſi quod partes vniantur ad inuicem, nam illę partes ſic vnitæ ad inuicem, nil aliud ſunt,niſi totum,& ſic videtur velle,quod in generatione totius non fiat mutatio, & tranſitio partium in tertiam quandam naturam, ſed quod ſolum vniantur ad inuicem, ſi enim vnitæ partes præciſè ſunt totum, & ſic totum non eſt alia entitas ſecūdum ſe, niſi entitas illarum partium vnitarum. Scotus autem ex altera parte iudicat, quod in generatione totius, partes quidem prius vniantur, ſed quod poſtea tranſeant in tertiam entitatem; non enim vult, quod vnio illa partium ſit eſſe totius, ſed quod tertia entitas, in quam materia, & forma tranſeunt, ſit eſſe totius; ad quam tamen neceſſariò prærequiritur vnio illa partium, ſicuti ad cauſationem alicuius effectus neceſſariò præ requiritur ordo cauſarum efficientium, & approximatio illarum, quando ſunt multæ ordinatæ, nec tamen illa approximatio, neque ordo eſt eſſentialis effectus illarum, quia illæ eſt reſpectus tantum, effectus vero eſt quid abſolutum. Vult ergo Scotus oſtendere, quod entitas totius eſſentialis non eſt preciſè illa vnio partium, ſed quod entitas totius eſſentialis eſt entitas realis abſoluta alia ab illa vnione, ſiue à partibus illis vnitis tantum; & hęc declaratio habetur expreſsè ab eodemmet Scoto in calce illius articuli 3. Sentent. loco iam citato, ideò proponit hanc concluſionem, quod totum eſſentiale eſt aliud ens ab omnibus partibus coniunctim & diuiſim, quæ facit hunc ſenſum, quod entitas totius eſt alia, & re diſtincta ab entitate partium, ſiue ſint ſimul iunctæ, ſiue ſint diuiſim ſumptæ. Habita hac declaratione, patet quomodo ſit intelligendum illud dictum, quod communiter pronunciamus. Totum realiter diſtinguitur ab omnibus partibus ſuis ſimul ſumptis, non volumus enim dicere,quod totum diſtinguatur à ſuis partibus, vt à materia,& forma, vt ſunt vnitæ, & iam tranſierunt in tertiam entitatem,quia dicere hoc, eſt dicere,quod totum diſtinguitur à ſeipſo realiter,ſiue totum eſt aliud realiter à ſeipſo, quod implicat contradictionem;ſi quidem materia,& forma,vt tranſierunt in tertiam entitatem, ſunt ipſummet totum realiter, ſed volumus dicere, quod totum diſtinguitur à ſuis partibus ſimul vnitis tantum, non autem tranſactis in tertiam entitatem, quia partes ſimul vnitæ tantum ſunt aliud ens ab entitate totius; cū enim partes ſunt tantū ſimul vnitæ, non amittunt propriam naturam, ſed eam ſeruant

ſolum illi addunt reſpectum illum vnionis; ſed partes, quæ ſunt ſimul vnitæ, & fecerunt compoſitum, non amplius ſeruant ſuam entitatem, ſed tranſierunt in aliam entitatem, quæ eſt totum, vndè totum non eſt amplius materia, neque forma, ſed compoſitum reſultans ex materia, & forma, & propter hoc Ariſtoteles dixit, quod compoſitum eſt alia ſubſtantia à materia, & forma, quia materia, & forma in generatione ſubſtantiali, mutantur in totum, & ſic amittunt proprias entitates, & vertuntur in compoſitum. Hic clamant nonnulli: materia, & forma manēt in compoſito, ergo materia, & forma non corrumpuntur; nec amittunt ſuam entitatem, dum ingrediuntur compoſitum; ſed iſti craſſa Minerua philoſophantur; legāt Ariſt. 12. Metaph. tex. 20. & 7. Met. tex. 60. vbi expreſsè dicit, Principia interna compoſiti eſſe diuerſa à compoſito, & dat exēplum de A. & B. quæ differunt à ſyllaba AB, cuius tamen principia interna ſunt, & loquitur de differentia reali. Hanc rē fuſius explicaui in diſputationibus meis in lib. quattuor Sent. lib. 3. diſp. 9. cap. 3. ideo hic eadem non ſunt repetenda; tamen pro nunc nota, quod materia, & forma, habent ſuam cauſalitatem, ſed earū cauſalitas realis, nō eſt effectiua, ita vt efficiant ſuum effectum diſtinctū à ſeipſis, vt pater efficit filium diſtinctū à ſeipſo, ſed cauſant cauſalitate ſibi conueniente, ſcilicet intrinſecè per actionē cauſę efficientis, ita vt eueniat quædam tertia ſubſtantia, quæ dicitur compoſitum; Vndè dicuntur cauſæ intrinſecæ compoſiti, nō quia maneant in compoſito in eſſe ſuo, quod habent, vt ſunt materia, & forma abſolutè, & quod habebant ante cauſalitatem compoſiti, ſed quia compoſiti entitas coaleſcit, & conſurgit intrinſecè ex entitate materiæ, & formæ, quæ per actionem agentis vertuntur in totum; vndè deſinunt eſse, & tamen manent in compoſito, deſinunt eſſe in ſuo eſse, quod prius habebant, & manent in eſse, & entitate compoſiti, in quod ab agente mutantur. Et hac ratione compoſitum eſt ſubſtātia diuerſa à materia, & forma, & perfectius vtraque, non quatenus inexiſtunt ſibi vt dictum eſt; ſed ſecundum illud eſſe prę-cisè, quod prius habebant antequam vnirentur, & mutarentur ab agente, ſed erāt tantum approximatæ. Dat exemplum Ariſt. 7. Metaph. tex. 60. vt caro eſt compoſitum ex terra, & igne, & ſyllaba AB. ex A. & B. Ecce terra, & ignis vt ingrediuntur carnem, non remanent in eſse ignis, & terræ, & tamen manent ſecundum eſſentiam in carne, quia caro conſtat intrinſecè ex terra, & igne: ita corpus, & anima faciunt hominem, & eſſentiam hominis, ſed anima, & corpus non ſunt prçcisè anima, & corpus, dum ſic ſunt in compoſito, ſed quid tertium, quod eſt homo, & eſſentia hominis; manent ergo, & non manēt, non manēt in priori eſse, manent in eſse compoſiti, & eſse hominis.

Hæc doctrina eſt expreſsè Scoti in primo Diſt. 17. q. 3. in illo extra incipiente: *Suppoſito charitatem* &c. circa mediū, verſiculo, *Cōcedo Concluſionem iſtarum rationum*, &c. confirmatur efficaciter: quia ſi partes eſſentiales materia, & forma, non conuertuntur in totum, ſed in ſua entitate formali manent, ita quod in toto ſint tres entitates realiter diſtinctæ, ſequitur, qđ totum nihil erit: Conſequentia probatur: quia non erit anima, quoniā realiter diſtinguitur ab ipſa; non corpus; quia ab ipſo realiter diſtinguitur; non erit viuens quia hoc cōpetit animæ, quæ ab ipſo realiter eſt diſtincta; quod autē cōpetit vni diſtincto realiter; nō poteſt competere alteri diſtincto realiter: eſſet enim contradictio. Item homo non haberet oſſa nec carnē: quia hæc sūt partes corporis à quo realiter homo diſtingueretur per aduerſarios. Sed notandū eſt adhuc pro clariori notitia, quod non omnis diſtinctio realis eſt inter rem, & rē, quarū vnaquæque exiſtat, & eſt inter Socratem, & Petrum; ſed etiā datur aliqua diſtinctio realis, quę eſt inter poſitiuum, & priuatiuum; vt inter motum, & quietem, vt diximus in Formalitatibus cap. vltimo, reſpondendo ad obiectiones contra identitatem, & diſtinctionē realem. Et hoc modo diſtinguitur realiter caro ab igne, & terra, ex quibus generatur, & caro à cibo, & a nutrimento, ex quo fit, ideo ita euenit in propoſito: nam totum diſtinguitur realiter à partibus ſuis ſimul ſumptis precisè; quia illæ

mutan-

mutantur in totum,& ſic deſinunt in ſe, & euadunt entitas totius,ſicut cibus euadit caro;& terra,& ignis fiunt caro;& ſic hæc diſtinctio realis inter partes, & totum, non eſt inter poſitiuum, & poſitiuum,actu exiſtens; ſed inter poſititium, & priuatiuum:partes enim,quæ prius ſimul ſumptæ erant, & conſtituebant vnã entitatem, poſt generationem qua tranſeunt in totum,amittunt ſuam entitatẽ, & fiunt entitas totius; & ſic deinde totum diſtinguitur ab illis realiter,ſed priuatiuè,vt caro diſtinguitur a cibo ex quo genita eſt. Ex his apparet, quomodo rationes Scoti concludunt veram eſſe eius opinionem,& falſam aduerſariorũ. Habemus quoque facilem reſponſionem ad

Prima rõ Scoti vt efficax. rationes aduerſariorum. Prima quidem ratio Scoti efficax eſt: quia ſi totum nil aliud ſit niſi vnio partium, vt dictum eſt ſentire Auerroem,nulla erit differentia inter totum, quod eſt vnum aggregatione, & totum eſſentiale, quia totum quod eſt vnum aggregatione, nil aliud eſt,niſi vnio partium,vt patet de cumulo lapidum; hoc autem quàm ſit abſurdum

Reſpõſionis reiectio. dictu, ex ſe patet. Nec valet eorum reſponſio, quod in toto eſſentiali ſit dependentia eſſentialis inter partes eius, in toto vero per aggregationem,ſit dependentia,& ordo accidentalis inter partes eius, quia quicumque ſit ordo, & dependentia inter partes,ſiue eſsentialis, ſiue accidentalis, ſi entitas totius eſt vnio præcisè partium ad inuicem,& nil aliud;ſequitur quod entitas totius compoſiti eſſentialis, erit relatio, ſiquidem vnio eſt relatio, & ſic erit hæc differentia inter totum eſſentiale,& totum aggregatione,quod totum eſſentiale erit relatio eſſentialis,totum aggregatione relatio accidentalis. Inſuper entitas totius eſſentialis, erit accidens, ſcilicet illa vnio, nam vnio eſt accidens, quia eſt relatio;Quæ omnia cum ſint abſurda,patet,cum clarum ſit compoſitum ſubſtantiale eſſe abſolutum, & eſſe primam, & maximam ſubſtantiam. Illud exemplum de ternario, quod adducunt pro confirmatione ſuæ reſponſionis, non eſt ad propoſitum; quia ternarius eſt vnum totum aggregatione,& ideò verum eſt, quod non eſt niſi vnio ſuarum partium,nos autem loquimur de toto eſſentiali vno. Secunda ratio etiam eſt efficaciſſima,quia certum eſt, quod terminus *Secũda rõ.* generationis eſt ſubſtantia,non accidens, terminus autem totalis, & adæquatus, eſt compoſitum,ſiue entitas compoſiti,ergo entitas compoſiti, per ſe conſiderata, quæ habetur per generationem, non eſt vnio,quia illa eſt relatio. Nec valet reſponſio,nempè,quod terminus generationis eſt forma,non per ſe,ſed in materia; quia ſic dicere, eſt dicere, quod vnio illa ſola eſt, quæ habetur per generationem, non enim forma per ſe generatur,ſed forma in materia, quod eſt dictum, generatur vnio formæ ad materiam, hoc autem eſt impugnatum directè ab argumento: terminus enim totalis adæquatus generationis eſſet accidens, non ſubſtantia; etiam magis confutatur hæc reſpõſio per auctoritatem Ariſtotelis in illo eodem textu,qui apertè dicit,quod nec materia, nec forma generatur, ergo nemo poterit dicere, quod terminus proprius generationis ſit forma tantum,ſed forma in materia, quod eſt compoſitum. Vnde notandum eſt, quod licet Ariſtoteles ibi dicat, quod generatur forma in materia,non tamen propter hoc vult dicere, quod vnio illa formæ ad materiam, ſit terminus generationis, quia hoc eſt contra ſua fundamenta, vt dictum eſt: ſed vult dicere, quod terminus generationis eſt compoſitum, quod reſultat ex vnione formę in materia;vnde in illo ſeptimo, & alibi,milies dixit, hoc aliquid, & compoſitum generari, & hoc eſſe diuerſam ſubſtantiam à materia, & forma. Per hoc idem patet vis, & robur tertij argumenti. Quarta ratio quoque efficaciſſima eſt; Certum eſt enim quod materia, & forma, ſunt cauſæ per ſe reales, neque vna eſt cauſa alterius, quia principia prima non ſunt ſibi inuicem principia quo ad entitatem, quia tunc non eſſent prima principia, ſed principiata, & hoc confirmatur auctoritate Ariſtoteles ex 7. Metaphyſices textu 27. nunc adducta ab aduerſarijs, vbi dicit Ariſtoteles, quod materia per ſe, non cauſatur, neque forma per ſe, ſi igitur in cauſatione compoſiti, nil aliud

Reſpõſionis reiectio. *Notãdum.* *Tertiũ et quartũ argum.*

ſit,niſi

fit,niſi vnio iſtarum cauſarum, terminus productus ab iſtis cauſis,erit vnio illa ipſarum, & ſic cauſabunt ſolam relationem:immò nihil cauſabunt,quia illa ralatio vnionis non fit, neque producitur à materia, vel forma, ſed ab efficiente, ex quo enim efficiens coniungit ſimul formam cum materia, inſurgit illa relatio vnionis, & ſic materia, & forma nullum effectum proprium producerent. Neque valet reſponſio, quod ſolum primũ principium efficiens eſt incauſatum, non autem de materia, & forma; primò, quia hæc propoſitio probatur ab Ariſtotele 1. Phyſicorum à textu 41. & inde de omnibus primis principijs,immò magis de materia,& forma, quàm de efficiente intendit,ſcilicet,quod non fiunt ex alijs,neque ex alterutris,ſed omnia ex illis,modo materia,& forma ſunt principia prima,vt in eodem primo longo ſermone probat Ariſtot. & eſt conceſſum apud omnes, ergo non fiunt ex alijs,neque ex alterutris,ſed alia ex illis,ecce quod cauſatio materiæ, & formæ,non eſt reſpectu ſe inuicem,ſed reſpectu tertij ab illis,ait enim: ſed omnia ex illis, id eſt compoſita fiunt ex illis. Ex quo etiam deducitur validum argumentum,quod compoſitum eſt aliud ens à partibus, cum dicat omnia alia fieri ex illis; Confirmatur; cauſa,& cauſatum diſtinguuntur realiter, forma, & materia ſunt cauſæ,compoſitum eſt cauſatum,ergo:minor eſt clara,maior probatur: quia efficiens non cauſat ſeipſum,ſed aliud: Similiter, forma non format ſeipſam, nec materia fit ex ſeipſa, quia nihil facit ſeipſum,neque fit ex ſeipſo:quia nunc materia fieret ex ſeipſa, & vnaquæque cauſa eſſet cauſa ſui realiter, quod implicat contradictionem,quia eſſet,antequam eſſet,non poſſunt autem materia,& forma cauſare aliquid realiter diſtinctum à ſe, quia intrinſecè ingrediuntur ſuum cauſatum,quod eſt compoſitum, ergo neceſſe eſt, quod hoc verificetur hac ratione: quia materia, & forma aliter ſe habeant quando ſunt approximatæ tantum,& antequam cauſent, & poſtquam cauſauerunt; non poſſunt autem aliter, & aliter ſe habere, niſi quia mutantur in tertiam illam entitatem, & ſic cauſant cauſatum realiter diſtinctum à ſeipſis vnitis, & approximatis tantum, non autem à ſeipſis tranſactis in tertiam entitatem. Cum itaque materia non poſſit eſſe cauſa entitatis formę,nec èconuerſo, & dato quod eſſet poſſibile,cum ſecundum Ariſt. cauſatio formę non ſit reſpectu entitatis materiæ, neque èconuerſo, ſed reſpectu alterius entitatis,oportet quod terminus cauſationis harum cauſarum ſit alia entitas realis ab entitate partium, quæ non poteſt eſſe alia entitas,quam compoſiti. Exemplum illud quod adducunt pro confirmatione ſuæ reſponſionis de toto quantitatiuo, & partibus, dico, quod non eſt ad propoſitum,quia illud eſt totum integrale,quod concedimus non eſſe aliud à partibus ſuis ſimul ſumptis, nos autem loquimur de toto eſſentiali.

Reſpõſionis reiectio.

Quintum argumentum etiam eſt efficax,etenim certum eſt,quod propria paſſio eſt alicuius entis vnius, & operatio vnius ſpeciei prouenit ab ente vno numero perfecto,& completo, modò forma vnita tantum materiæ non eſt ens vnum numero ſimul cũ materia,ſed duo: quia illa vnio cum ſit accidens, non eſt tantæ virtutis,quod faciat illas duas ſubſtãtias diſtinctas, ſcilicet materiam & formam, vnam ſubſtãtiam numero;non enim duæ ſubſtantiæ diſtinctæ realiter per aliquod accidens, fiunt vna ſubſtantia numero: quia ſubſtantia prima non conſtituitur in ſuo eſſe per aliquod accidens:quia accidens eſt poſterius ſubſtantia, non dabitur ergo aliquod ens vnum,quod ſit proprium ſubiectum propriæ paſſionis, & propria operatio non prodibit à ſubiecto vno numero,ſed erunt duo,ſcilicet materia,& forma. Neque valet eorum reſponſio, quod propria paſſio pro tanto dicatur paſſio compoſiti, quia eſt paſſio formæ in materia; etenim contra ſic arguo. Certum eſt, quod operationes compoſiti non competunt formæ per ſe,vt etiam ipſi concedunt:quia qui dixerit animam texere,& filare,vel generare,diceret ridiculum, ergo illi competunt vt eſt in materia; at ſi competunt illi, vt eſt in materia,competunt illi per accidens, & ſic nõ dabitur aliquod ſubiectum, & ens, cui proprie, & per ſe competat operatio cõ-

Quintũ argum.

Reſpõſionis reiectio.

poſiti,

poſiti,& propria paſſio; Probatur conſequētia; quia ſi competit operatio aliqua formæ prout eſt vnita materię, competit illi per illam vnionem,quæ eſt accidens, ergo propria operatio, & propria paſſio competit formæ, & ſuo proprio principio mediante accidente externo, quod dicere, quam ſit abſurdum, ex ſe patet. Nec valet dicere; Hæc vnio inter materiam,& formam eſt eſſentialis:quia quæcumque vnio eſt relatio, ſiue ſit eſſentialis, ſiue accidentalis; relatio enim habet multas ſpecies, inter quas vna eſt vnio, hęc rurſus habet multas ſpecies, vt vnio eſſentialis,& vnio accidentalis; cum ergo hæc vnio ſit ſpecies relationis, eſt accidens,& ſic ſi hæc eſt ratio propter quam operatio competat formæ, talis operatio tali formæ competere dicetur ex accidenti,non per ſe,& ſic per ſe nullum erit ens, cui competat propria paſſio, & operatio compoſiti. Ex dictis etiam patet efficacia ſexti argumenti:nam ſi compoſitum non ſit aliud quàm vnio formæ, & materiæ, patet quod compoſitum non eſt alia ſubſtantia à materia & forma: quia in compoſito tunc præter entitatem materiæ,& formæ, non eſt alia entitas ſubſtantialis, ſed ſolùm illa vnio; quæ eſt entitas accidentalis; Nec reſponſio aliquid valet: quia tunc forma in compoſito non habet alium modum eſſendi ſubſtantialem,ſed accidentalem, ſcilicet, eſſe vnitum, non ergo propter hunc modum, forma in materia debet dici tertia ſubſtantia, & compoſitum.

Sextum.

Reſponſionis reiectio.

Rationes aduerſariorum ſoluuntur. Cap. IV.

Diſtinctio notanda.

NVnc ſoluendæ ſunt rationes aduerſariorum; & pro ſolutione notanda eſt vna diſtinctio,quæ deſumitur ex dictis, & eſt, quod totum realiter diſtingui à partibus ſuis ſimul ſumptis, poteſt intelligi duobus modis, vno modo quod totum diſtinguatur ab omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis, vnitis tantum, ſed non tranſactis in tertiam entitatem per generationẽ, & hoc modo totum diſtinguitur realiter à partibus ſuis, & poteſt eſſe ſine illis, immò de factò eſt ſine illis: quia eſt aliud ens ſubſtantiale ab illis; ſicuti dicimus, quod accidēs diſtinguitur à ſubiecto realiter, quia eſt aliud ens, & quod effectus eſt diſtinctus ab approximatione cauſarum illum producentiū. Alio modo poteſt intelligi, quod totum diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis,& etiam tranſactis in tertiam entitatem per generationem,& hoc modo non dicimus quod totum diſtinguatur à ſuis partibus: quia illæ partes ſic ſumptæ, nil aliud ſunt niſi entitas ipſiuſmet totius eſſentialis;vnde dicere,quod totum diſtinguatur à ſuis partibus ſic ſumptis, eſt dicere, quod totum diſtinguatur à ſeipſo, quod implicat. Per hanc diſtinctionem, quæ deſumitur ex clara intelligētia Theorematis,ſoluuntur omnes rationes aduerſariorum, & per hanc diſtinctionem patet ad primam rationem, omittendo reſponſionem Antonij Andręæ 7.Metaph. q.18.quam non puto ad mentem Scoti, quam in tertio Sent. loco citato nouiſſimè confutaui propter quoſdam Scotiſtas, quibus illa mirum in modum placet,compoſitum enim poteſt eſſe ſine ſuis partibus tantum vnitis, ſiue approximatis tantum, ſed nō poteſt eſſe ſine ſuis partibus ſimul vnitis,& tranſactis in tertiam entitatem,cuiuſmodi eſt materia, & forma,anima,& corpus, quando conſtituūt compoſitum;ſunt enim tunc compoſitū, & euaſerunt entitas compoſiti,neque amplius retinent proprias entitates,vt dictū eſt. Ad ſecundam rationem dico, quod diſtinguitur ſecūdum ſe totam à ſuis partibus ſimul vnitis tantum,non à partibus ſimul vnitis,& tranſactis in tertiam entitatem;argumentum currit ſecundo modo,nos autem intelligimus primo modo. Ad tertiā,negatur conſequentia, ad probationem dico,quod entitas ternarij non eſt alia ab entitate partium,ſed illamet: quia iam verſæ ſunt in ternarium, ideò non ponit in numerum.Argumentum etiam non eſt ad propoſitum, quia illud eſt totum aggregatione,nos loquimur de toto eſſentiali. Ad quartam ſimiliter dico,quod non eſt ad propoſitum:quia innititur exemplo de toto integrali,de quo nos non loquimur, ſed loquimur de toto eſſentiali.Ad quintam nego conſequentiam,ad

Ad 1. *Ad 2.* *Ad 3.* *Ad 4.* *Ad 5.*

tiam, ad probationem dico, quod duplex eſt terminus generationis; ſcilicet formalis, & totalis, vel terminus quo, terminus quod; forma eſt terminus quo, entitas cōpoſiti terminus totalis, & quod. *Ad 6.* Ad ſextā dico, quod non eſt ad propoſitum; non enim dicimus, quod entitas compoſiti ſit entitas adueniens entitatibus materiæ, vel formæ; ſed dicimus, quod entitates materiæ, & formæ, vertuntur in entitatem tertiam, quæ eſt entitas compoſiti. *Ad 7.* Ad ſeptimam dico, quòd pro tāto Ariſt. appellat formam quidditatem rei, quia illa eſt quæ conſtituit compoſitum in eſſe, atque in hac tertia entitate, non tamē negat quin illa entitas compoſiti ſit entitas diuerſa à forma; & materia tantum *Ad 8.* vnitis, vt dictum eſt, neque negat formā illam totius, vt declarauimus. Ad octauam reſpōdetur vt ad ſextam, quòd hæc tertia entitas non eſt entitas ſuperueniēs *Ad 9.* entitati partium, ſed reſultans ex illis. Ad Nonam dico, quod non poteſt conſiderari totum ſine ſuis partibus eſsentialibus ſimul vnitis, & tranſactis in tertiam entitatem: quia iſtæ tunc factæ ſunt entitas totius, & ſūt veluti partes integrales, ſed quidem poteſt intelligi entitas totius abſque entitate ſuarum partium tantum ſimul vnitarum, ſicuti etiam entitas totius eſt alia ab entitate partium ſimul ſumptarum tantùm. *Ad 10.* Ad decimam dico, quod cōpoſitum non eſt natura, ſed habens naturam, vt docet Ariſtoteles in 2. Phyſicorū, tex. 4. ideò non valet conſequētia, & propoſitio aſsumpta ad illius probationem eſt falſa; quia compoſitum eſt ſubſtantia Phyſica, & tamen non eſt natura, ſed habens naturam, vt docet ibi Ariſtoteles.

Ad Zimaram. Ad Zimaram dico, quod licet Auerroes alibi oppoſitum dicat, tamen in illo 17. textu primi Phyſicorum ait, quod totum nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes ſimul ſumptæ, ideò iure Scotus hanc opinionem illi tribuit, neque Scotus hanc opinionē Auerroi ex profeſſo tribuit, ſed inquit, quod videtur Auerroes dicere, quod totum non eſt aliud niſi ſuæ partes ſimul ſumptæ, quod ſi conſentiat nobiſcum vt tuetur Zimara, nulla eſt contentio. Quomodo autem rationes aduerſariorum ſoluere debeamus, docuimus alia clariori diſtinctione, quam Zimara fecit. Hanc opinionem Scoti multi ſe ſequi profitentur, qui eā non intelligunt: & qui ſimiliter eam impugnant, hunc ſenſum non percipiunt: vndè non parum feciſse videbimur, ſi huic diſputationi claram lucem attulerimus. Ex dictis habes, quomodo ad auctoritates & rationes Phyſicas reſpondere poſſis. Ad rationes Theologicas aliàs reſpondebitur.

THEOREMA XXII.

Materia prima habet actum entitatiuum.

Ponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

QVoniam materia hæc eſt difficilis, & multi perperam mentem Scoti intelligunt, eam clarè exponere, & dilucidare decreui. *Scotus.* Scotus ſecundo Sententiarum, diſtinctione 12. quæſt. prima, proponit hoc quæſitum: Vtrum in ſubſtantia generabili, & corruptibili ſit aliqua entitas poſitiua realiter diſtincta à forma, (hæc enim ſunt verba eius formalia) deinde adducit vnam opinionem quæ à Marginiſtis tribuitur Richardo de media villa, & Alberto, quæ dicebat, rem generabilem, & corruptibilem habere in ſe tantum vnam realitatem poſitiuam, & hanc aliqui dicebant eſse materiam, alij formam. Scotus hanc opinionem confutat, & probat neceſsariò in quacumque re naturali generabili, & corruptibili, eſse duas realitates poſitiuas, multis rationibus, ſed præcipuè ſic ex Ariſt. 1. *Prima ratio.* Primò de generatione tex. 23. In generatione naturali ſemper aliquid corrumpitur, & aliquid generatur, & hoc eſt oppoſitum, quia ex oppoſito fit oppoſitum in generatione naturali; præter hoc datur aliquid quod eſt cōmune vtrique termino, quod eſt materia, ergo in quacumque re naturali genita, eſt oppoſitū, quod fit ex oppoſito, ſcilicet forma, quæ fit ex priuatione, eo modo quo docti ſciūt tamquam ex termino à quo, adeſt etiam materia quę eſt ſubiectum vtrique termino, & ſemper remanet in generatione, &

ne, & re generata, ergo materia, & forma, ſunt realitates poſitiuæ. Præterea, ſubſtantia per ſe exiſtens, diuiditur in ſubſtantiam ſimplicem, & compoſitam; ſed compoſita non poteſt eſſe diuiſa per ſe contra ſimplicem, niſi habeat partem per ſe differẽtem, & realiter diſtinctam à forma, ergo in re naturali compoſita, sũt duæ realitates poſitiuæ diſtinctæ. Alias rationes efficaciores vide apud Scotum citato loco; has duas faciliores adduxi, quia res hæc eſt clarior quam probari poſſit ſecundum omnes Peripateticos. Hoc habito, determinat quale ens ſit materia, & pro declaratione ponit hanc diſtinctionem de potentia, quod aliquid poteſt eſſe in potentia dupliciter; Vno modo, vt terminus actionis agentis, & ſic dicitur eſſe in potentia illud quod ex ſe nihil eſt, ſed eſt in virtute, & potentia agentis, vt mundus antequam crearetur erat in potentia, & virtute agentis Dei: ſed in ſeipſo nihil erat, & hanc potentiam appellat potentiam obiectiuã; Alio modo aliquid eſt in potentia quatenus eſt ſubiectũ capax, & receptiuum alicuius formæ, & hæc eſt potentia ſubiectiua: iſtæ duæ potentiæ quandoque ſe concomitãtur, immò ſunt vnamet potentia realiter, ſed comparatæ ad diuerſa, ſunt duæ potentiæ; vt exempli gratia: ſemen eſt in potentia ad recipiẽdum formam corporis animalis, quia eſt ſubiectum capax talis formæ, & ſic eſt in potentia ſubiectiua, idem ſemen eſt in potentia, vt per actionem agẽtis fiat corpus animalis, & ſic eſt in potentia obiectiua, quatenus ergo eſt ſubiectum informabile forma corporis animalis, eſt in potẽtia ſubiectiua, quatenus verò ſemen conſideratur non vt eſt ſubiectum, ſed vt eſt obiectum actionis agentis, per quam fit corpus animalis, eſt in potentia obiectiua, & recipit agens vt per actionem eius fiat corpus animalis, & ſic eadem potentia realis ſeminis eſt ſubiectiua, & obiectiua; ſubiectiua reſpectu agentis. Quandoque hæ potentiæ ſunt ſeiunctæ, ita quod potentia obiectiua erit in aliqua re, ſed in ea non erit potentia ſubiectiua, vt in creabili, eſt ſolum potentia obiectiua, non ſubiectiua, quia creabile habet eſſe tantum in potentia, & virtute agentis, in ſe verò nihil

Secũda potẽtia.

eſt: nullum enim eſt ſubiectum in creatione, quod ſubijciatur, & ita in creabili non eſt potentia ſubiectiua.

Habita hac diſtinctione ait, quod aliqui dicũt, quod matéria eſt in potẽtia obiectiua tantũ; ſicut albedo eſt in potentia obiectiua quando nõ eſt, quæ tamen ſecũdũ quid eſt, quia eſt in virtute cauſæ, vel cauſarũ ſuarum, adeò quod hæc opinio videtur dicere, quòd materia ex ſe nihil ſit, & quod nullã habeat entitatem in ſe, ſed quod ſolum habeat entitatem in cauſis ſuis, ſicuti mundus antequã crearetur, ex ſe nihil erat, & nullã habebat entitatẽ, ſed ſolũ habebat entitatem in ſua cauſa, ſcilicet Deo; & ita ſecũdum hanc opinione materia prima eſt tantum in potentia obiectiua, non autẽ ſubiectiua, quia ex ſe nõ eſt entitas, quæ ſit apta nata eſſe ſubiectũ formæ, veluti ſunt ea, quæ ſunt in potentia ſubiectiua. Scotus contra hanc opinionem inſurgit, & probat, quod materia non eſt tantum in potentia obiectiua; ſed quod ex ſe eſt entitas poſitiua apta ſuſcipere omnes formas, quod eſt entitas poſitiua, extra ſuas cauſas, & conſequenter, quod eſt in potentia ſubiectiua non obiectiua. Hinc apparet intellectus quæſiti: quando quærimus, an materia prima habeat actũ entitatiuũ, nam quærimus, an materia prima ſit entitas poſitiua ex ſe, extra ſuas cauſas; vel an potius materia ex ſe nihil ſit, ſed tota ſua entitas ſit in potentia, & potentia agentis, & ſuarum cauſarum. Hanc ſuam opinionem probat, & ſimul oppoſitam cõfutat, his rationibus. Cõtra hanc opinionem valent duæ rationes nunc ſupra adductæ, & aliæ omnes quas in præcitato loco fecit Scotus cõtra opinionem illam dicentem, quod in generabili, & corruptibili eſt vnica entitas poſitiua, ſed præter illas ſpecialiter, ita arguit; Stante poſitione aduerſariorum, nec ignis, nec quodque generandum; vel generatum, erit realiter compoſitum ex diuerſis entibus, ſed quoddam ſimplex; quòd eſt contra omnem Philoſophiam.

Opinio quorũdam reijcitur.

Primò.

Secundò eadem ſtante opinione, non ſaluatur mutatio ſubſtantialis, quod pariter eſt contra omnem Philoſophiã; probatur conſequẽtia: quia mutari, eſt aliter ſe habere nũc quam prius, aliquo modo

Secũda.

manens

manens in eſſe poſitiuo, at ſi materia ex ſe nullam habet entitatem poſitiuam, dum aliqua ſubſtantia mutatur, ipſa manere non poteſt, forma autem patet quod nõ manet in mutatione ſubſtantiali, ergo mutatio ſubſtantialis eſt impoſſibilis; quia nihil datur poſitiuum, quod in ipſa maneat. Sed fortaſſe aliquis dicet, quod hoc non eſt inconueniens, quia dum ſubſtantia vna corrũpitur, fit alia noua ſubſtantia. Contra, hoc nihil eſt, quia licet in corruptione ſubſtantiali vna ſubſtantia deſtruatur, non tamen annihilatur, ſed ex ipſa aliud generatur: quia corruptio vnius, eſt generatio alterius; non poſset autem ex illa ſubſtantia corrupta generari alia ſubſtantia noua, niſi aliquid ſubſtantiæ corruptæ remaneret in hac mutatione, ex qua generatur ſubſtantia noua: hoc autem ait Ariſtoteles, quod eſt materia; modo, ſi materia non eſt quid poſitiuum ex ſe, ſed ſolum habet eſse in ſuis cauſis, nihil remanet in mutatione ſubſtantiali, & ſic erit impoſſibilis.

Reſp. tacita reÿcitur.

Tertia. Tertiò patet, quod hæc via aufert omnem compoſitionem, quia ſicut quando albedo de potentia obiectiua redit ad actum, non fit compoſitio realis in albedine, ita cum ex igne in potentia fit ignis actu, non fit realis compoſitio, & ideo qui ponunt materiam ſolum in potentia obiectiua, & non ſubiectiua, deſtruunt omnem rationem Philoſophi de materia, & euertũt totam doctrinam allatam ab eo de materia. Propter has, & alias rationes, Scotus determinat, quod materia nõ eſt in potentia obiectiua tantum, ſed eſt entitas poſitiua extra ſuas cauſas, quæ poteſt eſse ſubiectum omnium formarum, & ſic ſecundum Scotum materia habet actum entitatiuum, ideſt, eſt entitas realis poſitiua extra ſuas cauſas, & eſt in potentia ſubiectiua, ideo in corpore quæſiti hanc ſuam ſententiam ſic explicat, & confirmat: materia eſt per ſe vnum principium naturæ, vt dicit Philoſophus primo Phyſicorum, tex. 52. & inde, & ſecundo tex. 8. eſt per ſe cauſa, vt dicit ſecundo Phyſicorum tex. 28. & quinto Metaphyſices tex. 2. eſt pars compoſiti 7. Metaphyſices tex. 24. & 34. eſt fundamentum formarum per ſe. 1. Metaphyſices tex. 17. eſt ſubiectum mutationum ſubſtantialium. quinto Phyſicorum tex. 7. & 8. & ſecundum Theologos eſt terminus creationis. Idem habetur 1. de generat. tex. 1. & 23. & primo Phyſ. tex. 60. & 82. & 8. Metaph. tex. 3. & 4. & 12. Metaph. tex. 6. & 10. Ex his omnibus, quæ veriſſima ſunt, neceſſariò ſequitur, quod materia non eſt aliquid in potentia obiectiua tantùm, ſed eſt neceſſe, quod ſit in potentia ſubiectiua exiſtens actu, vel ſit actus, & vt intelligatur, quòd ipſe intelligat per hũc actum, in quo materiam per ſe exiſtere dicit, ſubinfert hæc verba formalia, (ſed oportet tunc quod ſit in potentia ſubiectiua exiſtens in actu, vel actus, non curo quodcumque dicatur ſecundum quod, omne illud dicitur eſſe actu, vel actus, quod eſt extra cauſam ſuam) ecce quod ſe declarat, quid intelligat per actum entitatiuum. Deinde ex his hãc ſententiam ſic confirmat; cum materia ſit principiũ, & cauſa entis, oportet neceſſariò quod ſit aliquod ens: quia cum principiatum, & cauſatum dependeant à ſua cauſa, & à ſuo principio; ſi eſset nihil, vel non ens, dependeret ens à nihilo, vel non ente, quod eſt impoſſibile. Præterea, materia eadem manet ſub terminis oppoſitis, & ſub potentijs numero diuerſis, quæ in ipſa corrumpuntur. Ex his apparet, quod eſt realitas diſtincta à forma, & quod eſt quid poſitiuum ex eiſdem cauſis, quia eſt receptiua formæ. Tamen his non obſtantibus, dicitur ens in potentia, quia quanto aliquid habet minus de actu, tanto magis eſt in potentia, & quia materia eſt receptiua omnium formarum ſubſtãtialium, & accidentalium, ideo maximè eſt in potentia reſpectu earum, & ideò materia definitur per eſse in potentia ab Ariſtot. non enim materia habet actum diſtinguentem, vel diuidentem, vel receptum, vel informantem, & dantem ſibi eſse ſpecificum, cuiuſmodi eſt actus formalis, & tamen materia eſt receptiuum illius actus, ſcilicet formalis, per nunc dicta, & eſt cauſa compoſiti, ergo non poteſt eſse nihil: quia nihil non eſt receptiuum alicuius, erit igitur aliquid, ſcilicet entitas poſitiua realis. Cum Scoto ſunt Henricus de Gandauo, Gregorius

Opin. Scoti.

Hēr. Greg.

Mercen. *Perr.* gorius de Arimino, Mercenarius, & Perrerius.

Adducuntur rationes contra Scotum. Cap. II.

Contra hanc ſuam determinatã ſententiam Scotus adducit varias rationes, quibus aduerſarij vtuntur, & probat quòd materia ex ſe, non ſit entitas poſitiua, ſed quòd ſolum ſit in potentia obiectiua; ſiue quòd habeat ſolùm eſſe in ſuis cauſis. *Primarò* Prima ratio ex ſeptimò Metaphyſices tex. 8. Materia nõ eſt quid, nec quale, nec quantum, & ſic de alijs Prædicamentis, ergo non continetur ſub aliquo illorum, in quæ ens diuiditur, ergo ipſa non eſt ens, & ſi eſt ens, non eſt aliud ens à forma, quæ eſt ſubſtantia. *Obiectio.* Quod ſi quis dicat, quod materia non eſt ens actu, & hoc ibi vult Philoſophus, tamen eſt ens in potentia. Arguit contra, ſi eſt ens in potentia, vel eſſet materia in potentia, vel forma in potẽtia, vel compoſitum in potentia; at neutrum iſtorum eſt, ergo non eſt ens in potentia, non primũ, quia materia tunc non eſſet materia, nihil enim eſt in potentia ad ſeipſum, aliquoquin eſſet, & non eſſet ſimul, neque eſt potentia forma, quia materia nõ fit forma, neque tertium, quia materia non fit, neque euadit compoſitum, licet ingrediatur compoſitum, & maneat in eo. *Secunda.* Secundò, materia non eſt ens per ſe intelligibile, quia ex Ariſtotele primo Phyſicorum, tex. 69. materia eſt cognoſcibilis ſolùm in Analogia ad formam; vel vt habet textus in Analogia ad Arte facta, ergo non eſt ens in ſe, quia omne ens poſitiuum eſt per ſe intelligibile. *Tertia.* Tertiò dixit Scotus, quod materia eſt in potẽtia ſubiectiua, & quod eſt extra ſuas cauſas actu, prout illud dicitur eſſe actu, quod eſt ens poſitiuum extra ſuas cauſas, quod nos appellamus actum entitatiuum, ſiue actum entis. Contra. Omnis act⁹ diuidit, & diſtinguit, ſed materia non diuidit, neque diſtinguit, quia ipſa eſt fundamentum naturæ, & in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, ergo materia nõ eſt actus, neque habens hunc actum. *Quarta.* Quartò ſi materia eſſet actus, compoſitum non eſſet per ſe vnum, conſequens eſt falſum, probatur conſequentia: quia ex duobus entibus in actu, non fit vnum per ſe, modo forma eſt actus, ergo ſi materia quoque ſit actus, erunt duo actus. Quintò, ſi eſſet actus, vel eſſet actus, qui eſt forma, vel ens in actu, quod eſt compoſitum, neutrum poteſt dici etiam per Scotum, ergo materia non eſt actus. *Quinta.* Sextò Philoſophus primo de generatione tex. 1. & 23. arguit contra illos qui ponebant ſubiectum generationis aliquod corpus actu, per hanc rationem: *Sexta* quia tunc generatio eſſet tantum alteratio, quia omne quod aduenit enti in actu, eſt accidens: ita in propoſito, ſi materia de ſe ſit aliqua entitas poſitiua ĩ actu, actualiter diſtincta à forma, ſequitur idẽ inconueniens: quia materia tunc erit in potentia ſolùm, quatenus eſt receptiua actus completiui ſpeciei; quidquid ergo eſt adueniens materiæ, conſtituit vnum per accidens cum ea, & ſic non dabitur generatio ſubſtantialis, ſed alteratio tantum. *Septima.* Septimò potentiale in omnibus alijs generibus à ſubſtantia non eſt actu illius generis, patet diſcurrendo per omne genus accidentium: nam ſuſceptiuum coloris, non eſt color actu, neque in genere coloris, ergo in genere ſubſtantiæ receptiuum ſubſtantiæ nihil erit generis ſubſtantiæ; cum autem tale receptiuum non ponatur in aliquo alio genere, nec poſſit reduci ad aliud genus, quàm ad ſubſtantiam, dicendum eſt quod non diſtinguitur realiter à forma ſubſtantiali, cuius eſt ſuſceptiuum, & ſic materia nõ eſt entitas poſitiua per ſe exiſtens diſtincta à forma. *Thomiſtæ. Bacconus, & Zabarel.* Præter hæc Thomiſtæ omnes Ioannes Bacconus, & Zabarella arguunt contra hanc ſententiam Scoti, multis rationibus. Sed nota, quod iſti omnes dicunt, & concedunt, quod materia eſt realitas poſitiua, & quod eſt ens, & ſic ſaluant compoſitionem: ſed cum hoc dicunt, quod materia eſt ens, ſiue entitas potentialis, quod de ſe nullam habet exiſtentiam, ſed eam habet ſolum à forma, ideò impugnãt Scotum quo ad id quod dicit, quod materia eſt entitas poſitiua, ſed in actu exiſtens extra ſuas cauſas, hoc enim falſum eſſe aiunt; quia materia non eſt actus, neque in actu. Præter ergo allatas

rationes à Scoto, quarum multæ adducuntur ab illis, quia videtur illis impugnare hunc actum entitatiuum, ſic arguunt, *Paul. Sonc.* Paulus Soncinas 7. Metaphyſices, quæſtione 17. nullibi legitur apud Philoſophum, quod materia ſit actualitas quædam, ſed quod eſt pura potentia; ergo nō *Auct.* habet actum entitatiuum; antecedens probatur 2. de Anima tex. 8. & 8. Metaphyſ. aſsignans Ariſtoteles cauſam, quare ex materia, & forma fit vnum per ſe, dicit, quia materia eſt potentia, & forma eſt actus; Item 7. Metaphyſices textu 8. poſtquam dixit, quod materia non eſt quid, nec quale, nec quantum, declarans naturam materiæ, ait, quod eſt potentia omnia hæc; Item Ariſt. in quinto Metaphyſices tex. 14. diuidit quodlibet genus entis in potentiam, & actum, ſed ſubſtantia eſt vnum genus, ergo aliquid eſt in ea vt potentia, & aliquid vt actus, at forma *1. ra.* eſt actus, ergo materia erit potentia. Deinde rationibus arguit, & primo ſic; Si materia haberet actum entitatiuum, eſſet per ſe cognoſcibilis, quæ ratio ſuperius à Scoto eſt adducta. Secundo ſeque- *Secunda.* retur, quod quælibet ſubſtantia materialis, eſſet ſecūdum ſe totam actus: ſed hoc eſt falſum, ergo; probatur conſequentia: quia quælibet pars eius eſt actus, nam patet, quod forma eſt actus; ſi etiam materia eſt actus, quælibet pars eius eſt actus, & ſic tota eſt actus; Si quis dicat quod eſt tota actus entitatiuus, ſed non tota a- *Reſpōſio.* ctus formalis. Contra arguit: ſequitur ex hac reſponſione, quod ſubſtantia ſeparata non ſit magis quàm ſubſtantia materialis; probatur conſequentia: quia ſubſtantia ſeparata non eſt tota actus formalis, quia eius eſſentia eſt potentia ad eſſe ſimpliciter, recipit enim eſſe ſubſtantiale, & ei ſubſternitur, ergo illa eſſentia eſt potentia ſubiectiua, ſicut & materia. Ter- *Tertia.* tio, materia eſt ſic prope nihil, quòd nihil propinquius poteſt imaginari, ſed ſi ſit aliquo modo actus, poſſibile eſt imaginari aliquid quòd ſit propinquius nihilo materia, puta ſi materia eſſet tātum potentia ergo materia nullo modo eſt actus. *Quarta.* Quarto de quolibet actu verè poteſt dici per propoſitionem de ineſſe, quod ſit actus, dicendo hoc eſt actus; ſed eſſe actum non poteſt verè enunciari de materia; Et ſic dicamus, materia poteſt eſſe ſine forma, hoc eſt dicere, quod materia poteſt eſſe in actu, non actus; ex hoc arguit; Si materia eſſet ſeparata a forma, materia non eſſet actus, ergo multo minus quando eſt in compoſito, eſt actus, tenet conſequentia: quia tunc haberet eſſe per ſe, in compoſito autem habet illud ſolum a forma. Quintò, quidam alij *Quinta.* ſic arguunt. In tota latitudine entis ſunt duo extrema oppoſita inter ſe, nimirum Deus, & materia prima, ſed Deus eſt purus actus, ex ſe habens eſſe ſuum, ergo materia prima eſt pura potentia, eſſe ſuum accipiens ab alio; cōſequentia probatur: quia oppoſitorum eſt eadem ratio. Sextò, Zabarella tandem mordicus *Sexta. Zab. & Bacon.* opinionem Scoti euertere nititur, & in 2. lib. de Materia, cap. 2. ſic arguit. Iſte actus entitatiuus quem ponit Scotus in materia prima, vel eſt aliquid, vel nihil, ſi nihil, ergo non datur, ſi aliquid, vel erit ſubſtantia, vel accidens, quia omne ens, vel eſt ſubſtantia, vel accidens, non eſt accidens ſecundùm Scotum, quia iſte actus entitatiuus eſt actus materię primę, vndè ſi iſte actus eſſet accidens, materia prima eſſet accidens, quod Scotus non diceret, ergo eſt ſubſtantia, atqui ſubſtantia ſecundum Ariſt. diuiditur in materiā, formam, & compoſitum; ſed iſte actus non eſt forma, quia Scotus contradiſtinguit hunc actum entitatiuum, ab actu formali, multo minus eſt compoſitum: quia ſequeretur, quod in entitate materiæ eſſet compoſitio materiæ cum forma; ſi autem iſte actus eſt materia, ſequitur quod erit materia materiæ, & ſic materia conſtabit ex alia materia, vel erit ipſamet materia, quod omninò confitendum eſt Scoto, ſicuti entitas hominis nil aliud eſt, quam homo, ita entitas materiæ nil aliud eſt quàm materia, & ſic relinquitur, quòd actus entitatiuus ſit ipſamet materia: at entitatem materiæ vocare actum, eſt ita vanum, vt ne mente quidem concipi poſſit, cum potius omnes Philoſophi naturæ materiæ contrarium nomen attribuerint, nempè, nomen potentiæ, & dixerint eius naturam in hoc eſſe conſtitutam, vt ſit ens poteſtate, &

ſic aſſe-

Prima ratio, ex Bacco no. ſic aſſerit Zabarella, quòd materia non eſt actus. Primam rationem ad hoc deſumit ex Bacconoin ſecundo Sententiarũ, diſtin. 12. quæ eſt, vel potentialitas materiæ eſt actualitas, vel re diſtincta ab actualitate. Primum nõ poteſt dici; quia implicat contradictionem; nec ſecundũ: quia tunc natura materiæ non eſſet ſimplex, quia tunc per vtrumque, ſcilicet per potentiam, & per actum, natura materiæ denotaretur, ergo non eſt dicendum, quod materia ſit actus. Sed Ioannes Bacconus hanc rationem ſic conficit; dicimus nos, quod in materia eſt potentialitas, & actualitas, eſt actualitas, quatenus eſt ens poſitiuum, eſt potentialitas, quatenus eſt in potentia ad formam recipiendam. Cõtra inquit Ioannes Bacconus, ſi materia includit in ſua quidditate actualitatẽ, & potentialitatem, vt vos Scotiſtæ dictis, & neutra includit aliam, ſupple, quia eſſet contradictio, ergo potentialitas, vt præciſè accepta, non eſt ipſa actualitas, ſed aliud ſecundum rem; ergo qua ratione prima materia ponitur quædam actualitas, quia eſt quædam eſſentia, eadem ratione potentia ipſa nuda, quæ in materia diſtinguitur contra actualitatem, eſt actualitas, cum ſit res, & quidditas, & ita quod primò diſtinguitur contra actualitatem, erit actualitas, quod eſt contradictio; & vltra: ſi potentia pura præciſè accepta, ſit actualitas, ipſa pura potentia, & præciſa, poterit eſſe terminus creationis. Alia argumenta, quę adducit Ioann. Baccon. ſuperius adducta ſunt, à Scoto, & à Thomiſtis. Zabarella quoque pro ſe adducit auctoritates Ariſtot. ſuprà adductas, vt ex 2. de Anima, textu 2. ait, quod materia eſt potentia, & in tex. 8. & 7. Metaphyſices, tex. 8. quod materia non eſt vllũ ens determinatũ, ergo materia non eſt ens actu. Itẽ, omne ens diuiditur per potẽtiã, & actum. His rationibus concludit Zabarella, ꝙ materia nõ eſt actus neque actu, immò nõ eſt ens propriè, ſed ſolũ eſt principium, & materia entium; quia non eſt aliqua ſpecies entis determinata, ſed inchoamentum omnium entium; ſi ergo poſſemus appellare materiam actum, quatenus eſt ens, eadem ratione poſſemus appellare materiam Aſinum, & dicere, nos accipere Aſinum alio modo quàm accipiatur Aſinus.

Cõtra Potẽtiã obiectiuam. Præter has rationes arguunt Thomiſtę, vt Paulus Soncinas, & Iauellus, 9. Metaphyſices, & Zabarella in hoc citato loco, aduerſus illam diſtinctionem; quam adduxit Scotus de duplici potentia, obiectiua, & ſubiectiua; quia dicunt, quod tota poſitio Scoti innititur huic fundamento, quo deſtructo, ruit actus entitatiuus, vtuntur autem omnes eiſdem ferè rationibus.

Prima ratio eſt hæc. Apud Ariſt. legimus tantùm duas potentias, ſcilicet actiuam, & paſſiuam, vt patet 9. Metaphyſices, tex. 1. & duos actus, ſcilicet, primum, & ſecundum, vt notauit Ariſt. 2. de Anima, tex. 6. & inde, potentia paſſiua refertur ad actum primum, potẽtia actiua ad actum ſecundum, tunc arguunt; Vel iſta potentia obiectiua (hoc enim membrum eſt quod impugnant) eſt potentia actiua, vel paſſiua, vel non datur. Probatur hæc propoſitio; homo qui nondum eſt genitus, per vos Scotiſtas eſt in potentia obiectiua; quod enim eſt in ſuis cauſis tantũ, eſt in potentia obiectiua; quæro in quo iſta potentia obiectiua, ſi eſt quid reale, inhæreat, certè in ipſo homine fundari, & inhęrere non poteſt; quia homo ille nõdum eſt, in quo fundabitur ergo? certè dicendum eſt, quod fundatur ſolùm in materia prima hominis generandi; nihil enim hominis generandi exiſtit, niſi materia, quæ prius pars futura eſt, at potentia, quæ exiſtit in materia, eſt ſolũ potentia ſubiectiua, & ſic cum dicimus, homo generandus eſt in potentia, illa potentia eſt potẽtia materiæ; hæc eſt ſolùm ſubiectiua, ergo homo generandus eſt in potẽtia ſubiectiua, ergo potẽtia obiectiua non diſtinguitur à ſubiectiua; hæc potẽtia ſubiectiua eſt potẽtia paſſiua, ergo potẽtia obiectiua non diſtinguitur à potẽtia paſſiua, & potẽtia obiectiua, & ſubiectiua sũt eadem. Probat etiam Zabarella quod potẽtia obiectiua, nõ differat ab actiua, hoc modo; quãdo dicimus, Mundus antequã crearetur, erat in potẽtia obiectiua reſpectu agentis, tunc non ſignificamus aliquã potentiam exiſtẽtem, quia cum mundus non ſit, non poteſt fundare iſtam potẽtiã, neque *Con- tra potẽtiã obiectiuã & ſubiectiuam.*

neque hæc potentia prout mundo attribuitur habet aliquid poſitiuum cui inhęreat, & ſic non eſt potentia exiſtens; ſed hæc potentia nil aliud dicit, niſi non repugnantiam terminorum, hoc eſt negationem impoſſibilitatis huius propoſitionis; Poſſibile eſt mundum creari; modo patet, quod potentia hæc non eſt potentia realis, ex Ariſtotele 5. Metaph. tex. 17. ideò vanum eſt hanc potentiam, quæ nihil eſt niſi ens rationis ſtatuere, vt re diſtinctam ab alijs potentijs, quæ ſunt entia realia; ſubinfert deinde Zabarella, quod ſi hæc potentia obiectiua eſt aliquid reale, non eſt quid diuerſum à potentia actiua agentis; & ſic cum dicimus, mundus eſt in potentia obiectiua, ſi quid reale dicimus, nil aliud dicimus, niſi quod eſt in potentia actiua Dei, ita quod dicere mūdum fuiſſe in potentia obiectiua Dei, eſt dicere, Deum habuiſſe potentiam actiuam creandi mundum; potentia ergo obiectiua non eſt quid reale, diſtinctum à potentia actiua; Ex his concluditur, quod non datur potentia obiectiua diſtincta à paſſiua, & actiua, & conſequenter non datur actus entitatiuus, & propter hoc Diuus Thomas, & iſti omnes dicunt, quod materia non habet actum entitatiuum; ſed eſt ens in pura potentia nullam habens exiſtentiam. Præterea, omnis exiſtentia eſt à forma, & propter hoc materia ex ſe, nullam habere poteſt exiſtentiam, licet ſit entitas ſubſtantialis, & inchoamentum omnium ſpecierum ſubſtantialium.

Reijciuntur rationes aduerſæ, & confirmatur ſententia Scoti. Cap. III.

QVàm ſint abſurda, & vana hæc, quę dicuntur ab iſtis, tàm pro confirmatione ſuæ opinionis, quàm contra Scotum, facilè quilibet ſtudioſus inſpicere poteſt, ſi rectè ſententiam Scoti perceperit, quam ſuprà retulimus oportet tamen euidenter eorum vanitatem oſtendere; nam verbis, & animo diſſentiunt à Scoto; re vera cogēte veritate id ipſum quod Scotus ſentiunt; oportet ergo primum videre quænam ſit eorum ſententia, non enim ſibi conſtare videntur, primum pleno ore omnes fatentur quod materia eſt pura potentia, nullā habens exiſtentiam extra ſuas cauſas, & per ſeipſam; ex alia parte dicunt, quod materia eſt ens, & ſubſtantia, & inchoamentum omnium formarum, & ſubiectum earundem, & hæc expreſſè dicit Zabarella, & in præcitato libro ſecundo de materia cap. 4. in declaratione quintæ Concluſionis; hoc etiam fatentur omnes Thomiſtæ, & Ioānes Bacconius. Nunc arguo contra hanc opinionem, vel iſti pugnantia dicunt, vel dicunt idem quod Scotus, & admittunt actum entitatiuum; nam quæro ab illis, quando dicunt, quod materia eſt pura potentia, ſiue ens purè potentiale, nullo pacto exiſtens per ſe, ſine forma, an intelligant de potentia paſſiua, vel actiua; nam ſecundum eos, omnis potentia, vel eſt actiua, vel paſſiua; non poſſunt dicere ſe intelligere de actiua, quia hæc potentia eſt in agente; etenim potentia actiua eſt facultas transmutandi aliquid in aliud, quod non competit materię: quæ ſolùm eſt paſſiua, intelligunt ergo de potentia paſſiua: & hoc illi admittunt: potentia paſſiua autem eſt potentia tranſmutandi aliquid ab aliquo; cum ergo dicunt quod materia eſt ens potentiale, & in potentia pura, volunt dicere, quod materia eſt ens, quod poteſt tranſmutari in aliud ab agente; tunc quæro cum dicunt quod materia eſt ens in pura potentia paſſiua, an velint dicere, quod materia eſt in potentia veluti mundus antequam crearetur (ne vtar terminis ſuſpectis) erat in potentia paſſiua ad creari, & veluti homo generandus, antequam generetur, eſt in potentia paſſiua ad generari; nam mūndus in ſeipſo antequam creatur, nihil eſt, & homo generādus ſimiliter nihil eſt exiſtens extra ſuas cauſas; ſed eſt tantum in ſuis cauſis; vel velint dicere quòd materia eſt ens potentiale, veluti eſt aes reſpectu formarum artificialium, quarū vllam nōdum recepit, ſed recipere poteſt; vndè æs reſpectu formarum artificialium eſt merè, & purè potentiale, quia nihil actus artificiati habet; ſed ſolùm recipere, & tranſmutari, ad illas formas poteſt ab agente. Præter hos duos modos eſſendi, in potētia paſſiua nullus alius reperitur; vel enim res ſecundùm totum eſt in potē-

Pri-marū cōtra ad-uerſarios.

Incō-ſtan-tia ad-uerſa-riorū.

tia paſſiua adeſſe, vel ſecundum partem: Primo modo eſt in potentia ſecundum totum. Secundo modo eſt in potentia ſecundum partem ad eſſe; ſi intelligunt primo modo, ſunt contra Scotum, & eſt opinio quam ore pronunciant, & animò tenent, & eſt falſa, vt mox ex eorum dictis oſtendam. Si ſecundò modo, conſentiunt cum Scoto, & admittunt actum entitatiuum; oſtendo primum; Mundus antequam creetur, ex ſe nihil eſt; Neque poteſt dici, quod ſit ens, habet enim ſolùm eſſe in cauſis ſuis, & eſſe iſtud non eſt entitas realis mundi diſtincta ab entitate cauſarũ, vel cauſæ Dei: ſed eſt illamet entitas cauſæ Dei, ideò nemo poteſt dicere, quod mundus antequam creetur, ſit ſubiectum alicuius formæ: neque quod ſit inchoamentum formarum: neque quòd poſſit eſſe pars componens aliquod reale: neque quod ſit ſubſtãtia etiam imperfectiſſima, quia ſubſtantia aliquid in ſe eſt, at mundus in ſe tunc nihil eſt, iõ non eſt ſubſtantia, ſed neque accidens: quia & accidens aliquid reale poſitiuum in ſe ipſo eſt, at mundus antequam creetur, nihil eſt; Similiter de homine generando, ſed nondum genito dicendum eſt: nam in ſe nihil eſt, ideò non poteſt dici, quod homo generandus ſit entitas realis alia à ſuis cauſis; Neque poteſt eſse ſubiectum alicuius formæ: neque poteſt eſse pars alicuius rei realis, quia in ſe nihil eſt, ſed habet ſolùm eſse in cauſis ſuis: ſed illud eſſe ſiue illa entitas, eſt entitas realis cauſę, nõ autẽ hominis generandi: ſi ergo dicãt materiã hoc modo eſse in potentia, & ens potentiale purũ, patet eos aſserere quod materia prima eſt purum nihil ſecundũ propriam entitatẽ, ſicuti mundus erat nihil antequã generaretur, & homo generandus ſimiliter ſecundũ propriã entitatem eſt nihil, & ſic materia prima non poteſt eſse ſubſtãtia ẽt imperfectiſſima, q̃a ſubſtãtia eſt aliqua entitas ex ſe, ſed materia hoc modo eſt nihil: neque ſimiliter eſt accidẽs eadẽ ratione; quia accidẽs eſt entitas poſitiua: modò hæc erat ſententia illius opinionis, quã Scotus cõfutat, & cõtra hanc opinionem ſecundum hunc ſenſum, militãt omnia argumẽta Scoti, quia ſic dicere, eſt aſserere materiã eſse in potẽtia obiectiua, quos terminos rectè aſſignatos eſse à Scoto infra oſtendam: Quæ opinio quam falſa ſit ſufficienter per ſe patet, cum ſtatuat materiam eſse nihil, ſi verò Thomiſtæ intelligant ſecundum poſteriorem ſenſum, ſcilicet quòd materia eſt quidem ens, ſed purum potentiale, id, eſt denudatum ab omni forma; vti æs reſpectu omnium formarum artificialiũ; æs enim eſt in potentia ad recipiendum omnes formas, ſed earum nullam habet, & tamen in ſe eſt aliqua entitas realis poſitiua, in qua entitate nõ dependet a forma vlla artificiata, ſed eſt ex ſe ens poſitiuum; rectè dicunt, & cum Ariſtotele, & cum veritate; ſed hæc eſt opinio Scoti, & hæc admittit actum entitatiuum, nam ſic dicere, eſt dicere, materiam eſse in potentia ſubiectiua, & eſse in pura potentia reſpectu formarum; ſed non abſolutè in pura potentia reſpectu proprię entitatis; eſt etiam dicere, quod eſt entitas poſitiua extra ſuas cauſas, quia niſi eſset extra cauſas quæcũque illæ ſint (ſecundum Theologos enim cauſa eius eſt Deus; & ſecundum aduerſarios eſt forma; ſiquidẽ dicunt materiam habere à forma exiſtere, & eſse, & denique cum ponant illam eſſe in potẽtia obiectiua, cogũtur dicere, illã eſse in cauſis aliquibus, vt dicebat prima opinio. Deinde dicim⁹ materiã eſse extra cauſas ſuas, non quia putemus eam habere cauſas in via Ariſtotelis, ſed hoc modo loquendi vtimur, vt manifeſtemus materiam habere eſſe verum in rerum natura, non autem in cauſis aliquibus tãtũ, vt volunt aduerſarij) Iã materia prima in ſe non eſset entitas poſitiua realis, vt ſupra dictum eſt, & ſic non poſſet eſſe ſubiectum, & inchoamentum formarum ſubſtantialium, quod tamen conſtat eſſe falſum ſecundum hunc ſenſum, ergo materia prima eſt entitas poſitiua extra ſuas cauſas, & in hac entitate non dependent à forma, ſed ex ſemetipſa eſt tale ens, dicitur tamen pura potentia, quia nullam formam actu habet, ſed eſt receptiua omnium.

Secundò confirmatur ex Ariſtotele 1. Phyſ. tex. 69. hæc impugnatio, Vbi docẽs methodum inueniẽdi materiam primã, ait, quod materia cognoſcitur per analo-

giam ad materiam arte factorum, vt eſt ibi videre in tex. & hoc declarans, ait: ſicuti ſe habet materia arte factorum, vt æs ad ſtatuam, & lignum ad lectulum, ita ſeſe habet materia rerum naturalium ad formas naturales: iam vero materia arte factorum prius quam formas recipiat, informis eſt, vacuaq. omni forma artificioſa, ſed tamen ipſa ex ſe aliquid eſt, licet non ſit aliquid determinati generis artificiatorum, ita materia rerum naturalium priuſquam recipiat formas naturales, eſt informis, ſed tamen non eſt nō ens, & nihil: ſed aliquid poſitiuum in potentia ad recipiendum formas naturales, ſed non eſt aliquid determinati generis formarum, ſed in ſe eſt entitas poſitiua realis determinata, alioquin non poſſet eſſe inchoamentum formarum. Præterea, Zabarella in 1. libro de Materia, ſuſtinet, quod potentia non eſt de eſſentia materię in primo modo dicendi per ſe, ſed in ſecundo modo, ita quod potentia eſt paſſio materię. Ex hoc arguo ſic: Quod eſt nihil, & habet eſſe ſolùm in cauſis ſuis, nullam habet paſſionem, at materia habet paſſionem, fluentem ab ipſa, ergo materia prima eſt ens reale poſitiuum extra ſuas cauſas; infra etiam oſtendam potentiam eſſe propriam paſſionem materiæ, non differentiam eſſentialem. Contra hanc aduerſariorum opinionem militant omnes rationes Mercenarij qui ſuſtinet opinionem Scoti, in ſecūdo Tomo ſuarum Dilucidationum.

Mercenarius Reſpōſio Thomiſtarum.

Sed fortaſſe reſponderent Thomiſtæ, & maximè Zabarella, in hoc maximè addictus Diuo Thomæ. Rationes iſtæ probant quod materia prima eſt entitas poſitiua, & hoc nos concedimus: ſed non propter hoc probant quod ſit in actu, & quod habeat hunc actum entitatiuum, quem ponit Scotus, & materia per ſe exiſtat, quia exiſtere, eſt a forma ſolùm; ideò licet materiæ prima ſit entitas poſitiua, non tamen ſequitur quod exiſtat in actu ſine forma. Contra hoc ex hac reſponſione habeo, quod iam quò ad rem conſentiunt cum Scoto: ſed ſolùm eſt contentio de voce, & de nomine: concedunt enim, quod materia eſt entitas poſitiua, & ſic non eſt pura potentia, vt mundus antequam generetur; ſed cum hoc dicunt, quod materia licet ſit entitas poſitiua, tamen cum ex ſe nullam habeat formā, non poteſt dici habere actum, quia actus eſt forma, vel operatio formæ, & ſic neuter actus poteſt eſſe in materia; neque materia ſimiliter exiſtere per ſe poteſt, quia exiſtentia eſt effectus formæ; materia ergo per ſe, ſine forma exiſtere non poteſt.

Cōfutatio.

Quò igitur ad hanc partem, quæ ſpectat ad vocem, ſi rectè conſideremus ſtatum quæſtionis, videbimus quod iure Scotus vſus eſt hoc termino, actus entitatiuus, & ſimiliter nos Scotiſtæ. Erat difficultas an materia prima ſit aliqua entitas poſitiua, quæ faciat compoſitionem cum forma; Dicebant aduerſarij, quòd nequaquam, ſed quod erat pura potentia, & habebat ſolùm eſſe in ſuis cauſis. Scotus contra, probat quod neceſſariò eſt entitas poſitiua extra ſuas cauſas, & quod non eſt in potentia obiectiua, vt autem clarius explicaret eam eſſe quid poſitiuū extra ſuas cauſas, & extra potentiam obiectiuam, dixit, quòd eſt ens exiſtens in actu; vel actus per ſe; declarauit quid intelligat per hunc actum, dicens, non curo quodcumque dicatur, ſcilicet actus, vel actu, ſecundum quod omne illud dicitur eſſe actu, vel actus, quod eſt extra ſuas cauſas, adeò quod Scotus per actum entitatiuum nil aliud intelligit, niſi eſſe extra ſuam cauſam, & eſſe ens poſitiuum, quatenus contradiſtinguitur à nihilo, omne autem quod eſt ens, actu eſt, alioquin nō eſſet ens, quia quod actu nō eſt, nō poteſt dici ens, vt dixi ſuprà, ideò iure, cū materia ſit ens, dixit illā eſſe in actu.

Diſputatio de voce.

De exiſtentia materiæ. Notādum.

Quò ad id verò, quod aiūt materiā, licet ſit ens, non tamē habere exiſtētiā ꝓpriā, pro intelligentia notādū eſt, ꝙ exiſtentia: eſt paſſio entis, ſiue modus entis realis: nā omne ēs reale, ꝑ hoc cōtradiſtinguitur ab ente rationis, & à figmētis, quia exiſtit in rerū natura, & ꝙ nō exiſtit, nō eſt ens reale: quia ꝙ eſt in cauſis ſuis, eo ꝙ in ſeipſo nō habet exiſtentiā, nō eſt ens reale, vt ſupra dictū eſt de mūdo antequā crearetur; Vndè vis vocabuli hoc oſtēdit nā exiſtere, eſt extra ſtare, id eſt extra ſuas cauſas ſtare, & eſſe in ſeipſo aliquid. Sed hic eſt modo aduertendū, ꝙ entia realia quæ exiſtunt,

non

non ſemper ſola exiſtunt,ſed multa neceſſario cum alio exiſtunt:licet enim habeāt propriam exiſtentiam, non tamen per ſe ſola exiſtere poſſunt, ſed neceſſariò cum alio ente reali iunguntur,& cum illo exiſtunt, vt contingit de forma ſubſtantiali naturali:nam nec aduerſarij negabunt, quod forma habeat propriam exiſtentiā; tamen per ſe ſola non exiſtit: quod autem forma habeat exiſtentiam, probo: quia niſi haberet exiſtentiam per ſe,non poſſet illam dare compoſito, nemo enim dat, quod non habet. Præterea, eſt ens reale per ſe,ergo habet propriam exiſtentiam:quòd ſi contendant de forma, probemus alio clariori exemplo. Accidentia habent propriam exiſtentiam,non tamen per ſe ſolum poteſt manere accidēs, ſed ſemper eſt iunctum ſubſtantiæ; non valet dicere, illud ens reale non poteſt reperiri per ſe ſolùm, & exiſtere ſine alio, ergo non habet propriam exiſtentiam, tunc enim ſolum primæ ſubſtantiæ exiſtere dicerentur,immò neque ipſæ,quia ſubſtantia per ſe ſola non exiſtit,ſed ſemper exiſtit cum accidentibus; neque poſſibile eſt,quòd ſubſtantia ſit exiſtens abſque accidentibus,nec tamen propter hoc erit dicendum,quòd non habeat propriam exiſtentiam extra ſuas cauſas, licet non habeat illam ſolitariè,& ſeiunctim ab accidentibus;idem de propria paſſione dicendum eſt,exiſtit enim,ſed non ſola, ſed cū alio ente exiſtente,ſcilicet,ſubiecto. Ad propoſitum, materia prima cum ſit ens reale,habet propriam exiſtentiam, alioquin eſſet nihil; ſed hanc exiſtentiam nō habet per ſe ſola,ſed habet iunctā formā ſemper. Vndè per ſe materia ſola nūquā reperitur ſine forma,ſed ſēper eſt ſub forma:ſed non tamen propter hoc dicēdum eſt, quod nō habeat propriam exiſtentiā diſtinctam ab exiſtentia formæ, & cōpoſiti,iſta autem entia ſimul iuncta in compoſito,faciunt aliam entitatē, quæ poſtea ſubſiſtere dicitur: proprius enim modus eſſendi ſubſtantiæ primæ, & cōpoſiti, eſt ſubſiſtētia,& ſubſiſtere. Poſſumus itaque in hunc modum argumentari. Quod eſt ens reale,extra ſuas cauſas exiſtit in ſe; at materia prima,vt ſupra probatum eſt,eſt ens reale extra ſuas cauſas,ergo exiſtit per ſe;Maior eſt probata ſatis nunc,quia niſi exiſteret non eſſet ens,ſed nihil, quia implicat cōtradictionem; Minor quoque ſuprà eſt ſatis probata. Pręterea,debebat aduerſarij neceſſariò fateri, quod materia eſt ens reale extra ſuas cauſas, quæro quo nomine, vel termino velint appellare iſtud eſſe rei extra ſuas cauſas:ſi velint illud appellare nomine eſſe,dicent, materia eſt,at hic eſt terminus nimis communis, ſe enim extendit ad ens quoque rationis:nam de ſyllogiſmo,quem ego formo,verum eſt dicere,ſyllogiſmus eſt, ergo hic terminus,eſt,ſiue eſſe, eſt communeenti reali,& rationis,oportet ergo adinuenire terminū proprium explicandi eſſe rei realis diuerſum ab ente rationis; & hic eſt exiſtere;nam de ſyllogiſmo,quē in mente habeo, non eſt verum dicere, ſyllogiſmus iſte exiſtit per ſe, quia nō eſt extra ſuam cauſam;ſcilicet,extra intellectum,& intellectionem, quæ ſunt cauſæ ſuæ, ſed in illis eſt realiter, non enim eſt niſi ipſamet intellectio. Dicamus ergo, quod exiſtere, eſt modus, & paſſio entis realis,& ſubſiſtere,eſt modus eſſendi cōpoſiti ſubſtantialis, & quod omne illud quod eſt ens poſitiuum,extra ſuas cauſas exiſtit, licet ex ſe ſolo non exiſtat, ſed ſimul cum alio coexiſtat: quod,enim cū altero ſimul exiſtit,coexiſtit; etiam poteſt eſſe principalis ratio, ait enim Zabarella quod materia,& forma coexiſtunt compoſito,tunc ſic: quod coexiſtit ſimul exiſtit,quod ſimul cum altero exiſtit,neceſſariò habet propriam exiſtentiam: quia ſicuti qui cohabitant in domo, & ſimul habitant, vterque habitat, & qui ſimul viuunt, quilibet habet propriā vitā, etiā ſic cōcludimus,quod materia eſt exiſtens in ſe, licet, ex ſe ſola exiſtere non poſſit, propter ordinem, & diſpoſitionem vniuerſi;& ſic ſecundum ſe habet actum entitatiuum. *Alia ratio.*

Solutio rationum aduerſariorum.
Cap. *I V.*

AD argumēta in oppoſitum facillimè patet ex dictis.

Ad primam reſpondet Scotus loco citato duobus modis; Primò ait Ariſt. eo in loco loqui ad mentem antiquorum,& fortaſſe *Ad primū.*

fortaſse hæc eſt melior expoſitio, quæ illi loco congruat, ſed hoc contemplentur Metaphyſici. Secũda reſponſio eſt, quod dato quod ibi Ariſtoteles loquatur ad propriam mentem, auctoritas non eſt cõtra nos qua ibi ponit illa, quibus determinatur, & diſtinguitur, hæc autem determinatio fit à forma; dicit ergo Scotus, quod materia non eſt aliquod ens huiuſmodi determinatum, quia caret forma actuante, & determinãte, non tamen propter hoc ſequitur quod materia ſit nihil, ſed ſolùm ſequitur, quod non eſt aliquid determinatum.

Ad ſecũdum. Ad ſecundum dico, quod materia eſt per ſe cognoſcibilis, etiam abſque Analogia ad aliud, vt in proprio quæſito oſtendam; ſed pro nunc ad argumentum dico, quod materia duobus modis poteſt conſiderari: vno modo vt eſt entitas abſoluta; alio modo vt eſt ſubiectum generationis, & mutationis; Ariſtoteles in primo Phyſicorũ conſiderat ſolùm materiã vt eſt ſubiectum generationis, & mutationis, & hoc modo concedo quod non eſt cognoſcibilis niſi per Analogiam ad formam, vel ad arte facta: at alio modo, ſcilicet, vt eſt ens, eſt per ſe cognoſcibilis abſque analogia, vt dicam.

Ad obiectionem dico, quod materia eſt in genere ſubſtantiæ, ſed eſt indeterminata actu formali, quia omni forma caret, & eſt in potentia ſubiectiua ad formam, cum arguitur contra, quia materia non ſit forma, nec compoſitum, ergo non eſt in potẽtia ad formam, nec ad cõpoſitũ: Reſponſ. quod materiã eſſe in potentia ad formam, contingit duobus modis; Vno modo vt fiat forma, & compoſitum ipſum ſimpliciter. Alio modo vt determinetur à forma ad eſſe compoſiti. materia prima eſt in potentia ad formã, non vt fiat forma ſimpliciter, ſed vt determinetur à forma, ad hoc, vel illud cõpoſitũ, quod ex materia, & forma conſurgit.

Ad tertium. Ad tertium dico, quod actus duobus modis poteſt accipi; Vno modo pro actu actuante, & hic eſt forma, & ſecundum hunc ſenſum dico, quod materia non eſt actus, ideò non diſtinguit, neque ſeparat; Alio modo accipitur actus pro omni eo quod eſt extra ſuas cauſas, & ſic concedo, quod materia eſt actus vel in actu, dic vt vis.

Ad quartum. Ad quintum. Ad ſextũ. Ad quartum per idem, & ex dictis patet ad quintum. Ad ſextum dico quod aduenit enti in actu formali conſtituto, eſt accidens, ſed hoc non concludit de actu entitatiuo: immò eſt neceſſe, quod id, quod eſt ſubiectũ in generatione ſubſtantiali, ſit aliquid exiſtens extra ſuas cauſas, ex quo ſimul poſtea fit compoſitum; antiqui autem ponebant ſubiectum generationis eſſe corpus habens formam ſubſtantialem, alij terram, alij aquam, & alij aliquid aliud ſtatuebant: ideò concludit contra eos, non contra nos.

Ad 7. Ad ſeptimum dicit Scotus, quod potentiale receptiuum accidentium, non eſt quid illius generis, quod recipit: ſed tamẽ eſt quid actuale alterius generis prioris, vt ſuperficies eſt receptiuum coloris, ideò non eſt de genere coloris, tamen eſt prioris generis, ſcilicet, Quãtitatis, & ſic habeo quod receptiuum alicuius, ſemper eſt actu alicuius generis, modo receptiuũ ſubſtantię cum ſit primum genus, ſubſtãtia non poteſt eſſe in aliquo priori genere, ideò eſt in genere ſubſtantiæ eo modo, quo dictum eſt.

Ad primum Pauli Soncinatis auctoritates. Ad primũ Pauli Soncinatis dico, quod apud Ariſtotelem ſæpiſſimè legimus materiam primã habere actum entitatiuũ: nam vt ſupra diximus, ait illam eſſe ſubiectum generationis; eſſe partem compoſiti ingenerabilem, &c. ideò ad auctoritates in contrarium dico, quod Ariſtoteles non vult dicere, quod materia ſit pura potentia, vt illi intelligunt: ſed intelligit quod eſt in potentia ſubiectiua. Ad auctoritatem de ſeptimo Metaphyſices, iam dictum eſt ſupra, reſpondendo ad primum. Ad aliam auctoritatem de quinto Metaphyſices, dico, quod ens in potentia, non eſt ens, neque ens prædicatur de illo per ſe, ſed ſolùm per accidens. Vnde dico, vt dicit Scotus in expoſitione ſuper illũ locum, quòd illa diuiſio entis, in actum, & potentiam, eſt diuiſio diſtrahens, vt hæc: homo alius verus, alius pictus, nam homo pictus non eſt homo, neque prædicatur de hoc membro, quia diſtrahit; ideò ens in potentia, omninò non eſt ens; & ſic ſi materia eſſet omninò in potentia,

quod

quod eſt, eſſe in potentia obiectiua, non eſset ens reale; dico ergo, quod materia continetur ſub membro illo, quod eſt actus, ſed communiter dicitur in potentia, quia eſt in potentia ſubiectiua.

Ad primā rōnem Pauli, & ſecundam. Ad primam rationem iam reſponſum eſt ſupra.

Ad ſecundam dico, quod ſubſtantia materialis eſt tota actus entitatiuus. Ad rationem contra hoc, dico, quod ſubſtantiæ ſeparatę ſunt magis actus, quàm materiales: quia illæ non ſunt compoſitæ ex re, & re; ſed ſunt ſimpliciſſimæ entitates, & propter hoc dicuntur eſſe magis actu, quàm materiales, quia ſunt formæ ſimplices impermixtæ materiæ.

Ad 3. Ad tertiam dico, quod materia eſt prope nihil, quia non habet eſſe formatū, ſed informe, at ſi eſſet pura potentia, vt dictū eſt ſuprà, non eſset propè nihil, ſed eſset nihil, eſt ſolùm ergo potentia pura ſubiectiua.

Ad 4. Ad quartā dico, quod parū refert appellare materiam actum, vel in actu: diximus enim, quod pro tanto dicimus materiam eſse actum, vel in actu, vt denotemus materiam eſse ens extra ſuas cauſas, reale, poſitiuum, niſi ergo velis eam appellare actum, appella in actu.

Ad 5. Ad quintum dico, quod hoc argumentum eſt pro nobis: ſi enim in tota latitudine entis reperitur materia, ergo materia non eſt nihil, ſed aliquod ens poſitiuum extra ſuas cauſas, alioquin non eſſet in latitudine entis, & tunc concedo, quod ſicut vnum eſt puriſſimus actus, nihil habens potentialitatis materiæ, ſed pura, & ſimpliciſſima forma, vt Deus: ſic eſt alterum quod nihil habet actualitatis formæ: ſed in pura potentia reſpectu talis actualitatis, & hoc eſt materia prima, ſed hoc non concludit amplius, quàm quod materia eſt in potētia ſubiectiua, non obiectiua: quia ſi eſset in potētia obiectiua, iam non eſset in latitudine entis realis.

Ad primam Zabarellæ dico, quod actus entitatiuus non eſt ſubſtantia, neque accidens, ſed eſt paſſio entis, & eſt tranſcendens, quia actus entitatiuus, & exiſtētia, eſt paſſio entis realis, ſiue modus ītrinſecus, & ſic nō eſt materia, neque forma, neque compoſitū, ſed exiſtentia materię. Vnde cum dicimus materiam habere actum entitatiuum, eſt, ac ſi dicamus materia habet exiſtentiam, & ſic ceſsant eius rationes; exiſtentia autem eſt idem realiter cum eo, cuius eſt exiſtentia; diſtinguitur verò formaliter, ſicut cæteræ paſſiones entis ſunt idem realiter cum eo, non formaliter.

Ad primū Zab. Ad rationem deſumptam ex Baccono, vt eam format Zabarella, dico, quod actualis materia eſt re diſtincta à potentialitate materiæ, neque tamen propter hoc ſequitur, quod in materia ſit compoſitio, ſicut priuatio nō facit cōpoſitionem cum materia, quia illa potentialitas eſt paſſio materiæ poſterior exiſtentia, & actualitate materiæ, ex eo enim quod materia eſt ens exiſtens, eſt etiam potentialis, & receptiua formæ.

Ad rationem, vt eam format Bacconus, cum inquit potentialitas poterit dici quædam actualitas, quia eſt quędam eſſentia, & res, ſicut materia ponitur quædam actualitas, quia eſt quædam eſſentia; Dico quod potentia importat duo.

Primò notat aptitudinem in ſubiecto patiente.

Secundò notat carentiam formæ recipiendæ: id enim dicitur eſſe in potentia, quod eſt aptum recipere formam aliquam, ſed illam non habet; Dico ergo, quod potentialitas duobus modis poteſt conſiderari; Vno modo vt eſt quædam aptitudo, & ſic eſt quędam entitas, & conſequenter poteſt dici actualitas entitatiua, & hoc modo non opponitur actualitati; Alio modo poteſt accipi pro negatione formæ, & actus, & ſic opponitur actualitati, & ſecundum hunc ſenſum potentialitas non eſt entitas, & ſic non diſtinguitur re ab actualitate, tamquam poſitiuū à poſitiuo, ſed tamquam negatiuum, & non ens à poſitiuo, & ente, & tunc cum dicimus potentialitas diſtinguitur re ab actualitate, volumus dicere, quod diſtinguitur re, id eſt non ſola ratione, ſed ex parte rei; patet ergo quòd potentialitas poteſt dici actualitas, & quando eſt contradictio, & quando nō. Per hoc idem ad ſecundum patet; quia potentialitas pura, id eſt illa negatio formę, nō eſt actualitas, ſed potentialitas, pro aptitudine eſt entitas,

tas, hæc tamen non poteſt eſſe terminus creationis ex ſe ſola, quia cum ſit paſſio, neceſſariò requirit ſuum ſubiectum; vndè ſicut riſibilitas non poſſet produci, neque creari ſine homine, ita nec potentialitas materiæ poſſet eſſe terminus creationis abſque materia. Ad auctoritates Ariſtotelis iam dictum eſt.

Ad rationes contra potentiam obiectiuam. Cap. V.

AD rationes quibus impugnabāt potentiam obiectiuam, eſt reſpondēdum: ſed primo notandum eſt, quòd valde Aduerſarij decipiuntur in hoc: putant enim Scotum exiſtimaſſe potentiam obiectiuam eſse quid reale, ſiue potentiam realem, cui neceſsariò reſpondeat actus entitatiuus, & ita volunt, quod ex poſitione potentię obiectiuæ, arguat dari actum entitatiuum: Vnde dicunt, fundamentū Scoti eſse potentiam obiectiuam, qua deſtructa, deſtruitur actus entitatiuus; ſed eos decipi, patet ex opinione Scoti, quam ſupra retulimus; nam ponit actum entitatiuum quia detur potentia obiectiua; ſed probat materiam habere actum entitatiuū, rationibus adductis, quia eſset nihil, quod nō eſt aſserendum. Præterea, non eſt Scotus, qui adinuenerit hanc potentiam obiectiuam, ſed eſt terminus cōmunis neceſsarius pro declaratione quæſtionis huius, & aliarum ſimilium: & hoc vſi ſunt prius Aduerſarij, dum dicunt, quod illud, quod habet eſse tantum in cauſis ſuis, eſt in potentia obiectiua: vnde impugnare hanc diſtinctionem, eſt arguere tam contra ſeipſos, quam contra nos.

Prɐterea, non dixit Scotus, quod hæc potentia obiectiua ſit diſtincta à potentia paſſiua, vel actiua, vt ſuprà diximus; aſseruit enim, quod hæc potentia obiectiua eſt idem quod potētia ſubiectiua quādoque, vt quando ſe concomitantur in eodem ſubiecto, vt dixi de ſemine, & tūc potentia obiectiua eſt potentia paſſiua realiter, quia eſt potentia vna, quæ ad diuerſa cōparata dicitur obiectiua, vel ſubiectiua, ſed quādo vna eſt ſine altera vt in mundo creabili: tunc potentia obiectiua eſt idem quod potentia actiua agētis realiter, formaliter autem eſt non repugnantia, & negatio impoſſibilitatatis rei creādæ. Sunt ergo admittēdi iſti termini; Neque argumenta aduerſariorum ſunt vllius valoris contra Scotum. Vnde ad rationes Zabarellæ formaliter dico, quod potentia obiectiua duobus modis poteſt accipi, vno modo propriè, & per ſe ſola, vt contradiſtinguitur à potentia ſubiectiua, & ſic dico, quod ſi conſideretur quò ad eſse reale, eſt idem quod potentia actiua agentis: ſi verò conſideratur ſecundum ſuum eſse formale, eſt non repugnantia termini producibilis, quæ ab Ariſtotele appellatur potentia Logica. Alio modo poteſt conſiderari vt eſt idem cum potentia ſubiectiua, & ſic dico, quod realiter eſt potentia ſubiectiua, ſed formaliter eſt non repugnantia productionis termini illius ab agente; & ſic patet, quod potētia ſubiectiua, & potentia obiectiua, continentur ſub illa diſtinctione Ariſtotelis de duplici potentia, ſcilicet actiua, & paſsiua: nam potentia ſubiectiua, eſt paſsiua realiter, & formaliter: potentia verò obiectiua, realiter eſt potentia actiua agentis, vel potentia ſubiectiua, ſed formaliter eſt non repugnātia, ſiue potentia Logica, quæ ab Ariſtotele proculdubio conceditur. *Ad rationes Zabar.*

Per hęc eadem patet ad Zimarā Theoremate 15. & alibi, vbi hanc materiam pertractat, & reprobat actum entitatiuū, eo principali fundamento nixus, quod omnis exiſtentia ſit à forma, quod tamen falſum eſse oſtendimus. Applicationem ad ſingula propter prollixitatem nimiam omitto. *Reijcitur Zimara.*

THEOREMA XXIII.

Potentia non eſt de eſsentia materiæ.

Theorema declaratur. Cap. Vnicum.

EX determinatione præcedētis Theorematis, patet huius quoque determinatio; etenim, cum viſum ſit, quod materia ſecundum ſuū eſse abſolutum, eſt ens reale, extra ſuas cauſas exiſtens; patet conſequenter, quod potentia non

eſt de

eſt de eſſentia ipſius in primo modo dicendi per ſe: ſed ſolum in ſecundo modo. Vnde pro ſolutione omnium obiectionum contrarium dico, quod potentiam eſſe de eſſentia materiæ poteſt intelligi duobus modi; Vno modo, quod ſit de eſſentia materiæ, in primo modo dicendi per ſe; Alio modo, in ſecundo modo dicẽ di per ſe. Concedimus, quòd potentia eſt de eſſentia materiæ in ſecundo modo dicendi per ſe, non autem in primo: quod patet per dicta; oſtendimus enim iam, quod materia eſt in potentia ſubiectiua reſpectu formæ, & ſic cum ſit ens, quod eſt aptum natũ ſuſcipere varias formas, hinc fit, quod talis potentia eſt paſſio propria ipſius materiæ, & ſic ei competit in ſecundo modo dicendi per ſe. Rationes, quæ ſolent adduci in contrarium, ſolutæ ſunt in præcedenti Theoremate.

THEOREMA XXIV.

Materia per Diuinam potentiam poteſt exiſtere ſine forma.

Theorema declaratur. Cap. vnicum.

HVius Theorematis veritas pendet ex determinatione præcedẽtiũ; nã cum materia ſit ens per ſe abſolutum, exiſtens extra ſuas cauſas, non eſt contradictio ipſam eſſe ſine forma; Deus autẽ poteſt omne illud, quod non implicat contradictionem; Omnia clara ſunt: Sed hoc Theorema eſt merè Theologicum, Philoſophus enim licet aſſerat materiam eſſe entitatem abſolutam, extra ſuas cauſas, non tamen diceret, illam poſſe exiſtere ꝑ ſe actu ſine forma: ſicuti nec diceret, accidens poſſe ſine ſubſtantia exiſtere, neque ſubſtantiam ſine accidente, & hoc propter ordinem vniuerſi, & quia modo ſumus in Philoſophia, de hoc ſatis.

THEOREMA XXV.

Materia eſt per ſe cognoſcibilis.

Adducitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis, & obiectiones Aduerſariorum adferuntur. Cap. I.

Scoti prima ratio. SCotus 2. Sent. diſt. 12. q. 1. reſpondẽdo ad tertiũ principale, & q. 2. reſpondẽdo ad tertiũ pro opinione, & 2. Metaph. q. 2. ſed hoc loco confusè, ex duobus autem præcitatis locis de 2. Sent. clarè dicit, quod materia eſt per ſe intelligibilis abſque forma, ſiue abſque relatione ad formam. Hæc concluſio probatur ab eo in eodem loco, tali ratione; Omnis entitas abſoluta, in ſe eſt cognoſcibilis, materia eſt huiuſmodi, ergo. Maior eſt clara ex Theoremate de obiecto intellectus: quia intelligibilitas eſt paſſio entis. Minor etiam patet ex Theoremate de actu entitatiuo materiæ, vbi oſtendimus, quod materia eſt ens abſolutum: & ſic tenet, quòd materia in ſe habet Ideam in mente Diuina: ſed de hac Idea, quia eſt negocium Theologicum, nõ loquemur modo; Quoniam autem de materia poteſt eſſe duplex conſideratio, de ipſa quoque duplicem cognitionem aſſignat; Poteſt enim conſiderari materia, vt eſt entitas abſoluta, & ſic ipſa eſt per ſe cognoſcibilis ab intellectu; vt dictum eſt. Alio modo conſiderari poteſt, vt eſt ſubiectum mutationis, & tranſmutationis, & ſic ait, quod cognoſcitur per Analogiam ad formam; *Duplex cognitio de materia.* Prima quidem cognitio materię à nobis haberi non poteſt pro hoc ſtatu, licet materia ſit in ſe hoc modo cognoſcibilis, ratione ſuperius adducta; & ratio eſt: quia valdè diſtat à ſenſibus noſtris; Diximus autem in Theoremate de obiecto intellectus, quod intellectus noſter non poteſt cognoſcere niſi ea, quæ ſunt ſenſibilia in ſe, vel in ſuis effectibus, propter ordinem naturalem potentiarum; materia autem non eſt ſenſibilis in ſe, ſecundum ſuam entitatem abſolutam; neque eſt ſenſibilis per effectus; quia vt eſt entitas abſoluta, ab ea circumſcribuntur omnes effectus, ſed vt ſubiectum rerum generabilium, eſt cognoſcibilis; quia vt ſic, habet effectus, & ſic eſt ſenſibilis per ſuos effectus, ſcilicet, per ſuſtentationem formæ; vnde cognoſcitur per tranſmutationes, & mutationes, quæ fiunt in ipſa: & ſic materia eſt cognoſcibilis tantùm per Analogiam ad formam, ſiue per comparationem ad formam, cuius eſt ſubiectum pro hoc ſtatu à nobis; adeò quod ſunt duæ Concluſiones. Materia in ſe, vt eſt entitas abſoluta, eſt cognoſcibilis, licet eam pro

hoc

hoc ſtatu ſic non cognoſcamus. Secunda, Materia eſt cognoſcibilis pro hoc ſtatu per Analogiam ad formam; Prima Concluſio patet ex ratione adducta. Hanc verò concluſionem ſecundam ſic probat; forma eſt magis cognoſcibilis à nobis quàm materia, ſed forma non cognoſcitur niſi ex operationibus, ergo nec materia; ſed effectus materiæ eſt ſuſtentare formam, ergo materia eſt cognoſcibilis ſolum per habitudinem ad formam. Maior eſt clara, & communiter cõceſſas. Minor probatur: quia ex noua operatione arguimus nouam formam; ſic etiam, ex noua mutatione, cum videamus ſubiectum manere, venimus in cognitionem materiæ, & ſic materia eſt cognoſcibilis ſolum, quatenus habet habitudinem ad formam. Ariſtoteles autem dixit ſæpè materiam cognoſci per Analogiam ad formam, non tamen propter hoc voluit excludere, quod materia in ſe non ſit cognoſcibilis: ſed quia nos pro hoc ſtatu, quę ſolùm nouit Ariſtoteles, cognoſcimus materiam hoc ſecundo modo, hinc ſit, quod illam ſic cognoſci ſæpè dicit; nõ eſt autem inconueniens, quod aliqua vna res duobus modis cognoſcatur: etenim, ignis vt tranſmutatur localiter, non eſt cognoſcibilis, niſi per comparationẽ ad locum, tamen abſolutè in ſe eſt cognoſcibilis alio nobiliori modo, ſcilicet, vt eſt ignis; ita materia vt eſt ſubiectum mutationis, non eſt cognoſcibilis, niſi per comparationem ad formam; cuius eſt ſubiectum, ſed non tamen ſequitur propter hoc, quod non ſit cognoſcibilis in ſe, quatenus eſt entitas abſoluta, & ſine relatione ad formam.

Duæ Cõcluſiones

Aduerſariorum poſitio cum ſuis fundamentis. Cap. 11.

Contra hanc ſententiam Scoti ſunt obiectiones duplici ex parte; Primò, quia in ſecunda cõcluſione dicit Scotus, quod Methodus inueniẽdi cognitionem materiæ primæ, eſt Analogia ad formã; quæ tamẽ ſẽtẽtia videtur falſa, & Mercenarius contra eam ſic arguit in ſecundo Tomo ſuarum Dilucidationum, in præſenti Dilucidatione. Primò confundit hæc opinio Scoti methodum, & viam inueniendi cognitionem materiæ, quò ad, ſi eſt, & quò ad, quid eſt; hoc eſt abſurdum, ergo. Abſurditas conſequentis patet: quia an ſit, & quid ſit, ſunt diuerſæ quæſtiones, & ideo requirunt diuerſas Methodos; probat aſſumptum, quoniam iſta opinio non diſtinguit de cognitione materiæ an ſit, & quid ſit, ſed abſolutè ait materiam cognoſci per analogiam ad formam, quod eſt falſum quò ad cognitionem an ſit; & probatur: quoniam Methodus per analogiam non eſt methodus inueniendi materiam, quò ad ſi eſt, ſed tantum quò ad quid eſt, quod conſpicitur ex hoc: quia cum Ariſtoteles tex. illo 69. primi Phyſ. ſtatuiſſet materiam cognoſci per analogiã, ex hac analogia deduxit definitionem materiæ primæ, dicens, quod materia ſuaptè natura eſt ſubſtantia quædam informis in potentia ad omnes formas. Præterea, methodus per analogiam, ſupponit materiam eſſe, quod cõſpicitur ex Ariſt. loco citato, inquit enim ſic. Sicut ſe habet æs ad ſtatuam, ita materia ad formam, & ad res naturales; iam verò diſcurſus iſte materiam præſupponit eſſe, quia naturalis materia ſic ſe habet ad res naturales vti materia arte factorum ad res arte factas; iam verò clarum eſt, quod hæc comparatio ſupponit materiam eſſe, non autem probat illam dari; errant ergo dum dicunt analogiam eſſe methodum cognoſcendi materiam quo ad ſi eſt. Hæc opinio errat tertiò, dũ interpretatur analogiam, qua Ariſtoteles ait cognoſci materiam pro habitudine ad formam, quoniam Ariſtoteles ibi per analogiam non intelligit talem habitudinem, ſed ſolum intelligit proportionem, & ſimilitudinem ad materiam arte factorum; vnde declarans quomodo materia per analogiam cognoſcatur, inquit, quod ſicut æs ad ſtatuam, & lignum ad lectum, ita materia rerum naturalium ad res naturales; iam verò illa materia rerũ artificialium informis eſt, potentiaq. ad formas artificioſas, ergo, & materia rerũ naturalium ſubſtantia quędam informis eſt, potentiaq. ad formas omnes naturales recipiendas. Hinc ponit ſuam ſententiam, quæ eſt, quod methodus cognoſcendi ma-

Mercenarius cõtra primam cõcluſionẽ. Prima rõ. Secũda rõ. Tertia rõ.

ſcendi materiam primam quò ad ſi eſt, eſt contrarietas exiſtens in tranſmutatione, vnde tex. 51. primi Phyſ. via tranſmutationis oſtendit dari materiam primam ſic: Omnis tranſmutatio fit ex contrario, ſed vnum contrarium non recipit, neque alterum contrarium tranſmutat: quia mutuò ſe perdunt, ergo ſola contraria in generatione non ſufficiunt, ſed opus eſt dare aliquod ſubiectum quod recipiat contraria, & ex eo ſimul cum altero contrario alterum generetur, in tex. 52. oſtendendo quod principia non ſunt contraria, materiam dari demonſtrauit: quia cum hæ duæ propoſitiones non poſſint de eiſdem verificari, principia non ſunt contraria, & principia ſunt contraria; neceſſe eſt adinuenire aliquod principium, quod nulli ſit contrarium; hoc eſt materia; contrarietas ergo exiſtens in tranſmutatione, eſt methodus ad inueſtigandum ſi eſt de materia; methodus autem inueſtigandi cognitionem materiæ quò ad quid eſt, eſt analogia, non quidem ad formam, vt Auerroes, & Scotus, & D. Thomas dicunt, ſed analogia ad materiam arte factorum. Contra primam concluſionem verò ex profeſſo arguit Achillinus lib. 1. de Elementis, dubio 10. Illud non eſt intelligibile per ſe, quod nõ eſt actus, vel habens actum, at materia prima non eſt actus, neque includit eſſentialiter actum, ideo non eſt per ſe intelligibilis. Ambas propoſitiones veras eſſe ſupponit: relinquitur ergo, quod materia ſolum cognoſcatur ex accidenti, ſcilicet ex analogia ad arte facta, vel ex ſubiecto generationis accidentalis; & hoc modo ait Ariſt. 1. Phyſ. tex 69. cognoſci materiam. Secundò, potentia eſt quędam latentia, & occultatio, ideò quæ ſunt potentialia, ſunt latentia aliquo modo, ſic, quod non ſe oſtendunt intellectui ex ſe, ſed per aliud oſtenduntur, vt per ſimilitudinem, &c. at materia eſt potentialis, ergo per ſe non eſt nota, ſed ignota: & ſi cognoſcitur, per aliud neceſſariò cognoſcitur. Zimara Theoremate 36. eandem opinionem, quæ eſt omnium Auerroiſtarum, ſuſtinet, & eandem rationem adducit. Thomiſtæ ſimiliter in hoc cum Auerroiſtis conueniunt, propter idem fundamentum; cum enim dicant eſsentiam materiæ eſſe potentiam, & potentia ſit reſpectus ad formam, dicunt quod materia non poteſt cognoſci ſine forma.

Opinio Mercenarij. *Achillinus cõtra primam concl. Primarõ* *2. rõ.* *Zim. & Th. 1. Thomiſtæ*

Excellentiſſimus Piccolomineus lib. 2. de Materia, c. 2. impugnat opinionẽ Scoti primò ſic. Quod eſt proprium formæ, non eſt tribuendum materiæ, ſed propria notione formare mentem, ſiue percipi à mente, eſt proprium formæ, ergo non eſt tribuendum materiæ. Minor probatur: quia recipi in alio, terminare, & formare aliud, eſt proprium formæ, hinc dixit Ariſt. 3. de Anima, tex. 6. quod mens eſt locus formarum. Secundò ſicut ſenſus 2. de Anima, tex. 121. dicitur recipere ſpecies ſine materia, ita longè magis mens dicitur recipere ſpecies ſine materia, non materiam, vnde Ariſt. 3. de Anima, tex. 38. docens quomodo anima fiat omnia, ait, non lapis eſt in anima, ſed ſpecies lapidis. Tertio Ariſt. 3. de Anima tex. 9. loquens de aptis intelligi a mente, numerat carnem, & eſſe carnis, ſcilicet compoſitũ, & formam, non autem materiam, ergo materia non eſt per ſe intelligibilis. Quartò 3. Phyſic. capite de infinito, infinitum dicitur ſecundum ſe ignotum, at materia eſt quoddam infinitum, & indeterminatum carens termino, ergo, nedũ eſt ignota per ſe, ſed cauſa ignorantiæ. Quintò. Sicut ſe habet res ad eſſe, ita ad cognoſci: at materia non eſt quid, nec pars quid eſt ſed vehiculũ ipſius quid eſt, vt aſſeritur in calce 2. Phyſic. ergo materia non eſt per ſe cognoſcibilis.

Piccolom. Primarõ *2.* *3.* *4.* *5.*

Declaratio opinionis Scoti, et Aduerſariorum confutatio. Cap. III.

VT veritas in hac re ſit manifeſta, primò dilucidabimus ſecundam concluſionem, deinde primam; Quò ad ſecũdam igitur eſt notandum, quod materia prima tam quò ad ſi eſt, quàm quo ad quid eſt, cognoſcitur via tranſmutationis, & corruptionis: hac enim Methodo Ariſtoteles adinuenit materiam primã dari in 1. Phyſ. tex. 51. & eadem methodo adinuenit definitionem materię, ex eo enim quod videmus cõtinuò aliquid corrumpi, & in illa corruptione aliquid deperdi,

Not.

perdi,

perdi, ſcilicet formam, & aliquid remanere, arguimus dari ſubiectum illorum contrariorum, & eadem via, & methodo inuenimus eſſentiam materiæ: ex eo enim quod ipſa remanet in corruptione, & modo hanc formam recipit, & modo aliam, dicimus quod materia eſt ens ex ſe informe, ſed in potentia ad omnes formas recipiendas; & ita hac methodo à poſteriori, & ab effectu, ſatisfacimus quæſito, an ſit, & quid ſit materia prima; At hęc methodus includit habitudinem ad formam, vt patet: quia tranſmutatio fit in ſubiecto, ergo hanc etiam in Theorematibus Logicis diximus eſſe methodum inueſtigandi definitionem ſubſtantiæ, ſcilicet demonſtrationem quia: vt ibi explicauimus, & probauimus; quomodo hoc etiam fiat, declarauimus in Theoremate de regreſſu, quere in his duobus locis. Hinc facilè poſſumus oſtēdere, quomodo opinio Scoti ſit veriſſima: patet enim quod eadem methodus inſeruit ad venandum de materia prima quod eſt, & quid eſt: non autem vt dicebat Mercenarius, ad an ſit inſeruit methodus, & demōſtratio ex contrarietate, & ad quid eſt analogia ad arte facta; immò particulariter contra hoc, quod analogia ad arte facta non ſit methodus, & via ſufficiēs ad inueſtigandum quid eſt, de materia oſtendo. Hæc ſimilitudo ex ſe non facit fidem, ſed præſupponit methodum ex tranſmutatione ſubſtantiali, ergo per ſe non eſt ſufficiens. Antecedens probatur: quia ſi quis arguat; Sicuti ſe habet materia reſpectu artificialium, ita materia reſpectu formarum naturaliū: ſed materia artificialiū, &c. Statim quis poſſet negare Maiorem, ſcilicet, illam ſimilitudinem, ſcilicet, quod ſicuti ſe habet materia artificialium reſpectu formarum artificialium, ita materia formarum naturalium ſe habeat reſpectu formarum naturalium: niſi enim probetur, ex ſe nihil valet; pro tanto ergo valet, quia ex tranſmutatione ſubſtantiali apparet hæc ſimilitudo, & proportio: quia enim in corruptione naturali deſtruitur forma, & remanet matetia, & illa matelia eſt informis de ſe, & potentialis ad omnes formas, hinc cognoſcimus materiam rerum naturalium eſſe ſimilem materiæ artificialium; non ergo hæc ſimilitudo eſt vera, & propria methodus inueſtigandi quid eſt de materia prima, ſed eſt tranſmutatio ſubſtantialis. Hinc patet ad duas primas obiectiones Mercenarij, non enim valent contra Scotum: non enim dicit Scotus, neque eius opinio aſſerit analogiam eſſe methodum inueſtigandi cognitionem de materia prima an ſit; immò diximus, quod Analogia, neque eſt methodus ad inueſtigandum quid eſt, de materia, vt ipſe falsò arbitratur. Secunda verò ratio facit pro nobis; quia dicimus, quod via generationis oſtendit quod eſt, deinde addimus, quod etiam facit ſcire quid eſt, vt longo ſermone declarauimus in Theoremate Logico, quod demonſtratio, quia, notificat ſubſtātiā. Ad Ariſtotelem verò dico, quod illa Cōcluſio non deducitur ex illa Analogia præcisè, ſed ex rationibus ſuperius adductis ex ratione tranſmutationis, quibus Ariſtoteles probauerat materiam eſse ſubiectum contrariorum, ſed in ſe nullū contrarium habere, ſed eſse ſuſceptiuam illorum; ex hac enim efficaciter deducitur, quod materia eſt informis, & in potentia ad omnes formas; illa autem analogia inſeruit pro maiori declaratione; ſed ex ſe non habet vim demonſtrandi, & per hoc patet ad ſecundum. Ad tertiā rationem pro ſolutione eſt notandum, quod duobus modis poteſt exponi ille textus. Vno modo, vt exponit Mercenarius, ſcilicet, quod ibi dicat ſubiectā materiam cognoſci per analogiam ad arte facta, & expoſitio eſt ſatis conformis verbis textus, ſed tamen non propter hoc dicitur, quod Ariſtoteles voluerit hanc analogiam eſſe methodū cognſcendi quid eſt materia prima: ſed eſſe quandam leuem argumentationem, quæ ſimul cum methodo ex generatione, & corruptione deducta, deducit nos in cognitionē quid eſt materia prima. Alio modo poteſt exponi conformiter expoſitioni Auerrois, ſcilicet, quod ſubiecta materia cognoſcitur in analogia, id eſt in habitudine ad formam, ex ſe enim habet ordinem, & relationem eſſentialem ad formam; eſt enim ſubiectum formæ ex propria natura, &

Theo. 17. *Theo. 9.* *Ad duas primas rōnes Mercenarij.* *Ad 2.* *Theo. 17.* *Ad 3.*

ra,& ideò cum includat talem habitudinem,non poteſt cognoſci, niſi in hac habitudine,& analogia ad formã: hanc autem habitudinem materiæ ad formã declarauit per ſimilitudinem materiæ arte factorum,æs enim non eſt forma, neque aliquid formæ, ſed potentia omnes formas artificiatas includit; & etiam materia de ſe nõ eſt forma,nec habent formã, ſed potentia omnes formas includit; & ſic conſpicitur, quòd materia habet habitudinem ad formam;& ſic poteſt exponi ille tex. Sed Auer. errauit in eo,quod vlterius progrediens,dixit materiã nullo alio modo eſſe cognoſcibilem,niſi in hac habitudine;quod falſum eſt,vt in prima Cõcluſione declarauit Scotus:porrò verũ eſt, quod materia,vt eſt ſubiectũ,& tertium principiũ rerum naturaliũ,nõ eſt cognoſcibilis,niſi in hac analogia, ſed vt eſt ens abſolutũ per ſe,vt oſtendimus in Theoremate de actu entitatiuo,eſt p ſe intelligibilis ſine hac habitudine,& analogia: qa eſt ens,& ĩtelligibilitas eſt paſſio entis,& ſic hę ratio cõtra nos nullum hẽt robur.

Cõfirmatur.

1. Cõcluſio

Pro corroboratione verò primæ Concluſionis non ſunt alia fundamenta conſtruenda,quam illud,quòd Scotus adduxit, nempe, quia materia ſecundum ſe, eſt ens abſolutum: omne autẽ ens eſt intelligibile per ſe, quia intelligibilitas eſt paſſio entis: quòd fundamẽtũ adhuc probatur:quia ens eſt obiectum adæquatum intellectus,vt dictum eſt in proprio quæſito,& ſic omne ens per ſe intelligibile,ſicut omnis color eſt per ſe viſibilis, dato quòd color ſit obiectum adæquatũ viſus; tamen ſpecialiter cõtra fundamentũ Aduerſariorum arguo,& probo,quòd actus formalis non ſit cauſa intelligibilitatis rei. Quando iſti dicunt, quod actus eſt cauſa intelligibilitatis, vel intelligunt ex parte rei,vel ex parte intellectus:ſi ex parte rei,hic eſt ſenſus,quòd actus eſt cauſa ꝓpter qua res eſt intelligibilis. Si ſecũdo modo,hic eſt sẽſus,act⁹ eſt cauſa propter quam intellectus intelligit rem. Si primo modo, adhuc duobus modis intelligere poſſunt;vel enim intelligunt,quod actus eſt cauſa propter quàm res eſt intelligibilis materialiter, & obiectiuè, id eſt actus formalis ſolus eſt obiectum intelligibile ſiue materia intellectionis, & nihil aliud: vel intelligunt,quod actus eſt cauſa,& ratio propter quã res eſt intelligibilis formaliter, adeo quod actus eſt ratio formalis, qua res eſt intelligibilis; ita qđ sũt tres ſenſus; Primus eſt,actus eſt cauſa propter quã intellectus intelligit rem, Secũdus, actus eſt cauſa, propter quam res eſt intelligibilis obiectiue; Tertius: actus eſt cauſa propter quam res eſt intelligibilis formaliter. Aduerſarij non intelligũt primo modo,quia tunc nulla eſſet diſputatio inter nos,quia non loquimur de intellectu noſtro, an poſſit materiã nec ne intelligere,ſed loquimur de materia ipſa in ſe an ſit ĩtelligibilis; & ſi hoc modo intelligerẽt, eſſet omninò quoque falsũ, quia intelligẽtiæ abſtractæ ſunt maximè actus,& tamen ex ſecundo Met. & alibi, ſunt difficillimè cognitu ab intellectu noſtro:quia ſe habet reſpectu illarũ vt oculus Nicticoracis reſpectu ſolis. Reſtat ergo, quod intelligant ſecundo, vel tertio modo; ſed neque ſecũdo modo eſt vera: quia ſi ſolum actus formalis eſſet obiectũ,&materia intellectionis,cętera entia non eſſent intelligibilia,vt materia,cõpoſitũ,actus ſecundus,ſcilicet operationes, itẽ entia,de quib. loquitur Ariſt. 2. Phyſ. tex. 4. quæ nõ sũt naturalia neque habẽt naturã,& ſic nõ ſunt forma,nec materia, nec cõpoſitum,ſed ſunt ſecundũ naturã, quod tamẽ eſt falſum;immò hæc cognoſcimus, & illis mediantibus aſcendimus in cognitionem formæ compoſiti. Præterea, tunc materia prima nullo modo eſſet intelligibilis, quia quod eſt extra obiectum alicuius potentiæ, nõ poteſt vllo modo percipi ab illa potentia, vt ſonus, quia eſt extra obiectũ viſus, nullo modo eſt viſibilis,ergo ſi actus formalis eſt obiectum intellectus,materia nullo pacto poterit intelligi; niſi forſan dicant per accidẽs,vt dicimus,quod albedo in ædificatore ædificãte ædificat; ſed quæ ſunt per accidens,non pertinent ad ſciẽtiam. Relinquitur ergo tertius ſenſus, in quo ipſi loquũtur:ſed hic quoque eſt falſus,quia ſimiliter tunc ſequeretur,quod actus ſecũdus,& entia ſecundum naturam,non eſſent per ſe intelligibilia:probatur conſequentia: quia illud, à quo aufertur ratio formalis

Contra fũdamẽtũ aduerſariorum.

formali, intelligibilitatis, redditur inintelligibile,ſed actus ſecundus, & entia ſecundum naturam, ſecundum ſe ſunt denudata ab actu primo,& forma,quia forma non clauditur in eorum entitate, vt patet, ſed ſunt entia diſtincta. Similiter materiæ primæ tunc repugnaret intelligibilitas, quia ei repugnat actus, & forma,& ſic neque vllo modo poſſet intelligi,& tamen Aduerſarij concedunt ipſam intelligi: nam eius definitionem, & proprietates aſſignant. Nec valet dicere, cognoſcitur per formam,quia cui repugnat ratio formalis intelligibilitatis, eſt penitus inintelligibile, ſicuti id,cui repugnat ratio formalis entitatis nullo pacto eſt ens, etiam ſonus, quia ei repugnat ratio viſibilitatis, nullo modo nec per ſe, nec per accidens eſt viſibilis;neque eſt, quod dicant eſſe intelligibile per accidēs: quia hoc eſt falſum,vt viſum eſt; deinde, quæ ſunt per accidens,non pertinent ad ſcientiam. Ex his patet,quod hæc propoſitio, quæ eſt fundamentum Aduerſariorum, actus eſt cauſa intelligentiæ, eſt falſa ſecundum intellectum eorum. Sed eſt hic notandū, ne decipiamur, vt decepti ſunt Aduerſarij,quod quidem omne ens reale eſt intelligibile,ſiue ſit ſubſtantia, ſiue ſit accidens, ſiue materia, ſiue forma, ſiue perfectum,ſiue imperfectum, ſed tamen vnum ens nō eſt ita perfectè intelligibile, vt alterū, ſed illud,quod habet nobiliorem entitatem, eſt perfectius intelligibile, & quoniam forma eſt perfectius ens quàm materia, ideò forma eſt magis intelligibilis.Inſuper cum forma ſit cauſa, dans entitatem rebus, forma quoque dicitur cauſa intelligibilitatis rerum;quod enim tribuit rei entitatem, tribuit quoque intelligibilitatem, quia intelligibilitas eſt paſſio entis; Cum itaque forma ſit cauſa entitatis, eſt quoque cauſa intelligibilitatis; & in hoc ſenſu vera eſt illa propoſitio actus,& forma,eſt ratio intelligibilitatis, ſed ſic non officit nobis, vt dictum eſt: quia nos concedimus, quod illud eſt magis intelligibile, quod habet nobiliorem actum; vndè ſubſtantiæ abſtractè propter hoc ſunt maximè intelligibiles,id eſt perfectiſſima intelligibilia, non tamen ſequitur, quod res paruæ entitatis, & res, quæ nihil habet actus formalis,dummodo ſit ens,non ſit per ſe intelligibilis, vt dictum eſt; Ad quod vberius declarandum, valde eſt vtilis illa diſputatio, quod difficultas cognoſcendi res non prouenit ex parte rerum, ſed ex parte noſtri intellectus, de qua ſuo locò; licet enim vnum intelligibile non ſit ita perfectum vti alterum, tamen vnumquodque quantum eſt ex ſe eſt æquè facilè intelligibile, vt reliquum. Hinc patet quomodo potentia ſit cauſa ignorantiæ, & occultationis, quia quod eſt potentiale, eſt paruæ entitatis, & ſic eſt parum intelligibile, & propter hoc materia prima dicitur parum intelligibilis,quia eſt maximè potentialis, & intelligentiæ maximè intelligibiles,quia nihil participant de potentia, ſed ſunt entia perfectiſſima.

Notādum.

Hinc ad primam rationem nego Maiorem:quia omnibus modis eſt falſa. *Ad 1.* Ad ſecundam concedo, quod potentia eſt cauſa occultationis, quia minuit entitatem, & perfectionem eius, & ideò dico, *Ad 2.* quod materia eſt intelligibilis ſatis exiguo modo: quia habet multum de potentia, cum hoc tamen ſtat, quod materia eſt per ſe intelligibilis, tamen quia materia per ſe inſenſibilis, ideò pro hoc ſtatu cognoſcitur per res ſenſibiles propter ordinem, & connexionem noſtram potentiarum, & communiter dicitur materia inintelligibilis,quia eſt inſenſibilis,vt diximus in Theoremate de obiecto intellectus. Ad rationem Thomiſtarum patet, *Ad rōnem Thomiſtarum.* quòd procedit ex falſo fundamento,ſcilicet quod materia nō habet entitatem abſolutam. Ex his facilis eſt reſpōſio ad rationes Piccolominei, Ad primā negatur *Ad 1.* Minor; ad probationem reſpōdeo, quod aliquid recipi in alio, & formare aliud, poteſt intelligi duob. modis, vel vt actus in materia, vel vt obiectum in intelligente;primum eſt munus proprium formæ, ſed ſecundum eſt munus omnis entis: iſtæ autem receptiones patet quod magis diſtant ab inuicem, quàm Cælum à terra;quod conſpicuè patet ex auctoritate,& exemplo. Ariſt. in 3. de Anima, tex. 6. quod mens eſt locus formarum,neque enim hoc intelligitur de formis realibus

libus realiter, ſed de ſpeciebus formarũ, que intenſionaliter in intellectu, & mente recipiuntur; quodlibet autem ens habet huiuſmodi ſpecies, & formas. Per
Ad 2. hoc patet ad ſecundam, vult enim dicere Ariſt. quod non recipitur in anima lapis materialiter, ſed ſpiritualiter per ſuam ſpeciem, ideò non ſequitur propter hoc, quod materia in ſe non ſit intelligibilis, ipſa quoque per propriam ſpeciem non
Ad 3. poſſit, intelligi. Ad tertiam aliàs ille textus eſt explicatus in Theoremate de primo cognito, pro nunc dicatur, quod locus ab auctoritate negatiuus non valet.

Ad 4. Ad quartum dico, quod concludit materiam eſſe paruæ entitatis, quia plurimum potentialitatis habet, & ſic eſt parum intelligibilis; concludit etiam valde eſſe remotã à ſenſu, quia diſtat ab actu formali, & ſic eſt inſenſibilis, & ideò pro hoc ſtatu per ſe eſt parum intelligibilis, ſicut etiam intelligentiæ, non ratione entitatis, ſed ratione ordinis, & connexio-
Ad 5. nis noſtrarum potentiarum. Ad quintũ
Theo. 28. negatur Minor. Ad probationem iã probata eſt aliàs in proprio Theoremate, quod materia eſt pars quidditatis, & habet ſuum quid.

THEOREMA XXVI.

In materia prima non datur forma corporeitatis, ſiue ratio ſeminalis coæterna ei.

Poſitio Alberti Magni, & aliorum. Cap. I.

SCotus ſecundo Sẽtentiarum d. 18. q. vnica, recenſet quandam opinionẽ, quæ à Marginiſtis tribuitur Alberto Magno, & Henrico, & ab alijs tribuitur Auicennæ, & alijs, quæ aſſerit in materia prima eſſe formam corporeitatis æternam. Circa hanc materiam tria ſunt facienda; Primò declarabimus, quid intelligant per hanc formam corporeitatis; Secundò eorum rationes adducemus;
1. rõ. Tertiò examinabimus illam. Quo ad primum, exiſtimant iſti, in materia prima eſse quandam formam ſubſtantialem æternam, quam appellant formam corporeitatis, quæ quidem per ſeipſa non eſt perfecta forma, ſed imperfecta: dat tamen materiæ, vt ſit receptiua omnium formarum; Hæc forma appellatur ratio ſeminalis, ſiue inchoatio formarum: quia ex illa educuntur omnes formæ tamquã ex ſeminario, & radice; & dicunt, quod licet ſit imperfecta, coagit tamen generãti extrinſeco in prima generatione cuiuſcumque rei. Pro hac opinione adducit Scotus varias rationes, & ſunt iſtæ; Niſi hæc forma admittatur in materia, ſequitur quod dabitur creatio, immò quod hæc, quæ generatio appellari ſolet ab omnibus, erit creatio: Cõſequens eſt falſum, tam ſecundum Philoſophos, quam Theologos; quia Philoſophus nõ admittit creationẽ; neque Theologus admittit, quòd agens naturale poſſit creare. Conſequentia probatur: Quia creatio eſt productio alicuius nulla illius rei productæ parte ſuppoſita; ſed ſic eſt, quod ſi forma producitur ab agente ſine hac forma æterna in materia, producit illam rem totaliter, nulla ſui parte ſuppoſita, ergo agens naturale creat, & ſic illa, quam nos appellamus generationem erit creatio: at ſi admittamus illam formam corporeitatis, patet, quod non ſequitur hoc inconueniens, quia illa præſupponitur tamquam pars formæ inducendæ. 1. rõ.

Secunda ratio, ſequeretur quod nulla generatio eſſet naturalis, conſequens eſt falſum, vt patet: conſequentia probatur. Ille motus eſt violentus, & non naturalis, qui eſt totaliter ab agente extrinſeco, nullo autem pacto ab intrinſeco, ſed ſic eſt quod ſi non admittatur hęc forma æterna in materia, quæ coagat agenti extrinſeco, omne agens in motu generationis eſt extrinſecum: quia materia non poteſt agere, neque forma inducenda, quia nõdum eſt, nil aliud autẽ internũ adeſt; Relinquitur ergo, quod omnis generatio ſit violenta. Hæc ratio cõfirmatur, ex Ariſt. in 2. Phyſicorum, tex. 2. vbi ait, quod naturalia differũt ab artificialibus per hoc, quòd naturalia habent principium internum motus, artificialia verò nequaquã; per quod principium patet, quòd vult intelligere principium actiuum, non paſſiuum, artificialia enim quoque habent 2. rõ. 3. rõ.

princi-

principium paſſiuum. At ſi hæc forma perpetuò annexa materiæ negetur, res naturales nullum habebunt principium actiuum internum.

4. Quartò ait Ariſtoteles, 6. Metaph. tex. 1. quod principium artificialium eſt in cognoſcente, & principium naturalium eſt in motu; certum eſt quod in hac authoritate vniformiter loquitur de principio, alioquin non valeret argumentum quod ibi facit: probat enim ibi, quod Philoſophia naturalis diſtinguitur à practicis; quia naturalis eſt circa ea, quæ habēt principium in re mota, practicæ verò sūt circa ea, quorum principium eſt in operante, ſiue in intellectu. Neceſſe eſt ergo quod intelligat vniformiter de principio, ſcilicet de illo, per quod ſcientiæ illæ diſtinguuntur; tunc ſic: ſed principium artificialium eſt actiuum, ergo principium, quod eſt in natura, debet quoque eſſe actiuum; at tale nil aliud eſſe poteſt, quàm illa forma corporeitatis, ergo.

5. Quintò, tertio Ethicorum violentum eſt, cuius principium eſt extra non conferente vim paſſo; ergo per oppoſitum paſſum naturale eſt illud, quod nō mouetur totaliter ab extrinſeco, ſed ipſum quoque paſſum aliquam vim confert; ergo hoc quod in paſſo naturali conferat hanc vim, nil aliud eſſe poteſt quā forma hæc, vt dictum eſt, ergo datur forma corporeitatis æterna materiæ quæ eſt inchoamentum, & ratio ſeminalis omnium formarum.

6. Sextò arguūt alij pro hac opinione ſic. Tria ſupponendo, Primò quòd ſupremū genus in cathegoria ſubſtātiæ vniuocum eſt corpus, quod ſola caduca corpora cōplectitur. Secundò, genus vniuocū illud ſolum dicitur, cui aliqua vna natura communis extra animam reſpondet. Tertiò, quòd hæc natura communis à qua ſumitur vniuocatio, non poteſt eſſe ſine forma. Tunc ita argumentantur; Corpus quod eſt ſupremum genus cathegoriæ ſubſtantiæ, eſt vniuocum genus omnium caducorum corporum, ergo ei reſpondet in rebus aliqua vna forma ab omnibus talibus corporibus participata, datur ergo forma corporis, ſi ergo datur, ergo æterna eſt, quia quod eſt in re intereunte, debet quoque eſſe in re generanda, non debet interire, at corporis natura, ſiue forma nulli rei generandæ repugnat, immò eſt omnibus neceſſaria, & eſt in omnibus rebus, ergo nunquam interire debet, ergo eſt æterna; ſola autem materia eſt æterna, ergo in materia ſolum ineſſe poteſt, & ſic concludunt quod forma corporis ſit æterna.

Huius opinionis confutatio. *Cap. II.*

HÆc opinio communiter ferè reijcitur, ab omnibus, Scotus tamen præcipuè contra eam loco ſuprà citato argumentatur, & impugnat fundamenta huius opinionis.

Primò ſic. Illi ponunt hunc actū, & formam in materia ad vitandam creationem, & dicunt quod ſi hæc forma admittatur in materia, optimè ſaluatur, quod generatio naturalis non ſit creatio. Contra hoc non ſaluatur: quia quæro vtrum illa pars formæ de nouo adueniens, per generationem præfuerit, an non: ſi dicas quòd non, ergo cum illa forma non ſit à ſe, ſed ab alio agente illam producente, & nihil illius præfuerit, creatur: ſi dicas quòd præfuit, ergo nihil noui acquiritur per generationem, & ſic nihil eſt totaliter nouum, ſed quodlibet erit in quolibet; quod repugnat Philoſopho 1. Phyſicorum, tex. 37. Huic rationi forsā aliquis reſponderet, quod licet pars generanda non præexiſtat, præexiſtit tamen forma illa æterna, quæ eſt pars eius imperfecta, & ſic non creatur. Hæc reſponſio eſt contra ipſos: quia ipſi aiunt, quòd illud creatur, quòd producitur in eſſe, nulla eius parte præſuppoſita; ſi hoc eſt verum, ſequitur quòd illa pars quæ de nouo in generatione aduenit, creatur: quia ipſa non præfuit, neque aliud illius partis; illa enim præexiſtens forma æterna, non eſt pars formæ quæ de nouo aduenit, alioquin hæc pars de nouo adueniens, eſſet prius quam eſſet; ſi autem dicat, quòd hæc pars præfuit, ergo nō datur aliquod nouum in generatione, vt ſupra. Ratio itaque eſt efficaciſſima, quia procedit ex ſuppoſito falſo aduerſariorum, & eſt ad hominem: falſum, eſt enim quòd illud dicatur

Primò ratio.

dicatur creari, quod producitur in eſſe, nulla parte ſui prçexiſtente:ſed illud creari dicitur, quod producitur de nihilo, ſcilicet, nulla prçſuppoſita materia, adeo quod id, quod producitur in eſſe, licet nulla pars ipſius prçexiſtat, dummodo de aliqua materia producatur in eſse, nõ dicitur creari, ſed generari: & ſic in propoſito, cum omnis forma naturalis educatur de materia, licet nihil formæ præexiſtat, non dicitur creari, ſed generari.

Secunda. Secundò quòd talis forma quæ ſit ratio ſeminalis, non præexiſtat in materia, probat ſic. Supponendum eſt vt etiam dicunt Aduerſarij, quod forma illa çterna exiſtens in materia, & forma aduenienѕ, ſint eiuſdem rationis, alioquin illa forma eſset ex diuerſis rebus diuerſarum rationum, tunc ſic agens quod (in virtute ſua actiua) habet formam perfectiorem, habet quoque imperfectiorem eiuſdem rationis, ergo ſicuti perfectior ponitur in eſse per generans, ſic & imperfectior, ergo non eſt opus ratione ſeminali perpetua in materia.

Tertia. Tertiò, pars formæ per generationem inducitur, aut educitur de potẽtia materiæ immediatè; & tunc fruſtra ponitur ratio ſeminalis, & hçc forma in materia; aut non educitur de materia, ſed de illa ratione ſeminali, vel de materia quatenus eſt ſub ratione illa ſeminali, & forma illa corporeitatis; ſed ambo hæc etiam abſurda ſunt, quia vtrobique ſequitur quod aliquid deducatur ad actũ de aliquo eiuſdem rationis cũ ipſo. Conſequẽtia patet: quia ratio illa ſeminalis, vel materia, vt eſt ſub illa ratione, & forma, eſt eiuſdem rationis cum forma inducenda, vt illi cõcedunt, & concedere habẽt ratione ſuperius adducta; falſitas conſequẽtis probatur: quia nihil fit ex alio eiuſdem rationis cum ſeipſo; non enim aqua fit ex aqua; neque bos ex boue (niſi ratione agentis,) ſed omne quod fit, ex ſuo contrario fit, vel ex medio; vt dicit Philoſophus primo Phyſicorum tex. 42. & inde.

Quarta. Quartò, ſi hæc forma corporeitatis datur in materia prima, aut eſt eadẽ reſpectu contrarium formarum, aut in materia prima ſunt ſingulæ rationes ſeminales ſingularum formarum ſpecificarum; Non poteſt eſse eadem: quia tunc idem numero erit pars formarum cõtrariarũ, quod eſt inconueniens. Præterea, Illæ formæ contrarię ex quo ſunt contrarię, differunt; non differunt autem per rationẽ illam ſeminalem, quia illa eſt illis vniuoca, & eſt eadem ſecundum aduerſarios omnibus; ex Hypotheſi ergo per aliud differunt, & ſic ſunt compoſitæ ex partibus diuerſarum rationum, quod eſt falſum, cum illæ ſint ſimplices. Si verò in materia ſint ſingulæ rationes ſeminales ſingularum formarum, tunc vel vna informabit materiam, & aliæ non, & ſic erunt per ſe ſubſiſtentes, aut omnes informant, & ſic cum ſint diuerſę ſpecie illa materia, vna erit informata diuerſis formis ſpecificis ſubſtantialibus, quod quàm ſit impoſſibile ex ſe patet; non ergo admittenda eſt aliqua ratio ſeminalis in materia, neque forma corporeitatis vna, neque plures. Impugnat etiam aliud fundamentũ *Quinta.* deſumptũ ex naturalitate generationis: quia falſum eſt, quod naturalitas generationis deſumatur à principio actiuo, & hic probat, quod natura non ſit principium actiuum, ſed paſſiuum, de quo ſuo loco, ideò non eſt quærendum principiũ actiuum, in generatione ad hoc vt generatio ſit naturalis, ſed ſufficit principiũ paſſiuũ, & ſic propter hoc nõ eſt opus ponere hanc formã corporeitatis, quæ ſit principium actiuum generationis coadiuuãs agẽs externum, ſed pro principio actiuo ſufficit agens externum, internum verò omne principium naturale eſt paſſiuum.

Alij arguunt contra hanc opinionem *Rationes aliorũ.* vt Auerroes; Si hæc forma çterna eſset in materia, non poſset vlla alia forma recipi in materia, conſequens eſt falſum, quia tolleretur generatio ſubſtantialis continua. Conſequentia probatur: quia materiã per hanc formam conſtituerunt in actu, & ſic omnis forma illi adueniens eſſet accidentalis, ſiquidèm omne adueniens alicui in actu, eſt accidens.

Quidam reſpondet, quod duplex eſt forma, alia ſpecifica, & alia generica, ſpecifica quidem conſtituit in eſse actuali, & quodcumque aduenit enti exiſtenti in actu per talem formam, eſt accidens: ſed forma generica non conſtituit in actu

exiſtentiæ,& ideò forma illi aduenire poteſt quæ ipſum conſtituat in eſse actuali exiſtentiæ:& ſic in propoſito.

Cum hæc forma corporeitatis ſit generica, non conſtituit materiam in eſse actuali exiſtētiæ,& ſic formę ſpecificę materiæ aduenire poſsunt,& illam conſtituere in eſse ſpecifico actuali, neque ſunt accidentia.

Contra hanc reſponſionem arguit Zabarella; quia vel forma corporeitatis eſt coæterna materię,ita quod intrinſecus inhæreat eſsentię materię,& ſit inſeparabilis ab ipſa, vel illi ineſt potentialiter, ita quod materia reſpectu illius eſt in forma contradictionis. Non eſt dicendum hoc ſecundo modo, quia cum fruſtra ſit forma,quę non reducitur ad actum,poſſet contingere,quod quandoque materia eſſet ſine hac forma,& ſic illa forma eſſet corruptibilis, neque eſset ęterna; Si verò dicatur primum, vt dicere habent, valet argumentum factum: quia cum talis forma intrinſecè inhęreat eſſentię materiæ, ſequitur, quod nulla alia forma ſubſtantialis illi aduenire poſſit: quia intus exiſtens prohibet extraneū, Sed neque hęc impugnatio eſt valida,quia dicunt,quod intus exiſtens ſpecificum, prohibet aliud eiuſdem ſpeciei, & ſic ſi illa forma eſſet ſpecifica, vtique non poſſet materia recipere alias formas ſpecificas:ſed,quia hæc eſt generica,non ſequitur. Vndè diceret, quod recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti ſpecifica, non generica,de quo aliàs.

Poſitio opinionis Scoti, & ſolutio rationum Aduerſariorum. Cap. III.

PRopter rationes adductas, Scotus apertè ſuſtinet, quod in materia non datur talis inchoatio formæ, neque forma corporeitatis; quid autem ſit ratio ſeminalis,& in quibus ſit,declarat; ſed nos ſuo loco tractabimus de illa;Nunc ad rationes Aduerſariorum reſpondendum

Ad 1. eſt. Ad primum patet ex dictis in confutatione opinionis aduerſariorum,non valet enim cōſequētia, quia generatio fit ex ſubiecta materia, & hoc ſufficit ad ſaluãdam generationem non eſſe creationem.

Ad ſecundum ſimiliter negatur conſequentia; Ad probationē dico,quod principium naturale nō eſt actiuum,ſed paſſiuū, & motus nō dicitur naturalis à principio actiuo,ſed à paſſiuo;quia natura eſt principium paſſiuum tantum motus; & quietis,vt dicam,ideo licet aliquis motus totaliter ſit à principio actiuo externo, tamen ſi ſit conformis principio paſſiuo interno rei materiatæ, eſt naturalis, ſi verò ſit contrarium principio paſſiuo motus, non eſt naturalis,ſed violentus, vt in quæſtione. An natura ſit principium paſſiuū motus tantum,dicam. *Ad2.*

Th. *33.*

Ad tertium,quod eſt confirmatio pręcedentis rationis,dico pro nunc.Quod artificialia differunt à naturalibus, nedum per principium actiuum, ſed per principium paſſiuum: quia naturalia habent principium paſſiuum inclinans ad talem motum,ſed artificialia nequaquam, ſed meram non repugnantiam. *Ad3.*

Ad quartum dico,quod Ariſtoteles ibi non loquitur vniformiter in omnibus, ſed ſolum quantum ad diſtinctionem obiectorum,vt dicam infra nunc.Sed quando dicit, quod principium artificialium eſt in cognoſcente, intelligit de principio actiuo:ſed cum ait,quod principium naturalium eſt in moto, intelligit de principio paſſiuo. Ad impugnationem Reſpōdetur,falſum eſse, ibi loqui de principio vniformiter omnibus modis; nam principium rerum naturalium eſt paſſiuum, vt dictum eſt principium, artificialium, ſiue obiectorum ſcientiarum practicarū eſt actiuum principiū tamen vtrinque vniformiter ſe habent quo ad hoc, quod ſunt diſtinctiua ſuorum obiectorum & ſcientiarum; non ſunt autem vniformia quo ad rationes proprias; quia vnum eſt actiuum aliud paſſiuum, vnum eſt in intellectu, aliud in re mota, vtrumque tamen eſt diſtinctiuum ſui obiecti ab alio obiecto,& ab alia ſcientia. *Ad4.*

Ad quintum, authoritas illa, violentum eſt illud,cuius principium eſt extra, non conferente vim paſso; debet ſic exponi, quod violentus motus eſt ille, qui fit à principio externo, paſso non conferente vim,ſcilicet paſso non præbente inclinationem, & tendentiam ad talem motum, *Ad5.*

rum, ſed potius præbente repugnantiã, vt motus terræ ſurſum.

Ad 6. Ad ſextum quidquid ſit de illis ſuppoſitis quorum primum eſt falſum, vt infra oſtendam, ad argumentum dico, quod datur forma vna correſpondens corpori, quod eſt genus vniuocum ſubſtantijs caducis, & mortalibus, ſed eſt vna genere, non numero; & ideò hæc non poteſt in materia nuda coexiſtere perpetuò, & ideò in argumento eſt fallacia æquiuocationis ab vnitate generica ad vnitatem numeralem. Vnde concedo, quod forma generica ſit æterna, quia vniuerſalia ſunt æterna, ſed forma vna numero nulla eſt æterna, & nihil numero vnum eſt æternum, niſi Cælum, cætera ſunt fluxibilia, hoc modo etiam rationale eſt forma æterna hominis, ex hoc autem inferre, quod in materia debeat dari vna forma numero æterna, eſt abſurdum.

THEOREMA XXVII.

Materia non eſt vna numero, ſed ſpecie.

Exponitur, & comprobatur opinio Scoti, & aduerſa reijcitur. Cap. Vnicum.

SCotus in quarto diſtinctione vndecima, quæſt. 3. artic. ſecundo, contra Aegidium ſuſtinet, quod materia prima non eſt vna numero, ſed diuerſa; at ſuſtinere videtur eam eſſe vnam ſpecie, & eſſentia, quod eſt idem, quod eſſe vnius rationis, vt quid. Pro hac opinione varias

1. rō. rationes adducit, ſed præſertim has; Dicere, quod materia ſit vna numero in omnibus compoſitis, eſt contra Philoſophũ, & contra rationem, ergo non eſt aſſerendum; Quod ſit contra Philoſophum probatur: quoniam Philoſophus in duodecimo Metaphyſic. tex. 27. loquens de per ſe principijs, ait, quod ſicut principiata ſunt alia, ſic eorum per ſe principia, & hoc ſecundum genus, & ſpeciem, & numerum; & ad propoſitum expreſsè dicit: horum, quæ ſunt in eadem ſpecie diuerſa, ſupple ſunt principia, non præcisè, ſed quia ſingularium alia eſt tua materia, & mouens, & ſpecies, & mea, ratione autem vniuerſali eadem. Ex hoc loco clarè deducitur, quòd ex intentione vult, quòd materia mea, & tua, vt eſt per ſe principium meum, & tuum, eſt diuerſa numero. Secundò ex proceſſu Ariſtot. in 2. rō.
primo Phyſic. tex. 82. & primo de gen. tex. 24. ac ſecundo tex. 51. de generatione in inueſtiganda materia, patet materiam non eſſe vnam numero, in omnibus enim his locis Ariſtoteles ait materiam eſſe eãdem ſubſtantiam toti tranſmutationi, & vtrique termino, ex hoc deducitur, ergo materia eſt eadem in genito & corrupto aliquo modo, quo modo non eſt eadem in duobus ſimul genitis, quia ſi eſſet eadẽ eodem modo generatio, & corruptio, non magis concluderent materiam in genito, & corrupto eſſe vnam, quam diuerſorũ exiſtentium ſimul, ſubinfero, ſed eſt eadẽ numero in igne genito, & in aere corrupto in ignem, ergo non poteſt eſſe eadem numero in aere, & igne ſimul exiſtentibus. Tertiò, ſi materia eadem nume 3. rō.
ro eſſet ſimul ſub forma aeris, & ignis, non requireretur tranſmutatio corrumpens præcedens ad hoc vt materia fieret ſub alia forma.

Quartò eſt contra rationem, quoniam 4. rō.
materia eſt prior ordine naturæ, quàm forma recepta, quia materia eſt fundamentum omnium, at prius vt eſt prius eſſentialiter non variatur propter variationem poſterioris, ergo materia per aduentum formarum, non poſſet plurificari numero ſi ipſa per ſe eſſet eſſentialiter vna numero, & ſic eadem materia numero reciperet diuerſas formas ſubſtãtiales contrarias, vel ſaltem incompoſſibiles, vt aeris, & ignis, & tũc vlterius ſequeretur, quod generans poſſet generare nihil corrumpendo, etiã eadem materia numero poſset eſse ſub forma hominis, & aſini, & ſic nullæ duæ formæ ſubſtantiales repugnarent perficiendo eandem materiam.

Ex omnibus his rationib. cõuincitur, 5. rō.
materiam primã non eſse vnam numero, ſed cũ neceſsario materia ſit vna, quia vnitas eſt paſſio entis, & ideo cõpetit omnibus entibus, neceſsariò debet eſse aliquo modo vna, & cum vnum ſolum tribus modis dicatur ex Ariſtotele 5. Phyſ. textu 31. vnum numero, vnum ſpecie, &

vnum genere, neceſsario materia erit vna aliquo horum trium modorum; dictum eſt autem, quòd non eſt vna numero, erit ergo vna vel ſpecie, vel genere: non videtur autem poſse dici, quòd ſit vna genere, quia non habet differentias ſpecificas, per quas diſtinguatur in ſuas ſpecies, neque habet ſpecies, vt patet, erit ergo vna ſpecie, quia eſt vna ſpecies entis; diuiditur autem in plura numero per vltimas realitates ſuas. Vel dicamus, per vltimas realitates formæ, neque enim reperitur materia vna numero diſtincta ab altera, niſi in compoſito, & ſic quod eſt ratio indiuidualis compoſiti, eſt etiam indiuidualis ratio materiæ.

Tamen Gandauenſis lib. 1. Phyſic. q. 24. Concluſione ſecunda, & Zimara ex
Opin. Gandauẽſis & Zim. Auerroe Theoremate 96. apertè ſuſtinet, quòd materia prima ſit vna numero. diſtinguit enim de materia prima, & proxima, compoſiti, & hanc fatetur eſse plures numero, materiam verò remotam eſse vnam numero aſserit omnium generabilium, & corruptiliũ; & probat primò ſic: quia omnium quæ tranſmutantur ad in
1. rõ. uicem, eſt vnum ſubiectum numero, cũ traſmutatio requirat ſubiectum vnum numero ſub vtroque termino tranſmutationis, ex 1. Phyſ. tex. 62. & 5. tex. 8. at omnia naturalia ſunt traſmutabilia ad inuicem, vt patet ad ſenſum, ergo materia eſt vna numero in omnibus entibus genera-
2. rõ. bilibus, & corruptibilibus. Secundò materia prima de ſe non eſt diſtincta, oportet ergo eam habere aliquam vnitatẽ: quia vniuerſaliter quæcumque diuiſionem nõ habent, vt ſic, vnum dicuntur, ſed materia non eſt ſpeciei vnius, neque eſt vna genere, neque vna analogia, ergo relinqui-
Mod⁹ dicendi huius opin. deſumitur ex Auerroe 12. Met. tex. 14. tur, quod ſit vna numero; Modus autem dicẽdi eius eſt hic; Aliquid dicitur vnum numero duobus modis; Primò poſitiuè, & hoc modo illud dicitur vnum numero, quod habet formam vnam numero per quam eſt indiuiduum, vt contingit, de quolibet indiuiduo; Alio modo aliquid dicitur vnum numero priuatiuè, quia eſt vnum per priuationem omnium formarũ indidualium, à quibus eſt multitudo numeralis, materia non eſt vna numero primo modo, ſed ſecundo; quia ipſa non habet ali quam forma actu per quam ſit vna numero, ſed caret omnibus quantum *3. rõ.* eſt ex ſe, non quod careat omnibus ſimul, ſed quia ipſa materia in eſsentia ſola nullam formam claudit. Pro hac etiam opinione videtur eſse Ariſtot. qui 1. Metaph. tex. 11. ait, quod in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, at materia eſt fundamentum naturæ, ergo in illa nulla eſt diſtinctio, ergo eſt vna numero.

Verum hæc opinio non eſt vera, nec A- *Reijcitur.* riſtoteli conſentanea, & ideò contra eam argumenta Scoti facta ſunt efficaciſsima, quæ non oportet repetere; Sed contra modum aſsignatum, ita argumentor. Omnis priuatio reducitur ad poſitiuum, ſed materia per vos eſt vna numero priuatiuè, ergo debet hæc vnitas numeralis reduci ad aliquam rationem vnitatis poſitiuam: antecedens eſt conceſsum communiter, & conſequentia eſt euidens. Sed quod decepit aduerſarios omnes, eſt non rectè percipere quid ſit vnitas ſpecifica, vel generica, & quomodo hæ differant ab vnitate numerali; nam quia vident materiam eſſe, & habere vnicam eſsentiam, ideò exiſtimant eam eſse vnam numero; quod tamen eſt falſum: nam ſic etiam videmus naturam ſpecificam eſse vnicam eſsentiam, & eſse vnum ens in rerũ natura; nec tamen dicimus eſse vnum ens numero, ſed ſpecie, ita in propoſito, licet materia ſit vnica eſsentia, & vnum ens in rerum natura; non tamen eſt exiſtimandũ eam eſse vnam numero: quia quod eſt vnum numero, eſt incommunicabile pluribus, vt quod, & vt quo; materia verò cõmunicatur plurib⁹, vt quod, vt patet; prędicatur enim de hac, & illa materia; & actu diuiditur in hãc, & illã materiam, ſicut homo diuiditur in Socratẽ & Petrũ.

Præterea, diſtinctio illa de materia proxima, & materia remota, nullius eſt momenti: quia materia proxima eſt quę ſub forma actio; at hæc materia proxima non eſt diuerſa ab alia materia proxima ex ſe, & quatenus eſt materia, ſed ex forma, proprietates enim, & rationes propter quas materia proxima eſt diuerſa ab alia materia proxima, in ſunt ſibi à forma; & verè ſunt proprietates compoſiti, & formæ, non materię.

Ideò

Ad primũ. Ideò ad rationes pro opinione aduerſariorum adductas, ad primā dico, quod in locis aſſignatis Ariſt. dicit in omni generatione debere reperiri aliquod ſubiectum, ſed tamen non dicit Ariſtot. quod illud ſubiectum debeat eſſe vnum numero, neque poteſt colligi, ſed vltro damus in aliquibus generationibus eandem materiam, quæ erat in corrupto, manere ingenito, vt materiam, quæ erat ſub forma aeris, eamdem numero manere in igne genito ex aere de nouo; ſed ex hoc non ſequitur, quod eadem numero ſit materia omnium generabilium, & corruptibiliũ, vt deducunt aduerſarij, immò ex hoc deducitur argumentum in oppoſitum, vt patet ex ſecundo argumento Scoti, nũc ducto, quia cum ſit eadem numero in genito, & corrupto, ſequitur, quod non eſt eadem numero in vtroque illorum exiſtentibus in eſſe ſuo, quia ſic ſimul duo numero exiſterent in materia eadem numero, quod eſt abſurdum.

Ad ſecũdum. Ad ſecundam rationem dico, quod eſt vna ſpecie, vt declaratum eſt.

Ad tertium. Ad tertiam dico, quod ex illa authoritate tantum habetur, quod materia non eſt ratio, & cauſa diſtinctionis, & quod abſtrahendo à materia formas, nulla datur diſtinctio rerum, quia omnis diſtinctio rerum compoſitarum eſt à forma, non tamen ſequitur, quod materia prima ſecundum ſuam eſſentiam, non ſit diſtincta ab alijs entibus ſpecificè; & quòd non plurificetur numero a forma; quod tamen materiæ repugnaret, ſi materia eſſet vna numero, ex propria natura.

Aduerſarij, etiam hoc fateri videntur dum aſserunt materiā eſſe vnam numero, non poſitiuè, ſed priuatiuè; hoc enim eſt dicere, quòd materia eſt quędam eſſentia, cui non competit ex ſe multiplicari numero, ſed à forma multiplicatur. Non poteſt autem materia eſſe vnum genere: quia non dantur plures ſpecies materiæ primæ; tamen apud D. Thomam, qui dicit aliam eſse materiā rerum generabilium, & corruptibilium, & aliam eſſe materiam corporum Cæleſtium, poſſet dici, quod materia prima ſit vnum genere; ſed apud nos, qui ſuſtinemus materiam primam eſse vnius rationis in omnibus, & quod in Cælo non eſt materia, cogimur etiā dicere materiam primam eſſe vnam ſpecie, non genere.

THEOREMA XXVIII.

Materia eſt pars quidditatis ſubſtantiæ materialis.

Poſitio Scoti cũ ſuis fundamentis. Cap. I.

SCotus 3. Sententiarum, diſt. 22. q. vnica, art. 1. ex profeſſo diſputat de hac materia, & ſuſtinet materiam eſse partē quidditatis rei materialis, vt ignis, vel hominis, & huiuſmodi, & prò hac ſua ſententia varias rationes efficaciſſimas quidem habet. Prima eſt, eſsentia ſubſtantiæ materialis, vt exempli gratia eſsentia ignis, eſt ſufficiens ratio intrinſeca igni eſsendi ſubſtantiam, circumſcripta quacumque alia re ab eſsentia ipſa ignis, igitur ſi eſsentia ignis eſt forma circumſcripta quacumque alia re ab igne, forma ignis erit ſufficiens ratio ipſi igni eſsendi ignem, & ſubſtantiam, ergo ignis eſset verè ignis, ſi eſset ſola forma ignis, hoc autem eſt falſum: quia tunc deſtruitur omnis materia, ſi enim ſola forma circumſcripta materia eſt ignis, materia ſuperflua eſt, & ſic ignis erit ignis, & ſubſtantia abſque materia; primum antecedens eſt clarum, quia eſsentia rei eſt principiū internum ſufficiens eſsendi ipſi rei, reliqua enim, quæ requiruntur ad eſse rei, ſunt externa. Prima conſequentia de ſe eſt euidens, ſimiliter ſecunda conſequentia eſt euidens de ſe. Secundò cuius eſſentia eſt, ſecundum ſe incauſata, ipſum quoque eſt incauſatū, quia eſsentia, & id cuius eſt eſsentia, ſunt eadē res realiter, tunc ſic; Id cuius eſsentia eſt incauſata à cauſis intrinſecis, ipſū quoque eſt incauſatū à cauſis intrinſecis, ſed ſic eſt, quod ſi quidditas, & eſsētia rerum materialiū nō includit materiā, eſset incauſata, à cauſa materiali, quia non habet materiā cauſam, ſic ergo id, cuius eſt quidditas, eſt ſimiliter incauſatū materialiter: ſed hoc ē impoſſibile, qa tūc fruſtra poneretur ab Ariſt. materia cauſa ſubſtātiæ materialis. Tertiò, ens completum in genere, nulli al- *1. rō.* *Secũda.* *Tertia.*

teri vnitur, vt faciat vnum per ſe cum eo, ſed ſolum faciet vnum cum eo per accidens, vel vnum aggregatione, & ratio huius eſt: quia quæ faciunt vnum per ſe, nō ſunt entia completa in genere per ſe, ſed ſunt principia rei cōpletæ per ſe in genere, tunc ſic, ergo ſi forma ignis eſt quidditas completa in genere, vt dicunt aduerſarij, forma ignis nulli alteri vniri poterit, cum quo faciat vnum per ſe, ſed faciet vnum per accidens, vel vnum aggregatione, vt eſt aceruus lapidum, & ita cū forma ignis vnitur materię ignis, non faciet vnum per ſe, ſed vt dictum eſt faciet vnum per accidens, vel vnum aggregatione. Quartò, quod non includit aliquam quidditatem, quæ ſit in genere; vel non includitur ab aliqua quidditate exiſtente in genere, id nō eſt ī genere, neque per ſe, neque per accidēs, materia autem certum eſt, quod non includit quidditatem hominis, ergo ſi nō includitur in quidditate hominis, & aliorum, ipſa non eſt in genere, neque per ſe, neque per accidens; quod autem non eſt in genere, nihil eſt, niſi ſit Deus, quia ſolus Deus non eſt in genere, materia autem non eſt Deus. Maior patet: quia ſolum illa ſunt in genere per ſe, quæ includunt quidditatem, vt indiuidua, vel ſunt ipſamet quidditas, vt homo, & humanitas; illa verò ſunt in genere per reductionem, & per accidens, quæ clauduntur in aliquo, quod eſt per ſe in genere; Minor quoque patet, quo ad primam partem, & quo ad ſecundam partem eſt poſitio aduerſariorum. Quintò, ſicut hic actus ſiue hæc forma, & hæc materia faciunt vnum per ſe ſignatum, vt hunc hominem, ita forma in communi, & materia in communi faciūt vnum per ſe abſtractum in genere, vt hominem, ergo in illo vno abſtracto in communi clauditur forma, & materia, ergo entitas eius conſtat ex materia, & forma, & conſequēter quidditas illius includit materiam, & formā; Antecedēs primū patet ex ſe, conſequētia prima probatur: quia ex 2. Phyſ. tex. 38. cauſę & effectus proportionātur, ſi genere genere, ſi numero numero; igitur ſicut compoſitum ſingulare conſtat ex materia, & forma, ita compoſitum in genere abſtractum ab illis particularibus conſtabit ex materia, & forma. Secunda conſequentia eſt etiam eiuſdem, quia illud, & entitas eius vnum, & idem realiter ſunt. Sexto Philoſophus 7. Metaphyſices textu 39. vult, quod ſicut ex hac materia contracta cum hac forma fit hoc indiuiduum vltimatè, ita ex materia communi, & forma communi reſultat quidditas cōmunis, ergo materia eſt pars quidditatis in communi; ratio autem huius deductionis Philoſophi eſt: quia ex hac materia, & ex hac forma, ideò fit vnū, quia hic eſt actus, illa verò potentia, ſed eſſe actum, & eſſe potentiam conuenit per ſe pluribus, ergo per aliquid commune eis competit huic materiæ potentia, & huic formæ actus, illud commune non eſt niſi forma, & materia, quæ primò faciunt vnum: ſed omne per ſe, vnum habet per ſe ſuum, quod quid eſt, ergo & quidditatem, & ſic materia in communi, & forma in communi, faciunt quidditatem, hæc Scotus loco citato, & alibi habes alias rationes, etiam apud Antonium Andręam in hoc quæſito 7. Metaph. q. 12. ſed pro nunc iſta ſint ſatis.

Quarta. | Quintum. | Sexto.

Ponitur opinio Aduerſariorum cum ſuis fundamentis, quibus impugnatur opinio Scoti, & eadem reijcitur. Cap. II.

EX aduerſo ſunt multi alij, qui ſuſtinent, quòd forma eſt tota quidditas rei materialis; ſed hi diuiſi ſunt in duas partes. Aliqui enim vt Hugo de Sancto Victore, Albertus Magnus, & Auerroes, vt eis imponitur à Marginiſtis Scoti, ſuſtinent, quòd materia non eſt pars quidditatis, accipiendo quidditatem pro eſſentia, & ſubſtantia, & natura materialis compoſiti, vti accipit Scotus, Diuus Thoma, & vti communiter accipitur apud recentiores Philoſophos, & Theologos. Alij verò ſuſtinent eandem concluſionem, ſed alio modo: quia diſtinguūt inter quidditatem, & eſſentiam compoſiti ſubſtantiæ materialis, & pro quidditate intelligunt ſolam formam, quæ eſt perfectiua compoſiti, & completiua eius. Pro eſſentia verò intelligunt naturam, & ſubſtantiam compoſiti, & quo ad iſtos quæſtio ſolū erit de nomine. Priſci itaque pro ſe habent

Hugo. Alb. Mag. Auerroes.

habent has rationes, quas pro illis adducit Scotus loco citato, & ferè omnes ex Auerroë deducuntur. *Primò.* Primò ex ſeptimo Metaphyſices cap. 5. materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, & propter hoc Ariſtoteles ibi vult quod quæcumque generata ſunt, ſiue ſint generata ab arte, ſiue ab alia cauſa, quia habent materiam, ſint poſſibilia; ex hoc deducitur ſic: ergo ſi materia eſſet pars quidditatis, quidditas poſſet generari, & corrumpi, quod eſt contra Philoſophum in eodem 7. tex. 34. capit. de partibus definitionis, vbi vult, quod quæcumque concipiuntur ſine materia, vt rationes ſpeciei, hæc ſolum non corrumpuntur. *Secūdò.* Secundò, quod quid eſt, eſt principium per ſe cognoſcendi illud cuius eſt, ergo quod ſecūdum ſe eſt ignotum, non includitur in ratione ipſius quod quid eſt, materia eſt per ſe ignota ex Philoſopho 7. Metaphyſices cap. de partibus definitionis, tex. 35. ergo materia non poteſt eſſe pars, quod quid eſt, neque quidditatis, cum idē ſint. *Tertiò.* Tertiò, in per ſe habentibus quidditatem, quidditas eſt idem cum eo, cuius eſt quidditas, vt expreſsè dicit Philoſophns in 7. Metaphyſices cap. 4. tex. 20. tunc ſic arguitur, quod prohibet quidditatem eſſe idem cum eo cuius eſt quidditas, nō eſt per ſe de ratione quidditatis, at materia eſt huiuſmodi, ex eodem Philoſopho ibidem c. 4. vbi ait, quod in conceptis cum materia non eſt idem quod quid eſt cum eo, cuius eſt. *Quartò.* Quartò arguitur auctoritate Ariſtot. nam eodem 7. Metaphyſices, cap. de partibus definitionis tex. 35. dicit, quod anima eſt ſubſtaatia animati, & ſpecies, & quod quid erat eſſe, ergo quidditas eſt tantum anima. *Quintò.* Quintò in eodem 7. Metaphyſices cap. 2. tex. 9. Ariſtoteles habet hęc verba: Compoſitum ex materia, & forma dimittendū eſt, quia huius ſubſtātia poſterior eſt quidditate rei; vbi apertè excludit materiā a quidditate rei, & in epilogo illius capitis ait, quod partes, & materia non inſunt quidditati ſubſtantię, ergo auctoritates expreſſæ ſunt, quod materia non eſt pars quidditatis rerum. *Reÿcitur.* Hac opinionem falſam eſſe conſpicitur faciliter ex argumentis factis à Scoto: Si enim ſola forma eſſet tota quidditas, & eſſentia rei, & compoſiti materialis, ſufficeret in definitione ſubſtantiæ materialis aſſignare formam: quia quidditas eſt, quæ explicatur per definitionem; *Secūdò.* Præterea, fruſtra poneretur materia pars, & principium materialis ſubſtantiæ, neque ſubſtantiæ materiales poſſent dici materiales, neque compoſitæ, ſed eſſent ſimplices, eo quia dicuntur materiales, & compoſitæ, quia habent materiam partem ſui, quod ſi illa non eſt pars entitatis, & ſubſtantiæ earum non debent dici materiales, neque compoſitæ. *Tertiò.* Præterea, Ariſt. 1. Phyſicorum tex. 52. aſſerit, materiam eſſe ſubiectum, quia ex ipſa componitur ſubſtantia compoſita; ſubſtantia autem non poteſt fieri ex non ſubſtantia. *Quartò.* Præterea, ſæpè, & maximè 7. Metaphyſices, textu 7. ait, quod triplex eſt ſubſtantia, ſcilicet, materia, & forma, & quod ex vtriſque eſt, ſcilicet, compoſitum: ſi ergo compoſitum fit ex materia, & forma, ergo entitas, & ſubſtantia compoſiti fit ex materia, & forma, & ſic neceſse eſt dicere, quod ſit pars ſubſtantiæ eius. *Quintò.* Præterea, in toto 1. Phyſicorum dicit tria eſſe principia rerum naturaliū, duo per ſe, & vnum per accidens, ſcilicet priuationem; materia verò, & forma ſunt principia per ſe, ergo non eſt dubitandū materiam eſse partem quidditatis rei materialis, quæ quidditas nihil aliud eſt niſi eſsentia, & ſubſtantia ipſiuſmet compoſiti. *Ad rōnes in oppoſitum.* Ad rationes pro hac opinione facilè reſpondetur; immò Scotus aliquas illarum ducit in oppoſitum, & oſtendit, quod concludunt pro ipſomet Scoto: ſed rationes adductæ ſufficiunt, qui eas videre voluerit, legat ipſum Scotum loco citato. *Ad 1.* Ad primam itaque rationem dico, quod aliquid eſse paſſibile, & corruptibile, intelligi poteſt duobus modis, vno modo de potentia proxima, alio modo de potentia remota, concedo quod quidditas ſubſtantiæ materialis eſt corruptibllis de potentia remota, nō proxima licet enim ſecundum ſe ſit corruptibilis, non tamen actu corrumpitur in ſe, ſed ſolum in ſuis ſingularibus, quidditatem autem ſubſtātiæ materialis eſſe corruptibilem de potentia remota, non eſt inconueniens, immò eſt neceſsarium, quia per hoc diſtinguitur ab abſtractis, inſuper, quia corru-

ptibilitas eſt paſſio propria corporis naturalis, & debet neceſſariò oſtendi ineſſe alicui vniuerſali, non enim ſcientia eſt de particularibus; & ideo verum eſt dicere, corpus naturale in communi eſt corruptibile, & verificatur talis propoſitio, nō quidem de potentia proxima, ſed de potentia remota: ita etiam corruptibilitas, quo ad potentiā remotam, ineſt quidditati, & eſſentiæ rei materialis, & ineſt per materiam, & ita argumentum concludit pro nobis, quia cum talis quidditas in communi ſit corruptibilis, & omnis corruptibilitas ſit propter materiam, ſequitur, quod quidditas ſubſtantiæ materialis, includat materiam.

Ad 2. Ad ſecundum cōcedimus, quod quod quid eſt, principiū cognoſcendi illud, cuius eſt, & ideò cum ſubſtantia materialis non poſſit cognoſci ſine materia, neceſſariò in quod quid eſt eius clauditur materia; & argumentum concludit pro nobis; Cum dicitur, quod materia eſt ignota, dico, quod pro tanto materia dicitur ignota, quia non eſt perpetua ratio, nec potiſſima cognoſcendi illud, cuius eſt, ſed forma; tamen ipſa quoque eſt neceſſaria, alioquin cognitio ſubſtantiæ materialis numquam haberetur à nobis; inſuper omnis cognitio ſcientifica eſset rerum immaterialium; & ſimplicium, non autem compoſitarum, quod eſt abſurdum, vt patet: quia ad hāc cognitionem requiritur cognitio partiū ſubſtantiæ compoſitæ. Poſſumus etiam dicere, quod materia dicitur ignota, quia forma eſt aliquo modo ratio cognoſcendi materiam, hoc tamen nihil refert, quia ſufficit nobis quod ipſa cognoſci debeat, an poſtea per ſe, vel per aliud, hoc nihil refert.

Ad 3. Ad tertium, cum dicitur, quod in conceptis cum materia, non eſt idem quod quid eſt, cum illo cuius eſt; Dico qđ Philoſophus nō vult negare ibi quod q̄d eſt eſse idem cū illo cuius eſt in conceptis cū materia, cum probet aduerſus Platonē eſse idem in 7. Metaphyſices, tex. 20. ſed vult negare quod non eſt idem primò, vt clarius dicam in proprio Theoremate, de hoc. Dicat quidquid velit Zimara. *Theo. ſequ.*

Ad 4. Ad quartū ad auctoritatē Ariſtotelis, quando dicit quod anima eſt ſubſtantia animalis, & quod quid erat eſse; Dico, quod accipit ibi ſubſtantiam, & quod quid eſt, pro notiori parte definitionis, quæ eſt forma: non pro tota definitione; quòd probatur per eundem Philoſophū gloſsantem ſe, infra in eodem capite, & dicentem, ſiquidem eſt altera, & non eſt anima animal, & ſic quid dicendum; hoc autem non dicendum ſicuti dictum eſt, vbi apertè ſe declarat, quod anima non eſt ſubſtantia animalis, ſed altera pars.

Ad quintum dico, quod in illa aucto- *Ad 5.* ritate loquitur non de illa materia, quæ eſt materia partis, ſed de differentia indiuiduali, quæ dicitur materia ratione qua diximus in materia de indiuiduatione declarando poſitionem Scoti, & ſic ad omnes alias auctoritates Ariſtotelis vbi *Theo. 90.* videtur dicere, quod forma eſt quidditas, & quod quod quid eſt rei, reſpondendum eſt, quòd non vult dicere, quòd forma ſit tota quidditas, & quod quid eſt, quia hæc includit materiam: ſed loquitur ſic: quia forma eſt principalior pars, & cum negat materiā eſse partem quidditatis, vel loquitur de differentia indiuiduali, vel de materia, ſi loquitur de materia, quæ eſt pars intelligit quod non eſt pars principalis, neque æqualis, ſed minus principalis; Propter has rationes hæc opinio his temporibus derelinquitur ab omnibus ferè.

Ponitur alius modus ſuſtinendi formam eſſe totam quidditatem rei, & reÿcitur. Cap. III.

Vidētes quidā aliÿ Auerroiſtæ, quod iſta opinio ſecundum hunc ſenſum ſuprà expoſitum, non poteſt ſuſtineri in alio ſenſu illam ſuſtinere nituntur. Ideò Achillinus libro 1. de Elementis, dubio 22. Zimara Theoremate 39. Zabarella libro de Natura Cæli, cap. 8. Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, & aliÿ. Iſti omnes diſtinguunt inter quidditatem, & eſſentiam, ſiue ſubſtantiam rei, & dicunt, quod quidditas rei eſt ſola forma, & ideò cum materia non ſit de eſsentia formæ materialis, neque etiam materia poteſt eſse pars quidditatis materialis, cum illa quidditas nil aliud ſit, niſi forma ſubſtantiæ materialis; tamen dicunt materiam *Achillin. Zimara, Zabarella. Mercenarius.*

eſse

eſſe partem ſubſtantiæ, & eſſentiæ rei materialis, & ingredi definitionem eius, quia eſſenia ſubſtantiæ materialis componitur ex materia, & forma, ideò materia eſt pars eius; Et hæc quidem ſententia exponitur clarè à Zimara in Theoremate illo 39. Per hanc diſtinctionem reſpondet ad argumenta Scoti; Hæc etiam ponitur expreſsè ab Achillino loco ſupra citato, vbi dubio principali reſpondens, aſſerit, quod materia non eſt pars quidditatis quia de natura quidditatis eſt, eſſe quid, & id quo aliquid eſt quid, hoc autem ſoli formæ conuenit; ex quo apparet, quod pro quidditate non intelligit eſſentiam, & ſubſtantiam rei, ſed ſolum id, quod dat eſſe, & perficit rẽ, quod eſt forma. Vnde inferius concludit, quod materia licet ſit pars ſubſtantiæ cõpoſitæ, non tamen eſt pars quidditatis.

Prima ratio. Eandem ſententiam ſequuntur Zabarella, & Mercenarius, vt eſt videre apud eos locis citatis. Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, ita argumentatur. Ariſt. 2. Phyſic. tex. 28. definiens formam, dixit, quod forma eſt quod quid eſt rei: at ibi Ariſtoteles loquitur de forma partis, & non de forma totius, ergo forma partis eſt quod quid eſt, & quidditas rei; Confirmatur: quia in eodem textu in calce ait, quod partes definitionis ſunt formæ, ex quo deducit, quod cum partes definitionis ſint ſolũ formæ partis, quod quid eſt, eſt ſolùm forma partis. *Secunda.* Secundò illud eſt tota quidditas rei quòd rem ipſam conſtituit in eſſe ſpecifico, à quo totum eſſe rei dependet, & id ſolùm eſt forma partis, ergo. Pro hac opinione adducuntur multæ auctoritates, & rationes; & primo, auctoritas omnium antiquorum Peripateticorum, vt Alexandri Aphrodiſei, Themiſtij, Simplicij, Auerrois, & Alberti, qui omnes per quidditates intellexerunt formam, non eſſentiam rei; ſed reuera Albertus Magnus fuit prioris opinionis, vt etiã cõſpicitur ex verbis eiꝰ, quæ adducũtur à quodã moderno ſectatore huius opinionis. *Alexan. Themiſt. Simplicius.* Inſuper adſunt auctoritates Ariſtotelis claræ, nam tertio de Anima, textu 9. affirmat aliud eſſe carnẽ, & aliud carnis eſſe, ibi autem, vt exponũt Themiſtius, & Simplicius per carnẽ intelligit formam cum materia, per eſſe carnis verò, intelligit formam ſimplicem: eſſe autem carnis, eſt quidditas carnis, ergo quidditas eſt ſimplex. *Prima auctoritas.* Item Ariſt. 7. Metaphyſices, textu 9. cum diuiſiſſet ſubſtantia in materiam, & formam, & compoſitum, ſubiungit prætermittendã eſſe materiam, & compoſitum, & ſolum eſſe cõſiderandum eſſe formæ, mox verò textu 10. proponit ibi agendũ eſſe de ipſa quid ditate, ergo ex hoc dicit Ariſt. habere pro eodem formam, & quidditatem: quia iã dixit ſe velle agere in poſterũ de forma, & incipit agere de quidditate, ſiue, de quod quid eſt, ergo quidditas apud eum eſt idem quod forma. Tertiã, item in 8. Metaphyſices tex. 12. inquit Ariſtoteles, ſi quis interroget, quæ ſit materia hominis, Reſpondendum eſt eſſe menſtrua, ſi quod mouens, ſiue efficiens, Reſpondendum eſt ſemen, quæ ſit forma, Reſpondendum eſt ipſum, quod quid erat rei. Quarta, item Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum, tex. 19. etiam 6. Metaphyſices, & alijs locis ait, quod ita definiuntur res naturales, per materiam ſenſibilem, ſicuti ſimitas per naſum; adeo quod Ariſtoteles vtitur hoc exemplo ad rem declarandam, ergo ſicuti naſus non pertinet ad definitionem ſimitatis, tamquã pars eius, ſed tamquam ſubiectum, ita materia nõ vt pars, ſed vt ſubiectum, debet ingredi quidditatem ſubſtantiæ materialis. Arguitur etiam rationibus. Primo ſic, materia prohibet, quod quid eſt, eſſe idem cũ illo, cuius eſt, vt recitauimꝰ ſuprà cap. 2. Secundo verè dicimus aliam eſſe quidditatem hominis, aliam leonis, aliam equi, &c. quæritur nunc vnde naſcatur hæc diuerſitas quidditatũ, non ex accidentib. quia illa ſunt extra quidditatem rei, non ex materia, quia illa eſt vna ĩ omnib. ſublunaribus, ergo ex ſola forma ſubſtãtiali, ergo forma ſubſtãtialis eſt tota qdditas. Tertiò quidquid ponitur in definitione rei, debet illã diſtinguere ab aliquo alio, ſed diſtĩguere, & reparare eſt ꝓpriũ actꝰ, & formę, vt docet Ariſtoteles 7. Metaphyſices, tex. 49. materia autem nõ eſt actus, neque forma, ergo non eſt pars quidditatis, neque definitionis, ſed ſi ponitur ĩ his definitionibus, ponitur tãquam vehiculum,

lum, ſubiectum forma, non tamquam pars quidditatis.

Reÿcitur. Hæc opinio non diſſentit ab opinione Scoti in re, ſed ſolum verbis: vnde eſſet in his diſputandũ de nomine, non de re; non diſſentit quidem re, quoniam ait materiam eſſe partem eſſentiæ, & ſubſtantiæ compoſiti materialis, ſed non vult, quod hæc eſſentia, & ſubſtantia compoſiti materialis appelletur quidditas, ſed ſolum volunt per nomen quidditatis nominari formam ſimplicẽ, & clarum eſt, quòd nos non dicimus materiam eſſe partem formæ: ſed aſſerimus eſſe partem eſſentiæ compoſiti, quæ fit ex materia, & forma, & hanc nos appellamus quidditatem, ergo habemus hucuſque, quòd quo ad rem conſentiunt cum opinione Scoti. Contentio modò eſt de nomine. Hæc quidem diſputatio de nomine eſſet ſpernenda, quoniam cum Philoſophi circa rem conueniunt, non videtur decere, eos de nominibus certare: ſed quia in diſputationibus multum refert vti vocabulis, & terminis, ſecundum proprias ſignificationes ad æquiuocationes tollendas, volo etiam oſtendere, quòd rectius eſſentia, & ſubſtantia rei appellatur quidditas, quam ſola forma: & ſic patebit, quòd rectiori modo locutus eſt Scotus, quam aduerſarij. Certum eſt, quòd nullibi Ariſt. aſſerit formam eſſe quidditatem, nuſquã enim vſus eſt hoc nomine quidditas, ſed eſt nomen inuentum à ſuis Commentatoribus, ſolum autem Ariſt. vſus eſt hoc nomine, quod quid eſt rei, vnde in 2. Phyſicorum definiens formam, non dixit, forma eſt quidditas rei, ſed dixit forma eſt quod quid eſt rei, & 7. Metaph. vbique ſemper vtitur hoc nomine, quod quid eſt, non quidditas. Videamus modo vnde Philoſophi ſumpſerint hoc nomen quidditas; certè habent dicere aduerſarij, quod deriuat à quod quid eſt, vnde quod quid eſt rei, & quidditas rei, apud Philoſophos ſunt idem, & apud ipſos etiam ſunt idem, quia ipſi dicunt, quod quidditas ſignificat ſolam formam, quod quid eſt, etiam ſignificat formam, ſiquidem Ariſtoteles appellat formam, quod quid eſt rei; Relinquitur itaque clarum, quod hoc nomen quidditas, deſcendit à quod quid eſt, & ſi quis hoc neget, dicat ipſe à quo nomine deriuetur, ſi dicat à quid, at quid, & quid eſt, idem ſunt, ſed hoc clarius eſt, quàm quod probari poſſit. Facto hoc ſuppoſito veriſſimo, probo, quod hoc nomen quidditas, ſi propriè accipiatur, ſignificat eſſentiam, & naturam ſpecificam compoſiti ſubſtãtialis, quam clarum eſt continere in ſe materiam, & formam, non autem formam ſolũ; quidditas ſignificat id, quod ſignificat, quod quid eſt: ſed quod quid eſt, ſignificat eſſentiam, & ſubſtantiam ſpecificam compoſiti materialis, ergo quidditas ſignificat ſubſtantiam, & eſſentiam compoſiti materialis. Maior patet ex ſuppoſito. Minor probatur: quia quòd quid eſt, & definitio explicat non ſolum formam compoſiti, ſed totam eſſentiam, & naturam compoſiti ſubſtantialis, ergo quòd quid eſt, ſignificat totam eſſentiam, & naturam compoſiti ſubſtantialis.

Maior probatur ex Ariſt. 7. Metaphyſices tex. 11. ibi enim declarans, quid ſit, quòd quid eſt, ait, quod eſt vnumquodque quod dicitur ſecundum ſe, id eſt, quod quid eſt, eſt ratio, quę conſtat ex prędicatis per ſe, non ex prædicatis accidentalibus, ratio autem conſtat ex prædicatis per ſe rei eſt definitio rei. Hæc oppoſitio eſt Auerrois, & omnium ſuper illũ textum; neque poteſt negari, quia in eodem textu hoc modo ſe apertè declarat. Inſuper in tex. 12. & 18. declarans quorum ſit quod quid eſt, ait, quòd non eſt entis per accidens, vt eſt veſtis alba adducit rationem, quia ens per accidens, non eſt vnum per ſe; & concludit, quod quod quid eſt, propriè eſt ſpeciei, quod verificatur de definitione, quia definitio propriè competit ſpeciei, vt ipſe alibi, & ibidem docet pluries. Inſuper in textu 13. dicit, quod illa ſolum habent quòd quid eſt, quæ habent definitionem, non autem omnis oratio ſignificans rem aliquam eſt definitio, quia & Ilias eſſet definitio belli Troiani: ſed ait, quod eſt oratio, quæ ſolum conſtat ex prædicatis per ſe; Præterea, etiam eſt argumentum validiſſimum contra aduerſarios, ait in tex. 12. quòd, quod quid eſt, ſolum eſt ſubſtã tiarum, non accidentium; Deinde in 14.

& alijs

& alijs ſequentibus declarat quomodo etiam aliqualiter dicere poſſimus, quod accidentia, & entia per accidens, habent quod quid eſt, tamen propriè quod quid eſt, eſt ſolum ſubſtantiæ; Tunc ſic. Accidētia ſunt formæ ſimplices, ſi ergo quidditas, & quod quid eſt, ſignificat formam tātum, illa potius debent dici, quod quid eſt, & quidditates, quàm ſubſtantia materialis, quæ eſt compoſita, & tamen ipſe ait, quod ſolum eſt ſubſtantia.

Minor autem principalis argumenti, non eget probatione: quia definitio eſt oratio indicans eſſentiam rei, & indicans entitatem & naturam rei, ſi autem in definitione non poneretur materia, non ſignificaret eſſentiam, & entitatem rei, eo modo quo eſt, ſed alio modo, & ſic eſſet falſa explicatio. Preterea, eſt clarum præceptum, quòd in definitione debet poni genus, & differentia, ſed differentia explicat formam, genus materiam; de differentia patet. Quod genus explicet materiam probo. Dum dico, homo eſt animal rationale, animal includit corpus, quia ſi definiemus animal dicemus. Animal eſt corpus animatum ſenſibile, modo corpus eſt materia animalis, animatum explicat formam; cum ergo in definitione hominis ponimus animal loco generis, ponimus implicitè materiam hominis, ſcilicet corpus. Vnde eſt ac ſi dicamus: homo eſt corpus animatum ſenſibile, rationale; Sed hæc ita clara ſunt in eo ſeptimo, quod quilibet ex ſeipſo illa legere poterit. Secundò principaliter in eodem 7. tex. 20. ait contra Platonem, quòd

Secū-da. quod quid eſt, non eſt ſeparatum ab eo, cuius eſt in his rebus materialibus, quia ſi eſſet ſeparatum; cognoſcendo illud quod quid eſt, non cognoſceremus has ſubſtantias materiales, ſi quidem, quod quid eſt, eſſet ſeiunctum ab illis; ex hoc arguo ſic: cognoſcendo, quod quid eſt, rei materialis rem vniuerſalem cognoſcimus: at ſi quod quid eſt, diceret ſolū formam ipſius ſubſtantiæ materialis, cognoſcendo, quod quid eſt, ſubſtantiam materialem non cognoſceremus, quia ad eius veram cognitionem requiritur vera cognitio materiæ, quæ concurrit ad eius entitatem ſubſtantialem, vt pars.

Sed hoc clarius habetur in 7. Metaphyſices textu 35. vbi concludit Ariſtoteles, quod materia eſt pars ſpeciei, ſpeciem autem dicit, quod quid eſt, & 8. Metaphyſices tex. 9. ait, definitionem eſſe orationē longam, in qua aliquid eſt hoc, vt materia, illud verò, vt forma; quibus in locis apertè hoc docet, ſed qui hæc clarius vellet noſcere, Ariſtotelem legat 7. Metaph. vbi tex. 35. hoc clarè docet, quòd ego breuitatis cauſa omitto. Ex his itaque conſpicitur, quòd ſi Scotus, & alij Theol. & Moderni omnes, per quidditatem intelligunt eſſentiam rei, quæ explicatur per definitionem rectè, & propriè loquūtur, & ſic nedum quo ad rem, ſed quo ad nomen quoque vera eſt opinio Scoti; licet autem Ariſt. ſæpè appellet formam, quòd quid eſt, hoc non fecit, quia reuera ipſa ſola ſit quod quid eſt, & quidditas, & eſſentia rei, ſed quia eſt principalis pars conſtituens hanc quidditatem, & eſſentiam, materia enim eſt ex ſe turpis, & purum vehiculum, forma verò eſt quid diuinum, perficiens materiam formaliter, virtute cuius reſultat ex ipſa, & materia, entitas tertia compoſiti, quæ propriè dicitur quidditas, vt humanitas, equinitas, &c. ſed hoc clarius dicamus.

Quòd quidditas ſignificet formam totius, & ſolutio rationum opinionum pro hac ſecunda opinione, & Mercenarij. Cap. IV.

EX his quæ in præcedenti capite diximus apparet, quòd propriè hoc nomen, quidditas, ſignificat formam totius; quod oſtenditur breuiter ſic. Forma totius, vt diximus in Theoremate de toto, an diſtinguatur realiter a ſuis partibus cap. 1. nihil aliud eſt, niſi natura, & eſſentia compoſiti, quæ reſultat ex vnione partium, ſcilicet materiæ, & formæ in generatione ſubſtantiali. Diximus enim quod ſicut ex materia, & forma fit compoſitum, quod eſt entitas alia ab entitate partium realiter, ita quoque totum habet eſſentiam, & naturam aliam ab eſſentia, & natura partium, vt exemplificauimus de humanitate, ex anima enim & corpore fit homo, qui eſt quid tertium ab anima, & corpore,

corpore, & cõſequenter habet eſſentiam propriam, & naturam aliam ab eſſentia partium, quæ dicitur humanitas, neque enim humanitas ſignificat ſolùm rationalem animã, ſed naturam reſultantem ex anima, & corpore; vndè ſicut hæc eſſentia, & natura tertia dicitur forma totius, ita quoque entitas compoſiti, cuius eſt hæc natura, & eſſentia dicitur materia totius, vt ſupra loco citato explicauimus. Ex quo apparet per formam totius, quod nos non intelligimus aliquam formam dantem eſſe toto præter formam partis, immò hoc reprobat Scotus in præcitato loco: ſed intelligimus naturam, & eſſentiam compoſiti; & licet huiuſmodi termini non ſint in vſu apud Ariſtotelem, non eſt tamen inconueniens ad declarandas difficultates rationabiliter aliquando ipſos fingere, ſiquidem nomina ſunt ad placitum, quoniam ſępe legimus Auerroẽ, & Græcos finxiſſe multos terminos, quibus non eſt vſus Ariſt. vt eſt forma informans, & forma aſſiſtens, licet Alexander dicat quędam verba, ex quibus rationabiliter deducũtur iſti termini, & multi alij, qui apud viros doctos ſunt in vſu. Hinc cum ab Ariſt. quod quid eſt, & eſſentia rei ſæpè dicatur forma, atque cum eſsentia, & natura rei compoſitæ, vt ſuprà vidimus, non ſit ſola forma partis, ſed natura reſultans ex materia, & forma, voluit Scotus hanc naturam, & eſsentiam appellare formam; & vt diſtingueretur à forma qua eſt pars compoſiti, & conſtituens talem eſſentiam, & naturam compoſiti, appellauit eam formam totius, hãc verò formam partis. Hinc modò videant docti, nunquid hæc forma totius ſit chimera quædam, vel quoddam monſtrum in Philoſophia, quod nec intelligi, nec percipi poſſit ab intellectu abſque omni ratione confectum; ſimiliter an materia totius ſit quid chimericum; ex hoc etiam apparet ſatis inconſulto illos Scotiſtas loqui (quod dixerim pace Antonij Andræę Scotiſtæ fideliſſimi, à quo in hac re 5. Met. q. 5. & clara verba Scoti in 3. Sentẽ-
Theo. 90. tiarum, vt demonſtraui in Theoremate de toto, an diſtinguatur realiter a ſuis partibus, & in Theoremate de principio indiuiduationis me diſsentire cogunt) qui dicunt materiam totius eſse principium indiuiduationis, hoc enim eſt falſum: quia materia totius eſt ipſummet compoſitum quod indiuiduatur, vt ex dictis patet, neque vnquam dixit Scotus in lib. Sentẽtiarum, vbi ex profeſso de hac re locutus eſt, materiam totius eſſe principium indiuiduationis, vt declaraui in Theoremate ipſomet de principio indiuiduationis; declarata in hunc modum forma totius, facile patet principale intentum, ſcilicet, quod forma totius, eſt quidditas rei, & quod quid eſt, ſiquidem quod quid eſt, idem eſt quod definitio, & quod per definitionem explicatur; iam verò definitio explicat eſſentiam, & naturam ſpeciei compoſiti, quia definitio ex Ariſt. in 7. Metaph. loco citato; & ex aduerſarijs millies eſt ſolius ſpeciei propria, & natura, & eſſentia ſpeciei ſubſtantiæ materialis, non eſt ſola forma, vt oſtendimus 2. cap. in hoc Theoremate; ſed requiritur materia quoque, ex quibus poſtea in generatione fit compoſitũ, quòd eſt ens reale tertium, habens propriam eſſentiam, & naturam, quæ eſt ea, quę per definitionem explicatur; Per hoc patet, quòd rationes Mercenarij, quas facit aduerſus hanc formam totius, & materiam totius, nullius ſunt momenti; licet nec Sarnanus aduerſarius eius, rectè mentem Scoti perceperit, vt ex dictis patet. Concedimus enim nos, quòd Ariſt. appellat formam partis, quod quid eſt, & ipſam definit, dicẽs, quod eſt, quod quid eſt, ſed nõ propter hoc vult dicere, quod ipſa ſecũdũ ſe ſit quòd quid eſt, ſed quod eſt, conſtitutiua, & formatiua quod quid eſt, & eſsentiæ rei compoſitę, ita quòd ipſa eſt principalis: ſed hoc non poteſt efficere ſine materia, quæ ipſam aſſociatur, vt pars, vt docet ipſemet Ariſtoteles in 1. Phyſ. & 7. Metaph. & vbique. Quòd confirmatur: quia in 7. Metaph. tex. 10. & inde, declarans Ariſtot. ex profeſsò quòd quid eſt, per quòd quid eſt, non accipit amplius ſolùm formam, ſed eſsentiam compoſiti materialis, vt nunc in præcedenti capite declarauimus. Sed contra; In definitionibus non ſumitur denominatio à præſtantiori, ſed definitur res, vt eſt ſimpliciter, ideò cum Ariſtoteles definiat Obiectio.

finiat

finiat formam eſſe quod quid eſt, dicendum eſt, formam eſſe quòd quid eſt ſimpliciter. Reſpondetur, quòd cum Ariſt. reperitur varius in dictis de aliqua re, debet exponi iuxta ſua principia, & ſuam doctrinam, & conciliari: ideò cum alibi, vt oſtendimus in 7. Metaph. dicat, quod, quod quid eſt, eſt eſſentia rei, quæ explicatur per definitionem, & alibi, vt in citatis locis, dicat formã eſse, quòd quid eſt, conciliandus eſt, quod forma eſt, quod quid eſt effectiuè, non totaliter, eſsentia verò totaliter. Ad argumentum autem dico, quod definitio non eſt recta, cum in ea eſt æquiuocatio, vel non explicatur rei eſſentia: at in propoſita definitione oſtẽdendo, quod forma eſt, quod quid eſt rei, non eſt ęquiuocatio, & explicatur eſſentia formę, quia forma eſt perfectio, & eſsẽtia rei, at non totaliter, ſed principaliter; ideò & rectè etiã Ariſt. in definitione motus, ait, quòd motus eſt actus entis, nec tamẽ motus eſt propriè actus, ſed actus imperfectus, tamen non dicimus, quòd definitio illa ſit malè aſſignata, ſed exponimus, & declaramus: Ita in propoſito. Neque alia ratio nobis obeſt, quæ dicit, quod tota quidditas rei eſt illud qđ rem ipſam cõſtituit: quia hæc propoſitio eſt falſa: licet enim forma ſit quod quid eſt rei principaliter, nõ tamẽ eſt tota quidditas rei. Rationes verò quas facit cõtra materiã totius, nihil obſunt: quia laborãt in æquiuoco, etiam appellat ipſe materiã totius differentiam indiuidualem, vti alij multi Scotiſtæ: ſed hoc eſſe falſum oſtenſum eſt; & quomodo loci Ariſtotelis intelligendi ſint, expoſuimus in Theoremate de principio indiuiduationis. Ad auctoritates pro hac ſecunda opinione c. 3. adductas, poſsemus vltrò concedere (quia etiam ſecundum ipſos concludunt formam appellari quidditatem) quod nos quoque admittimus: non tamen propter hoc ſequitur, quod ſolùm forma appelletur quod quid eſt, & quidditas rei ab Ariſt. ſed multis alijs in locis appellat eſſentiam rei, & ſubſtantiam cõpoſiti quod quid eſt, & nos dicimus hanc ſecundam appellationem eſſe magis propriã, vt oſtẽdimus; tamen ordinatim reſpondeo ad omnes. Ad primam dico, quod in illo 9.

Solut.

Ad 1.

Ad 3.

textu tertij de Anima, loquitur de ſingulari, & vniuerſali: & ſic per eſſe carnis, non intelligit formam ſolam, ſed eſsentiam carnis, per carnem ſingulare ipſius eſſentię carnis, vt exponemus infrà in proprio Theoremate de hoc. Ad illud de ſeptimo Metaphyſ. concedo quidem quod diuiſit ſubſtantiam in materiam, formã, & compoſitum, & textu 9. dicit dimittendum eſſe compoſitum, & agẽdum de forma, & quod poſtea textu 10. ait, agendũ eſse de quod quid eſt; ſed eſt bene textus conſiderandus, quia interponit quædam verba, in quibus manifeſtat ſe omninò non habere pro eodem formam, & quod quid eſt; Nam poſtquam dixit agendum eſſe de forma, ſubiungit hæc verba. Confitentur autem ſubſtantias eſſe ſenſibiliũ quidem, quare in his quærendum prius; quoniam autem in principio diuiſimus quot modis determinauimus ſubſtantiã, & quorum vnum eſſe quod quid, erat eſſe, ſpeculandum eſt de ipſo; hæc Ariſtot. Modò, ſi Ariſtot. pro eodem haberet omnino formam, & quod quid eſt, debebat ſtatim cum dixit agendum eſſe de forma, incipere tractationem de quod quid eſt, tamen hoc non fecit, immò adduxit aliã diuiſionem ſuprà allatam textu 7. quod ſubſtantia quattuor modis dicitur; Vno modo, & maximè, quòd quid erat eſſe. Secundo modo Vniuerſale. Tertio modo Genus. Quartò modo ſubiectum; & dicit ſe velle agere de ſubſtantia, quæ eſt, quod quid eſt; ſignum eſt ergo, quod non eſt idem omnino forma, & quod quid eſt & Quid: Confirmatur: quia incipiens tractationem de quod quid eſt, in textu 11. & ſequentibus, aſſignat quæ ſint prædicata, quod quid eſt, & quorum ſit, quod quid eſt, ex quibus locis vt diximus, clarẽ concipitur, quod loquitur de quod quid eſt, quod explicatur per definitionẽ quæ eſt eſſentia, & natura rei compoſitæ, non autem formæ tantum; & reuera hic eſt ſcopus Ariſt. ibi, diſputat enim contra Platonẽ: vterque autem dicebat, quod quid eſt, id eſt eſſentiam rei eſſe maximã ſubſtantiam. Præterea, Ariſtot. prius Logicè, deinde Metaphyſicè agit de ipſo quod quid eſt, & oſtendit, quod ex prædicatis per ſe, fit, & quod competit ſolum ſpeciei

ſubſtan-

ſubſtantiæ proprie; Deinde vlterius, tex. 21. & 22. oſtendit, quod non eſt ſeparatum à ſubſtanria corruptibili, quia tunc illa non eſſet, quia habet eſſe per quòd quid eſt; quod ſi illud eſſet ſeparatum ab ea, iam illa non eſſet, neque ſimiliter eſset intelligibilis, quia eſt intelligibilis per quòd quid eſt, & per eſsentiam, quòd ſi illud eſt ſeparatum ab ea, ſequitur quòd non poſſit cognoſci: & concludit ſic contra Platonem, quòd illæ Ideç ſeparatæ nõ poſſunt eſſe conſtitutiuæ eſsentiæ ſubſtantiæ materialis, & quòd ſunt ſuperfluæ, ſed quòd eſſentia talium ſubſtantiarum materialium conſtituitur à forma, quæ eſt idem realiter cum illis.

Ad auctoritatem de 8. Metaph. Reſp. quòd poſſet exponi de forma totius, poteſt etiam exponi de forma partis, eo modo quo ſuprà dictum eſt.

Ad auctoritatem de 2. Phyſ. textu 28. quæ eadem adducitur 5. Metaph. cap. de cauſa, concedo quòd partes definitionis ſunt formæ, & ita materia quoque prout eſt pars definitionis, eſt forma, quia eſt pats ſpeciei, ſpecies autem quandoque dicitur forma ab Ariſt. nec obſtat ſi quis dicat, ergo materia erit pars formæ: quia hoc non ſequitur, ait enim Ariſt. 7. Metaph. tex. 2. quòd forma eſt ſpecies, & exemplar, & quod quid eſt rei: & quòd partes rationis ſunt ſimiliter ſpecies, & exemplar: dixi autem, quòd forma dicitur, quod quid eſt, quia forma eſt conſtitutiua quidditatis, & quod quid eſt, & eſsentiæ rei, quæ eſsentia verè eſt ſpecies, non quod ipſa forma ſit tota quidditas; materia ergo cum ſit pars eſsentiæ, & ſpeciei rei materialis, quæ eſt forma totius, dicitur pars quod quid eſt, & forma, nec tamen eſt pars formæ partis, quæ opponitur materiæ.

Ad exemplum illud 6. Metaph. illa ratio facit pro nobis: quia res ſenſibiles non poſsunt intelligi ſine materia; exemplum autem non debet eſse omnino ſimile, ſed ſufficit quòd ſit ſimile, quo ad propoſitũ declarandum: propoſitum autem Ariſt. ibi eſt, quod forma rei materialis, non poteſt intelligi ſine materia, vt ſimitas ſine naſo, & quo ad hoc ſolum valet, vt patet intuenti textum, & quo ad hoc, facit pro nobis: Ad primam rationem reſponſum eſt ſupra, cap. 2.

Ad primam rõnẽ. Ad ſecundam rationem dico, quòd originatiua quidditatum differentia prouenit à forma partis, non tamen ſequitur propter hoc, quòd ipſa ſit tota quidditas.

Ad ſecundam. Ad tertiam Reſpondetur, quod etiam materia, vt eſt pars eſsentiæ, habet rationem diſtinguendi, & ideò diſtinguit ſubſtantiam materialem ab æterna, & hæc diſtinctio ſufficit, & ſic poteſt dici actus vt eſt pars quidditatis.

Ad tertiam.

THEOREMA XXIX.

In abſtractis à materia idem eſt quod quid eſt, cum illo cuius eſt; in conceptis verò cum materia, quod quid eſt, eſt idem cum illo cuius eſt, ſed non per ſe primo.

Declaratio, & dilucidatio huius propoſitionis. Cap. Vnicum.

Extat auctoritas Ariſt. 7. Metaph. textu 20. 21. & 41. & alibi ſæpè, in quibus locis dicit, quod in his quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod quid eſt, cum illo, cuius eſt; in conceptis verò cum materia, non eſt idem quod quid eſt, cum eo, cuius eſt. Scotus autem eam declarat pluribus in locis, ſed præcipuè 2. Sent. diſt. 3. q. 6. Reſpondendo ad 5. q. in ſolutione 4. argumenti, & 3. Sent. diſt. 22. q. 1. deducendo ad oppoſitum tertiam rationem aduerſariorum. Exponit ergo Scotus hãc propoſitionem hoc modo; Quod quid eſt, & quidditas, poteſt comparari ad duo, ſcilicet ad naturam, & indiuiduum; nam & natura ſpecifica dicitur habere quidditatem, & eſſentiam, ſimiliter indiuiduum talis naturæ ſpecificæ, dicitur habere quidditatem, & eſſentiam: ſi quidditas itaque comparetur ad naturam ſpecificam, quod quid eſt, & quidditas eſt idem cum illa natura per ſe primò, & hoc tam in natura abſtracta, quàm in natura coniuncta materiæ; ratio huius eſt: quia huic competit primò, & per ſe talis quidditas, & eſſentia, quæ per definitionem explicatur; ſi verò comparetur indiuiduo,

uiduo, vel ſuppoſito, tunc quidditas, & quod quid eſt, non eſt idem illi primo; ſed per ſe ſecundo, quia ſuppoſito competit quidem quod quid eſt, & eſsentia, ſed nō primo, ſed primo ſuæ naturæ ſpecificæ, deinde ſibi, immò ſibi ineſt, quia includitur in natura ſpecifica illa cõmuni; quoniam autem ſubſtantiæ abſtractæ nō differunt numero, ſed vnicum indiuiduum vnicam ſpeciem conſtituit in illis abſolutè, dicit Ariſtoteles, quod idē eſt quod quid eſt, & illud cuius eſt. In coniunctis verò cum materia, quia indiuiduum differt à ſpecie per illam vltimam realitatem formæ, vt diximus in materia de indiuiduatione, ait, quod quod quid eſt, nō eſt idem cum illo cuius eſt, intelligendo per id, cuius eſt, non naturam ſpecificā, ſed ſuppoſitum, cui non primo, ſed ſecundo, competit talis eſſentia, & quod quid eſt; adeò, quod vult dicere, quod in ſuppoſitis naturæ materiatæ, non eſt idem quod quid eſt & ipſum indiuiduum: nō quia reuera nō ſint idem per ſe, ſed quia non eſt idem primò, ſed ſecundo: quia eſt idem primo cum natura ſpecifica, deinde ſecundo cum indiuiduo. Hoc eodem modo eſt exponenda Auctoritas illa de tertio de Anima tex. 9. vbi dicitur, quod aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe, ſed non in omnibus, ſed in quibuſdam idem eſt caro, & carnis eſſe. Nam Ariſtoteles per magnitudinis eſſe, intelligit naturam, & eſſentiam rei materialis, per magnitudinem verò, ſingulare, & indiuiduum illius naturæ; in aliquibus igitur ait eſſe idem natura, & quidditas, & indiuiduum illius naturæ, ſcilicet in abſtractis: in alijs verò ſcilicet in non ſeparatis à materia, aliud eſt eſſentia, & natura ſpecifica ab indiuiduo, quia indiuiduū diſtinguitur à natura per differentiam indiuidualem.

Non vult autem dicere, quòd in coniunctis cum materia, non ſit idem, quod quid eſt, & eſſentia cum indiuiduo naturæ per ſe, ſed vult dicere, quod licet ſit idem per ſe, non tamen eſt idem per ſe primo, ſed per ſe ſecundo, vt diximus.

Ratio autem huius expoſitionis eſſe poteſt: quia iam Ariſt. 7. Metaph. tex. 20. & alibi, diſputans contra Platonem, probauit, quòd, quod quid eſt, id eſt eſſentia, & natura rei materialis, eſt idem cum indiuiduo rei materialis, neque eſt ſeparata ab illo, vti volebat Plato: dicebat enim Plato, quod quidditas, & eſſentia harum rerum naturalium, erant illæ Ideæ ſeparatæ, æternæ.

Hoc autem confutat Ariſtoteles, tum quia ſi illæ Ideæ ſint eſſentia, & quidditas harum rerum ſenſibilium, iſtæ res ſenſibiles non erunt entitates, quia omne ens eſt ens per ſuam eſſentiam, ergo ſi illæ Ideæ ſunt ſeparatæ ab his ſenſibilibus, quo modo poſſunt eſſe eſsentia harum rerum ſenſibilium? Similiter de his rebus non eſſet ſcientia: quia ſcientia eſt cognitio eſſentiæ rei, ſi autem eſſentia iſtarum rerū ſenſibilium eſſet ſeparata ab his rebus, qui cognoſceret eſſentias illas, non cognoſceret res illas materiales, cum hæ ab iſtis ſeiunctæ, & omninò ſeparatæ eſſent. Propter has rationes concludit Ariſtoteles, quod, quod quid eſt, & eſſentia, eſt idem cum illo, cuius eſt, etiam in his materialibus; ideò cū dicit, in his diſtingui quod quid eſt, ab illo cuius eſt, intelligi debet, quòd non eſt idem per ſe primo, ſed per ſe ſecundo, vt dictum eſt. Ex his, & ex dictis in ſuperioribus, apparet, quòd ea, quæ dicit Zimara Theoremate 39. contra expoſitionem allatam à Scoto de hac propoſitione, nullius ſunt valoris.

THEOREMA XXX.

In materia non ſunt dimenſiones interminatæ.

Poſitio Auerrois. *Cap. I.*

DE mente Auerrois in præſenti materia eſt contentio inter Auerroiſtas. Quidam, vt Achillinus, lib. 1. de Elementis, dubio 17. & Zabarella in 2. lib. de Materia, cap. 8. dicunt exiſtimaſse Auerroem in tex. 63. 1. Phyſ. & in 3. cap. de Subſtantia Orbis, & alibi, quòd materia prima ante receptionem formæ, ſit quanta, & habeat tres dimenſiones, ſcilicet, lōgitudinem, latitudinem, & profunditatem, quæ tamen dimenſiones ſunt interminatæ, ſiue ſine determinatis terminis, & limi- *Achillinus* *Zabarella.*

& limitibus: ſed adueniente poſtea forma, ipſa præfigit limites quantitati materiæ, & ſic dimenſiones prius interminatas terminat.

Econuerſo Scotus, D. Thomas, & alij Latini, ſuſtinent, quod materia prima ante aduentum formæ, non ſit quanta, ac nullas habeat dimenſiones, vel interminatas, vel terminatas: ſed quod quantitas inſequatur ſubſtantiam completam, & perfectam, quæ eſt ſubſtantia compoſita, ſicuti faciunt alia accidentia. Pro Auerroe ſunt multæ rationes, ſed iſtæ præcipuę. Arguit Zabarella in libris de Philoſophia naturali, lib. 2. de Materia prima, cap. 8. Primò; Si quantitas non eſt generabilis, ergo æterna, at ſola materia eſt æterna, ergo quantitas ſolùm eſt in prima materia; Antecedens quod quantitas ſit ingenerabilis, probatur: quia non habet generans, non enim poteſt generari à forma, neque a Quantitate, neque à Qualitate, ergo: non à forma, quia forma non eſt quanta, & quod non eſt quantum, non poteſt producere quantum; forma autem de ſe eſt indiuiſibilis vt forma, alioquin anima intellectiua, qua forma eſſet diuiſibilis; non a Quãtitate, quia quãtitas non agit, non à Qualitate, quia eſt poſterior ea. Secundò, ſi materia prima per ſe non eſſet quanta, quòd conſtat ex materia, & forma, non eſset quantum, conſequens falſum apparet; conſequentia probatur per duo fundamenta: primum habetur 5. Metaphyſ. textu 18. vbi Philoſophus ait, diuiſibilitatem eſse propriam quantitatis, & aliarum rerum per ipſam; Secundum Philoſophus 6. Phyſicorum, tex. 2. ait, quantum neque diuiduum fieri ex pluribus indiuiduis, & non quantis, tunc ſic: materia nõ eſt diuidua, neque forma, ergo neque quod conſtat ex materia, & forma, quia nemo dat, quod non habet; neque valet ſi quis dicat, quantitatem ſequi ad ſubſtantiam compoſitam, quoniam aduerſaretur hæc reſponſio Philoſopho, tunc enim ſequeretur, quod ex non quanto fieret quantum. Tertiò, ſi quantitas interiret haberet contrarium, quia omne quod interit interimitur à ſuo contrario, & quantitati nihil eſt contrarium ex Ariſtotele in prædicamentis, ergo. Quartò ex ipſo ſenſu: quia videmus, quod quando ex aqua generatur aer, quantitas aquę non perit, ſed creſcit, & fit maior moles, ad terminos enim ampliores ſe extendit. Quintò, materia non poteſt retinere exiſtentiam ſine quantitate, ſed ſic eſt, quod materia eſt per ſe exiſtens, non autem per formã, & maximè per Scotum, ergo eſt per ſe quanta, & habet has dimenſiones interminatas. Sextò, forma non dat materiæ eſſe ſubiectum, ſed ſuppon it illam eſse ſubiectum, ergo ſopponit etiam materiã habere id per quod eſt ſubiectum, ſed eſt ſubiectum per quantitatem, non enim habet materia partes diſtinctas citra quãtitatem, & ſic non poteſt eſſe ſubiectum diuerſarum formarum citra quantitatem, ergo in materia datur quantitas pręcedens formam. Septimò ſi quãtitas inſit compoſito tamquam in ſubiecto, non autem materiæ, ſequitur hoc abſurdum, quod forma ſubſtantialis ſit ſubiectum quantitatis, & ſic anima rationalis, quæ eſt diuiſibilis, erit ſubiectum quantitatis, eſt autem impoſſibile, quòd aliquid ſit ſubiectum quantitatis, & non ſit quantum. Adſunt multæ aliæ rationes, ſed hæ ſunt potiſſimæ.

Zab. pro Auerroe Primò. *Secũdò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò.* *Septimò.*

Exponitur opinio Scoti cum ſuis fundamẽtis, & allata reijcitur. Cap. II.

SCotus 2. Sent. d. 3. q. 4. in impugnatione opinionis Gotofredi, & Aegidij, via 2. 3. & 4. & in ſolutione rationum pro opinione, quæ ſuſtinebat Quantitatem eſſe principium indiuiduationis, apertè negat in materia prima hanc quãtitatem interminatam, & quod hæc ſit mens eius, cõſpicitur: quia probat, quod Quantitas, quæ eſt accidens, eſt poſterior ſubſtantia, & nedum ſubſtantia, quæ eſt materia, vel forma, ſed ſubſtantia, quæ eſt compoſitum ex toto Prædicamento ſubſtantiæ, & loquitur nedum de quantitate terminata, ſed etiã de interminata, vt patet ex tertia via, & ex ſolutione ad confirmationem pro ſecunda ratione Gotofredi, in calce enim apertè reijcit rationes Auerrois, & quo ad hoc, ait, ſe eſſe cum Aegidio, quod, ſcilicet nullum accidens

dens ante formam, vel poſt corruptionẽ formæ poſſit remanere in materia, quòd eſt contra Auerroem, qui dicebat, quantitatem eandem numero ſcilicet interminatam remanere in genito, & corrupto, & licet Mauritius in margine dicat, Scotum illud dicere non aſſerendo, tamen nõ eſt verum, vt conſpicitur ex alijs locis. Errat etiam Antonius Andreas 4. Metaph. q. vltima, diſt. 3. vbi videtur aſſerere, quod quantitas eſt medium præſuppoſitionis inter materiam, & formam, hoc enim expreſsè confutat Scotus loco citato ad M. dicens, quod forma immediate, perficit materiam abſque quantitate, vbi confutat illam propoſitionem, quod agẽs particulare non attingit ad ſubiectũ materiæ, ſed attingit illam præcisè in quãtũ eſt quãta, alibi etiã ex Scoto habem⁹ idẽ, nã 2. Sent. d. 12. q. 2. ad D. & 4. d. 11. q. 2. ſoluẽdo ſecũdũ principale, apertè aſſerit, quod materia per ſe, vt habet actũ entitatiuũ, ſi daretur per potẽtia Diuinam ſine forma, nõ eſſet in loco circũſcritpiuè, ſed definitiuè, quemadmodũ Angelus: Angelus autẽ nõ eſt quãtus, & ideò eſt in loco definitiuè, ergo mens Scoti fuit, quod materia prima per ſe conſiderata, ante aduentũ formæ nõ ſit quãta, ſed indiuiſibilis, quãtitas verò ad eã ſequatur, ſicuti reliqua accidẽtia ſequũtur ad ſubſtantiã perfectam. Pro hac opinione arguitur ex

1. rõ. Scoto vbi ſupra, Primò ſic; Subſtãtia prę cedit accidens, ex Ariſt. 7. Metaph. tex. 4. vbi ait, quod ſubſtãtia eſt prior accidẽte natura, tempore, & cognitione, ergo quãtitas nõ poteſt præcedere formã ſubſtantialem, & ſic quãtitas interminata nõ poteſt eſſe in materia prima ante aduentũ

Reſpõ ſio. formæ ſubſtãtialis. Ad hoc argumẽtũ reſpondet Zabarella loco ſupra citato c. 9. & exponit auctoritatẽ illã Ariſt. & inquit cum Zimara Theor. 9. quando Ariſt. ait, quod ſubſtantia eſt prior accidentibus tẽpore, natura, & cognitione, pro ſubſtãtia debemus intelligere ſubſtãtiã in communi præcedere propriũ accidens, quælibet enim ſubſtantia communiter præcedit omne accidẽs proprium: cum verò dicit, tempore, natura, & cognitione non eſt legendus textus coniunctiuè, ita quo intelligamus, quòd quælibet ſubſtantia debet pręcedere ſuum accidẽs his omnibus modis, & ita eſt: quoniam ſubſtantia non prę cedit accidens proprium tempore, vt homo riſibile: ſed eſt intelligendus ſic: quod Ariſt. dicit ſubſtantiam præcedere accidens, modi autem quibus præcedit, ſunt iſti: ſcilicet tempore, natura, & cognitione, ſed nõ omnibus ſimul, ſed modo vno, modo alio, vt in accidente proprio, ſubſtã tia præcedit ſolum natura, & cognitione, non tempore, in alijs verò accidentibus tempore, & natura; & ita ad argumentũ, ſubſtãtia pręcedit accidens, intelligitur, ꝙ quælibet ſubſtãtia præcedit ſuũ propriũ accidẽs, & ita ſubſtãtia cõpoſita præcedit dimẽſiones terminatas, quia quãtitas terminata eſt propriũ accidens ſubſtãtiæ cõpoſitę, materia verò interminatas, quia interminata eſt accidens proprium materiæ in ſe, ſic enim quælibet ſubſtantia dẽt præcedere propriũ accidens, & non accidentia aliarũ ſubſtãtiarũ: nã ſubſtãtia hominis præcedere accidentia hominis debet, nõ accidẽtia cæli; nõ eſt ergo inconueniẽs, quod aliquod accidẽs præcedat ſubſtãtiam cõpoſitam: quia Ariſt. nõ dicit, ꝙ omnis ſubſtantia debeat pręcedere quodlibet accidens, etiã alterius ſubſtantiæ, ſed ſolùm, q̃d quęlibet ſubſtãtia pręcedit proprium accidẽs, & hoc modo ſoluitur hæc ratio Scoti, immo ſubdũt aduerſarij, quod ibi Ariſt. loquitur ſolum de ſubſtantia cõpoſita, cuius accidentia exiſtũt, & ideò nõ licet arguere de materia, cuius accidẽtia, vt eſt quantitas interminata nõ exiſtunt.

Sed hæc ſolutio nulla eſt; & optimè cõfutatur, per ea quæ dicit Scotus loco citato: clarum eſt enim inſpicienti diligenter tex. Ariſt. quod ibi loquitur de ſubſtantia ſecundum quod eſt vnum eorum, quæ diuidunt ens, ita quod vult, quod ſubſtãtia ſecundum ſuã totã coordinationẽ, ſit prior accidẽtibus & quod ideo debemus prius habere cognitionẽ de ſubſtantia, à qua pẽdet cognitio accidentium, quæ illi inhærent, & inexiſtunt, ergo ex intẽtione Ariſt. in hac coordinatione nõ debet miſceri accidens, ita quod ſit aliqua ſubſtantia prior accidẽte, & aliquod accidẽs pri⁹ ſubſtãtia, quia tunc non præcederet tota ſubſtãtia omnia accidẽtia, ſed illæ coordinationes eſſẽt permixtę. Hęc expoſitio cõ- *Reijcitur.*

firmatur ex continuatione primi textus cum ſequētibus, diuidit enim primo ens, dicens, quod multis modis dicitur, nam quandoque ſignificat quod eſt, quandoque quale, & quantum, & ſubdit, quod ſubſtantia eſt prior omnibus his modis, & probat, quod ſubſtantia ſit prior primitate prædicationis & primitate cauſalitatis accidentibus; hoc autem verificatur de tota coordinatione ſubſtantiæ; & in te. 5. determinat, quod vult prius agere de ſubſtantia quia ex eius cognitione venimus in cognitionem accidentium, ergo de tota coordinatione ſubſtantiæ intelligit. Præterea, ſubſtantia præcedit accidens, ergo prima ſubſtantia debet præcedere primum accidens: ſed prima ſubſtantia eſt ſubſtantia compoſita, ergo ſubſtantia compoſita debet præcedere quodcumque accidens, ita quod ante primam ſubſtantiam, nullum omninò poteſt eſse accidens. Quod ſi quis dicat ſubſtantia compoſita eſt prima ſubſtantia completa, ſed materia eſt prima ſubſtantia incompleta. Contra hæc; ſubſtantia incompleta per ſe manens diſtincta à forma, non datur in rerum natura, ergo nec ſeiuncta a ſubſtantia completa, ergo non poteſt ex ſe ſola materia præcedere accidens, non ergo dari poſſunt hæ dimenſiones interminatæ præcedentes formam in materia; Quòd vero dicit, quod ſubſtantia non præcedit omne accidens tempore, in proprio quæſito diſcutiam.

Præterea, ſequeretur, quod forma ſubſtantialis penderet ab accidentibus quia prior ineſset materiæ quantitas, quàm forma ſubſtantialis; nec forma ſubſtantialis poſset dare eſse ſine quantitate, ergo non accidens a ſubſtantia, ſed ſubſtantia ab accidente pēderet, & tamen Ariſt. 7. tex. ait, quod forma eſt prior materia, & cōpoſito, quod nō poteſt intelligi niſi de perfectionis prioritate, quia ipſa dat perfectionē materiæ, ergo nō pēdet a quātitate. Item ſubſtanria prima, quæ eſt pręcipua ſubſtantia, non haberet ſuum eſſe pręciſè a ſubſtantia, ſed penderet in eſsēdo ab accidentib. quia ab illa quantitate īterminata, ergo. Quod ſi quis diceret, eſt prior in eſſendo non indiuiſibilitate; Hæc reſponſio tollit dimēſiones interminatas præcedere formam in materia, & hoc eſt quod volo.

2. Secundum argumentum principale ſic poteſt formari; Materia ex ſe ſola, non exiſtit exiſtentia ſingulari, at nihil poteſt eſſe ſubiectum accidentis, niſi exiſtat exiſtentia ſingulari, ergo materia ex ſe ſola, non poteſt eſse ſubiectum accidentis, & ita non dimenſionis interminatæ, quia eſt accidens. Pro intelligentia iſtius rationis notandum eſt, quod exiſtentia eſt duplex, alia eſt exiſtentia ſimplex, & alia eſt exiſtentia ſingularis. Exiſtentia ſimplex eſt, habere eſse extra ſuas cauſas, ita quòd ſit in rerum natura, & hoc pacto materia prima habet exiſtentiam ex ſe ſola, quia eſt pars compoſiti, forma quoque habet exiſtentiam hoc modo, quia & ipſa eſt pars compoſiti. Verùm hæc exiſtentia non eſt ſufficiens ad hoc vt ſit ſubiectum accidentium: quia ſic eſt ens incōpletum, non poteſt autem ens eſſe ſubiectum alterius entis diuiſi genere, & in ſuo genere completi, antequam in ſeipſo ſit completū, & perfectū, alioquin etiam forma ſine materia poſſet operari: quia eſt ens per ſe exiſtens, diſtinctum à materia, licet actu numquam reperiatur ſine materia, ſicut nec materia reperitur ſine forma. Alio modo conſideratur, vt eſt ſingularis exiſtentia, & hoc modo quod exiſtit eſt capax accidētiū, modo materia prima ex ſe ſola, & ſine forma non exiſtit hac exiſtentia particulari, quæ eſt ſubſiſtentia, vt patet, ergo non poteſt recipere in ſe accidentia, & ita nec quantitatem. Zabarella dicit, quòd hoc eſt verum de accidentibus terminatis, non interminatis, nam ens poteſtate, poteſt eſſe ſubiectū accidētis interminati; Contra quæro, quomodo poteſt aliquid ſubijci accidēti, & ſuſtētare accidens, ſi illud ſuſtentans non ſubſiſtat actu, profectò hoc eſt impoſſibile, ergo ſi materia prima nō ſubſiſtit actu, ꝓfectò nō poteſt eſſe ſubiectū: at materia per ſe ſola, actu non ſubſiſtit ſine forma in rerū natura, licet enim habeat actū entitatiuū p ſe, nō tamē ſequitur, quòd reperiatur in natura ſine forma, nō eſt autē ſubiectum accidentis, vt habet actum entitatiuū, quia cū hoc actu ſolo nō reperitur, licet per Dei potētiam abſolutam poſset

Reſpō ſio Zabarel.

Reijcitur.

repe-

reperiri, ſed eſt ſubiectum accidentiũ eo modo, quo ipſa reperitur in rerum natura: hoc modo autem reperitur ſolum ſub actu formali, & in ſubſtantia completa, quod eſt compoſitum, ergo materia per ſe, non poteſt eſſe ſubiectum accidentis, & multo magis valet contra Zabarellã: quia tenet, quod materia in ſe eſt pura potentia, non habens exiſtentiam, ergo non poteſt eſſe ſubiectum accidentis. Si quis enim diceret, quod roſa, quæ eſt in ſpinis, in virtute eſt ſubiectum albedinis, diceret expreſſum mendacium; ſi ergo materia ſolum habet eſſe in ſuis cauſis, & non extra, quia non exiſtit, non poteſt eſſe ſubiectum quantitatis interminatæ.

Solutio rationum aduerſariorum. Cap. II.

Ad 2. AD argumenta Zabatellæ, ad ſecundum, quod habet aliquam difficultatem, dico, quòd diuiduum non poſſe fieri ex indiuiduis, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo ex additione, ita quod addendo indiuidua ſimul, non poteſt fieri aliquod diuiduum, & hoc intendit Ariſt. ibi: quia oſtendit, quod linea, quæ eſt diuidua, non poteſt conſtare ex punctis, quæ ſunt indiuidua. Alio modo diuiduũ poteſt fieri ex indiuiduis originatiuè, & conſecutiuè, & hoc modo diuiduum poteſt fieri ex indiuiduis, & ſic quantitas inſequitur ſubſtantiam compoſitam, ſicuti etiam alia accidentia; vel dicas, quòd materia virtualiter eſt quanta, non actu, ſicuti, neque materia eſt qualis actu, nec relatiua, ſed virtualiter ſolùm, vndè cum eſt completa per formam, ſtatim conſurgunt accidentia, ſcilicet quantitas, qualitas, & alia quæ propterea dicuntur procedere à ſubſtantia vt à cauſa pullulatiua. Cũ dicebatur nemo dat quod nõ habet, dico quod habet virtualiter, non formaliter. Hæc diſtinctio ſoluit multas obiectionnes, Vel dicas ſic, quod ſicuti agẽs poteſt generare ſubſtantiã, de nõ ſubſtãtia, ita poteſt generare quãtũ, de nõ quãto, quia poteſt generare ſubſtãtiã ad quã cõſequitur quantitas, quæ eſt paſſio quãtitatis compoſitæ. Porrò verũ eſt ꝙ de eo quòd nullo pacto eſt quãtũ, agẽs naturale nõ poteſt generare quãtũ, ſicuti nec de eo quod nihil penitus eſt, non poteſt generare ſubſtantiam, ſed ſolum Deus, ſed de eo quod eſt res aliquo modo quanta, & fuit corruptum, poteſt generare aliud quantum, quia generat aliud ens, quod eſt quantum alia quantitate, & hæc ſumitur ex Scoto, vbi ſuprà.

Ad primũ, & tertium dico, quod quãtitas per ſe, non interit, ſed ad interitum ſubiecti, ſicuti nec color, nec alia accidentia in genere corrumpuntur, ſed numero; quod autem corrumpit ſubiectum, corrumpit quoque quantitatem conſequenter. Ad primũ & tertium.

Ad quartum, & ad ſimilia dico, quod quando non remanet ſubſtantia, neque eadem accidentia remanent, ſed generãs, quod producit nouam ſubſtantiam, producit quoque noua accidentia conſequẽtia iſtam ſubſtantiam. Ad 4.

Ad quintum, negatur quod materia non poſſit exiſtere ſine quantitate: quia exiſtentia, eſt paſſio entis realis, vt diximus in Theoremate de actu entitatiuo materiæ, materia autem per ſe, ſine forma, & quouis accidente, eſt ens reale, & ſubſtantia, ideò per ſe habet exiſtentiam, licet non habeat quantitatem. Ad 5.

Ad ſextũ, negatur quod materia ſit ſubiectum per quãtitatem; Ad probationẽ dico, quòd materia habet partes ſubſtãtiales citra quantitatem, & ſic poteſt eſſe ſubiectum diuerſarum formarum ſubſtantialium ſine quantitate. Ad 6.

Ad ſeptimum, negatur conſequentia; ad probationem dico, quod forma non eſt ſubiectum quantitatis, ſed compoſitum, quod reſultat ex materia, & forma, & illa tertia entitas eſt ſubiectum quantitatis, ſicut & aliorum accidẽtium; quod autem forma ſit ſubiectum quantitatis, hoc modo, non eſt inconueniens. Ad 7.

Opinio Buccaferrei reijcitur. Cap. IV.

LVdouicus Buccaferreus vir doctiſſimus in primo de generatione, textu 24. in dubitationibus exponit alio modo mentem Auerrois circa has dimenſiones, & ait, quod Auerroes non voluit intelligere, quod hæc trina dimenſio quantitatis præcedat formam ſubſtantialem in com-

in compoſito, quia actus ſubſtantialis prę cedit accidentalem, & vltra hoc materia non exiſtit ſine forma, & ſic nõ poteſt eſſe ſubiectum accidentis ſine forma, ſed intellexit, quod quantitas, quæ eſt in rebus naturalibus, eſt æterna, ac poteſt dici terminata, & interminata, & terminata vt eſt ſub forma, vt exempli gratia, quantitas, quæ eſt in corpore Socratis dicitur terminata reſpectu formæ Socratis, ſed reſpectu aliarum formarum quæ poſſunt aduenire illi materiæ, eſt interminata, quia illæ formę poſſunt exigere maiorẽ, vel minorem extenſionem, & quantitatẽ, & ideo reſpectu illarum dicitur interminata, adeò quod eadẽ ſecũdũ rem eſt quãtitas terminata, & interminata differt ſolũ quo ad terminationẽ, & interminationem, hæc autem quãtitas nõ inhæret materiæ ante formã ſubſtantialem, ſed poſt formam ſuſtantialem. Hanc eandem ſententiã videtur ſequi Franciſcus Piccolomineus 3. lib. de Materia, cap. 10. quòd ſi hæc eſt opinio Auerrois, vt credo, eſt recta, & cõſentit cum Scoto, & eſt optima, & verisſima, ſic enim quantitas in communi eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed hæc quantitas, & illa eſt generabilis ſicuti etiam materia in communi eſt ingenerabilis: ſed hæc materia, & illa, eſt generabilis, & corruptibilis, & quod hæc reſponſio conſentiat cum Scoto, patet ex reſponſione ad ſecundum argumentum adductum à Zabarella pro Auerroe.

Frãciſcus Piccolomineus.

THEOREMA XXXI.

Materia prima non eſt corpus de Prædicamento ſubſtantiæ.

Poſitio Zabarellæ. Cap. I.

ZAbarella libro ſecũdo, de prima Materia, c. 17. ſuſtinet materiam primã eſſe de ſui natura corpus, vbi eſt notandum, quod nõ vult, quòd ſit corpus per aliquam formam corporeitatis exiſtentis in ipſa, vt putauit Auicennas, contra quem ſupra diſputatum eſt, quàm etiam vt falsã ipſe reijcit, neque ſuſtinet, quod materia prima ſit corpus ſecundum ſe, ſcilicet ipſamet trina dimẽſio, vt putauit Ioannes Grammaticus, ſed exiſtimat materiam primam ſecundum propriam naturam ſecluſa quacumque forma eſſe corpus de Cathegoria Subſtantiæ, & eſſe ſupremum genus vniuocum in ea, & vtitur multis rationibus, ſed his præcipuè. Ab omnibus conceditur, quòd corpus eſt ſupremum genus de Cathegoria ſubſtantiæ, & quòd eſt vniuocum ſuis inferioribus, quemadmodum alia genera illius Prædicamenti, at omne, quod eſt vniuocum, eſt vninocum, quia habet aliquam naturam communem æque participatã à ſuis inferioribus, propter quam eſt vniuocum, ergo corpus debet habere hanc naturam communem, quæ participetur ab his inferioribus, vt anima eſt genus vniuocum, quia habet animam ſenſitiuã, quæ participatur æquè ab omnibus animalibus. Tunc ſic quæro, quæ eſt hæc natura, propter quam corpus eſt vniuocum cæteris corporibus caducis, vel eſt materia, vel accidens, accidens eſſe non poteſt, quia accidens non poteſt conſtituere ſubſtantiam, neque eſt forma, quia forma corporeitatis ab omnibus reprobatur, & ab ipſo in eodem libro paulo ſupra, reſtat ergo, vt ſit vel nexus materię cum forma, vt exiſtimarunt multi Latini, vel materia ſolum vt ipſe, at nexus nõ poteſt eſſe; Hæc ratio corporis, ergo materia, antecedens multis rationibus hoc comprobat. Primò ex componentibus incorporeis nõ poteſt conſtitui corporeum, quia nemo dat quod non habet, ſed materia, & forma per Latinos ſunt incorporea entia, ergo nexus eorum non poteſt eſſe cauſa corporeitatis. Secũdò, ratio quia aliquid eſſe vniuocum debet eſſe aliquod reale extra animam, vt animal eſt vniuocum cæteris animalibus per animam ſenſitiuã, quę eſt ratio realis extra animam, tũc ſic: hęc ratio propter quam aliquid eſt vniuocũ, non poteſt eſſe compoſita, quia ſi hoc eſſet ratio ſpeciei, per quã ſpecies eſt vniuoca, eſſet maximè compoſita, quia ſpecies eſt compoſitior genere, attamen ratio ſpeciei eſt ſimplex, vt ratio, qua homo eſt vniuoc⁹, eſt anima rationalis, ergo ratio qua corpus eſt vniuocũ, debet eſſe ſimplex, at nihil ſimplex datur preter materiã, & formam, ergo ratio vniuocationis corporis

1. rō. Zab.

2.

debet

debet eſse materia, vel forma, ſed non eſt forma, quia vel eſset forma generalis, vel forma particularis, illa generalis eſse non poteſt, quia ab omnibus refutatur, nec etiam illa particularis, quia illa non eſſet communis, & per conſequens non eſſet vniuoca, vel conſtitueret corpus in communi, ſed conſtitueret hoc corpus particulare, & tunc nullum corpus vniuocũ daretur, quod eſt falſum; ergo materia erit ratio corporis, qua corpus eſt v-
3. niuocum, & ſic ipſa erit corpus. Tertiò, Ariſt. in primo de generatione, textu 54. dixit materiam primam eſse liberam ad oppoſitos actus veluti genus, ergo videtur, quòd materia ſit aliquod genus, at
4. nõ eſt aliud, quã eſt dictum, ergo. Quartò illud eſt primum corpus de Cathegoria Subſtantiæ via originis, à quo primo emanat corpus de genere quãti, & in quo primo inhæret, tamquã primum illius accidens: at prima materia eſt primum ſubiectũ corporis de Cathegoria Quanti, quia emanat à prima materia; primo ergo ipſa materia prima eſt primum corpus de Cathegoria Subſtãtiæ, Maior probatur: quia corpus de genere Quanti, nõ poteſt per ſe exiſtere, ſed neceſſariò prærequirit corpus de genere Subſtantiæ cui inhæret per trinã dimenſionem; ſubſtantia ergo eſt primũ corpus cui inhæret quantitas, ſcilicet trina dimenſio, ſed hæc ſubſtantia corporea eſt ipſa materia prima, ergo materia prima eſt corpus de genere ſubſtantiæ; hæc minor probata eſt in alia parte diffu-
5. sè. Confirmatur: quia nos ipſo intellectu dũ concipimus ipſam materiam primam abſque forma, non poſſumus non cõcipere quãdam molem indiſtinctã, cum verò intelligimus formam, intelligimus quoddam incorporeum, & indiuiſibile, ergo patet, quod materia eſt corpus per ſe.

Huius opinionis confutatio. Cap. II.

Primo. HAec opinio non eſt ſuſtinenda, & contra ipſam ita argumentor; Corpus quod ponitur de Prædicamento Subſtantiæ eſt cõpoſitũ ex materia, & forma, at materia prima nõ eſt compoſita, ergo materia prima non eſt illud corpus; Minor eſt euidẽs; Maior probatur; quia corpus de Prædicamento Subſtantiæ, eſt ſpecies generis generaliſſimi ſubſtantiæ, diuiditur enim in corpoream, & incorpoream, & hæc differẽtia corporea conſtituit corpus, at omnis ſpecies eſt compoſita, & eſt ſubſtantia cõpoſita, ergo. Ad hãc rationem reſponderent, quòd eſt falſum, quòd ſubſtantia ſit genus generaliſſimũ vniuocum, nam ait ipſe cum Zimara, & Auerroe, quòd ſupremum genus de cathegoria ſubſtantia vniuocũ eſt corpus, & non ſubſtantiæ, & ideò eſt ſimplex, & ſic congruè dicitur. Contra ſic arguo pro nunc (de hoc enim erit particularis diſputatio) ſi ſubſtantia non eſt genus vniuocum, hoc erit, quia non eſt vna natura communis extra animam, quia hæc eſt ratio vniuoci, ſed erit conceptus fictus tantũ ab intellectu, ſed hoc eſt falſum, quia tunc diſtinctio, quam facit Ariſt. in 5. Metaph. textu 14. Entis in decem Prædicamenta, & ſimiliter in Prædicamentis, c. 5. & 7. Metaph. tex. 1. nõ eſſet diſtinctio realis, neque inter res reales, ſed inter entia rationis. Similiter diſtinctio ſubſtãtiæ ab accidente, non eſſet diſtinctio inter rẽ realem, & rem realẽ, ſed inter ens rationis, & ens rationis. Præterea, prioritas quam ait Ariſtot. 7. Metaph. tex. 4. & alibi, eſſe inter ſubſtantiam, & accidens, non eſſet prioritas realis, ſed rationis, quia eſt inter ens reale, & ens rationis, & tandẽ dicere, quòd ſubſtantia ſit purum nomẽ æquiuocum, eſt auferre omnem doctrinam Ariſtotelis, quã tradidit de ſubſtãtia in communi, ſiquidem de æquiuocis non datur ſciẽtia, quæ omnia, quam ſint abſurda, ex ſe patet; Vel ergo eſt dicendũ, quòd ſubſtantia in communi vt contradiſtinguitur ab accidẽte, & includit æternũ, & corruptibile, eſt vna entitas realis communis, & ſic poteſt eſſe genus vniuocũ, cũ hæc ſit ratio vniuoci, vel omnia prædicta abſurda admittẽda ſunt. Secũdò, nomen æqui- 2.
uocum non habet quod quid eſt, ſubſtantia in communi habet quod quid eſt, quia contradiſtinguitur ab accidẽte, ſubſtãtia enim eſt, quæ per ſe ſtare poteſt, accidens verò quod eſt in alio. Tertiò, quãdo ſub- 3.
ſtãtia diuiditur per corporeã, & incorporeã, certum eſt quòd ſubſtãtia quæ diuiditur, eſt ſubſtãtia completa, non pars ſub-

ſtãtiæ,quod patet,dum exemplificamus, dicimus enim ſubſtantia incorporea, vt intelligentiæ,corporea,vt animalia,& plã tę,& huiuſmodi,ergo ſubſtãtia corporea, quę eſt de Prędicamento Subſtantię non eſt nec materia,nec forma,ſed ſubſtantia completa; at ſubſtantia completa eſt cõpoſita ex materia,& forma; ergo ſola materia non eſt hæc ſubſtantia completa, & corporea.
4. Quartò ſi materia prima per ſe eſset corpus, quod eſt genus de Prædicamento Subſtantiæ,tunc cum corpus diuiditur in corpus animatum, & inanimatũ, ſola materia ſic diuideretur, non forma, hoc eſt falſum: quia & forma alia eſt anima,& alia non eſt anima;ex qua fit,quod corpus aliud eſt animatum, & aliud inanimatum, cum ergo diuiditur corpus aliud eſt animatum,& aliud inanimatum, diuiditur nedum materia,ſed materia,& forma,& ſic ſubſtantia completa eſt quę diuiditur, non ergo materia eſt tale corpus.Confirmatur:Si materia eſt genus generaliſſimum,ſequitur,quod hæc prædicatio erit naturalis, & in recto. Animal eſt materia,homo eſt materia, & ſimilia: conſequens eſt abſurdum, vt patet. Conſequentia probatur: quia generaliſſimũ in recto, & directè prædicatur de ſuis inferioribus in linea recta. Præterea, vera eſset quoque iſta propoſitio:materia alia eſt animata,& alia inanimata: conſequẽs eſt abſurdum: quia anima non eſt actus materiæ.Conſequentia probatur:quia genus prædicatur in recto, de ſuis ſpeciebus: at ex hac opinione materia eſset genus, ſpecies eius eſset animatum, & inanimatum, ergo materia poſset prædicari de animato,& inanimato.
5. Quintò,quando diuiditur ſubſtantia,quod alia eſt corporea,alia incorporea, ſi per corpoream ĩtelligitur materia prima,ſequitur, quòd forma materialis cadat ſub alio membro, ſcilicet incorporea; materia enim realiter diſtinguitur à forma;tunc ſic:ex oppoſitis differentijs non fit vnum per ſe, materia,& forma ſunt ſub oppoſitis differentijs, ergo ex illis non fit vnum per ſe, quod eſt abſurdum.
6. Sextò, quæ ſunt diuerſa genere,ſunt etiã diuerſa ſpecie, & numero,& conſequenter vnum nõ poteſt cõſtitui in eſſe per alterum;at ſpecies corporis,quod per te eſt materia, & ſpecies formæ, ſunt diuerſæ genere, quia ſubſtãtia diuiditur per corpoream, & incorpoream,materia eſt ſubſtantia corporea,forma autem eſt ſubſtantia incorporea, ergo ſpecies formæ non poſſunt conſtituere in eſſe ſpecies materiæ, & ſic non poteſt conſtituere in eſſe animal, nec hominẽ; Sed cum omnes iſtæ ſint ſpecies materię, debent habere eſſe per materiam, non per formam. Hoc declaratur exemplo. Corpus diuiditur per animatum, & inanimatum,& certum eſt,quòd ſpecies corporis animati non conſtituuntur in eſse per ſpecies corporis inanimati, vt homo, qui eſt ſpecies corporis animati, ſiue animalis,non conſtituitur in eſſe per lapidẽ, qui eſt ſpecies corporis inanimati. Ad propoſitum, ſubſtantia diuiditur per corpoream,& incorpoream, & corporea eſt materia,& incorporea eſt forma,ergo ſpecies corporis non poterunt conſtitui in eſſe per ſpecies formæ, quia ſunt diuerſa genere.Ad hanc rationem forſan reſpõderent, quòd materia includit in ſe formas materiales, potentia, non immateriales,vti genus continet ſpecies. Contra, tunc ſequeretur, quod hæc eſset prædicatio recta,& per ſe, anima eſt materia; ſicuti valet dicere,homo eſt ſubſtantia, ſiue Socrates eſt animal, nam Socrates, & alia inferiora,includunt actu ſua ſuperiora, & ideo ſua ſuperiora prædicantur de illis per ſe, in recto,& ſic, ſi materia eſset genus, & contineret formas materiales, vt ſpecies ſub ſe potentia,poſset prædicari de illis per ſe in recto, quod tamen eſt falſum,vt patet inductione: non enim eſt vera,ſenſitiua eſt materia, rationalis eſt materia.
Septimò,illud corpus de Prædicamento ſubſtantiæ eſt genus, & conſequenter vniuerſale, tũc ſic:vniuerſale eſt quod abſtrahitur à ſingularibus,& ſingularibus completis,quia nõ datur ſingulare in ſubſtantia,niſi habeat materiam, & formam ſecũdum omnes opiniones,ergo hoc vniuerſale nõ cõtinet in ſe ſolã materiam,vel formã Socratis,ſed totum,ſcilicet materiam,& formam. Idem dicendum eſt de alijs;ex hoc vlterius, ergo corpus de genere ſubſtãtiæ eſt vniuerſale abſtractum à corpore animato,& inanimato, 7.

to, ergo per corpus intelligitur ibi, nedũ materia, ſed intelligitur materia, & forma. Vltimò Franciſcus Piccolomineus libro de Materia, cap. 6. Omne corpus, vel eſt Mathematicum, vel Artificioſum, vel Phyſicum, at materia non eſt corpus Mathematicum, nec Artificioſum vt patet, nec Phyſicum, quia illud eſt in loco per ſe, ſed materia per ſe, non eſt in loco, ergo. Item cadit ſub ſenſu, quod repugnat materiæ.

Picco lomineus.

Poſitio Scoti, & ſolutio rationum Zabarellæ. Cap. III.

EX his quæ habet Scotus 6. Metaph. quæſtione 1. vbi aſſignat ſufficientiam, & rationem ſufficientiæ ſcientiarũ ſpeculatiuarum, & alibi paſſim, ex eius doctrina elicitur Scotum exiſtimaſſe corpus, quod ponitur in Cathegoria Subſtãtię, eſſe ſubſtantiam compoſitam, ſuſtinet enim quod ſubſtantia, quæ eſt genus generaliſſimum, ſit vniuocum, & quod diuidatur prima diuiſione in ſubſtantiã incorpoream, & corpoream, incorporea pertinet ad Metaphyſicum, corporea duobus modis conſiderari poteſt : vel vt eſt quanta, & ſic pertinet ad Mathematicũ, qui conſiderat purã quantitatem ſubſtãtiæ. Alio modo poteſt conſiderari, vt habet principium motus, & ſic pertinet ad Phyſicũ; Ex hac diuiſione habetur, quod dum ſubſtantia diuiditur in ſubſtantiam corpoream, ſubſtantia corporea eſt vna ſpecies ſubſtantiæ, ſicuti & ſubſtantia incorporea eſt alia ſpecies ſubſtãtiæ, & cõſequenter, quod corpus illud non eſt quid ſimplex, ſed compoſitum, ſiquidem eſt cõpoſitũ ex realitate generis, ſcilicet ſubſtãtiæ, & illud differentiæ corporeæ; vbi eſt notãdũ, quod per differentiã corpoream nõ debemus hic intelligere quãtitatẽ, quę eſt accidẽs, quia ſubſtantia non conſtituitur in eſſe per accidẽs aliquod, ſed intelligere debemus aptitudinẽ illã, quæ eſt in ſubſtãtia ad recipiendã quantitatem, quã neſcimus alio nomine vocare, niſi per nomẽ corporeitatis: hæc enim ſubſtantia caduca, differt ab illa æterna : quia hæc eſt materiata, & apta nata recipere hæc accidentia, vt quantitatẽ, qualitatẽ, &c. Sed illa æterna nequaquam; & hæc ſententia confirmatur ex his rationibus, quibus opinionẽ Zabarellæ confutauimus; poſſumus etiam confirmare hanc noſtram ſententiam, quod Ariſt. diuidit 7. tex. 7. Metaph. & alibi ſæpè ſubſtantiã hanc corpoream in materiã, formam, & compoſitũ, & ſi hæc eſt bona diuiſio, mẽbra non debent coincidere; modo in hac diuiſione videmus, quod materia eſt vnũ ex mẽbris diuiſis, non autẽ eſt illud quod diuiditur, at ſi materia eſſet genus, & illud corpus, quod eſt genus eſſet id, quod diuiditur, non autẽ alterum membrũ illorum, quæ diuiduntur; vnde ex hac diuiſione habemus duo; primum, quod materia nõ eſt genus vniuocum, quod eſt corpus de Cathegoria Subſtantiæ, vt dictũ eſt. Secundò, quod dato, quod eſſet, non poſſet cõtinere ſub ſe formam, neque compoſitũ, vt partes ſubiectiuas, quod tamen eſſet neceſſarium, quia hæc contradiſtinguũtur à materia, nullum autem oppoſitum continet ſuum oppoſitum ſub ſe tãquam ſpeciem; Inſuper ſi ſubſtantia non ſit genus vniuocũ, hæc duo, ſcilicet forma, & compoſitũ non habebunt genus vniuocũ ſupra ſe, & ſic erunt generaliſſima; quæ omnia, quam ſint abſurda ex ſe patet.

Ad primam ergo rationem Zabarellę, concedo quod corpus eſt genus vniuocũ de Prædicamento Subſtantiæ, licet non ſit ſupremum, & eſt vniuocum per aliquam naturam, & rationem participatam ab inferioribus: ſed hæc non eſt materia, neque nexus materiæ, neque accidens, ſed illa differentia, qua conſtituitur in eſſe diſtincto ab intelligentijs, quæ circumſcribitur per corporeum, quam nominare proprio nomine neſcimus, vt infra hic dicitur. *Ad 1.* Cum dicitur forma eſt indiuiſibilis, ergo non poteſt eſſe cauſa, quod aliqua ſubſtantia ſit corporea, ſiue capax corporeitatis. Reſpondetur, quod licet actu ſit indiuiſibilis, in ſe tamen cõtinet virtualiter rationem diuiſibilitatis, ſcilicet, quantitatem, ſicuti & alia accidentia, per hoc ad primam, & ſecũdam. *Ad 2.*

Ad tertiam dico, quod Ariſtoteles ibi dixit materiam eſſe veluti genus, non tamen dixit eſſe genus; ideo ſolum infert, quod eſt ſimilis generi in hoc tantum, *Ad 3.*

quod genus eſt indifferens ad oppoſitas differentias, vt ad rationale, & irrationale, ita materia de ſe eſt indifferens ad hominem, & ad non hominem, ſcilicet brutum, loquendo de materia prima in prima notione.

Ad 4. Ad quartam in alio quæſito oſtenſum eſt eſſe falſam minorem.

Ad 5. Ad vltimam dico, quod non eſt mirũ quod non poſſumus intelligere materiã, niſi ſub quadam mole, quia hoc euenit propter phantaſmata, quę ſunt in phantaſia, quæ ſolum ſunt corporea, & quia oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ideò omnia imaginamur cum corpore, etiam Deum, & Angelos; ita de materia euenit, non tamen eſt corporea, ſicuti nec Deus.

THEOREMA XXXII.

Eſſe exiſtentiæ actualis non diſtinguitur realiter ab eſsentia.

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

APertè Scotus pluribus in locis aſſerit eſſe idem realiter eſsentiam rei, & ipſius eſſe actualis exiſtentiæ, & prę cipuè 4. Sent. d. 13. q. 1. art. 3. circa mediũ ſoluendo quoddam argumentum, & 2. diſt. 16. q. 1. ſoluẽdo rationes pro D. Thoma, circa finem, ſed ex profeſso primo Sent. d. 36. q. 1. contra Henricum, qui volebat, quod creaturæ ab æterno haberẽt in Deo eſſe eſsentiæ, licet non haberent eſse actualis exiſtentiæ, in tempore poſtea volebat, quod reciperent eſse actualis exiſtentiæ. Scotus autem oſtendit, quod hoc eſt impoſſibile; quia hæc poſitio auferret creationem, & alijs multis medijs theologicis eandẽ impugnat. Vnde concludit Scotus, quod creatura tunc recipit eſse reale, cum recipit actualem exiſtentiam per creationem, eſse autem, quod habet in Deo ab æterno, eſt eſse cognitum, quod nihil eſt entitatis creaturę, ſed realiter eſt ſolum ipſamet ſcientia Dei, hic tamen non adducit niſi rationes Theologicas. Item 2. d. 3. quæſt. 3. & diſt. 1. quæſt. 2. in corpore quæſtionis. Item 3. Sent. diſt. 6. quæſt. 1. idem apertè aſserit, vbi probat, quod in Chriſto ſunt plura eſse exiſtentię, & licet argumenta illa directè non probent, quòd non eſt aliud eſſentia, ab eſse actualis exiſtẽtię, ſed quòd natura humana ĩ Chriſto habet propriũ eſse exiſtentiæ diſtinctum realiter ab eſſe exiſtentiæ increatæ naturæ diuinæ, & illæ rationes ſunt Theologicæ, tamen ex his, quæ ibi dicit, facile elicitur eſſe idem eſſentiam, & eius actualem exiſtentiam; & poſſumus quoque habere rationes ad probandum hoc, ex varijs locis ſuæ doctrinæ, in Theológia facillimè probatur ab ipſo: in philoſophia autem rationes ex ipſo venabimur nos. Poſſumus primo ex ſecundo Sententiarum diſtinct. 1. quæſt. 5. ita argumentari. Illa ſunt idem realiter, quorum vnum non poteſt eſſe ſine altero abſque contradictione, dummodo non ſit inter illa eſſentialis dependentia, & impoſſibilitas proueniat ex cauſa interna non ab externa, ſed eſſentia, & exiſtentia actualis rei ſic ſe habent, quod vna non poteſt eſſe ſine altera ſine contradictione, ergo ſunt idem realiter. Maiori appoſui illam particulam, dummodò nõ ſit eſsentialis dependentia: quia ſubſtantia, & accidens ſunt diſtincta realiter, & tamen vnum non poteſt eſse ſine altero, quia accidens eſsentialiter dependet à ſubſtantia, ſed in his eſt manifeſta diſtinctio; appoſui quod impoſſibilitas proueniat intrinſecus, quia quandoque licet diſtincta ſint realiter, vnũ nõ poteſt eſse ſine altero propter aliquod agens externũ illa connectens ad inuicem, vt cælum, & motus eius: neque enim cælũ poteſt eſse ſine motu, & tamẽ cælũ, & motus, diſtinguũtur realiter, Maior autẽ ſic declarata probatur: quia dato oppoſito, duo prædicata cõtradictoria de eodẽ reſpectu eiuſdẽ verificabũtur: nã accipiatur Socrates, & Plato, ſi Plato ſit Socrates realiter, & tamẽ poſſit eſse, nõ exiſtente Socrate, ergo de Socrate, & Platone, qui ex hypotheſi ſupponuntur eſse vna res realiter; verificabũtur hæc duo prædicata contradictoria, eſt; & nõ eſt. Dicãtur enim Socrates, & Plato, q. ſupponũtur eſse vna res realiter. A. erit verũ dicere de A. exiſtente Socrate, A. eſt non exiſtente Platone. A. nõ eſt, 1. rõ. & ſic

& ſic de A. in eodem tempore verificabũtur duo prædicata contradictoria, quòd eſt impoſſibile; quod ſint circa idem, patet: quia ſunt circa A. tamquam circa ſubiectum; ſunt de eſse, & ſunt in eodem tẽpore ex hypotheſi, ſupponimus enim, quod Socrates, & Plato, ſunt vna res realiter, & quod pro eo tempore quo Socrates eſt, Plato non ſit, hac via ſæpè vſus eſt Philoſophus ad oſtendẽdum aliquod diuerſificari realiter ab alio, vt ſecũdo Phyſicorum textu 67. & primo Phyſ. tex. 51. & inde probauit, quòd materia eſt aliud à forma, quia materia manet ſub vtroque termino generationis, forma verò corrumpitur. In quarto Phyſic. tex. 34. & 7. Topicorum c. 1. loco 16. & 12. & 4. Phyſic. tex. 3. probauit locum diſtingui realiter a locato, quia idem locus manet ſub diuerſis locatis; Denique hæc propoſitio non poteſt negari, niſi à proteruo, contra quem non eſt diſputandum. Minor principalis probatur: quia omnis eſsentia realis eſt, aliquid habens eſse præter opus intellectus, alioquin non eſset ens reale, ſed rationis, ſi per ſolum intellectum haberet eſse; etiam eſsentia eſt aliquod ens extra ſuas cauſas: quia quod habet eſse tantũ in ſuis cauſis, in ſe, nihil eſt, vt Roſa in hieme nihil eſt reale in ſe, ergo eſsentia eſt aliquid realiter extra ſuas cauſas, & præter opus intellectus; ſed tale ens eſt impoſſibile quòd poſſit ſeparari ab exiſtentia abſque contradictione: quia implicat contradictionem, quod talis eſſentia ſit eſſentia realis, & non exiſtat; cum ergo ſit impoſſibile eſse extra ſuas cauſas, & non exiſtere, & hæc impoſſibilitas non proueniat ab aliqua cauſa externa, ſed intrinſecus ab ipſamet eſsentia, ſequitur, quòd eſse eſsentiæ, ſit idem quod eſse exiſtentiæ, & ipſamet exiſtentia: neque in his eſt dependentia eſsentialis, quia illa inter quæ eſt dependentia eſsentialis, vnum habet rationem producentis, ſiue dantis eſſe, alterum verò effectus: at in propoſito hoc eſse non poteſt, quia ſi in his eſset dependentia, eſse exiſtentiæ dependeret ab eſsentia, & ſic eſsentia daret illi eſse, ſed nihil dat, quòd non habet, eſsentia per Aduerſarios, non habet eſse exiſtentiæ, ergo non poteſt dare eſse exiſtentiæ ipſimet exiſtentiæ. Præterea, nihil poteſt eſse cauſa productiua realiter, niſi habeat eſſe reale, & exiſtat extra ſuas cauſas; Roſa enim in ſpinis exiſtens, tempore hiemis non poteſt afficere olfactum, & producere odoramentum, ergo eſſentia, vt eſt diſtincta ab exiſtentia, non poteſt eſſe cauſa exiſtẽtiæ, & ſic inter eſſentiam, & exiſtentiam, non poteſt eſse eſſentialis dependentia; & hæc ratio valde concludit contra aduerſarios: quia tenent, quòd exiſtentia ſit accidens realiter diſtinctum ab eſſentia, vnde ſequitur quòd eſſentia ſi eſt cauſa exiſtentiæ, & eſt cauſa realis, neceſſe eſt quod habeat in ſe proprium eſſe, cum cauſa præcedat ſaltem natura, effectum, & ſit aliud ens ab eo.

Neque illud eſse actualis exiſtẽtiæ, poteſt eſse eſsentia: quia iam ponitur effectus realis, diſtinctus realiter ab eſsentia; oportebit ergo quòd eſsentia habeat aliud eſse extra cauſas proprium, abſque eſse exiſtentiæ, quod in ſe eſt falſum, & etiam ab aduerſarijs negatur.

Secundò principaliter. Impoſſibilitas quod aliquod vnum non poſſit eſse ſine altero, prouenit, vel quia eſt idem illi realiter, vel quia ſunt ſimul natura, vel quia eſt poſterius illo, ſed ſic eſt, quòd eſsentia non poteſt eſse abſque exiſtentia, neque exiſtentia eſt ſimul natura cum eſſentia, neque eſsentia eſt poſterior natura exiſtentia, ſed è conuerſo, ergo hoc prouenit quia eſsentia, & exiſtentia ſunt vnum, & idem. Maior eſt clara, nulla enim alia cauſa videtur poſse aſſignari propter quam vnum non poſſit eſse ſine alio præter prædictas. Minor probatur quo ad primam partem: quia non eſt reperire eſsentiam realem abſque reali exiſtẽtia; quod probatur: quia implicat contradictionem. Quò ad ſecundam partem etiam probatur: quia exiſtentia non eſt prior eſsentia, neque ſimul natura cũ illa ſed ſi eſt aliud ab ea, eſt poſterior, vt dicũt aduerſarij, & habent dicere, ſed hoc dici non poteſt: quia tunc eſsentia poſset eſse ſine exiſtẽtia, quia omne prius poteſt abſque contradictione eſse ſine ſuo poſteriori, cum prius nullo pacto dependeat à poſteriori in eſse, omne autẽ ens reale poteſt eſse abſque eo, quod eſt aliud ab eo, 2. ro.

& à

& à quo non dependet in eſſe, neque hęc propoſitio negari poteſt niſi à proteruo, hoc autem eſt abſurdum, quia implicat contradictionem dicere, eſt eſſentia realis, & non eſt, ſi enim eſt ens reale, & extra ſuas cauſas, & extra intellectum, non eſt intelligibile, quomodo non habeat eſſe, ac non exiſtat, cum tale eſſe extra ſuas cauſas, ſit exiſtere.

Poſitio D. Thomæ, cum ſuis fundamentis. Cap. II.

DIuus Thomas, ex altera parte multis in locis, ſed præſertim in ſecundo contra Gentiles, c. 52. & lib. de Ente, & eſſentia, cap. 5. ſuſtinet, quòd in omni creatura quidditas, ſiue eſſentia, & eſſe eius actualis exiſtentiæ, diſtinguuntur realiter; & hanc quoque eſſe mentem D. Thomæ teſtatur Caietanus, in Commento libri de Ente, & eſſentia, cap. 8. tenet enim D. Thomas, in rebus creatis duplicẽ compoſitionem, alteram ex materia, & forma, & hæc eſt in rebus creatis materialibus tantum; altera eſt ex eſſentia, & ipſamet exiſtentia, & vult, quod eſſentia reſpectu exiſtentiæ, ſe habeat veluti potentia: exiſtentia verò vt actus; eſſentia enim ſecundum eum, habet potentiam recipiendi exiſtentiam; per priorem compoſitionem, res acquirit eſſe quidditatiuum ſpecificum, & intelligibile abſtractum à ſingularitate, & à cauſalitate efficientis, & finis; per poſteriorem verò compoſitionem res acquirit eſſe exiſtentiæ ſingulare, ſenſibile, generabile, & corruptibile, dependens à cauſis externis, & internis; & ita vult, quod eſſentia, & quidditas rei, ſit realis, & tamen diſtinguatur realiter à ſuo eſſe, & quod quamquam ſit ſine ſuo eſſe exiſtentiæ actualis, vt in Theologia, quod humana natura Chriſti, quæ vnita erat Verbo, eſſet ſine exiſtentia, & eſſe creato, tamen ſit realis, & habeat eſſe reale. Sed nos nunc non procedemus contra hanc opinionem ex fundamentis Theologicis, quia ſumus in Philoſophia, ſed ſolùm ex medijs naturalibus, licet in Theologia multo facilius hanc ſententiam reijcere ſit.

1. rō. Caie. Pro hac opinione Caietanus loco citato adducit tres rationes, deſumptas à D. Thoma, quæ ſatis tedioſæ ſunt in forma; ſunt autem iſtæ. Prima. Omnis eſſentia creata habet aliquid ſibi realiter coniunctum præter ſuum eſſe, nullum eſſe irreceptum habet aliquid ſibi realiter coniunctum præter ſe, ergo nullum eſſe irreceptum eſt eſſentia creata; ex hoc infert, ergo eſſe, & eſſentia, non ſunt idem. Not. pro Intelligentia illius rationis, quod apud ipſum in hoc loco eſſe irreceptum, eſt eſſe independens, vti eſſe Dei, qui non producitur ab aliquo, ideò neque recipitur ab aliquo alio; eſſe autem creaturæ, appellatur eſſe receptum: quia prouenit à Deo, & recipitur à creatura; In Deo idẽ eſt eſſe, & eſſentia eius, & ſic eſſe irreceptum, & eſſentia ſunt idem, ſed in eſſe recepto, eſſentia, & eſſe, non ſunt idem. Per hoc argumentum itaque concludere vult, quòd eſſe creaturæ eſt eſſe receptum, nō irreceptum, & conſequenter, quòd eſſe creaturæ, & eſſentia creaturæ, non ſunt idem realiter. Maior eſt nota per ſe, quia Socrates includit aliquid pręter ſuum eſſe, videlicet, quantitatem, albedinem, &c. Minor probatur: Quia ſicut præciſa cauſa propter quam eſſe habet aliquid ſibi annexum, eſt, quia eſt receptũ in alio, quod poteſt recipere aliud, ita ſi eſſe non ſit receptum, non poterit habere aliquid aliud ſibi annexum. Minor ergo eſt vera, quod nullum eſſe irreceptum, habet aliquid ſibi annxeum præter ſe. Conſequentia verò patet: quia tunc eſſentia creata eſſet irrecepta. Confirmatur hæc probatio: quia eſſe ſubſtantiale Socratis adunatur cum alijs, vt patet, quia Socrates eſt ſubſtãtia, deinde quantus, albus, &c. Cum ergo adunatur cum alijs, quæ non ſunt ipſum, aut adunatur cum illis identicè, & hoc eſt manifeſtè falſum: Quia eſſe ſubſtantiale Socratis non eſt eſſe album: aut eſt ſicut forma, & actus, ita quod eſſe ſubſtãtiale ſit forma, & eſſe accidentale ſit actus eius, & hoc non; quia nullum eſſe actualis exiſtentiæ poteſt poni ſubiectum alterius, cum ſit vltima actualitas, remanet igitur, quod ea ratione adunentur, quia ambo recipiuntur in tertiò, ſcilicet in eſſentia, ideo ablato ab eſſe exiſtentię, quod ſit receptum, aufertur etiam quod

poſſit

poſſit habere aliquid ſibi annexum, & ſic remanet probata minor principalis, quod nullum eſse irreceptum habet aliquid ſibi annexum.

2. rō. Secunda ratio, Omne eſse irreceptum eſt infinitum ſimpliciter, nullū eſse creaturæ eſt infinitum ſimpliciter, ergo nullum eſse creaturæ eſt eſse irreceptum; probat maiorem (quia minor patet) longo ſermone, quia omne eſse purum, eſt infinitum, eſse irreceptum eſt purum, ergo eſt infinitum; Maior eſt nota, minor autem ait ipſe patet ex ratione antecendenti, & ratione facta in textu quæ eſt, quod ſicut id, quod recipit aliud, eſt compoſitū ex recipiente, & recepto, ita quod non recipit aliud eſt purum, & ſimplex, ergo eſse irreceptum eſt eſſe purum, & ſimplex. Declarat etiam exemplo: Albedo ſi ponatur non recepta in aliquo, eſt pura albedo, & nihil haberet niſi ſeipſam, & inſuper eſset infinita in ſpecie albedinis, quia albedo ſeparata non poteſt intelligi ab aliquo ſano intellectu, quod ſit finita, & terminata ad aliquem terminum, & gradum.

3. rō. Tertia ratio eſt hæc. Quod conuenit naturæ ſpecificæ abſque omni cauſa efficiente, diſtinguitur realiter ab eo quod cōuenit illi non niſi per cauſam efficiēté: ſed prædicata quidditatiua conueniunt rei, abſque omni cauſa effectiua, exiſtentia autem non conuenit, niſi per cauſam efficientem, ergo prædicata quidditatiua, & exiſtentia rei diſtinguuntur realiter. Maior eſt per ſe nota; Minor etiam quò ad ſecundam partem, quo ad primā verò declaratur: quia ſecluſa omni cauſa effectiua reſpectu roſæ, verum eſt dicere, roſa eſt ſubſtantia corporea, quia ſi hæc non ſit vera, ergo roſa abſolutè ſumpta, non eſt in Prædicamento, & prędicata primi modi per ſe, non ineſsent rei, & definitio ſepararetur à definito: quæ omnia sūt abſurda. Paulus Soncinas 4. Metaph. q. 12. pro eadem opinione ita arguit; Eſſentia eſt indifferens ad eſse, & non eſse, quia aliquando eſt, & aliquando non eſt, ergo diſtinguitur eſsentia ab eſse; conſequentia patet quia illud: quod ſucceſſiuè ſu-
Sōci. bijcitur oppoſitis, diſtinguitur à quolibet
1. rō. eorum: Vnde per hanc rationem probat Philoſophus, quod materia diſtinguitur à forma, & priuatione, quia remanet modo ſub forma, & modo ſub priuatione. Se- 2. rō.
cundo, ſi eſset idem cum eſsentia, ſequeretur, quod eſse (ſcilicet creaturarum) eſſet per ſe ſubſiſtens, hoc eſt falſum, ergo: Probatur conſequentia; eſsentia cuiuslibet ſubſtantiæ ſeparatæ, eſt per ſe ſubſiſtens, quia ſunt formæ abſtractæ, ergo quidquid eſt idem cum tali eſsentia, eſt per ſe ſubſiſtens; Falſitas conſequentis probatur: quia omne eſse per ſe ſubſiſtés, eſt infinitum in ratione eſsendi, ſed eſse ſubſtantię creatę non eſt infinitum in ratione eſsendi, alioquin haberet in ſe omnes perfectiones rerum; Minor eſt euidens. Maior probatur: quia vbi non eſt ratio limitationis, ibi nulla eſt limitatio, ratio autem limitationis vel eſt ſubiectū, in quo recipitur vel ſunt differentiæ, per quas contrahitur: ſed eſse per ſe ſubſiſtens, non eſt limitatum primo modo, quia non recipitur in aliquo ſubiecto; neque ſecundo modo: quia non habet vllas differentias, ergo eſt infinitum. Tertia 3.
ratio eſt eadem cum tertia Caietani.
Quartò. Nulla res participat eſſentiam 4.
ſuam, ſed habet eam quantum haberi poteſt, homo enim habet humanitatem perfectiſſimo modo: nec poſſibile eſt, quod magis ſit in vno, quàm in alio; ſed quælibet creatura participat eſse, cum non habeat exiſtentiam perfectiſſimo modo, ergo eſt, & eſsentia non ſunt idem. Quintò. 5.
Nihil eſt in potentia ad ſeipſum, alioquin eſset prior, & poſterior ſe, ſed quælibet eſſentia citrà Deum, eſt in potentia ad eſſe, ergo diſtinguitur ab eſse. Sextò, nulla 6.
res poteſt intelligi ſub oppoſito eius, cui eſt idem realiter, non enim poteſt intelligi, quod homo ſit non animal: ſed eſsentia poteſt intelligi ſub oppoſito exiſtentiæ; Intelligo enim eſsentiam roſæ non exiſtere, ergo eſsentia diſtinguitur ab exiſtentia.

Septimò. Arguitur authoritate Ariſt. 7.
2. Poſteriorum textu 1. vbi diſtinguit ſi eſt, a quid eſt, quid eſt, explicat eſsentiam, ſi eſt, exiſtentiam, ergo eſsentia, & exiſtentia diſtinguuntur.

Confu-

Confutatio huius opinionis, & ſolutio rationum pro ea. Cap. III.

VErùm falſitas huius opinionis facilè patet ex rationibus ſuprà allatis cap. 1. pro opinione Scoti; cum enim eſſentia non poſſit eſſe ſine exiſtentia, neque in his nulla ſit depedētia, neque hęc impoſſibilitas proueniat à cauſa externa, neceſſariò dicendum eſt quod eſſentia, & exiſteutia eius actualis ſint idem realiter. Neque valet Reſponſio Caietani ad primum argumentum, quam innuit reſpondendo ad ſecundum argumentum Antonij Trombettæ, vbi negat minorē, ſcilicet, quòd eſſentia non poſſit eſſe ſine exiſtentia, quam negationem confirmat exemplo de humanitate Chriſti, quæ erat in Chriſto, & tamen non habebat exiſtentiam propriam; hæc enim reſponſio facilè confūtatur ex probatione minoris, quam ſupra adduximus: quia certum eſt, quod eſsentia, & quidditas rei creatæ, eſt ens reale extra ſuas cauſas, & actu, alioquin ſi ſit in cauſis ſuis, & in pura potentia, nihil eſt, vt diximus in Theoremate de actu entitatiuo materiæ, filius enim, qui eſt in lumbis patris, in ſe nihil eſt, ſed eſt ſolum entitas patris, & de illo non eſt verum enunciare, filius ille eſt ens, quia in ſe nihil eſt, ſimiliter res, quæ eſt in potentia actiua agentis, vt creaturæ, quas Deus poteſt creare in ſeipſis, nihil ſunt, quia non ſunt extra ſuas cauſas, vnde de Antichriſto non eſt verum dicere, nūc Antichriſtus eſt ens, quia nihil eſt, & certè hæc omnia ita vera ſunt, quòd probatione non egent: neque vllus rationis cōpos rationabiliter hęc negare poterit; modò ſi eſſentia, & quidditas rei creatæ eſt ens reale, & extra ſuas cauſas, eſt impoſſibile quod non exiſtat, cum exiſtere nil aliud ſit, niſi eſſe ens in ſe reale, extra ſuas cauſas quòd ſi quis dicat, exiſtere nō dicit ſolùm eſſe extra ſuas cauſas, ſed dicit eſſe ſingulare, & ſenſibile, hoc autem non eſt idem cum eſſentia. Contra, Hæc Reſponſio non eſt ad argumētum: quia nos hic intelligimus per exiſtere eſſe actuale reale eſſentiæ, quod ei competit vt eſt eſsentia, non vt eſt ſingularis, & ſenſibilis; vndè quærimus. An eſſentia, & eſse eius actuale ſint idem, non autem quærimus an eſsentia, & eſſe ſingulare ſint idem: quia nos ſcimus, quòd eſſentia, & quidditas contrahitur ad eſſe ſingulare, per aliquid, quodcumque illud ſit, de quo contendunt Philoſophi, vt ſuo loco diſputauimus; ſed ſuſtinemus, quod eſsentia, vt quidditas, & vt eſsentia, habet proprium eſse, & hoc dicimus non eſſe quid reale diſtinctum ab ipſamet eſſentia, vt probauimus.

Reſpōſio Caietani ad primum reijcitur.

Neque valet Reſponſio Caietani ad ſecundam rationem quàm loco ſupra citato innuit, ſcilicet, quòd falſa ſit illa propoſitio quòd omne prius poſſit eſse abſque poſteriori, cuius tamen nullam rationem aſſignat: etenim hæc propoſitio eſt veriſſima, Omnis res realis poteſt eſse ſine quocumque alio, à quo ipſa in eſse nō dependet, nam Angelus poteſt eſse ſine homine, quia Angelus non dependet ab homine in eſse.

Reſpōſio ad ſecundum reijcitur.

Neque vlla alia ratio poteſt aſſignari cur vnum eſse poſſit abſque altero, præter hanc, at prius in eſse non dependet à poſteriori in eſse, cur ergo non poterit illud prius abſolutè eſse ſine contradictione abſque altero poſteriore, Sed fortè dices, hoc prouenit propter ordinem vniuerſi, qui diſponit ſic, vndè non videmus ſubſtantiam eſse ſine accidente, & tamē eſt prior in eſse, accidente. Contra, hæc ratio non adducit impoſſibilitatem internam, ſed externam, nam ſi ſubſtantia non poteſt eſse ſine accidente, propter vniuerſi ordinem, hoc prouenit ex cauſa externa, non interna, & conſequenter nō eſt contradictio, quòd ſubſtantia poſſit eſse ſine accidente, ſed quantum eſt ex ſe ipſa poſset eſse ſiue accidente, niſi extrinſecus impediretur; vera eſt ergo illa propoſitio, quòd prius poteſt eſse abſque ſuo poſteriori; ſed quod eſsentia poſſit eſse ſine ſuo eſſe actuali exiſtentiæ, eſt impoſſibile impoſſibilitate quæ intrinſecus prouenit, ergo ſunt idem.

Poſsumus etiam arguere alijs medijs contra hanc opinionem. Nam iſti videntur aſserere eſsentiam eſse ens rationis tantùm, quòd tamen, & ipſi falſum eſse aſsererent. Nam Caietanus libro de Ente, &

Prima rō cōtra Caietanū.

te,& eſsentiæ. Reſpondendo ad quartum argumentum Trombettæ, dicit, quòd eſſentia hominis abſolutè reponitur in reali Prædicamento Subſtantiæ, ſed vt eſt in rerum natura, fit realis realitate exiſtentiæ, tunc ſic contra eum, ergo eſsentia hominis, vt eſt eſſentia, & quidditas hominis, & vt eſt in Prædicamento Subſtantiæ, non eſt in rerum natura, ergo quæ ſunt in Prædicamento Subſtantiæ nou ſunt in rerum natura, ergo nihil ſunt, ergo non ſunt entia realia, quia quod non eſt in rerum natura non eſt ens reale, ergo eſſentia, vt eſt diſtincta, ab exiſtentia, non eſt ens reale, ſed rationis. Præterea ipſi ſuſtinent contra Scotum, quod natura communis nõ eſt quid reale, ſed quod omne ens reale eſt ſingulare, ergo quæ ſunt in Prædicamẽto niſi ſint ſingularia, non ſunt entia realia, eſſentia, & quidditas hominis ſine exiſtentia non eſt ſingularis, ergo eſsentia hominis vt eſt ſeparata ab exiſtentia, non eſt ens reale; Si dicant, quod eſſentia hominis non eſt ens reale, præterquàm quod hoc eſt ex ſe falſum, ſibi contradicunt: quia tunc non poſset diſtingui realiter ab exiſtentia, neque cum illa facere compoſitionem realem, quia compoſitio realis eſt ex extremis realibus; ſi dicant verò quod eſsentia, & quidditas hominis eſt ſingularis, preterquàm quod eſt falſum, quia tunc non poſset ſciri neque definiri, quia ſciẽtia, & definitio eſt ſolùm vniuerſalium, ſibi contradicunt, quia volunt, quod exiſtẽtia ſit ſolum ſingulariũ, ergo quidditas, vt quidditas exiſteret, non ergo quidditas, & eſsẽtia hominis diſtingueretur ab eſſe eiuſdem quidditatis, & eſsentiæ hominis. Hoc confirmari poteſt ſic, per hoc diſtinguitur ens reale, ab ente rationis, quod ens reale eſt in rerum natura pręter opus intellectus: ens verò rationis nequaquam: at eſſe in rerum natura, eſt exiſtere ex dictis nunc à Caietano, reſpondendo ad argumentum quartum Trombettę, & eſſentia, vt eſt ſecluſa per ens ab exiſtẽntia, eſt ens reale; quia realiter diſtinguitur ab exiſtentia, ergo eſsenria per ſe eſt exiſtens; Alij etiam ſic arguunt, exiſtẽtia ſi eſt quid diuerſum ab eſſentia, vel eſt ſubſtantia, vel eſt accidẽs: non eſt accidens, quia ex eſsentia, & exiſtentia tunc non fieret vnum per ſe neque eſt ſubſtantia, quia vel eſset forma, vel materia, vel compoſitum, neutrum eſt. Reſpondet Caietanus, quòd exiſtentia ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia, & exiſtentia accidentis eſt accidens, ſed exiſtentia ſubſtantiæ non eſt materia neque forma, neque compoſitũ, ſed actualitas omnium illorum, & ſic reductiuè eſt in genere ſubſtantiæ, & eſt principiũ formale vltimum ſubſtantiæ. Sed hæc reſponſio admittit, quòd exiſtẽtia ſit forma, dicere enim quòd ſit principiũ formale vltimum, eſt dicere, quod eſt forma vltima, cum forma ſit principium formale, ſed hoc poſtea eſt falſum, quia forma pertinet ad eſsentiam rei, iſte autẽ actus eſt extra eſsentiam, & ſic erit accidentalis, vnde faciet vnum per accidens, cum eſsentia, & maximè concludit hoc contra eos, qui in eodem compoſito negant plures formas ſubſtantiales; hac autem opinione ſtante, in quolibet compoſito erit actus ſubſtantialis eſsentiæ, & actus ſubſtantialis exiſtentiæ.

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Reſpõſio Caietan.* *Reijcitur.*

Item ſecundum Ariſtotelem duplex eſt actus (& hanc propoſitionẽ valdè exagerant ipſi in materia de actu entitatiuo materiæ) ſcilicet primus, & ſecũdus; quęro de hac exiſtentia, quam dicunt eſſe actum, vel eſt primus, vel ſecundus: non ſecundus, quia hæc eſt operatio, ergo primus, ſed hæc eſt forma conſtituens eſsentiam, ergo exiſtentia erit forma eſſentiæ. Præterea, dicunt quod eſsentia eſt in potentia ad exiſtentiam, tunc ſic ex Ariſt. in 8. Phyſ. tex. 32. & 2. de Anima 55. & ſecũdum veritatem, duplex eſt potentia, ſcilicet eſsentialis, & accidentalis, at eſsentia non eſt in potentia eſſentiali ad exiſtentiam; quia tunc in ſe non eſset completa, & perfecta, quod eſt cõtra ipſos: neque eſt in potẽtia accidentali, quia exiſtentia ſubſtantiæ nõ eſt accidẽs, vt nunc ex Caietano dicebatur, neque fit ex illis duobus vnum per accidens ſecũdum ipſos, quòd tamen fateri eſset neceſse ſi poneretur in potentia accidentali, ergo eſsentia nõ eſt in potentia ad exiſtentiam, & ſic non diſtinguitur eſsentia ab exiſtentia realiter.

Ex his apparet itaque dicẽdum, quod exiſtẽtia eſt realiter eſsentia, & quod eſt

modus

modus eius intrinſecus, ſicut finitas eſt modus intrinſecus creaturæ, & infinitas Creatoris, vnde hæc exiſtentia ſequitur eſſentiam, qualis enim eſt eſſentia, talis eſt exiſtentia eius, ſi eſt eſſentia ſubſtantialis, exiſtentia eius eſt per ſe exiſtentia, ſi eſt eſſentia non per ſe manens, neque eius exiſtentia eſt per ſe exiſtentia, ſed inexiſtentia, & ita iſta nomina ſunt diuerſa ſubſiſtentia, quæ denotat per ſe exiſtentiam, competit ſubſtantiæ ſolùm, inexiſtētia, quæ ſignificat exiſtere in alio, competit eſſentiæ accidentium, & ſic exiſtentia identificatur cum quacumque eſſentia rei, cuius eſt, & qualis eſt eſſentia, talis eſt exiſtentia, & quia triplex eſt ſubſtātia, ſcilicet materia, forma, & compoſitum, quælibet ſubſtantia habet ſuam exiſtentiam, materia cum ſit imperfecta habet ſuam exiſtentiam, cum ſit ens reale, ſed eſt exiſtentia imperfecta, forma verò habet propriam exiſtentiam, quæ eſt perfecta, ſed tamen per ſe non poteſt manere, tamen eſt talis conditionis, quòd iuncta materia, facit compoſitum, quòd per ſe poſtea exiſtit, & hinc cum forma det eſſentiam compoſito, dat etiam illi exiſtentiam perfectam, quæ dicitur ſubſiſtentia, compoſitum enim ſubſiſtit.

Ad rōnē in cōtrariū. Ad rationes aduerſariorum ex dictis facilis eſt Reſponſio, procedunt enim ferè omnes ex falſa ſuppoſitione, ſcilicet, quòd eſſe ſubſtantiæ creatæ, & eſſe accidentale eiuſdem, recipiantur in aliquo tertio ſcilicet in eſſentia, & ſic ſupponitur id quòd probare deberent, nempè quòd eſſentia ſit diſtincta ab eſſe ſuo, & quòd illud recipiat ſimul cum eſſe accidentali. Ideò ad primam rationem Caie- *Ad 1. Caie.* tani Reſpondeo, quòd minor poteſt habere duplicem ſenſum, vel enim intelligit per eſſe irreceptum eſſe independens, & inproductum, veluti eſt eſſe Dei, & tunc concedo illam minorem, quia tale nihil habet realiter annexum præter ſuū eſſe, ſed tunc non ſequitur concluſio ab aduerſario intenta, ſed ſequitur, quòd eſſe creaturæ, non eſt eſſe irreceptum, ſcilicet independens, quòd concedo, ſed cum infert illam conſequentiam, ergo eſſe, & eſſentia in creatura, non ſunt idem, nego hanc conſequentiam: quia licet eſſe creaturæ non ſit independens, tamen non diſtinguitur realiter ab eſſentia; & hanc cō ſequentiam Caiet. probare debet: ſupponit enim, quod ſolum in eſſe independenti ſit idem eſſe, & eſſentia: nos autem dicimus, quòd nedum in eſſe independenti, ſed etiam in eſſe dependenti ſunt idem. Alius ſenſus minoris poteſt eſſe, quòd intelligat per eſſe irreceptum, eſſe, quòd non recipitur in aliquo alio a ſeipſo diſtincto realiter, & in hoc ſenſu accipit Caietanus, tūc nego minorem ſcilicet, quòd tale eſſe irreceptum non habeat aliquid ſibi annexum. Ad primam probationem, nego quòd cauſa præciſa propter quàm eſſe habet aliquid ſibi annexum, ſit, quia recipitur in alio, hoc enim non eſt cauſa, quia eſſe ſubſtantiæ creatæ non recipitur in alio, & tamen habet annexum accidēs, ſed cauſa eſt, quia eſt ens imperfectum, quod in ſe non habet omnem perfectionem, & ſic ab alijs rebus ornatur, & perficitur. Ad confirmationem dico, quòd eſſe ſubſtantiæ Socratis adunatur cum eſſe accidentali eiuſdem Socratis; concedo ergo quod ſubſtantia, & accidens adunātur ad inuicem, eſt enim ſubſtantia, & eſſentia rei in potentia accidentali ad recipiendum accidens in ſe, cum ſit ſubiectū eius, & conſequenter quoque eſſe accidentis, vt patet.

Ad ſecundam rationem reſpōdeo per *Ad 2.* eandem diſtinctionem de eſſe irrecepto, ſi enim accipit eſſe irreceptū primo modo, concedo maiorem, ſed argumentum tunc concludit, quod eſſe creaturæ non eſt independens, non tamen propter hoc ſequitur, quòd diſtinguatur ab eſſentia creaturæ; ſi accipit in ſecundo ſenſu, vti illam accipit, nego illam maiorē; ad probationem nego minorem; ad probationem minoris, nego illam propoſitionem, quæ in ratione ſubintelligitur, ſcilicet, quòd eſſe irreceptum in ſecundo ſenſu, non ſit compoſitum, licet enim eſſe ſubſtantiale creaturæ non recipiatur in eſſētia tamquam in aliquo tertio diſtincto realiter, tamen eſt compoſitum, ſicuti eſſentia eius eſt compoſita ex materia, & forma, & ex accidentibus, ideò ratio eſt nulla; Sed Caietanus, vel eſt deceptus in illa æquiuocatione de eſſe irrecepto, vel

voluit

voluit nos decipere. Ad illud exemplum de albedine, concedo, quòd ſi albedo ſit per ſe, erit ſimplex, non tamen ſequitur propter hoc modò, quia inhæret ſubſtantiæ, ſit compoſita ex eſſe, & eſſentia, vt dictum eſt. Inſuper falſum eſt, quod eſſet infinita, quia ſibi repugnat intrinſecus infinitas, ſicuti alijs rebus creatis, finitas enim in creaturis eſt modus eius intrinſecus, ſicuti infinitas in Deo, de quibus rebus ſuo loco; Ad tertium Negatur Minor, quo ad primam partem, quòd prædicata quidditatiua conueniant rei abſque omni cauſa effectiua, & ratio negationis eſt: quia eſſentia, & quidditas hominis, eſt compoſitum, modò ad compoſitum conſtituendum non requiruntur ſolùm cauſæ internæ, ſed externæ, forma enim ex ſe ſine agente non dat eſſe compoſito, ſed virtute agētis; cum ergo quidditas hominis, & eſſentia eius ſit ens reale conſtitutum ex materia, & forma, habet quoque cauſam efficiētem. Illud quidem verum eſt quòd talis quidditas, & eſſentia non reperitur ſine ſingularibus actu, tamen ipſa per ſe, eſt ens reale, quòd contrahitur ad ſingulare, & indiuiduationem, per differentiam indiuidualem.

Ad 3.

Ad probationem *dico*, quòd falſum ſupponit, nempè roſam poſſe eſſe ens reale abſque cauſa efficiente; quia ſi roſa nō habet cauſam efficientem, ipſa in ſe nihil eſt, quia ſi eſſet, & eſſet ſine cauſa efficiente, eſſet ens incauſatū effectiuè, vti Deus, quòd non poteſt dici de creatura: ſecluſa ergo cauſa efficiente, non eſt verum dicere, quod Roſa ſit ſubſtantia corporea, quia ſi Roſa non eſt, quomodo ei competere poſſunt illa prædicata? quòd enim eſt non ens, nullum in ſe claudit prædicatum, alioquin poſſemus dicere etiam, chimera eſt ſubſtantia corporea, verificantur ergo talia prædicata de roſa, quia roſa in ſe eſt ens reale, & natura quædam communis, vti cæteræ ſpecies entium effectiuè producta à ſuis cauſis efficientibus. Nota tamen, quod ſi actu nulla roſa particularis reperiretur, quod non eſſet verum dicere, quòd roſa ſit ſubſtantia corporea, quia deſtructis illis particularibus, etiam natura communis euaneſcit;

Notandum.

Competunt ergo prædicata per ſe, & definitio ipſi roſæ, quia eſt ens reale extra ſuas cauſas efficientes, licet non reperiatur diuiſa à ſingularibus. Ad primam rationem Pauli Soncinatis, negatur, quod eſſentia ſit indifferens ad eſſe, & ad non eſſe: quia implicat contradictionem; poteſt quidem intelligi eſſentia, non conſiderando, an exiſtat, vel non, ſed non poteſt intelligi eſſe ſine exiſtentia, quod eſt dictū (vt dicunt noſtrates) poteſt intelligi eſſentia ſine exiſtentia præciſiuè, nō diuiſiuè. Ad ſecundam negatur falſitas cōſequentis. Ad probationem negatur Maior; ad probationem dico, quod ratio limitationis creaturarum eſt finitas interna, finitas enim eſt modus intrinſecus in creatura, vt ſuo loco dicam.

Ad 1. Soncinatis. *Ad 2.*

Ad tertiam ſupra reſponſum eſt. *Ad 3.*

Ad quartā nego, quod quælibet creatura non participet eſſentiam, eſſe enim, & eſſentia, eſt propria Dei, creaturarum verò eſt per participationem; quod autem dicit, quod nulla creatura participet eſſentiam ſuam, concedo: quia iam habet totam ſuam eſſētiam: ſed neque hoc modo participat eſſe ſuum, ſed habet illud totum, at participat eſſe, & eſſentiā accipiendo eſſe, & eſſentiam in communi, quia creatura non eſt eſſentia per ſeipſam, ſed per participationem non enim creatura eſt totum ens; ſed pars entis, & eſſentiæ in communi. *Ad 4.*

Ad quintam negatur Minor, quæ ab ipſo non probatur, ſi intelligat, quod eſſentia prius ſit eſſentia, & poſtea ſit in potentia ad eſſe, vt ipſi dicunt: ſi verò intelligunt, quod quælibet eſſentia creata eſt in potentia ad eſſe, ſcilicet prius eſt poſſibilis eſſe, & poſtea actu eſt, hoc modo cōcedo, ſed tunc non concludit aliquid pro aduerſario. *Ad 5.*

Ad ſextam dico, quod falſum eſt, nos poſſe intelligere roſam abſque exiſtentia diuiſiuè, concedo quidem præciſiuè, vt dictum eſt ad primam. *Ad 6.*

Ad ſeptimam dico, quod illæ authoritates ſolum concludunt exiſtentiam diſtingui formaliter, & ex natura rei ab eſſentia, non realiter, &c. *Ad 7.*

THEO-

THEOREMA XXXIII.

Natura eſt principium motus paſſiuum tantum.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Scot⁹. SCotus multis in locis aſſerit naturam eſſe principium paſſiuum tantum motus,ſed præcipuè 2. Sent. diſt. 18. quæſt. vnica,in confutatione opinionis Alberti, de rationibus ſeminalibus,& 4. Sentent. diſt.43.q.4.& 5.Metaph.capite de materia in expoſitione. Rationes eius ex 2. Sent.ſunt iſtæ. Primò. Illa eſt naturalis 1. rō. mutatio, in qua paſſum mutatur ſicut aptum natum eſt mutari à quocumque agente fiat illa mutatio;ſed paſſum nunquam dicitur ſic aptum natum propter principium actiuum,ſed propter principium paſſiuum internum. Ex hoc colligitur, quod natura eſt principium paſſiuū internum non actiuum. Secunda propoſitio probatur ex 2. Phyſicorum textu 5. vbi Ariſtotel. declarans quæ ſint illa quæ ſunt ſecundum naturam, ait, quod ſunt illa,quæ inſunt rebus naturalibus per ſe, vt ignem ferri ſurſum,poſſumus addere, & vt terrā ferri deorſum,&c. Ecce, quòd ait illa eſſe ſecundam naturam, quæ inſunt rebus ſecundum principium paſſiuum, non actiuum, non enim ait ferre ſurſum in igne eſſe ſecundum naturam, ſed ferri ſurſum, ergo natura eſt principium paſſiuum, non actiuum; probatur eadem propoſitio ex 8.Phyſic. tex. 27.& infrà, vbi Ariſtot. facit illam diuiſionem de mouentibus, declarans enim, quod mouentia alia ſunt ſecundum naturam, alia violenta, & extra naturam, ait,quod illa quæ mouentur contra principium paſſiuum,non mouentur naturaliter,ſed violenter; & exemplificat, vt cum terra mouetur ſurſum, & ignis deorſum, hic motus eſt contra naturam,& partes animalium multoties mouentur extra naturam, vt cum extollit homo manum, &c. Ecce quod hoc in loco determinat naturalitatem motus penes principium paſſiuum, non penes principium actiuum. Prima propoſitio eſt per ſe clara, mutatio enim, in qua paſſum mutatur aliter quàm ſit aptum mutari dicitur violenta, vt motus terræ ſurſum. Concluſionis ſequela eſt clara:quia ſi motus dicitur naturalis propter principium paſſiuum tantum,ſequitur clarè, quod natura ſit principium motus non actiuum, ſed paſſiuum.

Secunda ratio. Natura eſt principium motus internum rei,non externum: ſed natura eſt principium paſſiuum internū ſolum quo ad principium,non quo ad actiuum, ergo natura eſt principium tantum. 2. rō.

Maior eſt clara ex definitione naturæ, Minor probatur per Ariſt. 2. Phyſ. tex. 3. in declaratione definitionis naturæ, vbi declarans, quod natura non eſt principium accidentale,ait, quod infirmo accidit eſſe medicum, & per medicinam ſanari, duo enim ſunt in infirmo medico, principium actiuum ſanitatis,nempè eſſe medicum,& principium paſſiuum, in infirmo, vult Ariſt. quod illud principiū actiuum ſanitatis ſcilicet eſſe medicum ſit accidentale, non per ſe, & conſequenter vult, quòd ſit quid externum, ſolum ergo natura quo ad paſſiuitatem, eſt internum principium non quo ad actiuitatem,quod ſi etiam illud principium actiuum ineſſet infirmo per ſe,non poſſet dici natura: quia tunc infirmus ſanaretur in quantum medicus, non in quantum infirmus, ſed hoc eſt falſum, quia ſanatur in quantum infirmus, & ſic illi infirmo cōpetit motus ſanitatis ratione principij paſſiui,non autem actiui.

Tertia ratio. Internum illud principiū actiuum, & vis, non poteſt eſſe natura: quia illa non agit niſi agens extrinſecum agat prius, quia ſi ageret ante per vnum diem,eadem ratione,& per quattuor, & ſic ſemper aſcendendo, & ita perpetuò illa ratio egiſſet in materiā; clarum eſt ergo,quod agens extrinſecum prius agit, & prius illam excitat, ſed in illo inſtanti, in quo prius agit agens extrinſecum, eſt actio naturalis,aliter quam eſſet naturalis,quia omnis tranſmutatio cauſatur ab agente extrinſeco; has eaſdem rationes habet in 5.Metaph.c. de natura, clarius. 3. rō.

Aduer-

Aduerſariorum poſitio cum ſuis fundamentis. Cap. II.

ADuerſus hanc ſententiam Scoti sũt ferè omniũ Philoſophorum Scholæ, qui omnes ſuſtinent, quod natura eſt tam principium actiuum quam paſſiuũ motus: vno excepto Simplicio, qui in 2. Phyſicorum tenet, quod natura eſt ſolũ principium paſſiuum: ſed vlterius progreditur, & ait, quòd Anima nullo modo eſt natura, neque ſub natura continetur. Ex quo apparet, quòd Simplicius partim eſt cum Scoto, & partim non eſt cum Scoto; dum dicit, quòd natura eſt ſolum principium paſſiuum, eſt cum Scoto, diſſentit verò à Scoto dum negat Animam eſſe naturam, nam Scotus vult, quod Anima cum ſit forma, ſit natura, & tamen natura eſt principium paſſiuum, vt videbimus. *Simplicius.*

Multi ergo aduerſus Simplicium arguunt & probant, quòd natura ſit principium actiuum; & hæc argumenta militãt quoque aduerſus Scotum, ideò oportet illa adducere & conſiderare ad claram cognitionem opinionis Scoti.

Zab. 1. Primò itaque arguit Zabarella, libro de Natura, cap. 3. & hæc ſunt potiora argumẽta, quæ ab Aduerſarijs adduci poſſunt. Primo Anima ab Ariſt. pluribus in locis appellatur natura, at Anima eſt forma, & principium actiuum, ergo natura eſt principium actiuum, Minor eſt clara, maior probatur, primo auctoritate Ariſt. qui in 2. Phyſic. tex. 7. & 13. eiuſdem ait, quod ſi effodiatur lectus ita vt germinet, produceret lignum, non autem lectum, & ait eam eſſe operationem naturæ, ſed illa operatio, ſcilicet germinare, eſt operatio animæ vegetantis, ergo appellat Animam naturam. Item 8. Phyſ. tex. 27. ait animalia habere in ſeipſis principium motus ſui, eumque dicit fieri à natura, modò motus illi fiunt ab anima, ergo anima ab Ariſt. appellatur natura. Item primo de partibus animalium c. 1. ait animã eſſe naturam, licet dubitet de mente, ſed de nutriente & ſentiente, concedit, quòd ſunt natura, quia ſunt principium motus. Vltimò cui competit definitio, eidem cõpetit nomen definiti, & natura definiti, ſed animæ competit definitio naturæ; eſt enim verum, quod anima eſt principium motus & quietis illius, in quo ineſt primo & per ſe, non per accidens, ergo anima eſt natura.

2. Secundò ex Ariſt. in 2. Phyſic. à textu 7. vſque ad 15. habemus, quòd forma eſt natura, & magis natura, quàm materia; tunc ſic: ſed forma eſt principium actiuum motus (vt patet) ergo natura eſt principium, nedum paſſiuum, ſed etiam actiuum motus. 3. Tertiò Ariſt. in 3. tex. 2. Phyſ. declarans definitionem natura, ait ſe appoſuiſſe illam particulam per ſe, & non per accidens propter medicum ſanantẽ ſeipſum, qui licet per artẽ ſanet ſeipſum, non tamen ars poteſt dici natura, quia nõ eſt principium per ſe, ſed per accidens, modò certum eſt artem medicam in medico eſſe principium actiuum ſanitatis, ergo naturam quoque eſſe principium actiuum ſanationis intellexit, ſed per ſe, vbi Ars erat per accidens.

4. Quartò Ariſt. ibi clarè dicit arte facta non habere in ſe principium factionis, ibi autem vult affirmare de naturalibus id, quòd de artificialibus negat, ſed arte facta non habent in ſe principium actiuum motus, ergo vult, quòd naturalia illud habeant, & ſic natura erit principiũ motus, & quietis.

Mercenarius. 1. Mercenarius quoque in ſuis Dilucidationibus in declaratione definitionis naturæ, aduerſus Simplicium, probat quod anima eſt natura, quia Ariſt. poſtquam diuiſit ea, quæ ſunt, alia in conſtantia natura, alia in conſtantia arte, inter conſtantia natura numerat ſimplicia corporea, ſtirpes, & animalia, at animalia habent eſſe, & motum per animam, ergo anima eſt natura, & ſic natura erit principium actiuum, cum anima ſit principium actiuum. 2. Secundo, Mercenarius contra Simplicium adducit auctoritatem Ariſtot. ex 86. text. 2. Phyſ. vbi Ariſt. dicit, quòd ſi ars nauis factiua eſſet in ligno, ageret ſicut & natura agit in eo in quo eſt, ex his verbis apertè colligitur, quod natura eſt cauſa agens motus.

Scot. Scotus etiam ex aduerſarijs aduerſus ſe adducit nonnullas rationes, quarũ aliquæ

quæ ſuperius adductæ ſunt, præter illas adducit has duas. Primum, Ariſt 6. Metaph. dicit, quod principium artificialiũ eſt in cognoſcente, & principium natura lium in motu tex. 1. ibi autem accipit principium vniformiter, aliter argumentum non valeret, ſed principium artificialiũ, quod eſt in cognoſceate, non eſt paſſiuũ principium ſed actiuum, ergo principiũ naturalium, quod eſt in motu, erit quoque actiuum. Secundam, Violentum eſt, cuius principium eſt extra non conferrẽte vim paſſo 3. Ethic. cap. 1. id eſt paſſo non concurſante per actionem, ergo per oppoſitum paſſum naturale eſt, quod nõ mouetur totaliter ab extrinſeco; ſed paſſum concurrit agẽdo, oportet ergo quòd in re naturali ſit principium actiuum motus, illud non poteſt eſse aliud quam natura, ergo natura erit principium actiuũ motus. Vltimo ego dubito ſic: A principio actiuo denominatur actio naturalis, ſed actio naturalis dicitur naturalis à natura, ergo natura eſt principium actiuum motus, Maior probatur: quia dicimus, quod ignire in igne eſt actio naturalis eius, neque enim quis diceret, quod ſit actio violenta, vt prouenit ab igne, ecce, ergo, quod ignitio dicitur naturalis vt prouenit ab igne actiuè, Minor eſt euident.

1.
2.

Allata opinio reijcitur. Cap. III.

AD confutandum hanc opinionem, quod natura ſit principium actiuum, & paſſiuum, ſufficiunt profectò rationes allatæ à Scoto, quibus neminem reſpondere vidi. Cum enim actio naturalis dicatur à principio paſſiuo, non actiuo, ſequitur, quod natura ſit principium paſſiuum tantum, non actiuum, poſſumus addere, quod ſi forma, vt eſt principium actiuum, eſset natura, ſequeretur, quòd omnis motus factus à forma actiuè, eſset naturalis, quia prodiret à natura, attamẽ hoc eſt falſum, quia omnes concedunt, quod cum animal mouet ſe ſurſum, videlicet cum ſaltat, ille motus eſt violentus, & contra naturam, vt expreſse dicit Ariſtot. in 8. Phyſicorum loco ſuprà citato, & tamen ille motus eſt ab anima, quæ eſt forma. Secundò omnis motus tam internus, quàm externus fit à forma tamquã à principio actiuo, ergo omnis motus eſſet naturalis, & ſic nullus daretur motus violentus. Pręterea Ariſt. 2. Phyſic. tex. 71. & 73. quærens diſcrimen inter mouentia naturalia, & non naturalia, ponit ipſum penes principium paſſiuum, ait enim, quod mouentia mota ſunt Phyſicæ conſiderationis, ſed moueutia, non mota, nõ ſunt Phyſicæ conſiderationis; ecce quod Ariſt. apertè diſcernit mouentia phyſica à mouentibus non phyſicis, per principium paſſiuum, non per actiuum, ergo ſignum eſt, quod natura eſt principium paſſiuũ tantum, & hoc confirmatur: quia ibi reddens rationem cur mouentia mota ſint phyſicę cõſiderationis, ait: quia in ſeipſis habent principium motus; & hæc ſunt verba textus (non enim in ſeipſis habentia motum, aut principium motus, mouent, ſed mobilia ſunt) quæro modo quid intelligat ibi per principium motus, non poteſt dici, quod intelligat principium actiuum, quia illud habent mouentia immobilia, mouent enim ex interna natura, licet ipſa non moueantur; oportet ergo intelligere de principio paſſiuo, ſcilicet quod illa, quę quidem mouent, ſed tamẽ ipſa in ſe ſunt ſuſceptiua motus, ſunt naturalia, & ſic naturalitas ſumitur penes principium paſſiuum; & hic locus certè efficaciſſimus eſt. Idem clarius dicit in tex. 73. ſub his verbis, duo ſunt principia phyſicè mouentia, quorum alterum non eſt phyſicum, quia non habet principiũ motus in ſeipſo, hæc Ariſt. at certum eſt, quod mouens non phyſicum, habet principium actiuum, & caret ptincipio paſſiuo, ergo mouens phyſicum diſtinguitur à non phyſico per principium paſſiuum.

1. ro.
2. rõ.
3.

Quartò poſſumus etiam confirmare ex 3. Phyſ. in definitione vtraque motus, clarum eſt enim, quod natura maximè ignoratur ignorato motu, & conſequẽter maximè cognoſcitur cognito motu, vt habetur in initio illius tertij; ex cognitione ergo motus facilè veniemus in cognitionẽ naturæ, modò Ariſt. in definiendo motũ, ait (Motus eſt actus entis in potentia, vt in potentia) & in ſecunda definitione ait Motus eſt actus mobilis, vt mobilis; omnes in expoſitione illius definitionis dicunt, 4.

cũt, quod ponitur illa particula (vt in potētia) ad denotandum, quod motus eſt actus entis non ex ea parte, qua mobile eſt ens, ſed qua eſt potentia; ex hoc habemus validam comprobationem noſtræ opinionis, quoniam motus ineſt enti non ratione actus, & principij actiui, ſed ratione potentiæ, & principij paſſiui; ſignum eſt ergo, quod ens eſt naturale propter principium paſſiuum motus, non actiuum; Sed hæc opinio magis apparebit ex declaratione ipſius, & ſolutione rationum aduerſariorum.

Dilucidatio opinonis Scoti, & ſolutio rationum allatarum in oppoſitum. Cap. IV.

NOtandum eſt itaque Primò, quòd natura dicitur tam de materia, quàm de froma, vt optimè docet Ariſt. in 2. Phyſic. ſed quomodo dicatur de forma, non rectè intelligitur ab aduerſarijs, quia dicunt, quod dicitur de forma, vt eſt principium actiuum, hoc autem falſum eſt, vt probauimus; Nos autem dicimus, quod dicitur de forma quatenus forma eſt principium paſſiuum, & ſic natura dicitur de materia, & forma, & de vtraque, quatenus ſunt principium paſſiuum. Pro cuius intelligentia ſciendũ eſt, quod materia non dicitur eſſe principium paſſiuũ motus, ſecundũ illam vuiuerſalem potentiã, quæ eſt in materia prima, quæ eſt capax omniũ formarum; vt perperam intelligunt multi ex aduerſarijs, quia tunc nullus eſſet motus violẽtus, ſi quidẽ materia eſt in potentia paſſiua ad omnes formas, & ſic ignẽ ferri deorſum, nõ eſſet motus violentus, nec cõtra inclinationem paſſiuam ignis, quia materia eſt capax omniũ formarum, & motuum, eſt ergo dicendũ, quòd materia eſt principium paſſiuũ indeterminatũ, quãtum eſt ex ſe, ſed potentia paſſiua ſibi determinatur a forma, materia enim ex ſe nõ eſt magis determinata ad motũ ad hũc locũ, quàm ad alium, & cõſequenter res naturalis non habet a materiã inclinationem paſſiuam ad hunc locum, & non ad illum, ſed a forma; ignis enim aptus natus eſt ferri ſurſum, nõ per materiã, ſed per formam ignis, ſic de terra, & de alijs, res ergo naturalis habet inclinationẽ paſſiuam à materia quidem, ſed illa determinatur à forma, & hoc modo forma dicitur principium paſſiuum, quia ipſa eſt quæ dat eſſe tale rei compoſitæ, & conſequenter dat talẽ, & talẽ inclinationem paſſiuam, & quia hæc inclinatio magis pendet à forma, quàm à materia, vt patet, quia forma eſt, quæ determinat rem ad hanc, & illam inclinationem; hinc fit, quod appellat Ariſtoteles formã magis naturam, quàm materiam; hæc eſt clara mens Scoti, vt patet ſoluendo rationes aduerſariorum 2. Sent. diſt. 18. Ideo perperam Zabarella carpit Scotum tribuendo ei, quòd aſſerat materiã eſſe principium paſſium ſecundum illam potentiam vniuerſalem materiæ: hoc enim nõ dicit Scotus, ſed dicit ſicuti declaraui, vt videre eſt apud eum loco citato.

Secundò notandum eſt, quòd res naturales (vt omnes norunt) conſtituuntur ĩ eſſe ex materia, & forma, ita quod ex materia, & forma reſultat compoſitũ, quod habet ſuam quidditatem, & eſſentiam, qua eſt tale compoſitum, de qua locuti ſumus in Theoremate de toto, & partibus an diſtinguantur realiter; hæc autem eſſentia, & quidditas compoſiti, principaliter habet eſſe à forma, vt patet. Inſuper, hæc quidditas, & eſsentia eſt talis conditionis, quòd habet ſuas proprietates, & inclinationes per quas eſt capax diuerſorum motuũ, & variæ quietis, & has omnes illi largitur forma: ſed iſtæ proprietates ſunt principaliter paſſiuę, quia iſtę res naturales ſunt ſubiectæ motui, & mutationi, & per hoc dicuntur naturales ad differentiam intelligentiarum, quæ non habent has inclinationes paſſiuas ad perfici, vel ad corrumpi, iſtæ verò naturales illas maximè habẽt, ergo eorũ eſsentia, & quidditas eſt in potẽtia paſſiua ad varios motus, & quietis, & ſic principaliter hẽnt propriũ pati, agere verò eſt illis quodammodo accidẽtale, quaten⁹ naturalia sũt, vndè non agũt niſi moueantur ab alio, & motus originatur ab intelligẽtijs, quę nõ ſunt naturales, cũ ergo paſſio ſit maximè propria rei naturalis, vel ſaltẽ magis quã actio, hinc iure dicimus naturã eſse principium paſſiuum, non actiuũ, ſiquidẽ natura nil aliud eſt, niſi illa proprietas, incli- *The. 21.*

natio,& propenſio ad motum, quæ eſt in eſſentia,& quidditate rei naturali,illa autem,vt dictum eſt,eſt paſſiua præcipuè, actiua verò quodammodo ſecundariò,& ideò dicimus naturam eſſe principium paſſiuum,& hinc ſoluitur illud dubium, quod multos turbat, nec benè ſoluitur, quod natura videtur quid abſolutum, & ſubſtantiale,ſiquidem eſt materia,& forma;quæ ſunt abſolutę,& ſubſtantiæ,Ariſtoteles autem definit naturã per principium,quòd eſt relatiuum,dicit enim,natura eſt principium motus,&c. Ad hoc enim dicimus nos,quod re vera natura nõ eſt propriè illa quidditas,& eſſẽtia cõpoſiti,quæ reſultat ex materia,& forma: nã illa eſt habens naturam,vt dicit Ariſtoteles in ſecũdo Phyſicorũ:ſed quia hæc quidditas habet ſuam proprietatẽ,qua inclinatur ad diuerſos motus,hæc propenſio, & proprietas eſt natura, & eſt illa,quæ definitur ab Ariſtotele,cum dicit: natura eſt principium motus,&c. id eſt, natura eſt proprietas,& inclinatio eſſentię rei ad motum,& quietẽ;& hæc non eſt ſubſtantia, ſed qualitas ſupra quam fundatur relatio principij, & ideò iure definitur per principiũ. Vel dicamus,quod natura eſt ſubſtãtia,quia nos Scotiſtæ dicim⁹,quod propria paſſio eſt eiuſdem Prædicamenti cũ eo cuius eſt paſſio,& ſic hæc proprietas erit de Prædicamento ſubſtãtiæ,cũ ſit paſſio eſſentiæ compoſiti ſubſtãtialis. Definitur autem per principium,quia ſuper ipſam fundatur relatio principij, eſt enim vt diximus principium,quo quidditas talis compoſiti eſt ſuſceptiua talis motus, hæc ergo proprietas eſt natura, & ſic omnes eſſentiæ,quæ tale principium paſſiuũ motus habẽt,ſunt naturales,quæ verò eo carẽt,non ſunt naturales; Ex his omnib. clarè apparet, quòd natura eſt principiũ paſſiuũ tãtũ; alioquin ſi natura eſſet principiũ actiuũ,res naturales non differrẽt à Diuinis,& carentibus materia, materia verò,& forma dicuntur natura, quia conſtituunt eſſentiam,& quidditatẽ compoſitam,quæ habet naturam,& quia forma magis operatur in conſtitutione talis eſſentiæ,ideò forma dicitur magis natura, quam materia. Hinc facilè reſpondere poſſumus ad rationes aduerſariorum.

Soluitur dubium.

Ad primam, concedo, quòd anima ſit natura,quia eſt forma, & forma eſt natura,& magis natura,quam materia:ſed dico, quod forma eſt natura ratione principij paſſiui,non actiui, vt dictum eſt ſuprà,& hoc confirmatur:quia operationes animæ præcipuè conſiſtunt in pati; iam intelligere eſt pati, ſentire eſt pati,ſimiliter vegetare,augeri,nutriri,eſt pati; iſtæ enim operationes competunt compoſito propter formam,quæ eſt anima, quæ cõſtituit eſſentiam,& quidditatem compoſiti; quædam autem operationes inſunt animæ,reſpectu quarum eſt merè actiua, vt mouere corpus de loco ad locum, ſed reſpectu harum forma non dicitur natura,ſed agens,& ſimilis eſt agentibus æternis, & vt ſic eſt indifferens ad eſſe agens naturale,& violentum:ſi enim mouet cõformiter inclinationi paſſiuæ rei motæ,eſt agens naturale,ſi è contra, eſt agens violentum. Pro tanto ergo forma eſt natura, pro quanto ipſa eſt dans principium paſſiuum rei,quàm conſtituit in eſſe. *Ad 1.*

Ad ſecundam per idem reſpondetur. Concedo enim,quod forma eſt natura,& magis natura quam materia, ſed ſolum prout eſt principium paſſiuum,non actiuum. *Ad 2.*

Ad tertiam dico, quòd appoſuit Ariſtoteles illam particulam, per ſe, & non per accidens, ad denotandum quod natura eſt principium internum per ſe, & non per accidens,huiuſmodi autem eſſe, ſolum principium paſſiuum,denotat,nõ actiuum:quia infirmo qui ſanatur, accidit quod ſit medicus, & tamen in quantum medicus, eſt principium actiuum ſuæ ſanitatis,ſed eſſe ſuſceptiuum ſanitatis,ineſt ſibi per ſe, & ſic principium paſſiuum motus ineſt ei per ſe, actiuum per accidens, & ſic natura cum ſit principiũ internum, erit ſolum principium paſſiuum,vt deducebat Scotus in ſua ſecunda ratione: quæ expoſitio etiam valde congruit textui,ſi diligenter inſpiciatur. *Ad 3.*

Ad quartam dico, quod ibi intelligit de principio paſſiuo,artificialia enim habent nullum principium internum paſſiuum motus;quia artificiale vt artificiale,non magis tendit ad hunc motum,quã ad alium; at naturalia omnia habent *Ad 4.*

pre-

propriam inclinationem paſſiuam ad ſuũ motum, & hæc eſt differentia, quam intendit ibi Ariſtoteles.

Ad 1. Ad primam Mercenarij dicitur, vt ad primam Zabarellæ, concedimus enim, quod anima eſt natura, ſed quatenus eſt principium paſſiuum, non actiuum.

Ad 2. Ad ſecũdam rationẽ dimiſſis aliarum reſpõſionibus, dico, quod natura duobus modis accipitur: vno modo pro principio motus ſecundum quam in præſenti locuti ſumus; alio modo prout contradiſtinguitur ab arte, & ſecundum hanc acceptionem agens, quod eſt liberum, & principium artis, quod dicitur agens à propoſito diſtinguitur ab agente naturali, quod eſt illud, quòd agit ſine libertate, & propoſito. Tunc ad Ariſt. quando ait, quòd natura agit propter finem, dico, quod ibi accipit naturam prout contradiſtinguitur ab arte, ſcilicet pro agẽte determinato ad vnum; hoc enim quoque agit propter finem, nos autem in præſenti non loquimur de natura in tali acceptione, & hęc eſt ęquiuocatio, quę decepit multos.

Ad 1. Ad primum Scoti, reſpõdet ipſe, quod principium artificialium eſt in cognoſcẽte, verũ eſt de principio actiuo, ſed principium naturalium eſt in moto, verũ eſt de principio paſſiuo; neque verum eſt, quòd accipiat principium vniformiter in vtroque, vt aliàs dicam.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondet, quod auctoritas illa debet ſic exponi, quod violentũ eſt illud, quod eſt contra inclinationem paſſiuam paſſi, & ideò agenti externo nõ præbet inclinationem paſſiuam, neque tendentiam, ſed potius inclinationem cõtrariam. Vndè ad formam argumenti reſpondetur, differentiam inter naturale & violentum conſiſtere per ſe in hoc, quod paſſum naturale mouetur ab agente, ſed ſecundum inclinationem paſſiuam, & hac ratione paſsum dicitur concurrere cum principio externo, violentum vero mouetur contra inclinationem paſſiuã, & hac ratione dicitur non concurrere cũ agente. Ex hoc autem non ſequitur paſſum naturale, vt naturale, habere principium internum actiuum ſui motus, ſed ſolum paſſiuum: quod autem habeat actiuum, accidit ſibi vt naturale eſt.

Ad vltimam difficultatem reſpondeo per diſtinctionem, quæ omnem ambiguitatem aufert in hac re, quod aliquid eſſe naturale, poteſt accipi tribus modis; vno modo id dicitur naturale, quod eſt conforme principio paſſiuo rei, vt terræ ferri deorſum eſt naturale, & hoc modo aliquid dicitur propriè naturale, quia denominatur à natura propriè dicta, de qua locuti ſumus; alio modo aliquid dicitur naturale, quia eſt ab agente ſine propoſito, vt calefacere in igne, eſt actio naturalis, quia ignis agit ſine diſcurſu. Ad 3.

Tertiò modo aliquid dicitur naturale, quia eſt proprium alicui, vt riſibile dicitur eſſe naturale homini, quia eſt proprium homini.

Ad propoſitum cum dicimus ignire in igne eſt naturale ei; dico, quod hic naturale accipitur pro eo, quod eſt proprium, & ſic ignire eſt naturale igni, ideſt proprium igni, non tamen ſequitur propter hoc, quod natura propriè dicta ſit principium actiuum; vel dic, quod eſt naturale ſecundo modo.

THEOREMA XXXIV.

Accidẽs non poteſt producere ſubſtantiã.

Opinio Scoti, & eiuſdem impugnatio cum opinione quorumdam aduerſariorum ex modernis. Cap. I.

SCotus 4. Sententiarum diſt. 12. q. 3. in initio, & diſt. 1. q. 1. apertè aſſerit, & probat, accidens non poſſe producere ſubſtantiam neque principaliter, neque inſtrumentaliter: ſed vult, quod ſubſtantia producatur non niſi à ſubſtantiali forma; concedit quidem accidens diſpoſitiuè agere ad productionem ſubſtantiæ, & producere quaſdam præuias diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem: ſed non vult, quòd actio accidentis attingat ad productionem ſubſtantiæ: ſed ſolum hanc attingat forma ſubſtantialis. Vndè hoc modo exponit authoritatem illam ex ſecundo de Anima textu 30. calor naturalis eſt quo anima agit, inquit enim, quod non plus concludit, niſi quòd calor eſt inſtrumentum: hoc mo- Scot.

do, quia ſcilicet digerit, & alteras nutrimentum, vt in termino illius alterationis poſſit ex ipſo generari ſubſtantia carnis, vnde ſunt ibi duæ actiones, & duo principia agendi: quia reſpectu alterationis præuiæ, principium agendi eſt calor, reſpectu autem formæ carnis inducendæ, principium eſt anima, vel forma ſubſtantialis carnis, & primum agens in hoc ſenſu dici poteſt inſtrumentum reſpectu ſecundi, quia eſt agens diſpoſitiuum ad ſecundũ agens, quòd eſt forma ſubſtantialis, & licet Scotus multa dicat ibi de accidente ſeparato à ſubſtantia, & probet contra D. Thomam, quod tale accidens ſeparatũ, non poteſt producere ſubſtãtiam, neque principaliter, neque inſtrumentaliter, & hæc ſit diſputatio Theologica, tamen reſpondendo ad quæſitum etiam apertè oſtendit, quòd accidens coniunctum non poteſt producere ſubſtantiam, & hoc probat in via naturali; nos autem loquimur nunc de accidente cõiuncto, quia ſumus in philoſophia Ariſtotelis, ſecũdũ quàm, accidens nũquam ſeparatur à ſubſtantia. Pro hac opinione ſunt multæ rationes, quas in confutatione aliarum opinionũ adducam, ne idem plùries repetamus.

1. rõ. cõtra opin. Scoti. Aduerſus hanc opinionem Scoti inſurgunt quidam his rationibus. Primò ex Ariſtotele, deinde ex experientia. Ex Ariſtotele, quia in libro de ſenſu, & ſenſili, cap. de ſapore, ait ignem non agere vt ignis eſt, ſed vt calidus eſt, ergo principalis actio ignis, quæ productio ſubſtantiæ eſt, non eſt ab igne vt ignis eſt, ſed, vt eſt calidus, ergo caliditas in igne, eſt principium producendi ſubſtantiam, ſed caliditas eſt accidens, ergo accidens producit ſubſtantiam.

2. Secundò. In primo libro de generatione ſcriptum eſt, actionem non poſſe fieri, niſi vbi eſt contrarietas, quia debet agens eſſe contrarium patienti, at contrarietas non eſt propriè in ſubſtantia, ergo, ſubſtantia non poteſt generare ſubſtantiam.

3. Tertiò, experientia compertum eſt, ſubſtantiam produci ab accidente: nam videmus calorem, qui eſt in ferro ignito, ignire ſtupam, & à lumine aeris ob reflexionem radiorum produci ignem, ſimiliter per motum localem, vt per attritionẽ duorum corporum ignem procreari.

His rationibus moti iſti, aſſerunt quod ſubſtantia non generat ſubſtantiam, ſed accidens, & ſuſtinet, quod accidens abſolutè ſua virtute poteſt producere ſubſtantiam, cum enim ſubſtantia, vt viſum eſt nunc non poſſit producere ſubſtantiam, neque accidens in virtute ſubſtantiæ ſubſtantiam producere poſſit, vt oſtendetur nunc cõtra Thomiſtas, relinquitur, quod accidẽs propria virtute poſſit producere ſubſtantiam. Reſpondent etiam rationibus quibuſdam Scoti, ſed eorum reſpõſiones nunc videbimus, dum hanc opinionem confutabimus. Opin. Perrerij lib de cauſis ca. 5. & inde.

Confutatio huius opinionis, & ſolutio rationum contra Scotum. Cap. II.

SCotus aduerſus hanc opinionẽ ex profeſſo arguit loco ſuprà citato, concluſione ſecunda reſpondendo ad quæſtionem. Prima ratio eſt hæc. Omne agens totale, vel eſt vniuocum, & ita eſt æquè perfectum vti effectus; vel eſt æquiuocum, & tunc eſt perfectius effectu, ſed accidẽs non eſt æquè perfectum, vt ſubſtantia, neque perfectius ſubſtantia, ergo accidens non poteſt efficere, & producere ſubſtantiam. 1. rõ. Minor propoſitio eſt clara; Maior etiam eſt nota; attamen, quia fòrſan negaretur à proteruo adducendo inſtantiam, quòd aliquod agens æquiuocũ eſt ignobilius aliquando ſuo effectu, ſicut albedo reſpectu intellectionis albedinis, & ſimiliter vis formatiua fœtus, quam vocat Galenus diuinam, eſt accidens, & ſic eſt ignobilior fętu, & tamen producit fętũ: ideò Scotus hãc propoſitionẽ declarat, & probat ſic. Hæc propoſitio eſt per ſe nota: q̃a negata hac propoſitione, non poteſt probari primũ ens eſſe perfectiſſimum, & tollitur omnis ordo in nobilitate, & perfectione: nã negata hac propoſitione, poſſet proteruus dicere, quod totus mundus, & quodlibet in eo, factũ eſt à muſica, & certè hoc veriſſimũ eſt, ſi enim cauſa æquiuoca poteſt eſſe ignobilior, cur volet dicere Ariſtoteles, quod primum ens, à quo cælum pendet, & tota natura, ſit perfectius ens iſtis reb. factis? nõne poteſt eſſe quid ignobiliſſimũ, ſtante hac hypotheſi, quod illa propoſitio ſit falſa? Præterea hanc pro-

propoſitioné multis alijs rationibus probat, ſed innituntur aliqua propoſitione credita; ideò adduco hanc vltimam, quæ eſt tota naturalis; Si effectus poteſt eſſe perfectior cauſa, diuidatur cognitione ille effectus in duo (neque enim hoc implicat) nempe, in id, in quo ſecundum perfectionem æquatur cauſæ ſuæ, & in id, in quo ſuperat cauſam ſuã, & quæratur, vnde habeat effectus id, in quo ſuperat, & excedit cauſam ſuam; non à ſe, vt patet: quia ſi entitatem nõ habet à ſe, neque id in quo ſuperat cauſam ſuam; Non a cauſa: quia nihil dat, quod non habet, & cauſa hæc vltra effectum ſuum non habet quid excellentius in ſeipſa, quia iam conceditur ex ſe eſſe imperfectioné effectu, ergo à nullo, ſed à nullo nihil prouenit, ergo non eſt ponenda in effectu vlla excellentia, & perfectio, quæ excedat cauſam. Inſtãtia autẽ illa de albedine nihil valet: quia vt dicam in proprio quæſito, intellectio fit ex obiecto, & intellectu, vnde poſſibile eſt talẽ effectũ excellere alterã cauſam in perfectione, vt puta obiectum, quia reliquam perfectionem habet ex alia cauſa partiali, ſcilicet ex intellectu; Neque alia inſtantia de fœtu valet: quia in proprio quæſito dicam quænã ſit illa virtus formatiua fœtus, & animæ, ſecundũ Ariſtotelem. Huic rationi Reſpõdent iſti moderni, & cũ cognoſcãt maiorẽ eſſe indubitanter veram, ad minorẽ dupliciter
Reſp. adu. reſpondent. Primò, quòd inter ſubſtãtiã, & accidẽs poteſt fieri comparatio, vel in ratione ẽtis, & ſic clarũ eſt, quod accidẽs eſt ignobilius ſubſtãtia. Secundò, in ratione pductiui, & producibilis, & ſic eſt proportio inter ea, quia ſicut accidẽs naturaliter eſt productiuum ſubſtantiæ, ita ſubſtãtia naturaliter eſt producibilis ab acci-
2. Reſp dente; Alio modo poteſt reſpõderi. Quòd duplex eſt effectus agentis, vnus intrinſecꝰ actui agentis, ſcilicet ille, qui per actionem eius attingitur; Alterũ eſt externus, qui quoniã habet naturalẽ, & neceſſariã connexionem cum primo illo intrinſeco effectu, cũ ille primus producitur, hic ſecundus quoque producitur per modum naturalis ſequelæ, illæ autẽ prior effectus neceſſariò eſt imperfectior cauſa; quia ſequitur menſurã, & modum virtutis agentis, quãdo producitur per ſe ab illo agente: illæ verò effectus ſecundus nihil prohibet quin ſit nobilior, vel ignobilior: quia per ſe non producitur ab illa cauſa, ſed ex accidente per modum naturalis ſequelę; Ad propoſitum, ſubſtantia eſt effectus accidentis non primus, ſed ſecundus: quia prius exempli gratia eſt in materia calor, vt octo, & poſtea erumpit forma ignis, calor vt octo eſt effectus primus caloris, eruptio, & generatio formæ ignis, eſt effectus ſecundus; ideò nihil prohibet hunc effectum eſſe nobiliorem cauſa. Sed neutra harum reſponſionum tollit argumentum Scoti; non prima, quia ex negatione proportionis in entitate, ſequitur negatio ſecũdæ proportionis in productione, Maior enim quæ conceditur, dicit, quod omne efficiens eſt æquale, vel excellentius in entitate cum effectu, ſi ergo accidens in entitate eſt imperfectius ſubſtantia, ſequitur, quod non poſſit eſſe produ- *Reijcitur*
ctiuum ſubſtantiæ, cũ ergo iſti concedũt, *1.*
quòd inter ſubſtantiam, & accidens non eſt proportio entitatis, & quod ſubſtãtia eſt præſtantior accidente; debent etiam cõcedere, quod inter ſubſtãtiã, & accidẽs nõ eſt proportio producti, & productiui, ſiue efficiẽtis, & effecti; Neque ſecũda reſpõſio valet: quia illa reſpõſio videtur cõ- *Reijcitur*
cedere, quod accidẽs ſit cauſa efficiẽs ſub *2.*
ſtãtiæ per accidẽs, nõ p ſe, ait enim, quod ſubſtãtia eſt poſterior effectꝰ externus accidẽtis, & quod talis effectus producatur nõ per ſe, ſed per naturalẽ quãdam ſequelã, & accidẽtaliter, nõ per ſe, ab accidẽte, hoc autẽ eſt, quod intẽdit cõcludere Scotus, non ergo accidẽs eſt cauſa abſoluta p ſe ſubſtantiæ, ſed ſolũ accidentaliter; Iſti autẽ tenẽt, quod accidẽs eſt cauſa totalis per ſe, & adæquata ſubſtãtiæ, vt patet ex eorum poſitione, & ſuis rationibus, quas ſupra retulimus, & ſic ſibi contradicunt. Præterea, hic nos loquimur de cauſa per ſe effectiua ſubſtãtiæ, nõ de cauſa accidẽtali, & diſpoſitiua; Cõcedit enim Scotus, vt diximus, quod accidẽtia ſunt cauſæ diſpoſitiuæ, ad generationem formæ ſubſtãtialis, cum ergo accidens non ſit talis cauſa p ſe, & de hac nos loquamur, & rurſus Omne, quod generatur, ab aliqua cauſa per ſe generetur, ſequitur, quod ſubſtãtia

erit cauſa, quia nulla alia asſignatur ab aduerſarijs, neque vllæ alia aſſignari poteſt: quia omne ens efficiens per ſe, vel eſt ſubſtantia, vel eſt accidens, non eſt accidens ex hac reſponſione, ergo erit ſubſtātia; & ita tantum abeſt vt hæ reſponſiones ſoluant rationem Scoti, quod potius illa inconfirment.

2. rō principalis. Secundò, ex quadam ratione Scoti poſſumus ita argumentari; Si accidens daret eſſe formaliter alicui rei, non daret perfectius eſſe illi ſeipſo, ergo ſi det alicui eſſe imperfectiori modo, quàm ſi daret eſse formaliter, non dabit eſse perfectius ſeipſo, ſed ſic eſt, quod efficere eſt dare eſse imperfectiori modo, quam dare eſſe formaliter, ergo cum accidens dando eſse formaliter, non poſſit producere ens nobilius ſeipſo, neque efficiēdo poterit producere ens nobilius ſeipſo. Maior propoſitio patet: quia innititur huic propoſitioni: quidquid non poteſt agens agendo nobiliſſimo modo, quo poteſt, non poterit agendo ignobiliori modo, quæ eſt veriſſima, vt patet. Minor quoque probatur: quia dare eſse effectiuè, præſupponit eſse formaliter, forma enim prius dat eſse formaliter, & poſtea efficienter, & ſic modus dandi eſse efficienter, pendet à modo dādi eſse formaliter. Inſuper forma dando eſse formaliter, dat eſse per vnionem proprię entitatis, vniendo ſe materiæ, & conſtituendo compoſitum, ſed dando eſse efficienter, non vnit propriam entitatem rei, cui dat eſse, & ita nō ita eſt perfectus hic modus dandi eſse, ſicut modus dandi eſse formaliter.

3. rō principalis. Tertiò ſi ſubſtantia non poteſt producere ſubſtantiam, hoc euenit, quia ipſa non habet virtutem producendi immediatè, ſed ſic eſt, quòd hoc eſt falſum; ſubſtantia enim producit accidens immediatè, patet de accidente proprio, quod fluit immediatè à ſubiecto proprio, quod eſt ſubſtantia.

Resp. adu. an accidēs propriū producatur Huic rationi reſpondent aduerſarij negando, quod accidens proprium producatur à proprio ſubiecto: quia ſi accidens proprium produceretur à proprio ſubiecto, vel produceretur eadē actione, qua ipſum ſubiectum producitur, ſed hoc implicat: quia producere præſupponit eſse, in illa autem actione ſubiectum non eſt, ſed recipit eſse, vel alia actione, & hoc non: quia tunc accidens proprium eſset poſterius tempore ſubſtantia, quod eſt falſum; Inſuper tunc accidens nedum flueret à quidditate ſubiecti, ſed à quidditate exiſtente, hoc autem non eſt poſſibile, quia non eſt neceſsaria connexio in rebus corruptibilibus exiſtentiæ ad quidditatem, ſed hæc poteſt eſse ſine illa, non poteſt autem eſse ſubiectum ſine paſſione, relinquitur ergo, quod propria paſſio ſubiecti producatur ab agente producente ſubiectum, & eadem actione, qua producit ſubiectum cum hoc diſcrimine, quod ſubiectum primò producitur, propria paſſio verò ſecundariò. à ſubiect.

Sed contra hanc reſponſionem facilè arguere poſsumus, nam quæro ab illis, quænam ſit proxima, & immediata cauſa caloris ignis, certè millies in ſua doctrina habetur, quod eſt ignis, Similiter, quæ eſt cauſa proxima, & immediata luminis ſolis, certè dicere habent eſse ſolem. Sed reſpondent aliqui quod eſt efficiēs, quod produxit ignem, certè hæc reſponſio non ſatisfacit, quia illud eſt cauſa remota, non proxima, & immediata; vnde, dato quod eſset illud agens, & ignis ſubſtantia non eſset, nec calor ignis eſset. Præterea, illa eſt cauſa proxima, & immediata, ac totalis alicuius effectus, qua poſita, & circumſcripta quacumque alia cauſa, effectus ponitur, & qua ablata, effectus auferi: ſed ſic eſt, quod poſita ſubſtantia ignis, & circumſcripta quacumque alia cauſa, calor ponitur, & ablato igne, calor aufertur, ergo cauſa proxima, & immediata, & totalis caloris ignis, eſt ſubſtantia ignis. Idem eſt dicendum de alijs proprietatibus ſubſtantiæ, ergo accidens proprium pendet, & cauſatur à ſubiecto, cui eſt proprium; vtraque propoſitio eſt clara. Præterea, illi dicunt, quod proprium accidens ſequitur ad eſse ſubiecti, per quandam naturalem, & neceſsariam ſequelam; quæro ab illis, quid ſit naturalis, & neceſsaria conſequentia ineſse ad aliud, certè nil aliud eſt, niſi pendentia cauſalis ineſse ab illo, ſi enim hoc ens neceſsariò habēt eſse poſito illo, eſt quia cauſatur ab illo neceſſariò, niſi enim cauſaretur ab illo, & non Reijcitur. 2. rō

pende-

penderet ab illo, in ratione cauſæ efficientis, proculdubio illud ſubiectum poſset eſse ſine illo accidente, neque hęc neceſſitas eſsendi accidens cum ſubiecto, eſt externa ſubiecto, ſed interna, niſi enim eſſet interna, contingeret per aliquam potentiā, vt puta diuinā, ſubiectū eſse ſine paſſione: ſed hoc omninò repugnat, ergo factis fatentur accidens proprium prouenire à proprio ſubiecto cauſaliter.

3. rō. Pręterea, probo vniuerſaliter, quod ſubſtantia ſit cauſatiua accidentis tàm proprij, quàm communis, & etiam ſubſtantiæ. Certum eſt, quod forma ſubſtantialis eſt principium actiuum, & efficiendi, at effectio reſpicit vel ſubſtantiam, vel accidens, ergo forma ſubſtantialis eſt effectiua, vel ſubſtantiæ, vel accidentis; Minor eſt clara: Maior propoſitio eſt communiter conceſsa, Ariſt. enim ſæpè ait materiam pati, formam verò agere; & aduerſarij ſuſtinent Naturam eſse principium actiuum, & paſſiuum, & dicunt naturam eſſe principium actiuum propter formā, cuius eſt agere, ſicuti materiæ eſt pati. Neque valet ſi quis dicat, forma eſt actiua tantum reſpectu materiæ, quia eam actuat: quoniam hæc expoſitio manifeſtè aduerſatur illis in præcitato loco, volunt enim, quod forma ſit principium effectiuum actionum, quæ proueniunt à compoſito, & reſpectu harum dicimus formam eſſe principium actiuū, neque cauſa effectiua illarum eſt materia, ergo eſt forma. Inſuper Anima producit motus locales, intellectiones, &c. Inſuper, forma reſpectu materiæ non habet rationem cauſæ efficientis, ſed formæ, quia actuat, format, & perficit materiam, non autem efficit materiam, vt patet; manifeſtum eſt ergo quod forma ſubſtantialis eſt cauſa effectiua in agentibus, & ſic producet aliquod ens, illud autem eſt vel ſubſtantia, vel accidens; vnde ad minus producet accidens; neque iſti poſsunt dicere, quod ſubſtantia producit accidēs, ſed mediāte accidente: quia ipſa dat accidenti virtutē inducēdi, quia tunc recedūt à propria opinione, ſuſtinent enim quod accidens producat ſubſtantiam, & accidens ſe ſolo, & ſic inciderent in opinionem D. Tho. qui ſuſtinet, quod ſubſtantia producitur ab accidente, in virtute ſubſtantiæ. Hæc ergo ratio Scoti eſt efficaciſſima; cum ergo ſubſtantia ſit productiua immediatè, quare non producere poteſt ſubſtantiam? Neque eorum ratio aliquid concludit, dico enim quod accidens proprium producitur à ſubſtantia alia actione ab ea, qua ipſum producitur. Ad rationem contra hoc nego conſequentiam, quo ad 1. partem ſequitur enim ſolùm, quod accidens erit poſterius ſubiecto natura; nam ſubiectū in eo inſtanti temporis, quo recipit eſse, emittit, & propriam paſſionem, vndè inter eſse ſubiecti, & propriæ paſſionis cadit ſolum ordo naturæ, quia præſupponitur eſse ſubiecti ad eſse accidētis, ſed nō præexiſtit ſubiectum ſine paſſione per aliquod tempus, hæc autem actio, qua ſubiectum producit paſſionem, eſt alia actio ab ea, qua producitur ſubiectum, quæ (illa prima completa) incipit, vnde prima actio natura præcedit ſecundam hanc: nō tamen ſequitur, quod ſubiectum præcedat tempore paſſionem, quia ſubiectum recipit eſse per primam actionem, ſed in eodē inſtāti, quo illa cōpletur, incipit hæc ſecunda; ita quòd nō mediat aliquod inſtans temporis inter eſse completum ſubiecti, & productionē paſſionis, ſed ſolum iſtans naturæ; q; ſi quis arguat iſtæ duæ actiones nō fiunt in eodem inſtanti temporis, ſed in duobus, ergo prima præcedit ſecundā tempore. Ad hoc iam reſponſum eſt, qđ fiūt in vnico inſtanti temporis, nō naturæ: Differt tamen prioritas tēporis à prioritate naturæ, quia plura inſtantia naturæ poſſunt eſſe in eodem inſtanti tēporis: exemplo eſt Ariſtoteles in capite de priori in Poſtprædicamentis: nam ad eſſe hominis, ſequitur verā eſſe orationē, homo eſt; ita qđ res eſt cauſa veritatis orationis, & tamē īter ipſas eſt conuertētia, homo eſt, ergo vera eſt oratio homo eſt. Et è cōuerſo. At ſi hæc non eſſent in eodē inſtanti temporis, non valeret hęc mutua conuertentia; quia pro inſtanti temporis quo eſſet homo, non eſſet veritas orationis. In ſecūda cōfirmatione cōceditur cōſequentia, neque cōſequēs eſt falſum, immò, ī hoc iſti ſibi aduerſantur: quia tenēt alibi, quod exiſtentia actualis ſit idē realiter cum eſſentia; in hoc loco autē tenēt

Ad rō nē ad uerſariorū.

quod

quod exiſtentia poteſt ſeparari a quidditate, & eſſentia in creaturis, falſum eſt autem, quòd eſſentia, & quidditas poſſit eſſe ſine exiſtentia, licet enim eſſentia, & quidditas rerum corruptibilium non neceſſariò ſint, & exiſtant, tamen quando talis eſsentia producitur neceſſariò tunc exiſtit, quia exiſtentia eſt idem realiter, quòd eſſentia, vt diximus in proprio quęſito: non ergo eſt abſurdum, quòd accidens proprium fluat a quidditate exiſtente, immò hoc eſt neceſsariũ, niſi enim exiſteret quidditas, & eſsentia talis, non poſſet emittere, & efficere proprium accidens.

4. rō. principalis. Quartò principaliter probatur, etiam quod ſubſtantia producat accidens, quia licet in ordine accidentali accidentium, vnum accidens producatur ab alio, tamẽ totus ordo accidentalis accidentium, vt puta ſingularium accidentium in ſpecie caloris, pendet ab aliqua cauſa eſsentiali extra illum ordinẽ immediatè, quia omnis ordo accidentalis reducitur ad aliquã cauſam immediatam in ordine eſsentiali: in cauſis autem eſsentialiter ordinatis non datur proceſsus in infinitum, ex Ariſtot. 2. Metaph. & vt declarat optimè Scotus in 1. Sent. d. 2. q. 1. art. 1. ex quo loco tota hæc ratio habet efficaciam; hæc autem cauſa eſsẽtialis ad quam reducitur totus ordo accidentalis productionis accidentium ſingularium in aliqua ſpecie, non poteſt eſse niſi ſubſtantia, quia omne ens, quod non eſt accidens, eſt ſubſtantia, ergo ſubſtantia eſt productiua, & ſic cũ ſit productiua accidentis, nulla videtur ratio cur non producat ſubſtantiam.

5. rō. Præterea, ſequeretur, quod ſubſtantia vniuerſaliter penderet ab accidente in eſse; conſequens eſt falſum, vt patet, omnes enim dicunt accidentia eſse entia imperfecta, quæ a ſubſtantijs pendent, ſunt enim entia, quia entis, Conſequentia probatur: quia ſi ſubſtantia hæc fit ab accidente, & illa; item, & de alijs ſubſtantijs particularibus, ergo & ſubſtantia in communi pendet ab accidentibus in eſse; Quia ſubſtantia in communi nihil eſt præter particulares ſubſtantias, ergo ſi particulares pendent ab accidente, & ſubſtantia in communi pendent ab accidente, & inſuper accidens in communi erit prius ſubſtantia, quia cauſa eſt prior cauſato.

Ad rationes in contrarium. Ad primã dico, quòd in igne duplex eſt actio, vna eſt calefacere, altera eſt ignire, prima cõpetit igni ratione caliditatis, & de hac loquitur Ariſtoteles; altera verò competit igni, vt ignis eſt, & ſubſtantia, & de hac non loquitur Ariſt. Ad rationẽ aduerſariorũ. Ad 1. Ad 2. Ad ſecundam dico, quod pro tanto dixit Ariſt. actionem non poſſe fieri niſi vbi eſt contrarietas, quia in qualibet generatione ſubſtantiali requiritur actio accidentium prçuia, & diſpoſitiua, illa autem eſt ſemper inter contraria, ſed illa habita, ſubſtantia poſtea producit ſubſtantiam immediatè per ſe; Ad experientiam dico, quod ferrum ignitũ calefacit ſtupam mediante calore ignis exiſtentis in ipſo, forma verò ignis inducitur in ſtupam ab igne exiſtente in ferro; Ad illud de lumine, & motu, dico, quod illæ ſunt generationes æquiuocæ, ideò ignis inductus per motum, & à lumine aeris per reflectionem diſpoſitiuè inducitur ab illis motibus. Sed per ſe ab illis corporibus motis, & à corpore luminoſo, vti Rana a Sole, præuio calore, & humiditate terræ.

Opinio Diui Thomæ reijcitur. Cap. III.

ALia eſt opinio D. Thomæ, qui 3. parte Summæ, quæſt. 77. art. 3. reſpondendo ad tertium, ſuſtinet, quòd forma ſubſtantialis non ſit principium immediatum, & proximum agendi, & producendi ſubſtantiam, ſed dicit, quod forma ſubſtantialis agit, & producit ſubſtantiã mediantibus accidentibus, & ita vult, quod accidens agat in virtute formę ſubſtantialis, & propterea accidens producat formam ſubſtantialem in virtute ſubſtantiæ; & ita hæc opinio diſcrepat a præcedenti, quia præcedens volebat quod accidens ex ſe ſolo per propriam virtutem producat ſubſtantiam; Sed hæc D. Tho. opinio vult, quod accidens quidẽ producat ſubſtantiam, ſed in virtute ſubſtantię, cuius eſt inſtrumentum. Rōnes D. Tho. Pro hac opinione adducitur authoritas Ariſt. in 2. de Anima, tex. 41. vbi dicit, quod calor naturalis eſt, quo anima agit, ergo ſubſtantia non

tia nō agit immediatè,ſed mediātibus ac cidētib⁹,illa aūt nō poſsūt producere ſubſtantiā in propria virtute, ergo in virtute ſubſtantiæ cuius ſunt inſtrumenta; Pro eadem opinione adducuntur a nonnullis rationes factæ ſupra contra Scotum, illis enim probatur, quod accidens producit ſubſtantiam,ſed hoc non poteſt accidens propria virtute,ergo hoc efficit in virtute ſubſtantiæ, & ita D. Thomas reſpondet huic argumento 3.par.Summæ quę. 77.ar.13.ad tertium.Nihil agit vltra ſuā ſpeciem,quia effectus non poteſt eſſe potior cauſa,ergo accidens non poteſt producere ſubſtantiam Reſpondet,inquam, quòd accidens propria virtute non poteſt producere ſubſtantiam,ſed bene virtute ſubſtantiæ id poteſt, nihil enim propria virtute poteſt vltra ſpeciem ſuam,ſed virtute principalis agentis nihil prohibet. Contra opinionem iſtam arguit Scotus Theologicè, & Phyſicè nos phyſicas eius rationes adducemus, & primo repetam hanc rationem D. Thomæ adductam; Nihil agit vltra ſpeciem ſuam,&c.cui reſpondet,quòd verum eſt propria virtute, nihil autem impedit quin in virtute principalis agentis illud producere valeat;Cōtra hanc reſponſionem,ſi accidens agit in virtute ſubſtantiæ,vel hæc virtus eſt in accidente,vel extra accidens, ſi eſt extra accidens, non poteſt accidens agere virtute illa, quia nullum agens efficit aliquid virtute exiſtente diſtincta a ſe ſubiecto, & realiter,non enim Socrates currit, vel aliquid aliud agit virtute quæ eſt in Franciſco. Præterea ipſe D. Thomas ait,quod hæc eſt cauſata a ſubiecto in accidentibus:ex quo apparet,quòd intelligit hanc virtutem exiſtere in accidente:ſed hoc eſſe non poteſt, quia in accidente nihil eſt nobilius ipſo,tum quia virtus ſubiecti alicuius non migrat de ſubiecto in ſubiectum: tum quia omne quod eſt in accidente,eſt accidens,alioquin accidens eſſet compoſitum ex ſubſtantia, & accidente, vel accidens eſſet ſubiectum inhæſionis virtutis ſubſtantiæ, & ſic ſubſtantia ſubiectaretur in accidente; Præterea,virtus,& vis efficiendi aliquid, eſt inſeparabilis à radice à qua prouenit, talis enim virtus eſt effectus formalis formæ ſubſtātialis,& eius proprietas,at effectus formalis,& proprietas eſt inſeparabilis à forma ſubſtantiali,non ergo virtus,& vis productiua, quæ prodit a forma ſubſtantiali, poteſt recipi in accidente:ſicuti riſibilitas non poteſt recipi in aliquo alio ab homine: Caietanus prima parte, quęſt. 79. artic.1. ſupra reſponſionem ad tertiū gloſſat poſitionem hanc D. Thomę, & inquit aduertendum eſſe,quod quando D.Thomas ait accidens agere in virtute ſubſtantiæ, eſt conſtructio intranſitiua, vnde dicere accidens agit in virtute ſubſtantiæ, eſt,ac ſi dicat:accidēs,quod eſt virtus ſubſtantiæ, agit, non ergo fingere debemus aliquam formam intentionalem ſecundum quam accidens agat in virtute ſubſtantiæ,vt quibuſdam placuit,ait Caietanus: ſed illa vis, & virtus eſt ipſum accidens, quo tamquam virtute ſubſtantia operatur, adeo quod ſecundum Caietanum cum dicit D. Tho. accidens agit, & producit ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ, eſt, ac ſi dicat, accidens quòd eſt vis ſubſtantiæ, producit, & efficit ſubſtantiam.Sed contra. Hæc expoſitio eſt cōtra formam,& proceſſum D.Thomæ,qui,vt patet ex verbis eius allatis, per hanc virtutem ſubſtantiæ non intelligit ipſum accidens, ſed aliquid aliud exiſtens in accidente, cauſatum à ſubſtantia; ſed hoc omitto quidquid ſit de mente eius, ſi hæc eſt opinio D. Thomæ,ſequitur, quòd D. Thom. coincidat cum prima opinione, nempè,illorum,qui dicunt accidens producere ſubſtantiam propria virtute:nam ſi dicit, quod accidens, quod eſt virtus ſubſtantiæ,agit,& producit immediatè, ergo accidens per ſe producit ſubſtantiam, ratio eſt: quia ipſum ſecundum ſe eſt virtus ſubſtātiæ, vnde licet originetur à ſubſtantia, tamen recepto eſſe, poſtea per ſe producit, quia producit quatenus eſt ens tale,eſt autem ens formaliter à ſeipſo,licet originaliter à ſubſtantia, & ſic à ſeipſo producet ſubſtantiam. Sed ea opinio eſt ſupra ſatis confutata, eſt enim ens nimis ignobile accidens, & ideò non poteſt producere ſubſtantiam.

Opin. D. Tho. reÿcitur. *Reſp. Caie.* *Reÿcitur.*

Secundò principaliter ita argumentor contra poſitionem, accipiendo eam in hoc ſenſu, quod accidens producat *2. rō.*

ſubſtan-

ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ tamquam eius inſtrumentum, quæ videtur eſſe germana opinio Diui Thomæ, Nihil eſt inſtrumentum alicuius cauſę, niſi ſuperioris cauſæ in genere cauſę efficiẽtis, ergo ſi accidens coniunctum eſt inſtrumentum ſubſtantiæ, ſubſtantia erit ſuperius agens:: tunc ſubſumo, ſed ſuperius agẽs prius naturaliter agit, quàm inſtrumentum, licet in eodem inſtanti temporis, & ſic vt eſt agẽs naturale, agit quidquid poteſt, & quantum poteſt, ergo ſubſtantia prius naturaliter, quàm accidens in eodem inſtanti temporis producens ſuum terminum, producet ipſa ſuum: poteſt autem producere totam ſubſtantiã, quia perfectio ſubſtantiæ productæ, nõ excedit perfectionem ſubſtantiæ agentis, ergo in ſecundo inſtanti naturæ, accidẽs non producet ſubſtantiam, quia illa iam eſt producta à ſubſtantia, vel ſi producit, ſubſtantia illa bis produceretur ſcilicet à ſubſtantia, & accidente. Prima propoſitio patet: quia omnis cauſa inſtrumẽtalis pertinet ad cauſam efficiẽtem: Omne autem inſtrumentum eſt alicuius agẽtis inſtrumentum, vt experientia patet de ſerra, gladio, &c. & prima conſequentia ſimiliter ex hoc patet. Secunda etiam propoſitio patet: quia nullum inſtrumentum agit aliquid, niſi moueatur à principali agente, prius ergo principale agens agit, quàm inſtrumentum; ſecunda pars patet: quia agens naturale, agit quidquid poteſt, & quantum poteſt; Secũda conſequentia patet etiam, quia ſubſtantia eſt agens naturale, ideò agit quidquid poteſt, poteſt autem producere ſubſtantiã, agit enim ad ſubſtantiam principaliter, ſicut etiam accidens inſtrumentaliter agit, poteſt etiam producere totam, quia ſi poteſt producere aliquid ſubſtantiæ etiam poteſt producere totam ſubſtantiã, quia tota perfectio ſubſtantiæ productæ non excedit perfectionem ſubſtantiæ agentis; eſt ergo efficax hæc ratio, efficaciſſima autem eſt ad concludendum, quod ſubſtantia eſt immediatum principium agendi, ad quàm probandam, Scotus adduxit, clarum eſt enim, quòd principale agens prius agit, quàm inſtrumẽtum, & ſic ſequitur, quod ſubſtantia neceſſariò prius naturaliter agit, quàm accidens, ergo eſt immediatum principium agendi, quòd eſt contra fundamentum D Thomæ, ſuſtinet enim, quod accidens producit ſubſtantiam in virtute ſubſtãtiæ, qui arbitratur ſubſtantiam non eſſe immediatum principium agendi, hoc autem fundamentum euertitur hac ratione.

Tertiò, omnis potentia merè paſſiua eſt contradictionis, ex Ariſt. 9. Metaph. ſubiectum autem non eſt in potentia cõtradictionis ad propriam paſſionẽ: quia paſſio non poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto, ergo illa eſt potentia actiua, hæc potentia actiua reducitur ad cauſalitatem efficientem, non enim ad aliud genus cauſę reduci poſſe videtur, ergo ſubſtantia eſt principium immediatum propriæ paſſionis; falſum eſt ergo illud fundamentum, quod ſubſtantia non ſit principium immediatum agendi; Hoc idem probatur per rationes factas contra præcedentes opiniones, vbi oſtenſum eſt ſubſtantiam producere accidens. 3.

Quartò, confirmatur hoc ex Ariſtotele, ſeptimo Metaphyſices, textu 32. vbi dicit, quòd proprium eſt ſubſtantiæ, ex his accipere eſſe: quia neceſse eſt præexiſtere aliquam aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ facit, vt ſi animal ſit, ſit animal, quale verò, & quantum non neceſſarium, niſi poteſtate ſolum; vult ergo, quod ad hoc quod ſubſtantia fiat, præexiſtat aliqua alia ſubſtantia, quæ producat; ſed ad hoc quòd quantum, & quale producatur, nõ oportet quòd præexiſtat aliquod quale, vel quantum actu, ſed ſolum poteſtate, ergo quantum, & quale, quę ſunt accidentia, producuntur à ſubſtantia. 4.

Quintò, 4. Metaph. tex. vlt. dicitur, ſingulum eſt id, quod eſt, dum poteſt in propriam operationem, ergo ſubſtantia tunc eſt id quod eſt, quando poteſt in propriã operationem, ergo ſubſtantia poteſt operari, & agere. 5.

Sextò, ſecundum D. Thomam illa forma eſt principium agendi, in qua generans, & genitum aſſimilantur, ſed generatum aſſimilatur principaliter generanti in forma ſubſtantiali, ſecundum quia autem aſſimilatur in accidentibus, ergo ſubſtantia eſt principium agendi, nec poteſt 6.

teſt euadi hæc ratio, reſpondendo quòd forma ſubſtantialis eſt principium agendi remotum,tam reſpectu ſubſtantię,quã accidentis:quia omnes concedunt,& maximè ipſe D.Thomas,qui Theologus eſt, quod Deus eſt forma,quę eſt principium proximum agendi in ſuo ordine, licet agat quod mediãtibus cauſis ſecundis,ergo dato,& non conceſſo, vt ſupra improbatum eſt, quod accidens habeat aliquã cauſalitatem reſpectu ſubſtantiæ poſteriorum actione ſubſtantiæ,ſubſtantia tamen per ſuam propriam formam erit principiũ actionis propriè & immediatè in ſuo ordine; & certè hoc eſt mirabile, quod ſubſtãtia, quæ eſt nobiliſſimum in genere inter creata,careat actione. Nullum Thomiſtam,vel alium reſpondentẽ vidi his rationibus.Paulus Sonc.7. Met. tenet,quod accidens per ſe nõ poteſt producere ſubſtantiam,an verò id poſſit virtute ſubſtantię, & inſtrumentaliter, nec verbum quidem facit, ſimiliter Caiet. in 3. par. Summę q.77.art.3.nihil dicit.

Pro hac ſententia confirmanda valẽt rationes,quas facit Scotus 2.Sent.d.16.in comprobanda ſua ſententia,de potentijs animæ,quibus probat,quod ſubſtãtia eſt immediatum principiũ ſuarum operationum quas nititur ſoluere Cai. 1. p. q. 54. art.3.ſed nihil facit,vt oſtẽdimus ĩ Theoremate de diſtinctione potentiarum à ſe, & ab eſſentia animæ.Quomodo autẽ ſubſtantia diſtans poſſit pręuijs diſpoſitionibus in accidẽtibus factis inducere formã ſubſtantialẽ in ſubſtantiã diſtantẽ, dictũ eſt nouiſſimè in 1.Sẽt.diſp.52.c.4.ad hoc enim vt ſubſtãtia agat in ſubſtãtiã,nõ requiritur neceſſariò approximatio localis ſed ſufficit proportio agẽtis ad paſſum, vt ibi abundè etiam ex Ariſt. oſtẽdimus.

THEOREMA XXXV.

Forma ſubſtantialis immediatè informat materiam abſque vlla qualitate mediante.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

QVæ ſit mens Scoti circa hoc Theorema non habetur expreſsè apud Scotum; attamen ex his quę dicit in multis locis, colligitur ipſum ſenſiſſe formam ſubſtantialem immediatè ſine vllis accidentibus vniri materię; colligitur autem hoc maximè ex 4.Sententiarum,diſt. 12. quæ.3. per totam;probat enim ibi, quod accidens non producit ſubſtantiam, neque per ſe, neque inſtrumentaliter, ſed quòd ſubſtantia eſt immediatum principium efficiens ſubſtantiæ, & accidentis; Deinde arguens aduerſus ſe multipliciter, & præſertim, quia qualitates pręuię alterant,& corrumpunt ſubſtantiam.Reſpondet, quod qualitates corrumpunt ſubſtantiam ſolum diſpoſitiuè, quia illæ qualitates alterant qualitates ſubſtantię, ad quàm alterationem ſequitur poſtea generatio alterius ſubſtantię niſi adueniat aliquod impedimentum. Deinde declarans quomodo hęc pręuia diſpoſitio, & alteratio fiat ab his qualitatibus,& quando. Reſpondet Scotus non explicitè, ſed implicitè in pręcitato loco, quod cũ ſubſtantia generans agit ad productionem ſubſtantię,etiam accidentia agunt ad productionem accidentium cõtrariorũ accidentibus ſubſtantię corrumpẽdę;ſed effectus cauſatus ab accidentibus, nẽpe alteratio,eſt prior generatione ſubſtantię genitæ;Si quidem habita illa alteratione,tã quã diſpoſitione pręuia, ſtatim ſequitur generatio ſubſtantię facta à ſubſtantia efficiente.Sed eſt hic notãdum, quod non vult,quod accidentia illa,ſcilicet,qualitates,inducant alterationẽ quo ad gradum incõpoſſibilem formę corrumpendę, ſed vult,quod ſolum diſponãt,& alterent vſque ad terminum vltimũ, & gradũ compoſſibilẽ,ſubſtantię corrũpendę, gradus autem primus incompoſſibilis ſubſtantię genitę non inducitur ab accidẽtibus, neque qualitatibus illis alterantibus, ſed à ſubſtantia genita,vt infra dicam; Cum ergo accidentia alterando perueniunt ad vltimum gradum qualitatis cõpoſſibilis ſubſtantię corrumpendę, tunc ſubſtantia generans inducit formam ſubſtantialem nouam immediatè in materia, quę poſtea producta in eſſe,ipſa eſt,quę producit qualitatem incompoſſibilem ſubſtantię corruptę, ſed ante aduentum ipſius formę ſubſtantialis de nouo ge-

nitæ in materia, non præcedit qualitas in gradu incompoſſibili formę corrumpendæ, vel corruptæ. Facta ergo alteratione præuia ab accidentibus, illa accidentia non expellunt formam à materia, ſed cum perueniunt ad vltimum terminum ſuarum virium, ſubſtantia generans immediatè producit ſubſtantiam & ſic forma ſubſtantialis immediatè iungitur materiæ. Vndè dicit Scotus in præcitato loco, quòd hæc propoſitio eſt manifeſtè falſa. Omnis ſubſtantia ideò corrumpitur, quia inducitur ab alterante aliquis gradus incompoſſibilis proprię qualitati ſubſtantiæ; ratio falſitatis eſt: quia alterans non habet tantam virtutem, quòd poſſit inducere gradum incompoſſibilem qualitati ſubſtantiæ, & corrumpere ſubſtantiam: quia nullum poſterius ſecundum genus, poteſt eſſe principium corrumpendi aliquid prius ſecundum genus: accidens autem alterans eſt poſterius ſubſtātia ſecundum genus, ideò non poteſt corrumpere ſubſtantiam; quòd probatum eſt in altera quæſtione, vbi oſtendimus ſubſtantiam generare ſubſtantiam, eſt ergo ſubſtantia generans, quæ corrumpit formam ſubſtantialem, dum in eandem materiam inducit aliam formam; accidentia verò ſubſtantiæ generantis agunt, & inducunt qualitates contrarias formæ corrumpendæ, & conformes formæ generandæ; Sed non inducitur vnquam gradus alterationis incōpoſſibilis formæ corrumpendæ: quia tunc incompoſſibilia eſſent in eodem ſubiecto, ſed ſolùm diminuunt, & remittunt qualitates priores vſque ad quendam gradum; Quo habito, poſtea ſubſtantia agens inducit formam de nouo genitam, adeò, quod ex his colligitur, quod Scotus non vult, quòd præuiæ qualitates prius tempore, vel natura ſint in materia, & illam diſponant ad recipiendum formam ſubſtantialem, & ſic forma ſubſtantialis illi materiæ vniatur mediantibus his accidentibus, & diſpoſitionibus, ſed vult, quòd forma ſubſtantialis immediatè inducatur à ſubſtantia agente, & generante; ipſa enim eſt quæ immediatè expellit, & corrumpit ſubſtantialem formam, & inducit nouam formā in illa materia; accidentia verò quoddā-modo prius alterando, & corrumpendo accidentia, & qualitates contrarias, ſed non corrumpunt formam ſubſtantialem corrumpendam; vndè habito effectu alterationis, ſequitur generatio ſubſtantiæ: ſed hæc non attingitur per actionem accidentium, vt dictum eſt, ſed à ſubſtantia efficiente, & generante, forma autem ſubſtantialis de nouo genita eſt, quæ poſtea inducit in compoſito proprias qualitates incompoſſibiles ſubſtātiæ corruptę, vnde accidentia, quæ manēt in compoſito nouo, non præcedunt formam ſubſtantialem, ſed illam ſequuntur. Hæc ſententia poteſt probari.

Primò, quia ſi qualitates diſpoſitiuæ, & illa accidentia informarent materiam ante aduentum formæ ſubſtantialis, ſequeretur, quòd aliquando materia eſſet ſine vlla forma ſubſtantiali actu, hoc autem eſt impoſſibile, probatur conſequentia, quia in illo priori, in quo materia eſſet informata, & diſpoſita qualitatibus illis, eſt per aduerſarios ſine forma ſubſtantiali: ſi enim illæ diſpoſitiones præuiæ pręcedunt formam ſubſtantialem, & diſponunt illam materiam ad recipiēdum formam, manifeſtum eſt, quòd præcedunt prioritate temporis illam, cum talis diſpoſitio non fiat niſi in tempore, & hoc videtur clarum. Falſitas conſequentis probatur: quia ſicuti in materia eſt potentia ad ſuſcipiendum omnes formas, ita nunquam eſt denudata à quacūque forma, ſed ſemper actu eſt ſub aliqua forma ſubſtantiali, & hoc eſt clarum; & confirmatur: quia corruptio vnius, eſt generatio alterius, vndè ad corruptionem vnius formæ ſubſtantialis, ſtatim inducitur alia forma ſubſtantialis. 1. ra.

Secundò, certum eſt, quòd qualitates proueniunt à forma ſubſtantiali, ſequuntur enim formam ſicuti quantitates materiam, & ſunt effectus formales formæ ſubſtantialis, & ſic inſeparabiles à ſua forma; Vnde calor eſt inſeparabilis ab igne, ſaltem naturaliter; ita argumētor. Si qualitates diſpoſitiuæ materiæ ſunt in materia ante aduentum formæ generandæ, quæro, à quo cauſentur, & conſeruentur in illa, non poteſt dici, quòd cauſentur à materia, quia qualitates non cauſantur à 2.

materia,

materia, ſed à forma, tunc quæro, quæ ſit hæc forma, non forma corrupta, quia illa non adeſt, non forma generanda, quia illa nondum eſt in materia, in quam indui debet ipſamet forma ſubſtantialis, non a generante, quia generans, & genitum ſunt diſtincta realiter; & ſic forma generans eſt diſtincta à materia formæ generandæ, & conſequenter qualitates exiſtentes in materia, ſunt diſtinctæ realiter à generante; at in ſuppoſito ſtatutum eſt, quòd qualitas eſt inſeparabilis à forma à qua fluit, & ſic qualitates fluentes à forma generante, ſunt inſeparabiles ab ipſa; Sed dices, agens generans ſemper retinet proprias qualitates, ſed efficit alias qualitates, & illæ ſunt quæ in materia manent. Contra, hoc eſt impoſſibile: quia vt dictum eſt, qualitas inſequitur formam ſubſtantialem, & ab illa fluit ſic eſt impoſſibile, quòd reperiatur qualitas in aliquo ſubiecto ſine forma ſua ſubſtantiali, à qua pendet ſicuti eſt impoſſibile, quòd propria paſſio ſit ſine ſuo ſubiecto à quo fluit: etenim quælibet qualitas eſt propria alicui ſubſtantiali formę, à qua eſt impoſſibile quod ſeparetur. Præterea, iſtæ qualitates ſi proueniunt, & habēt eſſe in materia a generante, ergo deſtructo generante, & illæ deſtruentur; conſequentia patet: quia remota cauſa, remouetur effectus, at iſtæ qualitates per aduerſarios ponuntur remanere cum forma genita, etiam deſtructo generante, ergo non proueniunt à generante; & ita vel eſt dicendum, quòd iſtæ qualitates ſunt in materia ſine vlla cauſa illis dāte eſſe, ſed per ſe, quod eſt inconueniens: ſunt accidentia, quę per ſe ſine cauſa à qua pendēt manere nō poſſunt, vel quod in materia non ſunt vlla accidentia ante formam ſubſtantialem, ſed poſt illam, atque illa pendent, & fluunt à forma ſubſtantiali, quod eſt noſtrum intentum.

Reſp. Verùm hæc ratio non videtur concludere, quia experientia videmus, quòd calor ignis inducit caliditatem in lignum, & tamen ignis eſt diſtinctus realiter à ligno, & illa caliditas recepta in ligno, eſt etiam diſtincta a caliditate ignis, ergo ſimiliter in materiam poteſt ſic euenire, quòd ab accidente diſponente, & alterāte inducatur qualitas à ſe diſtincta in materiam ſubſtantiæ generandæ, licet ipſa qualitas agentis alterantis non recipiatur in materia. Reſpondeo, quòd non eſt ſimile hic, & ibi: nam ideò ignis agens, &c. inducit caliditatem in lignum, quia lignum approximatur igni, omnis enim actio Phyſica fit per contactum, ex primo de generatione; & ideò cum ignis approximetur ligno, & ipſum tangat, forma ignis agens, agit in lignum, quia fit quodammodo eius materia per illum contactum, & ideò ſicut agit in propriam materiam, ita etiam agit in lignum quòd ſibi per contactum inhæret: & hoc idem dicendum eſt de omnibus agentibus Phyſicis, quæ in proportionata paſſa agunt; at hoc dici non poteſt de materia nuda abſque forma ſubſtantiali: neque enim materia ſic nuda poteſt tangi ab aliquo, quia ipſa ſine forma non habet eſſe ſubſiſtentiæ, ſed ſolum compoſitum eſt quod tangitur, vnde ex procemio Metaphyſices, actiones ſunt ſingularium, & propterea cum materia nuda non poſſit tangi, neque in ipſam induci poſſunt per illud agens qualitates vllæ, ſed opus eſt, quod prius informetur forma ſubſtantiali, tūc enim eſt tactibilis, & ſi approximetur tūc alicui agenti fortiori propria forma ſubſtantiali, alteratur, & corrumpitur, vel verius loquendo, alteratur, & corrumpitur compoſitum ex ipſa, & forma conflatū, & tunc habet euidentiam confirmatio nūc ſupra adducta: quia ſi iſtæ diſpoſitiones, & qualitates, quas dicunt in materia pręcedere formam ſubſtantialem, eſſent inductæ ab agente, ceſſante, & deſtructo agente, ipſæ quoque deſtruerentur, ſicuti ceſſante igne, ceſſat calor productus ab ipſo in lignum; ipſi autem ſuſtinent, quòd illæ diſpoſitiones manēt cum forma ſubſtantiali de nouo genita, etiam deſtructo generante. Præterea, ſi iſtæ qualitates diſpoſitiuæ introducerentur in materiam ante aduentum formæ, ſequeretur, quòd accidentia, & qualitates diſpoſitiuæ agentes, & introducentes iſtas, corrumperent formam ſubſtantialem corrumpendam; ſed hoc eſt falſum: quia in alio Theoremate oſtenſum eſt, quòd ſubſtantia generatur ſolùm a ſubſtantia, & conſequenter

Reÿcitur.

2. rō.

ter

ter etiam corrumpitur à ſubſtantia : & confirmatur adhuc : quia nihil poſterius ſecundum genus, poteſt corrumpere ens prius ſecundum genus; & ratio huius eſt: quia virtus ſequitur entitatem, & qualis eſt entitas, talis eſt virtus ; at præſtantior eſt entitas rei prioris ſecundum genus, & ita præſtantior eſt entitas ſubſtantiæ, ideò non poteſt corrumpi à virtute accidentis, cum ſit vilior, ſicuti & entitas accidentis, eſt vilior entitate ſubſtantiæ ; conſequentia verò probatur: quia huiuſmodi qualitati diſpoſitiuæ in gradu incompoſſibili formæ corrumpendæ, non poſſunt inhærere materiæ, & diſponere materiam ad recipiēdum nouam formam, niſi corrumpant primam formam ſubſtantialem, vt patet, quia eſt illis incompoſſibilis: oportet ergo, quòd qualitates alterantes corrumpant formam ſubſtantialem priorem corrumpendam, quòd eſt falſum, vt dictum eſt.

Rationes aduerſariorum cum ſua poſitione, & eiuſdem confutatio, & rationum ſolutio. Cap. 11.

Græci, & Arabes. EX altera parte moderni ferè omnes, & Græci, & Arabes ſuſtinent, quòd in materia præcedant diſpoſitiones præuiæ, & qualitates, quæ diſponunt materiam ad recipiendum formam ſubſtantialem. Pro hac opinione ita argumentantur, & rationes pro hac opinione deſtruunt opinionē Scoti;

1. ra. Omnis forma requirit determinatam materiam in qua inſit, & introducatur, at hæc determinatio fit per præuias qualitates diſponentes materiam ad talem formam ſuſcipiendam, ergo ſi forma non reperiat in materia has diſpoſitiones, ipſa non poterit informare materiam, neque recipi in eam.

2. Secundò, in vnoquoque potentia præcedit actum, ergo potentia determinata materiæ, præcedit determinatum actum ſubſtantialem formæ; ſeu potentia materiæ determinatur per diſpoſitiones præuias in materia exiſtentes, ergo huiuſmodi diſpoſitiones præcedunt formam ſubſtantialem in materia.

3. Tertiò, ſubſtantialis forma non poteſt immediatè produci à ſubſtātia: quia ſubſtantia vel nihil agit, vel nō agit immediatè per ſe, ſed mediante accidente, ergo generatio ſubſtantiæ neceſſariò conſequitur productionem alicuius accidentis in materia, quæ eſt vltima, & perfectiſſima diſpoſitio inducta ab agente, virtute cuius inducitur forma ſubſtantialis de nouo.

Quartò, Omnes rationes quæ fiunt ad 4. oſtendendum primas qualitates immediatè inhærere materiæ primæ, & in corruptione nō fieri reſolutionem vſque ad materiam primam, & in quolibet elemento, cum vnum generatur ex alio, contrarias qualitates interire, ſingulas verò remanere; Hanc opinionem comprobant; & ita iſti his omnibus rationibus moti, ſuſtinent formam ſubſtantialem inhærere materiæ, medijs qualitatibus, & diſpoſitionibus in materia receptis ante aduentum formæ. Verùm hæc opinio non eſt ſuſtinenda, propter rationes adductas, quas neminem ſoluere vidi; & vltra illas poteſt ſic confutari hæc opinio: quia hæc opinio negat omnem virtutem à forma ſubſtantiali, & eam ita vili facit, quòd eam ſubmittit formæ accidentali, etenim ſtāte hac opinione, forma ſubſtantialis pendet ab accidentali, in eſſe, & operari, quoniam ipſa producitur in eſſe, ab accidente, & ipſa per ſe in materia nullam actionem, neque operationem habet. Inſuper forma ſubſtantialis, ſtante hac opinione, cum inducitur in materia, iam materia eſt diſpoſita, & perfecta, & ſic materia non recipit à forma adueniente, niſi ipſam informationem, ſed iā accidentia, & propēſiones, & paſſiones ipſa materia receperat, & ita paſſiones, & proprietates materiæ informatæ immò compoſiti nō eſſent à forma ſubſtantiali, ſed ab accidētibus, quæ tamen omnia falſa ſunt, & cōtraria naturæ formæ ſubſtantiali, vndè omnes qualitates, & paſſiones, quæ ſunt in materia, & compoſito, proueniunt à forma ſubſtantiali, quæ cum dat eſſe, dat etiam tale, & tale eſſe : vndè ſi homo habet proprietates alias à planta, ab animali bruto, & ab alijs rebus; ratio, & cauſa eſt aſſignanda ex parte formę ſubſtantialis, quia ſcilicet habet diuerſam formam ſubſtantialem, quæ etiam diuerſas proprieta-

Reijcitur 1. (margin, beside "Verùm hæc opinio")

prietates ei tribuit; non ergo materia eſt ſic, vel ſic diſpoſita ante aduentum formę ſubſtantialis, ſed per aduentum formæ ſubſtantialis diſponitur ſic, & ſic, & recipit tale, & tale eſſe, cum talibus, & talibus proprietatibus, & accidentibus: materia enim de ſe eſt apta nata recipere quamlibet formã; neque quantum eſt ex ſe, magis inclinatur ad vnam, quam ad alterã paſſionem, & proprietatem. Vanum eſt ergo dicere, quod materia debeat diſponi per accidentia, ad hoc, vt recipiat formam ſubſtantialem. Quæ impugnatio etiam confirmatur ratione D. Thomæ prima parte Summæ, quæſt. 76. artic. 6. quia eſſe ſubſtantiale eſt eſſe ſimpliciter, eſſe quod dat accidens, eſt eſſe ſecũdum quid, præcedit autem ſemper eſſe ſimpliciter eſſe ſecundum quid; non ergo dicendum eſt, quod forma accidentalis prius habeat eſſe in materia quàm ſubſtantialis forma.

Ad 1. in oppoſitũ Ad rationes pro hac opinione. Ad primam reſpondeo, quod formam recipi in determinata materia, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, quod recipiatur in materia alterata, & diſpoſita per accidentia formæ ſubſtantialis ad debitum terminum quo ſubſtantia generantis poteſt generare, & producere nouam ſubſtãtiam, & corrumpere veterem, & hoc modo eſt vera, vt dictum eſt. Alio modo poteſt intelligi, quod in materia prius recipiantur diſpoſitiones, & qualitates incõpoſſibiles formæ corrumpendæ, & poſtea forma ſubſtantialis noua inducatur ab agente, manentibus his qualitatibus, & diſpoſitionibus tamquam medio, ſine quo non poſſet induci forma ſubſtantialis; & hoc modo eſt falſa: quia tales diſpoſitiones incompoſſibiles formæ corrumpẽdæ inducũtur à forma de nouo genita in materia, & ideò nõ poſſunt pręcedere in materia aduentum formæ ſubſtãtialis nouę.

Obiectio. Sed contra quis dicet, ergo forma hominis poteſt induci in quãcũque materiam, vt in aquam, lignum, &c. Reſpondeo, qđ *Solu* non valet conſequentia: quia non negamus pręuias diſpoſitiones, ſed negamus diſpoſitiones incompoſſibiles formæ corrumpendæ præcedere in materia formã ſubſtantialem de nouo genitam, vt dictũ eſt. Sed pro intelligentia notandum eſt, quod formæ in compoſito ſunt ſubordinatę, & quando compoſitum eſt perfectum, in ipſo ſunt plures formæ ſubſtantiales, quarum vna eſt perfectior altera, vltima autem eſt perfectior omnibus pręcedentibus, illa autem non inducitur niſi alijs præſuppoſitis; vnde ad propoſitum, forma hominis non poteſt induci in aquam, quia pręſupponit alias formas ſubſtantiales, vt formam mixti, & formam corporeitatis, & alias, vt dicam in Theoremate de pluralitate formarum, vnde hinc euenit, quod generans videtur inducere formam in materia determinata, quia in cõpoſito ſunt plures formæ ſubſtantiales, quarum vltima deſtructa, cęterę remanent, vt corrupta anima, remanet forma corporeitatis, & quia ſtatim agens inducit nouam formam ideò videtur, quod generans inducat formam in materiam determinatam, & hoc quidem verum eſt in compoſitis, in quibus ſunt plures formę ſubſtantiales, ſed non in compoſito, vbi eſt vnica forma ſubſtantialis, qua corrupta, fit reſolutio vſque ad materiam primam: ſed in hac forma eſt, quæ ſibi materiam determinat, in compoſito etiam vbi ſunt plures formæ, vltima forma determinat adhuc ſibi illam materiã perfectè, licet ſit aliquo modo determinata per formam, vel formas præcedentes. Propoſitio autem illa: forma requirit materiam eiuſdem rationis, vera eſt de materia, vt eſt pars compoſiti, quia tunc materia per formam fit eiuſdem rationis cum forma, non autem verificatur de materia antequam ſit facta pars compoſiti, vnde ignis non ſemper fit ex materia eiuſdem rationis, ſed modo fit ex terra corrupta, modo ex aere corrupto, modo ex aliqua alia re.

Nota dum. *The. 72.*

Ad 2. Ad ſecundam concedo primam, & ſecundam propoſitionem ſcilicet, quod in vnoquoque potentia pręcedit actum, & quod determinata potentia præcedit determinatum actum: ſed cum infertur, quod hęc determinatio potentię fit ab accidentibus, hoc negatur; ratio eſt: quia determinata potentia in materia ad actũ, eſt priuatio formæ in materia: priuatio enim non eſt carentia illa vniuerſalis

in materia omnium formarum, ſed eſt carẽtia formæ particularis aptę natæ ineſſe materiæ; vnde potẽtia particularis materiæ, & priuatio in materia, idẽ ſunt realiter, differunt ſolùm formaliter; manifeſtum eſt autem, quod hæc priuatio non adeſt materiæ per aliqua accidentia, ſed ex ſe ipſa ex propria natura materiæ, quæ eſt, quod ſemper ſit ſub forma, vel ſub priuatione formæ, ſiue ſub potentia ad formam; hæc ergo determinatio potentiæ in materia non prouenit ab accidentibus, ſed ineſt materiæ ex ratione materiæ. Vel dicamus, quòd cum dicitur potentia pręcedit actum, vera eſt in iſtis generabilibus, ſed cum infertur, determinata potentia præcedit determinatum actum, hoc negatur, quia potentia eſt de ſe indeterminata, & determinatur ſolum ab actu, neceſſe eſt ergo, quòd actus determinatus præcedat determinatam potentiam, ſiquidem eſt actus qui determinat potentiam. Si autem actus ſit in ſe determinatus, clarum eſt, quòd non determinat potentiam.

Ad propoſitum igitur falſa eſt illa propoſitio, quòd determinata potentia præcedat determinatum actum; quoniam eſt actus determinatus, qui præcedit potentiam determinatam; duplex autem eſt actus, ſcilicet accidentalis, & ſubſtantialis. Actus accidentalis determinat diſpoſitiuè, & inſtrumentaliter quo ad poteſt, & vſque ad certum gradum; actus ſubſtantialis verò completè, & perfectè determinat potentiam, & materiam conformiter ad proprium eſſe, & operari.

Ad 3. Ad tertium dictum eſt in præcedenti Theoremate.

Ad 4. Ad quartum ex dictis patet, & in proprijs locis de vnoquoque dictum eſt.

THEOREMA XXXVI.

Non datur minimum naturale per ſe exiſtens in ſubſtantijs homogenijs, quo non poſſit aliud minus dari per ſe exiſtens.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

PRo intelligentia iſtius Theorematis eſt notandum, quod de hac materia loquitur Scotus 2. Sententiarum, diſt. 2. q. 9. F. & tractatio huius difficultatis habuit occaſionem ex Theoremate examinando nunc infra de ſucceſſiuo an componatur ex indiuiſibilibus: nam poſtquã Scotus in illa quæſtione reſpondendo ad ſecundum principale, illis rationibus Metaphyſicis oſtẽdit, quod ſucceſſiuum nõ componitur ex indiuiſibilibus, adducit reſponſionem quorundam (vt ſupra dixi) in litera C. qui dicebant has rationes Scoti, & illas Philoſophi, valere contra minimum ſecundum materiam, non cõtra minimum ſecundum formam, quę reſponſio poteſt habere (aiebat Scotus) triplicem ſenſum: quorum ſecundus ſenſus redit in quoddam dictum antiquum, quod datur minimum, quod poteſt per ſe exiſtere, non autem datur minimum in toto, quo non eſt minus exiſtens in eo in potentia, id eſt datur aliqua portio materiæ ſub minori qua forma ſubſtantialis exiſtere non poteſt, & hoc dicitur minimum naturale, ſiue minimum ſecundũ formam, dicunt enim, quod forma ſubſtãtialis determinat ſibi certam quantitatẽ in minus ſub minori quã ipſa exiſtere nõ poteſt: ſed non datur minima pars in alio toto qua non poſſit eſſe alia minor ea in potentia; dicunt enim quod quacumque minima parte in actu data, deueniendum eſt ad aliquam aliam minimam partem minorem ea in potentia, & hęc dicitur minimum naturale ſecundum materiam; cõcedit ergo hæc reſponſio dari minimum primo modo, ſed negat dari minimum ſecundo modo. Scotus autem vult, quòd quocumque minimo dato tam ſecundum formam, quàm ſecundum materiam, detur aliud minimum in potẽtia, minus illo potens exiſtere: & quoniam hoc aduerſarij concedunt de minimo ſecundum materiam, & negant de minimo ſecũdum formam, Scotus illud idem probat de minimo ſecundum formam, & maximè in ſubſtantia homogenea. *The. 52.* *Scot9.*

Probat ergo, quod quocumque minimo dato ſecundum formam, datur aliud minimum minus in eo potẽtia, quod eſt, ac ſi dicamus, Scotus probat, quod in homogeneis forma ſubſtantialis non determinat ſibi certam quantitatem ex intrinſeco

ſeco ſub qua, & non minori exiſtere poſſit, ſed quacumque minima parte data, adhuc minor ea dari poteſt, ſub qua forma eſſe poterit intrinſecè.

Et nota, quod Scotus nō incidit in redargutionem; quia licet prius probaret, quod non datur minimum, & videatur hic probare, quod datur minimum, nō tamen contradicit ſibi; quia ſupra oſtendit non dari minimum, id eſt indiuiſibile; hic autem oſtendit dari minimum, minus quouis alio minimo; ſed tamen hoc minimum eſt diuiſibile. Sed hic eſt dubium: quia ſi datur minimum minus minimo in toto homogeneo, ergo totum homogeneum componitur ex minimis, quod eſt contra determinata à Scoto in præcedentibus. Reſpondeo, quod probat dari minimum minus minimo in potentia, non actu; vnde & hoc confirmatur, quod totū continuum conſtat ex ſemper diuiſibilibus, quia non eſt deuenire ad vltimum minimum actu; ſed quocumque minimo dato, ſemper aliud datur in potentia in infinitum. Probat ergo Scotus, quod in toto, & præſertim in ſubſtantia homogenea non detur minimum, quo non poſſit eſſe aliud minimum minus eo per ſe exiſtens; ſed quòd quocumque minimo dato, aliud minus dari poteſt.

Opinio Thomiſt. Thomiſtæ autē, vt patet ex Caiet. P. p. q. 7. art. 3. & ex Iauello 1. Phyſ. q. 19. tenent oppoſitum, nempè, quòd in toto homogeneo, ſit deueniendum ad aliquod minimum, quo non poſſit dari aliud minimum minus eo; & nota, quòd hoc minimum non eſt abſolutè minimum, id eſt indiuiſibile, ſed eſt pars quædam totius, ſub qua ſi minoraretur, non poſſet eſſe forma ſubſtantiæ homogeneę, vt dictum eſt, illa ergo pars vltima in quantitate, ſub qua, & non ſub minori poteſt eſſe forma ſubſtantialis, appellatur minimum, licet etiam in ſe eſſet diuiſibile, quia voluīt, quod forma ſubſtātialis in homogeneis, habeat determinatam quantitatem, tam in maius, quàm in minus, ſub qua, & non ſub minori, vel maiori ipſa forma eſſe poſſit; & hoc eſt minimum, & maximū naturale, de quo loquimur. Scotus autem vult, quod forma ſubſtantialis nō habeat determinatā quātitatem ſub qua ſit; ſed vult, quòd ſicut quantitas eſſet ex ſe diuiſibilis in partes minimas (ſi ex ſe eſſet) ita id ſibi competere poſſit dum eſt in toto homogeneo ſubſtātiali; neque vult, quòd forma ſubſtantialis impediat hanc diuiſibilitatem; & ideo ſicuti in quantitate non datur minimum, quo non poſſit aliud minus dari, cum ipſa ſit ſemper diuiſibilis, & quacumque minima quantitate data, alia minor dari poſſit, quia illa adhuc eſt diuiſibilis; ita vult, quod in toto homogeneo quocumque minimo dato aliud minus dari poſſit. Poſſumus itaque in hunc modum argumentari, & hæc ratio optimè mentem, & poſitionem Scoti declarat. *1. rō.* Sicuti forma ſubſtantialis naturalis non tollit à toto naturali, quin ita ſit totum ſemper diuiſibile per quantitatē, ſicuti quantitas eſſet, ſi ſola eſſet: ita etiā forma naturalis non tollit, quin quodlibet diuiſum poſſit per ſe eſſe, quantum eſt ex ſe, & ex parte ſui, ſicuti quęlibet pars quantitatiua, in quam diuideretur quantum, per ſe eſſe poſſet. Sed ſic eſt, quod in quanto ſecundum ſe, quocūque minimo dato, adhuc aliud minus datur, quia eſt diuiſibile in infinitum, & non poſſumus deuenire ad minimum indiuiſibile, ſed quodlibet minimum eſt ſemper diuiſibile, ergo apparet, quod eſt dabile aliud minimū minus quocūque minimo dato per ſe exiſtere potens, ergo ſicuti in quātitate per ſe nō eſt deueniendum ad minimum, quo aliud minus nō detur, ita neque in toto naturali, vt homogeneo eſt deueniendū ad aliquod minimū, quo aliud minus nō detur, neque forma naturalis aliud aſſerere nos cogit. Scotus autē ad idē arguit loco citato F. primo ſic. *2.* Sicut eſt eſſētiale quāto, poſſe diuidi in partes, ita eſt ei eſſētiale, quòd ſingulū eorū, in quæ diuiditur, poſſit eſſe hoc aliquid, ergo nulli parti quātitatis repugnat p ſe eſſe, & ſic cū quātum ſit diuiſibile in partes, & quælibet pars ſit diuiſibilis, illa in quæ eſt diuiſibilis, ſunt poſſibilia ad eſſe, & exiſtere; cū ergo quātū, & res naturalis quanta, nō poſſit reſolui in indiuiſibilia; ſed ſolū in diuiſibilia; ſequitur, q̄d quodlibet minimū habet aliud minimū minus ſe, poſt ſeipſum, & illi minimo non repugnat p ſe eſſe, & exiſtere. Cōfirmatur hęc

ratio,& prima conſequentia,primò,quia illæ partes ſunt eiuſdem rationis, quantum ad formam,& materiam cum toto, ergo poſſunt habere exiſtentiam per ſe,
2. ſicuti & totum per ſe exiſtit. Secundò: quia ſi illę partes eſſent,per ſe eſſent indiuidua eiuſdem ſpeciei cuius ſuum totũ eſt indiuiduum; at abſurdum videtur, quod aliquid habeat in ſe naturam, propter quam poteſt eſſe indiuiduũ alicuius ſpeciei,ita quod ſibi non repugnat eſſe indiuiduum illius ſpeciei, & tamen ſibi repugnat abſolutè eſſe non poſſe; ſicuti eſſet abſurdum, quod alicui non repugnaret eſſe partem, & tamen repugnaret ſibi eſſe ſimpliciter; & hoc maximè valet in ſubſtantijs homogeneis,quæ per ſe ſunt,
3. neque egent altero ad hoc,vt ſint. Tertiò, quia partes ſunt naturaliter priores toto, ergo eis nõ repugnat prius duratione poſſe eſſe ſine toto,abſque contradictione,ſicuti repugnat ipſi toti eſſe prius partib⁹.
4. Quartò circumſcribamus omne cõtinẽs, & omne corruptiuum,& ponatur, quòd aqua ſola ſit in vniuerſo; tunc quæcũque aqua datur,diuidatur,quia hoc eſt poſſibile ex dicendis infrà Theoremate 52. vbi oſtendimus, continuum diuidi in ſemper diuiſibilia,& non poſſe deueniri ad indiuiſibile;iſta,in quæ fit diuiſio, non erũt nihil, quia hoc eſt contra rationem diuiſionis, nec erunt non aqua, quia tunc aqua componeretur ex non aquis; non etiam repugnabit formæ aquæ iſta paruitas, quæ iam eſt in actu, quia ita parua præfuit,licet in toto,neque per ipſam diuiſionem corrumpitur aqua, quia ex hypotheſi iam circumſcripſimus omne corruptiuum,ergo non videtur aſſignari aliqua ratio intriſecè,propter quam enti naturali repugnet,quin quocumque aliquo per ſe exiſtente etiam minimo, non poſſit aliud minus eo ꝑ ſe exiſtere;poteſt quidẽ aſſignari ratio extrinſeca,& virtus cõtraria corrũpentis, & hæc etiam eſt cauſa propter quã talia minima actu nõ dentur: ſed ab intrinſeco nulla ratio aſſignari poteſt. Aduerſarij autẽ dicunt,ex intrinſeco repugnare toti naturali, quod quocũque minimo dato detur aliud minus eo ꝑ ſe exiſtẽs. His rationibus probatur, quòd quocũque minimo naturali dato, poteſt dari minus,& quod illud poteſt per ſe exiſtere,& quod hoc non repugnat intrinſecè illi toti naturali, ſed ſolum extrinſecè;hoc tamen minimum non eſt indiuiſibile,quia tunc infrà oſtendemus,non dari minimum indiuiſibile.

Rationes Aduerſariorum, & reſponſiones ad ratioees Scoti, & eorundem omnium confutatio. Cap. II.

CAietanus 1. p.quæſt.7.art.3. nititur *Caietan.*
ſoluere rationes adductas à Scoto, & primò iacit quoddam fundamentum, ex quo contra determinatam ſententiam poſſet argui. Fundamẽtum eſt hoc; Quod cuilibet formæ naturali reſpondet determinata quantitas, quòd fundamentum probatur ex doctrina Philoſophi 5. Metaph. tex. 3. & 1. Phyſ. tex. 38. quibus in locis ait Philoſ. quod cauſæ comparãtur effectibus,& commenſurantur eis,& è conuerſo; ex hoc ſequitur, quod ſi formam ſubſtantialem naturaliter in communi, ſequitur quãtitas,ergo determinatam formam ſequitur determinata quãtitas: ſed quantitas determinatur ſecuudum terminos;vnde corporeitates hominis,& leonis differunt,quia habẽt diuerſos terminos, non quia ſint diuerſæ ſpeciei. Ex hoc fundamento habetur,quod omne corpus naturale habet determinatam quantitatẽ in maius,& in minus;Ex hoc cõtra opinionẽ Scoti ſic arguitur. Quælibet forma naturalis requirit determinatã quantitatẽ, ergo ſub minori quantitate illa requiſita, non poterit manere illa forma naturalis, ergo quocumque minimo naturali dato, non datur aliud minus, ſed eſt ſtandũ ad aliquod ens naturale minimum, ſiue ita paruum,quòd nõ detur aliud minus illo, in quo ſeruari poſſit forma illa naturalis; Hac eadẽ ratione vtitur Iauellus 1. Phyſ.
q. 19. ſub alijs verbis. Præterea,ſi non datur 2.
minimum ſecundum ſuum ſenſum, vt toties declaraui,ſiue ſi quocumque minimo dato, datur aliud minus,ergo forma elephantis poterit ſaluari ſub grano
ſinapis,quod eſt abſurdum. Tertiò,eſt in 3.
tentio Philoſophi 1. Phyſ. tex. 38. q̃d detur minimũ,quo aliud minus dari nõ poſſit, ait enim,q̃d eſt dare minimã carnẽ,& minimam

nimam aquam. Eandem ſententiam ſequitur Achillinus Bononienſis 3. lib. de
Achillinus. Elementis dubio primo, propter eandem rationem D. Thomæ, ait enim, quod res naturalis ſub aliquanta magnitudine, poteſt per ſe exiſtere, & ſub aliquanta magnitudine res naturalis eſſe non poteſt, & ſic datur terminus in magnitudine, ſub quo res naturalis, vel forma naturalis eſſe poteſt, & quo minor eſſe non poteſt. Illud autem dicitur minimum naturale, quo minus dari non poteſt, quia illi formæ naturali repugnat eſſe ſub minori
4. quantitate. Pro eadem opinione arguunt quidam Moderni, eadem ratione: quia virtus, & potentia, actiones, & motus, & denique forma naturalis, omnia hæc sũt definita, & determinata, ergo & quantitas, quæ propter hæc datur rebus naturalibus debet eſſe definita, & determinata.
5. Secundò videmus in quacumque ſpecie rerum naturalium determinatã eſſe paruitatem, & magnitudinẽ, quam nunquã excellunt indiuidua illius ſpeciei. V.g. homo nunquam attingit magnitudinẽ Cypreſſi: nec diminuitur ad paruitatem for
6. micæ. Pro hac eadẽ opinione adducitur quoque illa auctoritas Ariſtotelis ex 2. de Anima tex. 41. omnium natura conſtãtium eſt determinata ratio magnitudinis, & augmenti,, & ex 1. Phyſ. tex. 38. vbi Ariſtoteles ait contra Anaxagoram dari minimam carnem. Caietanus autem Re-
Reſp. ad rõnes Scoti. ſpondet ad rationes Scoti. Ad ſecundam (primã enim nõ vidit) cõcedit antecedẽs; ſed negat conſequentiã; ratio negationis eſt: quia diuidi in partes, & illas poſſe eſſe hoc aliquid, non competit quanto per ſe poſitiuè, ſed non repugnanter, vt patet de quantitate Cæli, quæ eſt verè quanta, & non eſt diuiſibilis in partes: nec aliqua illarũ partium poteſt ſeorſum per ſe manere, & ideò quantitas coniuncta formæ naturali, poteſt impediri à forma naturali, ne exerceatur, id eſt quod non diuidatur in partes, & quod illę partes nõ maneant ſeorſum. Adducit etiam aliam reſponſionem, quod illæ conditiones, ſcilicet, quantũ diuidi in partes, & illę poſſe per ſe exiſtere, non intelligũtur ſecũdum actualem diuiſionem, ſed ſecundum deſignationem, & tũc ait, quod hoc modo omne quantum eſt diuiſibile, & quælibet pars poteſt eſse hoc aliquid, ſed non ſecundum diuiſionem actualem.

Ad primam confirmationem negat ſequelam: quia forma aquæ requirit aliquã conditionem, quæ eſt in toto, non autem in parte, vti eſt tanta quantitas, quæ non eſt in parte.

Ad ſecundum Reſpondetur ſimiliter, quod ad poſſe eſſe indiuiduum alicuius ſpeciei non ſufficit communicare in natura: ſed debet habere etiam conditiones requiſitas, quantum altera eſt, quod habeat determinatam quantitatem. Ad tertium negat conſequentiam quo ad partes inexiſtentes.

Ad quartum Reſpondet, quod ſi poneretur minima aqua, vel minimus ignis, & quod ille diuideretur, non ſolum corrumperetur, ſed annihilaretur, & corrumperetur à diuiſione, quia licet diuiſio, vt ſic, non ſit corruptiua, tamen diuiſio talis minimi naturalis, eſſet corruptiua, & annihilatiua in tali caſu.

Confutatio harum reſponſionum. Cap. III.

VErum rationes iſtæ nullius valoris ſunt, & ſententia Scoti firmiſſima manet; neque reſponſiones iſtæ tollunt vim rationum Scoti, firmiſſima manet o- *1. rõ.*
pinio Scoti, quoniam certum eſt, quod cauſa poſitiua per ſe diuiſibilitatis, eſt quantitas, & hoc licet in præſenti loco negetur à Caietano, tamen alibi millies fatetur, & præcipue in materia indiuiduationis, vbi ait requiri quantitatem propter diuiſibilitatem, & diſtinctionem: ſed hoc dimiſso, hæc propoſitio probatur: quia diuiſibilitas eſt effectus poſitiuus per ſe, ergo debet habere cauſam per ſe poſitiuã, quia effectus poſitiuus requirit cauſam poſitiuam, alioquin poſitiuum eſset à non ente; at cauſa huius diuiſibilitatis, vel diuiſionis per ſe, nulla alia aſſignari poteſt, quam quãtitas: dicere enim, quod ſit aliquod aliud accidens, vt qualitatem, vel relationem, eſſet ridiculum: quia ſunt poſteriora quantitate; neque poteſt eſse ſubſtantia, quia vel eſset materia, vel forma, vel compoſitum, at non eſt forma, quia multæ formæ ſunt indiuiſibiles, ne-

que materia : quia circumſcripta quantitate, eſt indiuiſibilis; ſimiliter & compoſitum; relinquitur ergo quod quantitas ſit cauſa poſitiua, & per ſe diuiſibilitatis. Præterea 5. Metaph. tex. 18. & ſępè alibi Ariſtoteles ait, proprium eſſe quantitati ſecundum ipſam eſſe diuiſibile, vel ergo intelligit, quod ei poſitiuè competit diuiſibilitas, vel ſolum non repugnanter; ſi ſecundo modo, adhuc quęritur cui per
2. ſe, & poſitiuè diuiſibilitas competat. Prętereà, etiam formę, & materię, & ſubſtantię, & alijs competit diuiſibilitas non repugnanter, vnde materia, & compoſitum ſubſtantiale addita ſibi quantitate, diuidũtur; oportet ergo adinuenire aliquod, cui competat diuiſibilitas per ſe, illud eſt ſola quantitas, eſt ergo veriſſimum, quòd quantitas eſt per ſe, & poſitiuè diuiſibilis, ex quo ſequitur contra Caietanum, quod hæ conditiones, diuidi in partes, & partes per ſe exiſtere, competit quantitati per ſe realiter, & poſitiuè, & conſequenter in quocumque eſt quantitas per ſe, illud eſt diuiſibile per ſe in partes potentes per ſe exiſtere, quia in quocumque eſt ratio & cauſa formalis alicuius effectus, in illo quoque eſt effectus formalis illius
3. cauſæ. Præterea, verum eſt illud quidem, quod forma naturalis poteſt impedire hunc effectum quantitatis, quod non reducatur ad actum, vt contingit in corpore Cæleſti, quòd quamuis ſit quantum, tamen actu non poteſt diuidi, quia illa forma eſt incorruptibilis, & dat eſſe incorruptibile Cęlo, & conſequenter quoque eſſe indiuiſibile: ſed ſecundo forma naturalis, non tollit à toto naturali, cui dat eſſe, quin illud totum ſit diuiſibile, ſecundum quòd ipſa quantitas, ſi per ſe eſſet, eſt diuiſibilis, illud totum per ſe eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia, ſicuti quantum per ſe ſeparatũ eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia. Ad propoſitum forma naturalis non aufert à toto homogeneo, quin ſit diuiſibile ſecundum ſe totum, ſicuti quantum, ſi per ſe eſſet diuiſibile, probatur: quia in toto homogeneo non eſt dare aliquam partem ſecundum quã non ſit diuiſibile; vt aqua in quacumque parte eſt diuiſibilis, ſicuti & ipſamet linea mathematica, ergo ex hoc deducitur, quod forma illa naturalis homogenea ſaluari poteſt ſub quocumque minimo dato; quia ſi non poſſet ſaluari, impediret totum, ne eſſet ſemper diuiſibile: ſecundum enim aliquam partem illud totum non eſſet diuiſibile, nempè ſecundũ illam partem minimam ſub qua ſaluari non poſſet eius forma, ſicuti eueniet in toto Heterogeneo; quia enim forma totius Heterogenei non poteſt ſaluari ſub quocũque minimo dato, ſed requirit determinatã quantitatem, ideò forma illius impedit, quòd totum non eſt diuiſibile ſecundum quamcumque partem: quia ipſa deſtrueretur. Poſſumus itaque in hunc modum argumentari ex hoc medio. Si forma naturalis ſubſtantia homogenea, vt in elementis, non poſſet eſſe quocumque minimo dato, ipſa impediret, & tolleret a toto homogeneo eſſe diuiſibile ſecundum quãcumque partem ſemper per quantitatem: ſed ſic eſt, quòd forma naturalis in homogeneis non impedit totum, quin ſecundũ quantitatem ſit ſemper diuiſibile ſecundum quamcumque partem, ergo forma naturalis homogenea poteſt eſſe ſub quacumque minima parte data. Maior probatur: quia illa forma ſibi determinaret tãtã quantitatẽ in toto ſub minori, qua eſſe nõ poſſet; ſicuti contingit in toto Heterogeneo: quia enim forma naturalis in toto Heterogeneo determinat ſibi in toto tantã quantitatẽ ſub minori, qua eſſe non poteſt, ideò impedit totum, & ab ipſo tollit, quòd nõ poſſit diuidi ſecundum quamcũque partem v. g. forma elephãtis determinat ſibi in ſuo toto tantam quantitatẽ, ſub qua minori eſſe nõ poteſt, & ideò tollit ab illo toto quãto Heterogeneo, vt a corpore elephantis, quòd non poſſit diuidi ſecundum quãcũque partẽ, neque enim eſt diuiſibile ſecũdum partem mediã, &c. quia ſi diuideretur elephas per medium, forma elephãtis deſtrueretur; ita dicẽdum eſt de quocumque toto Heterogeneo; & ratio huius eſt: quia illa forma requirit diuerſas partes ſimul, quæ ſi diuidãtur ab inuicẽ, ipſa corrumpitur, vt patet; Minor probatur, at in toto homogeneo non ſic euenit; neque enim forma naturalis in tali toto tollit à toto, quod ſecundum aliquam partem nõ ſit di-

ſit diuiſibile, & quòd ſi diuidatur ſecundum illā, forma illa corrumpatur, ſed ſecundum quamcumque partem illud totum eſt diuiſibile; nam accipiatur hoc totum aqua, ſecundum quamcumque partem diuidatur, vt circa medium, & extrema, eſt diuiſibilis; neque diuiſibilitate data in quauis parte forma aquæ euaneſcit, ſed remanet ſemper aqua: at ſi forma aquæ determinaret ſibi in toto certā quātitatem, eſset aſſignare aliquam partem in illo toto homogeneo, ſecundum quā illud non eſset diuiſibile, & forma ab illo diuiſibilitatem tolleret, vti facit forma in Heterogeneo. Ex his ſequitur, quòd forma in toto homogeneo non determinat ſibi certam quantitatem, & ſic ſub quocumque minimo dato ipſa manere poteſt, & communiter cum illa forma naturalis non impediat quantitatis diuiſibilitatem, & quantum ſit ſemper diuiſibile, & quocumque minimo quanto detur aliud minus, ita quocumque minimo naturali homogeneo dato, datur aliud minus. Sed aliquis dicet, licet totū homogeneum ſecundum quamcumque partem ſit diuiſibile, & forma naturalis homogenei hanc diuiſibilitatem non impediat, tamen totum illud nō eſt diuiſibile ſimul, ſecūdū aliquas partes omnes, adeò quod remaneat aliqua pars minima illius totius, & ſub ea ſit forma naturalis, quia hoc repugnat illi formæ naturali: licet enim nō impediat diuiſibilitatē in toto ſecundum quācūque partē, impedit tamen qđ ſimul fiat diuiſio in tot partes, vt partes ſint minimæ: quia ſub illis non poteſt manere forma naturalis. Sed hæc reſponſio eſt nulla: quia in diuiſione totius homogenei, non eſt deuenire ad minimū indiuiſibile, & hoc conceditur: quia cū ſit quantū continuū, non cōſtat ex indiuiſibilibus, & ſic nō eſt reſolubile in indiuiſibilia, ſed in ſemper diuiſibilia: illud ergo minimū, in quod poſſit diuidi, habebit partes, quæ erunt diuiſibiles in aliud minus quantum ex ſe, licet talis proceſſus tollatur a contrarijs corrumpentibus, cum enim corpus quantum diuiſum eſt in quaſdā paruas partes, cōtrariū eius ambiens, illas partes deſtruit, & corrumpit, cum minimā virtutē habeāt; ſed quantum eſt ex ſe, & ex intrinſecò poſſent diuidi, quia illis non repugnat diuidi; & ita illi formę ex intrinſeco non repugnat, ſub illo minimo reperiri, & hoc aſſerere cogimur, quia non videmus talem formam naturalem habere vllam determinationem in quantitate in tali toto. Præterea, accipiamus aliquod totum homogeneum, vt aquam, & ſtatuamus formam aquæ requirere in illo toto determinatam quantitatem, & illa ponatur quantitas bicubita, poterit ergo forma aquæ eſſe ſub aqua bicubitali, & non ſub minori: tunc diuidatur aqua illa bicubitalis iterum (hoc enim non repugnat) quia licet ſecūdum aduerſarios, vt naturalis non poſſit diuidi; tamen vt quanta poteſt diuidi, ſicuti totum Heterogeneum, licet vt naturale non poſſit diuidi, quia forma naturalis corrumpetur, tamen vt quantum, poteſt diuidi: (nihil enim impedit diuidi corpus Elephantis in multas partes) quæro an illa pars aquæ diuiſa, habeat formā aquæ, vel non; ſi dicas, quod habeat formam aquæ, habeo intentum, ergo forma aquæ non determinat ſibi certam quantitatem; ſi dicas, quòd non habet formam aquæ. Contra, non erit annihilata, vt ait Caietanus, quia annihilatio non eſt terminus agentis naturalis, ſed ſolius Dei, quam etiam non nouit Philoſophus, ergo erit materia ſine forma actu, quod repugnat; vel habebit aliam formam, & ſic per ſimplicem diuiſionem fiet generatio, quę erat opinio Anaxagoræ, quam confutat Ariſtoteles 1. Phyſ. tex. 38. qui volebat, quòd generatio, fieret p ſegregationē. Et poſtea quæro de illa forma de nouo accidēte illi materiæ, vel eſt homogenea, vel heterogenea; non erit heterogenea, quia illa ſemper requirit maiorē quantitatē quàm homogenea, vt etiam ex ſe patet, & experientia videmus; & ideo forma heterogenea exiſtere non poteſt ſub quantitate ita parua, ſub qua poteſt eſſe forma homogenea: Si dicas quòd eſt homogenea, iterū eodē modo quæro de ea: vel enim habet determinatā qnātitatē, vel nō; ſi non, habeo propoſitū; ſi ſic, habita illa, iterum diuidatur in ſuas partes, quia nō repugnat, vt dictum eſt, & ſic ſemper: cum ergo ſit impoſſibile quòd ſtatuatur quātitas determinata for-

mę naturali homogeneæ, ſequitur dicendum, quòd ſub quocumque minimo naturali homogeneo dato, forma naturalis
3. reperitur. Tertio, vt quidam Moderni arguunt, cogitetur portio materiæ minor ea paruitate, qua iſti dicunt corpus homogeneum, vt elementum ſibi intrinſecè determinare, & applicetur ei ignis; aut ille ignis producet in illam portionem materiæ formam ignis, & calorem, vel non; ſi dicas, quòd ſic, habeo intentum, quia ergo forma ignis, non determinat ſibi certam quantitatem, ſi non, hoc eſt impoſſibile: quia tota materia prima eſt vnius rationis, & ſic omnes partes eius: materia autem prima eſt in potentia proxima ad omnes qualitates, & formas elementares recipiendas; videtur ergo inconueniens, quod adſit aliqua portio materiæ, cui ab agente applicetur forma ignis, & non poſſit in eam recipi forma ignis; & quod dicitur de forma ignis, dicitur de alijs ele-
4. mentis. Quartò, quæro, ſi in elementis, quæ ſunt corpora homogenea requiritur determinata quãtitas in minus, ita quod in minori eſse non poſsunt, hoc euenit, vel ex ratione materiæ vel ex ratione quãtitatis, vel formæ ſubſtantialis, non primum, quia quantitas in materia non determinatur à materia, ſed à forma; non ſecundum, quia ipſa quantitas eſt indeterminata: eſt enim in infinitum diuiſibilis. At dicent, eſt determinata propter formã: ſed neque hoc eſse poteſt, quia forma elementi immediatè ineſt primæ materiæ, & eſt comes quãtitatis, & induit rationẽ materiæ, & quantitatis: non itaque hæc forma requirit determinatã quãtitatem in materia. Hinc ad reſponſiones Caietani accedendo, patet, quòd vanæ ſunt. Reſponſio ad ſecundum patet: quòd non ſoluit, quia oſtendi ſupra, quod quantitati per ſe poſitiuè competit diuiſibilitas in partes, & in partes potentes per ſe exiſtere, non autem ſolum non repugnanter; cum autem ait, quod repugnat partibus illis quanti diuiſis per ſe exiſtere, propter formam, quia forma requirit determinatã quãtitatem, iam oſtẽſum eſt, quod hoc fundamẽtũ eſt falſum; videmus enim, quod in homogeneis forma naturalis non determinat ſibi certam quantitatem, vt dictum eſt. Secunda etiã illa reſponſio per hoc idẽ infringitur: quia iã oſtendi, quod partes illæ diuiſæ poſſunt per ſe exiſtere actuali diuiſione, & quod hoc ſibi intrinſecè non repugnat, licet, extrinſecè repugnet propter contraria: Reſponſio ad primam confirmationem rationis nulla eſt; immò ratio illa efficaciſſima eſt, exiſtentia enim rei pendet à materia, & forma: quæ ergo habent materiam, & formam eiuſdem rationis, ſi vnum exiſtit, ſiue ſi vni extrinſecè exiſtere non repugnat, neque alteri; at in toto homogeneo partes habent materiam, & formam eiuſdem rationis, vt patet de tota aqua, & partib. eius, ergo ſicuti nõ repugnat per ſe exiſtere toti, neque partibus per ſe; Cum autẽ dicit, hoc non ſequitur, quia vltra materiam, & formam eiuſdem rationis requiritur illa conditio, habere tantam quantitatem, quæ quia eſt in toto, exiſtit per ſe, ſed quia non eſt in partibus per ſe exiſtere non poſſunt. Hoc nihil eſt: quia forma ſubſtantialis non determinatur ab accidente, ſed accidens à forma ſubſtantiali, ſi ergo in toto, & in partibus eſt forma eiuſdem rationis, neceſſe eſt quod adſint accidẽtia reqſita, alioquin ſi requireretur aliquod accidens ad eſſe formæ, & illud in partibus non eſset, neque forma ſubſtantialis eiuſdem rationis eſse poſset in illis partibus: patet autẽ, quod in partib. aquę eſt forma ſubſtãtialis aquæ, ſicuti in toto, & omnino eiuſdẽ rationis, ergo ſimiliter reſponſio ad ſecundã confirmationẽ nulla eſt, propter prædictas rationes, & inſup ratio illa efficaciſſima eſt, nã ſtãte hac reſponſione Caietani, ſequeretur, quod nõ omnis pars aquæ poſset eſse indiuiduum aquæ, ſed ſolũ aliquæ partes: nẽpe, illę ſolæ, quæ haberent certam quãtitatẽ, & ita principiũ diſtinctiuũ numeralis in indiuiduis ſubſtãtiæ, & conſtitutiuum eorundẽ nõ eſset quid ſubſtantiale, ſed quantitas, neque ſufficeret ad cõſtitutionem indiuidui forma ſubſtãntialis, & materia, ſed requirere accidẽs, & ſic ſubſtãtia prima pẽderet ab accidente: ſed hoc forſan apud eos nõ eſset incõueniens, de qua re loquitur in Theoremate de principio indiuiduationis ſubſtãtię materialis. Tertia cõfirmatio ſimiliter eſt efficax: nã valet etiã de par-

Reſp. Caie. reijcitur.

The. 90.

de partibus inexiſtentibus toto; prius enim quam eſſet totum, illæ exiſtebant per ſe: quod perſpicitur: ſi nos accipiam' aliquas partes aquę ſeorſum, & poſtea illas omnes in vnum vas ponamus, illę partes aquæ facient vnum totum, in quo erũt inexiſtentes; quæro nũquid prius illæ partes duratione per ſe extiterunt? non potes negare, ergo verum eſt quod partes inexiſtentes poſſunt eſſe prius duratione toto, ergo etiam poſterius duratioue manere illis non repugnat intrinſecè. Reſpõſio ad quartã eſt penitus voluntaria, & ſine ratione: diximus enim, quod minimũ indiuiſibile non datur, ſed datur minimum quod partes habet, & eſt ſemper diuiſibile; quod autẽ tale minimum habens partes non poſſit diuidi, & quod diuiſio in tali minimo ſit corruptiua, immo annihilatiua, nulla ratio perſuadet: quod enim habet partes intrinſecè, ſibi non repugnat diuidi in illas, illud minimum habet partes, ergo ſibi non repugnat intrinſecè, licet extrinſecè, vt iam dictum eſt ſibi repugnet. Ad rationem fundamentalem Caietani reſpondetur, quod falſum eſt, quod cuique formæ reſpondeat determinata quãtitas, vt probatum eſt; ad probationẽ ex Ariſt. 5. Metaph. tex. 3. & 1. Phyſ. textu 38. cauſæ commenſurantur effectibus, & ecõuerſo. Reſpondetur, quod intelligitur ſecundum hunc ſenſum, quod cauſę propriæ proprius reſpondet effectus, id eſt cauſæ vniuerſali vniuerſalis effectus reſpõdet, & cauſæ particulari effectus particularis: & in hoc ſenſu loquitur ibi Ariſt. ideo ex illa propoſitione non habetur, qđ determinatę formę reſpõdeat determinata quãtitas. Ad ſecundum patet: quia nos non loquimur de toto heterogeneo, ſed de homogeneo. Ad tertium dictum eſt Theoremate 52. & per hæc eadẽ patet ad Achillinũ. Ad primum ex Modernis poſſumus dicere, quod verum eſt antecedẽs de formis heterogeneis naturalibus, & ideo conſequens etiam de illis veritatem habet tam extrinſecè, quã intrinſecè, ſed in toto homogeneo, verum eſt tantum extrinſecè, nõ intrinſecè; quia cum ignis ſit augmentabilis in infinitum intrinſecè, habet etiam virtutem, motum, &c. intrinſecè interminatam. Ad aliam dico, quod concludit de toto heterogeneo, non de homo geneo. Ad illam auctoritatem Ariſtot. 2. de Anima, & 1. Phyſic. dictum eſt Theoremate 52. c. 2. reſpondendo ad 2. rationem.

Ad fundamẽta Caiet ani. *Ad 2.* *Ad 3.*

Datur maximum in homogeneis maius quocumque maximo dato intrinſecè. Cap. IV.

EX declaratione præcedentis Theorematis patet declaratio etiam iſtius; innititur enim iiſdem fundamentis: quia ſcilicet forma naturalis in homogeneis, non eſt determinata ad certam quantitatem in maius, neque in minus: ſed quocumque maximo dato, datur aliud maius: ſicut quocumque minimo dato, datur aliud minus; tamen Scotus apponit rationem particularem deductam ex Ariſt. 2. de Anima tex. 41. in loco ſuprà citato ad literam N. quæ eſt, quod appoſito combuſtibili igni, augebitur, & ita ſi apponatur combuſtibile in infinitũ, ignis augebitur in infinitum; hæc etiam eſt ratio Ariſtotelis in citato loco, ad probandum, quod auctio ignis, non eſt propriè auctio. Huic rationi reſpondet Caietanus loco citato ſuprà, quod hic ignis auctus in infinitum ex infinito combuſtibili appoſito, non eſſet vnus numero ignis, ſed aggregatione vnus, & quædã fingit, quæ ex ſe ſuam inanitatem oſtendunt, vnum enim aggregatione eſt vnum per accidens, continens plura diſtincta numero, vt patet de aceruo tritici, & cumulo lapidũ; dicere autẽ maximum ignem quendam, eſse plures numero ignes, ſed vnũ p accidens, eſt dictum voluntarium. Inſuper in vno aggregatione, ſunt plures materię diuerſæ, & plures formæ ſimiliter diuerſę numero actu, vt patet in cumulo lapidũ, ergo in illo igne aucto in infinitum, ex infinito combuſtibili appoſito, non erit vnica forma numero actu, ſed plures formę, & plures materiæ actu, quod videtur ridiculum. Præterea, ſi ille ignis non eſſet vnus ignis, ſed plures numero, nõ dixiſset Ariſtoteles ignis ex combuſtibili infinito appoſito augetur in infinitum, ſed dixiſſet multiplicatur ignis in infinitũ: hoc etiam cõuincitur ex continuatione textus ibidẽ, confutat enim ibi antiquos, qui dicebant,

Reſpõſio Gaiet. Reijcitur.

cebat, quòd ignis erat cauſa augmenti cuiuslibet viuentis, Ariſtoteles verò hanc ſententiam confutat per hoc: quia ſi ignis eſſet cauſa augmenti in viuente, poſſet augere quodlibet viuens in infinitum, quòd eſt inconueniens: quia omnium natura conſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti: at ignis augens viuens vnum numero, eſt vnus numero quoque, illam autem ait poſſe creſcere in infinitum, ergo ignis qui eſſet infinitus, eſt vnus numero; datur ergo quocumque maximo aliud maius intrinſecè in homogeneis: ſed extrinſecè expugnat: quia ĩ natura infinitũ eſſe, eſt impoſſibile.

THEOREMA XXXVII.

Indiuiſibile vt nunc, & punctum, eſt quid poſitiuum.

Poſitio Scoti. *Cap. I.*

SCotus 2. Sent. diſt. 2. q. 9. L. reſpondendo ad argumentum ſecundum, ſcilicet ad ſecundam probationem illius antecedentis, ſucceſſiuum conſtat ex indiuiſibilibus, adducit prius quandam reſponſionem, quam Marginiſtæ aſcribunt Nominalibus, quæ dicit, quòd indiuiſibile eſt quid priuatiuum tantum, ideo ibi digreditur, & probat quod indiuiſibile ſit quid poſitiuum, non autem priuatiuum
1. rõ. tantum. Prima ratio eſt hæc. Si indiuiſibile eſſet tantum carentia diuiſibilitatis, & non eſſet quid poſitiuum, ſequeretur hoc inconueniens, quod generatio ſubſtantiæ, quæ non eſt per ſe terminus continui temporis, non haberet menſuram vllam poſitiuam, & ſic erit in nihilo: hoc autem videtur abſurdum. Idem eſſet dicendum de alijs mutationibus ſubitis, quæ non ſunt per ſe termini motus, vt de illuminatione, quæ fit in iſtanti: & licet aduerſarij quoquo pacto poſſent euadere, & ſe ſaluare in mutationibus, quæ sũt termini motuum, & fiunt in inſtanti, sũt enim quædam mutationes, quæ habent eſſe tantum in termino motus continui, vt priuatio continuitatis fit in terminatione continuitatis: licet inquam quoquo pacto in his mutationibus poſſent ſe ſaluare, dicentes, quod talia inſtantia ſint pura priuatio, & carentia continuationis, tamen in mutationibus prædictis, quæ non ſunt termini motus continui, vt eſt generatio, & illuminatio, tales enim mutationes nihil ſunt continui, neque poſitiuè, neque priuatiuè, ſed fiunt in vno nunc indiuiſibili, non poſſunt euadere: quia tale nunc, nullo pacto poteſt poni quid priuatiuum purum, & pura carentia diuiſibilitatis. Secundò, 1. Poſt. declarando primum modum dicendi per ſe, c. 4. ait Philoſophus, quòd ratio lineæ eſt ex punctis, id eſt in ratione eſſentiali lineæ cadit punctus: quæ ratio dicitur de linea in primo modo dicẽdi per ſe; at nulla priuatio pertinet per ſe ad rationem eſſentialem poſitiui, ergo punctus non eſt præciſè quid priuatiuum. Tertiò, ſi verum eſt quod punctus ſit priuatio, eadem ratione quoque poſſemus inferre, quod linea, ſuperficies, & corpus ſint quid priuatiuum tantum; ſed hoc eſt falſum, vt patet, ergo; cõſequentia probatur: quia omne terminatum definitur per terminans, ſed linea terminatur per puncta, ergo definitur per puncta. Rurſus, ſuperficies terminatur lineis, ergo definitur per lineas; & ſic cum corpus terminetur ſuperficiebus, definitur per ſuperficies; at quod definitur per priuatiuum, nõ eſt quid poſitiuum, quia poſitiuum non includit eſſentialiter priuatiuum, quia eſt eius oppoſitum priuatiuum, ergo ſi punctus eſt priuatio quędam, linea quoque erit priuatio quædã; & ſi linea eſt priuatio; ergo & ſuperficies; & conſequenter corpus. Quartò, ex hoc ſequitur vlterius inconueniens: quia ſi ſuperficies eſt tantùm priuatio profunditatis, ſequitur, quòd punctus erit tantum priuatio priuationis, ſiquidem punctus eſt priuatio longitudinis, quæ erit pura priuatio, at nihil videtur priuare priuationem, niſi ſit formaliter poſitiuum. Quintò inſunt corporibus multæ qualitates ſenſibiles, & corporales ſecundum ſuperficiem, vt videtur, ergo ſuperficies non eſt tantum priuatio, ſed quid poſitiuum. Antecedens probatur de coloribus, & figuris, quorum vtrumque eſt in ſuperficie tamquam in ſubiecto, & vtrũque eſt per ſe viſibile, & per conſequens eſt poſi-

2. rõ. 3. rõ. 4. rõ. 5. rõ.

eſt poſitiuum;non ergo dicendū eſt,quòd eorum ſubiectum immediatum ſit priuatio. His rationib. Scotus probat, quod indiuiſibile vt nunc, & punctus, non eſt quid priuatiuum, ſed quid poſitiuum; quam ſententiam ferè omnes nunc ſequuntur.

Rationes aduerſariorum,& ſolutiones. Cap. II.

EX altera parte Nominales aiunt, quod indiuiſibile formaliter eſt carentia ſola continuæ ſucceſſionis,& punctus eſt carentia longitudinis,& nihil poſitiui dicit;quòd probatur Primò:quia ſi
1. rō. ponatur ſola ratio continui,& ponamus, quod non ſit infinitum,& circumſcribamus quodcumque aliud abſolutum,continuum erit terminatum,non ergo puncti,per quos terminatur continuum,ſunt quid abſolutum,& poſitiui quia circumſcripto quocumque poſitiuo abſoluto,& relicta ſola ratione continui, continuum erit finitum, niſi ponamus illud eſſe infinitum. Dicendum eſt ergo,quòd puncta nihil aliud ſunt, niſi carentia cōtinui, vel continuæ ſucceſſionis, & ſic ſunt pura
2. priuatio. Secundò, videtur quòd Deus non poſſit ſeparare finitatem à linea,ſed Deus poteſt ſeparare quodcumque abſolutum ab altero abſoluto, ergo punctus non eſt quid abſolutum à linea; hæc ratio eſt Theologica. Tertiò, ſi pun-
3. rō. ctus eſſet quid poſitiuum, ſequeretur, quòd punctus & linea,eſſent duę eſſentię abſolutæ: duæ autem eſſentiæ abſolutæ nō poſſunt fieri vnum,niſi vna accidat alteri, & tunc linea eſſet vnum per accidens; neque ſunt vnum ſecundum identitatē perfectam, vt videtur; neque ſunt vnum tertium compoſitum ex eis: quia neutra reſpectu alterius habet rationem actus,vel potentie;requiritur ergo quòd
4. rō. punctus ſit priuatiuum purum. Quartò, Indiuiſibile haberet eſſe, & non eſſe abſque generatione, & corruptione; probatur conſequentia: quia in medio lineæ eſt tantum vnus punctus: at diuiſa linea, ſūt duo puncta in actu,ergo eſt ibi aliquis pūctus, qui prius non erat, & ibi eſt ſine generatione,quia non videtur eſſe probabile, quòd diuidens generauerit ibi aliquā eſſentiam abſolutam. Hanc opinionem ſequitur Gulielmus Ocham, vt citant Marginiſtæ his ferè rationibus. *Opin. Ochā.*

Verum ex dictis à Scoto hanc opinionem eſſe falſam conſpicitur, & ab omnibus fere hæc opinio derelinquitur his tēporibus. *Reÿcitur.* Pro intelligentia autem clariori rationum eſt notandum, quod indiuiſibile nihil aliud eſt, niſi terminus continui, vti eſt punctus, & propterea formaliter diſtinguitur à continuo, & diuiſibili:ſed non diſtinguitur realiter,non enim eſt quid ſubiecto diuiſum, & ſeiunctum à continuo,vt à linea,ſed eſt terminus cōtinui, & lineæ, & ſic apparet quomodo *Fūdamētū pro ſolutione.* ſit quid poſitiuum, quia eſt vltimum, & terminus indiuiſibilis continui, & ſic eſt quid poſitiuum; ſed connotat carentiam continuationis, & diuiſibilitatis, & per hoc formaliter diſtinguitur à continuo, ſed non realiter, neque ſubiecto. Ex hoc ad primam rationem poſſumus negare, *Ad I rōnē.* quod poſita ſola ratione continui, continuum ſit terminatum: quia de ratione continui non eſt eſſe terminatum, vel interminatum, quia ſi de ratione continui eſſet eſſe terminatum, quodlibet continuum eſſet terminatum, & ſic tempus quoque eſſet terminatum, & tamen ſcimus,quod eſt infinitum,& ſine limitibus, ſecundum Ariſt. Si etiam de ratione continui eſset, eſse non terminatum, nullum continuum eſſet terminatum; vndè linea, &c. non eſsent terminata, ergo de ratione continui eſt,quod componatur ex partibus diuiſibilibus, quæ terminentur ad vnum terminum communem, vt dicitur in Prædicamento Quātitatis, & nihil amplius requiritur. Vndè ad argumentum eſſet dicendum, quod continuum terminatur per aliud abſolutum,ſcilicet per pūctum,& ſic falſum eſt aſſumptum, quod non habeat partes,&c. Secūdò poſsumus dicere, quod circumſcripto quocumque abſoluto diſtincto realiter, & ſubiecto, à cōtinuo,continuum eſt terminatum:ſed tunc neganda eſt Minor, quia punctus licet formaliter diſtinguatur à continuo, non tamen diſtinguitur realiter, neque ſubiecto,vt dictum eſt. Ad ſecundū,quod *Ad 2.* eſt argumentum Theologicum dico,

quod

quod Deus poteſt, quæ non implicant cõtradictionem: ideò ſi poſſet eſſe infinitum cõtinuum, poſſet Deus facere illud, & ſic eſſet continuum ſine punctis, quia eſſet interminatum; modò, quia omne continuum eſt finitum, & terminatum, ideò implicat dari continuum terminatum ſine terminis, & ideò non poteſt Deus ſeiungere punctum à linea, non tamen propter hoc ſequitur, quod punctum, & indiuiſibile, non ſit quid poſitiuum. Ad tertium patet, quare ex puncto, & linea non fiat compoſitio, quia non diſtinguũtur realiter, & ſubiecto; ſed ſolum formaliter; Vel dicamus, quod non fit compoſitio, quia terminus, & res terminata non faciunt compoſitionem, non enim ſunt duæ res, neque partes eſſentiales, ſed vna eſt res, & alia eſt terminus, & vltimum illius rei. Ad quartam dico, quod non datur indiuiſibile actu in continuo, vt in linea, quia ſupra oſtenſum eſt, quod continuum nõ componitur ex indiuiſibilibus, ſed ibi eſt tantum in potentia, quia omnis linea ſecundũ quamcumque partem eſt diuiſibilis, & ſic terminabilis punctis; vndè illa duo puncta, qui actu adſunt dũ diuiditur linea, aderant prius actu, nec alter, nec ambo, ſed vterque potentia; per diuiſionem autem fiunt in linea actu; neque hæc eſt generatio, quia, vt dixi, punctus non eſt re, & ſubiecto diuerſus à continuo, ſe ſolum formaliter: re autem eſt terminus, & vltimum ipſiuſmet cõtinui. Hoc modo ſolui poſſunt illa argumenta, licet Scotus illa inſoluta reliquerit, forſan obliuione captus, dum multa alia perquirebat in illa quæſtione, quæ non ſine cauſa ab Antiquis Scotiſtis difficillima ſemper habita fuit.

Ad 3. *Ad 4.*

THEOREMA XXXVIII.

Non datur minimus motus indiuiſibilis; ſiue non fit motus in inſtanti.

Propoſitum Theorema dilucidatur. Cap. I.

SCotus 2.Sent.d.2.q.9. poſt G. & poſt N. multis rationibus probat eſſe impoſſibile, quod fiat motus in inſtanti; ratio præcipua, & demonſtratiua eſt hæc. Omnis motus alius à motu locali pendet à motu locali, neque fieri poteſt ſine motu locali, vt probat ipſemet Philoſophus 8.Phyſ.tex.53. ſed motus localis non poteſt fieri in inſtanti, ergo nullus motus fieri poteſt in inſtanti. Minor probatur: quia omnis motus eſt de genere continuorũ, & eſt ſucceſſiuus; vt patet ex 6.Phyſ. & 3. Phyſic. omne ens mobile neceſſariò habet partes: quia indiuiſibile non mouetur; non poteſt ergo totum mobile pertrãſire ſpatium, niſi prius vna pars tranſeat ſpatium illud, & ita in vno inſtanti tranſit vna pars, & in alio inſtanti alia pars; non ergo totum poteſt pertranſire illud ſpatium in vno inſtanti. Præterea, motus localis fit ſuper quantitatem, & medium diuiſibile: quia ſuper indiuiſibile nihil mouetur, ergo mobile in tranſeundo illud medium, prius eſt in vna parte, deinde in alia, & ſic non poteſt fieri in inſtanti. Sed hic eſt dubitatio, quia generatio, & corruptio, ſimiliter & illuminatio, ſunt mutationes inſtãtaneæ, & ſubitæ, vt elicitur ex ipſomet Ariſt.5.Phyſ.tex.7. quia generatio, & interitus verſantur inter contradictoria, vt ait ibi Ariſt. inter contradictoria autem non datur medium, ergo mutatio inter ea fit momento; & ipſemet Scot. in 2.Sent.d.2.q.9. poſt L. contra eos, qui dicunt punctum, & inſtans eſſe quid priuatiuum tantum; ergo datur aliquis motus, qui eſt in inſtanti. Item Ariſt. ait guttas aquæ in inſtanti ſiue tempore indiuiſibili cauare lapidem, 8.Phyſ. tex.23. & lib. de ſenſu, & ſenſibili, c.8. ait ſenſum poſſe ſubito alterari, & non dimidium prius; & ſubinfert exemplum, vt aquam omnem ſimul coagulari. Pro intelligentia obiectionum notanda ſunt ea, quæ habet Scot. in Metaph.11.8.q.3. in initio illarũ additionum, qui declarat ea quæ dicit Ariſt.6.Phyſ.lib. de ſucceſſione motus; ait enim Ariſt.6.Phyſ.tex. 7.32. & 87. quod omne quod tranſmutatur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quẽ, & ſic neceſſario videtur omne quod tranſmutatur, habere partes. Hoc argumentum adducitur ad probandum formam ſubſtantialem ſuſcipere magis, & minus: ſed non valet ad hoc: quia hoc argumen-

Dub. primũ. *Secũdum.* *Solutio.*

gumentum non concludit de diuiſibilitate mobilis ſecundum magis, & minus, ſed ſecundum diuiſibilitatem mobilis in partes quantitatiuas. Omiſſa ergo illa diſputatione de ſuſcipere magis, & minus, oportet videre quomodo mobile eſt ſemper partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: quia vt ſupra obiecimus, videtur quod aliqua mutatio ſit ſubita, & conſequenter, videtur falsũ, quod omnis motus ſit ſucceſſiuus, vt videtur velle argumentũ, & ratio hic adducta ab Ariſt. Dicẽdum eſt ergo, quod hæc ratio Ariſt. eſt veriſſima, & concludit, quod in rebus cõtinuis nõ poteſt ſubito fieri generatio; ſed id quod tranſmutatur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quẽ: oẽ illud .n. quod generat prius diſponitur, diſponitur autẽ per alterationẽ, non alteratur aũt ſimul totum, quia ſi ſubiectũ eſt cõtinuũ, eſt diuiſibilẽ in partes, & ſic cũ forma inducat tñ, qñ ſubiectũ eſt ſummè diſpoſitũ, nõ põt fieri generatio continui tota ſimul, ſed aliud, & aliud: & ſic forma ſubſtãtialis prius inducitur in aliã partẽ, & aliam, donec cõpletè inducta eſt; & hoc cõſonat dictis Ariſt. 7. Phy. tex. 34. vbi cõparat generationes ad inuicẽ ſecundũ velocitatem. Hoc itaqne argumentũ concludit de extẽſione formarũ, non de intẽſione, & remiſſione formarum. Sed eſt videndũ quomodo hoc ſit verum, & intelligatur hæc ſucceſſio in motu, quia quædã alterationes videntur poſſe fieri in inſtanti, ſi circumſcribatur motus localis, qui neceſſariò ſit in tẽpore, vt contingeret de multiplicatione ſoni, ſi nõ eſſet impedimentũ medij per quòd debẽt localiter deferri ſpecies ſoni; ideò dicendum eſt, quòd nulli formę quãtum eſt ex ſe, repugnat ſubita mutatio: poſſet enim in inſtanti induci, ſed ratione ſubiecti, qđ eſt diuiſibile, omni formę, cõpetere poteſt ſucceſſio, & hoc eſt quod intendit Philoſ. 6. Phyſ. ſucceſſio quoque in motu poteſt eſſe ratione formæ, quia forma habet gradus, & ſic paulatim, & ſucceſſiuè poteſt induci, vt cõtingit ĩ qualitatibus; ſed hoc non verificatur de omnibus formis: quia non omnes formæ habent gradus, vt ſunt formæ ſubſtantiales; & propter hoc Ariſt. diſtinxit 5. Phyſ. motum à mutatione. Eſt ergo dicendum, quod ſucceſſio in motu vbique eſt poſſibilis ratione ſubiecti, ſed non vbique ratione formæ, ſed ſolum in illis, in quibus formæ habent varios gradus; ſed ſi accipiatur ſubiectum per ſe, & forma per ſe, in neutra iſtarum mutationum eſt neceſſaria ſucceſſio, propter rationem adductam de multiplicatione ſoni, ſi circumſcribatur motus localis; ſi autem iſtæ formæ per motum inducantur, id eſt, non ſubito inducantur, neceſſe eſt, quod ſit ſucceſſio: & tunc eſt neceſſe, quod ſit, vel ratione ſubiecti, vel ratione formæ, vt dictum eſt. Sed arguitur contra vtrumque membrum. Arguitur contra primum, ſcilicet, quod non poſſit fieri ſucceſſio ex parte mobilis, quia alterãs non minus eſt potens in principio, quam poſt, & agit ſecundum vltimum virtutis ſuæ, ergo agit tantum in paſſum à principio in quantum poſt. Contra ſecundum membrum, quod ſcilicet non poſſit fieri diuiſio ſecundum gradus formæ: quia hoc videtur eſſe contra ſenſum, quod prima medietas mobilis ſit in ſummo diſpoſita per præuiam alterationem, quia habet gradum formæ, & ſecunda medietas nullo modo ſit alterata. Contra vtrumque: quia tunc non eſſet vna alteratio, ſed plures. Pro ſolutione iſtorum argumentorum eſt notandum, quod aliud eſt ponere ſucceſſionem in alterati one ſecũdum partes mobilis proportionati agenti, & aliud ſecundum partes mobilis inporportionati ad agens, quarum tamen quælibet ſit proportionata mobili agenti: nam ſi accipiamus primum membrũ, poſſumus dicere, quod prima pars mobilis alterata ab agente alterat ſecundum partem, vel quod non alterat, & hoc vel principaliter vel inſtrumẽtaliter: ſi dicas, quod alterat ſecundũ partẽ principaliter, tũc alterans extrinſecũ nihil agit; Si dicamus, ꝙ alterat illã ſecũdam partẽ inſtrumẽtaliter, tũc agens extrinſecũ erit agens principale alterãs, & prima pars agẽs inſtrumẽtale: & tũc patet ad argumẽtũ contra primũ mẽbrũ, ꝙ licet agẽs ſit æquè potẽs, tñ neceſſe eſt, quod ſucceſſiuè agat in paſſũ, & mobile ſibi proportionatũ, & ſic prius in vnã partẽ, poſtea in aliã; Si loquamur ſecũdũ alterũ mẽbrũ, põt dici, quod

Contra 1. membrum

Contra ſecũdũ membrum

Contra vtrumque.

Tertia ſolutio.

agens

agẽs prius neceſſariò agit in vna partẽ,& tunc illa pars alterata agit in ſecundum , & ſic etiam patet ad idem argumentum contra primum membrum . Notandum eſt inſuper, pro ſolutione argumentorum contra ſecundum membrum , de ſucceſſione ex parte formę , quòd ſi alteratum ſecundum vtrumque membrum modo prædicto , alterat, vel alterat ſtatim cum incipit habere aliquid formæ; aut tunc tantum, cum habet formam in ſummo ; aut quando habet eam in certo gradu , vt puta in 10. ita quod citra illum nihil faciat; Horum trium membrorum ſecundus gradus eſt impoſſibilis , tam in abſolutè ſummo , quàm in ſummo poſſibili induci ab illo agente: quia dato, quod illud agens ceſſet citra gradum ſummũ , tunc illud alteratũ ab ipſo, nihil vnquàm poſſet facere, quod eſt contra ſenſum : etiam primum membrum non eſt verum: quia poſſet eſſe aliqua forma ita remiſsè inducta, ideſt inducta ita ſecundum paucos gradus, quod mobile alteratum ſecũdum illam non poterit agere. Vltimum membrum eſt verũ , quòd ſcilicet agit cũ peruenit ad determinatos gradus , & tũc patet ad argumentum contra ſecundum membrum de ſucceſſione ratione formę: quis autem ſit ille gradus in formis nõ eſt facilè aſſignare: fortè minor ſufficit in forma magis actiua, vt calore, quam frigiditate ; & ex his patet ad omnes inſtantias ; quanto enim alterans magis intenditur , tanto velocius mouet ; & quanto magis remittitur , tanto debilius fit ; & minus agit; tot etiam ſunt alterationes, quot alterantia; & per hoc patet ad argumẽtum contra vtrumque medium. Arguit etiam Scotus quod non ſit ſucceſſio in motu , quia vna pars mobilis non poteſt mouere aliam ibi (ſed primum argumentum contra vtrumque membrum quærit de prima ſubſtantia, &c.) ſed illa argumenta ſoluit, & probat, quòd neceſſariò eſt ſucceſſio in motu ſecundum Philoſophum ; & illam poſitionem reijcit, & ſoluit argumenta illa , & hoc facit vſque ad illa verba (Nota quòd via tenens ſucceſſionem alterationis, &c.) Inquit ergò, quod ſecundum Ariſtotelem ſucceſſio in motu poteſt eſſe ſecundum partes mobilis, & conſequenter, quod vna pars mobilis, eſt cauſa motiua alterius partis, quia omne ens actiuè poteſt omne ens in potentia reddere ſibi ſimile actu ; & prior pars eſt prior in actu , quàm ſecunda pars ; Et licet aliquando hæc ſucceſſio actu non ſit ſecundum partes , tamen illa cauſalitas adeſt , quia pars prior prius natura habet formam, quàm poſterior, licet non tempore ; & hoc modo euenit in illuminatione : ſi autem eſt ſucceſſio ſecundum formam , tunc pars prior aget, non ſecunda a principio , ſed ſecunda tunc agit quando habet illam formam ſecundum gradum actiuum. Sed hic eſt difficultas, quia ſecundum dicta, forma ſubſtantialis ſucceſſiuè inducetur ratione mobilis , licet non ratione ſuimetipſius : quia ipſa forma ſubſtantialis non habet varios gradus, vti forma accidentalis ; Hoc autem eſt contra Ariſt. 5. Phyſ. tex. 10. vbi vult, quod in ſubſtantia non ſit motus, ſed mutatio : & diſtinguit mutationem à motu tex. 7. quia mutatio tranſit de non eſſe , ad eſſe , ſiue de non ſubſtantia, in ſubſtantiam; à priuatione autem ad habitum non ſit tranſitus per gradus; ergo videtur , quòd ſubſtantia non poſſit generari ſucceſſiuè , neque etiam ex parte mobilis . Ad hoc Scotus dat duplicem reſponſionem, dimiſſa prima, ſecunda eſt hæc; Quod forma ſubſtãtialis non perficit materiã mediante quantitate , ideò ſuum primum ſuſceptiuum in quantum huius, non habet partem extra partem , & in inductione formæ ſubſtantialis non eſt ſucceſſio ſecundum partes ſui ſuſceptiui : quia ſuum ſuſceptiuũ non habet partes, ſed habet partes per accidens : quia nunquam eſt ſine quantitate ; & ideò in generatione, & inductione formæ ſubſtantialis, eſt ſucceſſio non per ſe : quia neque ratione ipſius formæ ſubſtantialis, cum illa non habeat partes, neque ratione ſuſceptiui, in quantum eſt ſuſceptiuum : quia vt eſt ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis, non eſt quantum : ſed ſolum per accidens habet partes , quia non poteſt eſſe ſine quantitate . Alteratio autem per ſe habet ſucceſſionem , quia qualitas per ſe eſt in quantitate, & neceſſariò prærequirit quantitatem in ſubiecto , & etiam ipſa qualitas habet gradus varios,

Notãdum. *Quo ſucceſſio fiat in motu* *Dubium* *Dubium* *Reſp. Scoti. Solutio.*

varios, & ideò in illa per ſe eſt ſucceſſio, quod eſt verum communiter, vt videtur. Iure ergò in ſubſtantia non eſt motus, ſed mutatio, quæ eſt ſubita: ſed in alteratione, & alijs Prædicamentis, eſt ſucceſſio, & motus.

Quomodo autem fiat hæc ſucceſſio in alteratione, & quare aliquod quantum motum, prius habeat calorem remiſſum, poſtea intenſum, patet ex hoc: quia cum aliquod corpus incidit calefieri, incipit calor induci paulatim ſic quod vnus gradus minimus inducitur prius in vnā partem, deinde alius gradu per alium motum inducitur in illam eandem partem, prior verò alteratio continuatur in partibus alijs mobilis ſequentibus, quarum vna completa, vel quantulacūque parte eius, poteſt incipere alia; & ſic cum illa alia tertia alteratio; vnde prior pars alteratur etiam ſecunda alteratione, quando poſterior pars alteratur prima alteratione; & ſic in fine, prior pars eſt intenſius calida, quàm poſterior; quia pluribus alterationibus ſuperuenientibus alteratur magis prior, quàm poſterior. Ex his omnibus patet, quomodo in quolibet motu ſit ſucceſſio, & eſt impoſſibile, quòd motus fiat in inſtāti, quia eſt ſucceſſio in quolibet motu, vel ratione ſubiecti, vel ratione formę: quia omnis motus fit ſuper mobile, vel ſubiectum quantum: non ſuper indiuiſibile, vt habetur 6. Phyſ. habetur etiam quomodo generatio ſubſtantialis fit ſucceſſiuè, non ratione formæ ſubſtantialis, quæ non habet gradus; neque ratione ſui ſubiecti, vt eſt eius ſubiectum; ſed ratione ſui ſubiecti per accidens: quia illud ſemper eſt quantum, & ſic per accidens ſucceſſiuè in illud inducitur forma ſubſtantialis. Ex quo apparet, quòd non ſatisfaciunt queſtioni, qui diſtinguunt de generatione, dicentes, quòd generatio duobus modis accipi poteſt; Vel pro alteratione præuia ad inductionem formæ ſubſtantialis; Vel pro ipſamet inductione formę ſubſtantialis; & dicunt generationem primo modo acceptam eſſe ſucceſſiuam, non ſecundo modo: quoniam hæc diſtinctio non ſufficit: quia adhuc quæro, in illa inductione formæ ſubſtantialis cu ſubiectum ſit quantum, an inducatur ſtatim in quālibet partem ſubiecti, an non; & ideò eſt dicendum, vt ſuprà, quòd ſucceſſiuè inducitur non per ſe, ſed per accidens, vt dictum eſt. Ad illud de guttis cauantibus lapidem, dictum eſt ſupra in Theoremate illo, quòd continuum conſtat ex ſemper diuiſibilibus; ideò nunc breuiter dico, quod Ariſt. non ait illam excauationem lapidum fieri in inſtanti; ſed ait fieri in tempore admodum pauco. Ad illud de illuminatione dico, quòd non fit ſucceſſiuè, quia ad multiplicationem coloris non requiritur motus localis; vnde omnes alij motus neceſſariò ſunt ſucceſſiui, quia interuenit motus localis, quod ſi alteratio fieri poſſet ſine motu locali, nō repugnaret fieri in inſtanti, & ſic de alijs motib: ſucceſſiuis: vnde ſupra dixi, quod eſt poſſibile omnem motum fieri ſucceſſiuè: non tamen eſt neceſſarium, ſi enim circumſcribatur motus localis, non erit neceſſe quod ſit ſucceſſiuus. Ad illud de ſenſu, loquitur de alteratione intētionali, vbi ſubiectum eſt ſummè diſpoſitum ad formam. Ad illud, quòd aqua ſubito coagulatur, dico, quod ait Scotus in antiquis textibus illa verba non reperiſſe, attamen intelligatur, ſimul, id eſt paruo tempore, & inperceptibili, vnde ſi ſit multa aqua, videmus etiam ſenſu, quod non tota ſimul, ſed paulatim coagulatur. An detur mutatio inſtantanea diſputatur a Philoſopho 6. Phyſ. tex. 32. D. Thomas, Auerroes, & alij, concedunt eam dari: ſed hoc eſt intelligendum eo modo, quo Scotus ſuprà expoſuit, ſcilicet, vbi non intercedit motus localis. Alia loca citauimus, 2. Sēt. diſt. 21. cap. 1. quæ ſunt 1. Phyſ. tex. 23. & vndecimus Metaph. cap. 10.

Solutio aliorū. Reijcitur. *Ad Arg. de guttis. Theor. 52.* *Ad illud de illuminatione.* *Ad illud de ſēſu.* *An detur mutatio inſtantanea*

THEOREMA XXXIX.

Corruptio vnius eſt generatio alterius, & generatio vnius, eſt corruptio alterius.

Opinio Scoti. Cap. I.

Scotus 2. Sent. d. 1. q. 3. reſpondendo ad tertium principale L. hanc propoſitionem declarat: & facit differentiam inter has propoſitiones. Corruptio vnius, eſt generatio alterius, & generatio vnius, eſt cor-

eſt corruptio alterius;prima enim propoſitio eſt verior ſecundum intentionem agentis:quia nunquam agens intendit primo corruptionem,ſed primo intendit generationem:& quia vt plurimum non poteſt agens inducere formam intentam in materiam, niſi corrumpat compoſitum præexiſtens, ideo prius corrumpit, & poſtea inducit formam intentam in materiam illam; adeò quod primo & per ſe,agens intendit generationem,per accidens verò corruptionem.Secunda verò propoſitio non eſt ita per ſe vera ad intentionẽ agentis, ſicuti prima, propter rationem adductã:quia accidit generãti quod corrumpat propter incompoſſibilitatem termini corrumpendi cum termino quẽ intendit,quia non poteſt producere formã, quam intendit, niſi in materiam præexiſtentem,&illa materia preexiſtens, communiter eſt ſub forma incompoſibili formæ quam intendit inducere: & propter hoc opportet,quod corrumpat compoſitum præexiſtens,vt inducat intentum.Ex qua declaratione colligitur, quod hæc propoſitio non eſt formaliter vera: Generatio vnius, eſt corruptio alterius:quia generatio,& corruptio ſunt ſecundum propriam rationem formalem oppoſita priuatiuè,ex 5.Phyſ.tex.7.ſed eſt vera concomitanter,quòd ſcilicet ad corruptionem vnius,concomitatur generatio alterius,& generationem vnius concomitatur corruptio alterius,attamen hæc eſt differẽtia, quod ad corruptionem vnius per ſe,& ſecundum intentionem agentis, ſequitur generatio alterius:quia generatio prius intenditur, ſed ad generationem vnius non concomitatur corruptio alterius per ſe,ſed ſolum per accidens:quia generans per accidens corrumpit.Ex quo loco patet, quàm parum accuratè Ludouicus Buccaferreus in 1.de gen.tex.17.& Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, in Dilucidatione huius propoſitionis, citant Scotum, cum illum non viderint, & ei tribuant opinionem quàm nec ſomniauit, quod ſæpe illis accidit, citant enim Scotum in 4.Sent.d.10.q.3.& 3.d.4.q.1. & tamen vt videre eſt, Scotus ibi nec nominat hanc propoſitionem;& aiunt Scotum dicere hanc propoſitionem eſſe veram quandoque mediatè, quandoque immediatè, propter pluralitatẽ formarum in compoſito,quod tamẽ non eſt verum, licet enim teneat in compoſito pluralitatem formarum, non tamen hanc propoſitionem ſic gloſsat; & ad difficultatem illam,quod dum generatur homo interit forma mixti, alio modo eſt reſpondendum,vt infrà patebit.

Scot⁹ male citatur.

Ex hoc etiam habetur, quænam iſtarũ propoſitionum prior ſit; an generatio vnius,& poſtea corruptio;an prius ſit, corruptio vnius, & poſtea generatio alterius; Nam ſi loquimur quo ad ordinem naturæ, prior eſt corruptio vnius, quam generatio alterius,non enim generans poteſt inducere formam in materiam, niſi prius corrumpatur compoſitum præexiſtens. Si verò loquamur quo ad finem agentis, prior eſt generatio, quàm corruptio: ſi quidem generans intendit ſolum generationem compoſiti per ſe; per accidens verò corruptionem præexiſtentis compoſiti. Ex quo etiam apparet,quòd ſecundum Scotum generatio, & corruptio non ſunt vna mutatio numero, quæ diuerſorum terminorum reſpectu dicatur generatio,& interitus,ſed re vera ſunt duæ mutationes, adeò quod vna poteſt eſſe ſine altera quantum eſt ex ſe, & intrinſecè: poteſt enim eſſe generatio abſque corruptione, vt ipſemet Scotus dicit in eodem 2. Sent. d.2.q.7.reſpondendo ad vltimum principale; & in præſenti loco ait, quod generans generando corrumpit per accidens, quia forma educenda eſt incompoſibilis formæ præexiſtenti in materia; adeò, quod ſi illa forma exiſtẽs in materia non,ſit incompoſſibilis formę educendæ, non corrumpet illam, & tunc erit generatio ſine corruptione. Apparet etiam,quod perpetuitas generationis aſſignatur ex cauſa efficiente,& generante; ex eo enim quod generans ſemper intendit generationem per ſe,& corruptionem per accidens, hinc fit quod generatio perpetuatur; neque enim generãs per ſe corrumpit,ſed per accidens, per ſe autem generat; quæ autem ſunt per ſe,ſunt æterna per ſe,quæ per accidens,ſunt æterna per accidens, & ſic generatio eſt æterna per ſe; corruptio eſt æterna quoque,

Generatio & corruptio an ſint vna mutatio numero.

ſed

ſed per accidens ſcilicet reſpectu generationis;quando enim agens inducit aliquã formam incompoſſibilem alicui,corrumpit vt dictum eſt, & ſic corruptio per accidens eſt æterna. Ex quo apparet vndè hæc propoſitio habeat veritatem;pendet enim ex duabus propoſitionibus,quæ veriſſimę ſunt apud Philoſophum. Prima eſt, quòd generans inducit formã in materiam, quæ nuda ſine vlla forma manere non poteſt, propter internam pendentiam, & inclinationem,quam habet ad formam. Secunda eſt, quod duæ formæ numero non ſunt compoſſibiles in eadem materia numero,& ideò opus eſt qđ agens corrumpat præexiſtentem formã in materia;& hinc fit,ꝙ vnius corruptio, eſt generatio alterius,& vnius generatio, eſt corruptio alterius, vt etiam Moderni quidã optimè declarant; quæ propoſitio eſt fundamentum in Phyſica,& radix multarum concluſionũ, & maximè mundi æternitatis,ideò apud Theologum non eſt vera,neque in ſe, ſed nunc Phyſicè loquimur,& in via Ariſtotelis.

Aliorũ obiectiones circa prædictam declarationem,& earundem ſolutio. Cap. II.

Circa prædictã declarationẽ duæ præſertim ſũt obiectiones. Prima eſt ex Zabarella,in lib.de Cõmuni rerum generatione,& interitu, c.5.ibi enim ſuſtinet, qđ generatio,& corruptio nõ ſũt duæ mutationes numero diſtinctæ,vt diximꝰ, ſed ait generationẽ, & corruptionẽ eſse eãdẽ numero mutationem,quæ reſpectu duorũ terminorũ dicantur interitus vnius, & alterius generatio.Hanc ſententiam pro

1. rõ. bat primò,ſi ignis agens in aquam vertat eam in aerem,erit interitus aquæ, & generatio aeris,& tunc erit vna mutatio, & facta ab vno, & eodem agente, & per vnam,& eandem actionem,ab vno autem quatenus vnum,non prouenit niſi vnum, ergo illa eſt vnica mutatio numero re,ſecundum diuerſas conſiderationes, & re-

2. ſpectus dicta generatio,& corruptio; Secundò omnis mutatio vna numero, eſt à termino ad terminũ;neque vlla eſt, quæ duobus terminis non ſit concluſa, quorũ vnius eſt amiſſio,& alterius eſt acquiſitio: ſed cum corrumpitur e. g. per actionem ignis aqua in aerem, ſunt duo termini, quorum vnus deperditur, & alter acquiritur,ergo nihil obſtat, quin ille tranſitus motus inter hos duos terminos ſit vnus motus numero, ſiue mutatio vna numero. Confirmatur exemplo motus localis: *Cõfirmatur* nam ſi deſcendat lapis de ſumma turri ad ima, tranſit à loco ad locum,& eſt vnus numero motus re, ratione duo, qui dicitur receſſio ab altero loco, & acceſſio ad alterum;quod patet: quia in eo ſunt omnes conditiones requiſitæ ad vnitatem numeralem motus,eſt enim vnius mobilis; & in vno tempore,& per ſpatium vnum, & à motore vno,ergo, quòd de motu locali negari non poteſt, non debemus negare de alijs motibus; Itaque ſimili modo dicendum eſt in generatione ſubſtantiali, vna enim eſt mutatio aquæ in aerẽ, quæ eſt aquæ interitus,& generatio aeris.

Verum hæc opinio non eſt vera,neque *Reijcitur.* conformis dictis Ariſt. clarum eſt enim quod Ariſt.5.Phyſ.tex.7.& inde,fecit diſtinctionem inter motum,& mutationẽ, quia motus eſt trãſitio de ſubiecto in ſub- 1. rõ. iectum,ſed mutatio eſt duplex, vel enim eſt de non ſubiecto in ſubiectum,& hanc appellat generationem, vel eſt tranſitio de ſubiecto in non ſubiectum, & hæc eſt corruptio,ergo ex Ariſt. patet, quod alia mutatio eſt generatio, & alia eſt corruptio.Sed huic rationi innuit reſponſionẽ, *Reſp.* quod generatio,& corruptio duobus modis conſiderari poſſunt; Vel ſecũdũ realitatẽ;Vel ſecũdũ rationẽ,ſi ſecundũ realitatẽ conſiderẽtur ſunt vnus motus, & vna mutatio; neque habẽt diuerſas definitiones,ſed vnã cõmunẽ, quæ eſt, generatio eſt mutatio totius in totũ, & qđ voluerit cõprehendere in hac definitione generationem,& interitũ: oſtenditur ex illis verbis(huius generatio,illius verò interitus,) ſi verò conſiderentur ſecundum rationẽ, ſic diſtinguuntur,& tunc habent vnaquęque propriam definitionem. Generatio eſt trãſitio de nõ eſſe ad eſſe; & corruptio eſt mutatio de eſſe ad non eſſe; ſed quod hæc reſponſio ſit voluntaria & ſine ratione ex eo patet: quia ibi Ariſt.ponit quattuor ſpecies mutationis, quarũ Prima eſt 1. de nõ ſubiecto in nõ ſubiectũ, quæ nõ datur, Secũda de non ſubiecto in ſubiectũ, 2.

3. Tertia de ſubiecto in non ſubiectū. Quar-
4. ta de ſubiecto in ſubiectū; modo, ſi tertia, & ſecunda eſt diſtinctio ſecundum rationem, ergo etiam diſtinctio inter ſecundā, & tertiam cum 4. eſt ſecundum rationē, & ſic motus diſtinguitur à mutatione ſolum ratione, quod quam abſurdum ſit dictu quilibet videre poteſt ex differentijs quas ibi Ariſt. ponit inter motum, & mutationem, vult enim quod mutatio ſolū fiat in ſubſtantia, motus verò in alijs tribus Prędicamētis; ſed hoc clarius eſt, quā vt oſtendi poſſit; ſed ex eo facilè cōijci poteſt falſitas eiuſdem reſponſionis, quod motus vn⁹ numero, vt ait Ariſt. 5. Phyſ. tex. 34. eſt ille, cuius eſt vnum mobile, vnū tempus, & vnus terminus ad quem, ſiue qui eſt ad eandē ſpeciem, & formam, at in hoc motu, qui eſt tranſitus ex aqua in aerem, non eſt vnum mobile, immò ſunt duo mobilia; vel nullū eſt mobile, nā hic mouetur aqua, & aer; aqua enim corrumpitur, & mouetur ab eſſe ad non eſſe, aer verò mouetur à non eſſe ad eſſe, ſed verius eſt hic nullum vnū mobile eſſe; quia ex Ariſt. in 5. Phyſ. tex. 7. & 8. quod generatur non eſt, & quod corrumpitur ſimiliter non eſt, & ideò non poſſunt dici moueri; quomodo ergo hic trāſitus, & mutatio poteſt dici vnus numero; inſup termini ad quē, ſiue formæ, ad quas tēdunt, sūt omnino diuerſæ, quia vnius eſt forma, & eſſe poſitiuū; alterius eſt non eſſe, & priuatio. Præterea, cum dicit, quòd definitio-
5. nes illæ de generatione, & corruptione de 5. Phyſ. cōpetunt illis vt ratione diſtinguuntur, vel intelligit, quòd competit illis quatenus per ſolam operationē intellectus noſtri diſtinguuntur, vel accipit ibi per rationem, eſsentiam, & naturam generationis; ſi ſecundo modo, habeo intentū: quia nos dicimus, qđ generatio, & mutatio ſunt mutationes ſecundum propriā eſſentiam realem diſtinctæ, & ſic vna non eſt alia, & ita mutatio aquæ in aerem nō eſt vna mutatio numero, ſed duæ. Si verò primo modo intelligat. Cōtra, ergo ceſsāte operatione intellectus, nō differt interitus à generatione cōſiderando interitum, & generationē abſolutè, abſque cōparatione illarum ad hāc, vel illam rem genitā, vel corruptā: ꝙ aſserere, quàm vanū ſit, non eſt qui non videat; ſed vanitas huius opinionis patet etiam ex ſolutione ſuarum rationum. Ad primā nego quòd illa mutatio aquæ in aerem proueniens ab vno agente, ſit vna numero; ad probationem, quia ab vno in quantum &c. nego illam propoſitionem, eſt enim falſa, vt optimè declarat Scotus 4. Sentent. diſtinctione 1. q. 1. B. B. ſępè enim videmus, quòd ab vno in quantum vnum, proueniunt plura. Præterea, nego quòd hæc ſit vna actio, ſunt enim duæ actiones, quia eſt circa duas res, ſcilicet, circa aquam, & aerē, & ad diuerſos terminos ad quem, & in diuerſo tempore: quia agens primò corrūpit aquam, deinde generat aerem. *Ad 1. rōnē.*

Ad 2. Ad ſecundam nego, quòd in præſenti ſint tātum duo termini: quia re vera ſunt quattuor; eſt enim primò tranſitus aquę, ab eſse aquæ ad nō eſse aquæ, deinde eſt alius tranſitus nō eſse ignis, ad eſse ignis; immò hoc poteſt eſſe validum argumentum contra ipſum; ſunt quattuor termini, & quilibet motus vnus numero, ſiue mutatio concluditur duobus terminis tā tùm; ergo hic non eſt vnus motus numero ſolum, ſed duo: licet enim fiat tranſitus, & mutatio ab aqua in aerem, non tamen propter hoc iſti ſunt termini mutationum, quia mutatio non eſt ex poſitiuo in poſitiuum, vt patet ex 5. Phyſicorū, ſed talis mutatio eſt motus propriè dictus.

Ad confirmationem. Ad confirmationem de exemplo motus localis, patet ex dictis, quòd non currit ſimilitudo, multum enim diuerſa eſt hæc mutatio aquæ in aerem ab illo motu lapidis à turri ad ima; quia in illo motu locali ſunt omnia requiſita ad motum localem vnum numero: quia adeſt vnum mobile, vnum ſpatium, vnus terminus ad quem, quæ in propoſito non adſunt; Eſt ergo dicendum, quòd generatio, & corruptio ſunt duæ mutationes naturaliter diſtinctæ, quæ tamen ſe concomitantur in eodem inſtanti temporis.

Secūda difficultas. Secunda difficultas aduerſus propoſitionem aſſignatam ab omnibus tangitur, & eſt, quia videtur falſa, videtur enim qđ quālibet corruptionē vnius, nō ſequatur generatio alterius; nam in corruptione animalis nihil generatur, quia nulla alia forma

forma noua acquiritur,ſiquidem illa forma cadaueris, eſt illamet forma mixtionis quæ in viuente præfuit, ergo datur alicuius corruptio,quæ non eſt alicuius generatio. Idem dicendum eſt de generatione: nam adueniens intellectiua corpori humano organizato, generatur homo, & nihil corrumpitur: quia præexiſtens forma mixtionis,ſiue corporeitatis, manet; quæ ratio militat contra nos præcipuè, qui tenemus pluralitatem formarum in eodem compoſito. Huic difficultati reſpondent Zabarella, & Mercenarius, coincidit enim,& rectè,& hæc reſponſio colligitur ex Scoto in 2. Sent.d.12.q.1.A. & 4.Sent.d 11. q.1.A. quibus in locis declarat definitionem generationis aſſignatã 1.de generatione. Generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente. Ad argumentum itaque negant aſſumptum, ſcilicet, quòd ad corruptionẽ animalis, non ſequatur generatio; ſequitur enim generatio mixti, corrũpitur enim totum illud animal, & ſuccedit mixtum,ſiue cadauer, quòd eſt aliud totum; & cum obijcitur nullam formam produci,dicimus,quòd generatur nouum totũ, & noua forma,quia illa forma mixti,quę prius non gerebat vicem formæ, ſed materiæ,nunc gerit vicem formæ, & conſtituit compoſitum, & illi nomen imponit, quod prius non faciebat; & cum dicitur quòd generatio eſt mutatio totius in totum,nullo ſenſibili remanente,id eſt,non remanente vllo accidente, intelligitur de accidentibus conſequentibus formam illam totalem, quæ corrumpitur,non de alijs accidentibus conſequentibus alias formas, vt diximus in Theoremate de qualitate formarum,capite vltimo;eſt ergo verum, quòd ad corruptionem vnius totius,ſequitur generatio alterius totius, etiam ſecundum nos, ponetes pluralitatem formarum in eodem compoſito, ſed hoc melius patebit in diſputatione de pluralitate formarum in eodem iam dicta, quia non poſſunt ſe ſimul compati duæ totales formæ in eadem materia numero. Sed hæc omnia, & obiectiones Buccaferrei expendemus diligenter in diſputatione de pluralitate formarum. Aſſerẽdum eſt inſuper propoſitionem hanc veritatem habere ſolum in ſubſtantijs, non in accidentibus, & hoc omnes concedunt, & eſt expreſsè ſententia Ariſtotelis in tex.20.primi de generatione;non enim ſemper vera eſt in accidentibus: quia cũ accidens non det eſſe materiæ, ſed ipſa per formam ſubſtantialem iam actu ſit, poteſt accidens vnum recedere à ſubiecto abſque eo, quod vllum aliud accidẽs generetur in ipſa, vti accidit, quando accidens non habet contrarium,vt recedente lumine nullum aliud accidens aduenit materiæ; poſſunt etiam plura accidentia diuerſa ſpecie ineſſe ipſimet ſubiecto, idem enim poteſt eſſe dulce, album, &c. quare non eſt neceſſe,quod vno accidente adueniente, alia recedant.In ſolis ergo ſubſtantijs eſt vera ſemper.

Reſp. (margin)

THEOREMA XL.

In nutritione eſt generatio aliqua nouæ formæ.

Opinio Scoti, & Aduerſariorum reiectio. Cap. I.

SCotus de augmentatione loquitur in 4.Sent.diſtin.44.q. 1. & recitata opinione Magiſtri,& Henrici, ſuam ſententiam ponit,quattuor Concluſiones oſtendendo, & probando: quarum duas tantum in præſenti adducam, quia illæ ſolũ ſunt ad propoſitum noſtrum. Prima Cõcluſio eſt hæc.In nutritione eſt aliqua generatio, extendendo generationem ad omnem inductionem formæ ſubſtantialis in materiam poſt priuationem.Exponit autem hanc Concluſionem,quòd hęc generatio facta in nutritione,non eſt propriè generatio, ſed potius aggeneratio: quoniam generatio terminatur ad per ſe ens, prout illud dicitur per ſe ens, quod non eſt pars alicuius: ſed hæc generatio in nutritione facta, poteſt dici aggeneratio:quia eſt generatio alicuius, quòd per generationem fit idem alicui præexiſtenti,cui aggeneratur;poteſt etiam dici ingeneratio,quia eſt generatio partis in toto, cuius non fuit pars. Secunda Concluſio: Forma, quæ per hanc generationem in materiam nutrimenti inducitur, eſt forma

1. Concluſ. (margin)

2 Concluſ. (margin)

 ma

ma noua, non antiqua. Comprobatio i-
De modo nutritionis variæ opin. ſtarum duarum Concluſione pendet ex
confutatione duarum opinionum con-
trariarum; rationes enim, quibus iſtæ duę
Concluſiones comprobantur, etiam illas
duas opiniones reijciunt. Pro intelligen-
tia clara concluſionum iſtarum eſt vidẽ-
Opin. Mag. ſent. dus modus nutritionis; hoc enim cogni-
tio, patebit veritas iſtarum Concluſionũ.
Prima opinio eſt Magiſtri Sentent. in 2.
diſtinct. 3. vbi declarans modum nutritio
nis, ait, quòd nihil de nutrimento tranſit
in veritatem naturæ humanæ, ſed tan-
tum illud eſt de veritate naturę humanę,
quod contrahitur à parentibus, quòd au
tem generatur ex nutrimento, quaſi fo-
mentum adhæret calori naturali, ne ex-
ſtinguatur, ſicut oleum adhęret lichno; &
hac de cauſa requiritur nutrimentum,
licet illud non conuertatur in veritatem
Reijcitur. 1. rõ. naturæ humanæ. Hanc opinionem Sco-
tus confutat multis medijs, ſed præcipuè,
quia non minus eſt perfecta vegetatiua,
in homine, quàm in bruto, ſed ſic eſt,
quòd vegetatiua in bruto conuertit nutri
mentum in ſubſtantiam aliti, ergo, & ve-
getatiua in homine poterit quoque habe
re hanc operationem, vt conuertat nutri-
2. mentum in ſubſtantiam aliti. Confirma-
tur; ita enim generatur homo imperfe-
ctæ quantitatis, quam brutum, & ita in
eo fit continua deperditio partium, ſicut
in bruto, ergo oportet, quòd in homine
ita fit augmentatio, & reſtauratio ſicut in
bruto; in bruto autem eſt augmentatio,
& reſtauratio per hoc, quia terminus aug
mentationis eſt aliquid ipſius ſubſtantiæ
nutriendi, & augmentandi, ergo neceſſe
eſt etiam quòd augmentatio, & reſtaura
tio fiat in homine per hoc, quod termi-
nus augmẽtationis in homine ſit aliquid
3. ipſius ſubſtantiæ hominis. Tertiò, quia
ſtante hac opinione, ſequeretur, quod in
homine eſſet aliqua caro, quæ ſimplici-
ter eſſet incorruptibilis per totam vitam
ſuam, vel ſi corrumperetur, numquam
poſset reſtaurari, quorum vtrumque eſt
inconueniens; primum quidem eſt incon
ueniens: quia illa pars incorruptibilis eſ-
ſet alterius ſpeciei à cæteris partibus car-
nis corruptibilibus: dicere autem in ho-
mine eſſe diuerſas ſpecies carnis tali di-
uerſitate, nemo eſt qui non videat eſſe ab-
ſurdum. Secundum quoque eſt inconue-
niens: quia tunc ſemper in homine eſſet
minus de veritate carnis humanæ, quia
cùm aliqua portio deperdatur ſemper,
& non poſſit reſtaurari, ſemper minus e-
rit; vnde non ſolum non augebitur, ſed
ſemper diminuetur. Propter has ratio-
nes, & alias, quas vide ibi, tenet Scotus,
quòd nutrimentum tranſit in veritatem
naturæ humanæ: & hoc etiam communi-
ter à philoſophis conceditur, & ab alijs
Theologis, cum nutrimentum tranſeat
in veritatem naturæ humanæ, oportet vi-
dere quomodo hæc conuerſio nutrimen-
ti in naturam humanam fiat. Duo au-
tem modi dicendi ſolum exſtant. Pri-
mus eſt Henrici de Gandauo, vt impo- *Opin. Hen. D. Tho. & aliorũ.*
nunt ei Marginiſtæ Scoti, quem D. Tho-
mas, & multi ex Philoſophis modernis
ſequuntur, qui dicunt, quod nutrimen-
tum conuertitur in præexiſtentem car-
nem acceptam à parentibus, ſed conuerti
tur non recipiendo nouam formam, ne-
que ſecundum totum, neque ſecundum
partem, ſed tantummodo, per hoc, quod
deficiente in nutrimento forma nutri-
menti, ſuccedit in materia nutrimenti
forma carnis præexiſtens, ideo quod hæc
opinio vult, quod per calorem naturalem
partes carnis reſoluuntur, & per fluxum
deperduntur illæ partes, fluant, & deper-
dantur ſecundum materiam ſolum, non
ſecundum formam; adeo quod volunt
formam eandem penitus, & quo ad to-
tum, & quò ad partem manere, & ſolum
fieri fluxum in materia, & conſequenter
cum alimentum conuertitur in carnem
præexiſtentem, non acquiritur noua for-
ma, vel noua pars formæ in materiam
nutrimenti, ſed ſolum illa materia nu-
trimenti amittit propriam formam, &
induitur forma carnis præexiſtentis;
quod declarant exemplo animæ intelle- 1. rõ.
ctiuæ, quæ de nouo perficit materiam,
quæ fuit ſub forma alimenti, neque ta-
men ipſa in ſe eſt noua, neque quo ad to-
tum, neque quoad partẽ. Confirmatur e- 2.
tiam per auctoritatẽ Ariſtotelis, in 1. de
gen. capite de augmentatione, textu 34.
vbi Ariſtoteles ait: Caro ſecundum ſpeciẽ
manet, caro autem ſecundum materiam
fluit,

fluit,& refluit; ex hac auctoritate ita argumentatur;hac in perditione carnis portio carnis ſecundum formam deperderetur, & etiam in nutritione acquireretur,non eſſet verum, quod caro maneret ſecundum ſpeciem, & flueret ſecundum materiam; ſed etiam flueret, ac refflueret
3. ſecundum formam. Tertiò probatur hæc opinio per rationem: quia ſi in nutritione, nutrimenti materia reciperet aliam formam carnis,quæ non præfuit in carne præexiſtente,ergo illa caro addita per nutrimentum carni præexiſtenti, non faceret vnam carnem cum prȩexiſtenti,ſed faceret quoddam contiguum, vel quoddā cōtinuum cum illa, & tunc nutritio eſſet iuxtapoſitio carnis nouæ ad carnem veterem, quod negat Philoſophus in primo de generatione,cap. de augmentatione; ex hoc etiam ſequeretur aliud abſurdū, ſcilicet,quòd non quælibet pars nutriti eſſet nutrita: neque omnis pars aucti,eſſet aucta:nam ſolum augeretur illa pars carnis prȩexiſtentis,cui iuxtaponitur caro no-
Reij- ua.Hanc ſententiam confutat Scotus pri
citur. mò ſic. Forma extenſa,& diuiſibilis, non recipit materiam indiuiſibiliter,& modo inextenſo,ſed diuiſibiliter, & modo extēſo,ita quod cum materia vario modo extenditur, vario quoque modo forma illa extēſa extenditur, at in propoſito forma carnis eſt forma extenſa:vnde cum materia aliti augetur, & extenditur, ipſa forma quoque neceſſariò augetur,& extenditur, tunc ſubinfert; ſed partes priores formæ manēt,ergo oportet,quod in augmentatione aliqua pars formȩ noua producatur,& generetur, alioquin non eſſet extenſior nūc,quam prius,maior propoſitio probatur: quia ex *Ariſt.* in prædicamento de quātitate,quāta eſt ſuperficies tanta eſt albedo,ita quāta eſt materia, tāta eſt forma eius extēſa;Cōfirmatur:quia pars formæ eſt in parte materiæ,& ita maior pars formæ eſt in maiori parte materiæ;cum ergo maioratur materia,maioratur forma,& conſequenter forma illa nō poteſt maiorari, niſi maioretur materia, neque materia ſine maioratione formæ: quia tūc aliqua pars materiȩ eſſet ſine forma ſua; ſicut ſi maioraretur quātitas, & nō maioraretur albedo,aliqua pars quātitatis eſſet ſine albedine,quod eſt inconueniens ratione formæ ſubſtātialis,ſine qua materia nūquam eſse poteſt.Minor quoque probatur:quia forma carnis ſi nō eſt extēſa,ergo eſt ſimplex,vt eſt anima intellectiua,quod non conceditur,ſed ad diuiſionem carnis ipſa forma carnis quoque diuiditur.Secundò conceditur ab hac opi- 2.
nione,quod poſt nutritionem plures ſunt partes materiæ in toto, quàm prius; aut ergo pars noua materiæ eſt in toto ſine forma,quod eſt inconueniens, aut eſt ibi ſub forma noua, & hoc eſt propoſitū noſtrum,quod intendimus; aut eſt ſub forma præexiſtenti,ſed hoc eſt impoſſibile: quia tunc vel illa forma præexiſtens deſinit informare partē materiæ, quàm prius informabat, & tūc eadem pars formæ migrauit à parte materiæ ad partē aliā materiæ,quod eſt inconueniēs;aut illa pars formæ prior eadē perficiet ſimul partē materiæ veterē,& materiā nouā,quod eſt incōueniens: quia eſt impoſſibile, quòd duo perfectibilia ab vno quorum vtrumque ſeorſum eſt adæquatum perfectibile illi perfectiuo ſimul ab eadem perficiantur; vtraque autē pars illa materiæ ſcilicet veteris,& nouæ,eſt adæquatū perfectibile illi parti formæ,ergo illa pars formæ nō poteſt ſimul vtramque partē materiæ perficere, quod tamen contingeret ſtante hac opinione,vt dictum eſt. Tertio, corrupta 3.
materia, ſiue fluente parte materiæ, neceſſariò etiam fluit pars formæ, quæ illā partem materiæ informabat: ſed per eos materiæ pars fluit,& reſtauratur,ergo,& pars formæ, quæ illā materiā informat, fluit, & reſtauratur. Minor eſt clara ex conceſſis; Maior probatur quia illa pars formæ depēdet ab illa parte materiæ,quā informat,ſicuti tota forma illa pēdet à tota materia,cum educatur de forma materiȩ.Præterea,ſi illa materia corrūpitur,neceſſariò quoque pars ea formæ,quæ illam partē materiæ informabat,fluit,& corrūpitur,quia deſtructo eius ſubiecto manere nequit,& cōſequenter cū alia materia generatur, nouā formā per generationē acquirit,adeò,quod dicendū eſt compoſitum eſſe illud quod fluit,& per cōſequēs compoſitum eſt,quod redit per nutritionē,non materia pura ſine forma.Ex cōfutatio-

tatione harum duarum opinionum habetur comprobatio opinionis Scoti de modo nutritionis,& de quidditate,& definitione eius;quæ eſt explicata per illas duas Concluſiones,quia oſtẽſum eſt,quod nutrimentum tranſit in veritatem naturæ humanę contra primam opinionem , & contra ſecundam oſtenſum eſt,quod hæc tranſitio,& conuerſio non poteſt fieri per ſolam additionem materiæ abſque generatione nouæ formæ;ſed quòd eſt neceſſe nouam formam generari in nutritione: ita quod cum nutrimentum tranſit in naturam aliti generatur ex nutrimento noua caro,tàm quò ad materiã, quàm quò ad formam , & hæc caro de nouo manet per ſe,ſed aggeneratur præexiſtẽti carni ; ita quòd nutritio non eſt ſimplex generatio,ſed aggeneratio,vel potius ingeneratio , quia nutritio eſt generatio partis in aliquo toto.

Probatur opin. Scoti.

Zab. Hanc eandem ſententiam ſequitur Iacobus Zabarella in ſuo libro de accret.& nut.c.18.licet differat à Scoto , immò ei contrarius ſit in modo nutritionis,qua in re eſſe ſibimet contrarium infra oſtendam,cap.4.dum diſputabimus, an idẽ indiuiduum numero permaneat à principio vſque ad finem augmentationis,& ibi etiam ſoluemus rationes adductas pro opinione Henrici, quàm Zabarella,& quidam alij ſequuntur:iſtæ enim quæſtiones,quid ſit nutritio , quomodo fiat,& quomodo idem numero compoſitum permaneat à principio vſque ad finẽ in nutritione,& augmẽtatione,habẽt eaſdem difficultates,& ſimul ſoluũtur;quoniam autẽ nutritio, & augmentatio maximam affinitatem habẽt ad inuicem, & parum diſtinguuntur,oportet prius videre quid ſit augmentatio, deinde ad alias quæſtiones ſoluendas accedemus.

Quid ſit augmentatio,aliorum opiniones, & earundem confutatio. Cap. II.

CIrca definitionem augmentationis eſt maxima diſputatio inter viros graues,& quidem res eſt plena dubijs,attamen tres opiniones principes exſtant ; ſed antequam opiniones de hac re adducamus, notandum eſt , vt communiter omnes aſſerunt,quod vt inquit Auerroes primo de Cęlo com.22. accretio eſt nomen æquiuocum, & ideo eſt prius diſtinguendum , ne diſputatio confundatur. Vno modo itaque accipitur accretio pro aggregatione ſiue accumulatione corporis ex ſimili corpore , vt cum aqua maior fit ex appoſitione alterius aquæ,illa prior aqua augeri dicitur diminutio ei oppoſita dicitur.Secundo modo accipitur, augmentatio pro rarefactione, abſque nouæ particulæ alicuius acceſſione, & ſimiliter condenſatio dicitur diminutio illi oppoſita, vt aqua cum valde calefit dicitur augeri,quia rareſcit. Tertio modo accipitur augmentatio pro incremento viuentium corporum, quo incipiunt augeri ſtatim cum orta ſunt , & hæc accretio eſt propriè augmentatio ſiue accretio, & de hac accretione hoc tertio modo accepta loquimur in propoſito, cui accretioni tres conditiones competunt ex Ariſt. in 1. de gen.tex.32.& 33.

Accretio ẽ nomẽ æquiuocũ.

Cõditiones accretionis

1. Prima eſt, vt id, quod augetur , idem numero maneat cum auctum eſt,quod erat ante accretionem;
2. Secunda eſt,quòd res maior fiat ex materia aliqua accedẽte extrinſecus;
3. Tertia,quòd auctio fiat,& ſecundum totum,& ſecundum omnes partes.

Per has tres conditiones ſecernitur augmẽtatio propriè dicta ab alijs augmentationibus impropriè dictis. His ita præmiſſis, aliorum ſententiæ conſiderandæ ſunt.Prima opinio eſt Marſilij 1. de generatione,quæſt.10. & Caietani 5.Phyſ.qui dicunt,quod accretio nil aliud eſt, quàm generatio ſubſtantialis , accretio enim eſt cõuerſio nutrimenti in ſubſtantiã nutriti, ſecundũ maiores partes,quàm ſint partes deperditæ,& reſolutæ; ſed conuerſio nutrimenti in ſubſtãtiã nutriti eſt generatio,vt patet, ergo ſecundum rem auctio nil aliud eſt,quàm generatio ſubſtãtialis,& cum hoc addit,quòd auctio,& nutritio non differunt re,ſed ſolùm ratione , quia auctio appellatur auctio, quatenus eſt conuerſio nutrimenti in rem nutritam, ſecundum plures partes eius,quàm fuerint partes reſolutę; dicitur verò nutritio,quatenus reparat , & reſtaurat ſubſtantiam deperditam nutriti,vt carnis; Marſilius, & Caietanus poſtea quoquo modo diſſident inter ſe, de qua re vide Ludouicum Buccaferreum .

Opin. Marſilij, & Caiet.

Verum

Verum hæc opinio reijcitur a multis, quia vt inquit Buccaferreus Ariſt. 5. Phyſ. tex. 7. & 8. & inde, diſtinxit motũ auctionis à generatione ſubſtantiali ex tribus, primo ex termino, quia generatio terminatur ad ſubſtantiam, quod enim per generationem acquiritur eſt ſubſtantia, terminus verò ad quem augmentationis eſt quantitas hæc talis, vel talis; ſecundò ex ſubiecto, quia ſubiectum generationis eſt materia in pura potentia; at ſubiectum augmentationis eſt ſubſtantia actu, ſicuti quoque ſunt ſubiecta aliorum motuum, vt patet ex eodem 5. Phyſ. ſub initio tertio differunt ratione menſuræ, quia generatio fit in iſtanti, augmentatio verò fit in tempore, quia eſt motus, & omnis motus eſt ſucceſſiuus. Adiungit Zabarella aliud argumentum efficax, quòd ſi dicamus eſſentiam augmentationis eſſe præcisè illam generationem, non habemus augmentationem; ratio eſt: quia in accretione non ſolùm partes, ſed etiam totum debet acquirere maiorem quãtitatem: at ſi fiat tantum generatio nouæ carnis, & nulla alia mutatio in quantitate fiat, illud totum nõ acquiret maiorem quantitatẽ, & ſic non extendetur magis totum, quàm prius, & ita conſequenter non augebitur, augmentatio igitur non erit augmentatio: Neque hãc ſententiã approbaret Scotus, qui 4. ſent. d. 44. q. 1. apertè ait nutritionem differre ab augmentatione, quia nutritio fit in inſtanti, augmentatio verò in tempore cum ſit motus, inſuper ait nutritionem ſemper durare, auctionem verò tantùm ad determinatum tempus, nõ ergo vult Scotus, quòd augmentatio ſit penitus reipſamet nutritio.

2. *opin. Gandauẽſis & Burlei.* Secunda opinio eſt Ioannis Gãdauẽſis 4. Phyſ. quæſt. 10. & alibi, & Burlei in 3. Phyſic. & 8. iſti dicunt, quòd accretio nõ eſt formaliter illa generatio, ſiue aggeneratio nutrimenti in rem nutritam, quę dicitur aſſimilatio, vel nutritio; ſed dicunt quòd eſt extenſio rei auctæ, quæ illam aſſimilationem, ſiue generationem, & nutritionem conſequitur. Pro hac opinione *1. rõ.* arguit, quia ſtatuendo accretionem eſſe hanc extenſionem, ſaluamus ipſam verè eſſe motum, & motum in quantitate cũ ſucceſſione; & in tempore factam, nam hæc extenſio fit ad maiorem quantitatẽ nulla facta mutatione in ſubiecto. Præterea, ſecundum hanc ſententiam ſeruatur *2.* in accretione id, quod ait Ariſtoteles primo de Gen. tex. 25. nempè, quòd id, quod augetur mutat locum, ita vt toto manẽte in eodem loco, partes de loco ad locũ moueantur, quòd fieri conſpicitur clarè in extenſione. Hanc ſententiam confutãt *Reÿcitur* Buccaferreus, & Iacobus Zabarella ex Petro Pomponatio. Primò, quia extenſio eſt *1. rõ.* motus ad raritatem, eſt enim rarefactio quædam extenſio: at raritas eſt qualitas, non quantitas, vt ait Auerroes 4. Phyſic. comm. 87. & 7. com. 15. at accretio eſt motus ad quantitatem, non autem ad qualitatem, ergo accretio, non eſt extenſio formaliter. Præterea Ariſt. primo de generatione c. de accretione, volens accuratè de- *2. C. de accretione* finire quid ſit accretio, numquam nominauit extenſionem; ſed nominauit ſolum nutritionem ad maiorem ſubſtantiam. *3. rõ.* Tertio dicit Ariſtot. primo de gen. tex. 41. accretionem, & nutritionem eſſe idem ſubiecto, modo ſi accretio eſſet extenſio, non eſſet idem quod nutritio ſubiecto, quia nutritio non eſt extenſio formaliter.

3. opinio quæ ẽ Põpon. Tertia opinio eſt ipſius Pomponatij, vt refert Zabarella, quod accretio eſt adeptio maioris quantitatis, quæ fieri non poteſt abſque aduentu quantitatis externæ. Hanc eandem ſententiam videtur ſequi Ludouicus Buccaferreus in primo de Gen. duas enim definitiones aſſignat, quarum alteram appellat Logicam, alteram Naturalem; ſed in idem coincidunt, Prima eſt. Accretio eſt per ſe motus viuentis ad maiorem quantitatem. Secũda accretio eſt per ſe motus viuentis ad maiorem quantitatem, & perfectam, factus ab anima mediante calore naturali ipſius viuentis. In hac ſecunda appoſuit cauſam efficientem, quam in prima reticuit, ſed ambæ in vnam coincidunt. Ex his mihi videtur, quod definitio Pomponatij, & iſtæ Buccaferrei in vnam conueniunt, nã illa adeptio maioris quantitatis, nil aliud eſt niſi motus per ſe ad maiorem quantitatem. Hanc opinionẽ comprobat Buccaferreus, quia habet illas tres conditiones aſſignatas ab Ariſtotele, primo manet idẽ

mobile à principio vſque ad finem: quia eſt motus,& in quolibet motu vno numero manet idem ſubiectum numero. Secūdò,quia cum auctio fit motus per ſe fit ſecundum quālibet partem nutriti, quòd enim mouetur per ſe ſecundum omnem partem mouetur. Tertiam conditionem quoque habet,quia dicunt, quod eſt ad maiorem quantitatem,non poteſt autem fieri acquiſitio maioris quantitatis, niſi extrinſecus aliud accedat. Hanc opinionem reijcit Zabarella,quia ait quod non ſatisfacit quæſito,verum eſt enim vt quilibet fatetur, augmentationem eſſe motum ad maiorem quantitatem, ſed cum in augmentatione ſint plures mutationes, vt generatio, nutritio, & extenſio, quęritur, quænam illarum mutationum ſit in qua conſiſtat acquiſitio maioris quantitatis,ita vt illa mutatio dicatur eſſe mutatio ad maiorem quantitatem.Ponit deinde ſuam opinionem,quæ eſt,quòd accretio non conſiſtit in ſola nutritione,neque in ſola extenſione, ſed in vtraque;eandē probat, quia Ariſtoteles in primo de generatione vtramque conditionem poſuit, dixit enim accretionem fieri ex materia extrinſecus adueniente, vnde non in ſolā extenſione conſiſtit; ſed in generatione, & conuerſione alimenti in maiores partes ſubſtantiæ,in tex.verò 25.eiuſdem ſecundam expreſsè poſuit,quando dixit illa,quæ augētur locum mutare,ſicut illa, quæ extenduntur; ecce quod ſenſit in accretione fieri extenſionem, ex hoc loco apparet accretionem conſiſtere etiam in extenſione.Hanc quoque fuiſſe Auerrois ſententiam aſſerit,& multis alijs ſuaſionibus eandem ſententiam confirmat.

Reÿcitur. *Opin. Zab.*

Exponitur opinio vera, quæ eſt quoque opinio Scoti,& rationes aliorum ſoluuntur. Cap. III.

Sent. Pōp. & Buccaferrei ē vera.

EGo hac in re exiſtimo veram eſſe ſententiam Pomponatij, & Buccaferrei,ſi rectè intelligatur, & etiam opinionem Zabarellæ;verum eſt enim, quod ſi conſideremus omnia quæ concurrunt ad accretionem,quod in accretione clauditur nutritio,& nutritio accretioni præſupponitur,nō enim poteſt viuens ex materia externa augeri, niſi illa materia vt alimentum vertatur in materiam aliti, hæc autem verſio ſit per nutritionem, ad quàm verſionem ſtatim ſequitur poſtea maioratio quantitatis præexiſtentis viuētis, & ideo quo ad hoc rectè dicit Zabarella accretionem conſiſtere non in ſola nutritione, neque in ſola extenſione, ſed in vtraque ſimul;ſed profectò ſi conſideremus formaliter accretionem, & ſecundum propriā quidditatem,vti conſiderauerunt Pomponatius, & Buccaferreus, non poſſumus dicere,quod nutritio ſit de eſſentia eius, immò nutritio eſt diſtincta ab accretione,quod facilè probatur,quia vt inquit Scotus 4.Sentent.d.44.art.1.in fine,& vt ex ſe clarum eſt,& omnes fatentur, nutritio eſt mutatio, quæ ſit in momento, & reducitur ad generationem, immo eſt generatio, ſiue aggeneratio, vt ſupra dicebamus,at accretio non eſt mutatio, ſed motus in quantitate, qui fit in tempore. Inſuper nutritio diſtingui poteſt ab accretione, immò de facto diſtinguitur, quia cum viuens peruenit ad periodum accretionis,ceſſat accretio, & tamen nutritur quo ad viuit,non ergo in eſſentia accretionis clauditur nutritio,quia eſſentia rei permanet deſtructa re, cuius eſt eſſentia; ſed ſolùm eſt cauſa neceſſariò requiſita ad accretionem,vt diximus. Adiungimus argumentum illud, quòd affert Buccaferreus aduerſus Marſilium, quia Ariſtoteles 5.Phyſ.tex.18.dicit augmentationem eſſe motum,& illam diſtinguit a generatione per illas tres cauſas ſuperius adductas,ergo non eſt nutritio, cū nutririo ſit generatio ſiue aggeneratio. Præterea tunc augmentatio eſſet quoddam aggregatum ex mutatione,& motu, ſcilicet ex nutritione, & illa extenſione ad quantitatem maiorē, quod tamen videtur falſum:quia Ariſtoteles voluit accretionem eſſe vnam partē motus diſtinctam ab alijs, vt patet ex 5.Phyſ.tex. 18. vbi exactè diſtinguit, vnāquāque ſpeciē motus;& licet huic argumēto nitatur reſpondere Zabarella, dicēs,quòd nutritio eſt principiū ſequētis extēſionis,vti punctus eſt principiū lineæ, & ideò ſicuti pūctus accipitur in definitione, & eſsētia lineæ,ita nutritio eſt concluſa in eſsentia accre-

Scot. 1. *2.* *3.* *4.* *Reſp. Zab.*

Reij-citur. cretionis. Hæc ſolutio non eſt bona, quia ex ea habetur, quòd nutritio eſt terminus a quo accretionis, modo terminus a quo, non eſt eſſentialiter motus, qui fit ab eo: vndè cum homo diſcedit a caliditate ad frigiditatem, & ſic mouetur frigidatione, calor non dicitur eſſentia frigidationis, ſed eſt quid diſtinctum eſſentialiter, quod tamen neceſſariò requiritur ad talem motum; argumentum etiam eſt pro nobis, licet enim punctus claudatur in eſſentia lineæ, non tamen ſequitur, quod eſſentia puncti formaliter ſit eſſentia lineæ, licet etiam in propoſito ſit multum diſcrimen, quia non eſt tanta neceſſitas inter accretionem, & nutritionem, ſicuti inter punctum, & lineam: nam iſta non poſſunt ſeiungi ab inuicem, neque vnum eſſe poteſt ſine altero, at nutritio poteſt eſſe ſine accretione. Quare ſi formaliter conſideremus accretionem, & nutritionem, dicendum eſt proculdubio, quod ſunt diſtinctæ, quia nutritio eſt mutatio, accretio verò eſt motus, & nutritio eſt ag generatio nouæ ſubſtantiæ ad præexiſtẽtem ſubſtãtiã loco deperditarũ partium, accretio autem eſt motus per ſe viuentis, ſiue adeptio maioris quãtitatis in viuẽte. Hoc modo optimè ſaluatur quod Accretio eſt motus ad quantitatem, vt optimè dicit Philoſophus in 5. Phyſ. tex. 18. & diſtinguitur à nutritione, & generatione. Hoc modo etiã ſaluãtur in accretione illæ tres conditiones, quas Philoſophus accretioni aſſignat, ſcilicet; quod maneat idẽ numero auctum à principio vſque ad finẽ; hæc eſt clara, quia in omni motu numero vno, ſemper manet mobile idẽ numero. Saluatur ſecũda, quia cũ ſit motus per ſe, ſecundum totum mobile augetur, & ſecundum omnes partes. Saluatur quoque tertia, quia cum ſit motus ad maiorem quantitatẽ, non poteſt fieri, niſi alia quantitas extrinſecus adueniat. Ex hoc etiam habetur quomodo nutritio, & accretio ſimul conueniant, & differant; conueniunt quidem, vt inquit Ariſtoteles 1. de Gen. tex. 41. quia verſantur circa idẽ ſubiectum, ſcilicet viuens, & circa eandẽ materiam, ſcilicet nutrimentum, nutritio enim ex nutrimento reſtaurat partes deperditas, & ideo reſpicit nutrimentum, ſed non vt quantum, accretio verò reſpicit nutrimentum, ſed vt quantum, quia reſpicit nutrimentum, vt auget nutritum ad perfectum, & ſic differunt ex fine, & etiam formaliter. Ex quo loco apparet rectè Scotum in 4. diſt. 11. q. 3. reſpondendo ad ſecundum E E. refutare Ægidium, quem aſſerere ait ſubiectum accretionis eſſe quantitatem; hoc enim eſt falſum, tum propter rationem, & auctoritatem Ariſtotelis nunc adductam: quia accretio verſatur circa viuens, & eſt in viuente tamquam in ſubiecto, viuens enim eſt, quod motu accretionis mouetur, quantitas autem eſt forma, circa quã mouetur; quod etiam confirmatur ratione Scoti ibi adducta. Nulla quantitas omnino eadem manet in toto motu, & ſub vtroque termino, ſubiectum autem manet idem, ergo quantũ non eſt ſubiectum augmentationis.

Hæc etiam, quam explicauimus, ſentẽtia de definitione auctionis eſt Scoti; licet enim de auctione parum dicat in præcitato loco, & alibi, tamen ex ijs, quæ dicit ibi in calce primi Articuli, patet ipſum exiſtimaſſe accretionẽ eſſe motũ diuerſũ à nutritione; vt ſupra diximus; tũ, quia nutritio eſt mutatio, & fit in inſtãti, & accretio eſt motus qui fit in tempore, tũ quia manet nutritio deſtructa accretione; exiſtimauit tamẽ accretionem fieri non poſſe ſine nutritione; & verſari circa idem ſubiectum, & materiam, nõ tamen habere eundẽ finem, quia accretio eſt propter perfectionem viuẽtis, nutritio propter cõſeruationem eiuſdem; neque eſſe formaliter idem, quia nutritio eſt mutatio, accretio eſt motus, vt dictum eſt; ſi tamen velimus aſſignare perfectã definitionẽ accretionis complectentem omnes cauſas, poterit eſſe hæc. Accretio eſt motus viuẽtis corporis quo totũ, & omnes partes ſimul ſecundũ omnes dimẽſiones extẽduntur ad maiorẽ quãtitatem, factus ab anima per calorem naturalẽ, ex alimẽto extrinſecus aſſumpto, & conuerſo in ſubſtantiam, vt ipſum viuẽs debitam ſibi magnitudinem aſſequatur ad exercẽdas omnes operationes vitæ. Reliquæ particulæ huius definitionis ex dicẽdis patebunt; apparet ẽt ex dictis quomodo fiat accretio, de qua re nihil

Opin. Scoti.

Perfecta definitio accretionis

Quomodo

fiat accretio. nihil dicit Scotus; fit enim hoc modo; prius enim alimentum per nutritionem vertitur in ſubſtantiam nutriti, deinde facta illa verſione cum illud nutrimentum conuerſum ſit quantum, & ſit additum enti, & cum illo ſit factum idem, illud viuens magis extenditur tunc, & ſic augetur, ita quòd nutritio quidem fit in momento temporis; ſed auctio cum ſit motus, & communiter ſucceſſiuus fit in tempore; neque enim tranſitus, ille à minori ad maiorem quantitatem factus poſt nutritionem, fieri poteſt in momento; cur autem cum fiat nutritio ſemper, ſemper nō fiat accretio, infrà dicam.

Ad rationes aliorũ. Ad rationes aliorum, ad rationem illā Marſilij negatur maior: formaliter enim illa eſt falſa, quia auctio formaliter non eſt conuerſio nutrimenti in naturam aliti, quia auctio non eſt motus ſecundum quantitatem, vt diximus, licet conuerſio nutrimenti in alitum quoque requiratur, vt dictum eſt, per hoc patet ad alias rationes; & ex dictis faciliter omnia argumenta contraria ſoluuntur, quæ propter breuitatem omitto.

Quomodo maneat idem numero, quod augetur à principio vſque ad finem. Opinio aliorum, & reiectio. Poſitio Scoti, & ſolutio rationum in contrarium. Cap. IV.

VIdimus definitiones nutritionis, & accretionis, ex quibus ſoluere quędam alia dubia facilè poterimus. Primò eſt maxima difficultas circa cōditionem illam auctionis, quod auctum, & nutritum permaneat idem numero per totam vitam, certum eſt quod animal idem numero, & caro, & corpus idem numero permanet in tota vita, vt omnes arbitrātur; quomodo autem hoc fieri poſſit, eſt difficile cognitu; ideò de hac rē duæ ſunt opiniones, quarum alteri omnino eſt adhærendum niſi velimus ſequi ſententiā Magiſtri de nutritione, quam ſupra cap. 1. recitimus; ſed ſuſtinendo, quod in nutrito ſemper aliqua pars deperdatur, & quod loco illius ex nutrimento alia acquiratur, quæ tranſit in veritatem materiæ nutritæ, alteram duarum viarum amplecti eſt neceſſe. *Duæ opin.* Prima opinio eſt Alberti, D. Thomæ, vt Buccaferreus, & Zabarella eis tribuunt, & Henrici, quā etiam multi alij ſequuntur, & tuetur, quod ideò animal idē numero in tota vita ſeruetur, quia continua deperditio, & acquiſitio fit ſecundum materiam, non ſecundum formam, anima enim vegetans ſemper permanet eadem numero, & ſecundum totum, & ſecundum ſuas partes, & quoniā eſſe eſt a forma, cum permanet eadē numero anima in animali in tota vita, neceſſario quoque permanet idem numero animal; Si verò quæratur quomodo hæc anima ſe habeat reſpectu nouæ materiæ additæ animali per nutritionem, & accretionem. Reſpondent quod illa forma ſe extendit ad informandam de nouo illam materiam ſicut informabat priorem materiam, quæ fluxit, vt ſup. cap. 1. diximus exponendo opinionem Henrici. Verùm eſt hic notandum quod loquendo de forma inextenſa, & ſimplici qualis eſt anima intellectiua, comprehendens vegetatiuā, & ſenſitiuam in homine, eſt vera hæc opinio, & quo ad hoc non diſſentiret Scotus: idem enim Franciſcus permanet à principio vitæ vſque ad finem, quia anima eius permanet eadem numero, licet in carne eius, & corpore fiat continuus fluxus, & refluxus partium: ſed loquendo de forma extenſa, vt carnis, & oſſis, & vt eſt forma partium homogenearum ſecūdum quas primo fit accretio, & nutritio, & quę ſunt formæ extenſæ, & diuiduæ: non eſt vera opinio iſtorum. *Hæc opin. reijcitur.* Difficultas autem in hac diſputatione non eſt circa formam ſimplicem, ſed circa formam extenſam qualis eſt forma carnis, oſſis, & partium homogenearum, quæ primo, & per ſe augentur; eſt enim difficultas cum continuò aliqua pars carnis fluat, & refluat, quomodo eadem illa caro numero maneat à principio vitæ animalis vſque ad finem; idem de oſſe, & partibus homogeneis: neque poſſumus dicere, quod permaneat eadem caro, quia permanet eadem anima vegetans, vt Zabarella ait, & alij opinionis contrariæ: quia caro non eſt caro per animam, ſed eſt caro per propriam formam carnis, quia nos ſuſtinemus plures formas ſubſtantiales in compoſito:

poſito: vnde cum in compoſito ſit forma corporeitatis, quæ eſt diuerſa ab anima, etiam forma carnis, quæ pertinet ad formam corporeitatis erit diuerſa ab anima, & hoc debet fateri Zabarella, qui nobiſcum in compoſito fatetur plures formas ſubſtantiales, & maximè formã mixti diuerſam ab anima. Prima ergo opinio ad hanc quæſtionem eſt Henrici, qui dicit quod caro eadem manet: quia licet materia carnis fluat, & refluat: non tamẽ forma carnis fluit, & refluit, neque ſecundum totum, neque ſecũdum partem, ſed eadem forma numero manens extendit ſe, & ſuccedit in materia nutrimenti corrupta forma nutrimenti: quam opinionem confirmat rationibus adductis ſupra primo capite. Verùm hęc opinio nõ eſt vera: quia forma carnis & partiũ homogenearum, eſt forma extenſa, & diuidua ad diuiſionem materiæ (nolo modo diſputare an vegetalis ſit diuidua, nec ne, & an hæc ſit propria forma carnis, quia de hoc erit ſermo in materia de pluralitate formarum in eodem compoſito) cum ergo corpus ſiue materia carnis, & corpus fluat, neceſſe eſt, quòd fluat pars illa formæ carnis, quæ illam partem materiæ informabat; & cum de nouo aggeneratur pars carnis præexiſtenti carni, etiam noua forma, ſiue noua pars formæ in illa aggeneratur, quia præexiſtentes partes formæ non poſſunt extendi, quæ omnia rectè, & efficaciter illis tribus rationibus 1. cap. adductis contra opinionem Hẽrici probatur, ſolutio enim iſtius dubitationis pendet ex ſolutione illius: neque reſponſio Zabarellæ ad argumentum de migratione formæ ſoluit, quia nõ eſt ad argumentum eo modo, quo illud conficit Scotus. Ideò eſt alia opinio, quæ colligitur ex Scoto in 4. diſt. 44. q. 1. ex declaratione quid ſit nutritio, quæ eſt quod ideo eadem caro numero, & os numero, dicuntur permanere eadem à principio vſque ad finem: quia licet fiat deperditio in eis ſecundum partem materiæ, & ſecundum partem formæ, non tamen fit deperditio ſecundum totam materiam, & ſecũdum totam formam, & ita nunquam illa caro corrumpitur ſecundum totum, & quoniam illud, quod manet ſecundum totũ, licet ſecundum aliquam partem continuo fluat, & refluat, dicitur idem numero, ideo etiam caro, os, & omnis pars homogenea, & denique totum corpus dicitur manere idem numero, quia ſecũdum totum ſemper manet, licet ſecundum partes fluat. Sed contra hanc opinionem Scoti ſunt rationes ſuperius cap. 1. adductæ pro opinione Henrici, quas non ſoluimus ibi: & vltra eas arguit Zabarella contra eandem multipliciter; Primò ſic. Hæc opinio videtur aduerſari communi hominum exiſtimationi: quia omnes eandem numero plantam, & idem numero animal permanere exiſtimant à principio vſque in finem; modò, ſi cõtinuo particulæ nedum materiæ (huic opinioni Piccolomineus libro de Accretione cap. 8. & inde, conſentire videtur) ſed etiam formæ fluant, ſequitur, quod tandem caro animalis, & illud corpus plantæ, non erit idẽ numero, ſed ſolum per æquiualentiam: quod etiam eſſe falſum ſtatuitur, quia canis, qui tũc per multos annos abſens fuit, rediens dominum non agnoſceret, quod tamen eſt contra experientiam: conſequẽtia probatur; quia iã anima canis eſſet mutata, & conſequenter ſpecies quæ erant in memoria canis, eſſent deletę, non ergo poteſt recordari effigiei domini ſui.

Opinio Henrici.

Reijcitur

Opinio Scoti

Sed cõtra hanc opin.

Secunda ratio, ſi de noua particula carnis noua animæ particula educeretur, anima eſſet primò actus corporis homogenei, non corporis Phyſici inſtrumentarij. 2.

Tertiò ſequeretur, quod nullum eſſet in animali præcipuum membrum: ſed omnes partes corporis eſſent æquè præcipuæ conſequentia probatur: quia prima pars iudicatur illa, in qua primo oritur anima, & in qua præcipuè reſidet, & ſic falſa erit ſententia Ariſtot. qui dixit cor habere primatum, quia eſt ſedes animæ. 3.

Quartò, ſequeretur etiam quodlibet membrum animalis ab animali ſeparatum viuere: ſi enim habet animã primò exortam in ipſo, non autem fluentem à corde, poterit per ſe viuere aliquamdiu. 4.

Quintò, ſequeretur non vnam eſſe animam in viuente, ſed plures, quia in ſingula aggenerata carnis particula eſſet propria anima, ſed iſtæ rationes non cogunt. 5.

Rẽr. Ad 1. ca. 1. addu ctam.

Ad rationes Henrici, ad primam de exemplo animæ intellectiuæ, dico, quod hoc exemplum de intellectiua, eſt ad oppoſitum, quia intellectiua modo inextenſibili informat materiam, ſed oppoſitum ſequitur de forma extenſibili, & diuidua in materia de qua nunc eſt ſermo.

Ad 2.

Ad ſecundam rationem ex auctoritate Ariſt. 1. de generatione, tex tu 34. Scotus exponit illam auctoritatem Ariſt. caro ſecundum ſpeciem augetur, non caro ſecundum materiam, quoniam non debet intelligi, vt aliqui intelligunt, non enim intelligit, quod materia tantum fluat, & refluat, & forma ſecundum ſe totam, & ſecundum quamlibet partem ſui maneat, quia iam vidimus, quod hic ſenſus eſt falſus; eſt ergo ſciendum, quod aliquæ partes ſunt in carne, & viuente, quæ ſunt compoſitæ ex materia, & forma, & tamen dicuntur partes ſecundum materiam, & aliæ ſunt ſimpliciter compoſitæ ex materia & forma, & tamen dicuntur partes ſecundum formam: & hoc tribus modis contingit: pars enim vna poteſt dici pars ſecundum formam tribus modis, & pars ſecundum materiam etiam tribus modis. Pars ſecundum formam primo modo dicitur pars, quamdiu habet eſſe ſecundum formam. Secundo modo quamdiu habet nedum eſſe, ſed etiam operari ſecundũ formam; tamen in hoc ſecundo modo eſt aduertendum, quod ad hoc vt aliqua pars habeat operari ſecundum formam, requiritur, quod habeat determinatam virtutem intenſiuam, & extenſiuam; contingit autem, quòd pars quandoque habebit eſſe ſecundum formam, & virtutem extenſiuam ad operari, quia erit ſufficientis quantitatis ad agere: ſed deficiet ei virtus intenſiua propter cuius carentiam ipſa operari non poteſt ſecũdum formam: pars ergo habens eſſe ſecundum formam, & quãtitatem ſufficientem, & virtutem intenſiuam ad poſſe operari, dicitur pars ſecundum formam ſecundo modo: quando verò pars habet eſſe ſecundum formã, & habet quantitatem ſufficientem, ſed deficit ei virtus ad poſſe operari, dicitur pars ſecundum formã tertio modo: pars verò ſecundum materiam, dicitur triplici modo his oppoſito. Primò modo pars ſecundum materiam eſt pars, quæ non habet eſſe ſecundum formam, ſed fluit, & corrumpitur, & hæc non opponitur propriè parti ſecundum formam, niſi priuatiuè, vt homo mortuus opponitur homini viuo. Secũdo modo pars ſecundum materiam dicitur pars illa, quæ habet eſſe in toto, ſed nullam poteſt habere operationem, quia non habet quantitatem, nec extenſiuam, nec intenſiuam requiſitam ad poſſe operari. Tertio modo pars ſecundum materiam dicitur pars, quæ habet eſſe in toto ſecundum formam, ſed non habet virtutem ad operari, nec quantitatem requiſitam ad operari; ſed tamen habet aliquam paruam quantitatem; cui tamen non poteſt fieri additio, quia vt infra videbimus, non cuilibet paruæ quãtitati fieri poteſt additio. Tunc ad propoſitum reſpondet Scotus ad citatam auctoritatem, quod pars ſecundum ſpeciẽ primo modo ait Philoſophus, quòd non fluit, quia manet in toto, non quo ad ſecundum intellectum, quia habet virtutem conſeruandi ſe in toto, neque quo ad tertium intellectum: quia habet ſufficientem quantitatem, vt aliqua pars ſibi aggeneretur ad ſui conſeruationem: at pars ſecundum materiam fluit, & refluit tripliciter: quia pars ſecundum materiam primo modo corrumpitur, & euaneſcit, vt patet, & alia aggeneratur: pars ſecundum materiam ſecundo modo fluit non quidem actu, ſed quia eſt in proxima diſpoſitione ad fluendum, quia non habet propriam virtutem, qua poſſit ſe conſeruare: pars ſecundum materiam etiam tertio modo eſt in fluxu, quia illa nõ eſt augmentabilis, nam, vt dicam: non quæuis minima pars poteſt augeri. Adeo quod ſenſus eſt, illa pars aucti augetur, quæ habet ſufficientem quantitatem ad ſe conſeruandum; vel virtutem ad operãdum, vel quæ habet ſaltem eſſe ſecundum formam, id eſt nõ fluit; pars verò aucti, quæ non habet has conditiones, non augetur. Hoc modo intelligitur auctoritas Ariſt. ideò non concludit pro opinione aduerſarij; quam expoſitionem olfecit aliquantulum Zabarella lib. prædicto cap. 19. loquendo de materia aucti. Ex his apparet malè fuiſſe intellectam propoſitionem Ariſt.

Quid ſit pars ſecũdũ materiã, et pars ſecundum formã.

Reijcitur expoſitio Zab. Ariſt. ab alijs, quos iure confutat Zabarella in ſuo libro de auctione capite 22. Sed neque ipſe verum ſenſum iſtius propoſitionis aſſequutus eſt, quod patet ex dictis: aſſerit enim ipſe in cap. 21. euiſdem libri, quod anima cum per ſe ſit indiuiſibilis, per ſe non poteſt fieri maior, vel minor, neque augeri, neque minui. Quomodo ergo dixit Ariſtot. auctionem fieri ſecundum ſpeciem, non autem ſecundum materiam, ſed materiam fluere, & refluere? Reſpondet, quod anima eſt quanta per accidens, quia eſt incorporea, & ideò poteſt penetrare per omnes partes corporis, quod non eſt inconueniens, quia ipſa eſt incorporea: impoſſibilis enim eſt penetratiò corporum, non autem rei incorporeæ in rem corpoream: cum ergo materia augeatur ex alimento appoſito, ita etiam dicere debemus animam augeri, & ſpeciem non per ſe, ſed per accidens, ſcilicet ratione materiæ; Sed hæc expoſitio eſt contra ſenſum Ariſtot. directè: quia ipſe negat materiam per ſe augeri poſſe, ſed ſolum ſpeciem per ſe; ait enim quòd auctio fit ſecundum ſpeciem; materia verò fluit, & refluit, adeò quod oppoſito modo res ſeſe habet, atqui dicit Zabarella, ſic enim auctio eſſet penes materiã per ſe, non penes formam niſi per accidẽs. Relinquitur ergo, quod expoſitio Scoti cæteris prępo natur; etenim certum eſt Ariſtot. eo loco non poſſe negare agmentationem fieri ſecundum materiam, ſi quidem totum compoſitum, quòd conſtat ex materia, & forma, augetur, vt rectè in hoc Zabarella dixit in eodem lib. c. 19. & ſecutus eſt expoſitionem Scoti, de partibus ſecundum materiam quoquo pacto, & quo ad id, quòd valdè refert; materia autem augeri non poteſt, niſi forma, quæ eſt extenſa augeatur, vt dictum eſt; neceſſe eſt ergo & materiam, & formam augeri: quomodo ergo verificatur dictum Ariſt. dico, quòd verificatur in ſenſu, quem expoſuit Scotus, quia compoſitum ſecundnm illas minimas partes, quæ dicuntur partes ſecũdum materiam non augetur, & ſic ſecundum materiam non augetur, ſed ſecundum illas partes dictas ſecundum formam augetur, & ſic auctio fit ſecundum formam. *Ad 3.* Ad tertiam rationem clarius infrà patebit; pro nunc dico, quòd in nutritione adeſt iuxtapoſitio, ſed etiam generatio, ſiuè aggeneratio, quia eſt iuxtapoſitio quo ad partes minimas, quæ non nutriuntur, ſed eſt aggeneratiò reſpectu partium quæ nutriuntur. Ad quartum dictum eſt, & infrà dicam, quod adſunt aliquæ partes minimę, quæ non nutriuntur, quia, quæ nutriuntur requirunt determinatam quantitatem, & illæ omnes, quæ ſunt determinatę quantitatis, ſunt quę nutriuntur, non omnes abſolutè; *Ad 4.* *Sol. rõnũ Zab. Ad 1.* Ad primam rationem Zabarellę dico, quod compoſitum, quod augetur, manet idem numero à principio vſque ad finem, quia numquam eadem forma tota corrumpitur ſimul, licet modo vna pars, vel alia mutetur: etenim cum pars noua aduenit non manet ſeiuncta, ſed prędxiſtentibus partibus formę aggeneratur, ita, quod cum iterum alia pars fluit, non eſt dicendum eſſe partem illius formę, quę amplius non fluxerat, & ſic, quod paulatim, & alternatim omnes partes illius formę mutentur, vt illi dicunt, ſed eſt pars illiuſmet formę, vt conſtat ex partibus veteribus, & nouis, quę vnum, & idem factę ſunt: nõ ergo eſt eadem forma, & communiter compoſitum in fine per ęquiualentiam, ſed idem numero realiter; ſed bene hoc accidit ei, quod ſemper impurior euadit caro illa in fine, quia pars, quę adiungitur eſt minus pura, quã ea, quę receſſit, & hoc euenit, quia eadem caro numero ex accidente deterioratur, ſcilicet ratione agentis naturalis, quod agendo repatitur, & ſemper debilius fit. *Ad alia argumenta.* Ad alia omnia argumenta nulla nunc habita conſideratione an vegetatiua ſit forma extenſa, vel non, dico, quod ſupponũt Scotum dicere formã indiuiſibilem paulatim augeri, & diminui, quod falſum eſt: loquimur enim de forma extenſa, qualis eſt forma carnis, & partium homogenearum, hę enim ſunt extenſę, & diuiduę ad diuiſionem materię; & ita non eſt inconueniens partem illius corrumpi, & partem generari in materia, ſiue prędexiſtenti parti aggenerari.

Quomo-

Quomodo vnaquæque pars aucti augeatur, quæ eſt tertia conditio auctionis. Cap. V.

NOn eſt parua lis inter Philoſophos, quomodo hæc conditio ſeruetur in nutritione, & auctione, ſcilicet, quomodo quælibet pars aucti augeatur, videtur enim falſa; quia tunc omne quod augeretur, augeretur in duplum, quod tamen videtur eſſe falſum experientia ipſa: non enim quod augetur creſcit in duplum, quia fieret immenſæ magnitudinis; oportet ergo videre quomodo fiat hoc. Scotus itaque in precitata diſt. & quæſtione, ſoluendo tertiam rationem pro Henrico R. declarat in hunc modum. Sciendum eſt, quod in viuente ſunt partes duplicis generis: quædam enim ſunt partes maiores, ſiue partes ſenſibiles, quædam verò ſunt partes minimæ. Partes maiores, & ſenſibiles ſunt illæ, quæ extenduntur, & in quibus pori oriūtur ex fluxu partium ſecundum materiam, qui in illa parte ſenſibili fit. Partes verò minimæ ſunt illæ partes carnis, vel oſſis, quæ non extendūtur, & ſunt ita paruę quantitatis, quod ſunt inſenſibiles: non enim ſunt minimę id eſt indiuiſibiles, quia tale minimum non datur, ſed ſunt minimæ, id eſt ita paruę quantitatis, quod ſunt inſenſibiles, in his non fiunt pori: ſed ipſę ſunt partes partium in quibus pori fiunt; modò appelletur pars ſenſibilis, & maior A. quę habeat partes minimas decem, & dicantur B. C. &c. tunc nutrimentum cum per depurationes, & ſequeſtrationes quęcumque illæ ſint, deductum eſt ad hoc, vt iam ſit ſub forma proxima formæ nutriendi, vt puta ſub forma glutini, vel roris, & eſt approximatum per virtutem regitiuam corporis parti nutriendæ, & receptum in poris, illis relictis ex fluxu partis ſecundum materiam, (qui pori antè aduentum hūc nutrimenti erant pleni humore ſubtiliori; vndè totum erat carēs denſitate in partibus requiſita ad benè eſſe eius) tunc nutrimentum exiſtens in his porris, conuertitur in ipſum nutriendum, tunc ergo illa pars A. recipit in poro ſuas partes nutrimenti, & ibi exiſtentes aggenerantur partibus. B. C. & alijs partibus præexiſtentibus illis iuxtaponuntur, non tamen dicuntur iuxtaponi toti; quia ſunt aliquid intra ipſum totum, licet nulla pars de nouo genita ſit, aliquid intrà aliam partem illius partis nutritæ, ſed eſt pars per ſe noua loco partis antiquæ, quæ fluxit. Sic ergo apparet, quòd in nutritione, & auctione, eſt iuxtapoſitio alicuius partis: quia fit iuxtapoſitio partibus minimis, quæ non nutriuntur; ſed non eſt iuxtapoſitio partibus ſenſibilibus, quæ nutriuntur, ſed eſt ingeneratio, ſiue aggeneratio illis, id eſt eſt intrinſecam generatio partis nouæ loco partis antiquę, quæ fluxit; defertur autem nutrimentum ad partem nutriendam per quaſdam vias ſubtiles deſeruientes tali miſſioni, cuiuſmodi ſūt venæ in corpore animalis, & alia huiuſmodi correſpondentia in plantis; poſtquam enim alimentum eſt ore contritū, traijcitur in ventriculum, & ibi concoquitur primo, poſtquam contritum eſt ore, & tunc cibus, & alimentum ex hac concoctione euadit Chilus, & ita interit cibus, & generatur Chilus: deinde defertur Chilus ad inteſtina, & deinde ad iecur per venas, & in iecore iterum concoquitur, & vertitur in ſanguinem: deinde per venas ille ſanguis defertur ad omnes partes nutriendas, & tunc ex venis tranſmittitur per illos minutiſſimos poros, quos diximus, & tunc eſt ſub forma proxima formæ nutriendi: tunc nutrimentum exiſtēs in illis poris alteratur iterum, & condenſatur, & conuertitur tandem in ſubſtantiam ſimilem: & hęc vltima concoctio, & mutatio, eſt generatio illa, quæ dicitur nutritio, ad quam ſequitur accretio, vt ſuprà dictum eſt. Ex his apparet, quomodo vnaquæque pars aucti augeatur: non enim augetur quęlibet pars minima, quia tūc quodlibet quod augeretur, augeretur in duplū: ſed augentur partes maiores tātum. Sed eſt dubium quomodo extendatur illud auctum, ſiue illi fiat additio nouæ quantitatis: cum enim forma ſubſtantialis nutrimenti corrumpatur, corrumpunturquoque eius accidentia, & communiter quantitas, quomodo ergo alimētum vt quantum auget nutritum, vt ait Ariſtoteles primo de generatione, & eſt verum?

(Margin notes: *Opin. Scot.* — *Dub.*)

Solu tio. verum? Reſpondeo quod ſicuti cum corrumpitur forma ſubſtantialis in materia illa nutrimẽti, generatur noua forma ſubſtantialis: ita licet corrumpantur accidentia conſequentia formam alimenti, tamẽ ſequũtur alia accidentia cõſequentia formam de nouo genitam in illa materia, & ſic generatur noua quantitas, quę poſtea fit vna, & eadem cum quantitate partiũ auctarum, ſicuti etiam forma noua genita in nutrimento fit vna, & eadem numero forma cum præexiſtenti. Difficultates contra hanc tolluntur ex illa quæſtione, an in materia ſint dimenſiones interminatæ. Hanc ſententiam ſequitur etiam Pomponatius. (Pompon. eſt eiuſdẽ opin.) Hinc etiam habemus, quomodo totum compoſitum augetur; quia ad accretionem partium homogenearũ qualis eſt caro, oſſa, & nerui, partes Heterogeneæ, quæ ſunt membra ipſius viuẽtis, quoque augentur, & ita totum compoſitum augetur; Sed vnde eſt quòd viuens ſemper nutritur, non tamen ſemper augetur? (Propter quam cauſã) Reſpondeo: duplex eſt cauſa finalis, & formalis. Finalis, quia natura principaliter intendit accretionem, ſed non principaliter intendit nutritionem, ſed ex accidente, ſcilicet ex occaſione conſeruãdi viuens: cum ergo principaliter intendat accretionem, cum animal peruenit ad perfectam quantitatem, adeſt impedimentum propter quod amplius non poteſt augeri; & hæc eſt cauſa formalis, quæ ab aliquibus aſſeritur eſſe exſiccation, & durities oſſium, propter actionem caloris naturalis in illas; animal enim in principio vitæ vſque quo augetur, eſt molle, & valdè humidum, ideò facilè augetur: ſed cum oſſa facta ſunt ſicca, non poſſunt amplius extendi; & nota, quòd ad accretionem opus eſt, (Notãdum.) quod fiat ſecundum omnes dimenſiones; vnde licet iuuenis cum peruenit ad perfectam ætatem, pinguior fiat, non tamẽ dicitur augeri, quia illa extenſio non eſt ſecundum omnes dimenſiones, neque oſſa extenduntur, neque enim propter illam pinguedinem ſumit incrementum ſecundum longitudinem. (Dub. 1.) Sed hic eſt dubium circa id, quod dictum eſt, ſcilicet quòd partes minimæ non augentur, quod tamen videtur falſum: quia illæ partes minimę nutriuntur, vt videtur, ergo quoque augentur. (Dub. 2.) Pręterea, ſi illis fiat iuxtapoſitio, ergo partes carnis erunt, vt aceruus lapidum. (Ad 1.) Reſpondetur ad Primum, quòd illæ partes minimæ non nutriuntur, vt dictum eſt: ſed ſolum partes ſenſibiles ſunt quæ nutriuntur. (Ad 2.) Ad ſecundum dico, quòd adeſt multa differentia, quia vltra iuxtapoſitionem habent eandem formam ſubſtantialem numero, quod non eſt verum de lapidibus in cumulo, ideò multæ partes carnis faciunt vnam carnem.

An aliqua ſit pars materiæ in viuente, quæ non fluat: ſed eadem per totam vitam ſeruetur, vt humidum radicale. Cap. VI.

PRo exacta cognitione huius materię, remanet conſiderandum, nunquid in viuente ſit aliqua pars materiæ, quę nõ fluat, ſed eadem per totam vitam ſeruetur. Circa quod variæ ſunt opiniones; Eſt vna opinio, (Opin. Mag. Sentẽtiarũ) quæ à Marginiſtis Scoti loco citato tribuitur Magiſtro Sent. de quo locuti ſumus in primo capi. huius Theorematis, quæ dicit, quod in viuente reperitur duplex humidum; ſcilicet vnũ, quòd radicale, & naturale dicitur; aliud verò cibale dicitur; primum contrahitur a parentibus in generatione, & hoc ſolum eſſe de veritate naturæ humanæ dicitur; cibale verò humidum contrahitur ex nutrimento; primũ durante vita ſecundum iſtos, nunquam conſumitur: quia eius cõſumptio eſt mors; ſecundum verò continuè generatur, & fluit, & hoc eſt quaſi fomentum, & adhęret calori naturali, ne extinguatur, ſicuti oleum adhæret lichno, & propter hoc requiritur nutrimentum ſecundum iſtos, licet ſecundum eos non conuertatur in naturam viuentis. Hanc eandem ſententiam aliqui tribuũt (Alexãder Afrediſc⁹. Philopon⁹.) Alexandro Afrodiſienſi, & Io. Grammatico: ſed nunquid iſti viri huius opinionis extiterint, non eſt clarum; ſed hoc dimiſſo conſideremus opinionem in ſe, cuiuſcumque illa ſit. Pro hac opinione ſunt variæ rationes.

(1. rõ.) Prima eſt; Si tota materia flueret, & reficeretur, tunc animal poſſet ſeruari immortale, conſequens eſt falſum apertè;

conſe-

conſequentia probatur; quia anima per ſenium non debilitatur, materia autem tota poteſt ſemper renouari, ergo tota anima poteſt ſemper manere, & viuere, & ſi nunquam animal ſeneſceret, nullum detrimentum pateretur, quæ omnia abſurda ſunt.

2. rō. Secundò, ſi tota materia flueret, & tota renouaretur, ſequeretur poſſe formã materialem ſeparari à tota ſimul materia, conſequens eſt apertè abſurdum; conſequentia probatur: ſi enim eadem forma poteſt à tota materia ſeparari per partem, & per partem, ergo tota ſimul materia ab eadem forma poteſt ſeparari, quia eſt eadem ratio vtrobique.

3. rō. Tertiò, ſi nulla materię pars ſeruaretur eadem, non ſeruaretur idem numero indiuiduum à principio vſque ad finem; conſequentia probatur: quia vnum numero eſt, cuius materia eſt vna. 5. Metaphyſ. tex. 12. Item. Idem numero eſt cuius materia eſt eadem, ergo ſi materia tota mutatur, non erit idem indiuiduum, quod oritur, & obit. Inſuper non eſſet idem, qui generatur, & augetur, & minuitur, nomen etiam æquiuocè diceretur de illo indiuiduo, eſſent enim plura indiuidua, & haberent vniuocum nomen. Forma etiam migraret de ſubiecto in ſubiectum, quia forma eadem manet, materia verò tota mutatur.

(margin: 4. rō.; 5. rō.)

Reijcitur. Verùm hęc opinio ab omnibus fere reijcitur, & Scotus loco citato inter multas rationes, quas facit contra hanc opinionem, adeſt hæc præcipua, quæ facit ad noſtrum propoſitum, ſequeretur ſtante hac opinione, quod in viuente, vt in homine, eſſet aliqua caro, & materia, quæ eſſet incorruptibilis, conſequens eſt apertè falsũ, quoniam tunc illa caro, & materia eſſet alterius ſpeciei, imò generis, à reliqua carne corruptibili, & ſi illa caro, & portio materiæ aliquando corrumperetur, nunquam poſſet amplius reſtaurari, & ſic in homine ſemper eſſet aliquid minus de veritate carnis humanæ, quòd eſt inconueniens; conſequentia patet: quia caro adepta per mutationem ex alimento, non fit eadem cum carne illa naturali, neque humidum illud cibale fit idem cum humido radicali, ſed eſt diuerſum, & inſeruit pro fomento humido radicali.

2. rō. Secundò, omne humidum eſt aptum natum pati à calore, ſed humidum radicale eſt verè humidum, alioquin eſſet abuſiuè, & æquiuocè humidum, ergo illud debet eſse aptum natum pati à calore.

3. rō. Tertiò aiunt iſti. Illud humidum radicale, quod viuens trahit à parentibus, multiplicari, & diffundi in totum animal perfectum, & ſeruari ad ætatem vſque perfectam: ſed hoc eſt impoſſibile, quia illud humidum in initio ortus eſt admodum paruum, quomodo ergo poteſt diffundi per tantam molem, quantam videmus eſſe animalis perfecti, & plantæ? Magiſter Sent. inquit hoc fieri miraculosè, ad modũ, quo legitur in Euangelio Chriſtum Dominum multiplicaſſe quinque panes, & duos piſces, ſed apud Philoſophum, qui non nouit miracula, hoc non poteſt dici. 4. rō. Tandem videmus ex paruo admodum ſemine generari arborem admodum grandem. Falſum eſt ergo in ſemine illo, ſiue in germine primo pullulãte, quod admodum exiguum eſt, eſſe totum humidum, quòd diffunditur per omnes partes illius magni arboris, per quod illa viuit.

Zab. opin. Ideò Zabarella propter has rationes habuit aliam ſententiam, quæ tamen ab hac parum diſtat, inquit enim quod quidem aſſerendum eſt in viuente non fluere totam materiam, ita quòd nulla pars materiæ, quæ erat in infante, remaneat in ſene: ſed eſſe aſſerendum aliquam remanere, quæ à calore naturali non conſumitur, ſicuti aliqua pars à calore naturali conſumitur; ſed hæc differentia non ſumitur ex eo, quod alia pars ſit radicalis, & alia cibalis, & aduentitia, vt præcedens opinio dicebat: ſed ſumitur ex eo, quòd alia pars eſt humida, alia verò ſicca, & terreſtris: modo humidum conſumitur a calore naturali, quia eſt eius proprium pabulum, pars verò terreſtris remanet, vt etiam patet de ijs, quæ cõburuntur, quod toto humido conſumpto ab igne, remanet cinis, quæ eſt pars terreſtris, quàm ob eius maximam reſiſtentiam non poteſt ignis abſumere; modo viuentia omnia in initio ſui ortus ſunt humidiſſima, & procedente

cedente ætate fiunt ſicciora; & licet adueniat humidum radicale, ſemper tamen aduenit quoque cum eo aliqua pars ſicca, & terreſtris, quæ poſtea permanet ſimul cum ſicco ducto ab ortu, & ſemper ætate procedente indureſcit. Hæc eſt opinio Zabarellæ, quam profert libro ſuo de accretione, & nutritione, c. 23. quæ conſiſtit in hoc quod pars, quæ remanet in viuente à principio vſque ad finem, eſt pars terreſtris; neque eſt aliquod humidū, quod non corrumpitur à calore naturali; vnde vana eſt illa diſtinctio de duplici humido, ſcilicet radicali, vel naturali, vel cibali: ſed totum humidum tam quod ducitur a parentibus, quàm acquiſitum per cibum, dicitur radicale, ad differentiam humidi excrementitij, quòd non eſt aptum pabulum caloris naturalis. Verum hæc opinio Zabarellæ, neque ipſa eſt ſuſtinenda, ſi velit aſſerere, quòd eadem pars terreſtris, quæ à principio eſt in viuente, permaneat vſque in finem abſque vlla alteratione, vt ipſe velle videtur: nam ſequeretur tunc, quòd illa pars eſſet incorruptibilis, vt argutum eſt ſupra contra præcedentem opinionem Magiſtri. Præterea in diminutione, & deperditione non corrūpitur ſolum humidum, vt videtur ſupponere Zabarella: ſed eſt pars mixta, quæ fluit, vt pars carnis, modo illa pars mixta conſtat etiam ex portione ſicca, & terreſtri ergo ſequitur, quod etiam pars terreſtris corrumpatur. Item concedit, quod id, quod in nutritione acquiritur, eſt etiā humidum, & ſiccū, ergo ſi nutritio eſt reparatio deperditi, eſt neceſſe, quod in diminutione, & deperditione, etiam aliqua pars ſicci deperdatur. Iudico itaque dicendum eſſe, vt videtur aſſerere Scotus, quòd nō reperitur aliqua pars materiæ in viuēte, quæ eadem ſola abſque vlla alteratione, & fluxu permaneat in viuente à principio vſque ad finem; ratio, & fundamentū huius poſitionis ſuperius ſūt explicata cap. 3. vbi oſtenſum eſt, in viuente fieri fluxū, tā ſecundum partes materiæ, quā ſecundū partes formæ, & tamen idem numero ſeruari à principio vſque ad finem: cum enim omnes partes carnis, nerui, & oſſis, & denique partes homogeneę ſint eiuſdem rationis omnes, æquè ſunt aptæ

Reij- citur 1. rō.

2. rō.

3.

Scoti opin.

natæ fluere, & reſtaurari, & ſic omnes patiuntur, & reſoluuntur: cum autem caro, quæ ab ortu ducitur ſit parua, & continuo vſque ad ſenium fluat, & refluat, & ſic de alijs partibus homogeneis, eſt neceſſe quòd in ſenio tota ſit mutata, & alterata, quoniam omne agens repatitur, & debilitatur: omnis ergo pars materiæ viuentis, vel tota eſt mutata, vel ſaltem eſt alterata, & facta impurior propter reacionem, & repaſſionem, vt dictum eſt, quoniam omne agens naturale agendo repatitur, quoniam omnis pars eſt fluxibilis, & alterabilis, & nulla incorruptibilis. Hanc opinionem apertè ponit Scotus in 4. diſtinctione 44. quæſtione prima, artic. primo, concluſione tertia. Eandem opinionem ſequitur Franciſcus Piccolomineus libro de accretione, cap. vltimo, cum hac diſtinctione, quòd in viuentibus imperfectis nulla pars remanet eadem, in viuentibus verò perfectis, vt ſunt animalia, & pręſertim homo, manet aliqua pars eadem, ſed manet alterata. Pro hac opinione ſunt rationes ſuperius adductæ. Reliquum eſt ergo, vt rationes Aduerſariorum ſoluamus.

Piccolomineus.

Ad primam rationē pro opinione Magiſtri, quæ erat ratio Philoponi, negatur conſequentia ab omnibus, ad probationem dicitur, quòd licet forma, ſcilicet anima, permaneat eadem, & tota materia renouetur, tamen non eſt materia renouata eiuſdem perfectionis, ſed ſemper eſt impurior, & imperfectior, quia agendo in alimentum, repatitur, & ſic tādē conſumeretur, & ſic viuens non poſſet ſeruari immortale. *Ad 1.*

Ad ſecundā rationem dictum eſt in 3. c. quod nō fluit pars materię ſola: ſed pars compoſita ex materia, & forma, & ſic negatur antecedens, & conſequentia, nunquam enim forma permanet abſque materia, neque ſecundum partem, neque ſecundum totum, vt ibi dictum eſt; declaratum eſt etiam, quæ ſit pars ſecundum materiam, & quæ ſecundum formam. *Ad 2.*

Ad tertiam reſpondetur negando cōſequentiam, ad probationem iam dictum eſt in 3. cap. quomodo idem indiuiduū, manet idem a principio vſque ad finem, quoniam licet materia ſecundum partes *Ad 3.*

mutetur, nunquam tamen mutatur ſecundum omnes partes ſimul, & ſimiliter forma non mutatur ſecundum omnes partes ſimul, & ſic permanet idem. Ad probationem ex Ariſtotele, quia vnū numero eſt, cuius materia eſt vna, patet, quòd materia illius indiuidui ſecundum totum ſemper eſt vna, quia ſecundum totum non mutatur, licet eius partes fluant.

Ad 4. & 5. Ad quartum per idem patet. Ad quintum iam dictum eſt ſuprà, quòd nedum partes materiæ fluunt, ſed etiam partes formæ, & ideò non ſequitur migratio formæ de ſubiecto in ſubiectum.

THEOREMA XLI.

Actio eſt in agente tamquam in ſubiecto.

Opinio Scoti quid ſit actio, & in quo ſit tamquam in ſubiecto. Cap. I.

Opin. Scoti. SCotus in 4. Sent. d. 13. q. 1. in principio quæſtionis longo ſermone agit de actione, multaq. dicit digna ſcitu; breuiter tamen ait; quòd Actio, vt eſt vnum ex decem Prædicamentis, ſcilicet quintū, non poteſt poni aliquid abſolutum: quia tunc ſequerentur duo inconuenientia, vnum generale, & eſt, quòd ad actionem eſſet actio, & ſic in infinitum, quod eſt impoſſibile, & contra philoſophum 5. Metaphyſicæ probatur conſequentia: quia actio ſi eſt quid abſolutum, eſt forma, hæc autem non eſt à ſe, quia nihil gignit ſe, neque à nihilo, ergo ab aliquo agente, & ſic ad actionem eſſet actio, quòd, vt dictum eſt, eſt impoſſibile. Secundum incōueniens ſpeciale eſt reſpectu ſubiecti, in quo poneretur: vel enim actio ponitur in agente, vel in patiente: ſi in agente, ergo omne agens mutaretur per formam abſolutè, antequam paſſum mutaretur ab ipſo, quia paſſum non mutatur ab agente niſi iam habente actionem; ſi ergo actio eſt forma noua abſoluta in agente, agēs illam non poteſt recipere niſi mutetur ad ipſam; ſi eſt in patiente ſimiliter ſequitur hoc inconueniens, quòd non poteſt aliquod paſſum pati ſecundum formam de genere qualitatis, vel quantitatis, quin ſimul duratione, & fortè prius non patiatur ſecundum formam alterius generis ſcilicet ſecundum actionem, quæ ponitur eſſe forma abſoluta diſtincta à quantitate, & qualitate. Conſequens eſt inconueniens, vt patet, ecce ex his habemus, quod hæc propoſitio negatiua eſt vera, quod actio vt eſt vnum Prædicamentum diſtinctum ab alijs nouem, non eſt forma noua abſoluta, neque in agente, neque in patiente. Oſtendit inſuper, quod non poteſt eſſe forma abſoluta non noua, ſed coæua ſubiecto in quo eſt: quia tunc præter alias rationes ſequeretur, quod actio eſſet, & non eſſet circa paſſum, quod eſt contra rationem actionis. Conſequentia patet: quia ſi ſit in agente, non ſemper agens agit; ſi ſit in patiente, non ſemper patiens patitur; clarum eſt ergo quòd actio non eſt forma abſoluta coæua ſubiecto. Ex his vlterius deducitur, quòd ſi actio non eſt forma abſoluta, & eſt genus diſtinctū, ſequitur quod ſit quid reſpectiuum per ſe. Vlterius etiam deducitur, quod eſt reſpectus alterius rationis à relatione, quæ conſtituit quartum Prædicamentum, ſi enim omnis reſpectus eſt vnius rationis quidditatiuæ, non poneretur niſi vnum genus reſpectiuum, & ſic ſolum eſſent quattuor Prædicamenta; falſum eſt autē dicere, quod ſint ſolum quattuor Prædicamenta: quia debet ſupponi vera illa famoſa diuiſio Prædicamentorum in decē, quia ipſa eſt Ariſt. in Prædicamentis, & in 5. Metaph. & alibi ſæpè, & vt Auicen. dicit 3. Metaph. cogimur illam diuiſionē obſeruare, quòd ſunt decem, propter auctoritatē Philoſophorum, cui non debet facilè contradici. Oportet ergo dicere q; in reſpectibus datur aliqua ſufficiens differentia per quam diuidantur, & conſtituatur hic numerus; hæc autem differentia ſufficiens vt colligitur probabilius ex dictis auctorū, eſt reſpect⁹ extrinſecus adueniens, & intrinſecus adueniens, reſpectus intrinſecus adueniens eſt ille, qui poſitis extremis conſurgit ſtatim virtute extremorū: reſpectus extrinſecus aduenies, eſt, qui poſitis extremis non ſimul actu inſurgit virtute extremorū, ſed requiritur aliquid aliud externū ad hoc, vt ſic inſur-

Actionē eſſet qd abſolutū. *Prædicamēta ſūt 10.*

ſurgat relatio. Relatiua quæ conſtituunt quartum prædicamentum, ſunt reſpectus intrinſecus aduenientes. Reliqua ſcilicet ſex vltima Prædicamenta ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes. Actio itaque cũ ſit quintum Prædicamentum diuerſum à quarto, neceſſe eſt dicere, quod non ſit reſpectus intrinſecus adueniens, ſed erit reſpectus extrinſecus adueniens. Verum cõtra hanc ſententiam Scoti quod actio ſit Relatio, eſt hoc argumentum.

Obiectio quod actio non ſit relatio. Agens actione agit; ergo, actio mediat inter agẽs, & terminum ſeu paſſum; at relatio ſubſequitur extrema, non autem mediat inter illa, ergo actio non eſt relatio, ſed forma abſoluta media inter agens, & paſſum.

Solutio. Reſpondetur cum Scoto in 4. Sent. d. 13. q. 1. ar. 1. in reſpõſione ad ſecũdũ ꝓ opinione quod ablatiuus in ſimilibus propoſitionibus poteſt dupliciter conſtitui; Vno modo in ratione formæ proximè denominantis, vt in hac propoſitione: Simile ſimilitudine eſt ſimile ſecundo modo in ratione formæ propriè in genere cauſæ formalis, vt in hac propoſitione: Simile qualitate eſt ſimile, forma autem propriè ſumpta, eſt quidem ratio proxima agendi, ſed non eſt ratio proxima denominandi, ſed ſolum remota. Ad argumentum ergo Reſpõdetur, quod ille ablatiuus in antecedente, actione conſtituitur in ratione formę proximè denominantis, non in ratione formæ propriè in genere cauſæ formalis, illa enim eſt forma agentis.

Opin. Scoti. His habitis, reſpondet ad propoſitum, noſtrum, & ſtatuit Theorema propoſitum, ſcilicet quod actio eſt in agente, & paſſio in patiente, & ſic actio, & paſſio diſtincta ſunt ſubiecto, & realiter. Pro hoc Theoremate adducit has rationes.

1. rõ. Prima, in eodem eſt reſpectus & fundamentum eius, ſed potentia actiua, quæ eſt fundamentum actionis eſt in agente, ergo & actio, quæ eſt reſpectus erit in agente. Secundò, in eodem non ſunt reſpectus oppoſiti ſaltem ad idem, neque vniuerſaliter neceſsario ſunt ſimul, paſſio autem vniuerſaliter eſt in paſso, non ergo neceſsariò in eodem paſso eſt actio, quæ eſt reſpectus oppoſitus paſſioni ipſi.

Tertio. Tertiò, in quocumque eſt forma aliqua, illud eſt ſimpliciter tale ſecundum illam formam, quia omninò irrationabile videtur quòd aliqua forma ponatur in aliquo, & non conſtituat illud informatum ſecundum ipſam, ergo ſi actio eſt formaliter in paſso, paſſum erit formaliter agens, hoc non eſt dicendum, ergo eſt aſſerendum quod actio eſt in agente formaliter tamquam in ſubiecto. Pro hac ratione habes alias rationes apud Antoniũ Andream in 7. Metaph. in quæſtione de hac materia.

Scotus. His rationibus Scotus ductus ſtatuit actionem eſſe in agente tamquam in ſubiecto, in potentia verò actiua agentis, vt in fundamento proximo; ſimiliter paſſio dicit reſpectum oppoſitum correſpondẽtẽ iſti, & eſt in paſſo vt in ſubiecto: & in potentia paſſiua vt in fundamento proximo, & ſpecialius quoniam in agente ſunt multi reſpectus, declarat quinam ſit ille reſpectus agentis; qui dicitur actio, & eſt reſpectus extrinſecus adueniens; & inquit quòd in agente eſt triplex reſpectus, ſcilicet ad productum, vt ad genitum, ſecundo ad inductum, vt ad formam inductam in aliquod ſubiectum, e. g. ad calorem inductum in lignum, tertio ad ſubiectum illius formæ, vt ad lignum. Primi duo reſpectus ſunt intrinſecus aduenientes, quia poſitis terminis ſtatim inſurgunt in fundamento relationes: poſito enim in eſſe filio, ſtatim in patre inſurgit relatio paternitatis, vel generantis, & ſic in alijs: at poſito in eſſe ſubiecto, vt ligno, & poſito in eſſe agente, non ſtatim inſurgit relatio in agente: poteſt enim agens impediri, quòd non agat in illud ſubiectum; vt poſito igne, & ligno, poteſt contingere quod ignis non agat in lignum propter aliquod impedimentum, vt puta, propter diſtantiam, vel aliquid aliud, & tunc in agente non eſt relatio vlla reſpectu illius ſubiecti; quando ergo talis relatio ineſt tali ſubiecto, hoc euenit ex aliqua cauſa externa, & ſic illa relatio dicitur extrinſecus adueniens, & hæc relatio propriè dicitur actio, quæ vt ex his colligitur eſt in agente tamquam in ſubiecto.

Rationes Aduerſariorum contra hanc ſententiam Scoti: & eorundem poſitio, & confutatio. Cap. II.

1. vo. ADuerſus opinionem Scoti inſurgit Heruæus quarto quodlibet. quæſt. quarta, hac ratione, quam aliqui demonſtrationem appellant. Si actio eſt in agente, vel eſt principium actiuum agentis; vel reſpectus agentis ad paſſum; vel aliqua entitas abſoluta de nouo producta in agente dum agit; & certè actio eſt alterum horum trium; at actio nihil horum eſſe poteſt, ergo actio non eſt in agente; Minor probatur quo ad omnes partes, & quo ad primam partem probatur primò, quia principium actiuum eſt principium actionis, ergo ſi actio eſt principium actiuum, actio erit principium actionis, & idem erit principium ſuiipſius, quòd eſt impoſſibile. Secundò, vbi eſt actio, ſemper agens actu agit, at agens non ſemper agit actu, licet ſemper habeat actu principium actiuum, vt patet de igne, qui habet ſemper actu principium calefactiuum, neque tamen ſemper actu agit. Secunda pars minoris probatur: quia reſpectus pertinet ad Prædicamentum relationis, actio vero conſtituit Prædicamẽtum diſtinctum à relatione, ergo neque valet reſponſio Scoti, quod actio eſt reſpectus exrrinſecus adueniens; tum, quia hic reſpectus extrinſecus eſt fictio Scoti; tum, quia ratio formalis relationis, quæ traditur ab Ariſtotele, eſt eſſe ad aliud: quidquid ergo refertur per ſe ad aliud, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, pertinebit ad Cathegoriam Relationis; Tertia pars minoris probatur: quia ſi actio eſt quid abſolutum de nouo inductum in agente, ſequitur, quod producatur per actionẽ, illa iterum per aliam actionem, & ſic dabitur proceſſus in infinitum. Secundò, quia tunc agens prius pateretur, quàm ageret, quòd videtur inconueniens. Alij

Pererius. verò contra Scotum arguunt, & probant ſimul, quòd actio ſit idem realiter, quod paſſio, & propterea ſit in paſſo, ſicuti paſſio eſt in paſſo. Primò, hæc poſitio Scoti repugnat Philoſopho in tertio Phyſicorum textu 20. ait enim Ariſtoteles ibi, non eſſe inconueniens, vt idem actu ſit commune duobus, ſcilicet, agenti, & patienti: nam agentis eſt tamquam à quo, patientis tamquam in quo, vt doctio eſt in docente, quia eſt actus docentis, at non eſt deciſus, ſed eſt in ipſo diſcente. at doctio eſt actio, ergo ſecundum Ariſtotelem actio eſt in agente tam quam in principio à quo, & in patieute tamquam in termino in quo; ecce quod Ariſtot. non vult quod actio ſit in agente tamquam in quo, ſiuè vt in ſubiecto, ſed in paſſo tamquam in ſubiecto, actio ergo eſt in patiente. Secundò Ariſtoteles 2.
ſecundo Phyſicorum textu 22. volens declarare quomodo idem motus ſit actio, & paſſio, diuerſas ſoluit rationes, & inquit motum eſſe actionem prout eſt actus huius in hoc; vbi per [in hoc] indicat actionem ſubiectiuè eſſe in paſſo. Tertiò 3.
9. Metaph. tex. 16. habet hæc verba. Quorumcumque præter actionem eſt aliud, quod ſit, horum actio in eo, quod ſit, eſt, vt ædificatio in eo, quod ędificatur, & cõtexio in eo, quod contexitur, ſimiliter etiam de alijs, & omnino motus in motu. Ex his apparet, quod actio eſt in patiente. Quartò, Ariſtot. 2. de Anima tex. 139. 4.
habet hæc verba; Si igitur motus eſt actio, & paſſio, & eſt in eo, quod mouetur, & patitur, actiui enim & motiui act⁹ in patiente ſit, at non neceſſe eſt mouens moueri; & ĩ tex. ſeq. ait: Sicut enim actio, & paſſio in patiente eſt, non in agente, ſic & ipſius ſenſibilis actus in ipſo ſenſitiuo exiſtit. Quintò, arguunt ratione. Si om 5.
nis actio eſt in agẽte, ergo nulla actio eſt trãſiẽs, ſed omnis acto eſt immanens, qđ eſt cõtra Ariſt. lib. 9. Metaph. tex. 16. vbi facit duplicem actionẽ, immanentem, & tranſeuntẽ, et iã eſt cõtra omnes Philoſophos, qui talem diſtinctionem admittũt. Sexto, omnis actio eſt motus, ſi eſt motus, nõ eſt in agente, ergo actio non eſt in agente. Antecedens ꝓbatur per Ariſt. 3. 6.
Phyſ. tex. 19. vbi habet hæc verba; Cũ igitur vtraque ſit motus. (loquendo de actione, & paſſione) & textu 22. ait: neque actio cum paſſione idem propriè ſunt, ſed cui inſunt hæc motus, & ratione probatur: nam agere eſt mouere, & eſſe agens, eſt eſſe mouẽs, ergo actio eſt mot⁹

Præ-

Præterea, actio eſt ens ſucceſſiuum: quia agens per actionem ſucceſsiuè agit, conſequentia probatur, primo, quia omnis motus ſubiectiuè eſt in mobili, vt ait Ariſt. 3. Phyſ. tex. 18. tum ex definitione motus, in qua dicitur, quod motus eſt actus mobilis, ergo motus eſt in mobili tamquam in ſubiecto; tum, quia agens moueretur eo motu, quo mouet, quod eſt inconueniens. Septimò, ſi actio eſt motus; paſſio etiam eſt motus, ergo vnum numero mouens ſimul producit duos motus, quòd eſt inconueniens, neque re ipſa poſſunt diſtingui iſti motus; quia omnis motus diſtinguitur à termino; in actione autem, & paſſione eſt idem terminus, ergo actio, & paſſio ſunt vnus motus. Præterea ſequeretur, quòd agens eſſet prius, & poſterius actione: prius, quia producit actionem: poſterius, quia ſecundum Scotum agens eſt formaliter agens per actionem inhærētem in ipſo; & ſic idem eſſet prius, & poſterius eodem, quòd implicat. His rationibus moti aſſerunt iſti, quòd actio, & paſſio ſunt idem realiter; & quòd ſicuti paſsio eſt in patiente, ita actio quoque eſt in patiente. Rationes quoque Scoti, & pro Scoto adductas nituntur ſoluere, ſed quia non rectè adducuntur ab illis, & fortiores dimittunt, ideò pro nunc illas omitto. *8. rō.*

Reijcitur. Quòd hęc opinio non ſit vera, clarè cōſpicitur in ijs, quę diximus in declaratione opinionis Scoti, & ex rationibus eius, quas non oportet modo repetere. Prima ratio quæ eſt Scoti, eſt efficax, nā relatio eſt in eo in quo eſt eius fundamentum, & in quo ipſa fundatur: neque hoc negari poteſt; fundamentum autem reſpectu actionis eſt potentia actiua, vt patet; potentia autem actiua eſt in agente tamquam in ſubiecto, non in paſso, ergo actio eſt in agente; At reſponſionem innuere videntur ad hanc rationem, quod potentia actiua, quæ eſt in agente, fundat duplicem relationem diuerſa ratione, ſcilicet relationem, quæ eſt motiui ad mobile, & eā, quæ eſt mouentis ad motum; Sed hæc reſponſio non eſt ad propoſitum; & ratio eſt: quia ipſe non intellexit rationem Scoti, deinde confirmat rationem Scoti, hoc enim admiſſo, quod potentia actiua fundet duas relationes illas, habemus quòd ſemper fundantur in potentia actiua, & conſequēter quòd ſunt in agente, in quo etiam eſt potentia actiua, tamquam in fundamento, quod eſt intentum Scoti. Secunda ratio eſt etiam efficax, cui non aſſignatur vlla reſponſio. Tertia quoque cui nec ſimiliter vlla reſponſio aſſignatur. Poſſumus etiam arguere ratione quorundam Scotiſtarum. Si actio non eſt in agente, ergo in patiente, ergo patiens, vt patiens aget. Huic rationi reſpondent, quòd actio realiter eſt in patiente, ſed non formaliter, hoc eſt, res, quæ eſt actio, nempe motus, eſt in patiente, ſed illud, quòd eſt exire ab agente, in quo conſiſtit ratio actionis, non eſt in patiente, ſed in agente, hæc ſunt eorum verba formaliter; ex qua reſponſione confirmatur validiſſimè noſtra poſitio: nam quæro, quid ſit actio ſecundum propriam eſſentiam, & naturam, & formaliter dicunt, quòd eſt illud exire ab agente, ſiue ille reſpectus agentis ad ſubiectum patiens, quod fatentur, dum dicunt formaliter illud exire, eſse actionem: at hoc per ſe non eſt in patiente, ſed in agente, ergo habemus, quòd actio ſecundum propriam eſſentiam & naturam, eſt in agente, non in paſſo. Præterea, actio, & paſſio differunt genere, quia ſunt diuerſa Prædicamenta, & conſequenter re, cum decem Prædicamenta differant re; tum etiam, quia ſi non differant re, ergo citrà operationem intellectus, idem erit docere, & doceri, verberare, & verberari. Ad hoc reſpondent Aduerſarij, quod decem Prædicamenta non neceſſe eſt quod diſtinguantur re, ſed ratione, id eſt definitione: nam licet actio ſit idem re cum paſſione, tamen etiam citrà operationem cuiuſuis intellectus actio non eſt paſſio. Hęc reſponſio admittit diſtinctionē formalem inter actionem, & paſſionem, & conſequenter; inter Prędicamenta, quod eſt contra famoſam illam diuiſionem Ariſtotelis, quę ab omnibus reputatur realis: ſicuti clarè conſpicitur de Subſtantia, Quantitate, Qualitate, & etiam talem omnes Philoſophi exiſtimauerunt: cui auctoritati Scotus non auſus eſt contradicere; de qua diuiſione, & *Rō efficax quorūdā Scotiſtarū.*

diſtinctione aliàs erit ſermo; actio autē, & paſſio;, nedum ſunt diuerſæ formaliter,ſed realiter, quia ſunt duæ res, nempè duo reſpectus reales:ſicuti paternitas, & filiatio fundati in diuerſis duabus ſubſtantijs;quòd probatur: quia idem ſubiectum non eſt agens, & patiens reſpectu eiuſdem,ſed vnum agit,& aliud patitur, ergo & relationes fundatæ in illis ſubiectis ſunt diuerſæ realiter.

Solutio rationum Aduerſariorum. Cap. III.

PRo intelligentia veritatis, & ſolutione rationum Aduerſariorum,notandum eſt,quod vt inquit Scotus, huius no-
1. minis actio eſt multiplex ęquiuocatio Vno modo accipitur actio pro operatione, & hoc modo intellectio,& volitio,dicuntur actiones:& tamen re vera ſunt Quali-
2. tates. Secundo modo actio per ſe, dicit habitudinem, & reſpectum, & ſic duobus modis poteſt accipi; Vno modo pro reſpectu producentis ad productum, & in hoc ſenſu pater dicitur eſſe agens filij; ſiue habere actionem circa filium. Alio modo accipitur pro reſpectu inducentis ad inductum,ſiue educentis ad eductum id eſt pro reſpectu mouentis quocumque alio motu à generatione ad rem motam, & hoc modo calidum dicitur cauſa agēs caloris in ligno. Tertio modo accipitur actio pro re acta includendo reſpectum ab alio:& hoc modo Ariſt.3.Phyſ.tex.15.18. & 22.appellat motum actionem. Quarto modo actio propriè accipitur, & eſt reſpectus extrinſecus adueniens tranſmutātis ad ſubiectum tranſmutatum,vt ſupra diximus declarādo opinionem Scoti. Habita hac diſtinctione,patet declaratio auctoritatum Ariſtotelis,& ſolutio rationū: ſecundū enim,quòd vario modo accepit Ariſtoteles nomen actionis,ſic vario modo de illa loquutus eſt: attamen loquendo propriè de actione,vt actio eſt, nūquā dixit eam eſſe in alio,quàm in agente:neque eſſe idem quod paſſio,ſed quid diuerſum; quoniam autem aduerſarij hanc æquiuocationē diſtinguere neſcierunt, ad pauca reſpicientes dixerunt actione eſſe paſſionem, & eſſe in paſſo tamquā in ſubiecto. Ad rationes ergo Aduerſariorum, *Ad 1. rōnē aduerſariorum.* ad primam,quæ eſt Heruei,dico quòd actio eſt reſpectus agentis ad patiens. Ad probationem contra hoc dico, quòd eſt relatio extrinſecus adueniens; Ad impugnationem contra hoc dico,quod illa diſtinctio de duplici relatione intrinſecus adueniens,& extrinſecus adueniens, eſt neceſſaria,vt viſum eſt, & probatū recitando opinionem Scoti, quam hic non oportet repetere propter prolixitatem; & certè quilibet ſtudioſus poterit iudicare, an illa diſtinctio ſit ficta,& voluntaria,vel potius deducta ex re ipſa, & neceſſariò. Ad rationes aliorum, ad primam deductam ex auctoritate Ariſt.3.Phyſ.tex.20. *Ad 2. 3. & 4.* reſpondeo,quod actio multis modis accipi poteſt, vt ſupra diximus, in eo autem loco accipitur actio non propriè, ſed pro operatione,& motu proueniente ab agēte ad patiens,& ideò accipiendo hoc modo actionem,valet argumentum; nos autem accipimus actionem propriè,vt eſt in proprio genere, & quid diuerſum ab alijs;actio enim pro operatione, eſt forma abſoluta pertinens ad qualitatem, non autem ad actionem:ſed actio propriè, & formaliter, eſt ille reſpectus extrinſecus inſurgens in agente,dum agit in paſſum, vt diximus ſupra. Per hoc patet ad omnes alias auctoritates, & rationes adductas, in omnibus enim illis locis Ariſtotelis accipit pro actione motum, ſiue operationem; de quo iam clarum eſt eſſe in agente,mouente,vt à quo,& in mobili,& paſſo vt in quo, ſic enim hæc qualitas doctio,eſt in docente, vt à quo,& in docto,vt in quo;at doctio non eſt propriè actio,ſed Qualitas, quæ fluit à docente in doctum; motus enim realiter eſt forma fluens, vt dicemus ex Commentatore in Theoremate, quòd motus non eſt genus *Theo. 45.* per ſe diſtinctum. Ad quintam rationem *Ad 5.* dico, quod illa diſtinctio de actione immanente,& tranſeunte, fit de actione nō propriè dicta;quia illa eſt ſemper immanens, ſed fit de actione accepta pro operatione producta ab agente,talis enim operatio,vel immanet agenti,vt volitio, & intellectio in nobis,vel tranſit in aliud, vt combuſtio,verberatio,&c.ideò prima dicitur actio immanens,2. actio tranſiens.

6. Ad ſextam dico, quòd antecedens eſt verum accipiendo actionem non propriè, ſed pro actione, vt eſt operatio, ſicut dictum eſt, & de hac procedunt omnes ſuæ probationes: nos autem loquimur de actione propriè dicta, vt ſupra declaratũ
7. eſt. Ad ſeptimam concedo, quod actio pro operatione eſt motus, & ſic eſt paſſio, quia ſunt vnus, & idem motus: ſed accipiendo actionem pro actione propriè
8. dicta; dico, quod actio non eſt motus. Ad octauam negatur conſequentia; ad probationem dico, quod fit æquiuocatio de actione: nam actio pro operatione producitur ab agente, & ita agens eſt prius, ſed actio propriè dicta, eſt, qua formaliter dicitur agens: & hæc inſurgit extrinſecus in ipſo agente, dum ſe accingit ad operandum, & ad agendum ratione potentiæ ſuæ actiuæ, quæ eſt proximum fundamẽtum illius actionis.

THEOREMA XLII.

Idem indiuiduum numero poteſt produci à diuerſis generantibus.

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

SCotus 2. Sent. d. 20. q. 2. vbi loquitur, An in ſtatu innocentiæ illi ſoli tunc fuiſſent geniti, qui nunc ſunt electi? in corpore quæſiti ſuſtinet, quòd idem indiuiduum numero potuit eſſe filius Adæ, & filius Abrahæ, & ſimiliter, quod quodlibet indiuiduum numero poteſt eſſe à diuerſis agentibus, non autem ex diuerſis materijs; quia vult, quòd ad vnitatem numeralem requiratur vnitas materiæ, non autem vnitas agentis, & producentis. Hanc ſuam ſentẽtiam probat ibi primo, quia ſit ignis A. tantæ virtutis, & quantitatis, quod poſſit ex materia G. generare ignem, etiam alius ignis B. ſimiliter tantæ virtutis, & quantitatis agat in illam materiam G. poterit generare ex illa eadem materia illum met ignem, quem generauit ignis A. in eodem inſtanti, & ita idem ignis numero produceretur, licet agentia ſint diuerſa. Suſtinet ergo Scotus, quod ad vnitatem numeralem geniti, requiratur vnitas materiæ, non autem vnitas generantis; neque temporis, ſed à diuerſis agentibus, in diuerſis temporib. poſſit idem numero indiuiduum produci ex eadem materia; ratio fundamentalis huius aſſertionis, vt dicit ibi, patet ex dictis in eo loco, & alibi eſſe hæc: quia ad vnitatem numeralem indiuidui ſufficit vnitas partium eſſentialium internarum, ſcilicet materiæ, & formæ; dummodo ergo ſit eadem materia numero, & forma numero, indiuiduum ſemper erit idem numero, licet cauſæ extrinſecæ varientur, ſcilicet agens, & finis, & alia accidentia concurrentia ad eius generationẽ, & eſſe.

Pro hac opinione multa adduci poſſunt, quæ habet ipſe in 4. Sent. diſt. 43. q. 1. vbi loquitur de poſſibilitate reſurrectionis, quorũ aliqua in ſeq. cap. tangemus. Hinc apparet Ludouicum Buccaferreũ in 1. de generatione, non rectè percepiſſe mentem Scoti; tribuit enim Scoto, quòd aſſerat idem indiuiduum numero poſſe generari à diuerſis agentibus in diuerſo tempore, & ex diuerſa materia: hoc autem vltimum eſt falſum, quia certè vult, quod idem indiuiduum numero poſſit produci à diuerſis agentibus & in diuerſo tempore, ſed non ex diuerſa materia, vt nunc dictum eſt, & in præcitato loco Scoti videre eſt. *Lud. Bucc.*

Rationes Aduerſariorum contra Scotum & eorundem poſitio, & confutatio C. II.

ADuerſus Scotum inſurgunt multi, quos refert Ludouicus Buccaferreus in primo de generatione, & Primò ſic. Eſt auctoritas Ariſt. 8. Metaph. tex. 12. vbi habet cum materia fuerit diuerſa, & agens fuerit diuerſum, quod generatur etiam erit diuerſum, ergo. Item 12. Metaphyſices tex. 11. & 12. dicit, quòd multitudo diuerſa entiũ eſt ex multitudine, & agentium, & materiæ. Ex his locis habetur, quòd agens requiritur ad vnitatẽ numeralem geniti: vbicumque ergo eſt diuerſitas agentis, eſt etiam diuerſitas numeralis geniti, & ſic idem numero nõ poteſt produci à diuerſis agentibus. Secundò arguitur ratione ſic: Omnis effectus debet proportionari cauſæ, & è contra, ergo de- *1. rõ.* *2. rõ.*

go determinati effectus debet etiam eſſe determinatum agens, & determinatũ tempus: ſed indiuiduum eſt determinatus effectus, ergo habet determinatam cauſam; ergo huius indiuidui eſt ita de-
3. rō. terminata cauſa, quòd non alia. Tertiò fortius Ariſt. 5. Phyſic. tex. 34. & 35. dicit, quòd ad vnitatem numeralē motus tria requiruntur, ſcilicet vnitas temporis, vnitas formæ, & vnitas materiæ, 8. autem Phyſic. tex. 49. addit quartum, ſcilicet vnitatem motoris, ex hoc arguunt ſic; Hæc requiruntut ad vnitatem motus, ergo hęc etiam requiruntur ad vnitatem numeralem mutationis, ſed per vnam mutationem numero, habetur vnum indiuiduũ, ergo vnum indiuiduum numero, non poteſt generari à diuerſis agentibus. Adducit Buccaferreus nonnullas alias rationes; ſed quia illæ probant, quod non poteſt idem indiuiduum produci ex materia diuerſa, illas non adduco, quia non ſunt contra nos, vt diximus. Hanc ſenten-
4. rō. tiam ſequitur Buccaferreus. Pro eadem opinione arguunt alij præter rationes ſupra allatas ſic; Effectus particularis per ſe, dependet à Cælo, quare variato Cæli aſpectu, & ſyderum, quem omni puncto temporis variari neceſſe eſt, non poteſt idem numero effectus produci.

Verùm hæc opinio facilè confutatur ex ijs quæ diximus in explicatione opinionis Scoti: nam de ratione entitatis numeralis indiuidui non eſt agens, neque tempus, quia poſita materia, & forma, & omnibus alijs circumſcriptis, ſemper idem numero indiuiduum manebit, ergo illa entitas eadem numero manere poteſt variato agente, & tempore, ergo de ratione huius entitatis numeralis nõ eſt, quòd ſit ab hoc agente, & in hoc tempore magis, quàm in alio, & alio tempore; quod confirmatur: quia pereunte illo agente, & tempore variato, manet idem numero indiuiduum, quia manet eadẽ materia, & forma, ex quibus eſt illa tertia entitas; quantum eſt ergo ex ratione entitatis indiuidui, non repugnat, quòd illud indiuiduum, quòd eſt ab vno agente, potuerit eſſe ab alio agente in alio tempore, quia propter varietatem temporis, & agentis, non variatur entitas indiuidui numeraliter: ſed ſemper eadem numero manet.

Sed forſan aliquis dicet, repugnat indiuiduo ex ratione externa, ſcilicet ex habitudine neceſſaria indiuidui ad agens determinatum, & ex ratione temporis, & actionis; vnica enim actione fit vnum indiuiduum numero tantum ab vno agente, qua actione variata, non poteſt idem numero amplius fieri, vt dicebatur in argumentis. Contra, hæc reſponſio non tollit argumentum, quia vel habitudo indiuidui ad agens, & ad tempus, eſt neceſſaria, vel accidentalis, & contingens, ſi contingens, & accidentalis, habeo intentum: ſi neceſſaria, ergo eſt inſeparabilis ab indiuiduo, & ſic indiuiduum non poterit eſſe ſine habitudine, & relatione ad hoc agens, & ad hanc actionem; ſed hoc eſt falſum, quia deſtructo agente, & tempore eo, perit illa habitudo, & tamen remanet entitas numeralis indiuidui. Reſpõdebit quis forſan, quod illa habitudo eſt in indiuiduo in fieri, non in facto eſſe; vnde poſtquam factum eſt, poteſt eſſe ſine agente, & ſine illa actione, ſed non poterit fieri ſine illo agente, & ſine illa actione. Contra, ſi indiuiduum in fieri pendet ſolùm ab hoc agente, neceſſe eſt, quod hoc eueniat, quia hoc agens ſolum habet requiſita ad producendum hoc indiuiduũ: ſed hoc tollitur, quia ponimus, quod aliud agens ſit eiuſdem ſpeciei, & virtutis, & habeat eadẽ omnia requiſita, quæ habet agens, quòd iam produxit, hæc autẽ requiſita ſunt eſſe eiuſdem ſpeciei; & habere eandem quantitatẽ, qualitatem, & virtutem; non eſt autem impoſſibile reperire diuerſa agentia habentia has eaſdẽ conditiones, vt patet de duobus ignibus, quos eſt reperirire eiuſdem ſpeciei quãtitatis, & virtutis; Actio autem eſt quid accidentale; non variatur autem eſſentiale ad variationem accidẽtalis. Præterea, idẽ numero, vbi diuerſis motib. poteſt acquiri, vt motu circulari, & motu recto, ergo & idem uumero indiuiduũ poteſt acquiri diuerſis mutationibus; Præterea, accidit huic indiuiduo, quòd producatur in hoc, vel illo tẽpore, ergo varietas temporis cũ ſit accidentalis, non poteſt variare entitatẽ numeralẽ indiuidui. Antecedens probatur: quia aliter ſequeretur, quòd Anto-

Reſp. (margin, beside "Sed forſan aliquis dicet")
Reijcitur. (margin, beside "Contra, hæc reſponſio")
Reſp. (margin, beside "Reſpõdebit quis")
Reijcitur. (margin, beside "Contra, ſi indiuiduum")
2. (margin, beside "Præterea, idẽ numero")
3. (margin, beside "Præterea, accidit")

Antonius eſſet determinatus ad oriri tali die, & Aſcanius tali; quod eſt abſurdum; tum, quia ſic tolleretur contingentia, non enim Socrates poſſet generare Aſcanium cum ſibi placeret, ſed tempore determinato; ſequeretur etiam, quod Socrates & Aſcanius in propria eſſentia includerent illud tempus determinatum, ſicut includit propriam materiam, & propriam formam, quòd eſt falſum. Præterea, ab omnibus conceditur, quod ordo indiuiduorum eſt accidentalis, accidit enim, quòd prius ſit genitus Antonius, quam Aſcanius; at ſi quodlibet genitũ neceſſariò eſt a proprio agente, hic ordo non erit accidentalis, ſed eſsẽtialis, & neceſſarius, quia dicendum erit, quod prius ſit genitus Antonius, quàm Aſcanius, quia ſuum agens non potuit producere prius Aſcanium, quam Antonium, ſi ambo ſint ab eodem agente: vel ſi ſint à diuerſis agentibus, & parẽtibus, dicemus, quòd neceſſe fuit Antonium eſſe prius genitum, quàm Aſcanium, quia ſuum agens præceſſit agens, & parentem Aſcanij; ipſe autem pater Antonij non potuit producere Aſcaniũ, ſed ſolum Antonium; hæc tamen videntur abſurda: quia omnes concedunt contingenter euenire, quòd Cæſar Imperator præceſserit Neronem, &c.

Sol. rõnũ. Ad 1. Hinc ad rationes Aduerſariorum Reſpondetur facilè, ad primam rationem, quæ inititur auctoritatibus Ariſtotelis, reſpondeo concedendo, quòd vbi eſt diuerſitas materiæ, ibi quoque eſt diuerſitas indiuiduorũ; & hoc eſt quod nos dicimus, & Ariſtotel. in prædictis locis, quòd autẽ Ariſt. ait ad diuerſitatem numeralem geniti requiri etiam agentis diuerſitatem, non eſt abſolutè verum: quia, vt experientia videmus idem agens numero, poteſt diuerſis actionibus diuerſa genita producere, vt idem pater diuerſos filios; quomodo ergo verificatur dictum Ariſt. dico, quod diuerſitas agentis, & diuerſitas materiæ proximæ, eſt cauſa adæquata diuerſitatis geniti, & effectus, ſed diuerſitas agentis tantum non ſufficit, ſed benè diuerſitas materiæ ſolum ſufficit, vnde, vt dixi, idem pater poteſt producere ex varijs ſeminibus ſuis diuerſos filios, poteſt ergo formari hæc diſtinctio: diuerſitatem agẽtis requiri ad diuerſitatem numeralem geniti, poteſt intelligi dupliciter, vel ſimpliciter, & hoc eſt falſum, vel ſecundum quid, & hoc conceditur, ſola enim diuerſitas agentis, nullã facit diuerſitatem. Ad ſecundam dico, quòd determinati effectus debet eſſe determinata, & proportionata cauſa, & agens, ſed ſufficit, quòd habeat determinatam cauſam, & proportionatã in ſpecie, nõ numero: ſimiliter de tempore debet habere determinatum tẽpus, non numero, ſed in ſpecie, debet enim ei correſpondere hora, vel dies, vel annus, in quo generatur, ſed non magis hic dies, quã ille, & ideo a varijs agẽtibus numero, & in varijs tẽporib. numero poteſt produci idẽ ignis numero. Ad tertiũ dico, quòd illa ratio cõcludit, quòd vnus motus numero, eſt vnus effectus numero, non plures: quod concedo, ſed non tamẽ propter hoc ſequitur, qđ ille effectus numero, qui modo productus eſt per talem motum, non poſſit produci ab alio agente in alio motu; Vnde ad argumentũ formaliter reſpõdendo, cõcedo illa quattuor requiri ad vnitatem numeralem motus: & cum infertur per vnam mutationem numero habetur vnum indiuiduum numero, cõcedo: ſed cũ infertur vlterius, ergo vnũ indiuiduũ numero nõ poteſt produci a diuerſis agentibus, nego hanc ſequelam: quia ratio illa concludit ſolum hoc; quod per vnam mutationem numero, habetur vnũ indiuiduum numero ſolũ, non plura, attamen, quod illud indiuiduũ numero, quod per hanc mutationem habetur, non potuerit haberi ab alio agente, in alia mutatione, hoc non habetur. Sed dices, diuerſæ mutationes numero, habẽt diuerſos terminos numero: negatur hoc de poſſibili, de facto hoc eſt verũ, & experiẽtia ꝓbam⁹, attamẽ nõ eſt impoſſibile, ꝙ idem numero, ſit ab alio agente in alia actione. Et nota, ꝙ nõ dico, qđ poſtquã habuit eſſe per hanc mutationem, poſſit iterũ habere eſſe per aliã mutationem; quia hoc eſt falsũ, bis.n. idem ꝓduceretur; Sed dico quod ſicuti habuit eſſe hac ꝓductione ab hoc agente eiuſdem ſpeciei, etiam ita potuit habere eſſe alia productione ab alio agẽte, & rõ huiꝰ dicti eſt, qa hæc mutatio, & hoc agẽs ſũt

Ad 2. Ad 3. Reſp. tacita ſoluitur

quid

quid extrinſecum ad genitum, ideo licet illa varientur, nõ tamen neceſſe eſt quod varietur entitas numeralis geniti: vnde etiam idem numero vbi, diuerſis mutationibus localibus numero, & etiam ſpecie poteſt acquiri, vt diximus ſupra, vt A. pũctus poteſt acquiri via recta, & circulari.

Ad 4. Ad quartum dico, quod varij aſpectus Cæli producunt varios effectus, quia illi aſpectus nedum differunt numero, ſed ſpecie, & ideo eorum diuerſitas eſt cauſa diuerſitatis ſpecificæ, vel potius diuerſitatis mutationum, & alterationum in ſpecie, & hoc concludit argumentum, non tamen propter hoc ſequitur, quod ſi ſit agens eiuſdem ſpeciei, & virtutis & qualitatis cum alio agente, & agat in eandem materiam, non poſſit eundem illum effectum numero producere, quomodo produxit illud agens.

THEOREMA XLIII.

Datur reactio.

Poſitio Scoti. *Cap. I.*

HAec quæſtio eſt ſatis difficilis; neque Scotus de ea multum differit, forſan, quia ſuis temporibus non erat in controuerſia; ideò loquitur de reactione, ac eam admittit, veluti ſi de ea nullum eſſet dubium. Suppono autem, quod reactio ſit retributa actio, hoc eſt, quod cum agens agit in paſsum, etiam paſſum reagit in agens, & ſic reactio eſt paſſio reciprocata: dum enim aqua patitur ab igne, etiam ignis patitur ab aqua; ſuſtinet ergo Scotus, quod detur reactio, vt patet ex 2. Sent. diſt. 19. quæſtione vnica, vbi loquens de ſtatu Adæ in paradiſo terreſtri, ſtante ſtatu innocentiæ, aſſerit, quòd Adam etiam ſtante illo ſtatu, niſi præuentus fuiſſet à Diuina virtute, mortuus fuiſſet; reddit rationem: quia per continuam nutritionem eius calor naturalis ita debilitatus fuiſſet, quod non amplius potuiſſet conuertere nutrimentum in rem nutritam; & huius rationem dixit eſſe: quia omne agens Phyſicum agendo patitur, & repatiendo debilitatur, & citat Ariſtotelem in 2. de generatione eandem ſententiam expreſsè habet 4. Sent. diſt. 44. q. 1. art. 1. in declaratione ſuæ opinionis de augmentatione, concluſione 3. Item tertio Sent. diſt. 16. quæſt. 1. reſpondendo ad quęſt. & etiam primo d. 17. q. 4. tertia via, & 2. diſt. 15. & alibi, adeò, quod certiſſimum eſt, ipſum admittere reactionem, & repaſſionem, ſed pro hoc nullam adducit rationem, ſolùm auctoritatem Philoſophorum.

Rationes eorum qui negant reactionem. *Cap. II.*

DE hac re non erat mihi agendum, quoniam de ea non eſt difficultas particularis contra Scotum, ſed inter alios de hac re ſatis abundè locuti ſunt Excellentiſſimi Philoſophi, vt eſt Pomponatius, Franciſcus Piccolomineus, Iacobus Zabarella, Ludouicus Buccaferreus, & alij optimi Philoſophi: attamen cum variæ exiſtant opiniones eorum qui ſuſtinent dari reactionem, opportunum duxi etiam mentem Scoti aperire in hac re. Statuamus ergo prius dari reactionem, & poſtea modum afferemus. Burlæus itaque, Gregorius, Ocham, Sueſſanus, & multi, ſuſtinentes non dari reactionem, his argumentis ſuum intentum probant. Primò eſt ſupponendum, quod actio, vt ait Ariſtot. in lib. de motu animalium non prouenit niſi à victoria, & exceſſu agentis reſpectu paſſi; facto hoc fundamento, ita argumentantur. Sumantur duæ res, in quibus actio, & paſſio eſſe debeat; hæ vel æquales habent vires, vel non, ſi æquales, ergo neutra agit in aliam, quia dictum eſt, quod actio prouenit ex victoria, & exceſſu agentis, at in his neutra vincit alteram: ſi verò ſunt inæquales, illa, quæ validior eſt, aget in reliquam, ſed hæc altera in illam non aget viciſſim, quoniam debilius non agit in validius, ergo non datur reactio. Secundò ſi daretur reactio, ſequeretur idem moueri motibus contrarijs: hoc eſt falſum, ergo non datur reactio. Falſitas conſequentis patet; conſequentia probatur, quia ſi ignis calefaciat aquam mediante aere, & ignis frigefiat etiam ab aqua mediante aere, ſequitur, quod idem aer calefiet, & frigefiet. 1. 5. 2.

Secundo

Secundo probatur eadem conſequentia: quia ignis, dato, quod calefaciat aquam ſine vllo medio, ſi refrigeretur ab aqua, neceſſe eſt quòd illa pars, quæ eſt propinquior aquæ; prius frigefiat quàm remotior illa, ergo pars ignis propinquior aquæ frigefiet ab aqua, & calefiet ab alia parte ignis, & ſic mouebitur motibus con
3. trarijs. Tertiò, Si daretur reactio, ſequeretur, quod agens non poſſet ſibi reddere ſimile patiens, cõſequens eſt falſum, quia hic eſt ſcopus agentis, vt reddat ſibi ſimile patiens; conſequentia probatur: quia ſtatuatur agens calidum, vt quattuor, quòd agat in frigidum, vt duo, ſcopus illius agentis eſt reddere illud frigidum calidum, vt quattuor, vt ſit ſibi ſimile, at, ſi ſtatuatur calidum in hac actione pati, refrigerabitur, & ſic non amplius erit calidum, vt quattuor, ſed vt tria, deinde, vt duo, & deinde in fine illius pugnæ non erit amplius calidum, vt quattuor, & ita cum nihil agat ſupra vires ſuas, non poterit agens illud calidum, reddere ſibi ſimile illud patiens. Quarta nititur exemplo;
4. Statuantur duo contraria agẽtia, vt ignis, & nix; & ignis ſtatuatur poſſe calefacere per diſtantiam decem pedum ad ſummum, nix verò agat ad diſtantiam ſolum duorum pedum, ergò ſi ſtatuantur diſtare ſolum quattuor pedibus; ignis aget in niuem, non autem nix in ignem, ergo nõ omne agens Phyſicum agendo patitur.
5. Quinta ratio; Si talis reactio daretur, ſequeretur, quod idem ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem eſset actu, & poteſtate, quod implicat contradictionem; conſequentia probatur: quia ſi ignis agat in aquam, & ipſam calefaciat, & calefaciendo eam, ignis frigefiat, ignis aget quatenus calidus, & patietur etiam quatenus calidus, & ita eadem ratione, qua eſt calidus, erit actu, & poteſtate. Hæc argumenta contra reactionem adducuntur à Lu-
6. douico Buccaferreo, 2. de generatione, tex. 48. & à Zabarella, libro proprio de reactione. Buccaferreus præter has rationes adducit experientiam, quia videmus, quod ſi gutta aquæ ſuperinfundatur maximo igni, aqua patitur, quia ignis conuertit ipſam aquam in ſuam propriam naturam ignis: aqua tamen non reagit in ignem: neque enim hoc apparet, ergo aliquod agens agit, & non repatitur. Idem apparet de magnete, magnes enim trahit ad ſeipſum ferrum, & tamen magnes nõ mouetur a ferro, ergo non omne agẽs a- 7.
gendo repatitur. Septimò, Si datur reactio, ſequitur, quod duo contraria ineſſe poſſunt eidem ſubiecto: ſed hoc eſt falſum, quia contraria mutuo ſe expellunt, nedum ab eodem ſubiecto, ſed à diuerſis ſubiectis, & hoc eſt expreſsè conceſſũ. Conſequentia probatur: quia ſi ignis calefaciendo aquam frigeſcit, in igne erit caliditas, & frigiditas, quæ ſunt contraria tã in gradu intenſo, quàm in gradu remiſ- 8.
ſo. Octauo, duo contradictoria verificarentur de eodem, quod eſt impoſſibile. Conſequentia probatur, quia vnum contrarium eſt ſemper priuatio alterius contrarij, ex 10. Metaph. tex. 9. Si ergo in aliquo ſubiecto eſt calor, in eo eſt priuatio frigoris: at ſi illud ſubiectum ſi calidum, & frigidum, vti contingit per reactionẽ, ergo ſimul in eodem ſubiecto erit habitus frigoris, & priuatio frigoris, & ita de eodem ſubiecto duo prædicata contradictoria verificarentur, eſſe frigidum, & nõ frigidum, quod eſt impoſſibile. Multæ aliæ rationes afferuntur contra reactionẽ: ſed quia ferè coincidunt cum his, & ex ſolutione iſtarum illæ quoque facile ſoluũtur, breuitatis cauſa illas omitto; Propter has rationes Auctores prædicti, & multi alij, receſſerunt ab Ariſt. & reactionem veram negauerunt.

Probatur dari reactionem. Cap. III.

Verum ex altera parte ſunt auctoritates expreſsæ Ariſt. qui admittit reactionem; Adſunt etiam rationes efficaciſſimæ; quia, vt inquit Buccaferreus, ſi tollatur reactio, tota Philoſophia rueret. Prima auctoritas Ariſt. eſt ex 3. Phyſ. textu 8. vbi apertè ait, quod omne agens Phyſicum agendo patitur, & mouendo mouetur; & rationem adducit ibi: quia agẽs Phyſic. eſt partim actu, & partim potentia, vndè ex ea parte qua eſt actu, agit, ex ea parte qua eſt potentia, patitur. Item habetur auctoritas Ariſt. expreſſa 1. de generatione tex. 53. & 55. in quibus locis apertè Ariſt. *Prima auct.*

tè Ariſt. ait, quod omne agens Phyſicum communicans in materia cum paſſo, agẽdo repatitur, qui eſt locus citatus à Scoto, & etiam eodem 1. de generatione, textu 41. & 42. reddens rationem Ariſtot. augmentationis, & diminutionis, dicebat, quòd calor naturalis ſicut agit in nutrimentum, & illud conuertit in naturam aliti, ita etiam, patitur à nutrimento, in tantum, quod aliquando debilitatur adeò, vt non poſſit amplius agere, & tunc moritur homo; & dat exemplum de aqua infuſa vino, quæ licet patiatur à calore vini, tamen vinum etiam patitur ab ipſa aqua, & in tantum patitur, quòd vinum fit aqueum.

Reſp. ad has auctoritates. Ad has auctoritates, qui negant reactionem reſpondere nituntur; & primo dicunt aliqui, quod datur reactio, ſed non ſecundum eandem contrarietatem qualitatum, vt putà ſi ignis agit in aquam per caliditatem non repatitur per qualitatem contrariam, ſcilicet per frigiditatem, ſed repatitur in alia contrarietate, ſcilicet in ſiccitate, vt puta ignis, vt ſiccus, patitur ab humiditate aquæ, & ita datur reactio, ſed non ſecundum eandem contrarietatem qualitatum, ſed ſecundũ diuerſas. Reijcitur. Sed hæc reſponſio nulla eſt, & impugnatur optimè à Buccaferreo, & Zabarella, quoniam apparet, quod Ariſtot. in citatis locis, ſi rectè intelligatur, loquitur de reactione in eadem contrarietate, & maximè ex tex. 42. vbi reddens rationem diminutionis, ait, quòd calor naturalis agendo in nutrimentum, ille calor remittitur in tantum vt aliquando non poſſit amplius agere; calor ergo agit, & idem patitur, ſiquidem debilitatur. Inſuper Ariſt. ſe declarat in 4. de generatione animalium, cap. 3. quæ auctoritas non fuit conſiderata ab aduerſarijs, eo enim in loco Ariſt. citat eum locum ex primo de generatione, & habet hæc verba: (Cauſa autem quòd motus ſoluatur, eſt, quod omne agens etiam patitur à patiente, vt quod ſecat hebetatur ab eo, qđ ſecatur, quod frigefacit, refrigeratur à calefaciente; denique, quæcumque mouent, excepto primo motore, mouentur aliquo motu; verbi gratia, quod pellit pellitur quodammodo; quod premit, reprimitur: interdum etiam fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, & caleſcat, quod frigefacit,) Ex hac auctoritate apertè patet, quod Ariſt. intelligit reactionem in eadem contrarietate.

Alia reſp. Videntes alij, quòd hæc expoſitio non eſt bona; adducunt aliam expoſitionem ad verba Ariſt. & eſt: quod reactio quidem eſt primò, & per ſe ſecundum diuerſas contrarietates, ſecundariò tamen, & per accidens, eſt in eadem contrarietate: nam dicunt, quod dum ignis vt calidus agit in aquam, vt frigidam: ignis vt ſiccus repatitur ab humiditate aquæ, & ſic ſiccitas ignis remittitur ab aqua, ſequitur etiã poſtea remiſſio in calore ignis, & ſic per accidens, & ſecundariò ſequitur reactio in eadem contrarietate. Reijcitur. Sed hæc expoſitio optimè reijcitur à Zabarella, tũ, quia hoc dictum eſt voluntarium, ſine vlla ratione; tum, quia ex verbis Ariſt. apparet, quod loquitur de reactione per ſe, cũ inquit: quod calefacit refrigeratur, quia quæ ſunt per accidens, non pertinent ad ſcientiam. Alia reſp. Alij alio modo reſponderunt, quod datur reactio priuatiua in eadem contrarietate, non poſitiua. Poſitiua autem reactio in eadem contrarietate ſecundum eos eſt, quando calidum agit in frigidum, imprimẽdo in eo aliquid caloris, & frigidum imprimit aliquid frigoris in calidum. Reactio verò priuatiua eſt, quãdo calidum agendo in frigidum, non patitur aliquid à frigido, ſed frigidum reſiſtit calido quantum poteſt, hæc enim reſiſtentia frigidi, eſt reactio quædam, ſed priuatiua.

Sed neque hæc expoſitio aliquid veritatis habet, & egregiè impugnatur à Ludouico Buccaferreo, & à Zabarella: nam Ariſtoteles non dicit tantum patiens reſiſtere agenti, ſed dicit, calefaciens refrigerari, quæ abſque dubio eſt reactio poſitiua. Præterea, vt inquiunt ambo, omne patiens reſiſtit agenti, etiam non phyſico; Cælum enim reſiſtit quoque intelligentiæ, ergo ſi reactio eſt ſolum reſiſtentia, poſſumus dicere, quod reactio nedum eſt in agentibus communicantibus in materia, ſed etiam in agentibus non communicantibus in materia, quod tamen eſt contra eos,

tra eos,& Ariſt. qui ait, quòd agens communicans in materia cum paſſo, in agendo repatitur, & hoc negat de agente ſeparato à materia. Si plura contra hanc ſententiam cupis, lege prædictos auctores locis citatis. Probatur quod detur reactio etiam rationibus. Prima eſt hæc, & ſumitur ab experientia: videmus quod ſi quis manu calida rem aliquam frigidã apprehendat, vt glaciem manu calida, illam glatiem calefacit, & ſimul manus refrigeratur à glatie, & hæc experientia eſt ita nota, quòd nullus de hac re minimã dubitationem habere deberet. Secunda ratio eſt efficaciſſima. Si tollatur reactio, tollitur etiam mixtio, ſed conſequens eſt falſum, etiam ſecundum aduerſarios. Conſequentia probatur: quia in mixtione, miſcibilia debent alterari, ſi enim permaneant in ſua ſummitate, vt caliditas ignis non remittatur à frigore, & ſiccitas ab humiditate, ergo ignis non poterit miſceri, quia non alteraretur, neque reduceretur ad temperamentum. Idem dicendum de alijs, & opus eſt quòd fiat alteratio ſecundum omnem partem: quia quælibet pars mixti eſt mixta: at ſi non detur reactio mutua, excellentiæ elementorum non corrumperentur, & ſic fieri non poſſet mixtio; Hęc ratio eſt efficaciſſima contra Aduerſarios.

1. rõ. Pro reactione. *2. rõ.*

Solutio rationum contra reactionem. Cap. IV.

Ad 1. AD primam rationem dico, quod actio eſt duplex; perfecta, & imperfecta; Actio perfecta eſt, quæ eſt cum victoria, & exceſſu agentis aduerſus patiens; actio vero imperfecta eſt, quæ imprimit aliquam contrariam qualitatem paſſo, ſed tamen non obtinet victoriam. Ad propoſitum quando Ariſtoteles ait, quòd actio eſt cum victoria, & exceſſu agẽtis ad paſſum, loquitur de actione perfecta, non tamen propter hoc ſequitur, quod contrarium non poſſit agere in ſuũ contrarium actione imperfecta, licet ſit minus validum ſuo contrario, & ſic patet ad primum.

Ad 2. Ad ſecundum Reſpondetur, quod nõ eſt inconueniens, quod idem ſecundum diuerſa diuerſis motibus moueatur; nam ignis calefacit ratione ſuæ formæ, & quatenus eſt actu, patitur vero & refrigeratur quatenus eſt in potentia ad formam aquę; cum infertur, quòd tunc duo cõtraria inerunt eidem ſubiecto, quia idẽ aer calefiet, & frigefiet; & eadem pars ignis calefiet, & frigefiet. Reſpondent aliqui, vt Buccaferreus, & Zabarella, quòd duo contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto in eſſe ſummo: quia ſummus calor, & ſummum frigus non ſe compatiuntur in eodem ſubiecto, ſed in eſſe remiſſo ſe compatiuntur; vt contingit in aqua; ſi enim pars aquæ ſit frigidiſſima, & ſuper infundatur alia pars aquæ calidiſſima, tunc aqua illa fit tepida; & ſic ſunt ſimul in aqua caliditas, & frigiditas, nõ in ſummo, ſed in eſſe remiſſo, & refracto; ita ergo non eſt inconueniens, quod ignis agendo in frigidum, remittatur, & ſic in eius ſubiecto maneat caliditas, & frigiditas; & hæc reſponſio certè eſt bona: & videtur eam quoque concedere Scotus in 1. d. 17. q. 4. & altera ſequenti ei addita arguẽdo contra Gotfredum, dicit enim, quod calidum antequam corrumpat frigidũ, illud remittit, & concedit ibidem quod calidum, & frigidum in ſummo, non manent ſimul; & ita videtur admittere contraria in eſſe imperfecto, & remiſſo, poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Hoc idẽ dicit in 2. Sent. d. 2. q. 9. O. Tamen poſſemus nos dicere, & facilius, quod illa propoſitio, contraria non poſsunt eſse ſimul in eodem ſubiecto, eſt vera in eſse quieto, non in pugna, ſcilicet contraria non poſsũt quieſcere ſimul, & manere ſine pugna in eodem ſubiecto, quia vnum expellit aliud, attamen in pugna hoc nõ eſt inconueniẽs: immò neceſſariò ſi inter ipſa debet eſse pugna, opus eſt quòd ipſa ſint in eodem ſubiecto; ſi enim calidũ ſit in vno ſubiecto, & frigidũ in alio, non pugnabunt inter ſe propter inſtantiã: ſed quando ſunt in eodẽ ſubiecto, tũc pugnãt, donec vnũ expellat ſuũ contrariũ, vel ambo vertantur in tertiũ, & ita fit in alteratione, & in reactione, dum ignis agit in frigidum, frigidum agit in calidum, id eſt, dũ calor expellere vult frigidũ ab aliquo ſubiecto, frigidum quoque vult expellere calidum

Scot. *Limitatio propoſitionis.*

calidum ab eodem ſubiecto,& ita exiſtentia in eodem ſubiecto pugnet donec validius vincat, vel reſoluatur in temperamentum, & in mediam quandam qualitatem ſi ſint æqualia;& ſic non eſt inconueniens,quod in reactione,& alteratione contraria ſimul ſint in eodem ſubiecto, immò eſt neceſſarium. Aliam reſponſionem habes infra ad octauum.

Ad 3. Ad tertium Reſpondetur, quòd dato, quòd ſcopus agentis ſit reddere patiens ſibi ſimile, agens non fruſtratur hoc ſuo fine, quia reddit patiens ſibi ſimile quo ad poteſt, ideo ſi per pugnam ſit debilitatum,aſſimilat ſibi patiens imperfectè, ſi vero excedat aſſimilat ſibi paſſum perfectè, vel forſan dicendum eſt, vt inquit Zabarella; quod ſcopus naturæ vniuerſalis eſt, quod hæc agentia ſe inuicem retardent, & alterent propter generationem, quæ principaliter intenditur a natura,neque ſine hac retractione fieri poſſet.

Ad 4. Ad quartum Reſpondetur,quod concedimus nullam eſſe reactionem, vbi nimia diſtantia intercedit, quæ prohibet reactionem fieri.

Ad 5. Ad quintum negatur conſequentia,ad probationem dicitur, vt ſupra ad ſecundum,non enim ignis agit,& patitur ſecũdum idem,ſed ſecundum diuerſa,quia agit vt calidus, & per formam, patitur vero,vt poteſtate frigidus, & per materiã, ſic enim omnia mouentia Phyſica, quæ mouent,& mouentur ſe habent,vt dixit Ariſt.3.Phyſic.textu 8.

Ad 6. Ad ſextum, quod inititur experientiæ dico, quod reactio requirit proportionẽ aliquam in paſſo,modo ſi accipiatur gutta aquæ, & immittatur in fornacem, eſt adeò paruæ virtutis,quod nõ eſt mirum, ſi non potens eſt agere in ignem fornacis; vel poteſt dici etiam,quod reagit illa gutta:ſed quia vis ignis eſt maxima, & vis aquæ parua, ideo illa reactio non conſpicitur propter ſuam paruitatem. Ad aliã experientiam dicit Buccaferreus, quod illa non eſt ad propoſitum:quia illa actio non eſt per alterationem, & ſic non eſt mirum, ſi non adeſt reactio, eſt enim actio magnetis in ferrum ſubita, quia non habet contrarium: admittimus autem nos reactionem in actione inter qualitates; vel dicamus cũ Piccolomineo, quod magnes agit per propriam formam, & etiam repatitur. *Piccolom.*

Ad 7. Ad ſeptimum reſponſum eſt ſuprà ad ſecundum, vbi declarauimus quomodo in reactione duo contraria maneant in eodem ſubiecto.

Ad 8. Ad octauum dico, quòd non verificantur contradictoria, quia non ſunt in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem, quia ignis non agit, & patitur ſecundum idem, ſed agit vt eſt actu, & patitur vt eſt potentia.

Vel ad hæc duo argumenta vltima dicere poſſumus,quod nunquam duo contraria ſunt in eodem ſubiecto, neque etiam in pugna, ſed quando ignis per reactionem frigidi patitur, non recipitur in ipſo frigiditas diſtincta à caliditate, ita quod in eadem materia ignis ſit caliditas & frigiditas diſtinctè; ſed ſolum caliditas ignis remittitur per actionem frigiditatis, ita quod frigiditas non remanet in igne actu, ſed ſolum effectus eius, qui eſt remiſſio caliditatis ignis:licet enim extinguatur frigiditas, tamen remanet effectus eius: & ſic ſemper caliditas ignis remanet in materia ignis donec tota corrupta ſit: ſed remanet alterata, & remiſſa,& ſic conſequenter,neque duo contradictoria verificari poſſunt de eodem ſubiecto:quia nunquam in ſubiecto ignis eſt priuatio ignis,& forma ignis,& forma frigoris,& habitus frigoris: quia nunquam ambo contraria inſunt eidem ſubiecto, ſed vnum poſt corruptionem totalem alterius ſuccedit, ſicut dictum eſt; & licet fiat pugna,& alteratio, & reactio in illis, nunquàm tamen alterum eſt in eodem ſubiecto cum altero,licet illud remittat, & contundat;& hæc reſponſio multa dubia vitat.

Quid ſit reſiſtentia, & an in motu locali ſit reactio. Cap. V.

AD perfectam cognitionem reactionis requiritur cognitio reſiſtentiæ, vndè ferè omnes agentes de reactione, agunt quoque de reſiſtentia; quoniam autem de hac re habentur multa apud Põponatium,

ponatium, & Zabarellam in materia de reactione; ideò breuiter mentem Scoti aperiam. Scotus itaque in 2. Sent. diſt. 2. q. 9. reſpondendo ad quartum, vbi declarat cauſam propter quam fiat ſucceſſio in motu, ait, quòd eſt reſiſtentia mobilis ad mouens; & declarans, vnde proueniat hæc reſiſtentia; inquit, quòd prouenit ex defectu virtutis mouentis: ex eo enim quod mouens non eſt perfectæ virtutis, hinc fit, quod non poteſt ſtatim inducere terminum intentum, & ſic illi media reſiſtunt; ſed ſi eſſet agens infinitæ virtutis, ſtatim induceret formam intentam, neque media illa reſiſtere poſſent; Contra hoc arguit Piccolomineus libro de Elementis, cap. 25. quia implicat contradictionem, quòd idem corpus in inſtanti ſit in termino ad quem: quod autem implicat contradictionem, non ſubeſt virtuti finitæ, neque infinitæ. Reſpondeo, quòd non implicat contradictionem; quia quod mobile tranſeundo à termino à quo, ad quem, tranſeat per media, eſt lex conſtituta à Deo agentibus naturalibus, at Deus, & agens infinitum, illi legi non ſubeſt, ideò poteſt in inſtanti inducere mobile ad terminum ad quem. Inquit ergo Scotus redeũdo ad propoſitum, quod reſiſtentia prouenit ex defectu virtutis agentis: vnde hinc prouenit ſucceſſio in motu, quia agens cum ſit virtutis debilis, non poteſt ſtatim inducere terminum intentum, quia media exiſtentia inter ipſum mouens, & mobile, non poteſt motor ſtatim vincere, & ſuperare; & propter hoc addit Scotus, quod ſucceſſio in motu prouenit nedum ex defectu virtutis agentis, ſed etiam ex medijs, quæ reſiſtunt; ex quo loco mihi videtur fuiſſe intentionem Scoti, quod reſiſtentia ſecundum ſe, & formaliter, nil aliud ſit, quàm priuatio paſſionis: nam reſiſtere eſt non pati; adeò quod reſiſtentia formaliter eſt non paſſio ab agente, & ſecundum ſe, eſt quid priuatiuum, quia autem priuatio reducitur ad poſitiuum, cauſa huius priuationis eſt duplex ſecundum Scotũ, ſcilicet defectus virtutis agentis: nam ideo paſſum quandoque non patitur ab agente, quia agens non habet tantam virtutem, vt poſſit mouere paſſum. Alia cauſa eſt forma paſſi; quæcumque enim forma deſiderat ſui eſſe, & conſeruationem; ideo dat eſſe quo ad pellitur, vel corrumpitur; & ſic non dat locum aduerſario quo ad non cogitur; & ita ex his duabus cauſis oritur reſiſtẽtia. Hinc oritur, quod quandoque patiens perfectè reſiſtit agenti, quia ſcilicet agens eſt valde debile in agendo, & paſſum habet formam valde radicatam: quandoque reſiſtit aliquo pacto, vt puta, quia agens habet multas vires: ſed tamen non habet tantam virtutem, quod poſſit ſtatim corrumpere paſſum, & inducere terminum, & formam intentam; & ideò paulatim agit. Ex hoc elicio, quod Zabarella iure opiniones omnes, & alias reſiſtẽtias confutauit, quæ diſſentiunt ab hac, quas ego non recenſeo breuitatis cauſa, cum apud ipſum legi poſſint; Similiterq. eius opinio eſt comprobanda, ſed deficit aliquo modo: dicit enim, quòd reſiſtentia eſt quid priuatiuũ, & hoc eſt verum; dicit etiam, quod cauſatur à forma paſſi (certũ eſt enim, quod non poteſt cauſari à materia, cum materiæ proprium ſit pati) & in hoc quoque verum aſſerit: ſed hoc non ſufficit, quia ſi agens ſit maximæ virtutis, ſtatim mouet paſſum, neque paſſum licet habeat formam cupidam conſeruandi ſuum eſſe, reſiſtere poterit; non ergo totalis cauſa reſiſtentiæ eſt forma paſſi: ſed requiritur etiam defectus virtutis agentis, qui defectus poſitiuè eſt limitatio virtutis agentis, vnde quodlibet agens habet determinatam virtutem; & hinc eſt, quòd non quodlibet poteſt agere in quodlibet.

Opin. Scoti. *Arguit cõtra Piccolom.* *Solu.* *Zab. eſt cũ Scoto* *Defectus opin. Zab.*

Hinc apparet ſolutio alterius dubij an ſcilicet in motu locali fiat reactio. Buccaferreus, & Zabarella citatis locis tenent, in motu locali dari reactionem, ſed ſolum in his, quę communicant in materia proxima, & corporea, veluti hæc inferiora, quòd probatur. Primo anctoritate Ariſt. 3. Phyſ. tex. 8. & 16. qui vniuersè loquens de mouentibus Phyſicis, inquit, quod omne mouens Phyſicè in mouendo mouetur. Secundò experientia: nam ſi trabs erecta ſtet, ita vt leui facto ictu cadere poſſit, ſi tunc ſaxo, vel pila lignea percutiatur, trabs cadit, & pila, vel ſaxum repercutitur, adeo quod pila pellens trabem repelli-

An in motu locali ſit reactio. *Opin. Buc. & Zabar.*

repellitur à trabe, ergo in motu locali datur reactio. Item duo gladij mutuo ſe percutientes, ſe mutuo ſecant, & obtundunt. Item ſera ſecans lignum, hebetatur à ligno, & ita aliquid repatitur à ligno. Sed ego nunquam hanc ſententiam probare potui: quia vbi non eſt actio, ibi non poteſt eſſe reactio: at actio propriè loquendo, quæ conſtituit alterationem, eſt ſolum in qualitatibus, quia illæ propriè ſunt actiuæ; & conſequenter actio eſt ſolum in Prædicamento Qualitatis; Vbi autem cum ſit Prædicamentum diuerſum, in eo non eſt actio; ſicut neque in Quantitate; an autem actio ſit in Subſtantia, iam dictum eſt in proprio loco; ſed extendendo hoc nomen actionis ad quęcumque motum materiatum, & quamcumque operationem, motus localis poteſt dici actio, ſicut & intelligere dicitur actio, ſed in talibus non fit reactio, niſi per accidens.

Reijcitur.

Ad t. rōnē in oppoſitum.

Ideo ad rationes in contrarium; ad auctoritatem Ariſt. dico, quod illa propoſitio: Omne mouens mouetur ab alio, habet hunc ſenſum, quod omne mouens Phyſicum cum mouet aliquid, mouetur ab aliquo, ſed non ab ipſo moto, vt ſi manus mouet baculum, non vult dicere Ariſt. quod manus iterum moueatur a baculo, ſed vult dicere, quod manus dum mouet baculum mouetur ab alio, ſcilicet ab anima. Sed contra hoc, quia Ariſt. 4. lib. de ortu animalium, cap. 3. inquit: pellens pellitur quodammodo, & quod premit premitur, vbi videtur velle ſignificare, quod mouens mouetur à moto. Sed reſpondendum eſt, quod propoſitio Ariſt. eſt vniuerſaliter vera eo modo quo expoſuimus, ſcilicet, quod mouens Phyſicum mouetur ab alio, dum mouet, non à moto, ſi quando autem mouetur à moto, hoc eſt per accidens, ſcilicet ratione quarundam qualitatum inexiſtentium tàm agenti, quàm patienti, vt verbi gratia, quia pellens eſt durum, ſed non ita durũ vti eſt res quę pellitur, vt cum manus mouet lapidem; hinc fit quod pellens quodã modo pellitur; ſed hoc non eſt verum ratione motus localis, re vera enim manus mouet lapidem, quia mouet eum de loco ad locum, ſed lapis non mouet localiter manum, ſed ſolum; quia lapis eſt durus, & caro manus eſt mollis, ideò caro manus cedit lapidi, & hæc reuera poteſt dici actio, quia eſt inter qualitates, durũ enim agit in molle; Similiter cum duo gladij ſe percutientes obtunduntur, & ſerra cum ſecat lignum; concedo quidẽ, ſed hæc non ſic repatiuntur ad inuicem, vt mouentur motu locali, ſed vt prædita sũt qualitatibus oppoſitis, inter quas certum eſt, quòd eſt actio, durum enim agit in molle: vnde cum gladius agit in gladium, ſi vnus eſt durior alio, illum obtundit, & quoniam in illo altero eſt etiam durities, ſed ſimul eſt aliqua mollities, repatitur, & obtunditur ab alio gladio. Ad illud exemplum de trabe, & de ludo pilarum in tabula dico, quod pila percutiẽs trabem pellatur à trabe non ei competit ratione motus localis, quia non eſt de eſſentia motus localis, quod moueatur à moto, vt dictum eſt: ſed competit eis per accidens, ſcilicet, quia mouens intendit inducere pilam in locum intentũ: & quia reperit impedimentum, ſcilicet corpus durum in medio, neque illud pertrãſire poteſt, fit ictus, & colliſio, & quia ambo dura ſunt, vel franguntur, vel retrocedunt; ita ergo retroceſſio competit illis ratione duriciei, quæ inexiſtit vtrique, & quod eſt magis durum, magis agit in alterum, & ſi ambo ſint æqualiter dura, æqualis ſit retroceſſio. Fit ergo in motu locali repaſſio, ſed non ratione Vbi, & motus localis, ſed ratione qualitatum exiſtentium in mobilibus, & ſic in Vbi, non datur actio, neque reactio, accipiendo propriè reactionem: ſed extendendo actionem ad quemcumque motum materiatum, & paſſionem motus localis, poteſt dici actio: ſed in tali actione, & motu, non eſt reactio, niſi per accidens, ſcilicet ratione qualitatum exiſtentium in mobilibus, quæ ſe pellunt, vt dictum eſt.

Inſtãtia.

Reſp.

THEO-

THEOREMA XLIV.

Raritas fit per acquiſitionem nouę quantitatis,& condẽſatio per deperditionẽ.

Adducuntur variæ aliorum ſententiæ de rarefactione,& condenſatione, & reijciuntur. Cap. I.

DIfficilis eſt admodum hæc materia de rarefactione, neque ſatis apertè patet, quam partem ſuſtineat Scotus; Vt autem materia hæc dilucida fiat, notandum eſt, quod rarefactio,& condenſatio dupliciter capiuntur; Vno modo pro maioratione alicuius corporis in quantitate ſua per extrinſecum corpus adueniens, vt per intromiſſionem extrinſeci,& condenſatio pro minoratione alicuius corporis quantitate ſua per aliquod recedens; exemplum de vtroque poteſt eſſe in ſpõgia, cuius conſtringuntur pori manibus, illa conſtrictio appellatur condenſatio, & cum dimittitur ſpongia in natura ſua, & pori implentur aere, dicitur rarefieri. Sed hæc rarefactio, & condenſatio impropriè dicitur. Alio pacto accipitur rarefactio pro maioratione alicuius quanti, ſine aliquo extrinſecus adueniente, & ſic condenſatio erit minoratio alicuius quãti ſine alicuius alterius expulſione,& hæc eſt rarefactio propriè dicta, & de hac loquimur in propoſito.

Notandum.

Tres opin. Circa hoc, tres ſunt opiniones celebriores. Quidam exiſtimant in rarefactione totam priorem quantitatem corrumpi, & aliam de nouo generari: ſcilicet, corrũpi minorem, & produci de nouo maiorẽ, & hæc tribuitur a Marginiſtis Scoti 4. Sententiarum diſt. 12.q.4. Gofredo, & Burlęo, ſed re vera Burlæus in 4. Phyſicorum, hanc ſententia non habet; Alij dicunt, quod rarum fit, nulla quantitate extrinſecus accedente, ſed ſola noua extenſione prioris quantitatis accedente; & hanc opinionẽ ſequitur Ludouicus Buccaferreus in 1. de generatione, tex. 42. in examine, quam deſumpſit ex Auerroe 4. Phyſicorum, tex. 84. & in eo loco 2. de generatione, & ex Ioanne Grammatico ibi; Hanc eandem ſententiam apertè tenet Burlæus in 4. Phyſicorum, textu 84. Thomiſtæ quid ſentiant in hac re, non eſt multum clarum, tamen vt patet ex ijs, quæ habet Iauellus in 4. Phyſicorum, q. 19. & Paulus Soncinas, 8. Metaphyſices, parum diſtant ab hac opinione, ſuſtinere enim videntur, quod non acquiritur noua quantitas in rarefactione, ſed ſolum noua extenſio quantitatis eiuſdem dantis eſſe eidem materiæ magis extenſum, quàm prius daret,& condenſatio non eſt deperditio quantitatis prioris, ſed eſt eadem quantitas alio modo dans eſſe quantum eidem materiæ, ſcilicet minus extenſum. Tertia opinio eſt communis, quæ dicit, quod raritas fit per acquiſitionem quantitatis nouæ, non quo ad totum, ſed ſolum quo ad partem,& condenſatio eſt deperditio partis prioris quantitatis.

Opin. Thomiſt.

3. opi.

1. opi. probatur. 1. rõ. Nunc iſtæ opiniones ſunt examinãdæ. Pro prima opinione ſunt variæ rationes præſertim iſtæ, quas adducit Scotus 4. Sentent. diſtinct. 12.q.4. Primò, termini motus ſunt incõpoſſibiles, te x. 5. Phyſicorum textu 26. Sed rarefactio eſt motus à quantitate ad quãtitatem, ergo nihil prioris quantitatis, à qua incipit motus rarefactionis, manet cum poſteriori quantitate, quæ de nouo per motum acquiritur.

Quòd ſi quis dicat, quantitatem manere eandem in hoc motu, ſed ſolum mutari terminos quantitatis, modo enim quantitas terminatur ad maiorem, modo ad minorem. Contra, quia termini motus,& ſubiectum motus, realiter differre debent, ſed ſubiectum motus rarefactionis,& eius termini realiter non differunt, quia quantitas, & termini eius, ſcilicet maius,& minus in quãtitate, nõ differunt realiter. Secundò, quælibet pars rarioris eſt rarior, ergo quælibet pars rarioris eſt maior ſecũdũ quãtitatẽ, ergo quælibet eſt quãta noua quantitate. Tertiò, quantitas illa, quæ præfuit, ſi manet, quæro, in quo ſubiecto manet, nõ niſi in eodem, in quo prius, quia accidens non migrat, ergo illud, ꝙ prius fuit quantum hac quãtitate, modo erit quantum quantitate eadem, ergo non poteſt eſſe quantum, nec ſecundum ſe totum, nec ſecundum partem alia noua quantitate, niſi idem eſſet ſimul quan-

2.

3.

quantum duabus quantitatibus, quod eſt abſurdum,& impoſſibile;vel niſi in rarefactione ſit aggeneratio nouarum partium ſubſtantiæ ſub noua quantitate, & iſta aggeneratio partium quantarum ad quantitates præexiſtentes, fit rarefactio; Sed hoc nihil eſt: quia tunc non quęlibet rarioris pars eſset rarior formaliter, illa enim pars antiqua non eſset rarior formaliter per hoc quod ſibi cōtinuaretur pars alia noua.

Reÿcitur prædicta opin. 1. rō. Contra hanc ſententiam arguit Scotus 4.Sent.d.12.q.4. primò,quia ſi tota quātitas corrūperetur, ſequeretur,quod corrumperentur omnia accidentia reliqua quæ inſunt illi ſubiecto,quod eſt falſum; cōſequentia probatur:quia corrupto ſubiecto,corrumpuntur omnia accidentia, quæ illi ſubiecto inſunt: ſed quantitas eſt ſubiectum omnium accidentium,quæ inſunt compoſito,quantitas enim prius, & immediatè ineſt ſubiecto, & reliqua accidentia,vt qualitates conſequuntur poſt quantitatem,ſecundum omnes,immò ſecundum Auerroiſtas quantitas ineſt materiæ prius quam forma ſubſtantialis, licet hoc non ſit verum.Falſitas conſequentis patet ad ſenſum; nam idem ſapor numero, manet in re rarefacta, idem color &c. Et ſi dicatur, quòd nōn debet ſenſus hoc iudicium ferre,ſed ratio. Contra ſecundum Ariſtotelem 8.Phyſicorum, tex. 26. fatuum eſt ibi quęrere rationem,vbi habemus aliquid certius ratione; Præterea,numerus ſecundum Philoſophum 2. de Anima, tex.64.eſt ſenſibilis; vnde ſenſus poteſt iudicare de numero ſuorū propriorum ſenſibilium, ideo ſenſus poteſt iudicare an aliquod accidens,quod eſt obiectum eius proprium,ſit idem numero, vel diuerſum ante,& poſt rarefactionem; tamen Scotus nō multum innititur huic rationi:quoniam innititur fundamēto ſatis dubio.

2. rō. Secūdò,non eſt poſſibile, quòd quantumcumque diuerſa agentia regulariter inducant eādem formam poſt corruptionem eiuſdem corrupti, ſed à quocumque rarefiat corpus rarefactibile, ſiue ab igne,ſiue à ſole, inducitur regulariter talis ſapor,& talis color, ergo manēt eadem,& conſequenter manet etiam eadem quantitas;quod ſi concedant omnia accidentia in rarefactione eſſe noua, clarius, & efficacius cōtra hanc opinionem arguitur:quia talia accidentia non poſsūt ineſſe poſt rarefactionem illi ſubiecto rarefacto,niſi inducantur de nouo ab agente inducente rarefactionem (neque enim ab alio agente induci poſſe videtur), quia nullum agens aliud hic operatur, ſed agens rarefaciens non poteſt inducere illas quantitates,& accidentia,ergo ibi non erunt poſt rarefactionem; Probatur Minor: quia ignis quidem poteſt rarefacere, ſed non poteſt inducere has qualitates,quia ignis non continet in ſe virtualitates mixti, neque continet in ſe virtualiter quæcumque, & quantumcumque diuerſa accidentia ſecundum genus, vel ſpeciem,vt per ſe patet.

Alia opinio eſt Auerroiſtarū, quæ innititur his rationibus præſertim, quoniam quātitas eſt inſeparabilis à materia, ideò non poteſt acquiri noua quantitas,niſi ac quiratur noua materia, in rarefactione autem non acquiritur noua materia,quia tunc corpus rarefactum non eſset idem quo ad omnem entitatem quod prius, quia haberet nouam materiam,ergo. *Secūda opin. eſt Auerroiſtarū probatur. 1. rō.* Pręterea,additio ſecūdum materiam ad formam præexiſtentem,videtur reduci quoquo pacto ad accretionem, differt autem rarefactio ab augmentatione, & diminutione, vt omnes concedunt,ergo. *2.* Secundò,rarefactio diſtinguitur ab augmentatione,ex Ariſt.in 1.de gener.c.de accretione,per hoc, quòd accretio fit ex aliqua materia extrinſecus accedente: ſed rarefactio nequaquam, ergo in rarefactione non accedit noua quantitas. Pro hac opinione faciunt etiam rationes, quas infra adducemus contra opinionem communem,quam ſequitur Scotus, & quas ſuprà adduximus contra præcedentem opinionem, cum enim rarefactio non fiat per mutationem totalem quantitatis, vt dicebat prima opinio, nec fiat per mutationem alicuius partis quantitatis de nouo accedentis, vt dicit Scotus, & alij tertiæ opinionis,nec accedat noua materia, quia eſt contra naturam rarefactionis,ſequitur,quòd rarefactio ſolum fiat per nouam extenſionem quantitatis.

Verùm hæc opinio non eſt ſuſtinenda,

dicunt

Reÿcitur. dicunt enim quod rarefactio fit per nouam extenſionem, non per nouã quantitatem. Contra, at noua extenſio, eſt noua quantitas, ergo rarefactio fit per nouam quantitatem; aſſumptum probatur: Illud formaliter eſt quantitas, quo aliquid formaliter eſt quantum, ſed aliquid dicitur eſſe quantum formaliter per aliquam extenſionem longitudinis, vel profunditatis, vel latitudinis, ergo extenſio formaliter
2.rō. eſt quantitas. Præterea, ſi extenſio non eſſet formaliter quantitas, ſequeretur quod magis extenſum non haberet maiorem quantitatem, quam minus extẽſum, & ſic homo longus non eſſet magis quãtus, nec haberet maiorem quantitatem homine paruo; quia ego poſſem dicere quantitatem hominis longi, eſſe magis extenſam, quàm quantitatem hominis minoris, ſed tamen quantitatem in vtro-
Reſp. que eſſe æqualem. Quod ſi quis dicat eſt maior quantitas in homine longo, quia eſt plus de materia quam in homine par-
Inſtatur. uo. Contra ex hac reſponſione ſequitur quod vbi eſt plus de materia, ibi quoque ſit plus de quantitate, ſed hoc eſt falſum; conſequentia eſt euidens: falſitas conſequentis probatur: quia ſi accipiamus pugillum terræ pedale, & pugillum aeris pedalis, eſt plus de materia in pugillo terræ quam in illo pugillo aeris ſecũdum iſtos, at ſi vbi eſt plus de materia, ibi eſt plus de quantitate, ſequeretur quod pugillũ terræ pedale, deberet excedere multũ in magnitudine pugillum aeris pedale, cum in illo pugillo terræ ſit multum plus de materia, quam in pugillo aeris pedale, quod tamen eſt abſurdũ. Quòd ſi quis dicat, ibi eſſe quantitatẽ, ſed non extẽdi, eſt ridiculũ, ſicut eſſet dicere, hic eſt homo, ſed caret intellectu, quia repugnat, quòd hic ſit tanta quantitas, & non ſit tanta extẽſio; & probatur: alioquin deficeret nobis medium cognoſcendi maiorẽ, & minorẽ quantitatẽ in rebus, hęc enim innoteſcit ex dimẽſione extẽſionis, linea.n. quæ eſt magis extẽſa in lõgitudine eſt maior quã-
3.rō. titas altera linea minus extenſa; Per hoc etiam impugnatur eorũ fundamentum, ꝙ quantitas ſequatur materiam, quoniã denſum pedale, habet plus de materia, quàm rarum pedale, ergo denſum pedale debet habere plus de quãtitate, quàm rarum pedale, & tamen hoc eſt ridiculum dictu, nullus enim Mathematicus dicet vnquam, quòd denſum pedale habeat plus de quantitate, quam rarum pedale, cum vtrumque ſit pedale.

Quartò, quantitas continua ab Ariſto- 4.rō.
tele in Prædicamentis definitur, quod eſt illa, cuius partes copulantur ad inuicem, & ad vnum terminũ communem, adeo, quod hæc eſt differentia eſſentialis conſtituens quantitatem continuam in eſſe differentem à diſcreta, ſcilicet partes eius copulari ad inuicem, & ad vnum terminum communem, at copulari ad inuicẽ, & ad vnum terminum communem, nil aliud eſt, niſi partes extendi, alteram extra alteram, ſecundum dimenſionem longitudinis, vel profunditatis, vel latitudinis ſine diuiſione, ergo extenſio ſecundum aliquã dimenſionem, eſt eſſentialis differentia quantitatis continuæ, & conſequẽter extenſio eſt eſſentialiter quantitas.

Ponitur opinio Scoti, & comprobatur, ac aliorum rationes ſoluuntur. Cap. 11.

Scotus agit de hac materia in quarto Sent. diſt. 12. q. 3. per totam, ſed nullibi apertè ſuam ſententiam aperit: nam ſoluendo rationes pro prima opinione poſt B. videtur velle, quod raritas ſit appoſitio quorundam corporum ſubtiliorum de nouo generatorum ex aliquibus partibus rei rarefactæ ab agente rarefaciente, adeo quod rarefaciens de aliquibus partibus ſubſtantiæ rarefactibilis, generat aliqua corpora ſubtiliora quam ſint partes illius corporis rarefactibilis, & ita quia non poſſunt eſſe ſimul cum alijs partibus adhuc remanentibus in ſpecie ſua (nam duo corpora non poſſunt eſſe ſimul) ideo illæ partes expellunt alias groſſiores de loco ſuo, & per conſequens totum corpus occupat locum maiorẽ, & ſic rarius eſſe, nihil eſt aliud, quàm habere plura corpora ſubtiliora permixta ſecundum iuxtapoſitionem cum partibus ſuis proprijs. Sed hanc opinionem reijcit in corpore quæſiti, reſpondendo ad quæſtionem poſt F. varijs rationibus, ſed præcipuè, quia videtur mirum, quòd nulla ſubſtan-

tia manens omnino eadem, poſſit tranſmutari à raro in denſum in quodam: extra autem in reſponſione ad ſecundũ, pro prima opinione dicitur, quod verior eſt opinio, quòd rarefactio non inferat nouã quantitatem, ſed ſolùm ſit extenſionis extenſio; quæ eſt opinio Auerroiſtarũ; Sed neque Scotus hanc opinionem ſequitur: quia auctor illius extra munit ſuam ſententiam ex reſponſione Scoti ad tertium principale; at reſponſio illa potius eſt contraria: quia dicitur ibi, quòd licet ſpecies Sacramentales non poſſint augeri nec minui propriè, quia hic motus competit animatis tantùm, tamen poſſunt à quantitate minori ad quantitatem maiorem tranſmutari, & è conuerſo.

Opin. vera Scoti.

Dicendum eſt itaque, Scotum ſentire cum opinione, quam ipſe dicit eſſe communem, quod in rarefactione fiat acquiſitio alicuius nouæ partis quantitatis; qđ patet: quia reijciendo primam opinionẽ ibi, quantum ad iſtam opinionem paulò infra apertè dicit, quòd licet non ſit verum, quod in rarefactione fiat acquiſitio totius nouæ quantitatis, tamen omnis opinio cogitur dicere, ꝙ fiat acquiſitio alicuius partis quantitatis, & probat: quia alioquin corpus rarefactum non eſſet poſt rarefactionem maius. Quòd ſi quis dicat eſt maius, quia habet maiorem extenſionem, iam in præcedenti capite hanc ſententiam reiecimus diſputando aduerſus Auerroiſtas, inſuper reſpondendo ad quęſtionem poſt F.

Rationes ꝓ opin. Scoti.

Pro hac ſententia non adducuntur rationes aliæ præter eas, quas adduximus reijciendo alias opiniones: cum enim ad ſenſum pateat, in rarefactione fieri nouam extenſionem, patet etiam produci nouam quantitatem, vt diſputauimus contra Auerroiſtas, non ſit autem inductio quantitatis nouæ, quo ad totum, vt oſtendimus contra primam opinionem, ergo erit noua ſolum ſecundum aliquam partem.

Ad rõnes pro 1. opin. Ad 1.

Ideo ad Rationes pro prima opinione reſpondetur ad primam de incompoſſibilitate terminorum motus, & mutationis, ex 5. Phyſicorum, dicitur, quòd illa propoſitio eſt vera de primis terminis, qui ſunt ſemper priuatio, & forma, ſed non eſt vera vniuerſaliter de terminis concomitantibus illos terminos, vt diximus in Theoremate de pluralitate formarũ: neque enim prima forma eſt incompoſſibilis ſequenti, & de nouo inductæ per mutationem, & motum; Item maior quantitas, & minor, quatenus vna eſt priuatio alterius, ſunt incompoſſibiles: ſed quatenus denotant aliquid poſitiuum ipſius quantitatis, ſic ſunt compoſſibiles. *Theo. 73.*

Ad 2.

Ad ſecundam, cum dicitur, quòd quælibet pars eſt rarior, & conſequenter maior ſecundum quantitatem, conceditur ſed cum dicitur, ergo quælibet eſt quanta noua quantitate, negatur conſequentia: quia ſequitur ſolum, quod quælibet pars recipit nouam quantitatem non ſecundum totum, ſed ſolum ſecundum partem aliquã, neque enim vlla pars eſt indiuiſibilis, ſed diuiſibilis, & ſic cum extenditur, recipit nouam quantitatem ſecundum illam partem, ſecundum quam fit extenſio. *Ad 3.* Ad tertium reſpondetur, quòd illa pars corporis quæ rareſit, recipit alterationem per rarefactionem, vt nunc in ſequenti capite dicam, & ideò cum recipiat nouam qualitatem, recipit etiam nouam quantitatem, remanet ergo antiqua, & prior quantitas, ſed noua quantitas illi additur ab agente rarefaciente, quæ quantitas de nouo educitur ex illa eadem materia, & compoſito per alterationem: alterando enim illud corpus, per rarefactionem noua iuſurgit quantitas in extenſione, ſubtiliatur enim corpus illud per calefactionem, & ſic extenditur, adeò quod noua quantitas inducitur abſque noua materia: ideò cum dicitur in argumento, illud, quòd fuit quantum, vel eſt quantum eadem quantitate antiqua, & ſic non poteſt fieri quantum noua quantitate, niſi ſit quantum duplici quantitate, dico quod eſt quantum priori, & antiqua quantitate, ſed nõ eſt quantum tanta quantitate, quanta poſtea eſt quanũ cum poſteriori quantitate poſt rarefactionem eſt quantum prioritate, quia illa non deperditur, nec mutat ſubiectum, ſed non eſt quantum tanta quantitate quanta in poſteriori, quia quælibet pars quantitatis extenditur, & creſcit per additionẽ nouæ quantitatis, ſecun-

ſecundum quod alteratur pars corporis, cui ipſa quantitas ineſt, & ſic ſi quælibet pars corporis alteratur, & rareſit, quælibet pars quantitatis dilatatur per nouam quantitatem accedentem illi.

Ad rões pro Auerr. Ad 1. Ad rationes pro Auerroiſtis, ad primã concedendo, quod quantitas eſt inſeparabilis à materia, nego propter hoc ſequi non poſſe nouam quantitatem, ſine noua materia, nam ex præexiſtenti illa materia ab agente rarefatiente: & extenuante corpus illud rarefactibile, educitur noua quantitas in eadem præexiſtenti materia; verum eſt ergo, quòd quantitas non poteſt eſſe ſine materia, non tamen ſequitur, quòd in determinata materia ſit determinata quantitas, ita quod portio eadem materiæ non poſſit modo ſub maiori, modo ſub minori quantitate eſſe, ſuſtinendo etiam quantitatem conſequi materiam poſt aduentum formæ ſubſtantialis, vt ſuſtinuimus, loquendo de dimenſionibus interminatis, dicimus, quòd abſque aduentu nouæ materiæ compoſitum illud poteſt rarefieri, & condenſari, intendi, & remitti in quantitate, ſicut intenditur, & remittitur in qualitatibus, quia forma talis compoſiti non eſt determinata ad hanc, vel ad illam quantitatem in certo, & determinato gradu, ſed intra quandam latitudinem. Ad 2. Ad ſecundam reſpondetur, rarefactionem fieri ex aliquo extrinſecus accedente, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo ex materia aliqua noua, vel ex aliqua ſubſtãtia noua, & ſic augmẽtatio fit ex aliquo extrinſecus accedẽte, ſcilicet ex alimento, & hoc modo rarefactio nõ fit ex aliquo extrinſecus accedẽte, & in hoc differt accretio à rarefactione; Alio modo ex aliqua quãtitate noua, & ſic concedo: quòd rarefactio fit ex aliquo extrinſecus accedente, Ariſt. loquitur primo modo, non ſecundo modo. Ad 3. Ad tertiã patet quomodo verã eſſe diximus opinionem aſſerentem rarefactionem fieri per nouam quantitatem ſuperadditã.

Dub. Verum adhuc circa hanc opinionẽ tertiam, quàm dicimus eſſe Scoti, eſt dubiũ: quia ad eam videtur ſequi penetratio corporum, quæ eſt impoſſibilis; conſequentia probatur: quia ſtante hac opinione, habetur, quod cum magnitudine præexiſtenti acquiritur noua magnitudo, & ſimul extẽditur in eadẽ materia, dimenſiones ergo illæ ſe penetrãt. Solu. Reſpõdetur negãdo cõſequentiã: tunc enim ſequeretur hæc penetratio corporũ, quãdo plures dimenſiones, & quãtitates eſſent in eadem materia, & illa non eſſet magis extenſa quàm prius, quia tunc illæ dimẽſiones ſe penetrarẽt, quoniã vna non eſſet extra aliã: in præſenti nõ ſic ſe habet res, quia dicimus, per nouam quantitatem eandem materiam magis extendi dum rareſit, & deperditum condenſatur, & remittitur.

Exponitur in quo Prædicamento ſit rarefactio, & condenſatio, & qui motus ad eam concurrant. Cap. III.

NOn eſt conſentaneum apud omnes in quo Prædicamẽto ſit rarefactio, & condenſatio. Quidã putant eſſe de Prędicamento Qualitatis, vt Burleus 4. Phyſ. tex. 84. Et D. Thomas, primo de generatione, capite, de accretione, licet obſcurè loquatur; iſti dicunt, quòd raritas & denſitas eſt Qualitas de tertia ſpecie Qualitatis, & quòd nil aliud eſt niſi ipſamet extenſio quãtitatis, adeo quod volũt, quòd ipſa extenſio, & remiſſio quantitatis, ſit qualitas de tertia ſpecie, & differat realiter à quantitate, cum ſint in diuerſis Prædicamentis, ſunt enim paſſiones, & termini ipſius quantitatis. Opin. D. T. & Burl. Inſuper aiunt, raritatem, & denſitatem eſſe qualitates ſequentes ad calidum, & frigidum, & certè hanc eſſe opinionem Burlæi non eſt dubitandum, licet de Diuo Thoma non ſit ita euidens. 1. rõ Pro hac opinione eſt Auerroes qui 4. Phyſ. 84. dicit, quod in rarefactione acquiritur qualitas, non quantitas noua: & idem repetit alibi ſæpè. 2. rõ Secundo, quia Ariſtoteles 7. Phyſicorum, tex. 11. dicit, quod differentiæ corporis naturalis ſunt, rarum, & denſum, ergo rarum, & denſum, non ſunt quantitates, ſed qualitates, alioquin nõ inſequerentur corpus naturale, vt naturale, ſed corpus Mathematicũ, quod non eſt verùm: quia Mathematicus abſtrahit à raritate, & denſitate.

Hæc ſententia re Hæc opinio nõ eſt approbanda, quia ſi quantitas ſecundũ ſe, eſt non extẽſa, ſed eſt extenſa per qualitatem ſuperadditã,

ſequitur quod quantitas non habebit partem extra partem, nec ipſa erit diuiſibilis in partes per ſe, ſed per accidens, ſcilicet, per qualitatem, hoc autem videtur abſurdum maximum & contra eſſentiam quãtitatis, vnde Ariſtoteles in Prædicamentis, capite de Quantitate, enumeratis ſpeciebus quantitatis, dixit illas eſse propriè quantas, alia verò per ipſas dici quanta, vt actionem eſse annuam, & albedinem eſse magnã, quia ſuperficies eſt magna. At ſtante hac opinione qualitas eſset illa, ſecundum quam aliquid diceretur quantum, magnum, & paruũ. 2. Præterea, oſtendimus ſuperiori capite, extenſionem non diſtingui à quantitate, ſed eſse vnum, & 3. idem formaliter. Tertio Ariſtoteles in prędicamentis capite de qualitate, apertè dicit, quòd rarum & denſum non ſunt qualitates, ſed poſitiones, quia rarum dicit diſtantiam partium, & denſum proximitatem partium, modo hæc proximatio, & diſtantia, dicunt ordinem, & poſitionem 4. partium, non ergo ſunt qualitates. Quarto Ariſtoteles 5. Metaphyſic. tex. 19. enumerando ſpecies qualitatis, non enume- 5. rat rarum, & denſum, ergo. Quinto tunc materia eſset extenſa formaliter per qualitates, ſcilicet per extenſionem, ergo fruſtra ponitur quantitas in materia, quia non per aliud ponitur quantitas in materia, niſi propter hoc, vt extendatur materia, at ſi materia eſt extenſa per extenſionem, quæ eſt qualitas, fruſtra ponitur extenſa per quantitatem, & fruſtra quoque datur quantitas, nullo ergo modo ſuſtineri poteſt illa opinio, quæ dicit, quòd extenſio eſt diſtincta realiter à quantitate, maximè hac ratione, quia tunc quantitas non eſſet diuiſibilis, nec haberet partem extra partem, quod eſt contra communem animi conceptionem de quantitate.

Opin. Greg. Ar. reÿc. Alia eſt opinio quæ tribuitur à Buccaferreo Gregorio Ariminẽſi in primo Sẽt. diſt. 17. q. 4. & reuera ſoluẽdo ibi quoddã argumentum, videtur hanc opinionem ſequi, licet parum de hac re loquatur; Hæc opinio itaque ait, quod raritas, & denſitas, ſunt de Prædicamento Quantitatis, quoniam raritas, & denſitas ſunt extenſio ipſius quantitatis, extẽſio autẽ eſt ipſamet quantitas, adeo, quod hæc opinio vult raritatem, & denſitatem eſſe ipſamet quantitatem.

Sed hęc ſentẽtia rẽijcitur ex hoc, quòd in pedali quantitate terræ, & in pedali quantitate aeris, eſt æqualis extenſio, & tamen non eſt æqualis raritas, ergo raritas, & denſitas non ſunt extenſio ipſa. Secundò, raritas, & denſitas ex 7. Phyſ. tex. 11. ſunt differentiæ corporis naturalis, ergo non conueniunt alteri à naturali, ergo non conueniunt corpori Mathematico, at extenſio conuenit corpori Mathematico, ergo raritas, & denſitas non ſunt idem quod extenſio.

Opin. vera. Ideò cum alijs rectius dicendum eſt, quòd raritas eſt aggregatum ex multis motibus, & ſecundum hos motus poni poteſt in varijs Prædicamenris.

Notã dum. Ideò pro intelligenda veritate eſt notandum, quòd in raritate, & denſitate propriè dicta, cõcurrit alteratio, fit enim raritas per calefactionem, & denſitas per infrigidationem, & quoniam alteratio fit in qualitate, & ſemper raritas, & denſitas conſequitur hanc alterationem factam in qualitatibus, hinc fit, quòd dicitur qualitas, & numeratur inter ſecundas qualitates; accedit, quod ſecundum ipſas corpus dicitur quale, & qualificat corpus, & propter hoc raritas, & denſitas dicuntur qualitates; ad hanc autem alterationem mox ſequitur extenſio, & productio nouæ quantitatis in materia rarefacta, vel deperditur aliqua portio quantitatis in materia condenſata, & hic motus eſt propriè in quantitate, quia eſt productio nouæ quantitatis, & ideo ſecundum hanc conſiderationem raritas, & denſitas debent poni in Prædicamento Quantitatis.

Opin. Zimaræ & Zab. reÿcitur. Sed eſt hic notandum, quòd aliqui arbitrantur raritatem eſſentialiter eſſe qualitatem, & primario, ſecundario autem, & concomitanter eſſe quantitatem, vt Zimara in Contradictionibus, Auerroes 4. Phyſ. ſuper tex. 84. & Zabarella libro de accretione, c. 10. quoniam raritas conſequitur motum factum ad calorem, & dẽſitas motum ad frigus; Sed iudicio meo decipiuntur, quoniam eſſentia raritatis conſiſtit in extenſione quantitatis in eadem materia, abſque noua materia adue-

nea-

niente, vnde quantumcumque corpus alteraretur per calorem, vel frigus, tamen ſi non ſequatur extenſio maior in quantitate, numquam dicetur corpus illud eſſe rarefactum vel condenſatum; Videtur ergo mihi dicendum, quòd raritas, & denſitas, eſt motus factus in quantitate formaliter, cauſaliter autem eſt in qualitate: quia raritas prouenit ex alteratione facta in qualitate, & ratione huius cauſalitatis dicitur raritas eſſe in Prædicamento quantitatis per accidens, fit enim in quantitate hic motus per alium motum factum in qualitate: quatenus etiam in corpore rarefacto eſt, quædam variatio partium ab eo, quod prius erat, & ſimul in denſo; hinc fit quod etiam ab Ariſtotele remouetur à Qualitate, & ponitur in Prædicamanto Situs. Vel dicamus cum alijs, quod tunc Ariſtoteles non loquitur de raritate propriè dicta, ſed de raritate impropriè dicta, qualis eſt raritas, & denſitas ſpógiæ de qua ſuprà loquuti ſumus capite 1. in initio, & ſic poſſumus conciliare omnia dicta Ariſt. & etiam quodam modo opiniones allatas, prima enim ſcilicet D. Tho. & Burlæi loquitur de raritate, vt in ea fit alteratio. Secunda opinio loquitur de raritate, & denſitate, vt in ea ſit acquiſitio vel deperditio nouæ quantitatis; quando Ariſtot. illas ponit in Prædicamento Situs, conſiderat ordinem motuũ inter ſe, & ad locum, vt dictum eſt. Vel dicamus, quod loquitur de raritate impropriè dicta. Hanc ſententiam videtur ſequi Scotus, qui in 4. d. 12. q. 4. ſoluendo tertium principale, dicit in quantitate vltra augmentum & diminutionem, reperitur alia tranſmutatio, vt diuiſio, & continuatio, qui proculdubio ſunt duo motus, & ſunt in quãtitate per ſe, vnde à Mathematicis conſiderãtur: per accidẽs autẽ ait in quãtitate eſse rarefactionẽ, & condenſationem, vbi dicẽdo ꝙ rarefactio eſt in quantitate ſecundum accidens, vult oſtendere, quòd raritas propriè, & abſolutè nõ eſt quãtitas, licet fiat in quantitate, quoniã licet fiat in quantitate, tamen fit per accidens, ſcilicet interueniendo alterationem in quantitate, & ita dicere poſſumus, quod rarefactio, vt eſt acquiſitio nouæ quantitatis, eſt formaliter in quantitate, vt autem denotat alterationem factam per caliditatem, vel frigiditatem, eſt in Prædicamento Qualitatis, vt tandẽ denotat diſtantiam partium ſecundũ varium ſitum, & habitudinẽ partium, eſt in Prædicamento Situs. Ad rationes. Ad primam pro opinione Auerrois poteſt dici, quòd ſi velimus eam trahere ad bonũ ſenſum, quòd pro tanto dicit raritatem, & denſitatem eſſe qualitates, quia ponũtur ineſſe per alterationem, quę fit in qualitate. Ad ſecundam patet, quod pro tanto dixit raritatem, & denſitatem eſſe differẽtias corporis naturalis, quia fiunt per alterationem, quæ competit ſolum corpori naturali. Ad rationem pro ſecunda opinione patet, quomodo concludit accipiendo raritatem, & denſitatẽ pro productione nouæ quantitatis, vel deperditione eiuſdem.

Cõciliãtur oẽs opiniones. *Opin. Scoti.* *Ad 1. rõnẽ pro Auerroe.* *Ad rõnẽ pro 2. opi.*

THEOREMA XLV.

Motus non eſt genus per ſe diſtinctum, ſed eſt in illo genere Prædicamẽtali in quo fit, & fit quoque in Prædicamento Relationis.

Poſitio Scoti. Cap. I.

De hac re eſt maxima lis inter expoſitores Ariſtot. in pluribus locis, ſed præcipuè in 4. text. 3. Phyſicorum. Scotus pluribus in locis loquitur de hac re, in 4. diſtin. 12. quæſt. 4. ad D. in fine, & in ſolutione argumẽtorum principalium; ſed clarius loquitur de hac re in 4. Sent. diſt. 13. q. 1. art. 1. ad M. & ſupra, vbi videtur probare ſententiam Auerrois, qui plurib. in locis loquens de motu, & maximè 3. Phyſ. tex. 4. ait, quod motus nil aliud eſt realiter, niſi forma fluẽs; & ita vult, quòd motus fit in illo Prædicamento, in quo eſt forma quæ fluit, & acquiritur per motũ, vnde mot⁹ ad Qualitatẽ, nil aliud eſt, niſi qualitas mota; motus ad Quantitatẽ, nil aliud eſt, quàm quantitas mota; hoc idẽ Scotus aſſerit: ait enim, quod motus nil aliud eſt, quàm forma producta, vel educta ab agente; quod eſt idem ac ſi dicat, motus eſt forma fluens, & tendens ad eſſe perfectũ. Sed ſe declarat Auerroes, quòd duob. modis poteſt cõſiderari mot⁹; Vno

modo materialiter, & ſic nihil aliud eſt, niſi forma flues,ſed formaliter ait, quòd eſt paſſio, quia Ariſt. ait in Prædicamentis,quod mot⁹,eſt paſſio,ſed quo ad hoc, videtur diſſentire à Cōmētatore Scotus, quòd enim vno modò motus ſit forma fluens, apertè Scotus fatetur vltimo loco citato;quod autem formaliter conſideratus motus,ſit paſſio,negare videtur;declarans enim ibi quid ſit actio,inquit, quod ſæpè actio accipitur non propriè pro actione,ſed pro re acta, & forma fluente, cum hoc reſpectu eſſe ab alio,vnde in hac forma fluente duo ſunt;Vnum vt abſolutum,ſcilicet illa forma fluens;eſt etiam aliud nempè, eſſe ab alio; de abſoluto non eſt dubium quod eſt in determinato genere,ſcilicet,vel in Qualitate,vel in Quātitate,vel alio;de illo verò eſſe ab alio, eſt dubium in quo genere ſit;& inquit,quòd ſi illud eſse ab alio, ſignificat reſpectum ab agente, & producente, à quo forma fluit,pertinet ad genus Relationis, vt ſupra ibidem declarauit;Si vero dicit reſpectum ad tranſmutatum, pertinet ad genus paſſionis:vbi mihi videtur velle dicere Scotus,quod ſi ille fluxus,ſiue illa via, & progreſſio,quę denotatur per eſſe ab alio,in hac forma fluente, reſpiciat agens quòd ſit inducens,vel producens(id eſt, ſi reſpicit agens quod det illi totale eſſe, vt eſt producens, vel det eſſe ſecundum aliquam partem,vti eſt inducens)ille fluxus eſt Relatio,quia inſurgit intrinſecus in illa forma; poſita illa forma, & re fluente in eſſe: ſi verò ille fluxus, qui denotatur per eſſe ab alio, reſpiciat tranſmutantem (ꝙ eſt illud agēs,quo poſito,& poſito paſſo,in quod forma illa īducitur,forma illa acta per motū,& fluxum, nō ſtatim ponitur in eſſe)ille fluxus erit paſſio, quia extrinſecus inſurgit in illa forma fluente, dictum eſt autem, quòd talis reſpectus extrinſecus inſurgens in paſſo ad agens eſt paſſio propriè,quæ eſt ſextū Prædicamentū,vt diximus in proprio Theor.41.de actione,clarū eſt autem quod ille fluxus in forma fluente,vel reſpicit agēs producēs, vt in mutatione, & corruptione, quia in his mutationib. res acta recipit totale eſſe,vel non eſſe; vel reſpicit agens educēs, vt in alijs tribus motib. propriè dictis, quia res acta per illos recipit nouam formā,non autem totale eſſe, ideo cum motus omnis,& mutatio ſit forma fluens ab alio,& forma ſit materiale motus,eſſe autem ab alio,ſiue fluxus ſit formale motus, & hic fluxus ſit habitudo ad agens inducens, vel educens, ſequitur quod motus formaliter ſit relatio,& ſic motus formaliter erit in Prædicamento Relationis,forma enim quæ habet eſſe per generationē, non poteſt poni in eſſe,niſi cum habitudine ad generans, quia per generans ponitur in eſſe, ſimiliter quantitas,quæ augetur, non poteſt poni in eſſe quo ad illam partem auctam, niſi cum habitudine ad augens; Qualitas,quæ alteratur, non poteſt poni in eſſe, niſi cum habitudine ad alterum, & Vbi ad quod corpus mouetur nō poteſt poni in eſse quò ad tale,niſi cum habitudine ad ſui mouens;Cum ergo hæc forma fluens quo ad illud eſse, quod recipit,ſiue ſit totale,ſiue partiale, non poſſit poni in eſse ſine habitudine ad mouens, ſequitur quod illa habituto ſit Relatio intrinſecus adueniens.Hæc dixi, vt Scotus intelligatur in præcitato loco, vbi ſicuti pulcherrimam doctrinam tradit,ita eſt difficilimus, attamen aliquo lumine percepto,facilè intelligi poteſt.Breuiter itaque dicere poſsumus, quod in motu duo ſunt, ſcilicet forma fluens, & fluxus formæ,forma flués eſt materia motus,& hæc nō eſt dubiū, qđ eſt in Prædicamento illo, in quo ſit talis motus,vt puta in Quātitate,vel Qualitate,vel Vbi vel in Subſtantia.Adeſt poſtea aliud,ſcilicét fluxus formæ,& hoc eſt formale motus, & hic fluxus ſignificat pendētiā formæ fluētis ab agente, nā dicere formā fluentē,eſt dicere,formā prouenientem ab aliquo agēte,ad ſuum terminū: quia autem hic fluxus eſt in forma fluēte,quia ea poſita,ſtatim inſurgit hæc relatio,ideò eſt reſpect⁹ ītrinſecus adueniēs,& hic eſt in Prædicamēto Relationis,nō Paſſionis;quia paſſio eſt reſpectus extrinſecus adueniens, vt in ſuo loco dixim⁹;vnde ſi hæc forma fluēs poſset eſse, & non habere hunc reſpectū fluxus ab agente, ſed ſequeretur aliquid externū,hic fluxus eſset reſpectus exrinſecus adueniens,& ſic eſset propriè paſſio formaliter,ergo motus,ſcilicet illa via, & pro-

progreſſio formæ ex potentia ad eſſe actu, eſt relatio, materialiter verò eſt forma fluens, vel acquiſita per motum, & eſt in genere illo, in quo eſt illa forma fluens, vel acquiſita. Hæc itaque poſitio habet duas partes, Prima eſt, quod motus pro materiali eſt forma fluens. Secũda, quod motus pro formali eſt relatio. 1. conclus. Prima concluſio poteſt probari, quia materia, ſiue res, quæ mouetur, & ſecundũ quam ſit fluxus, eſt forma, quæ tendit à termino à quo, ad terminum ad quem, in quocumque motu, quæ eſt imperfecta, donec perueniat ad terminum ad quem, & perficiatur motus. 2. conclus. Secunda, etiam faciliter probatur ex dictis, quia fluxus formæ, ſiue illa via, & progreſſio formæ ad perfectionem, nihil aliud eſt, quam pendẽtia, & reſpectus formæ ad agens, à quo fluit, & prouenit, & eſt reſpectus intrinſecus adueniens, vt patet, & conſequenter eſt in Prædicamẽto Relationis, quod confirmatur: quia non eſt Subſtantia, neque Quantitas, vt patet, nec eſt Qualitas, quia eſſet ſub aliqua illarum quattuor ſpecierum Quãtitatis, quod autem ſub neutra illarũ ſit, patet per ſe intuenti; neque eſt reſpectus extrinſecus adueniens, vti ſunt illa ſex vltima Prædicamenta, eſt ergo Relatio de 4. Prędicamento. Ex hoc vlterius deducitur, quod motus pro materiali, non eſt genus per ſe diſtinctum ab alijs; ſed eſt in illo Prædicamento, in quo eſt forma fluens, quod erit alterum illorũ quattuor, quæ nominat Philoſophus 3. Phyſ. textu 4. ſcilicet Subſtantia, Quantitas, Qualitas, & Vbi, & hoc probatur: q̃a, forma perfecta, & imperfecta, non differunt genere, quia perfectum, & imperfectum, non variant ſpeciem: forma autem fluens, in principio motus eſt imperfecta, ſed in fine motus eſt perfecta, & eſt alicuius determinati Prædicamenti, ergo etiam forma fluens imperfecta, eſt illius determinati Prædicamenti: pro formali eſt in Prædicamento relationis, vt dictum eſt.

Rationes aliorum contra determinatam ſententiam. Cap. 11.

Contra 1. Contra ſecundam Concl. ſunt variæ rationes, quidam enim ſuſtinentes motum per ſe, in nullo Prædicamento reponi, ita arguunt. Tantum motus ab Ariſtotele ponitur in Poſtprædicamentis, nõ autem in aliquo Prædicamento, ergo ſignum eſt quod Ariſt. voluit, quod peruagaret omnia Prædicamenta, in nullo verò determinatè eſſet; item omnes interpretes exponentes 4. textum tertij Phyſ. aiunt motum non dici vniuocè, ergo motus non eſt in aliquo determinato Prædicamento, quia Aequiuoca, & Analoga remouentur à Prædicamentis. Tertia, motus eſt idem cum termino ad quem, quoniam ab ipſo accipit vnitatem, & diſtinctionem, vt dicitur 5. Phyſ. textu 18. nihil autem commnnem eſt vniuocum, vt genus terminis motus, vt Quantitati, Qualitati, & Vbi, quia ſunt genera per ſe primo diuerſa. Quartò, ſi motus eſſet in aliquo determinato genere, ſequeretur, quod augmentatio, diminutio, alteratio, & latio, eſſent vnius generis, quod eſt falſum. Conſequenria patet: quia eſſent in vno genere, videlicet in motu. Falſitas conſequentis probatur per Ariſt. 5. Phyſ. tex. 31. vbi tradit tres modos, ſecũdum quod motus dicitur eſſe vnus; ait enim vel motus eſt vnus genere, vti ſunt omnes motus eiuſdẽ generis, vt omnes alterationes, vel dicitur vnus ſpecie, quoniã terminus ad quẽ, eſt vnius ſpeciei, vt omnes calefactiones sũt vnius ſpecie, quia fiunt ad calorem, qui eſt vna ſpecies qualitatis, vel eſt vnus numero. Quintò ſpecialiter arguitur, quod motus nõ ſit in Prædicamẽto Relationis, nã ſi motus eſt relatiuũ, neceſſario habebit vnũ correlatiuũ, hoc autẽ, vel erit mobile, vel mouens, quid enim aliud ſit, ne fingi quidẽ poteſt. At nõ poteſt eſſe relatiuũ ad mobile: quia ille eſt reſpectus accidẽtalis ad ſuũ ſubiectũ, ꝙ nõ pertinet ad Cathegoriam Relationis alioquin omne accidẽs deberet poni in Prædicamẽto Relationis, quod tamẽ eſt falſum: neque eſt reſpectus ad mouens: quia hic eſt reſpectus effectus ad cauſam; at hic reſpectus eſt reſpectus ſecũdũ dici, nõ ſecũdũ eſſe, & ſic nõ eſt in Prædicamento Relationis, alioquin omnes res quæ productæ ſunt à Deo, deberent conijci in Prædicamentũ Relationis; his rationibus nonnulli dicunt, quod motus per ſe nõ eſt in aliquo de-

Margin notes (right column): cõcl. 1. rõ. — 2. — 3. — 4. — 5. — Opin quo-

rumdam. determinato genere: ſed quod eſt in Prædicamento reductiuè,ſcilicet in Prædicamento illius rei,ad quam fit motus.

Reijcitur. Verum hæc opinio partim eſt vera, & partim eſt falſa: partim eſt vera, quia ſi intelligit de motu pro materiali, verum eſt, quòd motus hoc modo ſumptus non eſt in aliquo genere per ſe determinato, ſed eſt reductiuè in illis Prædicamentis, ad quæ fit motus,vt declarauimus: at de motu pro formali non eſt vera, quia certum eſt, quod motus eſt accidens reale, realiter diſtinctum ab alijs accidentibus; oportet ergo,quòd vel ſit genus per ſe diſtinctum ab alijs decem Prædicamentis, vel quod contineatur in aliquo illorum decem Prædicamentorum, alioquin eſſet nihil, non poteſt autem dici, quod ſit genus diuerſum ab illis decem Prædicamentis ſtando iu doctrina Ariſt. quia illa decem Prædicamenta amplectuntur omnes res, ergo, motus pro formali,ſcilicet ille actus entis in potentia,ſiue illa via ad perfectionem, & fluxus formæ eſt aliquid alicuius determinati generis, non eſt autem alterius,niſi Relationis, vt vidimus,& ſic motus pro formali, eſt in Prædicamento Relationis.

Ad rõnes adductas. Ad rationes in oppoſitum, patet per hanc diſtinctionem, Motus duobus modis conſiderari poteſt; Vel pro materiali, vel pro formali, allata argumenta concludunt de motu primo modo,non ſecundo.

Ad 5. Ad quintum reſpondetur,quòd motus pro formali eſt reſpectus fundatus in forma fluente,ſicut filiatio in filio, correlatiuum eius eſt reſpectus fundatus in mouente,& producente fluxum, ſicut correlatiuum filiationis eſt paternitas, quæ fundatur in patre, ideò probationes in contrarium non ſunt ad propoſitum, neque enim eſt relatio cauſati ad cauſam, licet illa concomitetur, ſed eſt relatio ſpecialis denominans mouens, vt capite præcedenti declarauimus,& Theor.41.

An Ad aliquid ſit motus. Cap. vlt.

Eſt dubium circa dicta, quia dictum eſt,quod motus materialiter eſt tantummodò in quattuor Prædicamẽtis, ſcilicet Subſtantia, Quantitate,Qualitate, & Vbi, quia ſolum in his fieri poteſt motus,& forma fluens,& apta moueri eſt tãtum in altero horum quattuor Prædicamentorum; & hoc idem apertè dicit Ariſt.in 5.Phyſ.tex.10.vbi dicit in his quattuor ſolum reperiri motum, (accipio nunc motum in communi, vt amplectitur motum,& mutationem.) Inſuper dicit ibidem Ariſt. quòd motus non eſt in Prædicamento Relationis,& adducit hãc rationem, quia relatio poteſt aduenire termino abſque termini mutatione, vt ſi quis, qui prius erat ſeruus Antonij, fiat Princeps,ſit dominus Antonij,qui Antonius prius erat dominus, & ſic Antonius ex domino fit ſeruus abſque vlla mutatione, vel motu in ſeipſo. Ex altera parte videtur,quòd in Relatione ſit motus: nã mutari eſt aliter ſe habere;modo Antoniꝰ aliter ſe habet nunc, quam prius, quia prius erat dominus, nunc eſt ſeruus: ergo videtur,quòd in Relatione ſit motus. Scotus ad hanc difficultatem reſpondet in 2.Sent.diſt.1.q.5. reſpondendo ad ſecundum pro prima opinione,ad G.& cõcedit expoſitionem Simplicij, quam affert huic dubitationi,inquit enim Simplicius, quòd mutari duobus modis accipi poteſt,primo modo mutari ſignificat aliter ſe habere in ſe nunc, quam prius, & ſic illud mutatur hoc modo, quod ſe aliter habet in ſe nunc, quàm prius, & hoc dicitur mutari per ſe primo; Alio modo mutari poteſt accipi largius pro omni, quòd aliter ſe habet,ſiue in ſe, ſiue ad aliud, & hoc modo dicimus, quod in Ad aliquid,ſiue in Relatiuo,eſt motus, quia cum relatio aduenit fundamento, licet fundamentum in ſe non moueatur, neque mutetur,tamẽ mutatur in ordine ad aliud; ſe enim aliter habet nunc reſpectu ſui correlatiui,quàm prius ſe haberet; & ſic reſpõdetur ad dubium ꝙ affert Ariſt. quando ait, ſolum in quattuor Prædicamentis eſſe motum,loquitur de illis Prædicamentis, in quibus per ſe eſt motus, quia formæ, & res exiſtentes in illis Prædicamentis per ſe, & in ſe mutantur, at res, quæ ſunt in Prædicamento Relationis, non per ſe primo mutantur, nõ enim in ſe mutantur, ſed ſolum ſecundariò, & in ordine ad aliud, & ratio huius eſt, quia

quia Relatio, quæ illis aduenit per motum, non eſt forma ad ſe, ſed ad aliud, & ſic fundamentum relationis illius nõ mutatur in ſe per illam formam, ſed in ordine ad aliud, & hoc eſt, quòd etiam dicit Ariſt. in 5. Phyſ. in eodem tex. 19. dum inquit, quod in ad aliquid eſt motus ex accidenti, ſcilicet non per ſe primò, ſed ſecundariò, neque in ſe, ſed in ordine ad aliud. Præterea, aliter reſpõderi poteſt: nã Scotus in 4. Sent. d. 6. q. 10. B. prima ratione aduerſus D. Th. & 3. Sent. d. 1. q. 1. R. in omnibus his locis probat, quod Relatio extrinſecus adueniens, poteſt eſſe terminus mutationis abſque vlla productione formæ abſolutæ. Vnde vbi eſt Relatio extrinſecus adueniens, quia poſito corpore, & loco, in eſſe, non ſtatim ponitur hoc Vbi, vnde poſito corpore, & platea, non ponitur corpus meum eſſe in platea, ſed cauſa externa accedente, quæ moueat corpus meum ad locum plateæ, producitur Vbi nouum, ſcilicet eſſe in platea; ecce, quod terminus illius motus eſt Vbi, ſcilicet illa præſentia corporis mei ad plateã, quæ eſt circumſcriptio paſſiua corporis locati ad locum; quod autem talis relatio extrinſecus detur, ibi latè probat Scotus, & nos in 4. Sent. diſtinct. 25. diximus. Ideo dictum Ariſt. verificatur de relatione intrinſecus adueniente, non de relatione extrinſecus accedente.

THEOREMA XLVI.

Si daretur vacuum, motus fieri poſſet in eo in tempore.

Poſitio Auerrois, & Scoti, cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Auerrois opin. SCotus 2. Sent. diſtinct. 2. quæſt. 9. reſpondendo ad quartum principale, declarat, quod in vacuo, ſi daretur, poſſet fieri motus, & hoc aduerſus Auerroem. Et quoniam res hæc difficilis eſt, diligenter eſt perpendenda. *1. rõ.* Auerroes 4. Phyſ. textu 71. aſſerit, quod ſi in vacuo daretur graue, moueretur in eo in non tempore, hoc autem eſt impoſſibile: quia motus omnis menſuratur tempore, & fit in tempore, tempus enim eſt menſura motus. Conſequentia vero tenet apud ipſum, quia ſuſtinet, quòd ſucceſſio in motu, fiat ex reſiſtentia medij, cum autem in vacuo nullum ſit medium, nulla poteſt eſſe reſiſtentia: & ſic, cum graui nihil reſiſtat in vacuo, ſi moueatur, mouebitur in inſtanti. Hæc etiam videtur eſſe intentio Ariſtotelis in prædicto loco, nam tex. 71. conficit hanc rationem; quæ eſt proportio medij ad medium in ſubtilitate & denſitate, eadem eſt proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, ſed nulla eſt proportio vacui ad plenum in ſubtilitate; igitur nec motus in vacuo ad motũ in pleno in velocitate, & tarditate, ſed omnis motus poſſibilis ad omnem motum poſſibilem poteſt eſſe aliqua proportio in velocitate, ergo nullus motus eſt poſſibilis in vacuo, ſed aliquis eſt poſſibilis in pleno. Hæc ratio eſt demonſtratio, & optimè concludit, ſed eſt benè intelligenda. Maior propoſitio ſupponit, quod quale eſt medium, talis ſit motus, vndè ex ſimilitudine medij oritur ſimilitudo, & proportio motus: ſi enim medium eſt denſum, motus eſt tardus, ſi medium eſt ſubtile, motus eſt velox. Minor eſt vera: quia vacui ad plenum nulla eſt ſimilitudo, neque proportio. Ex his ſequitur Cõcluſio, quod motus, qui eſt in vacuo, nullam habet ſimilitudinem in velocitate neque in tarditate ad motum qui fit in pleno, at omnis motus poſſibilis habet aliquam proportionem in velocitate cum alio motu poſſibili, cum ergo hic motus factus in vacuo, nullam habeat ſimilitudinem cum motu facto in pleno, ſequitur, quod motus in vacuo non detur. Aliam rationem cõficit Ariſtoteles ad hoc in 4. Phyſ. textu 72. quæ eſt ducens ad impoſſibile: eſt impoſſibile apud Philoſophum, quòd motus factus in pleno ſit æqualis motui facto in vacuo; at ſi admittatur, quòd motus fieri poſſit in vacuo, ſequitur hoc impoſſibile; quòd autem ſequatur probat ſic. Accipiatur aliquod corpus plenum, quod ſit ſubtile in tanta proportione, quod excedat aliud corpus plenum ſubtile tantum, quantum tempus motus facti in vacuo excedit tempus motus facti in pleno, tunc ſi fiat motus in hoc pleno ſubtiliori, erit æqualis motui *2. rõ.*

tui facto in vacuo, quod vt diximus eſt impoſſibile. Conſequentia autem patet: quia ſi corpus illud ſubtilius ſit ſubtile in tanta proportione, quod ſit æquale proportionaliter tempori, in quo fit motus in vacuo, ſequitur, quòd æqualis erit motus factus in tali pleno, & in vacuo, & hæc ratio ducit ad impoſſibile, qua ratione etiam probatum eſt, quod impoſſibilis eſt motus in vacuo propter hoc inconueniens.

Hæc dicit Scotus de mente Ariſtot. in 2. Sentent. diſt. 2. q. 9. in 4. Arg. principali. Reſpondendo poſtea Scotus his rationibus in eodem loco ad quartum dicit. Ad Auerroem, quod pro tanto ſecũdum Philoſophum in vacuo non poſſet moueri graue, quia vacuum non poſſet cedere graui, ratio huius eſt, quia ſecũdum Philoſophum vacuum eſt nihil, & nullum habet ſpatium, & ideò graue non poteſt prius eſſe in vna parte, deinde in alia, & ſic vacuum non poteſt cedere graui; at ſi vacuum ſtatuatur aliquod ſpatium quantum, habens latera diſtantia, inter quæ nullum ſit corpus, ſed ſit penitus vacuũ, vt exempli gratia ſi eſſet quædam Aula magna vacua, dicit Scotus, quod in tali vacuo poſſit fieri motus, & eſſet in tempore, & non in inſtanti, Ratio eſt: quia in motu duplex eſt ſucceſſio; Alia eſt ſucceſſio eſſentialis; & alia eſt ſucceſſio accidentalis (hanc ſucceſſionem alij appellant reſiſtentiam internam, & externam, externa eſt ſucceſſio accidentalis, interna eſt eſſentialis) ſucceſſio eſſentialis in motu, eſt ex ſpatio quanto, inquantum quanto, ſi enim graue moueatur à recto Aulæ vacuæ ad pauimentum, neceſſe eſt, quòd prius ſit in priori parte illius ſpatij, deinde in media, tandem in vltima, hæc eſt ſucceſſio eſſẽtialis. Ex hoc apparet, quòd talis motus non poſſet fieri in inſtanti: quia in inſtanti non poſſet has partes ſpatij pertranſire ſucceſſio verò accidentalis prouenit ex ſubtilitate, & denſitate medij, & hæc ſucceſſio nõ poſſet eſſe in motu facto in medio; vnde quia medium vacui nihil eſt, & ſic neque eſt denſum, neque ſubtile ſucceſſio; itaque eſſentialis prodit ex duplici cauſa, ſcilicet ex diuiſibilitate ſpatij, & ex impotentia agentis, & hæc ſecunda eſt propriè reſiſtentia, vt dixi in Theoremate de reactione, cap. 3. ſed diuiſibilis ſpatij non eſt propriè reſiſtentia, quia in illa præciſè conſiderata, non eſt agens, neque patiens. At Franciſcus Piccolomineus lib. de Elem. cap. 23. ait hanc impotentiam agentis non requiri ad ſucceſſionem, ſed ſufficere primam cauſam nunc aſſignatam, quia limitatio agentis potius conſtituit determinatum terminum formæ acquirendæ, quàm determinatum tempus, vnde agens ſi contrarium non pugnaret, induceret formã in inſtanti, ſicuti ſol ſine tempore illuminat, quia lumini contrarium non competit; Sed hæc ratio nihil concludit, & eius expoſitio eſt falſa: quia reſiſtentia prodit ex impotentia agentis quoque, alioquin ſequeretur, quòd idem paſſũ in eodem tempore cæteris paribus immutaretur ab agente validiſſimo, & ab agente valdè remiſſo, vt quòd idem lignum ita cito comburatur ab igne intenſo ad centum, ſicuti ab igne intenſo ad decem, quòd tamen experientia patet eſſe falſum, conſequentia eſt clara: quia eadem eſt forma, patiens, & eodem modo reſiſtit vtrique. Falſa quoque eſt in propoſito: quia ſucceſſio in motu, eſt principaliter ex impotentia agentis, quia in motu locali in vacuo non eſt contrarium repugnans formaliter, quod impediat mouẽs, ideò ſucceſſio in illo motu, quod in iſtanti non perueniat à termino à quo, ad terminũ ad quem, eſt ex impotentia agentis; Vnde quo debilius erit agens, eo maior erit tarditas in illo motu: Ratio autem eius non concludit, quia ſolis illuminatio eſt actio ſpiritualis, & non corporalis, ideò non concludit in propoſito, de quo aliàs plura.

Ex hoc ergo apparet, quòd in vacuo poſſet fieri motus ſucceſſiuus, & tamen cum hoc, rationes Philoſophi concludũt, quia Philoſophus conſiderauit nedũ ſucceſſionem eſſentialem in motu, ſed etiam accidentalem, motus autem ſucceſſiuus ſucceſſione accidentali in vacuo fieri nõ poteſt, vt dictum eſt: quia hæc prouenit ratione denſitatis, vel ſubtilitatis medij, quæ denſitas, vel ſubtilitas non eſt in medio vacui; aduenit etiam velocitas, & tarditas

Piccolomineus.

Reÿcitur.

Ad rõnem Piccolominei.

Solrõnes & Ariſt.

dita

ditas motui ratione denſitatis,vel ſubtilitatis medij, quia impedit, vel promouet graue: vnde motus in vacuo non haberet talem velocitatem, vel tarditatẽ. Ex quo patet Piccolomineum lib. de Elementis cap.24.non rectè carpere Scotum,debebat enim totum textum Scoti legere in reſponſione ad quartum principale, & tunc vidiſſet,quæ ſit germana mens Scoti. Per hoc patet reſponſio ad omnes obiectiones contra Ariſtotelem, & patet quomodo ſuæ rationes concludant, immò (vt videtur) omnia ferè quæ dicit Piccolomineus ad ſaluandum Ariſtotelem in proportionibus motuum fere ex Scoto in hoc loco deſumpſiſſe videtur.

Piccolomineus male carpit Scotũ

Rationes ergo Philoſophi concludũt, quod in vacuo nõ poſſet eſſe motus cum ſucceſſione accidentali, ſcilicet, tarditate, & velocitate, vti eſt in motu facto in pleno, quia nõ adeſt proportio medij inter vaccum,& plenum,vt dictum eſt in illis rationibus,non tamen propter hoc cõcludunt, quòd in vacuo non poſſit fieri motus ſucceſſiuus ſucceſſione eſſentiali, vt dictum eſt, quia eſſet proportio inter talem motum eſsentialem in vacuo, & motum factum in pleno, quò ad ſucceſſionem eſsentialem,licet non quo ad accidentalem,quia & in motu facto in pleno,ſucceſſio eſsentialis fit ex ſpatio quanto,& impotentia agentis,& ſic ad primã rationem, quæ eſt demonſtratio dicendum eſt ad maiorem, quòd vera eſt de motu quò ad ſucceſſionem accidentalem, non quo ad eſſentialem; nos autem dicimus in vacuo poſſibile eſse ſolum fieri motum quo ad ſucceſſionem eſsentialem, non accidentalem. Similiter ad ſecundam rationem dicimus,quòd illud non eſt impoſſibile,quia medium vacuũ, & medium plenum poſſunt æquari quo ad ſucceſſionem eſſentialem,non quo ad accidentalem.Et ſic ex his patet,quod in vacuo poteſt fieri motus ſucceſſiuus, quia eſsentialis ſucceſſio in motu eſt ex ſpatio quanto, quòd virtus finita in inſtãti pertranſire non poteſt; mouens ergo poſſet ſe mouere in vacuo, & mouere in tempore,vt dictum eſt.

Ad 1. *Ad 2.*

Rõnes aliorũ pro hac opin.

Pro hac opinione arguitur ab alijs, & huic medio ferè omnes rationes innituntur,Ponatur lapis in concauo lunæ,& reliquum ſpatium vſque ad centrum ponatur vacuum,non eſt dubium,quin ille lapis mouebitur deorſum, quia natura eſt grauis, & eſt extra ſuum locum, & nihil obſtat;vel igitur mouebitur ſucceſſiuè,& ſic habeo quod volo,vel in inſtanti, & ſic erit ſimul in ſupremo,medio,& in vltimo loco, quòd eſt impoſſibile,nam ait Ariſt. in 6. Phyſ. omne mobile, quod mouetur per aliquod ſpatiũ,prius pertranſit priores partes quàm poſteriores illius ſpatij. Præterea,omnis ſucceſſio prouenit ex diſtantia extremorum,at hæc diſtantia poteſt eſſe tam in ſpatio vacuo, quàm in pleno,ergo in vacuo poteſt eſse motus. Alij alias rationes adducunt, ſe hæ ſunt potiores.

Rationes Aduerſariorum contra hanc ſententiam, & eorum ſolutio. Cap. II.

PRimo Iãdunus 4.Phyſ.q.11.cũ Auerroe ſuſtinet,quod in vacuo nõ ſit poſſibilis motus localis,& arguit primò ſic. Si datur vacuum,& in eo fiat motus localis,aut mobile exiſtens in vacuo mouetur ad vnam partem ſolum,vel ad omnes ſimul, non eſt dicendum quod ad omnes ſimul, quia implicat, quod vnum & idẽ corpus tendat ad plures partes ſimul ſecundum idem ſui; neque poteſt moueri ad vnam partem tantum, quia vacuum ſi eſſet, eſset vniuſmet diſpoſitionis per totum,& nullã partium diuerſitatem haberet, neque virtutum, vt omnes concedunt, & ſic qua ratione moueretur mobile ad vnam partem, eadẽ ratione moueretur ad aliam oppoſitã.Secundò,ſi in vacuo fieret motus,ſequeretur hoc impoſſibile,quod in vacuo æqualiter moueretur corpus graue,& leue cæteris paribus, ſcilicet figura,& magnitudine exiſtente eadem. Cõſequentis falſitas patet:eſt enim incõueniẽs,quòd graue eiuſdẽ figuræ, & magnitudinis,cũ alio leui eiuſdẽ figuræ, & magnitudinis æquali motu moueãtur deorſũ.Cõſequentia probatur:quia ratio quod vnũ mobile eiuſdẽ figuræ,& magnitudinis velocius moueat alio,eſt,quia velocius,& fortius diuidit mediũ per quod fit motus:ſi autem detur vacuum,mediũ

1. *2.*

illud

illud cum ſit inane,non poteſt fortius diuidi ab vno , quam ab alio, ergo æqualiter mouebuntur.

3. *Achillinus.* Alij verò,vt Auicenna, Achillinus,& alij probant:ſi motus fieret in vacuo,ille motus eſſet in non tempore, & maximè de corpore ſimplici ſic: omnis ſucceſſio , & mora in motu, prouenit ex reſiſtentia interna mobilis,vel ex externa reſiſtentia ; ſed ſi moueretur corpus ſimplex in vacuo , nullam haberet reſiſtentiam , ergo motus in vacuo non poterit fieri in tempore,nec erit ſucceſſiuus. Maior probatur: quia ſucceſſio non prouenit ex mouente, quia mouens quantum eſt ex ſe , vellet quamprimum inducere terminum intentum. Confirmatur: mora in motu eſt propter aliquam reſiſtentiam , quam mouens reperit , etiam mouens ſibi ipſi non repugnat,ergo. Confirmatur : quia videmus eandem virtutem actiuam modo mouere tardius , modo velocius , ſecundum quod reperit maiorem , vel minorem reſiſtentiam; agens etiam naturale in principio paulatim , & ſucceſſiuè agit , ob qualitates ſibi repugnantes;ſed vbi eas expulit, agit in inſtanti , tunc enim puncto temporis producit formam ſubſtantialem, non ergo ex mouente prouenit mora, & ſucceſſio in motu . Relinquitur ergo, quod ſucceſſio in motu , proueniat ex reſiſtentia interna mobilis,vel ex reſiſtentia externa medij , quia non poteſt fingi,quòd proueniat ab alio. Minor verò probatur; Corpus ſimplex in vacuo ſi moueretur, non haberet reſiſtentiam externam,quæ eſt à medio, ſcilicet à denſitate medij, neque haberet reſiſtentiam internam mobilis , quia vel illa proueniret à materia , vel à forma , nō à materia,q̃a materia eſt indifferēs ad quẽlibet motũ;non à forma,quia illa eſt principium motiuum: ergo ipſa non reſiſtet ſibi in motu,quem facit; cum itaque in tali motu facto in vacuo , nulla ſit reſiſtentia , nulla quoque erit ſucceſſio , & conſequenter talis motus erit ſine vlla mora,& in non tempore.

Zab. Hanc rationem valdè exaggerat Zabarella lib. 1.de Motu grauium,& leuiũ, cap. 10.& eam confirmat : quia ait omnem reſiſtentiam prouenire ab actu , vndè compoſitum , in quo ſunt plures actus , vt eſt animal, ſi eſſet in vacuo , ait Zabarella ex Auerroe, moueretur motu continuò , quia adeſt reſiſtentia interna; anima enim , & forma corporis ſibi reſiſtunt:ſed negat elementa poſſe moueri in vacuo in tempore,quia iſta cum ſint ſimplicia, habent vnicum actum ; & ſic non poſſunt habere internam reſiſtentiam.Potentia enim nulli reſiſtit, actus verò ſibiipſi in actione quam facit non reſiſtit, ideò in vacuo non poſſunt moueri : quia mouerentur in inſtanti.Quod confirmat exemplo illuminationis, quæ fit in inſtāti , eo quòd non habet contrarium actũ , qui lumini reſiſtat in illuminando.

4. *Nota.* Quarto ſic;Si ſucceſſio motus in vacuo nō prouenit ex reſiſtentia medij , ſed ſucceſſio quę medium affert eſt accidentalis , ſequitur, quod corpus ſimplex graue, magis naturaliter, & magis velociter moueatur in vacuo,quam in pleno,quia nullum habet impedimentum,ſed hoc eſt contra Ariſt.3.de Cælo, tex. 28.vbi ait naturam vti medio tamquam inſtrumento, ad faciendum motum naturalem , vel violentum,& motum naturalem iuuari, atque promoueri à medio,ergo ſine medio pleno non poteſt fieri motus neque naturalis,neque violentus.

Notandum. Sed nota quòd hæc ratio non probat motum factum in vacuo corporis ſimplicis , fieri in non tempore, ad quod adducitur ab iſtis: ſed ſolum probat,ſi quid probat , quod motus in vacuo fieri non poteſt : quia non habet requiſita , quorum vnum eſt plenitudo medij ſecundum eos.

5. Quintò, ſequeretur,quod corpus ſimplex nunquã poſſet moueri purè naturaliter, neque tanta velocitate , quanta eſt aptum moueri in pleno, ſed ſolum ſic fieret in vacuo; Conſequens eſt abſurdum: quia nullum corpus ſimplex modò moueretur naturaliter,quoniam vacuum non datur:ſed omne medium eſt plenum;cōſequentia probatur : quia naturalis velocitas corporis ſimplicis , ſemper impediretur , & retardaretur à medio. Hæc ratio concludit vt præcedens nunc aſſignata.

6. Sextò probant etiam, quod in vacuo nullo modò poſſit fieri motus. Omnis motus localis dependet a motu locali Cæli,ex Ariſtot.8.Phyſ. textu 56.& in 12.Metaph.tex. 38. ſed ſic eſt,quod

eſt, quod poſito vacuo aufertur motus Cælorum, ergo in vacuo nullus motus localis fieri poteſt. Septimò, motus localis
7. non poteſt fieri ſine loco, neque locus poteſt eſſe ſine ſuperficie corporis continentis, vt patet ex 4. Phyſ. tex. 41. ſed in vacuo nulla eſt ſuperficies corporis continentis, quia nullum corpus, ergo in vacuo non fieri poſſet motus localis.

Solu. rõnũ adductarũ Verùm rationes iſtæ nullius ſunt momenti, & ſententia Scoti eſt ſatis declarata in cap. ſuperiori, & eſt expoſita mens Ariſt. & eſt efficacia ſuarum demonſtrationum in hac materia; Nunc relinquitur, vt has rationes diſſoluamus. *Ad 1. rõnẽ.* Ad primam quidem rationem Ianduni dico, quod mobile in vacuo moueretur ad vnam partem determinatè, ſcilicet ad illa n ad quam moueretur a mouente, vt ſi mobile eſſet graue, tenderet deorſum, quia forma grauis mouens, moueret illud deorſum determinatè, ideò ratio aſſumit falſum, ſcilicet quod determinatio motus ad vnam partem magis, quàm ad aliam proueniat ex medio. *Ad 2.* Ad ſecundam nego conſequentiam. Ad probationem dico, quod duplex eſt velocitas, & tarditas in motu, vna eſſentialis, quæ prouenit ex virtute mouentis, alia accidẽtalis, quæ prouenit ex medio, & ſic ad propoſitum dico, quod mobile in vacuo licet careret velocitate, & tarditate accidentali quę prouenit à medio, haberet tamen tarditatem & velocitatem prouenientem à mouente, & tunc quia mobile graue habet mouẽtem fortiorem, quàm mobile leue, ideò velocius moueretur mobile graue, quàm mobile leue, licet eſſet in medio vacuo. *Ad 3.* Ad tertiam nego maiorem. Concedo enim quod ſucceſſio in motu eſt ex reſiſtentia, ſed dico, quòd reſiſtentia nedum prouenit ex medio, & ex mobili, ſed dico, quod oritur quoque ex defectu virtutis mouentis, quia enim mouens eſt virtute exiguum, ideò hinc fit, quod non poteſt inducere ſtatim mobile ad terminum intentum, quoniam in vacuo licet non adſit reſiſtentia ex parte mobilis, neque ex parte medij, tamen adeſt reſiſtentia ex virtute mouentis, quod quidem cum ſit corporeum, & virtutis finitæ, non poteſt inducere mobile ab vno extremo ſpatij vacui ad aliud extremum ſpatij vacui in inſtanti, ſed fiet neceſſariò in tempore. Maior itaque eſt falſa, quia eſt diminuta, & tunc quoque minor eſt falſa, dico enim quod in mobili eſt reſiſtentia intrinſeca ex parte formæ, non quia forma ſibi reſiſtat, ſed quia habet virtutem limitatam, & ſic non poteſt mouere in inſtanti mobile, licet nullum medium ſibi reſiſtat. Ad rationes probantes Maiorem, ad primam dico, quod mouens vellet inducere in inſtanti ſi poſſet, at non poteſt, quia ſpatium eſt quantũ ex Hypotheſi, & ideò neceſſe eſt quòd prius ſit in medio quàm in fine, & dato, quod nullum aliud impedimẽtum adeſſet, adeſt hoc, quod eſt limitatæ, & determinatæ virtutis, & ſic non poteſt in quocumque minimo tempore mouere, ſed neceſſariò mouet in tempore determinato. Ad ſecũdam iã dictum eſt, quòd reſiſtentia quoque prouenit ex defectu virtutis mouentis. Ad confirmationem dico, quòd hoc accidit, quando vltra reſiſtentiam prouenientem ex defectu ſuæ virtutis, adeſt reſiſtentia accidentalis proueniens ex medio, tunc enim ſecundum quod medium eſt, vel ſubtilius, vel denſius, velocius, & tardius mouetur. Ad aliam confirmationem dico, quod etiam in motu locali in vacuo adeſt impedimẽtum, nempè partes ſpatij pertranſibiles, remoto autem hoc impedimento, etiam mouens localiter ducit ſtatim mobile ad locum intentum. Ad cõfirmationem Minoris dico, quod corpus ſimplex non moueret ſe ex reſiſtentia interna prouenienté ex defectu virtutis mouentis, & ex continuitate ſpatij, vt dictum eſt. Ad illam confirmationem de illuminatione, reſpõdeo, vt Piccolomineus, quòd non eſt ad propoſitum: quia illa eſt actio ſpiritualis, non corporalis; Vel dicamus, quod illuminatio fit in inſtanti, quia non habet vllum impedimentum externum, at in motu locali adeſt impedimentum, ſcilicet diſtantia localis, qua ablata in inſtanti corpus fit in loco, lux enim non defertur de loco ad locum, vt res mobilis motu locali, ſed actuat corpus diaphanum ſibi iunctum, quod quia eſt in actu in pluribus locis, in inſtanti etiam ſimul illuminatio

Ad rõnes probãtes maiorem.

Ad cõfirmationem minoris.

natio

natio ſit pluribus in locis.

Ad 3. Ad tertiam pro intelligentia dico, quod Ariſt. in 3. de Cælo textu 28. ait aerem ſeruire motori violento, & naturali, quia aer eſt grauis, & leuis, grauis reſpectu ignis, leuis reſpectu terræ, & aquę, ad ea ergo quæ mouentur deorſum inſeruit motori, quia cum ipſe aer quoque ſit grauis, impellit, & promouet rem deorſum. Similiter inſeruit mouenti dum mouet aliquid ſurſum: quia aer eſt leuis, vt dictum eſt, & ſic promouet ſua leuitate rē illam ſurſum, & hic re vera eſt ſenſus Ariſtot. vt quilibet videre poteſt. Ex quo patet reſponſio. *Ad 4.* Ad quartam, nego enim conſequentiam: quia medium, vt inquit in citato loco Ariſt. eſt, vel graue, vel leue, & ſic vt leue, adiuuat mouētem dum mouet rem ſurſum, vt verò eſt graue, adiuuat mouentem rem deorſum, mouet vt aer, quia eſt leuis reſpectu terræ, & aquæ, ſua leuitate promouet rem, quæ mouetur ſurſum, & grauitate rem, quæ mouetur deorſum. Si autem à medio circumſcriberetur grauitas, & leuitas, & remaneret ſolùm denſitas, non eſt dubium, quod tunc graue moueretur velocius in vacuo, quam in pleno.

Ad 5. Ad quintam patet ex dictis ſimiliter, quia conſequentia valeret ſi à medio circumſcriberetur grauitas, & leuitas, & remaneret tantum denſitas: at quia mediū ſemper vel eſt graue, vel leue, ideò vbi impediret denſitas, ſuppleret grauitas, vel leuitas medij, & ſic res in medio pleno mouetur naturaliter, & ſua velocitate naturali. *Ad 6.* Ad ſextam dico, quod hic quęrimus facta hypotheſi ſi vacuum eſſet, & eſſet virtus motiua in eo, an poſſet mouere in tempore, & dicimus, quod ſic, vndè licet nunc re vera, Cæli motus ſit cauſa omnium motuum, tamē facta illa Hypotheſi, non eſſet cauſa omnium: quia illa virtus eſset primum principium motus ſui. *Ad 7.* Ad ſeptimam dico, quod ſi daretur vacuum, vt loquimur, adhuc darentur corpora, dato enim, quod aer eſset vacuus, adeſset terra, & ciuitas vna diſtaret ab alia, & ſic quodcūque moueretur ab vna ciuitate ad aliam, moueretur ſuper ſuperficiem terræ, & tranſiret per vacuum, vti eſt aer. Vel dicamus, quod ad motum localem ſufficit corpus vnum, quod ſit terminus à quo, & aliud, quod ſit terminus ad quem, licet enim medium ſit vacuum, nihil refert, immò hoc non eſse impoſſibile oſtendimus ſupponendo dari vacuum.

THEOREMA XLVII.

Locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum.

Declaratio huius definitionis loci ſecundum mentem Scoti. Cap. I.

HAec eſt definitio loci, quam ponit Ariſt. 4. Phyſ. tex. 41. Locus eſt vltimum corporis continentis immobile primum, cuius duas particulas declarat Scotus 2. Sent. d. 2. q. 6. reſpondendo ad quæſtionem; prima particula eſt, vltimum inquit enim definitio, Locus eſt vltimum *Quō locus ſit vltimū.* corporis continentis, &c. per vltimum intelligit Philoſophus vltimam ſuperficiē corporis continentis; rationem adducit Scotus, propter quam locus dicitur vltimum, & eſt hęc: quia nullum diuiſibile, ſecundum illam dimenſionem, ſecundū quam eſt diuiſibile, poteſt applicari alicui immediatè, vt continens ipſum, quia non poteſt totum immediatè inhærere contento: ſed ſolùm inhæret contento ſecundum vnam partem illius dimēſionis, ſecundum quam eſt diuiſibile, vt vas continens aquam, non poteſt immediatè totum inhærere aquæ, quia vas eſt diuiſibile ſecundum profunditatem in diuerſas ſuperficies, ideò vas inhæret aquæ ſecundum ultimam ſuperficiem vaſis, & hæc eſt, quæ continet aquam præcisè. Illud ergo eſt locus ſolum, quod eſt præcisè cōntinens; hoc autem eſt ultimum corporis continentis, ſcilicet ultima ſuperficies corporis continentis; Ex hoc habemus, quòd præciſum continens, quod eſt re uera locus, eſt indiuiſibile ratione nunc dicta; nullum autem indiuiſibile de genere quantitatis per ſe exiſtit ſed eſt in aliquo diuiſibili, & ideò ſequitur quod illud præcisè continens, quod eſt locus, ſit ultimum alicuius corporis cōtinētis, ſubinfert autem hanc ultimitatem non eſse de ra-

de ratione loci, ſicuti de ratione loci eſt continere præciſè; & ratio huius eſt; quia ſi fieri poſſet, quod illud indiuiſibile, qđ inhæret immediatè, & continet locatum, vt puta illa ſuperficies, per ſe maneret, & non eſſet vltimum alicuius diuiſibilis, ipſa per ſe eſſet locus & præciſè contineret, & non eſſet vltimum alicuius corporis continentis; hæc ergo vltimitas, competit loco, non vt locus eſt, ſiue non vt continens eſt; ſed quia tale continens præciſè non poteſt eſſe niſi aliquod vltimum corporis continentis. Secunda particula declaranda in definitione loci eſt, immobile, in cuius declaratione primò ponit opinionem D. Thomæ, & illam reijcit: Secūdo, ponit propriam declarationem, quā nos primo loco ponemus. Duo dicit de loco quo ad hanc immobilitatem; primum eſt, quòd locus eſt omnino immobilis immobilitate oppoſita motui locali, ſecundum quod etiam dicere poſſumus locū eſſe incorruptibilem, & æternum ſpecie, ſiue ſecundum æquiualentiam; re vera enim locus idem numero eſt corruptibilis, ſed ſpecie, & per æquiualentiam poteſt dici incorruptibilis, & hoc ſecundū adiecit ad declarandum quomodo locus dicatur incorruptibilis. Vbi notandum eſt, quòd aliud eſt dicere, locum eſſe immobilem, & aliud dicere, eſſe incorruptibilem, vnde Ariſtoteles ait locum eſſe immobilem, non tamen dicit eſſe incorruptibilem; Scotus ergo declarat primum, ſcilicet quomodo locus ſit immobilis, & inquit quòd locus eſt immobilis motu locali, quia locus non poteſt moueri de loco ad locum, ſiue per ſe, ſiue per accidens, quia ſi moueretur de loco ad locum, ſiue per ſe, ſiue per accidens ſequeretur, quod locus eſſet in loco per ſe, ſiue per accidēs, quorum vtrumque eſt incōueniens: quia tunc loco poſſemus aſſignare alium, & alium locum. Confirmatur; quia tunc etiā ſequeretur, quod quieſcens moueretur, vel moueri poſſet de loco ad locum, vt quieſcens, quod implicat. Conſequentia probatur, quia quod habet ſucceſſiuè alium, & alium locum, mouetur localiter; fixum autem, & quieſcēs in aliquo loco, ſi locus ille moueretur haberet alium, & alium locum ſucceſſiuè, mutaretur enim locus dum ipſe quieſcit: & ſic apparet cōſequentia. Implicatio autem cōtradictionis in cōſequente eſt manifeſta: quia quieſcens, pro tanto eſt quieſcens, quia manet in eodem loco numero; non poteſt ergo mutari locus per ſe, neque per accidens: quia tunc quieſcēs vt quieſcens, non quieſceret, ſed mutaretur, qđ implicat; quòd ſi quis contendat locum moueri per accidens, quia videtur moueri ad motum corporis, cuius eſt vltimum. Reſpondetur ex Ariſt. 4. Phyſic. tex. 41. quod non mouetur vt locus, quia hoc implicat; ſed mouetur vt accidens illius corporis, & quod in eo, vt mouetur non eſt in eo, vt in loco, ſed vt in vaſe, vt nauis in fluuio. Hoc ergo modo ait Scotus locū eſſe immobilem, quæ explicatio equidem eſt veriſſima, & fortiſſimis nixa fundamentis, & ſecundum mentem Ariſtotelis. Ex quo apparet, Benedictum Pererium non rectè Scotum intellexiſſe; dum id, quod ait Scotus de incorruptibilitate putat Scotum dixiſſe de immobilitate: Nunc videamus ſecundū, ſcilicet, quomodo locus ſit incorruptibilis. Inquit Scotus locus idem numero abſque dubio eſt corruptibilis, & de facto corrumpitur: quia ſi ſubiectum non maneat idem, nullum accidens abſolutum, vel reſpectiuum exiſtens in ipſo, manet idem: at clarum eſt, quod ſubiectum loci, ſiue ſuperficiei vltimæ corrumpitur, & mouetur localiter, ergo locus ille numero corrumpitur, quia non manet eadem ratio loci in eo ſubiecto, quæ prius erat; Neque poſſumus dicere, quòd maneat eadem ratio loci in corpore ſuccedēte; vt exempli gratia, aqua ſuccedit aquæ, ſed eadem ratio loci numero, quæ erat in priori aqua, non poteſt manere eadem in ſubſequente aqua: quia accidens non migrat de ſubiecto in ſubiectum, corrumpitur ergo locus idem numero, quomodo ergo locus eſt incorruptibilis? quia dicimus, quod Turris exiſtens in aqua, quę continuo fluit, ſemper manet in eodem loco, & tamen locus ille ambiens turrim ſcilicet ſuperficies aquæ continuò mouetur, & corrumpitur, quia ſemper aqua fluit. Reſpondet Scotus quod ille locus turris non permanet idem numero re vera, quia vt probatum eſt, cum continuò

Nota | *Pererius.* | *Locus ē corruptibilis.*

ſubiectum ſcilicet aqua fluat, ſuperficies, & locus continuo mutatur, & corrumpitur; ſed dicitur idem locus manere per ęquiualētiam, quia illi loco ſuccedit alius locus eiuſdem ſpeciei, & quoniam inter illum locum priorem, & hunc poſteriorem ſubſequētem nullum intercedit ſpatium videntur eſſe vnus numero locus; & ratio huius apparentię eſt, quia motus localis eſt ad duo Vbi diuerſa, quo ad reſpectum ad totum vniuerſum, inter quæ intercedat ſpatium, & quia inter hæc ſed duo Vbi non intercedit ſpatium, neque habēt diuerſum reſpectum ad totum vniuersū, non poteſt in ijs fieri motus localis, & cōſequenter videntur vnum Vbi, & vnus locus numero. Dat pulchrum exēplum in nominibus ſignificatiuis, quia hæc vox homo, quotieſcumque prolata, dicitur cōmuniter vna vox numero, & diſtinguitur ab hac voce, lapis, numero, cum tamen non poſſit eadem vox numero bis proferri, ita quòd quòt ſunt prolationes, tot sūt voces diſtinctæ numero, & hęc vox, homo, & hæc vox lapis, nōn tantum numero, ſed etiam ſpecie diſtinguuntur, & tamen quia ad finem vocis, ſcilicet ad exprimendum conceptum, ſunt idem, ideo per æquiualentiam dicuntur vnum numero, homo, & homo, lapis, & lapis; ſic loci illi licet ſint diuerſi numero, tamen quia ſunt circa idem locatum, ſine intermedio ſpatio, & nō variat reſpectus ſpatij ad vniuerſum, dicuntur vnus locus numero. Ex his apparet, quomodo verificetur dictum illud: turris manens in flumine continuo fluenti, manet ſemper in eodem loco, & vniuerſaliter de quacumque re, apparet etiam quomodo locus ſit immobilis, & tamen eſt corruptibilis numero, incorruptibilis per æquiualentiam. Alij autem omnes decipiuntur, non diſtinguendo immobilitatem ab incorruptibilitate.

Obiectiones aliorum contra dicta à Scoto, & eorumdem paſſiones. Cap. II.

QVidam Moderni arguunt aduerſus Scotū, dixit enim Scotus, quod locus eſt incorruptibilis per æquiualentiā, non numero, ipſi verò arbitrantes locum eſſe incorruptibilem etiam numero, ita argumentantur. Primò Ariſtoteles 4. Phyſicorum, textu 41. negat nauim quæ eſt in aqua, quæ continenter labitur, eſſe in loco; hac ratione: quia ſcilicet locus eſt immobilis: aqua vero mutatur: at ſi eſſet vera poſitio Scotiſtarum, facilè huic rationi Ariſtotelis poſset occurri, dicendo aquā fluminis in quo eſt nauis mutari quidem per ſe, tamen manere eandem ſecundum æquiualentiam, & hoc ſufficeret ad tuendum loci immobilitatem. 1. rō. Secundò, diuerſæ ſuperficies diuerſorum corporum cōtinentium aliquod locatum, non poſſunt æquiualere in idem numero, ſed in idem ſpecie; hic autem quæritur immobilitas loci numeralis, quia illa turris exiſtens in flumine, vel aere, dicitur eſſe in eodem loco numero, licet ſuperficies ambiens non ſemper ſit eadem numero. 2. Tertiò, ſi quis tranſeat ex vna parte aeris ad aliam, ſecūdum Scotiſtas diceretur eſſe in eodem locō, quia licet mutauerit varias ſuperficies aeris, tamen cum illæ ſibi inuicem ſint æquiualentes, & eadem penitus ratione idem contineant, deberent dici eſſe in eodem loco. 3. Cum itaque iſti Moderni cognoſcere non poſsent quomodo locus omnis ſit immobilis, deuenerunt in hanc ſententiam, quòd hæc conditio competat ſolùm loco naturali, nec cuicumque loco naturali, ſed ſolum loco naturali elementorum: ſolum enim ille locus eſt perpetuus, & immobilis. Ad obiectionem illam de turri in flumine, Reſpondent, quod eſt in loco eodem actiuè, quia ipſa non mutat locum, ſed paſſiuè non: quia ipſa deferitur à diuerſis locis. Vel aliter, locus duobus modus vſurpari poteſt; Vno modo propoſitione, & ſitu, & ita aiūt, quod turris eſt in eodem loco, id eſt in eadem poſitione, & ſitu ſemper. Alio modo accipitur locus propriè pro ſuperficie vltima corporis continentis, & ſic turris nō eſt in eodem loco numero, ſed diuerſo. Sed quod hæc poſitio ſit falſa, probatur faciliter per ea quæ dixit Scotus declarando immobilitatem loci; clarum eſt enim, quòd Ariſtoteles loquitur 4. Phyſicorum de loco in communi, ſicuti loquitur de tempore, & motu in communi; dicuntur enim iſti ſex vltimi libri, communes Reijcitur libri:

libri: quia in illis agit de paſſionibus cõmunibus corporis naturalis, ſicuti in duobus primis agit de principijs communib. corporis naturalis, non ergo arctatur illa conditio ad locum particularem, & ad locum elementorum tantum. Præterea, re vera omnis locus eſt immobilis, vt probauit Scotus, ergo immobilitas eſt conditio competens vniuerſaliter loco. Ad rationes contra Scotum facilè eſt reſpondere; Ad primam dico, quod, vt eſt videre legenti textum in præcitato loco, Ariſt. ibi declarat locum ex ſimilitudine ad vas: ait enim locum eſse veluti vas, ſed adeſt hæc differentia, quod vas eſt mobile, locus verò immobilis, quod eſt in aliquo, quod mouetur, non eſt in eo tamquam in loco, ſed tamquam in vaſe, vt nauigiũ in fluuio, non eſt in fluuio tamquam in loco, quia fluuius non eſt immobilis, ſed eſt in fluuio tamquam in vaſe, & hæc omnia vera ſunt, quia re vera nauis non eſt in fluuio tamquam in loco, quia non cõtinetur nauigium primo a fluuio, ſed a ſuperficiè fluuij, quæ poſtea eſt immobilis. vnde ſubinfert, quòd non vas, ſed ſuperficies vltima vaſis eſt locus; dico ergo, quod Ariſt. ait nauigium in fluuio non eſse in eo tamquam in loco, tamen non negare eum (dum eſt in fluuio) habere aliquem locum: quia cum ſit corpus, neceſsario eſt in aliquo loco, hic autem eſt ſuperficies fluentis aquæ; & illa ſuperficies eſt immobilis per æquiualentiam. Ad ſecundam patet ex dictis iam, quod locus turris idẽ numero non permanet, ſed idem ſpecie, qui tamen dicitur vnus numero ratione ſuperius aſſignata, ſcilicet per æquiualẽtiã. Ad tertiã ſimiliter patet reſp. ex dictis, quia qui tranſiret ab vno Vbi, ad aliud Vbi, nõ haberet eundem locum, neque numero, neque ſpecie, neque in ordine ad vniuerſum totum, ſed omninò diuerſum, inter quæ etiam daretur ſpaciũ; & poſset fieri motus localis: Vnde illi duo loci non poſſunt apparere vt vnus, & ideo non ſequitur ſecundũ poſitionẽ Scoti illum ſic trãſeuntem debere eſse in eodem loco.

Ad 1. Rõnẽ cõtra Scotũ · *Ad 2.* · *Ad 3.*

D. T. multis in locis ſed præcipuè 4. Phyſic. tex. 41. ponit ſuam opinionẽ quomodo locus ſit immobilis, quæ tamen à nonnullis Thomiſtis nõ recte explicatur, neque intelligitur; inquit ergo, quod locus materialiter eſt mobilis; ſed formaliter non, hoc declarat exemplo, nauis eſt in flumine, totus fluuius, vt eſt immobilis, eſt locus nauis: ſed quia totus fluuius reſpectu nauis eſt locus communis, oportet reperire locum proprium nauis, hic neceſsariò erit aliqua pars fluminis inquantum habet ordinem ad totum fluuium, vt eſt immobilis, volentes igitur accipere proprium locum nauis in flumine, non debemus accipere locum ſecundum aquam, quæ fluit, ſed ſecundum ordinem, & ſitum, quem habet hæc aqua fluens ad totum flumen vt eſt immobile, qui quidem ordo, vel ſitus, remanet in aqua ſuccedente, & ſic eſt immobilis: vnde licet aqua materialiter fluat, non tamen quatenus habet rationem loci fluit, adeò quod aqua materialiter fluit, ſed ille ordo, & ſitus aquæ, qui eſt locus formaliter, ſemper manet in aqua ſuccedente, & ſic locus eſt immobilis. Hoc eodem modo D. Tho. ait ſumendum eſſe locum in corporibus mobilibus naturalibus per reſpectum ad totum corpus ſphæricum Cęli, quod habet immobilitatem propter immobilitatem Centri, & Polorum; nam ordo, & ſitus, quem habet quodlibet corpus naturale reſpectu Cæli, & Centri, eſt eius proprius locus, vndè licet illud corpus, vt putà aer ambiens turrim, varietur, & corrumpatur, non corrumpitur tamẽ ordo ille, & ſitus, quem habebat reſpectu Centri, & Polorũ mundi, ſed ille remanet in aere ſuccedente ſibi; & hoc modo reſpondet ad obiectionẽ illam, quæ fieri poſſet, quia dicimus, quod loc⁹ eſt terminus, & ſuperficies vltima cotinentis, ſed cõtinens mouetur, ergo locus, qui eſt terminus cõtinentis, mouebitur quoque; Reſpondet.n. quòd hæc ſuperficies, & terminus continentis, non erat locus in quantũ erat terminus, & ſuperficies illi⁹ corporis mobilis, ſed ſecundũ ordinem, vel ſitum, quẽ habet in toto immobili. Ex quo apparet opinionẽ D.T. eſſe, quod licet ſuperficies cõtinentis corporis vt aquæ, vel aeris moueatur, tamẽ quia ſitus vel ordo illius ſuperficiei ad vniuerſum, vt eſt immobile nõ mouetur, ſed ſp remanet ĩ corpore ſuccedẽte, hinc fit quòd locus eſt immobilis.

Opin. D.T. · *Opin. D.T.*

R 2 Hæc

Hæc eſt germana opinio D.T. vt eſt videre in loco citato textu 41.4. Phyſicorum. *Picco lomineus.* Hanc eandem ſententiam ſequitur Franciſcus Piccolomineus, libro de communibus affectionibus.

Scotus, autem loco citato in 2. Sent.d. 2.q.6.in corpore, tangit hanc opinionē, *Opin. D.T. reijcitur.* & eam confutat hac vnica ratione, quia corrupto ſubiecto, corrumpitur quodcūque accidens ipſius, ſiue ſit abſolutum, ſiue reſpectiuum, ſed ſuperficies eſt accidens abſolutum corporis continentis, ordo verò, & ſitus illius ſuperficiei reſpectu vniuerſi, vt eſt immobile, eſt accidens reſpectiuum, eſt enim reſpectus quidam, ergo, & ille corrumpitur: non ergo manet idem locus numero. Quod ſi dicat Iauellus eſſe eundem ordinem, & ſitum ſpecie, non numero. Contra ergo ſimiliter poſſemus dicere, quòd ſuperficies eſt immobilis, quia licet nō maneat eadem numero, manet eadem ſpecie, & ſic fruſtra confugimus ad hunc ſitum, & ordinem.

Sed D.T. exiſtimauit, quòd idem ſitus numero maneret ſemper, vndè dixit quidem ſuperficiem aquæ, & aeris fluere, ſed ſitum, & ordinem eius ad vniuerſum non moueri. *Nota.* Et nota quod iſte ſitus, & ordo non poteſt eſſe idem numero, licet reſpiciat eundem terminum etiam ſecundum Thomiſtas; quia habet varia fundamenta, ſcilicet varias ſuperficies, at eadem relatio non poteſt fundari in diuerſis fundamentis, etiam ſecundum ipſos, vt aliàs dicemus; quod ſi dicāt, vt Iauellus, quod iſtæ ſuperficies ſunt termini relationum; ſed primum continens, ſcilicet Cælum, eſt fundamentum. Contra, quia tunc Cælum eſſet locus materialiter non illa ſuperficies, quia relatio denominat fundamentum, non terminum. *Ad 2.* Secundò contra hanc opinionem arguunt quidam Moderni validiſſimè quia ſi ratio formalis ſit hiç ordo, & ſitus, locus erit de genere relatiuorum, vt patet, locus autem eſt ens abſolutum. *Ad 3.* Tertiò, quia ſecundum hanc ſententiam ſuperficies non eſſet de eſſentia [illegible], nam ipſa ablata adhuc remanet ra[illegible] formali loci; quod tamen eſt incon[illegible] cum ponatur ab Ariſt. in definitione [illegible] perficies p[illegible] genere. Mul[illegible] habes contra hanc ſententiam apud alios, quas hic adducere eſſet ſuperfluum. Scotus in eodem loco cōfutat quandam reſponſionem vel opinionem quorundam aliorum, qui dicebāt locum eſſe vltimum nedum corporis continentis, ſed vniuerſi, & ſecundum hoc, locum eſſe immobilem. *Aliorum opin. reijcitur.* Hanc reſponſionem, vel opinionem impugnat per hoc, quia locus non poteſt eſſe vltimum totius vniuerſi, niſi quia primò eſt vltimum alicuius partis vniuerſi, partes autem vniuerſi ſunt aliæ, & aliæ, ergo vltimum vniuerſi eſt aliud, & aliud, vt eſt vltimum illarum partium, & ſic non eſt vnum, & idem numero vltimum, ſed plura numero, & ſic neque poteſt ſaluari locum eſſe immobilem hac via, ſed eſt alius, & alius & variabilis, vt ſunt illæ partes vniuerſi.

Opin. Auerroiſt. reijcitur. Alia eſt opinio Auerroiſtarum quorundam, qui dicunt, quod locus eſt immobilis, quia non eſt neceſſe, quòd locus moueatur ad motum locati: etiam quia locus eſt immobilis per ſe, licet per accidēs poſſit moueri; Sed hæc opinio rectè confutatur à quibuſdam Modernis, primò: quia licet non moueatur locus ad motū locati, attamen moueri poteſt ad motum corporis locantis, & ſic non eſt immobilis. Inſuper hoc modo vas poſſet dici immobile, quia non mouetur ſemper ad motum aquæ, vel rei locatæ, ſed per ſe, & tamen Ariſtoteles ait vas eſſe mobile, & hac de cauſa non poſse eſse locum. Alias rationes quære apud alios. Et per hoc idem confutatur Piccolomineus, qui loco nunc citato, etiam hanc rationem adducit pro immobilitate loci. *Reijcitur Piccolomineus.* Quo ad 2. rationem autem dicunt locum eſſe immobilē, quia eſt immobilis per ſe, rectè dicunt: ſed rationem huius non adducunt, Scotus autem eam egregiè explicauit, vt vidimus, locus enim eſt immobilis nedum per ſe, ſed etiam per accidens, quia tunc locus mutaretur de loco ad locum per accidens, quod repugnat loco, tamen poteſt dimitti: quia quæ ſunt per accidens, non pertinent ad ſcientiam.

THEO-

THEOREMA XLVIII.

Vltima Sphæra non eſt in loco.

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

SCotus in Quodlibetis q. 11. in initio apertè aſſerit primum Cælum, ſiuè vltimam ſphæram non eſſe in loco; aitq; non eſse contradictionem, dari aliquod corpus, quod ſit ſine aliquo alio corpore continente. Hæc poſitio non probatur a Scoto alia ratione, niſi quia ex Ariſtot. 4. Phyſ. & primò Cęli, & alibi, dicit vltrà vltimam ſphæram non dari aliud corpus continens; cum autē vltra vltimam ſphæram non detur aliud corpus continens, neque vltima ſphæra eſse poteſt in loco, quia locus eſt vltimum corporis continētis. Hanc ſuam poſitionem confirmat ſoluendo rationes in oppoſitum, vt videbimus. At quoniam Cælum mouetur localiter, & nihil dicitur poſse moueri localiter, niſi ſit in loco, videtur dicendū, quod primum Cælum ſit in loco. Reſpondet Scotus, quod primum Cælum eſt in loco quò ad locare, non quò ad locari, quia ipſum primum Cælum non locatur, cum neque contineatur ab aliquo, cum non habeat aliquod corpus extra ſe, ſic non eſt modo in alio, licet moueatur localiter, ſed mouetur ſecundum locare; quia nūc aliter locat corpus contentum, quàm prius locauerit, & iſto modo ait intelligi dictum Auerrois, 4. Phyſic. Cōment. 43. vbi dicit Cælum eſſe in loco per Centrū, nam Cælum eſſe in loco, eſt locare locabile fixum in loco, Cælum enim voluitur continuo circa Centrum, & ſic aliter, & aliter locat Centrum; & quoniam Centrum eſt fixum, & eſt immobile, ideò primum Cælum eſt immobile quò ad totū, quia numquam mutat locùm quò ad totum, non ergo vltima ſphæra eſt in loco propriè, ſcilicet paſſiuè, ſed pro tanto dici poteſt eſse in loco, quia locat alia, non quia locetur, quia ipſa non locatur; & licet moueatur localiter, non mouetur localiter, quia modo ſit in vno loco paſſiuè, modo in alio; ſed quia modo locat locatum hoc modo, modo alio modo, voluitur enim circa locatum, & ſic aliter, & aliter locat. Hanc ſuam ſententiam confirmat Scotus ſoluendo rationes, quę contra ipſum fieri poſsent; primò arguit ſic, 1. rō.
Iſtud locare non poteſt poni in aliquo genere, ergo iſte motus localis non pertinet ad aliquod genus Prædicamentale, & conſequenter non datur. Antecedens probatur; quia non poteſt poni in genere Vbi, quia Vbi eſt circumſcriptio paſſiua, locare autem eſt circumſcriptio actiua, vt patet: neque poteſt eſse in vllo alio genere, quia tunc motus eſſet in alijs pluribus generib. quàm ponat Philoſophus 5. Phyſic. textu 18. omnis enim motus localis ab ipſo ponitur in Vbi, quòd ſi hic motus locare non ponitur in Vbi, neque etiam poni debet in Quantitate, vel Qualitate: ergo vel ponetur in alio Prædicamento, & ſic motus erit in pluribus Prædicamentis, quàm poſuerit Ariſtot. vel in nullo genere Prædicamentali ponetur, & ſic talis motus non dabitur. Secunda ratio, Sicut Cælum poteſt circu- 2. rō.
lare, licet non contineatur a corpore, ita poſset circulare licet non contineret corpus, & ſic illa forma fluens, ſecundum quam eſt motus circulationis, poſset per ſe eſse ſine reſpectu ad continens, & ad contentum, & ſic eſſet merè abſoluta, & tunc neque eſset in loco per locare, quia nihil locaret, & tamen moueretur localiter: moueri ergo circulariter in prima ſphęra non eſſet locare aliter, & aliter Cētrum. Tertiò, probat vniuerſaliter omne 3. rō.
corpus neceſſariò eſse in loco paſſiuè, & conſequenter ſphęra vltima cū ſit corpus erit in loco paſſiuè ſic; Quod cōpetit generi, cōpetit quoque omni ſpeciei, ſed eſſe in loco paſſiuè cōpetit corpori in communi, ergo cōpetit cuilibet ſpeciei corporis. Maior probatur: quia corporeitas eſt ratio per ſe eſſendi in loco; ſed contradictio eſt, rationem formalem eſse abſque eo, cuius eſt ratio formalis: ergo contradictio eſt corporeitatem eſse ſiue eſse in loco, cum corporeitas ſit ratio eſsendi in loco. Quartò, arguit ſpecialiter de pri- 4.
mo Cælo. Illud corpus mouetur, & nō niſi motu locali; ſed moueri localiter requirit eſse in loco, quia moueri localiter, eſt aliter

aliter ſe habere in loco;quàm prius, ergo primum Cælum erit in loco paſſiuè:ſi dicatur,quod primum Cælum quieſcit,prę terquam, quod eſt contra Philoſophum, & veritatem, non vitamus etiam inſtantiam, quia omne quod quieſcit, in loco quieſcit,ergo primum Cælū in loco erit.

Ad 1. Ad primam rationem non reſpondet Scotus, neque ad ſecundam, ſed quidam alij ex dictis à Scoto in 4. Sent.d.10.q.1. Reſpondetur,& rectè ad primum: quod illud locare ponitur in Prædicamento, Vbi,cum obijcitur, quia Vbi ex philoſopho eſt tantum circumſcriptio paſſiua;dico,quòd ſi reſpiciamus definitiones illorum generum generaliſſimorum, & maximè ſex vltimorum, multa reperiuntur, quæ in nullo genere Prædicamentali eſſent,quòd tamen eſt falſum, quia illa decem genera ſufficienter euacuant omne ens. Dicendum eſt ergo, quòd Vbi,ſicuti & alia genera, non aſſignantur ſub ratione communi, & adæquata, ſicut poſſent aſſignari,ſed ſub ratione nimis ſtricta: & ideò ſi aſſignaretur ratio communis Vbi quæ ſibi competit,illa includeret Vbi paſſiuum,& Vbi actiuum.

Ad 2. Ad ſecundam, dimiſſa reſponſione aliorum negatur aſſumptum, quia omnis motus eſt à medio, vel ad medium, vel circa medium,ex primo de Cælo ſæpè, & motus circularis eſt circa medium,eſt ergo impoſſibile, quòd aliquid moueatur circulariter, niſi verſetur circa medium immobile:vel dicas, vt illi dicunt, quod admiſso caſu, erit ille motus circa mediū imaginarium,non reale,& hoc ſufficit ad ſolutionem rationis; ſed ſtante ordine naturæ talis motus eſt impoſſibilis.

Ad 3. Ad tertiam reſpondet ipſemet Scotus loco citato; ſed reſponſio breuiter conſiſtit in hoc, quòd corporeitatis, ſiuè dimenſio,eſt ratio formalis corporis eſſendi in loco aptitudine,non tamen actu,vndè ſequitur quidem, quòd corpus per corporeitatem, & dimenſionem ſit aptum eſſe in loco,non tamen ſequitur, quod actu ſit in loco; quia ad eſſe actu in loco, requiritur agens externum deducens ad actum, ſicuti albedo eſt ratio formalis albo eſsendi ſimile,non tamen ſequitur, quod album actu ſit ſemper ſimile, ſed bene aptitudine; Similiter hæc quidem eſt neceſſaria in ſecundo modo dicendi per ſe, homo eſt riſibilis, ſed hæc non eſt per ſe,homo ridet, quia eſt purè contingens. Ita in propoſito corpus eſt locabile in aliquo, eſt per ſe neceſſaria in ſecundo modo;ſed hæc,corpus eſt in loco actu, eſt purè contingens, non ergo eſt contradictio,quod ſit aliquod corpus, & quod ſit ſine loco actu, & ſic Cælum primum, eſt quidem locabile aptitudine, id eſt illi non repugnat locari,hæc enim non eſt potentia,& aptitudo Phyſica,ſed Logica,ſed tamen actu non eſt in loco, quia extra ſe non habet corpus.

Ad quartam reſpondetur, vt ſupra dictum eſt,quòd primum Cælum mouetur quo ad locare, non quò ad locari, & ſic poſſumus dicere,quòd eſt in loco non paſſiuè,ſed actiuè,vt dictum eſt ſupra. Ad 4.

Hanc eandem ſententiam optimè tuetur Alexander Aphrodiſęus, vt ei tribuit D.Thomas, & eandem rationem adducit,quàm Scotus,nempè quia non eſt neceſſe,quòd omne corpus ſit in loco,& alij quidam huic opinioni ſuffragantur,quia dicunt, quod locus Cæli eſſe debet Cælo conueniens, & ſuo motui locali, motus autem localis Cæli eſt circa medium, & centrum, non à medio ſurſum vel deorſum,ideò Cælo non debet aſſignari locus continens,vti ſit elementis, ſed congruus locus ſuo motui, qualis eſt locus contentus ſcilicet medium,& Centrum.Sed hæc ratio non eſt tuta:quia à pari cæteræ ſphęræ ab vltima, eſſent in centro, & medio tamquam in loco, quia & illæ mouentur in orbem, & tamen Ariſt.dicit, illas omnes eſſe in loco, non quia ſint in Centro, ſed quia ſunt in continente, & habent aliud corpus extrà,à quo continentur; eſt ergo dicendum, quòd primum Cælum nō eſt in loco paſſiuè,vt communiter accipitur eſſe in loco, quia non habet aliud corpus extrà ſe, neque per ſe, neque per accidens, ſed poteſt dici eſſe in loco actiuè,quia locat Centrum, & alia corpora, & quieſcit quò ad totum in Centro,quod fixum manet. Opin. Alexandri.

Huic opinioni etiam proximè accedit Themiſtius 4.Phyſicorū textu 45. qui ait vltimam ſphęram eſſe in loco ratione pro Opin. Themiſtij

ximi

ximi orbis,quem tangit ſecundum ſuper ficiem concauam, quia eſt ſphęra Saturni;ecce,quòd ait eſſe in loco quò ad locare,non quò ad locari; Hanc eandem ſententiam videtur ſequi Auerroes, qui 4. Phyſic.Com.43.dixit primum Cælum eſſe in loco per accidẽs,ſcilicet per Centrũ: nã Cælum eſt in Centro tamquam in loco per ſe,ſcilicet in corpore continente;|id enim eſt in loco per accidens, quod eſt in corpore alio, quod eſt in loco per ſe: patet autem,quòd primum Cælum non eſt in centro quò ad locari, ſed quo ad locare;ſi hoc modo ſentit Auerroes, eſt cum Scoto, quò ad hoc, quidquid ſit de eius ſententia. Franciſcus Piccolomineus quoque huic ſententiæ acquieſcit in libro de Communibus affectionibus, cap.18.

Auerroes.

Poſitiones Aduerſariorum, & eorundem euerſio. Cap. II.

ALij dixerunt primum Cælum eſſe in loco per ſe,paſſiuè, ſed inter ſe ſunt valdè diſcrepantes,quos omnes nolo recenſere,& confutare,cum paſſim ab alijs adducantur;ſed ſolum adducam opinionem D.Thomæ, quæ cæteris videtur probabilior,qui 4.Phyſ.tex.43.ait,primũ Cælum contineri à loco, modus poſitionis eſt hic. Suppoſuit D. Thomas,quòd vniuerſum ſit aggregatum ex primo Cælo,& alijs orbibus,& quattuor elementis; hæ enim ſunt principales partes mundi; dixit ergo, quòd vniuerſum totum eſt in loco,ſed differenter:quia orbes inferiores ſunt in loco per ſe, quia vnus orbis eſt in alio,& alius in alio vſque ad primum Cælum, quod quoniam non habet Cælum ſupremum à quo contineatur, non eſt in loco per ſe, ſed eſt in loco ratione partium internarum tantum; habet enim prima ſphæra ſuas partes, quæ mouentur circa ſphęram Saturni,dum tota prima ſphæra voluitur; & ſic partes primi Cęli ſibi inuicem ſuccedunt,& correſpondent diuerſis partibus connexis Saturni, quæ eſt ſphæra proxima vltimæ; & hoc modo dicit primum Cælum eſſe in loco, non per ſe,ſed per partes internas,& continuas, quas continet, quarum vna eſt locus reſpectu ſequentis, & ſic deinceps dum mouentur. Hanc ſuam ſententiam D. Thomas probat: quia locus quæritur propter motum localem, vt habetur 4. Phyſ.tex.32. quod ergo ſecundum ſe totum mutatur localiter, etiam ſecundum ſe totum eſt in loco, quia ſecundum ſe totum tranſit ex vno loco ad alium; ſed quæ mouentur de loco ad locum ſecundum partem, etiam ſunt in loco non ſecundum totum,ſed ſecundum partes,huiuſmodi eſt Cælum; nam licet ſecundum totum immobile maneat, tamen ſecundum partes mutat locum, quia partes illius ſphæræ ſibi inuicem ſuccedunt, & ſic vna eſt locus reſpectu ſequentis,quam cõtinere videtur.Quòd ſi quis obijciat partes Cęli non ſunt in loco per ſe,neque per ſe mouentur ſecundum locum, quia Cælum eſt corpus continuum,& totum corpus continuum per ſe eſt in loco,& per ſe mouetur.Reſpondet, quod partes continui corporis, licet actu per ſe non ſint in loco,neque moueantur in loco, tamen in potentia ſunt in loco, & mouentur in loco,& hoc ſufficit, quia ſi diuiderẽtur à ſe inuicem,eſſent in loco per ſe.Pro hac ſententia eſt expreſsè Ariſt.4.Phyſ.tex.45. vbi apertè ait Cælum eſſe in loco per accidens,ſcilicet per partes.

Opin. D.T. — *1. rõ.* — *Reÿcitur.* — *2. rõ.*

Sed hæc opinio D. Thomę non eſt ſuſtinenda,neque enim ſaluat primum Cęlũ eſſe in loco paſſiuè, vt profitetur: quia neque partes primi Cęli continentur a ſphęra Saturni,ſed potius continent ſphęram Saturni,& licet moueãtur circa ſphęram Saturni,& ſibi inuicem ſuccedant, non ſibi inuicem ſuccedunt in loco paſſiuè,a quo viciſſim contineantur, ſed ſibi ſuccedunt in locare; cum enim primũ Cęlum voluatur circa ſphęram Saturni,aliter,& aliter illam locat,non tamen locatur ab ipſa; D. Thomas autem ait, & rectè, eſsentialem conditionem loci eſse cõtinere locatum; iſtę partes primę non cõtinentur à loco vllo, ſed ſolm continent, ergo dicendum eſt, quod illę non ſunt in loco per ſe paſſiuè, & conſequenter neque Cęlum eſt in loco per illas.Secundò, 2. eſsentialis conditio loci eſt, quòd locus diſtinguatur a locato, & quod ſit extremum continentis,ſed in partibus Cęli vna non

Reÿcitur.

R 4 na non

na non eſt diſtincta ab altera, neque inter illas mediat ſuperficies, quæ dicatur
3. locus ſequentis partis. Præterea, aliud eſt eſſe in aliquo, vt pars in toto, & vt aliquid in loco, quia quod eſt in aliquo, & non eſt indiſtinctum ab illo, vt ait Ariſtot. textu 34.4. Phyſic. illud eſt in illo, vt pars in toto, non vt locatum in loco; iſtæ partes ab inuicem non ſunt diſtinctæ, ergo ſunt in toto Cælo, vt partes in toto, non
4. vt corpus in loco. Quarto, eſt etiam impoſſibilis hæc opinio in ſeipſa, quia inquit D. Thomas, quod partes primi Cæli ſunt in loco potentia, non actu, ergo Cælum non erit in loco actu, ſed potentia; at Cælum actu mouetur localiter, ergo actu eſt in loco. Inſuper hæc potentia non eſt Phyſica, nempè, quod partes ſint in loco per ſe in potentia: immò eſt impoſſibile, quòd diuidantur, & ſeiungantur à toto; potentia ergo hæc eſt ſolum imaginaria, adeo quod Cælum erit in loco ſolum per imaginationem, quod etiam eſt contra ipſum D. Thomã. Alias rationes vide apud alios, vt apud Perrerium.

1. Ad rationes pro hac opinione, ad primam dico, quòd partes primi Cæli non ſunt in loco, neque mouentur localiter paſſiuè, ſiue quo ad locari, ſed actiuè, ſcilicet, quò ad locare, vt dictum eſt; ideo falſa eſt minor.

2. Ad ſecundam, quæ innititur authoritati Ariſt. & validiſſima videtur, quia expreſsè Ariſt. dicit primum Cælum eſſe in loco per accidens, quia eſt in loco per partes, quatenus vna continet aliam. Reſpondeo, quòd authoritas defert ſecum ſolutionem; ait enim Ariſt. ibi, quod Cælum eſt in loco quidem per partes, quia vna pars continet aliam; ſed ait tale eſſe in loco, eſſe per accidens in loco, id eſt improprie, & apparenter: propriè enim locus eſt continens, & eſt quid diuerſum à contento, quorum neutrum verificari poteſt de partibus Cæli, vt oſtendimus contra D. Thomam, re vera ergo prima ſphæra nõ eſt in loco propriè paſſiuè, neque per ſe, neque per accidens; ſed eſt in loco per accidens, id eſt apparẽter quatenus ſcilicet mouetur in orbem, & hic motus videtur eſſe ſecundum partes (licet reuera ſit ſecundum totum, vt vidimus contra D. Thomam, quia illæ partes non ſunt ſeiunctæ, neque aptę natæ ſeiungi ab inuicem) ideo videntur partes eſſe in alio, & alio loco, & ſic conſequenter primum Cælum videtur eſſe in loco per partes, ſed re vera non eſt in loco per partes paſſiuè, vt diximus, ſed ſolum poteſt dici eſſe in loco actiuè. Reliquæ rationes, quæ fieri poſſunt pro hac ſententia, per ea, quæ dicta ſunt, facilimè ſolui poſſunt.

THEOREMA XLIX.

Tempus non eſt quantitas realiter diſtincta à motu.

Opinio Scoti. Cap. I.

Licet Scotus in 2. Sent. diſt. 2. quæſt. 2. & 3. videatur hac in re problematicus, tamen apertè in quarto Sentent. diſtinct. 48. quæſtione 2. in corpore ſoluendo primam rationem contra opinionem Theologorum G. apertè dixit, tẽpus nõ eſſe aliam quantitatem realiter diſtinctam à motu, ita quòd vna fundetur in alia, vt puta tempus in motu: ſed ait tempus, & motum eſſe vnam quantitatem realiter, & ſolum diſtingui formaliter. Certum eſt enim, quod tempus eſt menſura motus octauæ ſphæræ, quæ voluit vniuerſum motu diurno, qui motus eſt regulatiſſimus, & maximè vniformis; eſt etiam velociſſimus omnium aliorum motuum; hæc enim eſt ſententia Ariſt. aperta in 4. Phyſic. textu 133. inquit ergo Scotus, quod non eſt imaginandum, quod tempus ſit in motu Cæli, vt quantitas in alia quantitate, & adducit rationem: quia in eodem ſubiecto permanente, non oportet ponere duas quantitates, quarum vna ſit ſubiectum, alia ſit propria paſſio illius; hoc enim videtur eſſe maximè inconueniens; at ſi poneremus tempus eſſe quantitatem realiter diuerſam à motu, ſequeretur quod in Cælo prius eſſet motus, qui eſt vna quantitas, deinde in motu tamquam in ſubiecto eſſet tẽpus, vt eius ꝓpria paſſio. Inquit ergo Scotus, quòd tẽpus nil aliud eſt realiter, niſi motus includens ſuam ſucceſſionem, & vltra motum tempus realiter nil addit, ſed formaliter tempus

tempus differt à motu, quia eſt menſura motus; & ſic formaliter differt à motu, motus enim primi Cæli eſt fluxus illius corporis cæleſtis, tempus autē eſt ille fluxus, vt menſurat alios motus, & etiam illummet motum primi Cæli, & ſic ſecundum hanc menſuram formaliter motus ille eſt tempus; vnde conditiones quæ requiruntur ad menſuram fundamentaliter ſunt in motu primi Cæli, quæ ſunt vniformitas, ſiue regularitas motus illius primi Cæli, & velocitas: nam de ratione menſuræ duo ſunt, ſcilicet certitudo menſuræ, debet enim quantitas, & numerus menſuræ eſſe certus, inuariabilis, & notus, & ſic cum inter motus locales motus Cælorum ſit regularis, & vniformis, & notiſſimus apud omnes gentes, neceſſe eſt quòd motus localis Cælorum ſit mē ſura aliorum motuum: inter motus autem Cælorū præſertim motus primi mobilis habet has conditiones: ergo motus primi mobilis erit menſura aliorū. Secūdò, de ratione menſuræ eſt, quòd ſit primum omnium illorum, quæ ſunt in illo genere, vt inquit Ariſtoteles in 4. Phyſicorum textu 133. & quòd ſit æquabile ab alijs illius generis; ita quòd comparando, ſiue æquādo alia illius generis illi primo cognoſcatur numerus, & menſura illorum: modo circulatio, & motus primi Cæli eſt primus omnium motuum aliorum orbium, & eſt minus, id eſt velocior; ita quòd alij motus poſſunt illi æquari, & comenſurari, & ex hac æquabilitate poteſt cognoſci numerus, & quantitas illorum motuum, ſicuti ex æquatione panni ad vlnam, cognoſcitur quantitas panni. Cum ergo id, quod eſt primum, & æquabile, & ſummè notum in aliquo genere, ſit menſura eorum, quæ ſunt in illo genere, iure motus primi Cæli cum ſit primus in genere motus localis, & ſit ſummè notus, quia eſt vniformis, & ſit minimus, quia æquabilis, certum eſt, quod eſt menſura omnium aliorum motuum, & conſequenter fundamentaliter ille motus habet rationes, & conditiones menſuræ, & ſic iure ille motus ſtatuitur tempus; patet ergo, quod tempus nil aliud eſt realiter, niſi motus primi Cæli; formaliter vero ille motus non eſt tempus, quia ille motus ſic abſolutè conſideratus, ſecundum ſuā rationem formalem, ſine ratione menſuræ non eſt tempus, quia tempus formaliter dicit menſuram, ſed ille motus primi Cæli conſideratus, vt eſt menſura aliorū motuum, propter conditiones quas habet, vt diximus, eſt tempus, tempus ergo eſt primus motus realiter, formaliter eſt diuerſum; hæc abſque dubio eſt mēs Scoti, quę eſt maximè conformis doctrinæ Ariſt. in 4. Phyſicorum in fine, textu 133.

Sed hic eſt obiectio: quia ſi tempus eſt primus motus, ſiue motus primi Cęli quomodo mēſurabitur motus ille primi Cæli? Reſpondet Scotus in 2. Sententiarum diſt. 2. quęſt. 3. B. ex Ariſt. 4. Phyſicorum textu 114. vbi dicit, tempus poſſe menſurare ſe, non quidem primo, ſed determinando partem vnam motus, quę poſtea cum nota eſt, eſt nata menſurare totum; ſicuti enim ſolemus longitudinem aliquam, vt pannum menſurare cubito, vel vlna, quæ eſt longitudo determinata, & nota, ſic poſſumus menſurare tempus, ſcilicet primum motum determinando aliquam partem illius motus, & poſtea per ipſam menſurare illum totum motum primi Cęli, quod eſt tempus. Pro hac opinione, quę eſt Alexandri, Themiſtij, Gręcorum, & etiā Zimarę in Contradictionibus ſuper 4. Phyſic. arguitur multi pliciter, & primo ſic Ariſt. poſtquam in 4. Phyſic. tex. 102. definiēdo tempus, dixit tēpus eſſe numerum motus, & quietis, ſe declarauit de quo numero intelligeret, dicens, quod intelligit de numero numerato: adeo quod vult, quod tēpus ſit numerus numeratus: at numer⁹ numeratus eſt motus, nā inquit ibi, ꝙ tēpus eſt numerus motus, ergo motus eſt res numerata: ſed res numerata eſt numer⁹ numerat⁹, ergo dū dicit tempus eſſe numerū numeratū, eſt ac ſi dicat tēpus eſſe motū. Secundò, ſi tēpus eſſet quid diſtinctū à motu, eſſet etiā notius motu, quia menſura debet eſſe notior menſurato, niſi. n. prius cognoſcamus quantitatē vlnę, non poterimus per eam menſurare pannum, at tēpus non eſt notius motu: immò eſt oppoſitū, quia tempus cognoſcitur per motū; vt patet ex ijs, quę dicit Ariſt. in 4. Phyſ. tex. 97. de illis, q in Sardo dormire fabulabantur, ex eo. n.

Obiectio 1.

1.

2.

quòd

quòd nullum motum perſpexerunt dormientes, nullum tempus præterijſſe exiſtimabant, & tamen quingenti anni, vt dicunt iam præterierant, ergo ſignum eſt, quod tempus cognoſcitur ex priori, & poſteriori in motu, igitur tempus non poteſt eſſe menſura diſtincta realiter à motu. Alias rationes habes apud alios: ſed hæc opinio eſt ita conformis menti Ariſtotelis, vt ſuprà in hoc capite hanc ſententiam aperiendo demonſtrauimus, quod non eget alijs rationibus, ideo aliorum opinionem, & rationes in oppoſitum videamus.

Rationes contra determinatam opinionem. *Cap. II.*

SCotus 2. Sententiarum, diſtin. 2. quæſtione 2. videtur problematicus hac in re, loquitur enim dubitatiuè, & inquit, ſi tempus differt à motu, & quæſtione 3. eiuſdem diſtinct. poſt B. ſimiliter videtur problematicus eſſe, & videtur magis declinare ad partem affirmatiuã, quàm ad negatiuam: adducit enim rationem, qua probat tempus eſſe diſtinctum à motu, quæ videtur efficaciſſima; pro oppoſita autem parte nihil dicit; ratio eſt hæc.
1. ro. Illæ quantitates ſunt eædem realiter, in quibus partes eiuſdem proportionis, & quantitatis ſunt æquales in vtraque quãtitate ſecundum numerum, & ſecundum magnitudinem; cum autem partes eiuſdem proportionis, & quantitatis nõ ſunt æquales in numero, & magnitudine in vtraque quantitate, clarum eſt, quod illæ quantitates non ſunt eædem realiter hæc eſt Maior. Minor eſt hæc: ſed partes eiuſdem proportionis in motu non ſunt æquales in numero, & magnitudine cum partibus eiuſdem proportionis in tempore, ergo tempus, & motus non ſunt eadẽ quantitas realis, ſed diuerſa. Maior propoſitio ex ſe vera videtur: non enim videtur intelligibile, quòd quantitates in quibus partes eiuſdem proportionis nõ ſunt æquales in numero, neque in magnitudine, ſint vna quantitas, quia in eadem quãtitate partes eiuſdem proportionis non ſunt diuerſæ, ſed eædem. Minor verò probatur ſic: cum eiſdem partibus temporis poſſunt eſſe plures partes motus, æquales prioribus partibus temporis, vel tot inæquales: exempli gratia, ſit virtus mouens aliquod mobile velocius in duplo altera virtute mouente idem mobile, vt puta Socrates moueat lapidem per milliarium in vna hora, Angelus verò ponatur mouere in dimidia hora eundem lapidem per milliarium (pono enim, quòd Angelus habeat velociorem virtutem in duplo Socrate) tunc omnes partes magnitudinis, quæ ſunt in motu tardiori, ſunt etiam in motu velociori, mouens enim velocius, non facit ſimul pertranſire aliquas partes magnitudinis, ſed præciſè alteram poſt alteram, ergo tot, & tantæ sũt partes in motu tardiori, quot, & quantæ in motu velociori; nõ poteſt autem idem tempus, & habens eaſdem partes, eſſe cũ hoc motu, & cum illo, vt patet in exemplo adducto; vnus enim motus fiet in hora, alius in dimidia, & hoc eſt neceſſarium, ſi alterum mouens ſit velocius mouens in duplo, ergo partes eiuſdem proportionis illius temporis, vt puta horæ, non poſſunt eſse eædem partibus velocioris motus, neque partibus tardioris motus, quia illæ ſunt inæquales, vt apparet in exemplo, & conſequenter tempus illud totum non eſt idem illis motibus ſecundum totum, neque ſecundum partes, & ſic tempus erit quantitas diuerſa à motu.

Pro hac eadem opinione arguitur ab alijs ita. Motus non eſt vnus in omni loco, ſed tempus eſt vnum in omni loco, ergo tempus non eſt motus; Maior patet: quia ſicut ſunt diuerſa Vbi, & diuerſæ res motæ, ergo & diuerſi motus. Minor verò eſt euidens: quia omnes motus eodem tempore menſurantur, vt fatentur omnes. Terita ratio deſumitur ex Ariſtotele, 4. Phyſic. tex. 96. vbi ita arguit: Omnis motus, vel eſt velocior, vel tardior alio motu; ſed tempus non eſt tardius, neque velocius, ergo motus non eſt tempus. Maior patet experientia. Minor probatur: quia velox, & tardum determinãtur tempore; nam velox eſt, quod in pauco tempore multum mouetur, & tardum eſt, quòd in multo tempore parum mouetur, ſed tempus non determinatur tempore.

(margin: 2. — 3.)

4. pore. Alij ita arguunt,menſura differt à menſurato;ſed tempus eſt menſura, motus eſt menſuratum,ergo tempus differt

5. à motu;Quinto Ariſt.4.Phyſ. reprehẽdit eos, qui dicebant motum Cæli eſſe tempus, vel alium quemlibet motum, & ſtatuit tempus non eſſe motum, ſed tamen non eſſe ſine motu, quia eſt paſſio, vt ait

6. Philoſophus idem 12.Metaph. Sexto,Cũ definit Ariſtoteles tempus 4. Phyſ. dicit, quòd tempus eſt numerus motus;ibi accipitur numerus actiuè,adeo quod eſt ſenſus, quòd tempus eſt numerus, quo numeramus motum, & hoc probatur:quia poſtquam Ariſtot. aſſignauit definitionẽ motus, probat tempus eſſe numerũ motus,ſic. Id quo metimur plus, & minus, eſt numerus, ſed tempore metimur maiorem,& minorem motum,ergo tempus eſt numerus. Hæc probatio vim habet, ſi numerus accipiatur actiuè,non autem ſi accipiatur paſſiuè;at ſi tempus eſt numerus menſurans,non erit motus, quia motus eſt numerus numeratus, ſiue numerus paſſiuè; motus enim eſt ille, qui numeratur.

Verùm quæ ſit mens Scoti iam ſuprà oſtendimus, & licet videatur problematicus,tamen vt diximus in 4.Sent. apertè ſe determinat, ideo ſoluendæ ſunt rationes ſupra adductæ.

Ad 1. Ad primam,quæ eſt Scoti,patet reſpõſio ex determinatione facta in capite præcedenti: nam dictum eſt, quòd tempus eſt motus realiter primi Cæli,ideò differt realiter a quocumque alio motu particulari, & ſic concedimus totam rationem; ſed ratio concludit quod tempus non eſt eadem quantitas numero cum motibus particularibus, & hoc nos concedimus, quia vt dictum eſt,tempus eſt motus primi Cæli: at motus primi Cæli eſt quantitas diuerſa numero ab omnibus alijs motibus particularibus,vt dictum eſt,& hoc concludit ratio: ſed non propter hoc ſequitur,quod tempus ſit quantitas diuerſa à motu in communi,vel à quocumque motu particulari, vt à motu primi Cæli, vt intendunt Aduerſarij.

Ad 2. Ad ſecundam rationem ſimiliter reſpondetur, quòd concludit motus particulares eſſe diuerſas quantitates a tempore,& hoc concedimus,ſed non concludit,quòd tempus ſit quantitas diuerſa, à quolibet motu particulari,quia non probat quod tempus ſit quantitas diuerſa à motu primi Cęli, tempus enim eſt vnum numero apud omnes, quia motus primi Cęli eſt vnus apud omnes, ſed alij motus particulares ſunt diuerſi, quia ſunt circa mobilia diuerſa numero; licet ergo tempus ſit vnum numero apud omnes,& motus ſint plures,non tamen ſequitur,quod tempus non ſit motus.

Ad tertiam dico, quòd concludit tempus eſſe quid diuerſum à motu formaliter, non materialiter, nam motus primi Cæli, vt motus, dicitur velociſſimus, tamen vt eſt menſura motuum aliarum rerum,non dicitur velox, neque tardus,tẽpus ergo duobus modis conſiderari poteſt: materialiter, vel formaliter, vera eſt minor accipiendo tempus formaliter, non materialiter. Ad 3.

Ad quartam Reſpondetur, quòd ſufficit ſi menſura diſtinguatur à menſurato formaliter, non materialiter, quomodo concedimus in præſenti; vel concedere poſſumus totum argumentum, dicimus enim tempus, ſcilicet motum primi Cæli differre numero ab omnibus alijs motibus, & ſic menſura differt à menſurato realiter; quomodo autem tempus poſſit ſeipſum menſurare, iam dictum eſt, & tunc non eſt neceſſe, quòd menſura realiter diſtinguatur à menſurato, ſed formaliter. Ad 4.

Ad quintam reſpondeo,quòd licet Ariſt.4.Phyſ. tex. 95. reprehendat eos, qui dixerunt motum eſſe tempus, tamen in calce illius libri tex.133. eos veritati acceſſiſſe proximius fatetur, vbi apertè declarauit naturam temporis:eos autem reprehendit ſuperius,quia non declarauerant exactè tempus, & rationem formalem temporis: non ſufficit enim dicere, tempus eſſe motum,ſed oportebat declarare quomodo,& qualis ſit motus,& per hoc illos reprehendit. Ad 5.

Ad ſextam dico, quod ibi ſe declarat Ariſt. quòd intelligit tempus eſſe numerum numeratum. Ad rationem Ariſt. dico,quod accipit ibi tempus pro formali, & ſic ei competit menſurare, & eſſe quo menſu- Ad 6.

menſuramus, tamen materialiter nõ eſt quid diuerſum à motu.

THEOREMA L.

Quies, & ſubſtãtiæ rerum generabilium, & corruptibilium mẽſurãtur tempore.

Opinio Scoti, cũ ſuis fundamẽtis. Ca. vnicũ.

SCotus 2. Sent. diſt. 2. q. 4. in corpore ad A. ſoluendo primam obiectionem, docet apertè quietem menſurari tempore, & etiam declarat modum, quo menſuratur tempore; & ne Theologica miſceamus humanis, & Philoſophicis, prætereo ea quæ dixit ibi de æuo, de qua menſura, & æternitate aliàs Deo dante in Theologia diſſeram. Statuit ergo in primis Scotus, quod omnia, quæ actu mutantur, vel ſunt mutabilia, menſurantur tempore; & licet aliam opinionem adducat, quæ aſſerit, quòd æuo menſurantur omnia, quæ actu non mutantur, licet ſint mutabilia, & variabilia, tamen magis primam opinionem commendat, ſcilicet quòd non æuo, ſed tempore menſurantur omnia variabilia, licet actu non mutentur, neque varientur. Hinc ad propoſitum noſtrum ait Scotus, quando forma, quæ eſt apta nata fluere, & moueri actu, quieſcit, quies illa non poteſt menſurari alia menſura niſi tempore, quia eſt ex Hypotheſi tẽpore menſuratur forma nedum fluens, ſed quæ eſt nata fluere: ſic autem eſt forma dum actu quieſcit.

Adducit aliam rationem ex Ariſtot. 5. Phyſ. tex. 52. & 53. vbi aſſerit, quòd quies eſt priuatio motus, modo priuatio menſuratur ſuo habitu ſemper, tantum enim malum eſt cæcitas in oculo apto nato ad videndum in determinato tempore, quãtum bonum eſt viſio, & ſic menſura, qua habitus menſuratur, eadem menſuratur priuatio, licet ſecundariò, & quoddammodo per accidens: at habitus oppoſitus quieti eſt motus, hic autem menſuratur tempore, ergo quies menſuratur tempore. Declarat autem hoc per exemplum de vacuo: nam ſi daretur vacuum in aliqua domo, maior eſſet diſtantia mei ad vnum parietem, quam ad alium, ſicut natum eſt eſſe maius plenum inter me, & illum parietem, quàm inter me, & alium, vnde tunc diceretur vacuum eſſe tãtum quantum corpus illud, quod eſſet interceptũ in vacuo, ſi vacuum non eſſet. Ita in propoſito, tanta eſt quies, ſiue priuatio ſucceſſionis in forma, quæ eſt apta moueri, quanta eſſet ſucceſſio, & motus partium illius formæ ſi moueretur. Hanc eandem ſententiam repetit, & confirmat in eadem diſt. quæſt. 11. in corpore quæſiti, vbi aſſerit, quòd ſi quieſceret Cælum, quies eius menſuraretur tempore illo, quo motus primus menſuraretur, ſi eſset poſitiue, & actualiter. Et hæc opinio eſt Ariſtot. 3. Phyſ. tex. 128. quando enim ibi dicit Philoſophus, quòd quies menſuratur per accidens tempore, hoc idem voluit innuere, quod Scotus dixit, habitus enim quietis eſt motus, & hic primò menſuratur tempore; & quia priuatio menſuratur menſura, qua habitus ſibi oppoſitus, etiam conſequenter per accidens dicitur quies menſurari tempore; poſsumus tamen dicere, quòd quies etiam per ſe menſuratur tempore, accipiendo per ſe pro eo quod competit alicui ſecundum propriam naturam, ſic enim quies menſuratur per ſe tempore, quia naturæ quietis non competit alia menſura, quam tempus, licet ei primo non competat, ſed ſuo habitui, nempè motui. Eodem in loco diſputat Scotus, qua menſura menſuraretur ſubſtantia rerum generabiliũ, & corruptibilium, & inquit, quod per ſe menſuratur æuo, per accidens verò tempore, quatenus ſcilicet eam conſequitur quantitas naturalis, hoc autem dicit ibi Scotus loquendo ſecundum veritatem, & Theologicè, non autem ſecundum mentem Ariſtotelis, Ariſt. enim non diſtinxit inter æuum, & æternitatem, vt patet in primo de Cælo poſt tex. 100. vbi oſtendit Intelligentias eſse entia carentia loco, tẽpore, & alijs paſſionibus corporis, cum ſint incorporeæ, & menſurari æuo, & æternitate, vbi pro eodem videtur accipere æuum, & æternitatem, res verò generabiles, & corruptibiles dixit Ariſt. menſurari tempore; & ratio eius fuit: quia non ſeiunxit motum à ſubſtantia earum; ſi enim ſeiunxiſset motum à ſubſtantia earum, & nouiſſet mẽſuram æui, quomo-

do diſtin-

do diſtinguitur ab æternitate, non dixiſſet ſubſtantiã mẽſurari tempore:ſed quia accepit cõiunctim ſubſtantiam generabilem,& quantitatem conſequentẽ ipſam, quæ eſt motus, ideò dixit ſubſtãtias generabiles,& corruptibiles menſurari tempore;& hoc quoque ſenſit Scotus, vt expoſitum eſt;quare Pererius non rectè intellexit Scotum ; de qua re aliàs in Theologia fuſius diſſeremus Deo dante: hæc enim concluſio,ſubſtantia generabilis per ſe menſuratur æuo,non eſt Ariſtotelica, ſed Theologica, quia ſecundum Ariſtotelem menſuratur tempore.

THEOREMA LI.

Idem nunc ſecundum ſubſtantiam,nõ permanet idem in toto tempore. Cap. vnicũ.

HAnc difficultatem exactè pertractat Scotus 2. Sent. diſt. 2. quæſt. 2. C.& probat multis rationibus ad mentẽ Philoſophi,quod idem nunc,non permanet idem ſecundum ſubſtantiam in toto tempore. Prima ratio ſumitur ex Philoſopho 4. Phyſ. textu 104. eo enim in loco Philoſophus, vt etiam Vicomercatus in ſua expoſitione ſuper illum locum tangit, comparat nunc, ad mobile, ſicuti enim mobile, ſiue id, quòd fertur in motu maximè notũ eſt, & eo cognoſcimus prius,& poſterius in motu,ita, per nunc, tamquam per partem temporis notiſſimam,cognoſcimus prius, & poſterius in tempore;hæc ait Ariſt. loco citato. Subinfert Scotus,ſed nõ cognoſcimus prius, & poſterius in motu per mobile acceptum ſecundum ſubſtantiam, ſed per mobile quatenus eſt ſub alia,& alia mutatione;ergo neque cognoſcimus prius, & poſterius in tempore per nunc idem ſecundum ſubſtantiam, ſed per nunc aliud, & aliud, ſecundum ſubſtantiam. Aſſumptum probatur;quia ſi accipiatur mobile ſecundum ſubſtantiam, non cognoſcitur eo prius, & poſterius in motu, ſed ſolum quatenus mobile eſt ſub mutatione alia , & alia, indicat nobis prius,& poſterius in motu. Secunda ratio ad idem deſumitur ex textu 105. eiuſdem quarti Phyſ. loquendo enim de tertia proprietate nunc, ait Philoſophus, quòd ſicuti motus localis non poteſt eſſe ſine mobili, & è conuerſo: ita neque tempus poteſt eſſe ſine nunc,neque nunc ſine tempore, & ſubinfert Philoſophus, quod ſicut ſe habet mobile ad motum, ita nunc,ad tempus,ſicuti mobile, & motus ſunt ſimul,ſic etiam nunc,& tempus ſunt ſimul:Hæc Ariſtot. Tũc Scotus ſubinfert, ſed mobile in toto motu eſt alterum, & alterum, quia ſemper mutatur, ergo & nunc in toto motu ſemper eſt alterum,& alterum. Tertia ratio efficaciſſima eſt:Ariſt. 6. Phyſ. textu 89. probat, quod indiuiſibile nõ poteſt moueri,quia tunc motus eius componerentur ex indiuiſibilibus; ergo ſi nunc idem in toto tempore manet idem ſecundum ſubſtantiam,ſequitur, quod idem nunc fluat ſecundum diuerſa eſse,quæ etiam ſunt indiuiſibilia;& ſic totus fluxus eius componeretur ex indiuiſibilibus: quod eſt contra Philoſophum in prædicto loco,vt dictum eſt. Quartò, ad hanc eandem concluſionem adducit duas rationes Philoſophi,quarum altera ſumitur ex 4. Phyſ. tex. 92. illa ſunt ſimul quæ ſunt in eodem indiuiſibili, ergo ſi nunc, eſt idem ſecundum ſubſtantiam in toto tempore, ergo omnia ſunt æquè præſentia,& ſimul,tam ea,quæ ſunt nunc,quã ea,quæ in milleſimo anno. Alia ratio eiuſdem Philoſophi habetur in eodẽ 4. Phyſ. tex. 91. ſi nunc ſit aliquod diuerſum à mobili, & ſit aliquid indiuiſibile de genere quantitatis vti cõmuniter conceditur,neceſſariò erit alicuius continui terminus,vel alicuius diſcreti pars; at ſi ponatur pars diſcreti: ergo dabitur tempus diſcretum, quod Philoſophus non conceſſit;ſecundum enim ipſum tẽpus eſt quãtitas cõtinua:ſi vero eſt terminus cõtinui, ergo opus eſt,quod ſit aliud,& aliud ſecundum ſubſtantiã,ſecũdum quod terminat aliam, & aliã partẽ continui temporis, quia eſt impoſſibile, quod idẽ nunc ſecundum ſubſtantiam ſit principium alicuius quantitatis, & eiuſdem terminus. Quod ſi quis reſpondeat huic rationi,quod idẽ nunc ſecundũ ſubſtantiã terminat ſecundum diuerſa eſſe, multipliciter hanc reſponſionem tollit Scotus,vide ibi,& præcipuè,quia non eſt intelligi-

Margin notes: 1. rõ. (beside "tempore. Prima ratio"); 2. rõ. (beside "prius,& poſterius in motu. Secunda ratio"); 3. rõ. (beside "Tertia ratio"); 4. rõ. (beside "Quartò"); 5. rõ. (beside "Alia ratio")

intelligibile, quod ipſum nunc mutetur ad diuerſa eſſe,& tamen non mutetur ſecundum ſubſtãtiam. Præterea hoc vnum nunc ſecundum ſubſtantiam, aut idem eſt ſecundum ſubſtantiam in quolibet mobili, aut præcisè in vno, non in quolibet; quia nunc vnum accidens numero eſſe in pluribus ſubiectis diuerſis; neque eſt in vno mobili præcisè, vt patet, quia menſuraret illud mobile ſolum.

Obiectio. Sed contra hanc ſententiam videtur eſſe Ariſt.ex profeſſo 4.Phyſ.tex. 104.vbi ſoluens quæſt.de nunc,an ſit idem in toto tempore,videtur dicere,quod eſt vnũ, & idem ſecundum ſubſtantiam; ſed ad hoc reſpõdet Scotus, quod Philoſophus

Solu. ibi intelligit tantum concludere, quod quodlibet nunc eſt vnum,& idem ſecundum ſubſtantiam; tamen conſideratum in ordine ad præteritum, & fututum, eſt diuerſum, quia eſt principium futuri, & finis præteriti: & ſic quodlibet nunc eſt vnum,idem re,& ſubſtantia;diuerſum ratione:non vult autem dicere, quod idem numero nunc,permaneat in toto tempore:quia hoc eſſe falſum patet ex dictis; & etiam, quia tempus eſt quantitas continua, & ſucceſſiua, & ſic habet partẽ poſt

Dub. partem? Sed hoc non videtur ſoluere difficultatem, quia licet quodlibet nunc,ſit idem ſecundum rem,diuerſum ratione, adhuc remanet, quomodo reſpondendũ ſit ad quæſt.propoſitam à Philoſopho,an idem nunc, permaneat in toto tempore.

Reſp. Reſpondet Scotus, quod Ariſt.hanc difficultatem nunquam expreſsè ſoluit, ſicut neque illam, an tempus detur; ſed multa dicit ex quibus illæ ſolui poſſunt. Inquit ergo Scotus,quod ſicut mobile ſecundum ſe,in quocumque motu, eſt idẽ ſecundum ſubſtantiam, ideſt comparatum ad ſe, ſed aliud, & aliud ſecundum eſſe, id eſt ſecundum quod reperitur ſub alio, & alio motu; ita nunc,ſecundum ſe eſt idem,ſed comparatum ad præſens, & ad futurum,eſt aliud & aliud: ſubinfert, ſed non eſt tanta identitas inſtantis in toto tempore, quanta eſt vnius inſtantis, vt comparatur ad vnum mobile, & hoc per ſe patet, ideo in toto tempore eſt aliud, & aliud nunc,ſecundum ſubſtantiam; & certè hoc modo debet intelligi Philoſophus, neque enim vult dicere, quod idẽ nunc numero,percurrat modo hoc mobile,modo illud,quia ſic migraret accidens de ſubiecto in ſubiectum, ſed pro tanto dicit eſſe idem nunc ſecundum ſubſtantiam,quia vnum nunc,non ſecernitur ab altero nunc: ſed eſt illi continuum, quia tempus eſt quantitas continua;vnde imaginamur contingere in tempore, vt imaginantur Mathematici,dum protrahunt lineam; fingunt enim lineam fieri ex fluxu puncti, in qua generatione lineæ manet ſemper idem punctus;hoc etiam modo videtur contingere in tempore, ſed non eſt ita; ſed ſemper eſt aliud, & aliud nunc,non diſcretum,ſed continuum, neque ſeiunctum ab altero puncto; & ideo Ariſt.dixit manere idem nunc ſecundum ſubſtantiam, ſed diuerſum ſecundum eſſe;& hanc ſolutionem innuit Simplicius, qui dixit non manere idem nunc numero in toto tempore, ſed idem ſpecie, quæ eſt vera; vt colligitur ex alijs locis apud Ariſtotelem licet ille textu 104.videatur verbis aliquam vim inferre.

THEOREMA LII.

Omne ſucceſſiuum componitur ex ſemper diuiſibilibus,& conſequenter eſt continuum.

Rationes Scoti pro ſua opinione Cap. I.

HAnc propoſitionem diffusè tractat Scotus 2.Sent.diſt. 2.q.9.ſoluendo ſecundum argumentum principale, qua in re eſt adeo obſcurus, & prolixus, vt egeat multo ſtudio,& patientia.Primo enim arguendo ad oppoſitum; In ſecundo argumento principali multis rationibus oſtendit, quod nullum ſucceſſiuum eſt continuum,quia componitur ex indiuiſibilibus,& minimis: ſed ſoluendo hoc ſecundum argumentum principale, prius probat, quod ſucceſſiuum non componitur ex indiuiſibilibus, & minimis; deinde ſoluit rationes in oppoſitum adductas in illo ſecundo argumento ab eo loco(Ad ſecundum nego illud,quod aſſumitur,&c.)incipit diſputare,& probare, quod

quod ſucceſſiuum non componitur ex indiuiſibilibus neque minimis, & durat vſque ad illa verba.[ad primum dicitur, quòd licet poſſibile ſit continuum poſſe diuidi ſecundum omne ſignum, &c.] quæ eſt parum poſt literam H.ab hoc loco poſtea vſque illuc.[Ad tertium principale,&c.]ſoluit rationes adductas in contrarium; ſed hæc obſcura ſunt, quia digreditur, & loquitur de minimo vniuerſali,de minimo motu,de indiuiſibili,quæ omnia difficilia ſunt. Nos breuibus agemus aliquantulum veritatem aperientes; qui diſputationem exactam vult videre,legat Scotum loco citato,cui maximum lumen præbebit hæc noſtra breuis explicatio; quòd ergo ſucceſſiuum non componatur ex indiuiſibilibus, probat multis rationibus; prima deſumitur ex
t. 23. Ariſtot.6.Phyſ. tex. 23. ibi enim Ariſtot. hanc propoſitionem multis rationibus oſtendit; ſed hac demonſtratione præcipuè,quæ eſt ducens ad impoſſibile;ſi ſucceſſiuum,vt tempus,de quo ibi loquitur, componatur ex Atomis, ſiue ex indiuiſibilibus, ſequitur quod illud indiuiſibile diuidatur, probatur hæc conſequentia ſic, primò ſupponit, quòd velocius, & tardius in omni tempore inuenitur, & quòd id quod velocius eſt, maius ſpatiū tranſire poteſt,quàm id,quod eſt tardius in tempore æquali: quæ omnia iam eſſe vera ſupra oſtenderat; tunc etiam ex his ſupponit,quod in quacumque proportione poſſit accipi motus velocior omni motu dato, & conſequenter ſi detur aliquis motus, qui menſuratur tribus inſtantibus, erit accipere motum velociorem illo in duplo,qui menſurabitur inſtanti, & dimidio: ecce quòd tunc inſtans, quòd ponitur indiuiſibile,diuidetur;cum ergo hoc ſit inconueniens,non eſt dicendum, quod ſucceſſiuum, vt tempus, componatur ex indiuiſibilibus, ſed ex diuiſibilibus.

2. ro. Adducit aliam rationem,quod eſt permanens,eſt continuum,ergo & ſucceſſiuum;probatur conſequentia. Sed pro intelligentia probationis notandum eſt, quod ſupponit Scotus id, quod habet Ariſt.6.Phyſ.tex.3. & inde: quòd continuum non poteſt confici ex indiuiſibilibus quia partes componentes continuū, neceſſe eſt quòd habeant duo extrema, quorum vnum tangat extremum antecedens,alterum extremum; ſubſequens ex quo ſequitur poſtea extenſio: alioquin continuum non poſſet extendi. Hoc ſuppoſito,tacitè probat conſequentiam ſic: ſi motus, (qui eſt de genere ſucceſſiuorū) conſtat ex indiuiſibilibus, vel hæc indiuiſibilia in motu ſunt immediata, vel mediata,vtrumque eſt abſurdum,ergo motus non conſtat ex indiuiſibilibus:probatur abſurditas; ſi in motu iſta indiuiſibilia ſunt immediata, quæro de mobili, & ipſis Vbi,quæ mobile habet in illis inſtantibus immediatis, vel inter vltimum vnius Vbi,& vltimum alterius Vbi,eſt medium,vel non; ſi non eſt medium,ergo vltimum vnius Vbi eſt immediatum vltimo alterius Vbi,& conſequenter inſtans, in quo mobile eſt in illo Vbi, habet vltimum per quòd eſt immediatum alteri inſtanti, ergo in iſtis inſtantibus erunt duæ partes per quarum vnam tangit vnum inſtans antecedens, & per alteram aliud inſtans ſequens, ſicuti quodlibet Vbi in magnitudine locali habet duas partes,vt dictum eſt in ſuppoſito,& tunc ſequitur, quod hæc inſtantia non erunt indiuiſibilia, & ſic motus non conſtabit ex indiuiſibilibus; ſi vero inter illa duo Vbi ſit medium,quęro in quo tempore vltimum illius mobilis ſit in illo medio; nō eſt dicendum, quòd ſit in altero inſtanti illorum duorum,quæ cōpetunt illis duobus Vbi, quia ſicuti non eſt in illis duobus Vbi, ita neque in inſtantibus reſpondentibus illis duobus Vbi, ergo erit in aliquo medio inter illa duo inſtantia, ergo illa duo inſtantia non erunt immediata, & ſic motus non componitur ex inſtantibus indiuiſibilibus, ſed ex partibus diuiſibilibus. Hęc eſt probatio Scoti. Sed vltra hanc rationem iſta conſequentia ſimiliter, quòd ſi permanens eſt continuum, ſucceſſiuum quoque eſt continuum;probatur difusè ab Ariſt. 6. Phyſicorum ſub initium, vnde textu 4.habet hæc verba. [Eiuſdem rationis eſt, motum, & magnitudinem,& tempus,componi ex indiuiſibilibus vel non]antecedens etiam probatur ab Ariſt. eod.6. diffuſè. Scotus tamen

men illud probat per duas propoſitiones Geometricas, quas propter obſcuritatem, & prolixitatem omitto.

Rationes in oppoſitum, & eorundem ſolutio. Cap. II.

ADuerſus hanc veritatem multipliciter arguit Scotus loco citato ſe-
1. rō. cundo argumento principali, Primo ſic, ſucceſsiuum diuiditur in indiuiſibilia, ergo componitur ex indiuiſibilibus, conſequentia patet. Antecedens probatur. Poſſibile eſt ſucceſſiuum diuidi in omnia, in quę eſt diuiſibile, ergo poſſibile eſt ipſum eſſe diuiſum in omnia in quæ eſt diuiſibile, ſed hæc poſſibilis ſi ponatur in eſſe, ſequetur, ergo eſt diuiſum in indiuiſibilia, quia ſi non, ergo non eſt diuiſum in
2. rō. omnia in quæ eſt diuiſibile. Secundo probat idem antecedens, quia ſucceſſiui nihil eſt actu niſi indiuiſibile, hoc probatur, quia ſi aliquid diuiſibile ſucceſſiui exiſteret, ſucceſſiuum ſimul eſſet, & non eſſet ſucceſſiuum, quoquo pacto enim permaneret: modo illud indiuiſiblle tranſit raptim, tunc quæro quid illi ſuccedit? ſi aliquid indiuiſibile, habeo propoſitũ, quia tunc continuum componitur ex indiuiſibilibus; ſi vero ſuccedit diuiſibile, tunc ſucceſſiuum actu non eſt; quia iam dictum eſt, tunc ſucceſſiuum actu eſse ſolum, cum eius indiuiſibile exiſtit. Secunda ratio principalis, ſucceſſiuum componitur ex minimis, ergo non eſt continuũ. Conſequentia probatur: quia minimum quo non eſt minus, non habet partem, ex qua ſit, & ſic eſt minimum, non quãtum: at non quantum, non poteſt continuari non quanto, ergo minimum non poteſt continuari, & ſic conſtans ex minimis, nõ eſt continuum. Antecedens verò probatur auctoritate Philoſophi 1. Phyſicorũ, tex. 38. vbi arguendo contra Anaxagorã, ſuæ rationes videntur initi hoc fundamẽto, quòd datur minimum naturale, vt minima caro, vel minimus ignis: ergo ſi datur permanens minimum, debet quoque dari minimum ſucceſſiuum, ſcilicet minimum tempus, minimus motus, & ſic motus debet componi ex illis, & diuidi in illa. Item. 2. de Anima, tex. 41. ait Philoſophus, quòd omnium natura cõſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti, ergo deueniendum eſt ad minimum vniuerſale: at nõ ſolum naturalia ſunt permanentia, ſed etiam ſucceſſiua, ergo habent determinatam paruitatem, & magnitudinem. Item in de ſenſu, & ſenſato, c. 7. in illa prima dubitatione, videtur velle, quod paſſiones naturales nõ ſint diuiſibiles in infinitum, & videtur probare per hoc: quia tunc videretur ſenſus poſſe intendi in infinitum, quia ad percipiendum minimum indiuiſibile, requiritur acutior ſenſus in infinitum; Ratione etiam probatur idem antecedens; 1 rō.
primo ſic, datur prima pars motus, ergo datur minima; conſequentia probatur, quia ſi quælibet pars haberet partem minorem ſe, aliquid ſui eſſet prius aliquo ſui in infinitum; proceſſus in infinitum non datur, ergo ſtandum eſt ad aliquam partem minimã, quæ eſt illa prima pars motus. Antecedens probatur auctoritate Philoſophi, octauo Phyſicorum textu 23. vbi Philoſophus dicit (non enim ſi partibile in infinitum eſt, quod alteratur propter hoc, & alteratio, ſed velox fit, ſicut multoties denſatio.) Ecce, quod ait, alterationem non eſſe partibilem in infinitũ, ſed fieri velociter, ergo in illa poteſt reperiri prima pars motus illius, qui dicitur alteratio; & quia videtur hoc repugnare ei, quod prius dixit in ſexto, nempè, quod ante omne moueri, eſt mutatum eſſe, & ante omne mutatum eſſe eſt moueri. Reſpondet Auerroes, quod illud in ſexto intelligitur de motu inquantum eſt continuus, eſſet diuiſibilis; hic autem intelligitur de motu in quantum eſt actu productus, & generatus; quòd confirmat exemplo de guttis pluribus, quæ cadentes non cauant quælibet gutta partem lapidis, ſed vltima gutta cauat lapidem; ecce quod motus ille ſimul totus eſt. Sed nota, quòd Auerroes pro velociter, habet ſubito, ideo putat, quòd motus fiat in inſtanti, & totus motus ſit ſimul, & hoc comprobari putat per exemplum de guttis aquæ, & idem dicit de alteratione, & trahentibus nauim. Hoc idem dicit de alteratione, libro, de ſenſu, & ſenſato, vbi ait contingere totum ſimul alterari, & to-

tum ſi-

tum ſimul cōdenſari; & non partem poſt partem. Hoc idem antecedens probatur ratione; quia inter contradictoria non datur medium; inter non eſſe ipſius formæ inducendæ per motum, & eſſe ipſius, non eſt medium, cum ſint contradictoria; nō eſſe autem ipſius formæ inducendæ fuit in vltimo inſtanti formæ præcedentis; cum enim illa forma eſt corrupta, ſtatim incipit non eſſe formæ inducendæ, ergo inter illud inſtans, in quo eſt non eſſe formæ inducendæ, & inſtans in quo eſt eſſe formæ inducendæ, non eſt medium, ſed ſi nullum eſſet primum inter eſſe formæ inducendæ, & non eſſe ipſius, eſſet medium, ergo ibi eſt dare primum, illud primum eſt minima pars, quia non eſſet prima niſi eſſet indiuiſibilis.

Solu. harū rōnū. Ad 1. Ad has obiectiones reſpondet Scotus parum poſt H. Ad primam negatur antecedens, ad probationem, reſpondetur, quòd continuum eſt poſſibile diuidi in indiuiſibilia; non tamen eſt poſſibile actu eſſe diuiſum in indiuiſibilia; quia iſta diuiſio eſt ſolum in potentia, & in fieri, non in facto eſſe tota, & ita iſta de poſſibili, non poteſt vnquam tota ſimul poni in eſſe. Contra hanc reſponſionem arguit. *Obiectio.* Per nos hæc eſt vera, continuum poteſt diuidi in infinita, ergo poſſibile eſt diuiſionem iam factam eſſe in actu in infinita. Hæc Scotus, ſubinfert tunc ergo a ſimili, idem dicendum ſucceſſiuo: quia ſucceſſiuum eſt continuum. *Solu.* Dimiſſis reſponſionibus aliorum, reſpōdet Scotus, quòd conſequentia eſt impoſſibilis: quia quando fit diuiſio actu continui ſecundum vnam partem, vt puta ſecundum A. nō fit ſecundum B. quia cum reductiones vnius potentiæ ad actum ſtat alia potentia non reducta ad actum, vt ſi reducitur ad actum potentia ad diuidi ſecundum A. non reducitur potentia ad diuidi ſecūdū B. quia neceſſe eſt diuiſione exiſtēte in fieri, vel in facto eſſe, ſecūdū A. aliquid cōtinuū terminari per A. & ita potentiā, quæ eſt in illa parte cōtinui ad diuidi, non reduco ad actū, eſt ergo impoſſibile, quod cōtinuum actu, ſimul diuidatur ſecundū omnes partes, in quas eſt diuiſibile, vnde illa propoſitio vniuerſalis: Continuū eſt diuiſibile ſecundum quodcumque ſignum, ſiue ſecundum quācūque partem, eſt vera recepta in hoc ſenſu, quod continuum eſt diuiſibile ſecundum omnem partem non ſimul, ſed ſeiunctim, quia vnaquęque pars indifferenter eſt diuiſibilis, ſed non omnes ſimul, & hac de cauſa illa conſequentia non valet, continuum eſt diuiſibile ſecundum quamcumque partem, ergo actu poterit eſſe diuiſum in omnes partes, non valet inquam, erit diuiſum ſecundū omnes partes ſimul, ſed ſolùm erit diuiſum ſecundum omnes partes, ſed non ſimul, quia nulli parti repugnat diuidi, ſed repugnat omnibus ſimul, vt dictum eſt. Hic eſt ſenſus intentus ibi à Scoto, licet propter magnam rationum perplexitatē, & multitudinem, ſit obſcurus; & hic eſt ſenſus in quo intelligitur hæc propoſitio cōtinuum eſt diuiſibile in infinitum; continuum enim eſt infinitū, & quia eſt infinitum, eſt diuiſibile in infinitum, tamen non poteſt actu eſſe diuiſum in infinitum; tum, quia non eſt poſſibile eſſe actu diuiſum in omnes partes, in quas eſt diuiſibile; tum quia continuum eſt infinitum ſolum in potentia, non actu, quia infinitum actu non datur.

Ad ſecundam probationem illius antecedentis, primo præmittit reſpōſionem Nominalium, & eam confutat; deinde ponit propriam, quę eſt, cum quærit, quid ſuccedat illi indiuiſibili raptim tranſeunti. Reſpondet, quòd ſuccedit pars continua fluens, non autem indiuiſibile, & hæc pars fluens ſuccedit, quia continuū eſt immediatum indiuiſibili, & ideo falſa eſt etiam illa propoſitio, quòd ſucceſſiuum tunc tantum ſit, cum eius indiuiſibile eſt, quia etiam ſucceſſiuum eſt, cum eius pars diuiſibilis eſt; ſed tantum valet ſucceſſiuum non eſt eodem modo, & vniformiter; hoc autem non eſt inconueniens; ſicuti nec etiam linea habet eſſe vniformiter vbique, quia linea habet eſſe in partibus ſuis diuiſibilibus, vt in vltimis, & in punctis, quibus terminatur, vt in terminis. Ita tempus, & aliud quoduis ſucceſſiuum, non habet eſſe vniformiter ſemper, prout ſemper diſtribuit, & pro partibus fluentibus, & pro indiuiſibilibus. *Ad 2.*

Ad 2. principalem rōnē. Ad ſecũdam rationem principalẽ pro illo antecedente de minimis, negat antecedens. Ad primam probationem ex primo Phyſicorum textu 38. contra Anaxagoram, Reſpõdet, quòd Philoſophus ibi non in[illegible] dari minimum: ſed ſufficit ei contra Anaxagoram oſtendere, quod in diminutione ita totũ minoratur, quod non ſemper de eo æquale abſtrahi poteſt, & conſequenter toties caro diuidetur, quod non poterit tamdiu amplius ab ea æquale diuidi, & ſic non fieri poterit generatio, vt volebat Anaxagoras, qui dicebat, quòd generatio fiebat ex ſegregatione vnius ab altero: & ſic volebat, quòd caro generaretur ex alia carne ſegregata ab aliquo toto; hoc autem eſt impoſſibile, quia diuidendo deueniendum eſt ad carnem, a qua non poteſt accipi caro in tanta quantitate, quòd ex ea alia caro poſset generari; caro autem, ex qua debet fieri generatio, debet eſse determinatæ quantitatis, non minima; non admittit ergo Philoſophus minimum naturale, ſed minimum tale, quòd non eſt aptum, vt ex eo fiat generatio.

Ad 3. Ad illud ex ſecundo de anima dicit, quòd ibi Philoſophus loquitur de quantitate naturali augmentabilis, & diminuibilis, & hoc conceditur: quia determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti, ſecundum quam vnaquæque res produci debet, & ſecundum quam debet augeri, & minui, non enim poteſt augeri ſupra montem Olympum, neque in ortu eſt ita parua, vt formica; ſed ex hoc loco nihil habetur contra nos.

Ad 4. Ad illud ex libro de ſenſu, & ſenſibili, Reſpondet, quòd concluditur, quòd ſenſus creſceret in infinitum, ſi ſenſibile in quantum eſt perceptibile à ſenſu, eſset diuiſibile in infinitum; ſed illud eſt impoſſibile, quia minimum ſenſibile, non eſt perceptibile à ſenſu, vt etiam Philoſophus ibi dicit, ergo ſenſus non poteſt intendi in infinitum.

Ad 1. rōnē. Ad primam rationem ait, poſse negari conſequentiã: quia qui dixerunt dari primum in motu, dixerunt mutationem primum eſse partem motus, tamen negãt dari primum motum, & primam mutationem: quia Philoſophus, 6. Phyſicorum textu 52. ex intentione oſtendit oppoſitũ, ſcilicet, quòd omne moueri præcedit mutatum eſse in infinitum, & è conuerſo: & de hac re aggreditur diſputationem, de qua ſuo loco. Ad auctoritatem autem Ariſtotelis ex 8. Phyſicorum, textu vigeſimotertio, quæ in oppoſitum adducitur, Reſpondet, quòd Philoſophus ibi intendit ſolum oſtendere, quòd non omnia ſemper mouentur, vt nonnulli antiqui putabant, & conuincit illos ex ijs motibus, quibus in talem opinionem inciderunt: quia enim videbant animal augmentatum eſse perceptibiliter in magno tempore, vt puta in anno, putabant quòd illud animal ſemper augeretur in toto tempore, licet imperceptibiliter: Philoſophus autem illis obuiat, quia bene poteſt tale mobile quieſcere per aliquod tẽpus, & poſtea moueri in aliquo paruo tẽpore illo motu: ita quod non oportet ſemper illum moueri illo motu; & ad hoc adducit exemplum de guttis aquæ cadentibus, & cauantibus lapidem, quarum multæ cadunt, & nihil mouent, vna tandem vt puta centeſima cauat in virtute aliarum, non tamen vult dicere Philoſophus, quòd ablatio partis lapidis fiat in inſtanti, & tota ſimul, quia hoc eſt impoſſibile: nam illa ablatio eſt motus localis, qui neceſſario fit in tempore; ſed vult tantum dicere, quod hic motus non fit ſucceſſiuè, ita vt ſecundum, quod vna gutta aquæ cadit, fiat aliquis motus in illa cauatione; ſed ait, quòd hic motus cauatio fit in caſu vltimæ guttæ, ſed tamen illa cauatio non eſt inſtantanea, ſed ſucceſſiua, quia eſt impoſſibile; quod fiat in inſtanti, vt aliàs dicam, & ſecundum hunc ſenſum poſtea ſubinfert, quòd alteratio non eſt partibilis in infinitum, ſed velox. Ita etiam expoſitio Comentatoris non eſt bona: quia eſt contra litteram; vbi enim noſtra expoſitio habet velox; illa Comentatoris habet ſubito; & ideo ipſe exponit in inſtanti, ſed debet exponi velox, id eſt repente, ſiue in tempore paruo, & imperceptibili; vult ergo dicere Philoſoph9, quod licet alterabile poſſet in infinitum alterari, non tamen eſt neceſſe, quod alteratio illi correſpondeat; ita quod illa alteratio continuo fiat, quia ipſa fiet in aliquo

paruo

paruo tempore.

Ad vltimam rationem de contradictorijs, concedit Scotus, quòd inter non eſſe formæ iuducendæ, & eſse eiuſdem, non datur medium; ſed quod eſse formæ inducendæ immediatè ſequitur non eſse eiuſdem: quia inter illud non eſse, & eſse formæ inducendæ, nihil mediat; non tamen ſequitur, quòd eſse formæ inducendæ, quòd tempore menſuratur, vniatur primo, ſecundum totum illi non eſse, quòd menſuratur indiuiſibili, ſed vnitur illi immediatè per partem vnam, deinde per alteram; ideo non ſequitur, quòd illud primum ſit minimum, & indiuiſibile, ſed eſt pars prima totius diuiſibilis, & ſic habetur quomodo ſucceſſiuum non componatur ex indiuiſibilibus.

Ex hoc etiam patet quomodo vera ſit illa propoſitio, continuum eſt diuiſibile in infinitum; intelligitur enim in potentia, non actu, immò illi repugnat verificari actu, vt dictum eſt ſuprà ſoluendo primam rationem; eſt enim vera ſolùm in hoc ſenſu. Continuum eſt diuiſibile ſecundum quamcumque partem non ſimul, ſed ſeiunctum; & ita in infinitum eſt diuiſibile, quia in diuidendo continuum, ſecundum partem ſeiunctum nõ poſsumus deuenire ad finem, quia cum ſecatur ſecundum vnam partem, ſecundum aliam terminatur, & ſic in infinitum, & veritas eius pendet ex veritate præcedentis, quòd continuum non componitur ex indiuiſibilibus, ſed ex diuiſibilibus: ideo neque poteſt reſolui in indiuiſibilia; Hinc patet, quàm abſurda ſint, quæ alij dicunt de diuiſibilitate continui.

Dub. Sed circa illam propoſitionem eſt difficultas: quia omne finitum per ablatiónem finiti, tandem conſumitur, ergo cõtinuum corpus tandem conſumitur, ergo non eſt diuiſibile in infinitum in ſemper diuiſibilia.

Reſpondetur, iam dixi, quòd illa propoſitio eſt vera in potentia, non in actu; certum eſt enim, quòd omne corpus finitum continuum actu non diuiditur in infinitas partes, quia eſt deuenire ad aliquas partes ita paucas, quas contraria illius corporis facilè corrumpant; tamen in potentia illæ partes eſſent diuiſibiles in infinitum, quia non ſunt indiuiſibiles, neque conſtant ex indiuiſibilibus vt dictum eſt, & ideo illis repugnat diuidi vſque ad indiuiſibilia; adeo quod ſunt ſemper diuiſibiles: quæcumque enim pars minima data, illa habebit partes, & ita erit diuiſibilis, tamen actu propter agentia contraria, cum corpus continuum eſt diuiſum in quaſdam paruas partes conſumitur, quia illæ partes corrumpuntur à contrarijs, & ita verificatur illa propoſitio: Omne corpus finitum per ablationem partium tandem conſumitur, id eſt per ablationem actualem partium paruarum, quæ à contrarijs facilè corrumpuntur, illud quoque corrũpitur, tamen ſecundum ſe, & in potentia, & intrinſecè, illi non repugnat diuiſibilitas in infinitum, quod etiam declaratur in Theoremate, vbi loquar de minimo naturali.

Et nota, quod illa reſponſio, quæ communiter ad hanc propoſitionem adducitur, quòd continuum eſt diuiſibile in infinitum ſecundum partes eiuſdem proportionis, non autem ſecundum partes eiuſdem quantitatis, in ſe eſt falſa; licet ſit Philoſophi in tertio Phyſicorum, textu 59. quia etiam facta diuiſione ſecundum partes eiuſdem proportionis, illud continuum finitum conſumitur, vel non fiet proceſſus in infinitum, quòd patet; nam detur magnitudo decem pedum, auferatur ab ea dimidia pars, deinde ab illa dimidia parte iterum auferatur dimidia: hæc enim erit diuiſio per partes eiuſdem proportionis, non eiuſdem quantitatis: quia prima pars dimidia, & hæc ſecunda pars dimidia, non ſunt eiuſdem quantitatis, ſed eiuſdem proportionis, tamen patet cuique, quòd faciente talem diuiſionem in toto finito non fiet proceſſus in infinitum, ſed illud tandem conſumabitur. Eſt ergo dicendum: quod in ſe non eſt ſufficiens ratio, ſed fundatur in hac prima radice, quia magnitudo eſt continua, & continuum eſt diuiſibile in infinitum, vt dixi; & hanc præcipuam rationem eſſe aſſerit Ariſtoteles tertio Phyſicorum textu 69. vt in vtroque loco notauit Vico- *Error aliquorũ*

mercatus, & Burlæus rectè in eo textu 59.

THEOREMA LIII.

Metaphyſicus poteſt probare dari ſubſtantias abſtractas.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis, & reiectio Aduerſariorum. Cap. vnicum.

Scot. SCotus primo Sententiarum in prologo quæſtione de ſubiecto, quæſtiuncula ſecunda, reſpondendo ad tertium, approbat opinionem Auicennæ, qui dicebat Metaphyſicam poſſe oſtendere dari ſubſtantias abſtractas, & reprobat Auerroem in hoc contradicentem Auicennæ; dicebat ergo Auerroes 1. Phyſicorum textu 83. quod ad phyſicum ſolùm ſpectat oſtendere dari ſubſtantias abſtractas, & non ad Metaphyſicum, & quòd nullum aliud medium eſt efficax ad hoc oſtendendum, præter motum. Scotus è contra ſuſtinet cum Auicenna, quod etiam Metaphyſicus poteſt oſtendere dari ſubſtantias abſtractas.

1. rō. Prima ratio eſt hæc; Si aliquas ſubſtantias ſeparatas eſſe, eſſet ſuppoſitum in Metaphyſica, & probatum in Philoſophia naturali, ſequeretur, quòd Phyſica eſſet prior Metaphyſica, quod eſt abſurdum. Falſitas conſequentis patet; conſequentia probatur: quia tunc Philoſophia naturalis oſtenderet ſi eſt de ſubiecto Metaphyſicæ, quòd quidem ſubiectum præſupponitur toti cognitioni ſciẽtiæ Metaphyſicæ.

2. rō. Secunda ratio; per omnem conditionem effectus, quàm impoſſibile eſt ineſſe effectui, niſi ab aliqua cauſa prima, talium entium, poteſt demonſtrari de illa cauſa, quòd eſt. At ſic eſt, quòd in Metaphyſica conſiderantur multæ paſſiones, quas impoſſibile eſt ineſſe entibus niſi a cauſa talium entium, quæ ſunt ſubſtantiæ abſtractæ, ergo per illas poteſt demonſtrari de ſubſtantijs abſtractis, quòd ſunt. Maior eſt nota per ſe. Minor vero probatur: quia multitudo entium, dependentia, compoſitio, & huiuſmodi, ſunt conditiones entium, quæ illis ineſſe non poſſunt niſi ab aliqua prima cauſa illorũ, quia multitudo pendet a ſimplicitate, dependentia ab independentibus, fluxibilitas, & corruptibilitas, a neceſſitate, ergo per hæc media poteſt Metaphyſicus probare dari ſubſtantiam ſimplicem, independentem, neceſſe eſse; talis eſt ſubſtantia abſtracta, ergo multa media habet Metaphyſicus per quæ poteſt demonſtrare de ſubſtantijs ſeparatis, quod ſunt. Adiungit Scotus, quòd multo perfectius Metaphyſicus oſtendit primam cauſam eſſe ex paſſionibus Metaphyſicalibus cauſatorum, quàm ex paſſionibus Phyſicis, ſcilicet motu, quia paſſiones Metaphyſicæ oſtendunt perfectiora prædicata de prima ſubſtantia, quàm Phyſica, quia Phyſica oſtendit ſolum primam cauſam eſſe mouentem, ſed Metaphyſica oſtendit primam cauſam eſſe neceſſe, eſſe primum ens, & cætera, perfectior autem cognitio, & immediatior de primo ente, eſt cognoſcere, quòd ſit primum ens, & neceſſe eſse, quàm quòd ſit primum mouens.

Contrarium ſententiam habet Zimara Theoremate 52. circa finem, & 60. Zabarella etiam libro de Inuentione æterni motoris, capite primo. Omnes aduerſus hanc ſententiam ita arguunt. Omnia alia media præter motum, nullius ſunt valoris, neque neceſsaria ſunt, ergo ſolus Phyſicus poteſt oſtendere ſubſtantias abſtractas dari. Conſequentia eſt clara; Antecedens probatur: nam cum argumentamur, datur ens dependens, quòd à nullo dependet, hic eſt Deus, ergo. Item datur bonum, ergo melius, ergo optimum, & cætera. Antiqui Philoſophi illi, qui præter res corporeas, & ſenſibiles, nil aliud exiſtere concedebant, dicerent, illud ſummum, & optimum, & perfectiſſimum eſſe Cælum, nec vltra præter illud dari Deum; niſi ergo confugiamus ad motum, non poterimus probare dari ſubſtantias ſeparatas. *Oppoſita ſent. Zim. & Zabarel. 1. rō.*

Frãciſcus Piccolomineus, libro de Motoribus Cælorum, capitulo ſeptimo conuenit in concluſione cum Scoto, ſcilicet, quòd alijs medijs quàm per motum, *Piccolomineus.*

poteſt

poteſt probari dari ſubſtantias ſeparatas, ſed tamen repræhendit Scotum. Primò, quia Scotus non aſſignat quibus rationibus Ariſt. ſit vſus. Secundò, quia non eſt verum quod alia media ſint potiora, quàm æternitas motus.

1. rõ.

2. rõ.

3. rõ. Tertiò, quia alia media, vel ſupponunt æternitatem motus, vt videtur dicere gloſsa Scoti in margine, & tunc ſolus motus eſt medium neceſſarium, & alia media non ſunt potiora illo, ſed debiliora; Vel ſi non ſupponunt, ergo errauit Ariſtoteles, qui tum in Phyſica, tum in Metaphyſica oſtenſurus dari ſubſtantias ſeparatas, ſemper incipit ab æternitate motus, in eoq. moratur, non in alijs.

4. rõ. Quartò retorquet ratioñe Scoti quam adducit contra Auerroem, contra ipsũmet Scotum. Rationes Metaphyſicæ ſupponunt rationem Phyſicam, ergo Metaphyſica eſt poſterior Phyſica, conſequẽtia valet, ſi conſequentia Scoti valet contra Auerroem; Antecedens eſt Scoti, tenendo, vt gloſsa illa marginis Scoti ait, quod rationes Metaphyſicæ ſupponant rationes Phyſicas.

5. rõ. Quintò arguunt alij, quia omne quod conſideratur à Metaphyſica eſt abſtractum. Media ergo omnia Metaphyſica ſunt abſtracta; at per medium abſtractũ non poteſt oſtendi dari abſtractum, quia eſſet petitio principij.

Verum obiectiones iſtæ nullæ ſunt, & cõcluſio Scoti manet in ſuo robore, quod etiam probatur optimè per rationes ſuperius adductas ex Scoto; Et confirmatur multis auctoritatibus Ariſtotelis, Ariſtoteles 3. de Cælo, textu ſecundo, ait, magis eſſe alterius, & prioris Philoſophiæ, quàm ſit naturalis, oſtendere eſſe quædam ingenerabilia, & omnino immobilia; in Metaphyſica autem ſæpè pollicetur ſe oſtenſurum dari ſubſtantias ſeparatas, vt 3. Metaph. textu 7. ſexto Metaph. textu 2. & 3. in 7. Metaph. textu 5. & 6. & alibi, in principio tertij libri eiuſdem Metaphyſices aſſerit ad Metaphyſicam pertinere oſtendere dari ſubſtantias ſeparatas, his verbis, textu 2. & hoc idem quoque neceſſariò eſt quærere, vtrum ſenſibiles ſubſtantiæ eſse ſolum, dicendæ ſint, aut pręter has aliæ (&

Opin. Scoti confirmatur.

1.

2.

paulò infra in eodem textu 2. habet hæc verba (quinto eſt & etiam illud quærendum neceſsariò, vtrum oporteat neceſſariò dicere, quod ſubſtantiæ ſunt ſenſibilia tantum, aut ſunt aliæ ſubſtantiæ ab illis ſenſibilibus) vbi apertè dicit pertinere ad Metaphyſicam oſtendere de ſubſtantijs abſtractis, an ſint, & deinde quænam ſint; & alibi ſæpè. Nec valet reſponſio communis Zabarellæ, quod Ariſtoteles in prædictis locis loquitur de quid eſt, non de an ſit, & quod in omnibus prædictis locis iure dicit Ariſtoteles ſubſtantias immobiles eſſe ignotas, quia Ariſtoteles in 8. Phyſicorum, non docuit Primum motorem eſſe ſubſtantiam immobilem, ſed motorem immobilem: vnde hoc prædicatum, quod Primus motor ſit ſubſtantia immobilis, probatur in Metaphyſica, ſicut & alia prædicata pertinentia ad quid eſt, non autem probatur quod ſit; non valet inquàm hæc reſponſio: quoniam patet legentibus textum, quod Ariſtoteles loquitur de, ſi eſt, non de, quid eſt, quoniam in Metaphyſica diſputat aduerſus Antiquos, inter quos non erat leuis contentio de numero ſubſtantiarum: Aliqui enim ponebant Ideas; aliqui res Mathematicas; aliqui ſolum res ſenſibiles eſſe ſubſtantias, ideo ſemper pollicetur ſe velle determinare quot genera ſubſtantiarum dentur, & pręſertim 7. Metaph. textu 6. inquit, quærendum eſse, an dentur alię ſubſtantiæ pręter ſenſibiles, & iſtæ quomodo ſint, per quod denotat vtramque quęſtionẽ, an ſint, & quid ſint. Idem habetur 3. de Cęlo textu 2. vbi habet Ariſtot. hæc verba. Eſse enim quædam entium ingenerabilia, & totaliter immobilia magis eſt alterius, & prioris, quam Phyſicæ conſiderationis; at illud verbum, eſſe, ſignificat exiſtentiam, & ſenſus eſt oſtendere, quod in rerum natura ſit aliquod ens ingenitũ, & totaliter immobile magis eſt Metaphyſicæ, quàm Phyſicæ: nõ ergo in illis verbis aſſerit Ariſtot. ad primum Philoſophum ſpectare probare immobilitatem primi motoris, vt vult Zabarella: ſed loquitur de exiſtentia entis immobilis, & ibi vult magis ſpectare ad primum Philoſophũ declarare exiſtentiam entis ingeniti, &

immobilis, quam ad Phyſicum.

3. Rationes etiam illæ, quas Scotus adducit ex Metaphyſica ſunt efficaces: nam ex Ariſt. 8. Phyſ. quòd melius eſt, ſemper arbitramur in natura eſſe, ſi poſſibile eſt, ſtãte hoc principio, ſic ſequitur. Datur aliqua ſubſtantia irrationalis, & corporea; datur alia ſubſtantia, quæ partim eſt corporea, & partim intellectualis, vt homo; ergo debet dari aliqua ſubſtantia merè intellectualis, & incorporea ſeiuncta à materia; quia hoc eſt optimum. Hæc ratio eſt efficax deducta ex illo principio. Præterea, in cauſis eſſentialiter ordinatis, non datur proceſſus in infinitum, ex 8. Phyſicorum, & 2. Metaphyſices, textu 5. & inde. Ex hoc principio ſic infertur: at datur effectus dependens ab alio; ergo deueniẽdum eſt ad vnum primum, quod ſit independens, illud eſt ſubſtantia abſtracta. I-
4. tem datur ens compoſitum, ergo debet dari aliquod ens ſimplex, cum illud ſit perfectius, & quod eſt perfectius, eſt ad-
5. mittendum in rerum natura. Item ordo accidentalis rerum, vt generatio, eſt contingens, at omne contingens pendet ab aliquo neceſſario, alioquin non eſset permanens; ergo deueniendum eſt ad aliquam cauſam neceſsariã, qualis eſt Deus;
6. Omnes iſtæ rationes cõcludunt, vt patet; reſponſiones autem aduerſariorum nunc reijcientur.

Ad 1. Zab. Ad primum autem Zabarellæ dico, quod dicere hoc optimum, independens, primum efficiens eſse cælum, vel corpus, eſt vanum; quoniam corpus omne depẽdet à loco: non eſt etiam optimum, quia videmus, quod intellectus eſt perfectior corpore apud nos; ergo illud, quod eſt perfectiſſimum omnium, & optimum, nõ poteſt eſse corpus, ſed erit intellectus. Præterea omne corpus participat potentiam, ſaltem ad Vbi; at quod participat potentiam, non eſt optimum, ſed ſolum purus actus. Illud quidem eſt veriſſimum, quod motus æternitas, eſt medium euidẽtius, quod habere poſsumus; quia quod ſubſtantia ſeparata ſit, non poteſt cognoſci à priori; quia non habet cauſam ſupra ſe; innoteſcit ergo ſolum per effectus. Inter omnes effectus autem ſubſtantiarum ſeparatarum, clarior, & notior eſt motus, cum omnia efficiantur per motum; non tamẽ propter hoc ſequitur, quin alia media ſint efficacia, licet non ſint ita euidentia vti motus; conſpicuum eſt enim, quòd Cælum, & corpus ſimplex, non eſt optimum, cum muſca propter vitam ſit excellentior Cælo.

Ad 1. Picc. Ad primum Piccolominei dico, quòd Scotus adducit alias rationes, quibus vti poteſt Metaph. vt viſum eſt, licet non percurrat per omnes, & hoc ſufficit.

Ad 2. Ad ſecundum dico, quòd Scotus non ait, quòd cæteræ rationes ſint potiores, & efficatiores ratione deſumpta à motu, ſed quod ſunt perfectiora media; & quod Metaph. oſtendit de prima cauſa, quòd eſt perfectiori modo, quàm Phyſicus; quia Phyſicus per motum oſtendit, quod datur vnum mouens primum, at Metaph. oſtendit per illa media, quòd datur vnum primum, quòd eſt neceſſe eſſe; & quòd datur vnum primum quod eſt ſimplex; quod eſt intelligens, &c. quæ omnia ſunt prædicata excellentiora. Ait ergo Scotus, quòd media Metaphyſica ſunt perfectiora, & perfectiori modo oſtendunt primam cauſam, vt dictum eſt; non tamen ait, quòd ſint efficaciora.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd illæ rationes Metaphyſ. non ſupponunt motum, ſed ſunt media diuerſa; ſed eas neglexit Ariſtotel. quia ratio deſumpta ex motu, erat euidẽtior, & ſatis per ſe efficax. gloſsa autem illa Scoti, pro tanto ait rationes illas præſupponere phyſicas rationes: quia aliqui aduerſarij Scoti ex eo loco arbitrabantur Scotum negare motum eſſe ſufficiens medium ad oſtendendum dari primũ motorem; & phyſicam hoc præſtare non poſſe, quod eſt falſum: quia Scotus non negat Phyſicam per motum poſſe probare dari ſubſtantias ſeparatas, ſed ait id quoque poſſe Metaphyſ. & media Metaph. ducere nos in excellentiorem cognitionem primæ cauſæ; ideo illa gloſſa ait aduerſarios Scoti decipi, putantes Scotum aſſerere Metaphyſicam probare ſubſtantias abſtractas dari, non ſuppoſita probatione Phyſica, id eſt ſolum Metaph. probare dari ſubſtantias abſtractas, & excludere penitus probationem Phyſicam tãmquam inualidam.

Ad

Ad 4. Ad quartum per idem patet: quia rationes illæ Metaphyſices ex Scoto, nõ præſupponnnt rationem phyſicam, ſed ſunt penitus diuerſæ rationes. Præterea, ratio Scoti eſt efficax contra Auerroem: quia Auerroes dicebat, quòd genus ſubſtantiarum ſeparatatum eſt ſubiectum in Metaphyſica. modo ſciẽtia, quæ probat de ſubiecto alterius ſcientiæ, quòd eſt, eſt prior illa; & ideò verè ſequeretur, quòd Phyſica eſſet prior Metaphyſica; at ſi vna ſcientia accipiat medium vnum ab alia ſcientia, non propter hoc ſequitur, quòd ſit poſterior illa, quia non propter hoc ſequitur, quod ſit de ſubiecto poſteriori illa.

Ad 5. Ad quintũ poſſumus dicere, quòd media Metaphyſicalia ſunt abſtracta à motu, & mutatione; ſed abſtracta tamen omnia non ſunt eiuſdem rationis; quædam enim ſunt notiora, & quædam minus nota, & ſic per magis nota deuenimus in cognitionem eorum, quæ ſunt minus nota; quædam enim licet ſint abſtracta, tamen ſunt notiora nobis alijs abſtractis, & per illa aſcendendo ad cognitione iſtorum non fit petitio principij. Nunquid autem hæc demonſtratio, quod datur primus motor per viam motus ſit dicenda Phyſica, vel Metaphyſica, ſatis doctè diſſerit Zabarella in libro de Inuentione æterni motoris. Ego breuiter puto dicendum, hanc demonſtrationem eſſe naturalem: quia media, & quæſitum ſunt naturalia; eſt enim clara doctrina Ariſtoteles primo Poſteriorum, quòd non debet fieri tranſitus de genere in genus; & quòd medium, ſubiectum, & paſſio debent eſſe in eadem ſcientia: & ſic fruſtra à nõnullis quæritur, an demonſtratio denominanda ſit à medio, vel à ſubiecto; quia, & media, & ſubiectum, debent eſſe eiuſdem generis. Quòd autem in hac demonſtratione, media, & quæſitum ſint naturalia, patet: quia hæc eſt demonſtratio: Omne quod mouetur, ab alio mouetur: ſed in mouentibus non datur proceſſus in infinitum, ergo deueniendum eſt ad vnum primum motorem immobilem. Ecce quòd Concluſio eſt de prædicato naturali, & medium ſimiliter, & ſic tota demonſtratio eſt naturalis. Quòd autẽ hic primus motor ſit ſubſtantia à materia ſeparata incorporea, &c. ſunt prædicata Metaphyſicalia, & ſunt aliæ concluſiones deductæ, ex hac concluſione: datur motor æternus, accepta pro medio: Metaphyſicus enim concluſionem, & demonſtrationem Phyſicam accipit pro medio ad alia prædicata inueſtiganda de primo motore.

An demõſtratio, qua oſtenditur ſubſtantias abſtractas dari ꝑ motũ ſit naturalis, vel Metaph.

Poſſumus etiam dicere, quod Metaphyſica eſt ſcientia vniuerſaliſſima, & ideo medijs vniuerſalibus, & notioribus vtitur, & quia motus eſt effectus notiſſimus, ideo dicendum eſt, pertinere magis ad Metaph. quam ad Phyſicam: immò Phyſicam accipere hoc medium à Metaph. & vti illo, & conſiderare contractè, ſcilicet, quatenus eſt paſſio corporis naturalis; ſicuti etiam à Metaph. accipit ſolum ſubiectum, ſcilicet corpus naturale, & illud contractè conſiderat, ſcilicet vt eſt principium motus, quod non facit Metaph. quæ motum conſiderat, vt eſt paſſio entis. Vnde videmus in 12. loqui multum de motu ſubſtantiarum abſtractarum, in 8. & 9. multum loqui de generatione, & corruptione, & alijs motibus; ideo non eſt mirum, quod Metaphyſ. vtatur motu tamquam medio, ad probandum dari ſubſtantias abſtractas, & eorum prædicata.

THEOREMA LIV.

Deus eſt infiniti vigoris, etiam ſecundum Ariſtotelem.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Illud in primis eſt notandum in tractatu de Intelligentijs, quòd Scotus proteſtatur in 1. Sent. d. 8. q. 6. & 7. q. quodlibetali, nempè, quod cum ex dictis Philoſophi poſſit elici opinio rationabilior, & verior, & quæ eſt conformis fidei, quæ eſt ſumma veritas, nõ vult imponere ipſi Ariſt. opinionem irrationabiliorem, ſed ex eius dictis vult elicere rationabiliorem ſententiam quàm poſſit. *Scot.*

In quæſtione igitur ſeptima quodlibetali reſpondẽdo ad primum principale, probat de mente Phyloſophi Deum eſſe infiniti vigoris; Sed antequam adducam

 ratio-

rationes, ſciendum eſt, quod Scotus per infinitum vigorem, non intelligit omnipotentiam eo modo, quo Theologi ponunt omnipotentiam in Deo, quæ eſt infinita potentia actiua efficiendi quodcũque etiam immediatè, ſine cauſis ſecundis: talem enim omnipotentiã in Deo, & infinitum vigorem, non nouit Ariſt. quia poſuit neceſsarium eſse ordinem, & connexionem cauſarum ſecundarum; ſed per infinitum vigorem intelligit potentiam actiuam infinitam in ſe, in efficiẽdo quod cumque, tamen alligatam cauſis ſecundis, vt infrà manifeſtabitur: adeo quod Scotus probare intendit, quod prima Intelligentia ſecundum Ariſtotelem, habet infinitam potentiam in ſe, ſed actu illam non exercet, propter imperfectionem effectuum, propter quàm dantur cauſæ ſecundæ, quib. illa potentia infinita eſt alligata. Probat ergo Scotus, quod Deus
1. rõ. ſit infiniti vigoris ex Ariſt. Primo ſic. Ariſtoteles 8. Phyſic. tex. 78. & 12. Metaph. tex. 41. probat Deum carere magnitudine, & vtitur hac demonſtratione, quæ in formam reducta, continetur in duobus Syllogiſmis hoc modo.

Omne illud, quòd mouet per infinitum tempus, habet infinitam potentiam; At Deus mouet per infinitum tempus, ergo Deus habet infinitam potentiam; Subſumit, ſed quod habet infinitam potentiam, caret magnitudine: At Deus habet infinitam potẽtiam, ergo Deus caret magnitudine. Maior primi ſyllogiſmi probatur: quia ſi eſset finitæ potentiæ, illa conſumeretur, & ita non poſset mouere per infinitum tempus; Minor eſt probata in 8. Phyſic. vbi iam concluſerat, quod motus eſt æternus. Maior 2. Syllogiſmi probatur ab Ariſt. ibidem ſic: quia vel haberet magnitudinẽ infinitã, & hoc eſse non poteſt, quia non datur magnitudo infinita, neque habere poteſt magnitudinẽ finitã, quia in magnitudine finita, non poteſt eſse virtus infinita, ſed quæcumque potẽtia in magnitudine finita data, poſset dari aliqua maior.

Ex hac ratione Ariſt. colligitur ipſum exiſtimaſse primam Intelligentiam eſse infinitæ potentiæ; quoniã in Maiori propoſitione 1. Syllogiſmi, & 2. certum e. quod per potentiam infinitam intelligit talẽ infinitatem potentiæ, quæ non poteſt ſtare cum oppoſito conſequentis, ſcilicet eum habere magnitudinem, vel eſſe in magnitudine: quia hoc eſſet dicere, quod faceret conſequentiam, quæ ſecundum intentionem eius non teneret: nam ex eo, quod primus motor habet potentiam infinitam, infert, quod primus motor caret magnitudine. Modo, ſi illa infinita potẽtia motoris poſſet ſtare cum magnitudine, conſequentia Ariſt. eſſet nulla: quia nõ valeret dicere, habet potentiam infinitã, ergo caret magnitudine; Relinquitur ergo, quod Ariſt. in vtraque illa Maiori, per infinitam potentiam, intelligat potentiã, quæ ſtare non poteſt cum magnitudine; Ex hoc arguo ſic; ſed potentia infinita in duratione poteſt ſtare, & actu eſt ſecundum Philoſophum cum magnitudine, ergo dum ait Philoſophus, primum motorem eſſe infinitæ potentiæ, non intelligit de infinitate in duratione: ſed intelligit de infinitate vigoris; Antecedens probatur: quia Cælum eſt actiuum, agit enim ſecundum omnes, lumine, & calore in mortalia, & eſt præditum magnitudine, & tamen eſt æternum, & habet infinitam potentiam actiuam in duratione. Conſequẽtia probatur: quia non datur alia potentia infinita, niſi durationis, vel vigoris; Potentia motoris non eſt infinita in duratione, ergo in vigore. Hæc ratio mihi videtur efficaciſſima, niſi enim Ariſt. intelligeret de potentia infinita in vigore, ſed in duratione, vt Aduerſarij volunt, faceret ipſe Ariſt. conſequentiam, quæ ſecundum ipſummet Ariſtotelem non valeret; Ex hac ergo demonſtratione Ariſt. deducit Scotus, quod mẽs Ariſt. eſt, quod. Primus motor ſit infiniti vigoris; Vnde non curat, an ratio illa Ariſtotelis concludat propoſitũ ipſius Ariſt. necnè, ſufficit ſibi colligere mentem Ariſtotelis eſſe, quod primus motor ſit infinitæ potentiæ in vigore.

Huic rationi reſpondere nititur Franciſcus Piccolomineus, lib. de Cælorum motoribus, c. 34. & 35. ſed neque eam adducit, vt eam format Scotus, neque vim illius perpendit; tamen reſponſio eius conſiſtit in hoc, ꝙ Ariſtot. eo in loco intendit probare æternũ motũ, nõ poſse produci à moto- Solu. Picc.

à motore, & virtute materiata, & habente magnitudinẽ, ſiue illa virtus ſit finita, ſiue infinita, adeo quod tota Concluſio eſt iſta.

Primus motor non eſt habens magnitudinem finitam, vel infinitam; quam poſtea probat: quia magnitudo infinita nõ datur, in magnitudine verò finita virtus exiſtens, non poteſt mouere per infinitũ tẽpus, ex dictis in tex. 78. Inſuper, ex hoc ait patet, quod loquitur ibi Ariſt. de finita, & infinita virtute, quæ competit formis materialibus, quod eſt finitum, & infinitum extenſione, & motu, talis autem finitas, & infinitas, non competit formis abſtractis; vnde ipſe ſuſtinet, quod Deus non eſt finitus, nec infinitus ea acceptione, qua finitum, & infinitum accipitur in illo 8. Phyſic. & propterea ait perperam multos formare illam demonſtrationem, ſic enim eſſe formandam ait; Nulla virtus materiata mouet ſemper: At primus motor mouet ſemper, ergo non eſt virtus materiata; Maior probatur: quia virtus materiata, vel eſt infinita extenſione, mora, & actione, vel eſt finita, & in magnitudine finita; non infinita: quia non datur; non finita: quia talis per oſtenſa in textu 78. illius 8. non valet ſemper mouere; Hęc ex dictis Piccolominei habentur; ex quibus ad rationem Scoti patet eſſe reſpondendum, quod Ariſt. per potentiam infinitam, intelligit, non potentiam infinitã in vigore, ſed in duratione, ſiue mora, & extenſione.

Reijcitur. Verùm hæc ſolutio nullius eſt momẽti, & roboris; Primum: quia dato, quod ſit aliqua difficultas de hac demonſtratione, vt ponitur in 8. Phyſ. tamen à nobis explicato modo formatur ad vnguẽ in 12. Metaph. tex. 41. ſed etiam hoc eodem modo cõficitur in 8. Phyſ. licet difficiliori modo. Dico igitur, qđ hæc reſponſio Piccolominei, vel coincidit cũ sẽtẽtia nũc relata de mẽte Scoti, vel eſt falſa: primũ quidẽ clarũ eſt inſtitutũ. Ariſt. in illo tex. 78. & 79. 8. Pyſic. eſſe, velle oſtẽdere, qđ primus motor eſt carẽs materia, & magnitudine: qđ lucidè cõſpicitur ex primis verbis illius tex. 78. quæ sũt iſta [Quod autẽ hoc neceſſe eſt impaſſibile eſſe, & nullã habere magnitudinem, nunc dicamus] Modo ſi dum Piccolomineus ait Ariſt. inſtitutum eſſe, ibi velle oſtendere motum æternũ non poſse effici à motore, & virtute materiata, hoc idem ſi vult intelligere, eſt nobiſcum: quia eſt idẽ dicere, motus æternus non poteſt effici a motore materiato, & motor æternus caret magnitudine, & materia; Cũ deinde inquit, quod Ariſt. inſtitutum eſt oſtendere, quod motus æternus effici nõ poteſt a motore materiato, ſiue finito, ſiue infinito, hanc infinitatẽ, & finitatem, vel accipit pro medio, ita quod illa finitas, & infinitas ſit medium, quo cõcludit motorẽ primũ eſse ſine magnitudine; vel ponit eã ex parte quæſiti, & concluſionis non pro medio, ita quod hic ſit ſenſus, quod Ariſt. intendit oſtẽdere, quod motus æternus effici nõ poteſt a motore materiato finito, neque infinito, ſi intelligit primum ſenſum, eſt nobiſcũ, & tũc currit ratio vti ſupra ipſam formaui: quia tunc opus eſt, quod intelligat Ariſt. per potentiam finitam, & infinitam potentiã vigoris, & nõ durationis, ſiue moræ; ſi aũt intelligit ſecũdo modo, vti videtur intelligere Piccolomineus, eſt ſenſus manifeſtè repugnãs Ariſt. apertè. n. Ariſt. intẽdit ꝓbare, qđ prim⁹ motor caret magnitudine: quia in magnitudine nõ poteſt eſse potẽtia infinita, vnde ad hoc ꝓbãdũ, facit duo fũdamẽta; Primũ in tex. 78. qđ nulla virt⁹ finita põt mouere p infinitũ tẽpus; Secũdũ in tex. 79. qđ in magnitudine finita, nulla virt⁹ infinita eſse põt, ex qb. duob. fundamẽtis, poſtea elicitur demõſtratio, qđ prim⁹ mo or careat magnitudine, quia prim⁹ motor mouet per infinitũ tẽpus, ergo eſt virt⁹ infinita ex primo fundamẽto: ſed virtus infinita ex ſecũdo fundamẽto nõ eſt in magnitudine finita, infinita aũt magnitudo ex 4. Phyſ. nõ datur, ergo primus motor non eſt virtus in magnitudine; Ex his lucidè patet finitatem, & infinitatẽ virtutis eſse medium in hac ratione, non quæſitum, vel concluſionem probãdã, quæ eſt, quod primus motor per æternum tempus mouens, eſt ſine magnitudine; & tunc patet, quomodo optimè currit ratio Scoti: quia cum dicitur in Maiori, prim⁹ motor mouet per infinitum tempus, ergo eſt virtus infinita ex primo fundamento; neceſsario debet Ariſt. intel-

intelligere de infinita potentia in vigore, quia ſi intelligeret de infinita potentia in mora, tunc minor eſſet falſa, cum dicitur, At virtus infinita non eſt in magnitune finita, quia Cęlum eſt magnitudo finita, & tamen habet virtutem infinitam in duratione; Ex quo patet Ariſtotelem intelligere, & loqui in illo octauo, de virtute, & potentia, & finitate, & infinitate, quæ competit formis abſtractis, & conſequenter falſam eſſe illam concluſionem Piccolominei, quod primus motor non eſt finitus, nec infinitus infinitate, de qua loquitur Ariſt. in 8. Phyſicorum. Quòd etiam Ariſtoteles ibi potentiam finitam, & infinitam accipiat pro medio, & non pro Concluſione, conuincitur formando demonſtrationem, eo modo, quo ipſam Piccolomineus format: nam concluſio eſt iſta; Primus motor non eſt virtus materiata, nec habens magnitudinem, quæ deducitur ex illa Maiori: Nulla virtus materiata mouet ſemper, & ex Minori illa, primus motor mouet ſemper, medium eſt mouere ſemper; Probat ergo Ariſtoteles, quòd primus motor eſt ſine magnitudine, & ſine materia, quia mouet ſemper, & nulla virtus materiata mouet ſemper. Probat deinde maiorem; quia virtus materiata, vel eſt finita, vel infinita, & infinita non datur, finita verò non mouet ſemper, ex textu 78. Modo conſpicuum eſt, quòd in hoc diſcurſu ſubintelligitur propoſitio illa: quod mouet ſemper eſt virtus infinita, quia cauſa propter quam virtus materiata non mouet ſemper, eſt, quia ad mouere ſemper, requiritur virtus infinita, & virtus infinita non poteſt eſſe in magnitudine; & tunc poſtea ſubſequitur illa probatio Maioris, quia ſi in magnitudine eſſet virtus infinita, vel illa magnitudo eſſet finita, vel infinita; quorum vtrũque eſt impoſſibile; Ecce quòd omnino cogitur fateri medium in hac demonſtratione, eſſe potentiam infinitam.

Greg. de Arim. Gregorius Ariminenſis, primo Sent. diſt.42. quæſt.3. art.1. huic rationi Scoti, aliter reſpondens, inquit, quod Philoſophus nunquam fecit iſtam conſequentiam, Deus eſt infinitus, ergo non eſt virtus in magnitudine, ſed arguit ſic: nullum finitum mouet tẽpore infinito; Omnis virtus in magnitudine, eſt virtus finita, ergo nulla virtus in magnitudine, mouet tempore infinito. Ex quo poſtea poteſt ſubſumi, Deus mouet tempore infinito, ergo non eſt virtus in magnitudine; Quomodo autem in præmiſſis accipitur finitum, non vult couſiderare, ſed inquit, dato, quòd fiat hæc conſequentia, Deus eſt infinitus, ergo non eſt virtus in magnitudine, intelligendo in antecedente de infinitate durationis, non vigoris, valet conſequentia ſecundum Philoſophum: quia talis infinitas motionis localis in duratione ſecundum Philoſophum, repugnat virtuti cuicumque exiſtenti in magnitudine: quia nulla virtus in magnitudine poteſt mouere motu locali per infinitum tempus, quia quælibet talis virtus, ex hoc motu locali defatigatur; Vnde licet aliqua virtus in duratione poſſet per infinitum tempus alterare, non poſſet tamen mouere localiter, quia in hoc motu locali defatigatur, non in illo motu alterationis.

Verùm hæc reſponſio Gregorij, eſt nulla; Primo, falſum eſt, quòd illa conſequentia non habeatur in Ariſtotele, licet enim non ſit in Ariſtotelis verbis formaliter, tamẽ habetur virtualiter, quoniam ex illo medio, mouet per infinitum tempus concludit, quòd primus motor eſt ſine magnitudine, vt ſuprà diximus: nam ex Primo fundamento probato ab Ariſtotele, nulla virtus finita mouet ſemper, relinquitur, quòd virtus, quæ mouet ſemper ſit infinita; & ex ſecundo fundamento, quod nulla virtus infinita eſſe poteſt in magnitudine infinita; ſequitur, ſi primus motor mouet ſemper, & eſt infinitus in virtute mouendi, non eſt in magnitudine; ecce conſequentia clara in octauo. Hæc eadem lucidè patet inſpicienti tex.41.12. Metaph. & denique quocumque ſe vertant, clarum eſt, quod medium, quo vtitur Ariſt. ad probãdum primum motorem eſſe ſine magnitndine, eſt mouere ſemper, ſiue infinitas potentiæ mouendi, quòd idem eſt; quocumque modo poſtea formetur, hoc nihil refert, hoc vidit & intellexit Gregorius, ideo dicit ſe non velle pro tunc conſiderare præmiſſas; *Reijcitur.*

ſas; Quod

ſas; Quod verò ait, quod etiam accipiendo in antecedente ſiue in medio pro potentia infinita, infinitatem in duratione, ratio Ariſt. concluderet, quia talis infinitas motionis localis in duratione, repugnat virtuti in magnitudine exiſtenti, propter hoc quod quælibet virtus infinita in magnitudine in ſuo motu locali eſt fatigabilis, eſt penitus ridiculum: nam ſi daretur virtus infinita in duratione, in magnitudine, certum eſt, quod non laxaretur, neque fatigaretur, quia eſſet infinita; non ergo quælibet virtus in magnitudine in motu locali eſt fatigabilis, ſed ſolum finita; infinita autem non poteſt eſſe in magnitudine: quia magnitudo infinita, non datur, neque in magnitudine finita, virtus infinita exiſtere poteſt. Præterea, probatum eſt ſuprà, quod conſequẽtia, & ratio Ariſt. non concluderet ſi intelligeret de infinitate in duratione, propter Cęlum, in quo eſt potentia infinita in duratione, & tamen habet magnitudinem.

Aliorũ reſponſ. Alij dicunt, quod ex illa ratione non colligitur Deum eſſe infiniti vigoris, ſed eſſe ſine magnitudine, & quod poſtea illã aſſumit Scotus ad probandum Deum eſſe infiniti vigoris.

Hęc reſponſio non tollit rationẽ Scoti: quia nos quoque concedimus Ariſtot. concludere per illam demonſtrationem, quòd Primus motor caret magnitudine, ſed dicimus, quod hoc intentum habere non poteſt, niſi intelligat in antecedente, ſiuè in medio, de infinitate vigoris, quia infinitas durationis, non ſufficit ad probandum Deum carere magnitudine.

Zim. Tandem Zimara Theoremate 60. in principio, & fine, de mente Auerrois, Reſpondens huic rationi, concedit Ariſt. intelligere re vera in illa demonſtratione de finitate & in finitate vigoris, non tamen ſequitur ex illa ratione, quod Deus ſit infiniti vigoris: quia illa ratio, vt eam pertractat Auerroes, procedit de virtute naturali, & concludit quod cum Primus motor ſit mouens ęterno tempore, ſequitur, quod non eſt virtus in corpore, ſiue virtus naturalis, nam omnis virtus in corpore, & naturalis, eſt finita, quia in corpore finito, non poteſt eſſe virtus infinita, & corpus infinitum non datur: & ita eſt impoſſibile, quod virtus infinita naturalis & corporea detur, primus motor autem cum ſemper moueat, eſt virtutis infinitæ, ergo primus motor non eſt virtus naturalis, & corporea, ſed alterius generis abſtracta, non tamen ait Zimara, ex hac ratione ſecundum Auerroem, ſequitur, quòd Primus motor ſit virtutis infinitæ in vigore: quia ſecundum Auerroẽ, finitas vigoris ſequitur formã; vnde omnis forma tam corporea, quàm abſtracta, ſecundum Auerroem, eſt finita, quia de ratione formæ eſt terminare, & finire: Infinitas vero vigoris, ſequitur corpus, & materiam, & cum non detur corpus infinitum, neque etiam datur in rerum natura virtus infinita in vigore: primus motor itaque cum ſit forma, licet ſit forma abſtracta, non tamen eſt virtutis infinitæ, ſed finitæ; Verum ſolutio iſta Zimaræ, nihil officit rationi Scoti, immò conficiendo eam rationem hoc modo quomodo expreſsè eam conficit Auerroes 12. Metaph. tex. 41. concludit mẽtem Scoti: quia ſi hæc ratio concludit, quod Primus motor non eſt virtus naturalis: quia ſemper mouet, & quod mouet ſemper, habet infinitam potentiam, & non finitam, & hic per finitam potentiam intelligit potentiam finitam in vigore, ergo per potentiã infinitam etiam intelligit potentiam infinitam in vigore. Et ſic concludit Primũ motorem eſſe immaterialem, quia eſt virtutis infinitæ in vigore, quomodo ergo Zimara dicit, quòd licet demonſtratio concludat Primum motorem eſſe immaterialem, tamen non ſequi, quod concludat illum eſſe infiniti vigoris, ſi accipit infinitum vigorem pro medio ad probandum Primum motorem eſſe immaterialem; Certè non ſequitur ex demonſtratione illa hęc concluſio Primum motorem eſſe infiniti vigoris; ſed præſupponitur, quia eſt medium in illa demonſtratione. Et hoc nobis ſufficit, Quod autem ait nõ valere illam conſequentiam, quoniam de mente Auerrois finitas ſequitur formã, & omnis forma eſt finita, in vigore, & infinitas vigoris ſequitur materiam; Vel non eſt verum illud eſſe de mente Auerrois, vel ſibi apertè contradiceret, & Ariſtoteli, & veritati, ſi quidem ipſe Auer- *Reijcitur.*

roes ex-

roes explicans illam demonſtrationem. Ariſtot.ex eo, quod Primus motor mouet ſemper, ait eſſe potentiæ infinitæ, & ex eo, quod non eſt virtus in corpore, quia in corpore finito, non eſt virtus infinita, in corpore autem infinito, eſſet virtus infinita; ſed tale corpus infinitum non datur, ait, quòd Primus motor eſt virtus ſeiuncta à materia, & corpore, ergo de mente Auerrois non eſt, quod virtus infinita ſequatur corpus, & non formam, quia iam ſtatuit Primum motorem eſſe formã abſtractam à corpore, quia eſt virtutis infinitæ, non in duratione, vt tu ipſe Zimara expoſuiſti, & ſæpius ſuprà probatum eſt, ſed quia eſt virtutis infinitæ in vigore.

Adducuntur aliæ rationes ad idem, ex Scoto. Cap. I I.

2..w. ALia ratio poteſt deſumi ex Scoto in præcitato loco; nam poſtquam oſtẽdit Scotus, quòd Ariſtoteles in illa demonſtratione per potentiam infinitam intelligit potentiam infinitam in vigore, non in duratione; proſequitur declarare quomodo ratio Ariſtotelis concludat abſolutè non amplius ſecundum mentem ipſius Ariſtotelis (quia per rationem nũc allatam oſtenſum eſt, quomodo Ariſtoteles hanc rationem fecit, & quomodo exiſtimauit concludere) in ratione autem Ariſtotelis, adderant illæ conſequentiæ per ordinem, Primus motor mouet infinito tempore, ergo habet potentiam infinitam, ergo caret magnitudine; quærit ergo Scotus, quomodo ex primo antecedẽte deducatur ſecundum, ſcilicet, ex iſta: Deus mouet ſemper, ergo habet potentiam infinitam, & inquit, quod licet illud antecedens ſecundum Theologos ſit falſum, ſcilicet, quod Deus mouet ſemper, tamen multi eorum concedunt, quòd poteſt mouere per infinitum tempus à parte ante, ſicuti omnes Theologi dicunt poſſe mouere per infinitum tempus à parte poſt. Modo, ex hac poſſibilitate concluditur infinitas potentiæ ſicuti ex motione actu, quod enim poteſt aliquid facere, licet illud non faciat actu, concluditur habere virtutem, quam poneretur habere ſi actu illud efficeret; Ex hoc vltrò quærit, an ex hoc antecedente concludi poſſit potentia infinita intenſiuè, & oſtendit quod ſic; & ipſe adducit rationem quomodo concludat, non ſecundum intentionem Ariſtotelis, ſed abſolutè. Vnde ſupra in eodem loco adducendo primam rationem, quam nunc in pręcedenti capite adduxi, poſtquam oſtẽdit Ariſtotelem intelligere de potentia vigoris, dixit (Concedo, quòd Ariſtoteles ſiue ſufficienter probauerit intentum ſuum, ſiue non, intellexit de infinitate potentiæ intenſiua) ex quo patet, quòd Caietanus in quæſtione de infinitate Dei, non rectè percepit Scotum: putauit enim quòd Scotus dicat rationem Ariſtotelis de mente ipſius Ariſtotelis concludere eo modo, quo Scotus ait, & ego nunc explicabo; quod non eſt verum, ſed eſt Scotus qui illud antecedẽs primum Ariſtotelis perpendit: Primus motor eſt mouens per infinitum tempus; & conſiderat an ex illo poſſit deduci hæc conſequentia, ergo habet infinitam potentiam in vigore, & Scotus ait, quòd ſic: ſed cum additione, ſcilicet, quod mouet per infinitum tempus, & à ſe habet infinitam potentiam intenſiuam, & in hoc ſenſu accepit illud Ariſtoteles, quia loquitur de Primo motore, qui mouet à ſe, Ratio autem eſt hæc, quæ nobis pro principali ratione inſeruire poteſt; Omne, quod habet à ſe potentiam actiuam, a ſe quoque habet entitatem, quod habet entitatem à ſe, habet illam in tota plenitudine, quæ ſibi competere poteſt, ſed entitas in tota plenitudine, quæ alicui competere poteſt, eſt ſolum entitas infinita, ergo Primus motor ex eo, quòd mouet à ſe, concluditur habere entitatem infinitam, & potentiam actiuam infinitam. Caie.

Propoſitiones iſtius rationis probãtur; Prima quidem patet: quia potentia ſequitur entitatem, & ideò nihil poteſt mouere à ſe, niſi habeat entitatem à ſe, ſi autẽ haberet entitatem ab alio, nõ mouere ſe, à ſe, ſed ab alio haberet, quod moueret; Et denique conceſſum eſt ab Ariſtotele, quod Primus motor à nullo dependet in entitate, neque in virtute, & potentia mouendi, ſed omnia alia ab ipſo pendent.

Secūda propoſitio probatur quoque; quia quod habet aliquid à ſe, habet illud illimitatè, & ſic in tota plenitudine, ita quod maior dari non poteſt; Probatur: quoniam nihil habetur limitatè in aliquo, niſi illud accipiatur ab aliquo ſuperiori agente determinante illud ad certum gradum; Si enim aliquod ens haberet virtutem illimitatam ex ſe, & aliud haberet ex ſe virtutē limitatam, nulla poſſet aſſignari ratio, propter quam illud haberet virtutem illimitatam, & illud non, quia vtrumque eſt a ſe; ſed eſſet a caſu, quod non eſt dicendum in ijs, quæ ſunt a ſe, & ſunt entia neceſſaria; Eſt ergo vera iſta propoſitio; id, quod habet entitatem à ſe, habet illam illimitatam, ſiue illimitatè, & in tota plenitudine, quia maior dari non poteſt; Ex qua ſequitur neceſſariò, quòd Primus motor habeat entitatem, & virtutem illimitatam, & infinitam intenſiuè.

Ex his quoque apparet, quod ſi ex illo antecedente Ariſtotelis puro, ſcilicet, quod mouet ſemper, non deducitur hoc conſequens, habet potentiam infinitam, tamen cum iſta additione, quod mouet ſemper, & a ſe deducitur, Ariſtoteles autem, vel arbitratus eſt ſolum illud antecedens ſufficere ad inducendum hoc conſequens, vel hanc additionem ſubintelligi voluit.

Reſp. Picc. Huic rationi reſpōdet Piccolomineus loco vbi ſupra, quòd prima Intelligentia, de ſe eſt limitata, & finita, quia ex Ariſtotele octauo Metaphyſices, formæ ſunt ſicuti numeri, & ideò omnis forma conſiſtit in indiuiſibili, & eſt aliquid definitum, & terminus ſequitur eius conditionem, Deus itaque eſt eſſentia optima, quæ ſecum defert terminos ſibi competentes, quia eſt optimum vltra quod nihil aptum eſt ei competere, & à nobis excogitari.

Reij-citur. Alij reſpondent, quod virtus, quæ eſt à ſe, habet totam potentiam, quæ ſibi non repugnat, at infinita potentia ei repugnat, quia tunc primus motor mouere poſſet in non tempore, quòd eſt impoſſibile.

Verum reſponſiones iſtæ nullæ ſunt, Prima quidem reſponſio nihil obeſt rationi, immo Scoti ratio directè eſt contra illam: nam ratio adducta directè probat, quod prima forma, ſcilicet Intelligentia, eſt ſine limitibus in entitate, & in vigore quo ad intenſionem: & propoſitiones aſſumptæ ſunt probatæ; & ad eas nihil reſpondetur, non ergo ſufficit negare concluſionem, niſi oſtendatur, vel falſitas propoſitionum, vel æquiuocatio in illis propter quam non ſequatur talis concluſio, quæ per aliquam diſtinctionem patefieret, ſed neque negat propoſitionem, neque aliquid ad rationem dicit, ſed ſolum negat concluſionem Propterea hoc reſpondere, eſt nihil dicere. Quod autem præmiſsæ aſsumptæ ſint veræ, & directè impugnent hanc reſponſionem, patet; Prima quidem propoſitio eſt euidens ex ſe: ſecunda autem, in qua difficultas tota conſiſtit, probatur: quia ſi nullum habet agens ſupra ſe, à quo ei limitetur entitas, proculdubio ineſt ſine limitibus; Vnde ſi in eo eſſet virtus, & entitas limitata ex ſe, & quælibet res entitatem limitatam, quam habet, haberet ex ſe, ſic limitatam non poſſemus habere rationem, propter quam intelligentiæ haberent entitatem limitatam tot gradibus, & alia res, tot gradibus, ſed omnia eſſent caſu. Eſt ergo dicendum, quod detur aliqua res, quæ habet entitatem limitatam, & perfectiſſimam in maiori gradu, quo nulla maior dari poſſit: quia ſi haberet illa res determinatam entitatē, non poſſemus aſſignare cauſam, propter quam illa habet entitatem limitatam, quia cauſam ſuperiorem non habet, ergo eſſet dicendum, hoc deuenifse caſu, vt dictum eſt, quod eſt inconueniens, ſed poſita tali re, habere entitatem infinitam, & illimitatam, habemus poſtea rationem, propter quam poſſumus aſſignare propter quid cæteræ res ſic ſunt limitatæ. At dicunt quod hæc virtus infinita primæ intelligētiæ repugnat, propter multa inconuenientia, quæ ſequerentur.

Contra, adducere inconueniens, non eſt ſoluere rationem; Dicere ergo, quod non poteſt eſſe illimitatæ entitatis prima intelligentia; quia moueret in inſtanti, &c. non eſt reſpondere rationi, ſed arguere,

guere, At opus eſt propoſitionibus reſpondere.

Cum ego Aduerſariorum obiectionibus reſpondebo, hæc inconuenientia tollam. Sed aliquis dicet: Reſpondent propoſitionibus rationis, quia negant ſecundum, ſcilicet quod virtus mouens ex ſe, ſit infinitæ potentiæ. Contra, hæc iam eſt probata. Iterum Reſpondebunt, illa probatio non valet: quia nõ eſt neceſſe, quòd omnis virtus limitata, limitetur ab alio, quia aliqua per ſe eſt limitata, & hoc modo eſt iſta prima intelligentia; Contra, quia nulla poteſt aſſignari ratio, & cauſa iſtius limitationis, ergo erit ſic limitata caſu, quòd eſt abſurdum ponere in ijs, quæ ſunt à ſe, & maximè neceſſaria; Conſequentia clara eſt: quia hic nullam poſſumus aſſignare cauſam per ſe, ergo recurrendum eſt ad cauſam accidentalem; Præterea, quæro, cur eſt limitata ad tot gradus, & non ad plures; cum enim ſit finita, certum eſt, quòd poterat ſortiri plures gradus entitatis, quia quocumque gradu limitato dato, maior dari poteſt alio, quia non eſſet limitatum. Præterea, limitari, & determinari, eſt quid priuatiuum, quia dicit defectum, & omne priuatiuum reducitur ad poſitiuum, ergo opus eſt aſſignare cauſam poſitiuã iſtius limitationis, & determinationis extrinſecam, vel intrinſecam; intrinſeca uulla datur: quia illa ſubſtantia eſt ſimplex: neque extrinſeca: quia nulla datur ſuperior illa, ergo videtur, quòd nullo pacto prima ſubſtantia poſſit dici limitata, & determinata. Præterea, in Prima intelligentia eſſet aliqua compoſito ſcilicet entitatis illius, & iſtius priuationis, eſſet quoque aliquo modo imperfecta, quæ omnia negat, Ariſt. 12. Metaph. textu 30. & inde dici de prima ſubſtantia, quam vult eſſe perfectiſſimam, & ſimpliciſſimam; Præterea, ſtat ratio ſuprà facta, quia dato caſu, quòd eſſet aliquod ens, quod haberet plenitudinem entitatis à ſe, aliud verò haberet à ſe entitatem limitatam, tunc cum vtrumque iſtorum habeat entitatẽ, nulla poteſt aſſignari ratio propter quã illud habeat plenitudinem entitatis, iſtud verò limitatam, niſi caſus, qui non eſt ponendus in his, quæ ſunt à ſe, ergo dicendum eſt, quòd eſſe à ſe, eſt cauſa propter quam hoc haberet plenitudinem entitatis, illud verò non, illud ergo, quod eſt à ſe, & habet entitatem a ſe, habet quoque plenitudinem entitatis: quia per hoc differt illud, quod eſt à ſe, ab eo, quod non eſt a ſe.

Gregorius autem de Arimino loco ſupra citato, huic rationi reſpõdet; Primo, quod plenitudo entitatis, & potentiæ, eſt ſine infinitate intenſiua, ita quod concedit Primum motorem, quia eſt ex ſe habere entitatem, & virtutem in tota plenitudine, non tamen habere infinitam intenſiuè; Secundo negat id, quod habet entitatem, & potentiam ex ſe, habere entitatem, & potentiam intẽſiuè infinitam, quia cæteræ Intelligentiæ etiam ſecundum Scotum, non habent entitatem infinitam, & illimitatam. Verùm illa reſpõſio nihil obeſt rationi Scoti: nam & ille negat vnam propoſitionem, quæ probatur à Scoto, & ad probationem Scoti nihil dicit; propoſitio, quã negat, eſt, quod virtus habens entitatem, & virtutem in tota plenitudine, habet virtutem infinitam intenſiuè: At hæc probata eſt, & etiã per ſe patet; quia ſi eſt finita intẽſiuè, adhuc maior virtus haberi poteſt. Et illa poteſt intendi, non ergo eſt in tota plenitudine. *Greg. ſolut.* *Reijcitur.*

Alia propoſitio etiam quàm negat; ſcilicet quod illud, quod eſt à ſe, nõ habeat entitatem, & virtutem infinitam intenſiuè, eſt probata à Scoto; Ipſe verò ad probationem nihil dicit; probauit eam Scotus: quia nullus eſt qui illi primo enti limitet, & determinet entitatem, & virtutem, & ideò habet in maiori plenitudine, quæ poſſit haberi, hæc autem maior plenitudo eſt infinitas intenſiua, quia ea maior dari non poteſt, quæ propoſitio etiam confirmata eſt nunc ſuperius, reijciendo reſponſionem Piccolominei, ea ratione præcipuè, quia dato caſu, ſiuè facta hypotheſi, quod aliquod ens haberet entitatem infinitam, & aliud entitatem limitatam, & vtrumque eſſet à ſe, non poſſet aſſignari ratio iſtius diuerſitatis, cum vtrumque ſit à ſe, ſed eſſent caſu ſic diſtincta; Ratio ergo præciſa infinitatis entitatis, & virtutis, eſt eſſe à ſe, & ſic, quod eſt a ſe,

a ſe, neceſſariò habet virtutem infinitam intenſiuè, quod verò non eſt a ſe, non poteſt illam habere; Quod ſi quis dicat, caſus eſt impoſſibilis, dico, quòd ad inueſtigandam veritatem, etiam ſupponimus aliqua falſa, & impoſſibilia, quod Ariſtoteles ſæpè facit, vt patet 4. Phyſicor. vbi diſputat, an ſi vacuum daretur, in eo fieri poſſet motus, vacuum eſt impoſſibile dari, tamen ſupponit quod detur, vt veritatem clarius elucidet, & hoc apud Philoſophos ſæpè eſt in vſu; Ideò etiam in propoſito, licet ſit impoſſibile, quòd duo quorum vnum ſit virtutis infinitæ, & aliud virtutis finitæ, ſint ambo à ſe, tamen pro inueſtiganda natura, & virtute eorum, quæ ſunt à ſe, poteſt ſupponi, quia illa hypotheſi facta, innoteſcit eorum differentia ab alijs, & natura, & virtus; quod autem ait Scotum aſſerere ſecundas Intelligentias eſſe à ſe, & improductas, eſt falſum, vt ſuo loco dicemus.

Tertiò principaliter. Tertiò principaliter arguit Scotus ad oſtendendum primum motorem eſſe infinitum in vigore 1. Sent. diſt. 2. quæſtione 2. ratio eius ab eo conficitur ad oſtendendum valere hanc conſequentiã, quã facit Ariſtoteles 8. Phyſicorum, & 12. Metaph. Primus motor mouet motu infinito; ergo habet potentiam infinitam in vigore; arguit ergo ſic. Quodcumque agens habens virtutem, qua quãtum eſt de ſe poſſet in infinita ſimul, licet incompoſſibilitas effectuum impediat iſta ſimul poni, eſt virtutis infinitæ: Primum mouens eſt huiuſmodi, ergo eſt infinitæ virtutis; Maior propoſitio declaratur: quia ſi eſſet aliquod agens quod poſſet ſimul producere album, & nigrum, quantum eſt ex ſe, iſtud non eſſet minus perfectum, ſi non poſſet actu ea ſimul cauſare; quia iſta non ſunt ſimul cauſabilia, quia hæc non ſimultas, eſt ex repugnantia eorum, & non ex defectu agentis, quia agẽs ſimul habet virtuem reſpectu amborum, ſi illa ex ſe eſsent compoſſibilia. Minor quoque probatur: ſi Primum mouens haberet omnem cauſabilitatem omnis cauſæ poſſibilis formaliter, & ſimul, proculdubio eſſet virtutis infinitæ, licet illa cauſabilia non poſsent actu ſimul poni in eſſe, quia quantum eſſet ex ſe, poſſet ſimul infinita producere. Sed Primũ mouens perfectiori modo habet in ſe omnem cauſabilitatem, quàm ſi eam haberet formaliter: quia illam habet eminenter, ergo ſi habendo illam formaliter, eſſet infinitum in vigore, multo magis ſi habet illam perfectiori, & excellentiori modo, erit infinitum in vigore. Minor illa probatur in 7. quodlibeto, & in eadem quæſtione in principio, & etiã alibi: quia Ariſt. in 2. Metaph. textu 5. probat, quod datur ſtatus in cauſis efficiẽtibus, & probatio Ariſt. breuiter conſiſtit in hoc; Tota vniuerſitas cauſatorum cauſam habet, non autem quæ ſit aliquid iſtius vniuerſitatis, quia tunc idem eſſet cauſa ſui, ergo eſt aliquid extra totam vniuerſitatem cauſatorum: ſi ergo in cauſis non datur infinitas, eſt deueniendum ad vnam primam cauſam, in qua erit ſtatus tamquam in primo principaliter, & ſimpliciter cauſante. Ex hoc arguitur ſic; Omnes aliæ cauſæ ſecundæ habẽt eſſe ab iſta prima cauſa, ergo prima cauſa eminenter in ſe continet cauſabilitatem iſtarum ſecundarum cauſarum, ſi enim illa prima eſt, quæ illis cauſis ſecũdis dat eſſe, & cauſare, neceſſe eſt quod nobiliori modo illa prima cauſa contineat in ſe illã cauſabilitatem; Ex hoc patet minor, ſcilicet, quod primum mouens continet in ſe eminenter cauſabilitatem omnis cauſæ poſſibilis; quia omnis alia cauſa ab illa prima dependet in eſſe; At aliquis dicet, quod licet primum mouens eminenter contineat cauſabilitatem cauſarum ſecundarum, non tamen poteſt ex ſe, & totaliter in omnes effectus ſine cauſis ſecundis, quia non eſt probatum, quòd ſit totalis cauſa, & proxima omnium effectuum, quod tamen requiritur ad concludendum, quod ſit virtutis infinitæ.

Scotus hanc obiectionem eſſe nullam probat: quia prima cauſa eſt ita perfecta modo, ſicuti ſi eſſet totalis cauſa formaliter: dato enim quod eſſet formaliter cauſa omnium, nihil perfectius eſſet, quàm ſit nunc; quia non plus eſſe poteſt quàm eſſe primam cauſam; dat enim eſſe, & cauſare omnibus alijs cauſis. Præterea, cauſæ ſecũdæ non requiruntur propter perfectionem addendam in cauſando

quia

quia tunc remotius a prima cauſa eſſet perfectius, quia perfectiorem requireret cauſam, cum requirat plures cauſas ſecundas: ſed cauſæ ſecundæ ſecundum Philoſophos requiruntur propter imperfectionem effectus; vt prima cauſa cum alia cauſa imperfecta poſſit cauſare effectum imperfectum, qui ſecundum ipſos non poteſt immediatè cauſari a prima cauſa; Confirmatur vt dictum eſt: quia cauſa ſecũda proxima primæ, totam perfectionem illam cauſatiuam, habet a ſola prima cauſa, ergo tota illa perfectio a prima eſt, & ſic habet illam perfectionem eminentius quàm ſecunda: quia etiam reſpectu ſecundæ, eſt totaliter cauſa, & cauſa æquiuoca, ſimiliter arguitur de tertia cauſa reſpectu ſecundæ, vel reſpectu primæ; & ſic de omnibus alijs eſt dicendum; ergo ex his patet, quod prima cauſa eſt virtutis infinitæ; quia habet in ſe omnem perfectionem aliarum cauſarum ſecundarum.

Alia reſpõſio reijcitur

Quòd ſi quis huic rationi reſpondeat, quòd prima cauſa, eſt cauſa conſeruans omnium, non efficiens; hæc reſponſio eſt nulla dupliciter; Primò, quia Ariſtoteles 2. Metaph. tex. 5. & indè, quando probat non dari proceſſum in cauſis in infinitũ, neque aſcendendo, neque deſcendendo, ſed deueniendum eſſe ad vnam primam cauſam, à qua omnes aliæ dependent, loquitur de omnibus quattuor generibus cauſarum, & præcipuè de efficiente, vt patet ex ſe, ergo in cauſis efficientibus eſt deueniendum ad cauſam primam incauſatam, à qua omnia alia cauſantur. Secundò, quia cauſa conſeruans, reduci debet ad aliquod genus illarum quattuor cauſarum; non poteſt autem reduci ad materiam, neque ad formam, neque ad finem, vt patet, ergo reducitur ad efficiens; Et confirmatur: quia conſeruare in eſſe, eſt continuò dare eſſe, quod eſt continuò producere, & efficere, quod enim conſeruat aliquid, manutenet illud ne deficiat in eſſe, iſtud autem manutenere, eſt dare eſſe, quod clarius infrà dilucidabitur, licet per ſe ſit clarum. Prę terea, quod eget conſeruatione, eſt in ſe, & in ſuo eſſe dependens, ergo habet eſſe illud ab alio efficiente, neque enim prima cauſa poſſet conſeruare illud eſſe, niſi tali rei dediſſet tale eſſe.

Alia reſpõſio reijcitur

Si quis alius verò dicat, Primam intelligentiam non eſſe cauſam primam productiuam aliarum omnium cauſarum, quia non eſt cauſa productiua Intelligẽtiarum aliarum à prima, vt ſolent dicere Gregorius, & alij, qui negant alias intelligentias prouenire à prima, manifeſtè aduerſatur rationi Ariſtotelis prædictæ, in qua oſtenditur deueniendum eſſe ad vnam primam cauſam efficientem incauſatam, a qua omnia pendent: quia tunc non eſſet vna prima cauſa efficiens, ſed plures, quod eſt inconueniens, & contra ipſum manifeſte in eodem loco: ſicuti enim non ſunt plures primæ materiæ, neque plures vltimi fines, neque plures vltimæ formę, ita nec plures cauſę efficientes.

Auer. *Philoponus.* *Simplicius.* *Amonius.* *Alexander.* *Piccolomineus.*

Variè aliæ rationes ab alijs adducuntur; ſed iſtæ ſunt rationes Scoti, & efficaciores mihi videntur, quæ in hac materia adduci poſſint, ideò patet, quòd non ſine ratione Scotus vult Ariſtotelem fuiſſe huius opinionis; De mente Auerrois nolo modo diſputare, ſed quòd acceſſerit ad hanc opinionem, & quòd rationabiliter poſſit ei imponi hæc opinio, conſpici poteſt ex ijs, quę dicit Zimara Theoremate 60. Hanc eandem ſententiam ſecuti ſunt multi viri docti, vti Philoponus, Simplicius 8. Phyſ. tex. 84. Amonius in initio capitis de Subſtantia, Alexander Aphrodiſæus, & alij multi, quos commemorat Franciſcus Piccolomineus libro de Motoribus, cap. 33.

Adducuntur rationes Aduerſariorum, & ſoluuntur. Cap. III.

1. ratio

ADuerſus hanc ſententiã Scoti Aduerſarij multis rationibus inſtant; Franciſcus Piccolomineus libro de Cęlorum motoribus c. 34. arguit Primò ſic, & ratio iſta adducitur quoque a Zimara, & multis alijs. Deus mouet immediatè, vt efficiens proximum, & pro viribus definito tempore, ergo non eſt infiniti roboris.

Antecedens probatur ab eo alibi, quo ad illam partem, quòd immediatè mouet, vt

uet,vt efficiens,& definito tempore.Conſequentia deducitur per regulas proportionis motuum: quia motoris ad mobile debet eſse aliqua proportio; nam qualis eſt ratio motoris, talis eſt velocitas motus:ſed ſi motor eſt infinitus,cum mobile ſit finitum,nulla erit proportio, & ſic nullum aſſignari poterit tempus in quo moueat, ergo Primus motor non eſt infiniti roboris; Hæc conſequentia ab alijs formatur ſic: ſequeretur quod moueret in non tempore, quod eſt abſurdum manifeſtum; Confirmatur conſequentia ex Ariſt.8.Phyſ.tex.79.vbi ait,quod ſi in magnitudine finita eſset vis infinita, moueret in non tempore:quia ſi aſſignaretur aliquod tempus in quo moueret,reperiretur aliqua vis finita, quæ in eodem tempore moueret,& ſic eodem tempore moueret vis finita, & infinita, quod deſtruit Ariſtoteles vt conſpicuè abſurdum.

Confirmatur. Confirmatur, quia vel poteſt primus motor velocius mouere, quam mouet, vel non,ſi non, ergo non eſt infiniti vigoris,ſi ſic,in ęternis idem eſt eſse, & poſse, ergo ſi poteſt mouere,mouet actu;& hãc rationem putant inſolubilem in principijs Ariſtolelis.

2. rõ. Secundò,Motor Cæli ex ſentẽtia Ariſt. eſt infinitus, eo modo quo colligi poteſt ex medio,quo vtitur Ariſt.at Ariſt.vtitur pro medio motu infinito duratione, & mora,non velocitate,ergo Primus motor ex Ariſtot.ſententia eſt infinitus duratione,non virtute.

3. rõ. Tertiò,Media,quę nos ducũt in cognitionem vigoris infiniti, ſunt tria,ſcilicet, Reuelatio, Creatio, & Miracula, ſed iſta media ſunt incognita Ariſtot. & viribus naturalibus,ergo nec ab Ariſt.neque à natura poteſt cognoſci immenſitas roboris in Primo motore.

4. rõ. Quartò, ſi Primus motor ex ſententia Ariſtot.eſſet infiniti roboris, omnes Cęli motores eſſent infiniti roboris: Cõſequẽs eſt abſurdum,ergo & Antecedens Conſequẽtia probatur:quia Ariſt.ad Primi motoris notitiam eleuatur per motum ęternum;De quo autem verum eſt medium, vera quoque eſt Concluſio: at verum eſt de omnibus Motoribus Cæli quod ſemper mouent,ergo etiam verùm eſt, quod ſunt ęterni roboris; ſi ergo ex motu ęterno, ſiue ex mouere ſemper,deducitur infinitas vigoris, neceſſariò fateri cogimur omnes Cęli motores cũ ſemper moueant, eſſe infiniti vigoris;& confirmatur hęc ratio ex eo quòd Ariſt.in 8.Phyſ.& 12.Metaphyſ.textu 43.quod enunciat de Primo motore,de omni Cælorum motore putat eſſe enunciandum, vnde in 12. Metaph. loco citato,cum oſtendiſset per æternum motum Primum motorem eſse abiunctum à materia: quætit, an huiuſmodi motor ſit vnus, vel plures? & ait eſse plures, & de omnibus eſse verùm id,quod oſtenſum eſt propter idem medium.Quintò,cuilibet agenti reſpondet proprium patiens,ex 3.de Anima textu 17. ergo ſi primus motor eſset roboris infiniti, deberet ei reſpondere mobile infinitum: ſed hoc eſt impoſſibile;ergo & Antecedẽs; Quod confirmatur; ex Ariſt. ſententia Deus eſt agens neceſsarium,ergo produxiſset mũdum infinitæ molis. Sextò, ex ſententia Ariſt.repugnat dari infinitum actu, ſed Deus eſt prima forma ex calce primi Phyſ. & purus actus.ex 12.Metaphyſ.tex. 47.ergo non eſt infiniti roboris; Ariſtot.autem primo Phyſ. cumulatim reijcit infinitum ex parte formæ, & ſolum concedit infinitum in potentia ad materiam. Septimò, Omnis noſtra cognitio ortum habet ex phantaſmatibus: ſed phantaſmata ſunt finita,ergo non poſsunt ducere nos in cognitionem infiniti. Octauò, Infinitum eſt ignotum, ergo Deus erit ignotus, ſed ſi Deus eſt ignotus,cum ſit principium primum omnium rerum, omnes res eſsent ignotę.

5. rõ. 6. rõ. 7. rõ. 8. rõ.

Greg. Gregorius de Arimino aduerſus eandem ſententiam arguit 1. Sent. diſt. 42. q.3.artic.1.& Primò,ſupponit duo: Primum, quòd Deus immediatè eſt motor orbis,& hoc ait nedum verum eſſe ex mẽte Ariſt. ſed etiam eſse conceſſum à Scoto; Secundum fundamentum eſt, quod de mente Ariſtotelis Deus mouet neceſſariò; ex his duobus fundamentis manifeſtè ſequitur, quod Primus motor nõn eſt infiniti roboris,quia moueret in inſtãti.Conſequentia eſt clara:quia mouet immediatè ex primo ſuppoſito, & neceſsariò ex ſecundo,ergo ſecundũ vltimũ ſuę

2. potentię, ergo mouet in inſtanti. Secunda ratio: Si Deus eſſet infinitus in vigore, poſſet mouere quodcumque mobile quãtumcumque magnum: At ex ſententia Ariſt. hoc non poteſt efficere, quia ait Ariſt. 2. Cęli, tex. 70. quòd ſi in aliquo Orbium erraticorum eſſent plures ſtellę, Orbis vltimus eſset in labore, cum mouet Orbes motu diurno, At ſi potentia motoris primi mobilis eſset infinita, non moueret cũ labore, vt iam dictum eſt; Quod cõfirmatur ex Auer. 12. Metaph. tex. 40. vbi ait de mente Ariſt. quòd ſi in primo Cęlo eſſent plures ſtellę, aut maiores, orbis ille aut tardius moueretur, aut non moueretur penitus.

Zimara. Zimara Theoremate ſexto, nititur opinionem Auerrois defendere, & ſatis prolixus eſt, tamen ea, quæ faciunt ad rem, ſũt hæc breuiter collecta; In principio illius Theorematis ait Scotum ſuſtinere de mẽte Auerrois Primum motorem eſſe infiniti vigoris: qua in re oſtendit ipſe Zimara, ſe non vidiſſe Scotum, cum Scotus hanc diſputationem ſumat propriè contra Auerroem, vt patet ex eo loco, reſpondendo ad primum principale; quòd autem Primus motor non ſit infiniti vigoris, probat prius factis duobus fundamẽtis: quo-
1. rum Primum eſt, quod finitas in vigore ſequitur formam; adeò quòd quæcumque forma quantum eſt de ſe, eſt finita in vigore, ſiue illa forma ſit iuncta materiæ,
2. ſiue ſit abſtracta à materia. Secundum, infinitas vigoris ſequitur corpus infinitũ,
1. vt infinitum, Primum fundamentum probatur auctoritate Ariſt. in 8. Metaph. tex. 10. dicentis, quod formæ ſunt ſicuti numeri, numerus autem quilibet eſt limitatus, & finitus, de ratione etiam formæ eſt limitare, & determinare. Quod confirmatur ex Ariſt. 3. Phyſ. tex. 60. & 65. vbi Philoſophus dicit, quod finitas eſt à forma ſicuti illuminatio, & infinitas eſt à Materia; & ait hanc eſſe communem viam Philoſophorum. Secundum fundamentum probat iiſdẽ medijs: quia ſi forma eſt cauſa limitationis, neceſsariò materia eſt cauſa illimitationis, & conſequenter corpus infinitum, quia habet materiam infinitã, erit infinitum in vigore; Sed ſpecialiter probat: quia in maiori quanto eſt maior virtus, cæteris paribus. Hæc propoſitio conceditur ab omnibus Philoſophis, & ideò ſi virtus illa augetur in infinitũ, eſt, quia corpus augetur in infinitum; Ex his patet dicendum, Primum motorem non eſse vigoris infiniti: quia non eſt corpus, nec virtus in corpore, ſed forma abſtracta à materia; Quæ etiam confirmatur: quia admiſso vigore infinito, non eſset proportio inter motorẽ, & mobile, vt ſupra Piccolomineus, & Gregorius arguebant.

Verum rationes iſtæ non cogunt, & ex *Solu.*
dictis facilè ſoluuntur. Ad primam reſpõ *Ad 1.*
deo, quod Primus motor mouet mediatè, non immediatè. Ad rationes contra hanc reſponſionem in ſequentibus reſpõdebitur; & per idem patet ad primam confirmationem, tenet enim de motore infinitæ virtutis mouente immediatè, de hoc enim ſequeretur, quod moueret in non tempore; Ad aliam confirmationẽ dico, quod Primum motorem poſſe mouere velocius, quã mouet, poteſt intelligi duobus modis; vel ratione ſui; vel ratione effectuum; ratione ſui poteſt velocius mouere: quia habet vim infinitam in vigore: ſed ratione effectuum, non poteſt: quia eſt neceſſe quod vtatur cauſis ſecundis, & illis mediãtibus agat, vt dictũ eſt in præceden
tibus. Ad ſecundam concedo, quod me- *Ad 2.*
dium quo vtitur Ariſt. ad inueſtigandam Primi motoris infinitatem, eſt æternus motus: ſed nego propoſitionem, quæ ſubintelligitur pro formando ſubſyllogiſmo, quod ex hoc medio, Motus æternus, non poſſit colligi infinitas vigoris: quia vt oſtendimus in prima ratione, Ariſt. ex eo, quod motor Primus mouet in æternum, concludit, quod eſt potentiæ infinitæ; & ex hoc vlterius cõcludit, quod eſt ſine magnitudine, & impartibilis; Dũ autẽ ex æterno motu deducit primum motorẽ eſſe infinitæ potẽtiæ, dictum eſt, qđ neceſſariò intelligit de infinitã potentia in vigore, non in duratione, propter inſtantiã de
Cælo; Ad tertiam dico, qđ illa tria media *Ad 3.*
ducunt nos in cognitionem omnipotentis Dei, eo modo quo aſſerunt Theologi Deũ eſſe omnipotentem, & infinitũ in vigore; at eo modo, quo intelligũt Philoſophi, ad
ſunt media naturalia, vt vidimꝰ. Ad quar *Ad 4.*

tum

tam rationem ſpecialiter reſpondebitur in proprio quæſito. An cæteræ Intelligentiæ ſint infinitæ in vigore; tamen pro nūc nego conſequentiam; Ad probationem dico, quod æternus motus ſic abſolutè ſumptus, non eſt ſufficiens medium ad concludendam infinitatem vigoris, ſed requiritur alia particula, ſcilicet a ſe, qđ enim mouet à ſe æterno tempore, eſt infinitæ potentiæ in vigore, vt pertractauimus in ſecūda ratione principali pro Scoto, Ariſt. autem non fecit mentionem de hac particula expreſsè, ſed forſan ſubintellexit, & credēdum eſt ipſum; illam ſubintellexiſſe: quia loquebatur de Primo motore, quia à ſe mouet: quia tamen expreſsè in illa ratione non ponitur, dixit Scotus nolle diſputare, An ratio Philoſophi concluderet, nec ne, intentum, quòd quidem intentum, proculdubio erat oſtēdere quod Primus motor caret magnitudine, quæ carentia magnitudinis non poteſt probari per infinitatem durationis propter inſtantiam de Cælo; Ad confirmationem, ex Ariſt. in 12. Metaphyſ. clarius etiam dicam; pro nunc dico, quòd vſque ad tex. 42. loquitur de Subſtantijs abſtractis in communi, & ibi multa prædicata inueſtigat, quæ competunt ſubſtantijs in communi, attamen nō omnia illa prædicata competunt cuicumque Intelligentiæ, ſed aliqua tantum primæ Intelligentiæ, aliqua alia tantum alijs, A tex. verò 42. incipit diſtinctius agere de illis, & docet quomodo ordinem habeant ad vnam primam, à qua aliæ dependent, & multa in particulari de prima docet, & de alijs, quæ illis ſolis competunt, & ideo falſa eſt illa propoſitio, quod quę enunciat Ariſt. de Primo motore, de alijs quoque velit intelligi, vndè cum in 12. Metaph. textu 43. quærit, an vna, vel plures ſint tales ſubſtātiæ, illud verbum (tales) non refert omnia prædicata enumerata de ſubſtanrijs abſtractis, ſed refert ſolùm genus Subſtantiarum abſtractarum, adeò quòd eſt, ac ſi quærat, an vna, vel plures ſint ſubſtantiæ generis illius, ſcilicet, abſtractarum a materia; quæ expoſitio in proprio loco infrà confirmabitur.

5. rō. Ad quintam reſpondetur, quod illa propoſitio Ariſtotelis ex 3. de Anima, vt in Theorematibus animaſticis dicam, non debet intelligi, quod cuicumque agenti debeat reſpōdere proprium paſsum adęquatum: quia in hoc ſenſu eſt falſa; nam materia prima eſt paſſum proportionatum multis formis, immò eadem portio materiæ eſt proportionatū paſsum multis formis, ſed ſufficit, ꝙ in tota coordinatione entiū, cuilibet agēti reſpōdeat propriū paſſum. Ad propoſitū, ſufficit, quod agenti primo reſpondeat totus mundus, vt paſsum, non poteſt autem ei reſpondere mundus infinitus, quia repugnat ex parte effectus, & poſtea non agit ſecundū totam ſuam virtutem, quia agit mediatè, vt dictum eſt, & dicemus infrà,

6. rō. Ad ſextam dico, quod Ariſt. negat infinitum in quantitate molis actu; & de hoc loquitur in 3. Phyſic. loquitur etiā de formis materiatis, & quātis, nō negat autem de infinito virtutis, & perfectionis, & de formis ſeiunctis à materia, de quo etiam infrà reſpondendo ad Zimaram.

7. rō. Ad ſeptimam ſi ratio illa concludit, ſequitur, quod nullam poſsumus habere cognitionem Subſtantiarum abſtractarum; Conſequentia probatur: quia noſtra cognitio eſt per phantaſmata, phantaſmata autem omnia noſtra ſunt corporea, ergo non poſsumus venire in cognitionē abſtractorū; Si ergo, quia phantaſmata ſunt finita, nō poſsunt nos ducere in cognitionē infiniti, neque quia ſunt corporea, poſsunt nos ducere in cognitionē incorporeorum, dicēdum eſt ergo, quod licet effectus, & res iſtę ex quibus phantaſmata gignuntur, ſint finita, tamen quia habēt quaſdā conditiones, quę non poſſunt prouenire à cauſa finita, argumentamur dari cauſam infinitam, vti ex continua generatione, coſeruatione, & ęterno motu, ex Ariſt. argumentamur dari cauſam infinitam agentē infinitè.

8. rō. Ad 8. ſi illa ratio concludit contra nos, cōcludit quoque cōtra eos, quia ſuſtinēt, qđ prim⁹ motor eſt infinitus in mora, & duratione; ergo ſi infinitū eſt ignotum, primus motor ſecūdū eos etiam erit ignotus; ideò eſt reſpōdendū, quod infinitum, vt infinitū, eſt ignotū: quia nūquā poſsumus pertingere ad cognitionem totalē illius, quia habita cognitione eius, ex vna parte remanent infinitę cognoſcendę, & ſic Deus quò ad

omnes gradus ſuæ virtutis infinitæ, eſt nobis ignotus etiam ſecundum Theol. quia Deus ſolum comprehenditur ab intellectu Diuino modo infinito: At infinitum pro aliqua ſui conditione cognoſcitur à nobis, & ſic infinitum in duratione, & in vigore cognoſcitur, ſed non infinito
1. Greg. modò. Ad primam rationem Gregorij, dico, quòd primum fundamentum eſt falſum, & etiam negatur à Scoto, vt infrà dicam: Primus enim motor mouet mediatè, non immediatè: & ſic ratio illa non cōcludit, vt ſuperius dictum eſt. Ad ſecun-
2. dam rationem, dico, quod Ariſt. in eo loco, ſcilicet 2. de Cælo, non loquitur de Primo motore, ſed loquitur de prima ſphæra, quæ motu ſuo mouet alias ſphæras, ſoluit enim illam dubitationem motam ſuperius, quæ eſt, vndè eſt, quod cū in ſphæra ſuperiori ſint innumeræ ſtellæ, in Planetis eſt tantum vnica ſtella; & poſt quàm dedit duas ſolutiones, ponit tertiam in eo textu 70. quæ conſiſtit in hoc, quod cum prima ſphæra ſuperior moueat omnes inferiores, ſi cum hoc haberet mouere plures ſtellas, eſſet ei laborioſum: quia cuiuſlibet corporis eſt virtus finita, hoc eſt, quod dicit Ariſtotel. vbi apertè patet, quòd facit comparationem inter corpora mota, & ſphæram mouentem, & dicit ſphæram mouentem excedere in potentia corpora mota, ſed finita, quia illa ſphęra ſuperior eſt corpus, in corpore autem non eſt virtus infinita. Quòd etiam confirmatur: quia cum dicit, quòd prima ſphęra moueret cum difficultate, ſi in illis orbibus eſsent plures ſtellæ, non debet intelligi, quod in ſtellis eſſet ponderoſitas, aut aliquid reſiſtēs motui, quia nihil tale eſt in illis: ſed vult dicere, quod debet eſſe exceſſus corporis mouentis ad mobile in virtute, quę illis corporibus cæleſtibus competit, qui exceſſus non eſset, ſi in inferioribus ſimul cum multitudine ſphærarum eſſet multitudo ſtellarum, tunc enim ſphæra illa ſuperior non eſſet corpus aptum mouere corpora illa inferiora. Quòd etiam loquatur de corpore, non de motore ſeparato, patet ex verbis textus ait enim: Omnis autem finiti corporis ad finitum virtus eſt; vndè licet Auerroes hoc intelligat de motore ſeparato, & abſtracto non tamen verum eſt.

Ad Zimaram, primum, & ſecundum fundamenta falſa ſunt; Primò, quia materia non eſt actiua, ſed paſſiua, non agit, ſed patitur, ergo materia de ſe, non eſt habens vigorem, & virtutem agendi, & cōſequenter non poteſt habere vigorem finitum: à quo autem remouetur genus, remouentur quoque eius differētiæ, & ſpecies: ſed à materia remouetur virtus agēdi, ergo & finitas, & infinitas, quæ ſunt partes eius; econuerſo, ſola forma eſt quę agit, & habet virtutem operandi, ergo ſoli formæ competere poteſt virtus finita, & infinita: ſi eſt forma limitata in entitate, eſt quoque limitata in potentia, & vigore; ſi verò eſt illimitata in entitate, neceſſariò quoque eſt illimitata in potētia, & vigore; quemadmodum dictum eſt de Primo motore. Ad probationem ex 8. Metaphyſ. dico, quòd dum ait Ariſtoteles qđ formæ ſunt ſicut numeri, non vult dicere quod quælibet forma ſit determinata in entitate, & virtute, ita quod ſit finita: ſed vult dicere, quod ſunt determinatę in ſpecie, ſunt enim ex ſe ſpecie diſtinctæ & diuerſæ, vndè formæ materiatæ ſunt, quæ membris diuerſis dant eſſe, & illa determinant, & ſpecificant: formæ vero abſtractæ ſicut per ſe ſunt ſpecies diſtinctæ, & diuerſæ, habent etiam ſimilitudinem aliam formæ cū numeris, & de ea loquitur ibi Ariſtoteles, quæ eſt, quod ſicut numerus nō ſuſcipit magis, & minus, ita formæ non ſuſcipiunt magis, & minus, vt diximus in diſputatione: An forma ſubſtātialis ſuſcipiat magis, & minus. Ex hoc patet ad rationem, cū dicit, quòd formæ eſt limitare, & finire, verum eſt, qđ eſt limitare, & finire eſſe, & naturā rei, quo ad eſſe ſpecificum, & qualitatem ſubſtantialem, non tamē propter hoc ſequitur, quòd eſſe finiti vigoris, & virtutis, ſequatur formam: quia hæc eſt alia finitas, & determinatio. Vel dicas, quod formæ finitæ eſt limitare, & finire, nō formæ infinitæ, vti eſt Primus motor. Ad illud de tertio Phyſicorum dico, quod Ariſtoteles confutat infinitum in actu, & admittit infinitū in potentia, loquēdo de infinito in magnitudine molis, non de infinito in magnitudine perfe-

Ad Zim.

perfectionis, & virtutis; non eſt ergo verum, quòd ille neget infinitum à forma, & concedat infinitatem materiæ.

Ad probationem ſecundi fundamenti, ex illa propoſitione in maiori quanto, eſt maior virtus ceteris paribus, dico, quod hæc propoſitio fert ſecum ſolutionem, ait enim, quod eſt vera cæteris paribus, ergo non ſufficit, quod materia augeatur, ad hoc, vt augeatur virtus alicuius: ſed opus eſt, quod omnia ſint paria, inter hæc autem requiritur præcipuè intenſio formæ, nam in maiori quanto, in quo etiam eſt intenſior forma, eſt maior virtus: ſed ſi aſſumas maius quantum, in quo ſit forma minus intenſa, quàm formæ alterius quanti minoris, in illo quanto maiori, non erit maior virtus, ſed minor, vt patet de Aſino, & Leone, Aſinus eſt maior Leone, quantitate molis, ſed non eſt maior virtute, &c.

THEOREMA LV.

Primus motor mouet mediatè primum mobile.

Exponitur, & probatur opinio Scoti. Cap. I.

Scot. SCotus 1. Sent. diſt. 8. quæſt. 5. ſed præcipuè in quodlib. q. 7. G. tenet conſequenter ad dicta, quod Primus motor ſecundum intentionem Ariſt. moueat mediatè primum mobile, ita quod reſpectu primi mobilis eſt duplex motor, ſicuti & reſpectu aliorum orbium, ſcilicet propria Intelligentia, quæ primum mobile mouet immediatè, & primus motor, qui mouet idem primum mobile per propriam Intelligentiam, appropriatam primo mobili, reliqui orbes etiam habẽt propriam Intelligentiam motricem, vltra Primum motorem, qui omnibus illis Intelligentijs dat eſſe, & operari, ita, quòd Primus motor nullum orbem immediatè mouet, ſed omnes mediatè, primum tamen principaliter, & appropriate mouere dicitur, propter nobilitatem, & principalitatem eius. Hanc ſuam ſententiam paucis probat Scotus, immò videtur eam ſupponere, quaſi de illa nulla ſit controuerſia, cum videatur Auerroes in hanc ſententiam declinare, licet Zimara, & alij Auerroiſtæ oppoſitum de mente eius ſuſtinere nitantur. Sed quidquid ſit, de hoc videamus rationes Scoti, & rem ipſam conſideremus. Arguit primò Scotus ex auctoritate Ariſtotelis, in 8. Phyſic. textu 78. & 79. & licet Scotus in eo quodlib. intendat probare, quòd aliæ Intelligentiæ à prima ſint productæ, à prima tamen aſſumit pro medio, quòd Primus motor, qui eſt infinitę potentię, non mouet immediatè: & illud ex ſententia Ariſtotelis in 8. Phyſic. probari ait. Videamus ergo hoc medium; Ariſtoteles in pręcitato loco, tex. 79. probat, quod virtus infinita in vigore, non poteſt mouere immediatè aliquod mobile, quia moueret in non tempore; hoc conſequens eſt impoſſibile, ergo etiam antecedens eſt impoſſibile, ſcilicet, quòd motor, qui eſt infinitæ potentię in vigore, moueat immediatè aliquod mobile. Hæc argumentatione, quæ tota eſt Ariſtotelis, ſumpta pro Maiori deducitur: ſed Primus motor eſt infinitæ potẽtiæ in vigore, ergo non mouet immediatè Cælum, ſed mediatè tantum; Maiorem illam, quæ eſt argumentũ Ariſtotelis, probatur eſſe de mente Ariſtotelis: Probat in citato textu Ariſtoteles propoſitionem illam, quam ſecũdo loco aſſumpſit ad probandum quod Primus motor caret magnitudine, nempè, quod virtus infinita nõ poteſt eſſe in magnitudine finita; probat inquam hoc modo. Primo aſſumit, quod maior virtus mouet in minori tempore, quàm minor virtus; Vndè videmus, quòd maior virtus calefactiua, citius calefacit aquam, quàm minor virtus. Ex hoc fundamento deducit ſi in magnitudine finita ſit virtus infinita, ſequitur alterũ horum duorũ abſurdorum: nẽpè, vel quod non detur tempus vllum in quo talis virtus mouere poſſit; vel quod finita virtus æquali tẽpore mouebit cum virtute infinita: Dimiſſo hoc ſecundo abſurdo, quod non facit pro nobis, probat primum abſurdum conſequi, quia iam ſuppoſitum eſt, quod maior virtus mouet in minori tempore, quàm minor virtus, ergo infinita virtus in tempore minori in infinitum mouebit quia infinitum excedit fi- 1. r.

nitum per exuberantiam infinitam,at nõ datur vllum tempus minus tempore finito,in infinitum: quia tale tempus eſt non tempus,ergo virtus infinita in vigore, nõ poteſt mouere: quia ſi moueret, moueret in non tempore;ex quo abſurdo, & alio, quod dimiſi,poſtea ſequitur, quod talis virtute infinita, non poſſit eſse in magnitudine finita, vt ibi egregiè Vicomercatus exponit. Modo ad propoſitum noſtrũ ex probatione conſequentiæ iſtius abſurdi facta ab Ariſtotele, conſpicuè patet ex Ariſtotele,quòd virtus infinita in vigore, non poteſt mouere immediatè;ſed ſi mouet aliquod mobile,mouebit mediatè; & quod primus motus,qui prodit ab illa infinita virtuet, non eſt motus localis alicuius mobilis: quia illud moueret in non tempore;eſt ergo ille primus motus alterius rationis; nos autem dicimus, quod ille primus motus eſt productio Intelligentiæ, ideò dixit Ariſtoteles quod Primus motor moueat vt amatum,& deſideratum,de quo infrà. Ex his patet Maior noſtræ rationis;Minor verò probata eſt in ſuperiori Theoremate, de vigore infinito primi motoris; Ex hac ratione coadiuuatur etiar prima ratio facta pro infinitate vigoris: quia dum Ariſtot. in illa demonſtratione vult oſtendere, quod Primus motor caret magnitudine,& probat per hoc:quia mouet infinito tempore,& quòd ideò habet infinitam potentiam,potentia autem infinita, non poteſt eſſe in magnitudine,neque infinita, neque finita,loquitur Ariſtot.de infinitate potentiȩ in vigore,non in duratione, vt aduerſarij exponunt; vt conſpicuè patet ex probatione conſequentiæ iſtius abſurdi;conſpicuè enim patet ipſum loqui de infinitate in vigore:quia loquitur de virtute infinita, ad quam ſequitur hoc abſurdum; hoc autem ſequitur de virtute infinita in vigore:quia ſi adeſſet virtus infinita in vigore,moueret in non tempore, non autẽ ſequitur hoc abſurdum de virture infinita in duratione; loquitur ergo Ariſtot.in eo loco de virtute infinita in vigore.Confirmatur: in eodem 8. textu 78. vult Ariſtoteles, quod motor infiniti vigoris,moueat cælum infiniro motu, id eſt tempore infinito.Subinfert Scotus, ergo non mouet immediatè,ſed mediatè, ſcilicet mediante aliqua Intelligentia alia à prima; Antecedens eſt clarum: quia Ariſt.in illo textu ſupponit ex probationibus prius factis, quod Primus motor mouet ęterno tempore,cum motus ſit æternus; quòd autem exiſtimet Primum motorem, qui infinito tempore mouet,eſſe infiniti vigoris, iam oſtendimus in Theoremate proprio:quia quod mouet infinito tempore, habet potentiam infinitam, & caret magnitudine; Conſequentia verò deducitur: quia ſi moueret immediatè moueret in non tempore, quod eſt inconueniens, vt dictum eſt ſuprà;ideò neceſſe eſt quod moueat mediatè.Hanc etiam eſſe ſententiam Ariſt.ſcilicet, quod Primus motor moueat mediatè,aſſeritur ab Auerroe 12. Metaph.tex.41.& reuera illud apertè aſſerit Ariſt.loco citato.

Confirmatur primum motorẽ eſſe Infinitæ virtutis in vigore.

Reſp. Piccolominei.

Franciſcus Piccolomineus libro de Cęlorum motoribus,cap.18.huic rationi reſpondet, primo eam reflectit contra Scotum,deinde illam ſoluit:reflectit hoc modo; ab eo ſine medio mouetur primum mobile de quo Ariſt. in 8.Phyſic. tex. 79. format oſtenſionem, vt oſtendat, quòd caret magnitudine, at format oſtenſionem illam de Primo motore, & primo principio,etiam ſecundum Scotum, ergo primum mobile mouetur à primo principio ſine medio.Secundò, illa oſtenſio vera eſt de omni motore Cæli, non de ſolo primo, ergo ſi ex ea colligeretur debere dari aliquẽ mediũ motorẽ etiam colligeretur in quolibet motu Planetarum dari duplicem motorem, quod ipſe Scotus inficiatur. Tandem rationem ipſam ſoluit:quia inſtitutum Ariſtot.eo loci eſt,oſtendere motum Cæli non poſſe effici à motore materiato,nec finito, neque infinito,& de illo habent vim oſtenſiones aſſignatæ.

Reijcitur.

Reijcitur.

Sed ex dictis patet, quod iſtæ reflexiones nullæ ſunt,nec minus ſolutio;Prima, quidẽ reflexio re vera non poteſt dici reflexio: quia eſt ratio penitus diuerſa à ratione Scoti,vt patet inſpicienti formationem vtriuſque; Scotus enim probat, qđ primus motor non mouet immediatè: quia moueret in non tempore;quæ eſt ratio Ariſtotelis in illo 79. textu vt viſum

æſt: Piccolomineus autem probat, quod Primus motor mouet immediatè, quia oſtenſio illa, qua Ariſtoteles probat Primum motorem carere magnitudine, fit de Primo motore; ecce, quòd ſumit penitus diuerſum medium. Neque etiam cõcludit hæc ratio aliquid contra Scotum, nego enim Maiorem; ad probationem verò, quæ erat, quia nunc concluſio non reſponderet principijs; nego hoc ſequi: quia vt diximus in materia de vigore infinito, concluſio illa, quod Primus motor careat magnitudine, procedit ex duobus illis fundamentis, quòd nulla virtus finita mouet per infinitum tempus, ſed ſolum virtus infinita, & quod virtus infinita non poteſt eſſe in magnitudine; Ex his duobus ſequitur, quod Primus motor caret magnitudine; Sed iſte forſan vult dicere, quod concluſio non reſponderet principijs, id eſt medio: vult enim quod mediũ, quo oſtenditur dari Primum motorem abiunctum à materia, ſit motus localis, adeò quod ſi Primus motor immediatè non moueat primum mobile motu locali, motus non erit ſufficiens medium; ſed ſi hoc intendit in præſenti ratione, non eſt ad propoſitum: quia in eo loco non habetur talis ratio; huic autem rationi infrà in ſolutione rationum oppoſitarum ſatisfaciam, eſt enim Achilles Zimaræ, & aduerſariorum. Secunda reflexio nihil valet: nego enim, quod ratio illa concludat de alijs Intelligentijs, vt ſuprà in materia de vigore infinito oſtendimus, cap. 3. ſoluendo quartum; & dicam infra in ſolutione obiectionum aduerſariorum. Solutio autem, quam adducit, nullius eſt momenti: quia in Theoremate de vigore infinito, cap. 1. perpendendo primam rationem Scoti, oſtendimus falſum eſſe, quod inſtitutum Ariſtotelis ibi ſit oſtẽdere motum Cæli non poſſe effici à motore materiato, ſed eſſe oſtendere motorem Cæli carere magnitudine. Secundò probatur eadem concluſio efficaciſſima ratione, quæ adducitur a Scoto in præcitato loco ſeptimo quodlibeto, & ab Antonio Andrea 12. Metaph. quæſt. 2. & a Ianduno 12. Metaph. quæſt. 17. & eſt iſta. Prima Intelligentia mouet in ratione appetibilis, & intelligibilis. Hæc propoſitio habetur ab Ariſtotele 12. Metaphyſicę textu 36. Subinfero: ſed intelligibile, & appetibile; mouet tantum intellectum, & appetitum, non autem illud quod caret intellectu, & appetitu, ergo Primus motor mouet tantum intellectum, & appetitũ; Maior, vt dixi, eſt Ariſtotelis; Minor verò probatur: quia omne agens, & mouens, agit, & mouet paſſum ſibi proportionatum; Hæc eſt clara de ſe, ſed corpus carens intellectu, & appetitu, non eſt paſſum proportionatum ad pati ab iſto intelligibili, & appetibili, ergo ſolum intellectus, & appetitus: Subinfero: ſed Orbis cæleſtis ſecluſa intelligentia neque eſt intellectus, neque habet intellectum ſiue appetitum, ergo Orbis non mouetur à Primo motore, qui eſt Deus immediatè, Hæc ratio proculdubio eſt efficaciſſima.

2. rõ. principalis. (margin)

Huic rationi reſpondet Zimara de triplici cauſalitate, & concedit, quod Deus mouet vt finis, & vt intelligibile: ſed cum ſub inferimus, ergo non mouet effectiuè Cælum, ſed debet dari alius intellectus, qui moueat immediatè ipſum Orbem; Reſpondet, quod non ſequitur hoc: quia illemet Primus ſicuti eſt mouens in ratione finis, ita illemet Primus motor effectiuè mouet Orbem, quia in ſeparatis à materia, idem eſt efficiens, & finis. *Reſp. Zim.* Hæc reſponſio non ſoluit: quia Ariſtoteles ibi declarat modũ, quo Primus motor mouet, & inquit, quod mouet vt appetibile, & deſiderabile; & adducit rationem: quia hæc ſolum non mota mouent, non ergo mouere poteſt pellendo, vel trahendo ſine efficiente motu locali, vt inquit Zimara, quia talia mouentia etiam mouentur, ſed mouet ſolùm intellectum, ſcilicet Intelligentiam ſibi proximã, (quæ dicitur anima Cæli, non ratione informationis, ſed ratione propriæ exiſtentiæ,) & ſic Primus motor eſt mouens, non motus: quia talia mouentia ſolum monent, & non mouentur. *Reijcitur.* Præterea, nos nõ negamus Primũ motorem mouere primum mobile, ſed dicimus, quod illud mouet mediãte ãnima, & intelligẽtia appropriata ipſi primo mobili. Præterea, cõcedit, quod in ſeparatis à materia, idẽ eſt efficiens, & finis, ergo efficientia primi mouentis, non eſt alterius rationis a cauſalitate finis; Conſequentia

 proba-

probatur, quia tunc non eſſet vera iſta propoſitio: In ſeparatis à materia, idē eſt efficiens, & finis; ſed eſſet quid diuerſum; & confirmatur exemplo de balneo, quod mouet appetitum, & ſic efficit, quod homo tendat ad balneum, & ſic eſt cauſa finalis, & efficiens, ergo dum Primus motor mouet Intelligentiam ſibi proximam in ratione finis, & illa mota à fine mouet Orbem, vt aſſimiletur primo mouenti, non diſtinguitur in primo mouente efficientia à cauſalitate finis. Per hæc eadem reijciuntur ea, per quæ reſpondet Piccolomineus ad hanc rationem in cap. 18.
3. rō. de Cælorum motoribus. Tertio principaliter adduco rationem ipſiuſmet Ariſt. in illo 12. Metaph. textu 36. aſſignat enim rationem, propter quam cogimur dicere, quod Primus motor mouet vt appetibile, & intelligibile; & eſt iſta: quia iſta ſola mouent non mota, tunc arguitur ſic: eo modo mouet Primus motor, quo mouent illa, quæ dum mouent, non mouentur ab alio: ſed ſic eſt, quod illa, quæ dum mouent, non mouentur ab alio ſolùm ſunt quæ mouent, vt appetibile; ergo Primus motor ſolum mouet in ratione appetibilis, & deſiderabilis, quod autem mouet ſolum vt appetibile, & intelligibile mouet ſolum intellectum, & appetitū, propter rationem nunc ſuprà dictam, ergo non mouet Orbem, qui caret intellectu, & appetitu, ſed ipſum intellectum, & appetitum; Maior, & Minor huius Syllogiſmi ſunt Ariſtotelis expreſsè. Præterea, conſpicuum eſt ex 8. & ex 12. Metaphyſ. textu 43. quod Primus motor eſt immobilis per ſe, & per accidens, Minor etiam ponitur ab eo in præcitato tex. 41. Præterea, Deus eſt infiniti vigoris, ſed quod eſt infiniti vigoris, non poteſt mouere aliquod mobile immediate motu locali, quia moueret in inſtanti, tamen Primus motor mouet ex Ariſtotele primum mobile, ergo mouet mediatè.

Adducuntur rationes Aduerſariorum, & ſoluuntur. Cap. II.

1. rō. Zim. ADuerſus hanc opinionem inſurgūt multis rationibus: quarum principaliores hic adducam; Arguit Zimara q. de triplici cauſalitate, & Theoremate 60. primò ſic; Nullum datur medium ad probandum dari Primum motorem, niſi motus: quia ſolus naturalis demonſtrat dari Primum motorem via motus: at ſi Primus motor non mouet immediatè primum mobile, & vt efficiens, hoc medium erit inſufficiens: neque naturalis poterit oſtendere dari Primum motorem. Hanc rationem tanti fecit Zimara, quod eam putarit inſolubilem; Eadem vtitur Gregorius de Arimino, 2. Sent. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 2. vbi nititur probare, quod Primus motor mouet immediatè. Secundò, 2°
Ariſt. in 12. Metaph. textu 43. inueſtigat numerum Intelligentiarum ex numero Orbium; & ita tot eſſe ſtatuit Intelligentias, quot Orbes. Ratio autem hæc non valeret, niſi omnes Intelligentiæ mouerent immediatè Orbes: nam ſi vnus Orbis haberet duas Intelligentias, profectò non eſsent tot Intelligentiæ quot Orbes: ſed eſſent plures Intelligentiæ quam Orbes. Tertiò, ſæpè habetur apud Ariſto- 3°
telem, & eſt veriſſimum, quòd Intelligētiæ agunt in duplici genere cauſæ, ſcilicet, finalis, & efficientis: ergo nedum mouent in ratione appetibilis, & intelligibilis, ſed etiam in ratione efficientis, & ita mouent cælum immediatè; plures alias rationes adducit ad oſtendendum hanc fuiſse mentem Auerrois: ſed de hoc parum eſt curandum. Pro hac ſentētia quar- 4°
to loco adducitur auctoritas expreſſa Philoſophi, in 12. Metaph. tex. 38. vbi apertè Philoſophis ait, quòd Primus motor mouet primum mobile motu lationis, quo primo mobili moto, reliqua mouentur, ergo Primus motor mouet immediatè; & in eodem; 12. tex. 43. ait Ariſt. quòd præter ſimplicem lationem vniuerſi, qua mouere dicimus ſubſtantiam immobilem, ſcilicet primam, cæteræ lationes Planetarū ſunt æternæ; Ecce, quòd apertè ait Ariſt. primam lationem fieri a Primo motore. Quinto Franciſcus Piccol. lib. de Cælorum motoribus, cap. 17. Ille motus, qui 5. Rōnes.
ſæpe ab Ariſt. nuncupatur motus totius, in quem cuncta conſpirant, qui eſt regula, & menſura, & tamquam vita aliorum motuum, ab eo ſolo motore prodire poteſt, qui obtinet conditionem totius, eſt

princeps

princeps cunctorum, ex quo cuncta pendent, & per quem cuncta perficiuntur : ſed hic ſolus eſt Deus, ergo Deus mouet effectiuè,& immediatè primum mobile. Confirmatur:quia Ariſtot.reſoluens corpora cæleſtia in 8. Phyſ.& 12. Metaphyſ. nunquam ea in plura reſoluit quàm in duo,ſcilicet, in mentem ſecretam à mole mouentem;& in corpus mobile;ergo cuilibet corpori mobili cæleſti ſolùm competit vnus motor, ergo primum cælum habet vnicum motorem, qui eſt Deus.

Ratio Greg. de Arim. 6. 7. Sextò,Alij,vt Gregorius;niſi primum mouens moueret effectiuè primum mobile, eſſet otioſum,ſecundum Ariſt. & eſſet ſuperfluum in mundo.Septimò,Alij ita arguunt,Ariſtot.in 8.Phyſicorum textu 78. probat Primum motorem eſſe impartibilem,iſta demonſtratione:quia ſi eſſet in magnitudine, vel illa eſſet finita,vel infinita:non infinita,quia illa non datur;non finita,tum, quia tunc moueret in non tẽpore: tum, quia virtus finita moueret in ęquali tempore cũ virtute infinita; at deductio illa,quod primũ mouẽs, moueret in nõ tẽpore:non ſequitur,ſi ipſe moueat in ratione finis,ſed tantum ſi dicamus ipſum mouere in ratione cauſæ efficientis.

Soluuntur. Ad 1 Verùm rationes iſtæ nullius ſunt momenti; Ad primam quæ eſt Zimaræ, reſpondetur, quòd ſufficit Phyſico via motus deuenire ad vnum primum mouens immobile : ſed ad ipſum Phyſicum non ſpectat cognoſcere quomodo primus motor moueat,ſed hoc pertinet ad Metaphyſicũ, qui etiam ſecũdũ Zimaram conſiderat quid eſt,de ipſo primo motore; Vnde in Phyſicis nunquam dixit Philoſophus quomodo primus motor moueat, ſed in Metaph.dicendo,quòd mouet,vt appetibile, & deſiderabile, ideò non elicitur ex hoc medio motus, an Primus motor moueat mediatè, vel immediatè, ſed ſat eſt, quòd per motum æternum ſcimus deueniendum eſſe ad vnum Primum motorem immobilem;vnde nos negamus Primum motorem eſſe cauſam efficientem motus:ſed dicimus,quòd non eſt applicatus Orbi,ita, qđ immediatè moueat : ſed dicimus,quòd mouet mediatè efficiẽter; dicimus inſuper,quòd hæc efficientia, & cauſalitas motus,non eſt diſtincta à cauſalitate finis : neque enim arbitrari debemus, quòd Deus moueat primum mobile,vt homo mouet lapidem, & vt manus baculum,hoc enim eſſet valde ſtultum, & tamen hoc modo aduerſarij videntur velle Primum motorem mouere, cum enixè ſuſtineant,ipſum pellere, & trahere primum mobile: ſed dicimus, quòd mouet vt obiectum intelligibile,& appetibile mouet,hoc enim genus motionis eſt nobilius,& hæc ſola non mota mouent; ſed de hac efficientia primi mouentis, in ſequenti plura dicemus. Quòd autem hæc ſit intentio Ariſt.in 8.Phyſ.patet:quia ſic procedit ibi oſtendẽdo, quòd omne qđ mouetur, ab alio mouetur, in quocũque genere motus: & ſic in mouentibus localiter,deueniendum eſſe ad vnum mouẽs, quod ſit immobile per ſe,& per accidẽs; quomodo autem illud primum mouens immobile, moueat, non diſquirit Phyſicus: quia ſufficit illi oſtendere de Primo motore quod eſt; Per hoc idem patet reſpondendum eſſe hoc modo ad alias auctoritates probantes Deum eſſe motorẽ, vt ad illam ex 3.Phyſ.Mouentia,alia ſunt mota,& ſunt Phyſicæ conſiderationis; alia mouentia non mota, & hæc non ſunt Phyſicæ conſiderationis:iſtæ enim auctoritates,& ſimiles,non plus concludunt, quàm quod Deus, & Primus motor, eſt mouens:ſed quomodo moueat, non habetur ex illis: quia hoc ad Phyſicum non ſpectat,ſed ad Metaphyſicum.

Ad ſecundam in qua aduerſarij faciũt maximam vim, Reſpondet Antonius Andræas,in 12. Metaphyſ.quod ibi Philoſophus accipit pro vno, & eodem motore Primum mouens immobile, & Intelligentiam immediatè mouentem primum mobile, & ideo primo mobili vnicum videtur aſſignare motorem; Et hæc reſponſio poteſt ſuſtineri: quia Ariſt.ibi enumerat motores per ſe, licet autem primum mobile moueatur à duplici motore, quia tamen intelligentia recipit virtutem mouẽtem à primo motore, ideo Primus motor enumeratur tamquam proprius motor; Quòd ſi quis dicat, etiam cæterę Intelligentię aliorum Orbium recipiũt virtutẽ à prima,ergo nõ ſunt per ſe mouẽtes. Reſpondeo, quod idẽ eſt iudicãdũ de prima *Ad 2.*

Intelli-

Intelligentia,& alijs, reſpectu Primi motoris, tamen, quia primum mobile eſt alijs Orbibus nobilius,motus eius ab Ariſtot.tribuitur Primo motori. Tamen ego puto melius reſpondendum eſſe, quòd Ariſtot.per primum mobile intelligit aggregatum ex Orbe & Intelligentia, adeo quod cum dicit Primum motorem mouere Cælum,per Cælum intelligit Intelligentiam & Orbem, & ſic primo mobili aſſignat vnicum motorem; Et quod hæc ſit intentio Ariſt. probatur:quia Ariſt. in textu 36.ait Primum motorem mouere, vt appetibile, & intelligibile, modo, Orbis ille,& primum mobile,circumſcripta Intelligentia, non habet intellectum, neque appetitum, & ita non poteſt moueri ab appetibili,neque ab intelligibili, ergo illud, quod mouetur à Primo motore,eſt aggregatum ex Intellectu,& Orbe. Item in calce textus 37. ait, quòd Primus motor mouet primum mobile, vt amatum, & deſideratum, Cælum verò ſiue primũ mobile motum,reliqua mouet;Ecce apertè, quòd per primum mobile, & Cælum accipit aggregatum ex Intelligentia, & Orbe; Et hæc fuit cauſa, propter quam Alexander,& alij dixerunt Cælos eſſe animatos. Quod ſi quis dicat,hoc etiam dici poſſet de alijs Intelligentijs & Orbibus,quòd mouentur à Primo motore,dico: quòd verum eſt: nam Primus motor non ſolum mouet primum mobile, ſed alios Orbes;vnde inquit:Cælum vero motum,alia mouentur, & mouet illos in ratione amati,quia ſemper accipitur aggregatum ex Intelligentia & Orbe; mouet ergo Primus motor omnes Orbes, quia mouet Intelligentias aſſiſtentes Orbibus illis: dicitur tamen appropriatè mouere primum mobile, quia cum ab illo cæteri motus pendeant, & ſit nobilius illis,iure eius motio tribuitur ipſi Primo motori: & ita, quot ſunt Orbes, tot ſunt Intelligentiæ;Primus motor verò ſupereſt,vt diximus. Quod etiam primus motor non ſit appropriatus alicui Orbi, Sed ſuper omnia, & alijs omnibus tribuat vitam, patet ex ijs,quæ in calce 12.Metaph.textu 52. dicit Ariſt. vbi illas Intelligentias & mundum comparat familiæ,in qua alij ſerui ſunt, alij filij, ipſum verò Primũ motorem comparat Patrifamilias, & Duci, & Principi, non ergo proprium eius munus eſt aliquam ſphæram voluere,ſed omnibus alijs Intelligentijs præbere virtutem & potentiam.Confirmatur etiam: quia nunquam Ariſtot. dixit de alijs Intelligentijs, quòd moueant in ratione amati, & deſiderati; ſed ſolum dixit hoc de Primo motore.

Alia ratio cur primo motor nõ moueat immediatè.

Ad tertiam, non negamus in Primo motore efficientiam; ſed dicimus, quòd non efficit immediatè motum localem primi mobilis: quia eius efficientia non diſtinguitur ab eius cauſalitate finali,ſeu ſunt idem,ſicuti,& efficiens,& finis ſunt idem in ſeparatis à materia,quòd clarius infrà patebit dum loquemur de modo, quo Deus producit Intelligentias ſecundum Ariſt.

Cõfirmatio. *Ad 3.*

Ad quartam, ad illas duas auctoritates patet ex dictis; ad ſecundam rationẽ dicit quidem Ariſtot. Primum motorem mouere primum mobile motu lationis, ſed per primum mobile, & per Cælum non intelligit corpus cæleſte excluſa Intelligentia,ſed aggregatum ex Intelligentia, & Orbe, vnde iſte mouet Intelligentiam dando illi eſſe, & virtutem mouendi,ſed ipſa poſtea immediatè mouet Orbem.

Ad 4.

Ad quintam dico,quòd illa ratio Piccolominei cõcludit illum nobiliſſimum, & præſtantiſſimum motum primi mobilis prouenire à Primo motore; & hoc nos gratis concedimus; ſed non concludit, quòd proueniat immediatè.

Ad 5.

Ad confirmationem dicimus, quòd quodlibet corpus cæleſte habet propriã Intelligentiam aſſiſtentem, & ideo iure Ariſt. reſoluit illa in Mentem,& Corpus, tamen non propter hoc ſequitur, quod Primus motor ſit applicatus primo mobili, quia eſt cæteris Intelligentijs excellentior,quippè qui illis vitam, & eſſe tribuit.Poſſumus etiam dicere,quòd Ariſt. dum loquitur de primo mobili, & diuidit illud in Mentem ſecretam à materia, & Orbem,per Orbem intelligit aggregatum ex Intelligentia, & Orbe, cum ipſum aggregatum habeat rationem paſſiui,& ſolum Primus motor actiui abſque vlla paſſione,cum neque eſſe, neque virtutem

tutem

tutem ab vllo alio recipiat.

Ad 6. Ad ſextam dico, quòd non eſt otioſus Primus motor, licet non moueat motu locali, aſſerit enim Ariſt. 12. Metaph. textu 39. quòd eſt vita feliciſſima, & quòd in contemplatione ſui beatus; & certè, qui huic argumento nituntur, videntur 12. Metaph. non legiſſe: quia ibi Ariſtot. expreſsè dicit, vitam Primi motoris eſſe beatiſſimam, eamq. conſiſtere in contemplatione ſuijpſius, non in rerum, extra ſeipſum, ne vileſceret intellectus ille; & apertè in illo textu 39. ait, quod ipſo idem eſt intellectus, intelligens, intelligibile: & ſubinfert, quod eſt ſpeculatio ſuijpſius, & eſt delectabiliſſima, & optima; munus ergo primi motoris, & Dei Benedicti, nō eſt voluere, vel pellere corpus illud cæleſte, ſed ſpeculatio ſuijpſius, etiam ſecundum Ariſt. quod eſt maximè congruum veritati Chriſtianæ; & mirum eſt, quòd dum Ariſtotel. veritatem ipſam attingit, ſui expoſitores illum peruertere volunt.

Ad 7. Ad ſeptimam dico, quòd ratio illa cōcludit, motorem habentem infinitam virtutem mouendi, carere magnitudine, vt diximus in Theoremate de primi motoris infinitate in vigore; de modo verò, quo ille motor moueat, ex illa ratione nihil habetur, ideò negatur conſequentia, ſcilicet, quod inconueniens illud non ſequatur, ſi moueat in ratione finis, quia illa eſt motio effectiua, quæ intenditur ſecundum vim mouentis.

THEOREMA LVI.

Omne aliud citra primam intelligētiam eſt cauſatum, ita quod ſecunda Intelligentia Cælum, & Materia prima ſunt cauſata.

Explicatur opinio Scoti, & eius prima ratio adducitur, & contra Aduerſarios dilucidatur, & confirmatur. Cap. I.

Scotus. DE opinione Philoſophorum, & maximè Ariſtot. & Auicennæ, eſt maxima diſputatio, quid de hac re dixerint; tamen Scotus 7. quæſt. quodlib. & 1. Sententiarum diſt. 8. q. 5. in initio, ait ſe non velle imponere abſurdiorem ſententiam illis, quam eliciatur ex dictis eorum. Aliqui ergo dicunt ipſum Ariſtotel. ſenſiſſe Intelligentias, & entia æterna, neceſſaria eſſe incauſata vt Henricus, & alij, cum quibus multi ex modernis concordant: Henricus. tamen cum hoc dicunt aliquo modo pēdere a prima, quia videtur illis, quod ſit contradictio, dicere, Intelligentiæ ſunt æternæ, & neceſsariæ, & tamen ſunt ab alio; Scotus verò ait Philoſophum exiſtimaſſe entia æterna, & neceſſaria eſſe cauſata, & producta à prima Intelligētia per emanationem; neque hoc eſt contradictio apud ipſum: quia tenet hoc falſum principium, quod Deus agat neceſſariò extra ſe; ad hoc autem conſequitur, quod effectus immediatè proximus Deo, ſit æternus: quia non poteſt non eſſe, & tamen eſt cauſatus; Hinc ergo eſſe mentem Ariſtotelis probat Scotus primo in 12. Metaphyſices textu 52. vbi declarat omnia 1. rō Scoti. entia licet non ſimiliter, eſsentialem habere ordinem inter ſe, ſed magis ad vnū primum, ita quod in entibus vnum pendet ab altero, & omnia à primo; & dat exemplum de familia, in qua ſerui, liberi, & iumenta habent ordinem ad patremfamilias, & ab illo dependent, ſed non ſimiliter; dat etiā exemplum de exercitu, in quo eſt vnum ſupremum caput, ita in toto vniuerſo euenire ait, & tādem inquit, entia nolūt male diſponi, vnus ergo Princeps. Ex his omnibus apparet, quod omnes etiam Intelligentiæ pendent in eſse a Primo Motore, & conſequenter omnia ſunt cauſata præter primum: ſicuti in familia omnes pendent à Patrefamilias. Cōfirmatur. Confirmatur: ſi enim aliquid aliud, vt Intelligentiæ ſecundæ, eſsent infinitæ, & incauſatæ, & æquales primæ, non poſsent ordinari eſsentialiter ad aliud, quia infinitum intenſiuè, non poteſt ſubordinari eſsentialiter alteri, nec ſicut ad finem; quia vnum infinitum non eſt propter aliud bonum: neque ad aliud bonum, vt ad principalius, quia nihil eſt principalius bono infinito; ſi ergo cęteræ Intelligentiæ eſsent infinitæ, & improductæ, nō haberent ordinem eſsentialem ad primū, quod eſt inconueniens: quia bonum Vniuerſi conſiſtit in vtroque ordine, ſed maximè

ximè in ordine ad primum, vt explicat Philoſophus, in 12. Metaph. tex. 52. Ratio iſta adducitur a Scoto de Intelligentijs; ſed concludit etiam de alijs, quia ſi Intelligentiæ pendēt in eſse a Primo motore, magis Cælum, & materia prima, & ego eam confirmo authoritate Ariſt. in eodem 12. textu 38. in calce, vbi habet hæc verba. A tali ergo principio tum Cælum, tum natura dependet; & primo de Cælo, textu 100. inter multa habet hæc verba. Vnde & alijs communicatum eſt, his quidem exactius, his autem obſcurius, eſſe, & viuere. Ex quibus locis apertè patet, quod omnia præter primum ens, & primam cauſam, habent entitatē cauſatam, & dependentem ab illo Primo motore.

Cōfirmatio alia.

Reſp. Henrici.

Reſpondetur hic ab Henrico, quod in Intelligentijs eſt ordo, non tamen eſt cauſalitas, ſicuti in numeris, & figuris eſt ordo, & ita vna dependet ab alia, & omnes à prima, & tamen non cauſantur ab illa; Contra; Hic ordo eſt eſsentialis, vel accidentalis, non eſt dicendum quod ſit accidentalis, quia in cauſis accidentaliter ordinatis, cauſa ſecunda inquantum cauſat, non dependet à cauſa prima, ex Scoto, in primo Sent. diſt. 2. q. 2. ſed poteſt per ſe effectum producere: ſed in cauſis eſſentialiter ordinatis, ſecunda inquantum cauſat, dependet a prima. Item in cauſis accidentaliter cauſantibus, cauſalitas eſt eiuſdem rationis; nam Socrates, & Cicero eius filius, habent cauſalitatem eiuſdem rationis; ſed in cauſis eſſentialiter ordinatis, cauſalitas eſt alterius rationis: quia prima eſt perfectior ſecunda. Tandem cauſæ accidentaliter ordinatæ, non omnes requiruntur ſimul ad cauſandum, ſed vnaquæque per ſe ſufficit, Socrates enim ex ſe generat ſine Platone Pátre ſuo, ſed cauſæ eſſentialiter ordinatæ neceſsariò omnes ſimul requiruntur. Ex his patet, quod Intelligentiæ, & prima cauſa, quæ ſunt cauſa horum inferiorum, ſunt eſſentialiter, non accidentaliter ordinatæ: quia omnes ſimul requiruntur cum prima ad cauſandum; quod ſi quis dicere vellet illas eſſe accidentaliter ordinatas, vti ſunt Indiuidua ſpecierum, cogeretur dicere, quod etiam eſſent cauſatæ, quia vniuerſus ordo cauſarum accidentaliter ordinatarum, pendet ab ordine cauſarum eſſentialiter ordinatarum, & inſuper vnaquæque cauſa accidentalis, ab alia dependet in eſſe, Indiuidua enim perpetuantur, quia Cælum, & Intelligentiæ, & aliæ cauſæ eſſentialiter ordinatæ, ſunt perpetuæ, & dant eſſe; & vltrà hoc vnumquodque Indiuiduum recipit eſſe ab alio Indiuiduo. Ad propoſitum ordo eſſentialis ſic ſe habet, quòd ea, quę à tali ordine depēdent, ab alio depēdent in eſſendo; quia deſtructo primo illius ordinis, reliqua collaberentur; & ſi deſtructo primo, non ruerent alia, eſſet ordo accidentalis non eſſentialis ad illum primū; modo, ſi primum mouens non eſſet, nihil aliorum eſset, ſi quidem ab eo dependent omnia: ergo aliæ Intelligentiæ pendent in eſse à prima. Præterea, etiam eſt vt Princeps & paterfamilias, ergo ſecundæ cauſæ habent dependentiam in eſſe ab illo, quia habent ordinem eſsentialem ad illam. Præterea, ſtat argumentum in robore, ſatis enim eſt nobis, quòd ſecundæ Intelligentiæ ordinantur, & dependent à prima, ſed incauſatum, & inproductum eſt a ſe, & ad nullum ordinatur, alioquin etiam prima Intelligētia, vt Deus, poſſet ordinari ad aliud, & dependere ad aliud; at hoc negatur in Deo, hac ſola ratione: quia eſt incauſatus, ergo cęteræ Intelligētiæ ſunt cauſatæ; Quod verò dicitur de numero, non eſt ad propoſitum: quia maior numerus dependet a minori, quia minor materialiter acceptus, eſt pars maioris, & ſic maior in eſſendo dependet à minori, tamquam totum à parte; ſed minor numerus formaliter acceptus, non eſt aliquid maioris numeri, & ſic maior nō dependet à minori, neque minor à maiori: in his autem Intelligentijs, nihil eſt quod habeat rationem totius, & partis, ſed omnes ſunt actus: eſt ergo neceſſe ſi habent ordinem, & dependentiam ad primum, quòd dependeant in eſse, & in cauſari: quia circumſcripta hac cauſalitate à prima, non remanet vlla ratio propter quā aliæ Intelligentiæ ordinentur, & dependeant à prima.

Reijcitur.

Reſp. aliorum.

Alij reſpondent ad hoc argumentum, & has authoritates, quòd intelligentiæ

dependent

dependent a prima quo ad operationem tantum. Contra, vel intelligunt, quod ſecundæ intelligentiæ nullam habent operationem niſi à prima ; vel intelligunt, quod intelligentiæ ſecundæ habent propriam operationem, vt mouere immediatè Cælum: ſed tamen hanc ſuam operationem exercere non poſſunt abſque auxilio primæ; primum non poteſt dici: quia quod à ſe habet entitatem, habet etiam operationem à ſe, & quod nõ habet operationem à ſe, neque etiam entitatẽ: ſiquidem operatio indicat entitatem, & qualis eſt operatio, talis eſt entitas cauſatiua illius operationis, quia operatio procedit à principijs internis ſubiecti; ſi ergo ſecundæ intelligẽtiæ ſunt à ſe, eſt mirum, quod nullam habeant per ſe operationẽ. Eſsent etiam entia inferiora quocumque ente materiali, cum nullum tale ſit, quod non habeat propriam operationem; ſi dicamus ſecundum, ergo non ſunt ex ſe incauſatæ, quo ad eſſe, quia tunc poſsẽt per ſe operari, ſed egent auxilio primę, ergo prima eſt prior illis, non poteſt autem aſſignari ratio illius maioritatis niſi hæc, quod prima eſt a ſe, reliquæ ab alio, alioquin hæc diuerſitas eſſet à caſu.

Reſp. aliorum. Alij reſpondent ab has authoritates, quòd aliæ intelligentiæ, & entia æterna, ſolum pendent à prima quo ad conſeruationem, nõ quo ad cauſam efficientem, vt Piccolomineus in duobus libris de Creatione, ſed maximè in ſecundo libro c.7. & 11. ait etiam pendere à prima tamquam a forma, & à fine. Contra. Hęc *Reijcitur.* conſeruatio ſiue ſit reſpectu eſse, ita quod eſse intęlligentiarum ſecundarum non poſſit perpetuari niſi à virtute, & influxu primæ intelligentiæ, in quo ſenſu ipſi loquuntur; ſiue hæc conſeruatio ſit reſpectu operationis, ita quod ſecundæ intelligentiæ ſolum dependent à prima, vt poſſint operari, nulla eſt: nam hoc ſecundum reducitur ad primum, quia quod dependet in operari, non eſt à ſe, ſed ab alio, vt nunc ſupra dicebamus; & ſic conſeruantur, quo ad eſse, tunc ſic: Conſeruatio quo ad eſse, eſt continua datio eſse: nã quod conſeruat entitatẽ rei, continuò dat entitatem rei, vt de ſe patet inſpiciendo quid ſit cõſeruatio, vt optimè docet Scotus 2. Sent. diſt. 2. q. 1. Reſpõdendo ad primum principale; & etiã declaratur: quia in his corruptibilibus cõſeruare eſt vitare contraria rem corrumpentia, vt ſubminiſtrare alimẽtum, quo res perpetuatur; at hoc eſt dare eſse: in illis vero quæ non corrumpuntur per motum, & mutationem, ſed per deſitionem, ſi adſit conſeruans, opus eſt, quod perpetuet eſse per quãdam manutenentiã illius entitatis in eſse, ne deficiat hæc talis manutenentia, quæ eſt continua datio eſse, quod enim conſeruat ſic eſse, dat eſse. Confirmatur: quia ſi illa entitas eget conſeruante, de ſe eſt fluxibilis, & poſſibilis non eſse, per conſeruantem autem remanet in eſse, ergo de ſe eſt cauſata, & non ſummè neceſſaria, quia tunc nullius auxilio in eſsendo indigeret. Pręterea, quæro qua de cauſa egent conſeruante? certè quia per ſe eſse non poſsunt, alioquin fruſtra diceretur illas pẽdere a primo tamquã a conſeruãte, ergo intelligentię ex eo, quòd pendent à prima cauſa, ſunt cauſatę; patet itaque, quod ſic reſpondendo nihil dicunt.

Alij vt Achillinus quodlib. ſecundo loquens de intelligentijs, ſoluens quoddam argumentum in calce ſecundę vię, qua arguit contra Philoſophum, dicit quod Philoſophus non concedit intelligentias, neque alia entia neceſsaria conſeruari a Prima, ſed quòd ipſę intelligentię ſeipſas conſeruant laborando vt illi primę ſe aſſimilent, ſicuti illa intendit operari id, in quo conſiſtit eius perfectio: ita intelligentię ſe conſeruant, quia intendunt aſſimilari primæ, & in hac operatione conſiſtit earum perfectio, ita quod ipſę ſe conſeruant. *Aliorũ reſponſ.*

Contra, quod eſt poſſibile de ſe, non poteſt perpetuari à ſe, at intelligentiæ per ſe ſunt poſſibiles de ſe, ita quod egent conſeruatione, ergo non poſſunt a ſemetipſis conſeruari. Minor conceditur ab ipſo: nam non negat Achillinus, quod non conſeruentur, ſed inquit, quod a ſeipſis conſeruantur per operationem, ita quod operatio eſt cauſa conſeruatiua; quod ſi non operarentur, non ſe conſeruarent, & deficerent, ergo. *Reijcitur.*

Minor eſt conceſſa; Maior probatur: quod à ſe habet poſſibilitatem, nõ habet perpetui-

perpetuitatem; quia hoc implicat contradictionem, eſſet enim per ſe corruptibile, & non corruptibile. Item tunc non haberent dependentiam à prima, nam prima nullam haberet actionem circa ſecundas, & tamen Philoſophus ait, quòd à prima pendet Cælum, & tota natura, &c.

1. reſpōſio recentiorū. Quidam reſpondent tripliciter. Primo, quòd locus ille ex primo de Cælo tex tu 100. non intelligitur de prima intelligentia; ſed de corpore cęleſti, vt exponit Alexander, quod probant: quia attributa illa, vt eſſe, quod habet ſignificare ibi ſitum, & habere optimam vitam, & ſuffi cientiſſimam, non competunt intelligentijs, quia iſta, inquiunt, non tribuit Deus intelligentijs ſecundum eſſentiam, neque enim habent ſitum, ſed neque habēt vitam à prima, ſed à ſe; quod patet ex illis verbis ſuperioribus, quod toto æuo viuunt, & habent vitam ſufficientiſſimā, ergo illam non habent à prima, ſaltē quo ad eſſentiam. *2. reſpōſio* Secunda reſponſio. Eſto illud intelligatur de intelligentijs, hoc veri ficatur de illis, quatenus effectiuè applicantur Cęlo, & mouent Cælum, Cęlum enim tunc viuere, & habere eſſe dicitur, cum mouetur; & ab eo alia mouentur, & tunc communicare eſse, non competit ſoli Primæ intelligentiæ, ſed alijs omnibus, quia omnes mouent, & dant eſſe. Tertia reſponſio. Prima intelligentia dicitur dare eſſe, quia ſua præſentia adeſt omnibus rebus, & eſt cauſa, vt ſint ſecundum ſuos gradus ordinis in vniuerſo.

Reijcitur. 1. reſpōſio Verum iſtæ reſponſiones non ſoluunt, non prima, quia clarum eſt Ariſtotelem ibi loqui de primo, & ſummo ente, etiam ſecundum Aphrodiſęum, prout referunt Simplicius, & Auerroes ex Themiſtio ibi: licet dicat poſse intelligi quoque de Cælo: ſed quod loquatur de Primo mouente patet, loquitur enim de ente, quod eſt extra Cęlum & eſt in extrema latione, vt patet ex verbis textus; illud ens autem ſecundum omnes, eſt Deus ſolus; & confirmatur; quia poſtquam dixit, illa etiā quæ ſunt in extima latione ſempiterno æuo frui; ſubiungit, quod hoc nomen æuum antiquis habitum eſt ſignificare quid diuinum, nam ſignificat quidem ſpatium vitæ, quod à natura vnicuique rei tributum eſt: vnde æuum quandoque ſignificat idem quod ſæculum, & hac ratione tota duratio Cæli dicitur æuum; tamen propriè ſignificat omne tempus ſiuè tem pus infinitum, quia ſumit denominationem ab eo, quod eſt ſemper, & eſt idem quod immortale, & diuinum: & tunc poſtea ſubiungit, ab hoc, quod eſt ſemper immortale, & diuinum, communicatur alijs eſſe, & viuere, his quidem clarius, his verò obſcurius. Ex his ergo patet, quod intelligit primam intelligentiam eſſe eā, quæ propriè ſempiterno fruitur æuo; & confirmatur; quia vlterius reddens ratio nem dictorum, ſcilicet, quod primū ens ſempiterno æuo fruatur, non recipiat eſſe, ſed alijs communicet, inquit, quia ſecundum omnes, omne diuinū eſt intranſ mutabile, præſertim autem primum, ac maximè ſummum neceſſe eſt eſſe huiuſmodi; & reddit rationem: quia non habet aliud quod ipſum moueat, quia non eſſet primum, neque habet prauitatem vllam, neque indigentiam. Ex his ergo patet, quod loquitur de primo ente; & licet prius loqueretur in plurali, & dixerit entia, quæ ſunt extra Cælum, non ſeneſcere, &c. tamen ſe declarat poſtea loqui in particulari de primo ente, atque ait, ab illo tamquam à maximè diuino, & maximè perpetuo pendere eſſe, & vitam aliorum; Cum ergo aliæ intelligentiæ ſint entia diſtincta à Deo, neceſſe eſt, quod eorum eſſe, & viuere, pendeat à prima.

Et per hoc confutatur ratio Aduerſariorum: patet enim ibi Ariſt. per eſſe non intelligere ſitum, ſed eſſentiam rerum, neque enim ibi vllum eſt propoſitum de ſitu, neque de ordine vniuerſi; ſed de pen dentia rerum in eſſe à primo ente; falſum eſt etiam illa prædicata habere vitam à Deo, non competere intelligentijs alijs à prima, nam hoc apertè ait Ariſt. ergo ma gis debemus credere Ariſt. ſe explicanti, quam iſtis. Nec valet ratio ſempiterno ęuo intelligentiæ fruuntur, ergo non habent eſſe à prima: non enim valet conſequentia: quia vt colligitur ex eo loco, æuum non eodem modo dicitur de omnibus, nam in temporalibus vita cuiuſque ani- *Ad rōnē aduerſar.*

que ani-

que animalis dicitur æuum eius:ergo duratio aliarum intelligentiarum, licet ſit ab alio illis communicata, poteſt dici æuum,& æternum, non tamen eo modo, quo eſt in primo, quia in eo non ſolum eſt æterna duratio:ſed etiam à ſe,quia ipſe eſt fons, & radix omnis æui:in intelligentijs,verò eſt ab alio,ſcilicet a prima.

ey- tur. re- ſpōſio Neque ſecunda reſponſio valet,tum, quia Ariſt. loquitur abſolutè, ait enim alijs à primo communicatur eſſe,& viuere, his quidem clarius, his verò obſcurius. Præterea, ſi Deus effectiuè applicat intelligentias Cælo, ergo efficit aliquid; nam illa applicatio eſt aliquis effectus, non formalis,ergo effectiuus,ſiue per modum cauſæ efficientis;ſed patet Ariſtotelem ibi loqui de eſſe abſolutè, non de applicatione ad motum.

Tertia etiam reſponſio eſt vana: quomodo enim Deus præſentia ſua poteſt eſſe cauſa, vt ſint ſecundum ſuos gradus, ordinis vniuerſi: niſi habeat aliquam efficientiam in ipſa entia, non eſt intelligibile.

Bac- onij. Reſp. Ioannes Bacconus 2.Sentent.diſtinct. 3. quæſtione prima, artic. 4. reſpondet, quòd dependent à prima, non in ratione cauſę efficientis, ſed in ratione cauſæ finalis: ſuſtinet autem, quòd cauſa finalis dat eſſe, & nobiliori modo quàm efficiens,& concedit apertè, quod etiam æterna,vt Cęlum, & Intelligentiæ habent eſſe poſt non eſſe, & quòd hoc conceſſerit Philoſophus.Hoc legitur clare in calce articuli quarti,ſoluendo rationes;Cauſa autem propter quam negat verã cauſalitatem in ipſis, eſt: quia reputat,quòd omnis cauſalitas vera, ſit per motum, & mutationem, & quia hæc entia non habent eſſe per motum, & mutationem, ideò negauit, quòd ſint efficienter à prima, tamen conceſſit, quod habeant eſſe ab ipſa tamquam à cauſa finali, & ait, quòd hic modus eſt excellentiſſimus, & hic modus eſt modus emanationis,quem nos concedimus: & hoc pacto ait Philoſophum concedere creationem, conuenit ergo nobiſcum re,ſolùm differt in modo loquendi, & in obſtinatione.

Greg. de A- rim. Gregorius de Arimino in 2. Sentent. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 1.in ſolutione difficultatis ſimiliter facit hanc diſtinctionem,de efficiente verò, quem appellat agens verum, & de efficiente per ſimilitudinem,qui eſt hic,quem nos appellamus agens per emanationem; concedit primam Intelligentiam eſſe efficiens per ſimilitudinem;dat exemplum de forma, quæ eſt cauſa productiua ſuorum accidentium, & proprietatum conſecutiuè, vt forma ignis reſpectu leuitatis: & hoc modo concedit Deum producere Intelligentias;patet autem,quòd hic modus cõcordat nobiſcum,ſolùm differt in verbis, nam & ipſe confitetur, quòd re vera habent eſſe poſt nõ eſſe, & ſic de ſe ſunt cauſabiles quò ad entitatem, ſicuti accidentia, & proprietates formarum ſubſtantialium ſunt effectæ,& productæ poſt nõ eſſe à forma, nunquam prima forma habet eſſe ſine Intelligentijs ſecundis per aliquod tempus, ſed ſolùm prioritatem naturæ,ita nos dicimus de prima Intelligentia reſpectu ſecundarum. Eadem videtur eſſe ſententia Franciſci Piccolominei in ſecundo lib. de Creatione, adeo quod nobiſcum re ſunt,ſed verbis diſcrepant,& voluntate. Picco lom.

Secundò principaliter pro confirmatione huius rationis Scoti arguo ad concluſionem ex exemplo allato ab Ariſtotele de exercitu, loquens enim Ariſtoteles de ordine vniuerſi, & de entibus in ipſo, ait,quòd ſe habet veluti exercitus,in quo vnus eſt ſupremus, alij inferiores, & minores, & tandem aliqui qui ſolùm obediunt;& ſupponit, quòd in hoc exemplo entia non conſiderantur, vt entia ſunt,& vt homines ſunt, neque vllo alio modo, ſed ſolùm, vt milites ſunt, & vt perſonæ belli, quia aliæ conſiderationes non ſunt ad propoſitum;tũc ſic arguo;Omnes qui ſunt in exercitu, vt milites ſunt, pendent à primo Duce, nam ipſe eſt qui inferiores milites pecunia ducit, & ſic dat illis eſſe milites,Centuriones,& Duces cuiuſcumque cohortis, habent ergo eſſe à ſupremo Duce,qui illos inſtituit,vel de eius mandato inſtituuntur à maioribus Ducibus in tali gradu; tandem omnes Duces inferiores, & etiam ſuperiores, vt Duces legionum, ac Vices gerentes in tali eſſe, à primo Duce conſtituuntur; Hoc ergo eſt ve- 2. rō.

eſt verum, quòd omnes perſonæ exercitus in tali eſſe dependent à primo; tunc ſic: ergo in ordine mundi, omnia entia pendent in tali eſſe, quod habent à prima cauſa, & ita Intelligentiæ quę ſunt primæ, & vna eſt maior altera, pendent à prima in tali eſſe, ab ipſa enim habent eſſe tale, & ſic de Cælo, & de alijs, alioquin ſimilitudo non valeret; vnde ſicuti in exercitu pereunte Duce, nihil remanet; Ita in mundo ſi periret primus motor (dicebat Philoſophus) omnia perirent: nam niſi daretur ſubſtantia æterna neceſſaria (dicebat Philoſophus in 12. Metaphyſices, textu 29.) motus deſtrueretur. Hoc etiam apertè voluit innuere in illo exemplo de exercitu, & de patrefamilias, apud quē dicebat alios eſſe propinquiores, & propter hoc maioris nobilitatis, alios remotiores, & propter hoc minoris nobilitatis.

3. rō. Tertiò, Nobilius dominium eſt tribuēdum Deo, at dominium Monarchicum eſt nobilius, quam Ariſtocraticum, ergo Deo tribuendum. Sed aduerſarij ponentes omnes intelligentias eſſe incauſatas, & ſolùm quandam paruam relationem habitudinis reſpectu primæ, vt reuerentię amantes, faciunt dominium mundi Ariſtocraticum: nam in Ariſtocratia vera, Princeps ſolùm ordine eſt primus, & quadam reuerentia, ſed in uigore, & potētia, non plus valet quam alius Senator; Ita iſti dicunt de Deo; at hoc dominium ab Ariſtotele non reputatur optimum, ſed ſolùm Monarchicum, in quo tota poteſtas eſt apud Principem vnum, & hoc voluit innuere Philoſophus, dum exemplificauit de exercitu, & patrefamilias: nā apparet, quod in his eſt dominium Monarchicum, non Ariſtocraticum: dixit enim entia nolunt malè diſponi, vnus ergo Princeps.

Adducuntur aliæ rationes Scoti ad idem probandum, & dilucidantur. Cap. II.

4. rō. PRo eadem Concluſione arguit Scotus in eodem quodlib. ſic. Ariſtoteles 12. Metaphyſices tex. 36. ait, quòd Primus motor mouet vt appetibile, & amabile; modò tali motione non poteſt moue re niſi intelligentiam ſibi proximam, ergo cauſat intelligere ipſius intelligentiæ, ſed illud intelligere eſt ipſamet ſubſtantia intelligentiæ, ergo intelligentia ſecunda eſt producta. Hæc ratio eſt efficax, & melius patebit cum declarabimus modum, quò intelligentię producuntur; Pro nūc tamē ſic declaratur: Deus eſt obiectū appetibile & intelligibile, obiectum autem mouet ad intelligere ſeipſum, iſte autem actus Dei mouendi ad intelligere Dei, eſt productio intelligentiæ ſecundæ, & ſic prima intelligentia ad extra communicat ſuam bonitatem; non ergo mouet vt intelligibile, ita quod quaſi præſupponat intellectum ſecundæ intelligentiæ eſſe vti euenit apud nos, ſed ita mouet quod illa motio eſt ꝓductio ſubſtātiæ intellectualis, quæ intelligētia ſecunda dicitur, & ſic de alijs; Hic ergo eſt modus productionis intelligentiarum: & ita habet vim hæc ratio, & concludit; quia ſecundum aduerſarium iſta motio qua Deus mouet, vt intelligibile, ſiuè intelligere in ſecunda intelligentia eſt ſubſtantia ipſiuſmet ſecundæ intelligentiæ; nam ſecundum Philoſophum, intelligere in abſtractis non eſt accidens, ideò valet ratio, quia illud intelligere cauſatur à Deo, qui eſt obiectum mouens, ergo & ſubſtantia illius intelligentiæ cauſatur à Deo. Quis autem ſit iſte aduerſarius, contra quem ibi loquitur Scotus, non habetur; Marginiſtæ in illa quæſt. 7. quodlib. notant D. Thom. par. 1. quæſt. 66. art. 2. ſed ibi D. Thomas de hac re non loquitur; Caietanus libro de Ente, & eſſentia, de hac re loquitur, ſed eſt nobiſcum. Ad hanc rationem reſpondent aliqui, quòd nunquā dixit Ariſtoteles, quòd prima intelligentia ſit cauſa intelligentis, ſed intellectionis, ait enim, quòd mouet, vt intelligibile, ergo eſt cauſa intellectionis, non intelligentis, & ſic non ſequitur, quod intelligentia ſit producta. Contra verum eſt, quòd in his inferioribus diſtinguitur intellectio ab intelligente, tamen obiectum eſt cauſa effectiua intelligentis, in quantum eſt intelligens: ſed in ſeparatis à materia, idem eſt intelligens, & intellectio ſua, ita quod ſi tu concedis primum cauſare intellectionem ſecundæ, cum hęc intellectio

Reſp. aliquorum.

Reijcitur.

tellectio

tellectio ſit eadem cum eſsentia Intelligentiæ,hinc fit, quòd concedis eſsentiam ſecundæ eſse cauſatam. Aliqui alij,vt Gregorius,reſpondent,quòd concedunt Philoſophi primam eſse cauſam ſecundæ Intelligentiæ, & aliarum, vt obiectum eſt cauſa intelligentis, ſed obiectum non eſt cauſa efficiens intelligentis, ergo neque prima eſt cauſa efficiens Intelligentiæ ſecundæ,quò ad ſubſtantiam. Sed contra, obiectum eſt cauſa efficiens intelligentis vt intelligens eſt, nam obiectum eſt quòd efficit intellectionem, & nullam aliam habet cauſalitatem,niſi mouere, & efficere,ergo in ſeparatis à materia,in quibus idem eſt intellectio & intelligens,obiectum,quod eſt cauſa intellectionis,etiã eſt cauſa efficiens intelligentis, idem enim ſunt.

Reſp. aliorum. *Reijcitur.*

Sed adeſt inſtãtia ipſius Gregorij: quia prima intelligentia non producit ſecundã per ſuum intellgiere, quia intelligere primæ, eſt ſubſtantia primæ;Reſpondetur, quod primus motor Deus,non cauſat ſecundam intelligentiam per ſuum intelligere:neque hoc dicimus nos,ſed dicimus, quod cauſat ſecundam intelligentiam, & alias mouendo ad intelligere ſe,qui eſt obiectum intelligibile, & ſic dũ prima mouet,ad intelligẽdũ producit,quia illa motio eſt productio intelligentiæ, ſiue intellectionis,quæ eſt ſubſtantia, appellata ſecunda intelligentia, &c.& eatenus dicitur mouere,vt intelligibile, & appetibile, quatenus producit intellectionem ſui, quæ eſt ſubſtantia intelligens, & appetẽs ipſam primam; Aliud ergo eſt intellectio primæ, qua ſe intelligit, & aliud eſt motio qua extra ſe vt intelligibile mouet: quia nos concedimus, quod eius intellectio eſt ſubſtantia ipſius primæ, qua prima in ea eſt idem intelligens, & intellectio,& intellectum:ſed motio illa,qua,vt intelligibile extra ſe mouet,eſt productio intelligentiæ,vt infra dicam. Confirmatur:quia de ratione obiecti in his inferioribus eſt,quòd producat,excitat enim potentiam: modò obiectum illud diuinum eſt quid longè excellens, ergo actus eius & motio,debet eſſe longè nobilior, ergo debet eſſe productiuus intellectionis,quæ ſit ſubſtantia, ſi quidem hic inferius obiectum producit intellectionem, quæ eſt accidens.

Alij Reſpondent,quòd talis actio non eſt vera efficientia, ſed ſimilitudinaria, & metaphorica; Contra, omnis intellectio ſiue intelligentia quæ non eſt eadem obiecto, cauſatur ab obiecto, & non niſi effectiuè,& realiter,recipit enim eſſe ſuũ, quod eſt reale ab obiecto: ſed hæc intellectio quæ ponitur ſecunda Intelligentia, eſt diuerſa ab obiecto, quia eſt ad extra, & cauſatur ab obiecto,ergo eſt effectiuè, verè, & realiter à prima, accipiendo hic cauſam efficientem pro cauſa quæ dat verè eſſe, de non eſſe, licet ſit ſine motu, & mutatione, & ſine prioritate temporis.

Alia reſp. reijcitur.

Quintò arguit Scotus ſic; Secundum Ariſtotelẽ primus motor eſt infinitæ virtutis, & ideo non poteſt mouere immediatè, ergo mouet mediante aliqua alia intelligentia, quæ eſt finita: ſed quod eſt finitum non eſt à ſe;ergo intelligentia ſecunda eſt ab alio. Hæc ratio habet vim ex eo,quod Primus Motor eſt infinitæ virtutis,quod ſupra eſt probatum. *5. rõ.*

Sextò determinatum eſt, quod reſpectu Cæli ſunt duo mouentia, & hoc eſt verum ſiue ſuſtineat nobiſcum, quod primus motor mouet mediatè Cælum primum,ſiue cum alijs immediatè:quia habent dicere,quòd præter vnumquemque motorem aſſiſtentem cuilibet Orbi, etiã Primus Motor illis Orbibus virtute aſſiſtit:ſi enim nihil operaretur primum mouens circa orbes alios, nulla eſſet dependentia ad primum, neque inter illos eſſet ordo eſſentialis ad vnum primum, quòd eſſe falſum ſupra oſtendimus. Tũc ſic arguit Scotus. Quandocumque ſunt plura agentia eſſentialiter ordinata,aut ſecundum accipit eſſe à primò, exemplum de Cælo, & igne: nam ignis habet eſſe a Cælo;aut licet non accipiat eſſe a primo, accipit tamen aliquam influentiam, exẽplum, Baculus accipit à manu motum,vt poſſit mouere pilam; aut tertio, ambo agentia attingunt eundem effectum immediatè, ſed ordine quodam, quia primum principalius,ſecundum minus principaliter,exemplum de Patre, & Matre reſpectu prolis, ſecundum opinionem, *6. rõ.*

quòd mulier actiuè concurrat; Ad propoſitum: vel ergo hæc duo mouentia ſe habent tertio modo, & hoc eſt impoſſibile: quia tunc in æquali tempore, immò in eodem moueret virtus maior quo minor, quòd eſt abſurdum: nam in eodem ſpatio temporis mouet & Primus motor ſphæram primi mobilis, ſcilicet ſpatio 24. horarum, & illa intelligentia aſſiſtens, & ſic de alijs; Aut ſecundo modo, ſed hoc eſt inconueniens, quia illa entia æterna nihil recipiunt vltrà ſuum eſſe, eſſent enim alterabilia, ſi reciperent influentiam aliquã à prima, quæ non eſſet eſſentia earum. Hæc ergo Influentia, & virtus, non poterit eſſe aliquid aliud ab eius eſſentia; Relinquitur ergo, quod ſe habeant primo modo, & tunc habemus propoſitum. Ad hoc argumentum reſpondet Achillinus illo 2. quodlib. dicens, quòd iſtæ duæ intelligentiæ non diſtinguntur re, ſed ratione. Sed hæc reſponſio non eget impugnatione, tunc enim vnica in omnibus Orbibus eſſet intelligentia re, ſed plures ratione. Probat etiam Scotus hoc fuiſſe de mẽte Auerrois, ſed de hoc nolo diſputare, qui vult hanc rem in via Commentatoris videre, videat Zimaram quæſt. illa de triplici cauſalitate.

Reſp. Achillini reijc.

Auerroes idem ſentit.

Sept.

Septimo Scotus in primo d.8. q.5. arguit alia efficaciſſima ratione. Philoſophus in 12. Metaphyſices, tex. 52. concludit vnitatem vniuerſi ex vnitate finis: ergo omne aliud ab illo fine, tendit ad illũ vltimum finem, Hoc etiam ab omnibus aduerſarijs cõceditur, ſubinfert, quod habet cauſam finalem, habet quoque cauſam efficientem, intelligentiæ habent cauſam finalem, vt dictum eſt, ergo habent cauſam efficientem. Maior in qua eſt tota difficultas, probatur ex 5. Metaphyſ. cap. 2. quia finis nõ eſt cauſa niſi inquantum mouet efficiens ad agendum, vel dãdum eſſe alicui, propter ſeipſum finem amatum, hæc eſt Ariſt. loco citato. nam finis eſt id, gratia cuius aliquid fit; mouet ergo ſolum agens ad agendum, & ad dandum eſſe alicui, propter ſeipſum finem, adeò quod cauſalitas finis reſpectu agentis, & efficientis: quia hoc ſolum mouetur à fine; res ergo quæ ordinatur ad aliquem finem extra ſe, neceſſariò habet efficiens, quòd mouetur a fine, & producit rem ipſam ad eſſe, propter illum finem, quoniam res quæ eſt propter finem, pro tanto mouetur à fine, quia finis mouet ſuum efficiens ad dandum illi eſſe, & niſi haberet tale efficiens dans illi eſſe, non eſſet illa res ad finem; exemplum: ſanitas, vt finis mouet hominem ad ambulandum; ecce ambulatio habet cauſam finalem ſcilicet ſanitatem, ideò habet etiã efficientem, ſcilicet animam hominis facientem ambulationem ipſam, quæ anima mouetur à ſanitate. Tunc ad propoſitum omnes intelligentiæ pręter primam ordinantur ad primam vt ad finem ergo habent cauſam efficientem dantem illis eſſe propter illam primam, quę cauſa efficiens eſt poſtea ipſa prima, quia ipſa eſt finis, & efficiens. Verùm hęc ratio non videtur concludere, quia dicet aduerſarius, ex hoc nõ ſequitur, quod omne quod habet cauſam finalem, habeat efficientẽ, q̃a illud agens, quod agit propter finem, vel producit aliquid propter finem, nõ eſt factũ per talem actionem à fine, ergo à pari intelligentię mouentur quidem ad efficiendum aliud ab vltimo fine, non tamẽ ſequitur, quòd ipſę ſint effectę tali motione. Hęc reſponſio eſt nulla: quia tunc ſecundę intelligẽtię eſſent ordinatę ad primam quò ad operationẽ tãtum, non quò ad entitatẽ ſuã, at hoc eſt abſurdum, quia quò ad entitatem, & operationẽ ordinãtur ad primam, & ideò ſequitur ratio, ꝙ cum ſint ordinatę ad aliud ſecundum entitatem ſunt cauſati. Pręterea ratio Scoti conſiſtit in hac propoſitione, quòd habet cauſam finalem, factum eſt propter illum finẽ, quia finis eſt gratia cuius aliq̃d eſt, vel fit, non poteſt autem aliquid eſſe propter aliquid aliud niſi ſit poſterius illo fine, & ab aliquo efficiente ſit ei tributus ille ordo, & pendentia ad illum finem, qđ quidem efficiens efficit illã rem propter illum finem: quod autem eſt in ſuo eſſe abſque vllo fine, eſt incauſatum, & ſic eſt ſolus Deus; Tunc ergo ſic arguitur.

Quorũdã reijcitur reſp.

Si ſecundæ Intelligentiæ quãtũ ad propriã entitatẽ non ſunt effectæ propter finem, non ſunt ad finem, ſicuti nec primũ efficiens eſt ad finem, quia non ordinatur ad alium, ipſe enim eſt ſuus finis, ergo & ſecun-

ſecundæ intelligentiæ erunt finis, & non ad finem, non ergo erit vnus finis omniũ entium in mundo; & hæc eſt vera ratio Scoti. Præterea, cum dicimus efficiens habere finem, non intelligimus quòd efficiens habeat finem ita quòd illa entitas quæ eſt effectiua ſit ad finem proptèr illud efficere, ſed dicitur efficere propter finem, quia entitas quæ producitur ab ipſa eſt ad finem; vnde ſi fieri poſſet, quod efficiens produceret aliquam entitatem, quæ non ordinaretur ad aliquem finem, tunc efficiens illud non diceretur agere propter finem, quia eius effectus ad nullum finem ordinaretur: ſolum itaque illud dicitur eſse ad finem, quod habet entitatem propter aliud, omne ergo quod habet cauſam finalem, neceſſario habet cauſam efficientem, quæ cauſa efficiens propter illum finem efficit talem entitatem; Si itaque ſecundæ intelligentiæ non ſunt cauſatæ, neque habent cauſam efficientem, ſequitur, quod neque etiam habent cauſam finalem, etiam ſi ponantur producere hæc inferiora propret primũ finem, non enim ſolum quatenus efficiũt, ſunt ad finem, ſed etiam vt habent eſſe, ſunt propter finem; Vnde finis definitur 2. Metaph. textu 2. & 2. Phyſic. textu 28. quod eſt cuius cauſa aliquid fit. Prẹterea, pro tanto res dicitur habere cauſam finalem, quia propter finem habet eſſe; finis ergo dat illi eſse, ſed finis nulli rei dat eſſe ſine cauſa efficiente, ſed per cauſam efficientem, ergo, quod habet cauſam finalem, habet quoque neceſsariò efficientẽ, & ita ſi intelligentiæ habent cauſam finalem, habent quoque efficientem.

rõ formata à recẽtioribus. Hinc rationem formant quidam in hunc modum. Si Deus eſt finis rei, ergo dat rei finem: at finis, & forma ſunt idẽ: ergo ſi Deus eſt finis rei, dat formam rei, quod dat formam eſt efficiens, ergo Deus eſt efficiens.

Reſpondent argumentum concludere de fine cuius, non de fine cui, Deus eſt finis cui, non cuius.

Reſp. recentiorũ reijcit. Contra. Finis cui, eſt ſpecies finis cuius: at conditio generis cõpetit quoque ſpeciebus, ergo ſi finis cui⁹, dat eſse illi, quod eſt ad finem, etiam finis cui, dabit eſse illi, quod eſt ad ſeipſum vt ad finem; prima propoſitio probatur ex Ariſt. 2. de Anima tex. 27. vbi in vltimis verbis habet, dupliciter autem dicitur ipſum gratia cuius, & cuius, & cui. Secunda propoſitio patet: quia 2. Phyſ. tex. 27. cauſa finalis definitur ſic: finis eſt gratia cuius; ergo hæc diſtinctio non ſuffragatur. Confirmatur: quia finis cui, maximè continet rationem cauſæ finalis, eſt enim illud principale gratia cuius aliquid fit, nam finis gratia cuius deambulationis, eſt ſanitas, ſed finis cui, ſiue vltimus eſt Socrates, cui inſit ſanitas, & propter hoc Ariſtot. 2. de anima tex. 37. dixit animam eſse gratia cuius, & gratia cui, omnium inſtrumentorum naturalium; quia omnia licet habeant diuerſos fines, tamen omnes vltimatè ordinantur ad animam. Ex quo ſic arguitur per aduerſarios; finis gratia cuius, dat finem, & formam. ergo finis cui, magis dat finem, & formam: Deus eſt finis cui; intelligentiarum, ergo dat illis finem, & formam, ergò Deus eſt cauſa efficiens illarum. Præterea, ratio hæc formata, vt ſupra à Scoto, valet contra hoc: quia quod non eſt ab alio, ſed à ſe, non poteſt ordinari ad aliud, vt ad finem, implicat enim quod ſit à ſe, & ſimul ſit ad aliud.

Ad hoc valet ratio adducta à Scoto infra cap. 4. quod Deus eſt primum efficiẽs ſecundum Ariſt. & ſecundum omnes philoſoph. at nó poteſt eſſe primum efficiẽs, niſi efficiat aliquid immediatè, ergo debet aliquid efficere immediatè, iſtud non poteſt eſſe aliud, quàm Intelligentiæ, Cælũ, & materia prima, ergo omnia iſta immediatè fiũt à Deo. Minor probatur: quia ſi Deus nihil efficiat immediatè, ſed omnia mediatè: ergo non erit primum efficiens, ſed dabitur aliud efficiens prius eo, illud ſcilicet mediante quo efficiet. Et cõfirmatur: quia ſine illo primum efficiens efficere non poſset: illo autem poſito efficit, ergo primum efficiens, non erit primum efficiens. Aſſumptum in ſubſyllogiſmo probatur: quia cætera ab Intelligẽtijs, Cælo, & materia prima, producuntur à Deo mediantib. Cælo, & cauſis ſecũdis. *alia rõ prĩcipal.*

Reſpondent recentiores, falſum eſſe Deum ſecundum philoſophos præcipuè Platonem, & Ariſtotelem eſse cauſam efficientẽ, propter rationes quas infra cap.

vltimo adducemus,& ſoluemus.

Deũ eſſe cauſã efficiẽtẽ probatur

Contra, dimiſſo Platone,cui competit definitio, competit & definitũ: primo enti competit definitio cauſæ efficientis, ergo.Minor probatur ex Ariſt.2.Phyſic.tex. 27.efficiens eſt principium vndè motus : ſed ex Ariſt. & aduerſarijs Deus eſt Primus motor Cæli,ergo. Reſpondent concedendo Minorem: ſed dicunt argumentum eſſe contra nos, quia motus præſupponit mobile, ex 3.Phyſ.tex.9. ergo mouens efficienter præſupponit materiam : ergo non efficitur ex nihilo, vt eſt productio per emanationem.Contra,adducere inconueniens, non eſt ſoluere rationem; ex hac ratione habemus,quòd Deo competit ratio cauſæ efficientis: quia eſt principiũ,vndè motus, ergo falſum eſt, quod illi aſſumunt pro fundamento, quod genus cauſæ efficientis ſit cauſa dicens imperfectionem à toto genere, propter quã rationem, maximè aiunt non competere Deo,ergo non dicit imperfectionem à toto genere: ſed ſi habet imperfectionem aliquam, eſt à ſubiecto,materia, vel ratione modi efficiendi aliquorum particularium,vt inſtrumentorum , & cauſarum materialium;ſed abſolutè in ſe dicit perfectionem; & certè hoc negare, eſt negare principium naturale, nedũ Ariſtotelicum.Vndè reflecto argumentum,& oſtẽdo vim argumenti Scoti. Deus eſt principium vndè motus:ſed eſſe principium vndè motus,ex ſubiecta materia, ſiue principium vndè motus Phyſicum non dicit perfectionem abſolutè, nec primam efficientiam, ſed ſecundariã,quia præſupponit cauſam mediam aliam concurrentẽ, ſcilicet materiam, & mobile, ergo debet dari aliud principium vndè motus, & aliqua alia efficientia,quæ ſit prima,& conſequenter quæ efficiat nullo præſuppoſito,& requiſito,ad hoc, vt ſaluemus Deũ eſſe primum efficiens,& ſine imperfectione. Sed tunc aduerſarij negabunt Minorem, ſcilicet, quod Deus ſit principium vndè motus, & dicent omnes authoritates Ariſtot. quibus ait primum ens eſse primum mouens, & mouere Cælum primum,&c.intelligi de cauſa,& dependentia finali, non de efficiente. Sed contra; Certum eſt, quod Deus ſecundum Ariſt. eſt etiam cauſa efficiens horum inferiorum,cum Cælo ipſo concurrens;vndè iſti recentiores concedunt Deum,vt applicatum Cælo, eſse cauſam æternitatis in generatione, & hoc modo intelligunt illud ex primo de gener.tex.14.vbi Ariſt.etiam ex confeſſione Alex. Aphrodiſæi fatetur Deum eſse cauſam effectricẽ motus æterni corporis.Tunc ſic: Deus eſt cauſa efficiens nõ prima,ſed ſecundaria,& efficit, quia aliud efficit, ſcilicet Cælum : ergo Deus in genere cauſæ efficientis efficit, ſed non primo,at ſecundariò,& mediatè, quòd eſt apertè abſurdum:quia primum ens penderet ab alijs in efficiendo, & operando, quod eſt abſurdum, & hic locus eſt valdè obſeruandus: quia eodem 1. de generat. tex.14. apertè dicit primum ens immobile,eſse cauſam vndè motus æternæ generationis, non enim dicit eſse cauſam finalem Cæli,& Intelligentiarum, & illas poſtea efficere generationem:ſed ait apertè Primum mouens immobile, eſse cauſam vndè motus, id eſt efficientem & generationis; & quod magis vrget, eſt, quia ſubiungit, quod diſtinguere de immobili principio,pertinet ad primam philoſoph.ſignum eſt ergo, quod cauſa efficiens dicitur de principio alio modo quã in his inferioribus, & ideo nos rationabiliter diſtinguimus efficiens in efficiens per motum,& mutationem, & in efficiẽs per emanationem.Cõfirmatur ex 12.Metaph.tex.38.& alijs in Metaph.vbi appellat primum ens principium primum, & dicit ceſsante eius motu,nihil moueri poſſe,ergo motus illius eſt cauſa efficiens prima omnium entium iſtorum cauſatorum ſimul cum Cælo : at niſi habeat alium modum efficiendi ex ſe ſolo non erit primum efficiens independens; ſed dependet à Cælo in efficiendo, & ſic non erit ſibi ſufficientiſſimum, nec verum erit ipſum nullo indigere, vt dicebat primo de Cælo tex. 100. vt videbimus, ſed egebit Cælo,& cauſis ſecundis, quod eſt abſurdum,& contra Philoſophum ipſum.

Confirmatur.

Hoc idem repetit 12.Metaph. tex. 55. & 56.nam cũ tex.52.oſtenſtiſset dari vnũ primum principium vniuerſi,& illud declaraſset exemplo familiæ, & exercitus, oſtendit in textibus ſequentibus, quàm rationa-

rationabilius alijs antiquis hanc doctrinam tradiderit, & præſertim, quod poſuit hoc vnum primum principium dari, ad quod omnia, & à quo omnia pendeant; & quia potuiſſet aliquis obijcere, quod etiam Anaxagoras poſuit intellectum eſſe primum principium, quia dixit, quod quidem intellectus primus mouet omnia. Reſpondet philoſophus, quod rectè Anaxagoras poſuit primum principium mouens eſſe intellectum, tamē deficit, quia hoc non declarauit benè, abſolutè enim hæc ſententia prolata eſt falſa; quia ſi primus intellectus mouet, non poterit eſſe primum principium, quia omne mouens propter aliud mouet, ſcilicet propter finem: ergo primus intellectus habebit aliud principium ante ſe, & ſic non erit primum principium; ſubiungit deinde Ariſt. Si autem Anaxagoras intellexiſſet vti ipſe Ariſt. ſcilicet, quod moueat non propter aliud diſtinctū a ſe, ſed propter ſemetipſum, ita quod ipſe intellectus ſit mouens, & motum, ſicut eſt intelligens, & intellectum, recte dicit, & dat exemplum, dicens: medicina eſt quodammodo ſanitas ipſa, quia medicina eſt forma quodammodo ſanitatis, inducit enim ſanitatem. Vndè Alexander Aphrodiſęus ibidem in Commentario dicit, quòd ſi Anaxagoras in hunc modum de intellectu primo diſſeruit, vt idem faciat mouens, idem cuius gratia mouet, & omne, quod mouet gratia ipſius, rem motam mouere dicat, rationi conſentanea dicere videri poſſit; ergo ex Ariſt. & Alexandro primus intellectus eſt ſimul vltimus finis, & primum efficiens, quod omnia propter ſemetipſum mouet, & hic locus eſt multum notandus.

Præterea, ibidem paulò inferius ait, quod tā ij philoſophi, qui poſuerunt duo principia quam ij, qui poſuerunt formas, coacti ſunt ponere aliud principiū prius: quia non poteſt haberi, quomodo materia fiat particeps Idearum, niſi ſit aliquod principium efficiens, quod moueat materiam, & defluxum à formis in materiam, illud autem primum principium ait Alexander ex Ariſtotele eſt hic primus intellectus, qui eſt principium primum. Ex hoc loco habetur expreſsè, quod primū immobile eſt primum efficiens; idem habetur in verbis ſequentibus, quibus ait, niſi vnum principium primum, incorporeum, & intelligibile, quod ſit principiū omnium, ponatur, non poterit ſaluari ordo vniuerſi, nec generatio, nec cæleſtia corpora: quia dabitur proceſſus in infinitum in principijs, vt dixerunt quidam antiqui, quod tamen eſt abſurdum; patet autem, quod loquitur de principio effectiuo, vt patet ex expoſitione ipſius Alexandri Aphrodiſæi, vel Egei, vt alij volūt, verba autem tex. ſunt hæc; Præterea, ſi non ſint alia præter res ſenſibiles, non erit principium, nec ordo, nec generatio, nec Cęleſtia corpora erunt, ſed ſemper principium principij erit, vt Theologis omnibus naturalibus accidit.

Tandem eodem textu vltimo reprehendit Pithagoricos, eo quia poſuerunt numeros eſſe principia rerum: quia ſi illud eſſet verum, non vnum eſſet principium omnium rerum, ſed multa, & diuerſa, & ſic res non poſſent rectè vniri inter ſe; neceſſe eſt ergo ait Ariſt. ponere vnum principium omnium, vt nos poſuimus: quia entia nolunt malè diſponi, malè autē diſponerentur, ſi eſſent plura principia prima: ergo vnus princeps, & vnum principium eſt ponendum: clarum eſt autem, quod Pithagorici ponebant numeros eſſe principia efficientia: ergo dum loco illorum numerorum Ariſt. ponit vnum principium immobile, loquitur de principio non ſolum finali, ſed efficiente.

Multæ aliæ rationes adducuntur ab alijs, & ab eo, ſed hæ mihi videntur potiſſimæ. Franciſcus Piccolomineus in ſuo libro 4. de Creatione, multa dicit contra hanc ſententiam: ſed tamen in noſtram ſententiam deuenit reipſa, vt patet ex dictis ab eo in cap. 5. illius libri, ſolum diſcrepat verbis. Hęc eſt ergo opinio Philoſophorum, quòd entia neceſſaria præter primum, ſunt cauſata; neque apud illos hoc implicat contradictionem: quia exiſtimant primum agens agere neceſſariò, & conſequenter dare illis entibus eſſe neceſſariò, & propter hoc ſuſtinent æterna eſſe cauſata.

Explicatur modus productionis Intelligentiarum ſecundum Ariſt. Cap. III.

QVò ad modum productionis Intelligentiarum, ſunt duo modi dicendi præcipui, vnus verus, & eſt Ariſt. quem explicauit Auerroes, & Zimara Theoremate 12. Alius eſt Auicennæ, qui in modo productionis concordat cum Ariſtot. & Auerroe, ſcilicet, quòd non producuntur iſtæ Intelligentiæ per motum, & mutationem, ſed per emanationem: at differt in ordine, quia Ariſtot. voluit, quòd omnes proueniant à prima, Auicenna voluit, quòd vna ab altera proueniret, & à prima ſolum vnicam prouenire: ſed in hoc errauit; Videamus ergo modum verum, & ordinem productionis Intelligentiarum, quem probat Scotus quoque in illo ſeptimo quodlibeto: nam licet re vera modus, quo intelligentiæ, & alia entia efficiuntur à Deo, in via philoſophorum ſit valdè difficilis ad explicandum: vndè Auer. 11. diſput. in ſolutione primi dubij, (quod etiã declarat Zimara Theor. 12) dixit eſſe verum ſecũdum Peripateticos, quod entia procedunt à Deo, ſed modo altiori quàm ſit natura, & quàm humana voluntas: ſed iſte modus clarè non poteſt comprehendi niſi ab ipſo; attamen rationabilius ex dictis ſuis ſimul cum ratione philoſophantes, ſic poteſt explicari. Neceſſe eſt ſi prima Intelligentia habet aliquam efficientiam, vt diximus, hanc eſſe emanationem, neceſſe eſt enim, quod efficiat, & producat, veluti obiectum intelligibile producit, & efficit intellectionem de ſe, hæc enim eſt productio, & cauſatio ſpiritualis, quæ tamen dat verũ eſſe reale, quoniam producit rem de non eſſe, ad eſſe reale, & hoc cõfirmatur: quia dixit Ariſt. quòd primum mouet, vt appetibile, & intelligibile, itaque ſi mouet, mouet, & efficit in ratione obiecti, quot ergo modis mouet immediatè, tot producit Intelligentias, quia vnuſquiſque actus talis, eſt vna Intelligentia: nam ſicuti obiectum intelligibile apud nos dum mouet intellectum meum, producit vnam intellectionem, ſed dum mouet alium, aliam intellectionem producit: ita quod quot actus mouendi habet, tot producit intelligentias, quia vnuſquiſque motus eſt vna intelligentia: ita primum appetibile quot motiones efficit, tot intelligentias producit, differt in hoc ab obiecto noſtro: quia obiectum apud nos, ex ſe non ſufficit producere perfectè intellectionẽ, ſed ipſum ſimul cum intellectu, tamen quantum eſt ex ſe, producit ſuam intelligentiam, ſed obiectum illud diuinum cum ſit excellentius, producit intelligentiam perfectè per ſeipſum abſque alio intellectu, & hæc eſt diſtincta ab ipſo, & eſt ſubſtantia quæ, appellatur ſecunda intelligentia, &c. Vndè etiam adeſt alia differentia, quòd obiectum apud nos præſuppонit intellectum in eſſe, ſed obiectum diuinum, quod eſt primum, non præſupponit intellectum vllum alterius intelligentiæ, ſed per talem actum mouendi producit intelligentiam, quæ eſt ipſa ſubſtantia ſecunda intelligens, & quot motiones efficit, tot intelligentias producit. Vndè non eſt imaginandum, quòd intelligendo ſe, producat alias intelligentias, vt ait Bacconus, quia, intellectus, intelligere, & intellectio, ſunt idem, in prima, & in abſtractis à materia, & ſic prima produceret ſemetipſam, & ſecunda intelligentia eſſet idem realiter cum prima, quod eſt falſum; Hæc verò ſecunda intelligentia pro tanto intelligit primam, pro quanto intelligit ſeipſam, quæ eſt ſimilitudo, & imago primæ, & ſic cognoſcunt omnes per ſuam eſſentiam, & ita cognoſcunt primam intelligentiam, quia cognoſcunt ſeipſas, quæ ſunt imagines ipſius: vnaquęque autem inferiora cognoſcit, quia cognoſcit ſe, quæ eſt quoquo pacto cauſa illorum, ſiue pro tanto, quia cum ſit perfectior alijs inferioribus, quoquo pacto illas in ſe continet eminenter; non tamen ita perfectè ſicuti prima, & ita apparet quomodo intelligentiæ ſic ſe habent, quod in vnaquaque intellectus, intellectio, & intelligens, ſunt vnum, & idem.

Bacconus reijcitur.

Sed aliquis dicet: non eſt intelligibile, quod obiectum ſolum producat intellectionem, & moueat vt appetibile, & intelligibile, non præſuppoſito concurſu alicuius intellectus ſui, vel alterius: vnde

videtur probabilior modus Bacconi, neque Scotus in illo quodlibeto hũc modũ damnat. Reſpondetur: quod non poſſumus dicere concurrere ad cauſalitatem huius intelligentiæ intellectum Dei, neque aliarum intelligentiarum, propter rationes dictas nunc; cogimur autem dicere, quod cauſat intelligentias per emanationem, hęc emanatio eſt per aliquem modum, & nullus videtur accommodatior iſto; Vndè ſicut radij emanant naturaliter à Sole, nulla alia cauſa concurrente; ita intelligentiæ emanant à Deo, nulla alia cauſa concurrente; iſta autem entia dicũtur intelligentiæ, ergo debent produci eo modo, quo intelligentia producitur, illa producitur partim ab obiecto, partim ab intellectu in nobis: ibi autem cũ non poſſit concurrere intellectus, dicendum eſt produci per emanationem à ſolo obiecto. ſicut radius à Sole, & hunc eſſe eius modũ producendi naturalem: & hic modus dicendi eſt Auerrois, vt declarat Zimara pulchrè, allegato Theoremate 12. qui etſi ſit difficilis, eſt tamen rationabilior, ſuſtinendo efficientiam in primo motore, quã iam ſupra, & auctoritatibus, & rationib. efficaciſſimis probauimus.

Intelligentias effici à prima adhuc probatur. Et confirmatur nunc quoque, intelligẽtiæ omnes ſecundum aduerſarios pẽdent à prima tamquam à fine; Tunc ſic: Quidquid eſt propter aliud, non eſt propter ſe: ſed quod habet pro cauſa finali aliud à ſe, non eſt propter ſe, ſed propter illud aliud, ad quod tamquam ad finem ordinatur, ergo quidquid ordinatur ad aliud tamquam ad finem, non eſt propter ſe. Maior eſt euidens ex terminis, oppoſita enim implicat contradictionem; Minor quoque patet, repugnat enim q̃d aliquid ordinetur ad aliud tamquam ad finem, & tamen ſit propter ſe; tunc ſubſummo, ſed quidquid nõ eſt propter ſe, ſed ꝓpter aliud, non habet ex ſe eſſe, ſed habet illud ab alio: ergo intelligentię, nõ habent eſſe à ſe, ſed ab alio; Aſſumptũ probatur: quia circumſcripto illo, propter quod ſunt, nõ habent eſse; hoc probatur: quia circũſcripta cauſa per ſe alicuius rei, res illa nõ habet eſse, finis eſt cauſa per ſe illiꝰ cuius eſt cauſa, ergo ablato fine, illud quod eſt ad finem, non eſset: ſequitur ergo, q̃d ablata prima intelligentia, nõ eſſent ſecundæ, ergo ſecundæ eſse ſuum non habent à ſe, ergo habent eſſe cauſatum, & dependens efficienter ab alio: quia ſi non habent eſſe à ſe, habent illud ab alio, hoc autem eſt effici ab alio.

De inæqualitate. De inæqualitate eſt difficultas, propter quam cauſam videlicet ſint inæquales, & quo ad hoc eſt reſpondendum, quod proueniunt à prima ordine quodam, omnes quidem proueniunt immediatè, tamen non in eadem perfectione, quia entia non poſsunt æqualiter participare eſse diuinum; Vnde ait 100. Cæli, quod ab ipſo cõmunicatum eſt eſse, his quidem clarius, his verò obſcurius; Vnde ſe habent ſicut numeri: nam ſicut omnes numeri proueniunt ab vnitate, ordine quodam, ita entia illa æterna à quibus poſtea hæc omnia inferiora cauſaliter emanant.

De pluralitate. De pluralitate cur tot ſint, & non plures, non habemus cauſam à priori, ſed à poſteriori, & eſt: quia nõ ſunt plures ſphęrę, & quia primum agens eſt neceſsariũ, operatur entia, quæ ſunt neceſsaria ad regimen mundi, & ideò tot producit intelligentias, quot Orbes neceſsariò mouendi ſunt; Hinc etiam vnum Cælum, & vna materia, & non plures dantur. *Opin. Auicẽnæ.* Hinc patet defectus opinionis Auicẽnę: quoniam prima Intelligentia non habet alium modum mouendi, niſi vt appetibile, & deſiderabile: manifeſtum eſt autem, quod à tali obiecto plura prouenire poſsunt immediatè, nam vnum obiectum plura mouere poteſt, & ita ruit fundamentum Auicennæ, quod erat illa propoſitio. Ab vno, in quantum vnum, non prouenit niſi vnum, ea enim non eſt abſolutè vera: ſed debet ſic gloſsari, ab vno in quantum vnum ſecundum eſsentiam, & virtutem, non prouenit niſi vnum: ſed ab vno in quantum vnum ſecundum eſsentiam, & non ſecundum virtutem, poſsunt prouenire plura, vt eſt in propoſito. Scotus autem 4. Sentent. diſtinct. 1. quæſt. 1. Reſpõdet ad rationes pro Auicenna, & dicit, quòd hęc propoſitio ſi intelligatur de omnino vno in re, eſt falſa: quia ab vno omnino in re operãte per intellectum, & voluntatem, poſsunt prouenire multa, dũ modo habeat diſtinctam cognitionẽ cognito-

gnitorum: Angelus enim ſecũdum Theologos, diuerſas intellectiones producit, quæ gloſſa non repugnat primæ, ſed illa propoſitio recipit vtrãque; quod verò ait Zimara, hanc gloſsam non eſſe ad mentem Peripateticorum, quia illi nolunt, ꝙ Intelligentiæ intelligãt aliud à ſe; pro nũc dico, quòd Scotus tunc loquitur ſecundum Theologos, tamen ſufficit quod illa propoſitio non eſt vera niſi cum gloſſa illa, licet probatio Scoti ſit Theologica, nos poſſemus varias probationes naturales adducere, ſed in re clara non oportet immorari, probent ipſi.

Explicatur quod detur, & quomodo detur Creatio in via philoſophorum. Cap. IV.

SCotus de hac re loquitur in 2. Sent. d. 1. q. 2. in principio, & etiam Zimara 12. Theoremate, & quæſtio. de triplici cauſalitate. Piccolomineus in duobus lib. de Creatione. Pro intelligentia ſciendum eſt, quod creatio eſt productio alicuius rei de nihilo in effectu; & de hoc conſentiunt omnes Theologi, licet diuerſi varijs verbis illam aſſignent, eſſentia enim creationis conſiſtit in hoc, quod eſt productio rei in eſſe reale de nihilo, ſiue nulla alia re præſuppoſita, per quod diſtinguitur à generatione, & alijs mutationibus, quia generatio ſemper præſupponit aliquod ſubiectum, ex quo ab agente generante res generata educitur: at quod creatur, ex nihilo penitus producitur; hoc exactè declarat Scotus in 2. Sent. d. 1. q. 2. & hoc idem ſonat illa definitio quam aſſignat in eadem diſt. q. 3. reſpondendo ad ſecundum principale, dum dixit Creatio eſt productio totius creati in eſse, non præſuppoſita aliqua parte eius. Franciſcus Piccolomineus primo libro de Creatione, cap. 1. reprehendit hanc definitionem: quia videtur competere productioni omnium formarum, quia omnis forma adeò tota producitur, vt nil eius anteceſserit, ideoq. dicit ipſe eſse aſſignandam talem definitionem. Creatio eſt actus perfectus creatoris, quo creabile ex non eſse penitus conſtituitur in eſse. Ratio huius definitionis eſt: quia creatio habet commune cum motu, quod ſit actus: diſtinguitur poſtea in reliquis, quia motus eſt actus imperfectus, creatio verò eſt actus perfectus, & tota ſimul. Verum, vt breuiter agam, res enim Theologica potius eſt quam Phyſica. Pro determinatione præſentis ſpeculationis, obiter pro nunc dico, quod definitio communis Theologorum eſt rectè aſſignata, illa verò Piccolominei eſt ſatis vana, neque explicat eſsentiam creationis, falſum eſt enim quod Creatio conueniat cum motu in actu, quia actus qui ſumitur in definitione motus, ſignificat viam ad perfectionem, & ſignificat viam entis imperfecti, tendentis ad perfectionem; Vndè motus dicitur actus mobilis, vt mobilis, & entis in potentia, ita, quod actus qui accipitur in motu, eſt progreſſio, & via ipſius entis in potentia, adeò ꝙ talis actus præſupponit ſubiectum aliqđ, ſcilicet illud ens potẽtiale tendens ad perfectionem: at Creatio non eſt via, neque progreſſio aliqua alicuius entis, ſed pura productio entis realis ex nihilo ſimpliciter facta à creante. Ad rationem in oppoſitum, dico, quòd omnis forma materialis, quæ continuo generatur, educitur de potentia materiæ, & ſic aliquid ſui præſupponitur, ſcilicet materia, at quod creatur, nihil ſui præſupponi debet, neque in ſe, neque in alio, ſed fit ex nihilo penitus.

Quid ſit creatio. *Picc.* *Reijcitur.*

Eſt etiam obiter alia difficultas determinanda, quam pertractat Franciſcus Piccolomineus primo libro de Creatione, cap. 3. ſcilicet An creatio ſit mutatio; quo in loco imponit Scoto, quod dixerit creationem ſimplicium, vt Animæ, & Angelorum, non eſse mutationem, ſed creationẽ compoſitorum, vt terræ, ignis, &c. eſse aliquo modo mutationem.

An creatio ſit mutatio.

Sed Franciſcus Piccolomineus nõ rectè percepit Scotum. Sciẽdum eſt ergo, quòd vt inquit ipſemet Scotus, in 3. diſt. 11. q. 1. in corpore quæſiti A. creari, & creatura, duobus modis poteſt accipi, ſcilicet ſtrictè, & generaliter, ſtrictè, creari illud dicitur, quod de nihilo penitus immediatè a Deo producitur, & ſic Angelus, Anima, gratia, &c. dicuntur Creaturæ Dei, & productio iſtorum in eſse, eſt creatio ſtrictè dicta. Creari verò generaliter eſt, quod recipit eſse quidem à primo efficiente de nihilo, at nõ immediatè, ſed mediatè ſcilicet,

Reijcitur.

licet, quoniam habet eſse ex materia, quæ primo à Deo immediatè fuit producta ex nihilo, & ab efficiēte, quod etiam habuit eſse a primo immediatè, & ſic animalia, plantę, &c. quę modo ſunt in mundo cōmuniter dicuntur Creaturę, quoniam licet non proueniant immediatè à Deo ex nihilo, ſed per generationem ab alijs, & ex alijs, tamen habent habitudinem ad primum, à quo illa immediatè habuerunt eſse, ex quibus illa producta ſunt. Modò ad propoſitum, quando Scotus in 2. Sent. diſt. 1. q. 5. reſpondendo ad quintum, dicit, quod nulla Creatio eſt mutatio, vel ſaltem creatio ſimplicium, non eſt mutatio; & facit hāc diſtinctionē, & ponit differētiam inter creationem rerum ſimpliciū, & compoſitarum, reſpicit id, quod diximus, quia creatio ſtrictè, & propriè accemus, quia creatio ſtrictè, & propriè accepta, vti eſt productio animę, non eſt mutatio, propter rationē quam ibi aſſignat, quæ eſt: quia in tali productione res non mutatur, neque tranſit de vno eſse ad aliud eſse; neque a potentia reali, ad actū, quia prius non fuit ſub materia, & poſtea ſub forma: ſed primo recipit totum eſse, tranſiens à pura negatione ad eſse reale, & ſic vniuerſaliter eſt dicendum de Creatione propriè loquendo. Hęc eſt opinio Scoti, vt patet ex his, quę dicit in illo 2. Sentent. diſt. 1. queſt. 2. in corpore, vbi eſt proprius locus; loquendo verò de Creatione ſecundo modo, poſsumus dicere, quòd iſta eſt mutatio: quia productio illarum rerum eſt per generationē, vnde tranſeunt de potentia reali ad actū, & prius habent eſse in materia: deinde per formam; & licet in ſe non prçexiſtat, præexiſtit tamen in ſua materia, & nouiter actuatur per formam aliam ab agente; Sed his dimiſſis, de quibus diffusè in Theologia aliàs diſputabimus. Pro intelligentia, an Philoſophus conceſserit Creationem, accipiendum eſt, quòd creare eſt producere aliquid de nihilo in effectu, vt diximus; & in hac definitione omnes conueniunt: illud autem (de,) vt inquit Scotus in principio illius ſecundæ quæſtionis primæ diſtinctionis ſecundi, poteſt duplicem habere ſenſum: vel enim dicit ordinem naturæ, vel durationis; primo modo facit hunc ſenſum; Creatio eſt productio de non eſse ad eſse, ita quod non eſſe, ſolum præſupponitur ipſi rei productæ; non tamen notatur, quòd per aliquod tempus non eſse, præexiſtat rei effectæ; exemplum eſt de Sole, & radijs, nā non eſse radiorum, ſolum natura præcedit eſse ipſorum radiorum, non autem tempore. Secundo modo facit hunc ſenſum; creatio eſt productio de non eſse, ad eſse, ita quod non eſse ſimpliciter, per aliquod tempus præceſſit eſse. Ad propoſitum ſecundo modo, Philoſophi non concedunt Creationem: quia ſecundo modo eſt creatio temporalis, & ipſi tenent mundum eſse æternum. Adducit Scotus talē rationem ad hoc: Deus de mente Philoſophorum eſt agens neceſsarium, ideo poſito Deo, ſtatim ponitur operatio, ergo res habuerunt eſse ſtatim, & ſic eſse Dei, non præceſſit non eſse creaturarum per aliqđ tempus, quia nullum fuit tempus in quo mundus, & aliqua res non eſset: & in hoc Philoſophi diſcordant à Theologis; Quo ad primum modū Scotus ſuſtinet, quòd Philoſophi conceſserint creationem. Senſus Concluſionis eſt hic; Philoſophi conceſserunt res habere eſse poſt non eſse ſimpliciter, ita quod prius habuerunt nō eſse, quàm eſſe, non quidem prius tempore, ita quod per aliquod tempus exſtiterit non eſſe rei, ante ipſum eſſe rei, ſed ſolummodo primitate naturæ præſupponitur non eſſe, ad eſſe, ſicuti dictum eſt, quod Sol præcedit radios non tempore, ſed primitate naturæ; vnde ſol dat eſſe radijs, & tamen ſunt ſimul tempore cum Sole; Scotus ergo primo adducit rationē Aegidij ad hoc, & illam confutat; deinde ipſe Scotus ſic arguit: Deus poteſt immediatè aliquid efficere, & cauſare, ergo poteſt creare. Antecedēs probatur: quia Deus eſt primum efficiens ſecundum omnes Philoſophos, ergo ſi non poteſt immediatè aliquid cauſare, & efficere, tunc nec etiam mediatè, quia tunc ille non eſſet primum efficiens, ſed illud aliud, quo mediante efficeret; Eſt ergo dicendum, quod aliquid immediatè efficiat, alioquin non eſſet efficiens: nam circumſcripto illo alio, non eſſet efficiens; conſequentia verò probatur: quia illud quod recipit eſſe à primo efficiente, nō eſt ex ſe formaliter neceſſa-

An philoſoph⁹ cōceſſerit creationem.

Quo philoſophi cōceſſerint creationē.

1. rō. Scoti.

neceſſarium, & habet eſſe a cauſa, ergo habet eſſe poſt non eſſe, poſterioritate naturæ, ergo eſt creatum; probat etiam, quod agat immediatè nullo præſuppoſito: quia omne aliud ab eo eſt cauſatum, & productum, ergo in illa prima productione, & efficientia immediatè, & nullo præſuppoſito egit, & effecit, ergo creauit; Quod ſi dicatur ab aduerſarijs, quod Deus non agit immediatè, ſed præſuppoſito Cęlo, & Intelligentijs, & materia prima, quæ ſunt incauſabilia, & ingenerabilia, hoc nunc impugnatum eſt: quia oſtendimus Intelligentias, Cælum, materiam primam, & omnia entia neceſſaria, prouenire immediatè a Deo.

Tota hæc quæſtio pendet ab hac propoſitione: Omnia præter Deum ſunt cauſata ab ipſo Deo, quia hac exiſtente vera, etiam eſt verum, quod primum productum fuit productum nullo præſuppoſito, & conſequenter fuit creatum, illa autem propoſitio iam probata eſt in ſuperioribus.

Rationes in contrarium explicantur, & ſoluuntur. Cap. V.

1. rō GRegorius de Arimino 2. Sent. d. 1. q. 1. arguit contra hanc poſitionem per duo fundamenta. Primum eſt, quòd ex nihilo nihil fit, in hoc enim conueniũt omnes, qui de Natura loquuti ſunt, vt ait Philoſophus 1. Phyſ. tex. 34. Secũdum eſt, quòd motus Cęli nunquam recipit eſſe, vt patet ex 8. Phyſ. His ſtantibus, probatur, quod entia æterna alia à Primo motore non ſint facta, vt eſt materia prima, Cælum, & Intelligentiæ; primo de materia, quia ſi materia eſſet facta, materia eſſet antequam eſſet, per primum ſuppoſitum: quia ſi facta eſt, opus eſt quod ſit facta ex alia materia, & hæc eſt argumentatio Ariſt. 1. Phyſic. textu 82. & 12. Metaph. tex. 12. vbi probatur, quod materia eſt ingenerabilis; Hæc eadem ratione probat de Cælo, quia tunc Cælum eſ-
2. ſet factum ex nihilo, & ſimiliter Intelli-
3. gentiæ. Secundo Cælum non eſſet æter-
4. num, quod eſt contra ſecundum ſuppoſitum. Confirmatur ab alijs, quia tunc Cęlum eſſet poſſibile, & ſic eſſet corruptibile, Item cui non competit ratio, & definitio cauſæ efficientis, neque etiam cauſa efficiens, at Cælo non competit ratio cauſæ efficientis, quia ex 2. Phyſ. tex. 29. Cauſa efficiens eſt vnde motus: at Prima Intelligentia reſpectu æternorum, non eſt vnde motus, quia illa non producitur per motum. Item æterna haberent potētiam, quia quod eſt poſſibile, & effici poteſt, habet potentiam, ergo in æternis, vt ſunt Intelligentiæ, eſſet potentia, quod eſt con- 5.
tra Philoſophum in 12. Metaph. tex. 30. & inde. Itẽ de eo quod producitur verũ eſt dicere quod producitur; vel fuit verum dicere, quod aliquando producitur, 6.
tunc ſicut entia æterna producuntur quã do ſunt, aut aliquando producuntur, & non ſemper, non ſecundum: quia non fuiſſent ſemper, ſi aliquando producuntur; neque primum, quia tunc eſſent ſemper in fieri, & ſic nunquàm eſſent perfecta. Item 12. Metaph. textu 42. ait Ariſt. 7.
Vtrum vna, vel plures ſint tales ſubſtantiæ, ergo ſi prima eſt improducta, & reliquæ multæ. Aliæ ſimiles ſunt rationes, quibus inixi Gregorius de Arimino, Baconus, & Henricus de Gandauo, ſuſtinẽt, non dari productionem in æternis.

Contra hanc ſententiam arguit ex aliorum opinione Scotus. Primò ſic. Intelligẽ 8.
tiæ ſecundum Philoſophum ſunt formaliter neceſſariæ, ergo non ſunt cauſatæ. Secundò, quod eſt cauſatum eſt de ſe poſ 9.
ſibile eſſe, & eſt non ens, at Intelligentię ſunt ſimpliciter neceſſe eſſe, ergo non ſunt cauſatæ, quia Ariſt. poneret contradictoria. Tertiò, Franciſcus Piccolomi- 10.
neus lib. 2. de Creatione cap. 3. ſic arguit. Creatio expoſuit vim infinitam Creatoris, Ariſt. immenſam Dei virtutem nõ nouit, ergo. Item quòd non poteſt fieri non 11.
poteſt factũ eſſe, at non poteſt fieri Creatio noua: quia illa non datur, ergo neque æterna. Quintò, Ariſt. probauit materiã, 12.
& mundum eſſe æternum, ergo iſtæ oſtenſiones eſſent inanes. Sextò ponere crea- 13.
tionem æternam, eſt dicere pugnantia; Probatur: nam omnis creatio expoſcit aliquod creatum primum, ſi ergo ab æterno humana ſpecies exempli gratia, manauit ex Deo, vel datur aliquis homo primus qui manauit à Deo, vel conſimiliter ſe habet de

bet de omnibus, eſt euertere Creationẽ, quia modo homines non creantur, ſed gignuntur; Dicere vero dari primum hominem creatum, eſt euertere emanationem æternam, quia in æternitate non datur primum, nec ſecundum; Hanc rationem arbitratur magni ponderis; Reliquæ rationes adductæ ſunt à Gregorio, & alijs.

Solu. Pro ſolutione iſtarum rationum, & omnium, quæ fieri poſsunt, notandæ ſunt duæ diſtin. *Prima diſtinct.* Prima eſt, quod duplex eſt agens, ſcilicet alterum per motum, & mutationem & alterum per ſimplicem emanationem, ſicuti dicimus ſolem producere radios ſolis, non per mutationem aliquam, ſed quia quodammodo ab ipſo emanant, ſicuti etiam accidentia a ſubiecto, & ſatis compertum eſt, quod omnes dicunt ſolem eſse cauſam efficientem radiorum ſuorum, & ſubiectum accidentium, eſt ergo vera talis diſtinct. de agentibus; *2. diſtinct.* Secunda diſtinct. eſt, quod agens producens effectum duobus modis poteſt præcedere, vel tempore, vel natura: tempore, vt ſunt agentia per motum, vt pater generans filium: natura verò vt agentia per productionem, & emanationem, vt ſol reſpectu radiorum ſuorum. Tunc ad propoſitum dico, quod cum dicimus nos æterna eſse producta, non intelligimus, quod ſint producta per motũ, & mutationem, neque dicimus quod agens primum, vt puta, Deus, tẽpore præceſserit illa entia æterna, ita quod per aliquod tempus præextiterit eorum non eſſe, ſed dicimus, quod producta ſunt per emanationem, ſicuti radij ſolis à ſole, & quod agens præceſſit illa non tempore, ſed Natura, ſicuti ſol radios, & ita non eſſe, pręceſſit eſſe, natura, non tempore: omnes autem obiectiones probant, quod æterna non ſint facta, & producta productione quæ eſt per motum, & mutationem, & quod agens non præceſſit tempore illa entia, quæ nos concedimus, non tamen probant, quod non ſint producta ſecundo modo.

Ad primam rationem. Tamen applicando omnia ad propoſitum ad illa duo ſuppoſita Gregorij. Ad primum ex nihilo nihil fit, Reſpondetur, verum eſt factione, quæ eſt per motum, & mutationẽ, & de hac loquebatur Philoſophus in 1. Phyſ. & in 12. & in hoc omnes antiqui conueniebant: tamen fallit de actione, quę eſt per emanationem, & quo ad hoc nõ conueniebant omnes antiqui: quia hanc conceſſit Plato; & ſic patet, quod materia eſt ingenita, & æterna, & Cælum eſt æternum: quia non eſt generabile tali generatione, & ſic etiam Intelligentię. Ad ſecundum ſuppoſitum Motus Cæli eſt æternus, ergo Cęlum nunquàm eſt factum, quia fuit ſemper; dico, quod eſt æternum in duratione, & numquam fuit aliquod inſtans temporis, in quo non fuit, & de hac duratione concludunt rationes Ariſt. non tamen ſequitur, quod in aliquo inſtanti naturæ non fuerit, cũ habeat efficiens, à quo dependet in eſſe; & per hoc patet ad ſecundam, nego enim, quod Cęlum non ſit ęternum. Ad tertiã dico, quod id quod eſt poſſibile poſſibilitate quę correſpondet generationi per motum, & mutationem, eſt corruptibile, ſed quod eſt poſſibile poſſibilitate, quæ correſpondet emanationi non eſt corruptibile, Cælum eſt poſſibile ſecundo modo, non primo. Ad quartam dico, quod ibi definit efficiens, vt eſt in rebus generabilibus, & corruptibilibus; vel quod efficiens eſt vnde motus, adeo quod motus accipitur pro ipſa actione, ita quod eſt ſẽſus, quod illud eſt efficiens à quo eſt actio dans eſse, & ita motus ibi accipitur in communi ad motum verum, & ad metaphoricum, qui eſt hic motus emanationis. *Ad 4.* Ad quintam, negatur conſequentia, quia potentia eſt ſolum in illis quæ producuntur per motum, & mutationem, & hanc negat: ſed potentia pro non repugnantia, vt eſt in Intelligentijs, non negatur ab illo, quia hæc non eſt cauſa corruptibilitatis. *Ad 5.* Ad ſextam dico, quod entia æterna aliquando ſunt producta, ſed hoc aliquando fuit ab æterno, & ſic non ſequitur quod aliquando non fuerint, ſed ſemper ſunt, & fuerunt modo prædicto. *Ad 6.* Ad ſeptimam dico, quod illud verbum, tale, refertur ad vltimam concluſionem, ſcilicet, An vna vel plures ſint ſubſtantiæ inalterabiles, & incorruptibiles, quod ſi tu illud referas ad aliam concluſionem, vt ſit ſenſus: An vna uel plures, quæ careant magnitu- *Ad 7.*

magnitudine, ergo debes refferre etiam ad ſuperiores concluſiones de eadem ſubſtantia, vt quod mouet in ratione finis, vt appetibile, & vt intelligibile, quod mouet primum Cælum, & ſic cum cõcludat Philoſophus, quod tales ſunt plures, habebis concedere quod ſunt plures, quæ mouent in ratione finis, & quod plures mouent primum Cælum, & ſic de alijs, quæ ſunt abſurda.

Ad 8. Ad octauam; Reſpondet Scotus quod Philoſophus non iudicauit hanc eſſe repugnantiam, aliquid eſſe cauſatum, & eſſe formaliter neceſſarium: ſed mouere ſimul, vt ſuprà diximus.

Ad 9. Ad nonam, Reſpõdetur. Quod cauſatum non eſt de ſe non ens, ita quod cauſato non competat entitas, quia cauſatum tunc eſſet nihil, ſed cauſato nõ competit modus eſsendi, qui eſt eſſe a ſe, poteſt ergo eſſe entitas neceſſaria formaliter, non à ſe, ſed ab alio; eſt etiam poſſibile, & potentiale, ſed illa potentia præcedit eſſe, non tempore, ſed natura tantum.

Ad 10. Ad 10. ex Piccolomineo, dimiſſo pro nunc an ad veram creationem requiratur virtus immenſa, & omnipotentia propriè dicta: dico, quod Ariſt. conceſſit Primum motorem eſſe vigoris infiniti, vt diximus in proprio loco.

Ad 11. Ad vndecimam, dico, quod hæc creatio, & emanatio ſecundum Philoſophum continuo fit, & ſemper eſt facta, cum ſit æternus mundus.

Ad 12. Ad duodecimam. Dictum eſt quomodo ille oſtenſiones Ariſt. concludunt.

Ad 13. Ad 13. Nego, quod creatio, & ęternum dicant pugnantia. Ad probationem dico, quod ſicuti res tunc emanant à Deo, ſic ſemper emanarunt; Cum arguitur contra: quia nunc res generantur non creantur, dico, quod Intelligentiæ, & alia æterna, quæ immediatè a Deo pendent, non generantur, quia continuo à Deo conſeruantur in eſſe, & hoc conſeruare, eſt continuo creare, quia conſeruat, & manutenet illud primum eſſe, quod habuerunt, poſt non eſſe, non poſterioritate temporis, ſed naturæ ab æterno: & iſta ſunt Intelligentiæ, Cælum, materia prima, a quibus poſtea ex materia prima iſta fluxibilia continuo generantur; generatio ergo habet eſſe mediante emanatione, & propter hoc generatio eſt æterna, quia emanatio primorum principiorum eſt æterna, & hoc eſt quod ipſi quoque fatentur, dum dicunt omnia continuo conſeruari à Deo; Reliqua verò entia, quæ continuo à Deo, & ab alijs agentibus producuntur ex aliquo præſuppoſito, illa dicuntur generari, hoc enim eſt diſcrimen inter creationem, & generationem, quod Creatio eſt productio rei in eſse nihilo pręſuppoſito; Generatio eſt productio rei in eſſe aliquo præſuppoſito: non ergo modo omnia generantur, ſed quædam emanant cõtinuo, vt æterna, quædam verò continuo generantur, vt fluxibilia, quæ ab æternis ponuntur in eſſe, & corrumpuntur continuo.

Quædam rationes aliorum conſiderantur, & reijciuntur. Cap. VI.

QVidam, & doctiſſimi quidem, adducunt alias rationes contra ea, quæ diximus, ideo opus eſt eas conſiderare, & adhuc magis declarare.

Primo ergo arguunt ſic. Cauſa efficiẽs eſt cauſa detrahens, & diminuens, quia pendet à fine: ergo ſi Deus ponatur cauſa efficiens, detrahitur Deo, quod eſt abſurdum. *1. rõ.*

Præterea, Deus tunc eſset dependens, & independens in ſua eſſentia, independens, quia vltimi finis; dependens: quia eſſet efficiens; hoc autem implicat contradictionem. *2. rõ.*

Præterea, Potentia actiua non poteſt dari ſine paſſiua: quia potentia actiua definitur per paſſiuam; radix autem potentiæ paſſiuæ eſt materia, ergo omnis potentia actiua ſupponit potentiam paſſiuam, in quàm agat, potentia paſſiua præſupponit materiam, ergo ſi Deus eſt cauſa efficiens, non efficiet per emanationem, & ex nihilo, ſed ex ſubiecta materia. *3. rõ.*

Præterea, Ariſt. in Moralibus 10. remouet à Deo omnem actionem, ergo. *4. rõ.*

Præterea, Si Deus eſt cauſa efficiẽs, cur aliqua entia ſunt æterna, aliqua non? *5. rõ.*

Præterea, aduerſus duas diſtinct. allatas pro ſolutione rationum arguunt recentiores, & ſimul aduerſus tertiam, quæ

ex illis

ex illis ſequitur:primam enim diſtinctionē ſequitur hæc alia diſtinctio quod productio rei eſt duplex:alia per motū,& mutationē,hæc habet nouitatem,& fit ex aliquo ſubiecto: alia eſt ſine mutatione, & nouitate,& non ex aliquo ſubiecto. Alij adiungunt aliam diſtinct.quod non eſſe, præcedere eſſe, poteſt contingere duobus modis,ſcilicet poſitiuè,& negatiuè;poſitiuè,quando aliquod ens in aliquo inſtanti naturæ poſitiuo habet non eſſe,in alio habet eſſe;priuatiuè,quando aliquod ens in quolibet inſtanti naturæ habet eſse,tamē ſi aliquod ens non eſſet, à quo ipsū eſſentialiter dependeret, aptū eſſet ei cōpetere non eſse;Sed hæc diſtinctio videtur ſuperflua:quia quæcumque ſaluātur per eā,ſaluantur quoque per ſecundā diſtinctionē.

1. rō cōtra 1. diſtinctionem. Recentiores has diſtinctiones impugnāt,primò in his diſtinct.eſt petitio principij,probatur:quia vnum membrum diſtinctionis ſemper præſupponit illud, de quo eſt quæſtio,aut mediatè, aut immediatè;aſſumptum hoc probatur de prima diſtinct.nā in ipſa ſupponitur dari agens, quod agat ſine motu, & ſine ſubiecto, hoc autem eſt quod in controuerſia poſitum eſt, an ſcilicet detur tale agens.

2. Præterea, Ariſt.nunquam conceſſit dari efficiens aliquod efficere aliquid ſine motu, & mutatione: quia hoc repugnat cauſæ efficienti,dicitur enim 2.Phyſ.tex.

3. 29. efficiens eſt vnde motus. Præterea, ſi daretur efficiens ſine motu, ruerent om-

4. nes demonſtrationes Ariſt.1.Phyſ.ſcilicet vbi dicit: ſi factum eſt, per motū factum eſt. Preterea,falſum eſt dari efficiens ſine

5. ſubiecto,quia ex Ariſtot.1.Phyſ.ex nihilo nihil fit,nam tex.71.ait, ex non ente autē nihil fieri,ſubijci enim quidpiā oportet.

6. Præterea,hic modus producendi aliquid per emanationem,implicat contradictionem:nā arguunt ſic.Quod habet eſſe per emanationē, habet in ſua intima natura hanc naturā, vt aptum ſit habere nō eſſe, ante eſſe, ergo in ſua intima natura habet, vt ſit aliquando ens, aliquando non

7. ens.Præterea,illud ens productū per emanationem,eſt æternū, æternū aūt eſt ſemper ens,ergo illud productum per emanationem,eſſet ſēper ens,& nō ſemper ens, quæ implicāt cōtradictionem. Præterea, quod detur agens reſpiciens terminū, & non ſubiectū, eſt cōtra rationē termini: nā terminus ad quē, relatiuè opponitur termino à quo,qui terminus à quo,requirit ſubiectū,quo nō eſſe ſuſtineatur.Tan

8. dē,iſta facere,& feciſſe,quāuis ab æterno ponantur in Deo,ponunt mutabilitatem in Deo, etſi ſemper dicamus fieri, ſaltem iſta ſenſibilia dicentur fientia,vt Plato ſtatuebat, & ducimur in Heracliteam.

Contra ſecūdam diſtinctionē quoque arguunt ex Ariſt.2.& 12.Metaph.tex.16. vbi Ariſt.ait,quod efficiens,eſt prius tempore facto,& loquitur de efficiente ſimpliciter.Quod ſi quis obijciat,Cæli motum, qui eſt æternus,& ideo motor tēpore non poteſt ipsū præcedere. Reſpōdent, quod efficiēs motus æterni,eſt prius tēpore,ſingulis partibus, nō toto motu, ſicut ſol eſt prius tēpore ſingulis illuminationib.non omnibus ſimul;quā expoſitionē adiuuant authoritate Simplicij 8.Phyſ. in 1.digreſſione contra Ioannē Grāmaticū arguentem contra Proclum,qui tenebat mundū ab æterno prodijſſe à Deo,vt radij à Sole.

Solutio. Rationes iſtæ,licet reuera in Ariſt. doctrina videantur habere maximū fundamentū,inanes tamē dubio procul ſunt,ex dictis enim ſuperioribus capitibus præſertim 2.vbi ex Ariſt. oſtendimus primū ens immobile eſſe nedum finem vltimum, & mouere ratione finis, ſed etiā eſſe primū efficiēs,& in ratione efficiētis efficere:neceſſe eſt diſtinguere de efficiente, vt dicebat Philoſ.1.de generatione, tex. 14. hoc enim ſpectat ad Metaph. & debemus dicere,qđ efficiēs eſt duplex: aliud per motū,& mutationē, & ex ſubiecta materia, vt eſt mouēs phyſicū;aliud verò alio eminētiori modo:& hūc dicimus eſse per modū ſimplicis emanationis,& ex nihilo.Vnde formari pōt ſic ratio; Deus eſt efficiēs immediatè,& primū; at immediatè non mouet hæc inferiora, ſed intelligētias, & Cælū primū,ergo primū ens immobile,efficit immediatè intelligētias,& Cælū primū,ac alia æterna;& hoc pacto intelligendæ sūt auctoritates illæ;ab hoc pēdet Cælū,& tota natura; ab hoc cōicatū eſt eſſe omnibus,his quidē clarius,his qdē obſcurius.Cōſequentia in Cōcluſione debere intelligi de vera efficiētia ſupra ꝓbatū eſt.

Pro ſol-

Pro ſoluendis autem rationibus in oppoſitum, & recta intelligentia illarum, notandum eſt, quod licet prima, & omnes intelligentiæ, & Cælum ſint æterna, non tamen eodem modo, & eadem neceſſitate: nam certum eſt, quod prima intelligentia, quæ eſt immobilis, eſt magis æterna, quam aliæ; probatur: quia illa non indiget alijs, ſed eſt ſibi ſufficientiſſima; at cæteræ indigent illa, ergo non ſunt ita neceſse eſse, ſicut illa prima; Minor probatur ex Ariſtot. 1. de Cælo tex. 100. ibi enim dixit, quod omne diuinum eſt intranſmutabile, maximè autem primũ, & maximè ſummum; & probat: quia non habet prauitatem vllam, nec eſt indigẽs bonorum ſuorum, nec alicuius: ſed operatur, & mouet ex ſua ſumma perfectione; tunc ſic: at cæteræ intelligentiæ indigent prima, quia pendent ab illa ſaltem tamquam à cauſa finali, ergo indigent illa tamquam ſuo vltimo bono: ergo non ſunt ita indepen dentes ſicut prima, & cõſequenter neque ita æternæ, & incorruptibiles, vt prima.

Ad rõnes recentiorũ. Hinc ad rationes recentiorum. Ad primum negatur hanc diſtinctionem petere principium: non enim ſupponimus dari principium per emanationem, ſed iam probauimus illud dari, & eſse diſtinctũ à principio effectiuo per motum, & mutationem, & ex ſubiecta materia: & ideo ad argumentũ dicimus, illa non infringere dari hoc agens per emanationem: ſed probare ſolum hoc agens non agere per motum, & mutationem, quod concedimus. *Ad primum cõtra 1. diſtinctionem.* Ad primam autem rationem probantem non dari ſecundum Ariſt. Agens, quod agat ſine motu, & mutatione, & ſine ſubiecto, negatur antecedens; ad probationem ex Ariſtot. ex definitione cauſæ efficientis, dico, quod motus ibi accipitur largè, non pro motu, & mutatione propriè dicta, qui eſt motus phyſicus: ſed pro motu in communi ad motum phyſicum, & ad motum per emanationem, qui poteſt dici mutatio ad terminum, non ad ſubiectum: quia per ipſum ſubiectũ nullum mutatur, ſed terminus nouus totaliter producitur; & ideo Ariſt. 1. de generatione tex. 14. dixit pertinere ad Metaphyſic. diſtinguere de immobili, quod eſt cauſa vnde motus æternitatis; ergo ſignum eſt ex Ariſt. immobile primum nõ eſſe cauſam, vnde motus, vno tantũ modo, quia tunc Metaph. non poſſet de illo diſtinguere, & pertinet ad cauſam, vnde motus.

Ad 2. Ad ſecundum Reſpondetur per idem, vt ſuprà, quòd vera eſt illa propoſitio de motu phyſico, non de motu per emanationem. Vel dicamus, quod factio poteſt comparari ad agens materiale, vel ad agens abſtractum à materia, & æternum, quod eſt ſimul agens primum & vltimus finis, vera eſt illa propoſitio de agente materiali, non de abſtracto, & primum.

Ad 3. Ad tertium negatur modum habendi eſſe per emanationem, implicare contradictionem; ad probationem concedo, id, quod eſt per emanationem, includere in ſua natura habere eſſe, & non habere eſſe reſpectu diuerſorum, habet enim eſse, quia eſt in rerum natura: ſed non habet eſſe à ſe, ideo circumſcripto primo non haberet eſse: ſicuti radij ſolis habent eſse in ſe, & tamen illud habent ab alio, quo circumſcripto, non haberent eſse; quantũ ergo ex illis eſt, aliquando poſsent non eſse, & aliquando poſsent eſse, & hoc nõ implicat contradictionem.

Ad 4. Ad quartum reſpondet, quod æternũ eſt ſemper ens, aliud membrum, quod ſit ſemper non ens, non ſequitur: ſed ſolum ſequitur, quod ſemper poſſit eſse nõ ens. Debet ergo ſic inferri. Aeternum per emanationem, eſt ſemper ens, & ſemper poteſt eſse non ens, quod cõceditur: quia dictum eſt ſuprà, quod non omne æternum, eſt eodem modo æternum; quia vnum eſt æternum à ſe, aliud ab alio: Deus eſt æternum primo modo, cæteræ intelligentiæ ſunt æternæ ſecundo modo; iſtud autem æternum, quod eſt ab alio, poſsit non eſse circumſcripto alio primo à quo dependet, licet illa circumſcriptio ſit impoſſibilis: & ideò verè ſit æternum. Dices, ergo intelligentiæ ſunt in potentia. Reſpondetur intrinſecè ſunt potentiales, ſed extrinſecè ſunt neceſse eſse, quia à Deo agente neceſsario non liberè producunt, vt aiunt ipſi Cælum eſse æternum, & tamen conſtare ex materia, & forma. Vide Scotum 1. Sent. diſtinct. 2. quæſt. 2.

Reſpon-

Reſponſione ad primum principale.

Ad 5. Ad quintũ Reſpondetur, quod terminus ad quem, reſpondet termino à quo, qui eſt non eſse rei productæ per emanationem, tranſit enim de non eſse, ad eſse, non ordine durationis, ſed naturæ, vt dictum eſt ſupra: terminus autem, à quo, non requirit ſubiectum, quo ſuſtineatur non eſse, niſi in motu naturali, & tranſmutationis ex ſubiecto in ſubiectũ, non in motu, quo res totaliter accipit eſſe, vt eſt motus per emanationem.

Ad 6. Ad ſextam negamus nos incidere in Heracliteam: nã Heraclitus dicebat omnia continuo mutari: vnde volebat omnem propoſitionem eſse falſam, quia dicebat rem mutari antequàm propoſitio ſit completa; at nos ſtatuendo omnia effici à Deo per emanationem dicimus entia æterna eſse perfecta, & ab æterno emanare in eſse perfecto, quę emanatio, vt coexiſtit nunc, æternitatis eſt productio, vt coexiſtit alijs partibus temporis, dicitur conſeruatio: non ergo ſecundum nos continuo mutantur; ſed æterna ſemper manent perfecta, & à Deo conſeruantur. Entia verò ſenſibilia donec durant in ſuo eſse, quod habent per generationem ſemper ſunt eadem, & à Deo, & alijs cauſis ſecundis in illo conſeruantur, donec corrumpantur à ſuis contrarijs; non ergo ſecundum nos hęc ſenſibilia ſunt fientia: & hoc tenentur concedere aduerſarij: nam & ipſi premuntur eadem difficultate reſpectu cauſæ finalis, æterna enim ſemper mouētur à fine: ergo ſemper ſunt in fieri, nunquàm in facto eſse. Reſpondetur ergo, quod ſemper mouentur, & tamen ſemper ſunt in quiete, & poſſeſſione obiecti amati: quia motus ille ſemper eſt perfectus, ſed vt coexiſtit nunc æternitatis, apprehenditur ſub ratione perfectè facti, in alijs autem ſequentibus apprehenditur ſub ratione conſeruati.

Ad rōnē cētra 2. diſtinct. Ad rationem contra ſecundam diſtinctionem, Reſpondetur non eſſe nouam illam diſt. alia eſse priora natura, & alia tēpore, eſt enim Ariſt. in Poſtprædicamentis, c. de Priori, & 5. Metaph. cap. de Priori, tex. 16. ideo ſecundum Ariſt. non omne, quod eſt prius altero, eſt prius illo tēpore; ſed aliqua ſunt priora aliquo natura non tempore, & ideo melius dicitur, quod primus motor præcedit motum æternum natura, non tempore, quàm dicere, quod ſit prius tempore ſingulis partibus, non toto motu: quia quod eſt prius omnibus partibus, eſt prius toto, cũ omnes partes ſint idem, quod totum, qui enim eſt prior ſingulis diebus vnius menſis, eſt prior toto illo menſe, Quod autem adducit Ariſt. 12. Metaph. tex. 16. Reſpōdetur, Ariſt. ibi dicere cauſam efficiētem præcedere factum, non tamen ait tempore, vt arguens imponit. Vnde poteſt intelligi de prioritate temporis, & naturæ, & tunc eſt intelligendum ſecundum ſubiectam materiam, Phyſica præcedit tempore, Metaph. natura. Quod verò aiunt de diſputatione Ioan. Grammatici aduerſus Proclum, non facit ad rem noſtram: quia nolumus modo diſputare, an mundus potuerit eſſe ab æterno, vt illi duo philoſophi diſputant, de quare in Theologia Eginius; ſupponimus enim nunc mundum fuiſſe ab æterno, iuxta placitum Ariſt.

Quæ dicunt aduerſus inſtantia naturæ, quæ plura poſsunt eſse in vno inſtanti temporis, non egent refutatione, clara enim ſunt in Ariſt. qui admiſit prioritatem naturæ, non eſt autem inconueniens aliqua eſſe priora natura alijs diuerſis modis, & in diuerſis ſignis, vt ſi dicamus: homo ſimul tempore eſt animal, rationale, riſibile, tamen prius natura eſt animal, quàm rationale, & prius natura rationale, quàm riſibile, ecce duo inſtantia naturæ in vno inſtanti temporis, quòd iſta ſic natura ſe præcedant, patet ex definitione prioritatis naturæ, aſſignata ab Ariſtot. 5. Metaph. tex. 16. Quæcumque poſsunt eſſe ſine alijs, & alia non ſine illis, ſunt priora natura: at animal poteſt eſse ſine rationali, & rationale ſine riſibili, quantum ex ſe, riſibile non ſine rationali, & animali, ergo illa ſunt priora natura riſibili.

Ad alia argumenta. Ad primum reſpōdetur, quod immò cauſa efficiens eſt nobiliſſima cauſa: quia eſt cauſa realis, finis verò eſt cauſa Metaphyſica; & ideo negare hoc genus cauſę à Deo, eſt auferre ab eo nobiliſſimam perfectionem. Quod autem aiunt eſſe imperfectum, quia pendet à fine; reſpondetur: quod ſi valeret, concluderet Ad 1.

cluderet quoque eam eſſe imperfectiorem materia: quia efficiens dependet à materia, neque enim cauſa efficiens ſecundum eos, aliquid efficere poteſt ſine materia,& ſubiecto, quod tamen non puto eos conceſſuros. Inſuper,ſi efficiens pendet à fine,quia ab ipſo mouetur Metaphyſicè, etiam finis pendet ab efficiente in eſſe reali: quia finis eſt vltimum in executione,& effectione, licet vt mouet, ſit in mente,& præcedat: at eſt finis,& optimum, non vt mouet, ſed vt eſt obtentus. Reſpondetur ergo, quod non inconuenit, cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas, ex Ariſt. 2. Phyſ. textu 30. in diuerſo genere cauſæ, & proinde penes hoc non attendi nobilitatem vnius cauſæ ſuper aliam, ſed penes modum agendi, conſtat autem efficientis modum eſse nobiliſſimum, efficiens enim eſt quod connectit materiam cum forma, & dat eſſe rebus,ideo miror, hos viros dicere, genus cauſæ efficientis eſſe genus cauſæ imperfectum, & maximè,quando idem eſt ſimul efficiens,& finis. Quod autem dicunt ex Ariſtot. 2. de Cælo,primum habet optimum ſine actione. Reſpondetur, Ariſt. ibi loqui de actione morali,non de actione,vt eſt cauſa efficiens,vt dicam infra ad quartum.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur, quòd dependet à ſemetipſo: quia eſt ſimul efficiens,& finis,ſicut eſt intelligens,& intellectum, ideo ſicut non eſt inconueniens, quod dependeat à ſemetipſo tamquam ab obiecto,ita non eſt inconueniēs,vt dependeat à ſeipſo, vt à fine; neque implicat contradictionem: quia non eſt dependentia,& independentia reſpectu eiuſdē.

Ad 3. Ad tertium, vera eſt Maior de potentia actiua iuncta materiæ, non de potentia agentis abſtracti à materia, vt ſuprà diximus.

Ad 4. Ad quartum ex moralibus, reſpondetur minimè ad rem facere, etenim Ariſt. ibi negat à Dijs actionem omnem moralem,vt actum temperantiæ,fortitudinis, iuſtitiæ,& huiuſmodi: quia eorum felicitas eſt ſpeculatiua,quæ conſiſtit in ſpeculatione, non in actione, at non negat ab eis actionem effectiuam,de ea enim nullum habet ibi verbum.

Ad 5. Ad quintum reſpondetur, nos non dicere omnia immediatè prouenire à Deo, ſed ſolū æterna ideoq. à ſeipſo quę immediatè producit,ſunt æterna, vt Intelligentiæ,Cælum, Materia prima; at verò illa, quę producuntur à Deo mediantibus his cauſis ſecundis, ſcilicet Cælo, & Materia prima, iſta ſunt corruptibilia, & fluxibilia.

THEOREMA LVII.

Deus ex ſententia Philoſophorum ad extra neceſſariò agit,ſed ſecundum veritatem agit contingenter.

Exponitur obiter ſententia Scoti, tam in via Ariſtotelis,quam in via veritatis, circa contingentiam rerum, ex qua variæ obiectiones Aduerſariorum ſoluuntur. Cap. Vnicum.

SCotus vbique in Operibus ſuis fatetur Ariſtotel. poſuiſſe Deum agere neceſsario ad extra; ſed proprius locus eſt in 8. diſtinctione 1. Sent. quæſt. 5. vbi nedum hanc eſſe Ariſt. mentem ait, ſed etiam pro Philoſophis in hac materia adducit varias rationes; ſed cum hoc conceſſum ſit ab omnibus Peripateticis, de hoc non eſt laborandum, & præſertim, quia rationes quas ibi Scotus ex Philoſophis, & pro Philoſophis conficit,etiam ſoluit, oſtendens ſecundum veritatem Deum agere liberè; Cum itaque ibi diſputet cum Philoſophis, & pro veritate ipſa, & nos hic ſolū ſecundum placita Ariſt. loquamur,deferēda eſt hęc diſputatio ad Theologiam, de qua aliàs (Deo dante) agam; Nunc vnum tangamus obiter, & pręmonebo ſolum de radice,& cauſa contingentiæ rerum ad extra, ſecundum rei veritatem,licet hoc ſit purè Theologicum: quoniam quidam Moderni in operibus Philoſophicis agentes de contingentia ſecundum rei veritatem,carpunt Scotum, Scotus enim primo Sententiarum,diſtinct. 2. quæſt. 2. poſt R. & diſtinct. 8. quæſt. 5. arguendo contra Philoſophos,& alibi, aſſignans radicem contingentium, ait illam eſſe libertatem diuinæ voluntatis: quia enim Deus liberè,& contingenter agit,& operatur, ideò adeſt contingentia in rebus: ſed De radice cōtingētiæ.

buſ:ſed ſi ipſe ageret neceſsariò,non eſset contingentia in rebus. Impugnant hanc opinionem inferendo, quod tunc omnes res eſsent contingentes, quia omnes res producuntur liberè à Deo, ergo nulla res dabitur quç ſit neceſsaria, quòd tamen eſt falſum. Item, nihil prohibet quod Deus dum vult res liberè, quòd alias velit eſſe liberas,id eſt contingenter producantur;alias neceſſarias eſſe,id eſt neceſſariò producantur;& ſimilibus rationibus: ſed quia de hac re eſt grauiſſima diſputatio inter Scotum, & D. Thomam, & ſequaces,& alios Theologos,& ex determinatione huius quęſtionis pendent alię difficilimę diſputationes pertinentes ad ſalutem noſtram, nolo hic immorari; ſed Deo dante omnia apertè dilucidabo in operibus Theologicis; pro nunc ſolum dico, quòd iſte vir non percepit mentem Scoti, ſicuti nec multi alij:non enim Scotus vult totalem cauſam contingentię rerum eſſe libertatem diuinę voluntatis,ſed vult contingentiam pendere primo ex libera Dei voluntate,& deinde etiam ex rebus ipſis creatis: vnde ponit voluntatem noſtram liberam eſſe, & multa caſu, & fortuna euenire; Scoti mens ergo eſt, quòd ſi prima cauſa, ſcilicet Deus, neceſſariò agat, neceſſariò omnia quoque euenient, & nulla dabitur contingentia: & ideo dixit Ariſtotelem non potuiſſe ſuſtinere has duas propoſitiones. Deus neceſſariò agit,& datur contingentia: loquendo ſecundum veritatem.Ratio eſt: quia Deus eſt prima cauſa,quę mouet immediatè ſibi proximam cauſam; ſi ergo illam mouet neceſsariò;& illa aliam neceſſariò quoque mouebit, & ſic omnia quę mouent, neceſsariò mouebunt; vnde, ſic totus motus erit neceſsariò cauſatus, ergo quęlibet pars illius motus, erit neceſsariò cauſata, & ſic nihil contingenter cauſabitur, cum omnia per motum cauſentur in his inferioribus: & ita cum dicamus omne agens particulare recipere vim ab illo maiori;& primo, (ponimus enim Deum habere perfectam cauſalitatem) voluntas mea in operando ab illa prima cauſa dependet, ergo ſi illa cauſa neceſsariò agit, & iſta particularis neceſsariò aget, vel in agendo non pendebit ab illa prima, quod eſt abſurdum; & inſuper, hæc particularis aliter operando quã prima intendat, erit potentior prima cauſa; cauſa prima quoque fruſtaretur ſuo fine, & impediretur à particulari; quæ omnia abſurda ſunt.Quòd autem dicunt actionem primæ cauſæ recipi in ſecundis cauſis, non ſecundum conditionem primæ cauſæ, ſed ſecundum diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, eſt ridiculum: quia cauſa ſecunda,eſſe,ſubſtantiam, & diſpoſitiones recipit à prima cauſa,& maximè ſecundum veritatem, ergo cauſa prima eſt quæ determinat cauſam ſecundam,non cauſa ſecunda eſt quæ determinat primam; ambæ cauſæ etiam ſimul concurrunt ad eundem effectum,ſed potentialiori modo cauſa prima,quomodo ergo ſi cauſa prima naturaliter,& neceſſariò agat ad vnum effectum, cauſa ſecunda poterit reſiſtere, & eam à fine naturali auertere, & dirigere ad proprium ſcopum?eſt ergo mens Scoti,quòd prima radix contingentiæ eſt libertas Diuinæ voluntatis, ex eo enim quod Deus liberè agit, condidit res in ſuis naturis alias liberas, & alias neceſſarias, & tunc illas operari ſinit ſecundum ſuas naturas: & propterea quæ contingenter producuntur, ſic producuntur, quia ita ſibi placuit, & quæ neceſſariò producuntur hoc modo producuntur, quia ita ei placuit.Ex his patet, quòd rationes illæ non concludunt contra Scotum: quia ſupponunt, quòd de mente Scoti contingentia ſolum proueniat ex Diuina libertate, & non ex cauſis ſecundis: quòd non dixit Scotus, ſed ſolùm dixit, quòd prima radix contingentiæ eſt libertas Diuinæ voluntatis, cum qua poſtea ad hoc vt res contingentes ſint, concurrunt aliæ cauſæ, vt voluntas noſtra, & aliæ difformitates in motibus, quæ per ſe nihil efficere poſſent, ſi prima cauſa omnibus dans eſſe, & operari, operaretur neceſſariò, & ab his cauſis ſecundis liberis,dicuntur contingentes; quę verò proueniunt a cauſis ſecundis neceſſarijs, & naturalib⁹, neceſſariæ,& naturales dicũtur ab his cauſis.Nũquid autẽ hęc opinio ſit vera, & rationes adductę, & alię pro veritate ipſius concludant, patet: tamen

1. rõ. aduerſariorum.

aliàs conſiderabitur, quia res eſt magni momenti.

Ariſtot. Quo ad Ariſtotel. autem, non ait Scotus quòd ſibi contradicat, ſed ſolum ait, quòd Ariſtot. ſuſtinendo hoc antecedēs, quòd Deus agat neceſſariò, & ſit perfectum agens, vt tenent Catholici, non poteſt ſuſtinere hoc conſequens, quòd datur contingentia, propter cauſam nunc adductam. De opinione autem Ariſt. clarum eſt, quòd, vt dixi, poſuit Deum agere neceſſariò ad extra, tamen poſuit actionem ſuam ſolum eſſe circa Intelligentias, & mundum ſuperiorem, cui per emanationem dat eſſe, vt diximus ſuprà: ſic enim immediatè pendent ab ipſo Intelligentię, Cęlum, & Aeterna, fluxibilia vero, & hæc inferiora, non pendent ab ipſo immediatè, ſed mediantibus cauſis ſecundis, quæ in hæc inferiora agunt neceſſariò per motum Orbium Cælorum: & ſic continuo fit generatio, & corruptio; Verum, quia in his inferioribus adſunt cauſæ particulares quæ ſimul cum cauſis illis vniuerſalibus producunt ſuos effectus, & illæ cauſæ ſæpè ſunt imperfectæ, propter varios defectus quos habent propter ſuā imperfectionem, non ſemper attingunt finem, & ſcopum intentum à natura, vnde multa per accidens fiunt: cauſæ enim vniuerſales naturaliter agunt, & neceſſariò tendunt ad ſuum finem, & ſcopum: ſed quia cauſa particularis deficit euenit alius effectus ab eo, quem communiter intendit illa cauſa particularis cum vniuerſali cauſando, & iſta ſunt monſtra, & alia, quæ caſu, & fortuna euenire ſolent. Vnde talia ab Ariſt. appellantur contingentia, 6. Metaph. tex. 7. dicit enim contingentia ſiue talia entia per accidens, reduci ad cauſam per accidens. *Non datur fatū apud Ariſtot.* Ex quo loco etiam colligitur ſecundum Ariſt. non dari fatum, vt nonnulli Philoſophi dicebāt, aſſerentes illa quæ per accidens hic videntur fieri, produci à quadam virtute corporis cæleſtis, cum quodam ordine operantis, tunc enim non eſſent iſta contingentia, neque penderent à cauſa per accidens, ſed à cauſa per ſe; *Apud Ariſtot. nō datur ꝓuidētia.* Propter eandem rationem, apud Ariſtotelem non datur prouidentia in Deo, quia tunc hæc omnia, quæ per accidens eueniunt, non eſſēt contingentia, non enim haberent cauſam per accidens, ſed per ſe, & non poſſent eſſe ad vtrum libet; niſi dicamus cū Franciſco Piccolomineo lib. de Mundo, cap. vlt. & ante, quòd Deus apud Peripateticos pro tanto dicitur habere prouidētiam, quia omnibus in communi largitur neceſſaria; ſed quo ad particularia, non habet prouidentiam, quia neque diſtinctam cognitionem omnium, ſicuti nec Princeps omnia particularia diſtinctè cognoſcit, & prouidet, ſed ſolum quæ ad vniuerſalia ſpectant; Et per hæc conſequēter dicitur habere prouidentiam de ſingularibus: ſed hæc prouidentia cum ſit per actionem neceſſariam, non eſt propriè prouidentia. *An cōtingens dari poſſit oſtenditur opin. Scoti.* Dicit inſuper Scotus 1. Sent. diſt. 39. in principio ſolutionis quæſtionum, quòd iſta propoſitio: datur contingens, non poteſt demonſtrari a priori. Vnde Ariſt. primo Perihermenias, & alibi, diſputans contra neceſſitatem futurorum, non deducit ad aliquid impoſſibilius Hypotheſi (id eſt, hoc, quòd datur contingens) ſed ad aliquod impoſſibilius nobis, manifeſtius ſcilicet, quòd nō oportet nec conſiliari, nec negociari, & ideo negantes talia manifeſta, indigent pœna, & exponendi ſunt tormentis donec concedant, quòd poſſunt torquere, & non torqueri. *Obiectio aduerſariorum.* Contra hoc etiam arguunt iſti Moderni: quoniam poſſumus à priori ita oſtendere, quòd datur contingentia in rebus, præſertim in ſublunaribus; quidquid habet materiam, & contrarium, eſt contingens: ſed omnes res ſublunares habent materiam, & contrarium, ergo in illis eſt contingentia; & alijs ſimilibus rationibus vtuntur. *Solutio.* Sed diſertè iſti viri decipiuntur, aliud enim eſt probare dari ens poſſibile, & corruptibile, & aliud eſt probare, quod res poſſibilis, & corruptibilis quādo cauſatur, cauſetur contingenter, ita quod poſſit non cauſari; argumentum quidem probat, quòd ens poſſibile, & corruptibile datur, ſed non probat, quòd tale ens dum cauſatur, liberè cauſetur: immò videmus, quod omnia ferè ſublunaria neceſſariò cauſantur, & tamen in ſe ſunt corruptibilia. Scotus autem loquitur de contingentia in cauſatione rei. Vnde appoſitè diſtinxit in 1. Sent. diſt. 3. q. illa

ſecun-

ſecunda, ante R. quod vocat hic contingenter cauſatum, non quodcumque non ſempiternum, & non neceſſarium, ſed illud cuius oppoſitum fieri poſset quando illud fit.

THEOREMA LVIII.

Intelligentiæ non ſunt formæ informantes Cælum, ſed aſſiſtentes.

Exponitur mens Scoti, & Aduerſariorum rationes ſoluuntur. Caput vnicum.

SCotus 2. Sent. d. 14. q. vnica, in corpore, apertè ſuſtinet, quòd Cælum ſecundum Philoſophos non eſt animatum formaliter, ſed quòd Intelligentia eſt forma aſſiſtens ei, vt nauta naui; Pro hac opinione ita argumentatur. Si dicamus Cælum eſſe animatum formaliter, vel eſt dicendum, quod Cælum erit tantum anima intellectiua: quia Philoſophi non poſuerunt in Cælo niſi intellectiuam, & ita intellectus erit quantus, quod non eſt intelligibile, quia Cælum, vt patet, eſt quãtum formaliter, vel Cælum erit aliquid perfectibile ab anima intellectiua, & hoc eſt inconueniens quoque: quia tunc in Cęlo erit potentia contradictionis, & ita Cęlum non erit neceſſarium, & ſempiternum, quod eſt inconueniens, vt oſtendimus in Theoremate, quod in Cælo non eſt materia; Conſequẽtia eſt euidens: quia ſi Intelligentia eſt forma dans eſſe formaliter corpori Cæleſti, neceſſe eſt, quod in Cælò ſit materia perfectibilis ab illa forma. Nec valet reſponſio quorundam recentiorum, vt inquit Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, qui rationi huic maximè inititur, quam nouit eſſe validiſſimã. Non valet inquam reſponſio recentiorũ, qui dicunt, quod potentia eſt duplex; vna ad eſſe tantum, & ad dimidium contradictionis; alia verò ad vtrumque; & quod materia Cæli eſt in potẽtia ad eſſe tantũ, & ad dimidiũ cnntradictionis, & per hãc recipit Intelligẽtiam ipſam cũ qua facit vnum per ſe; Hæc inquam reſponſio eſt nulla: quia in illo Theoremate de materia Cæli oſtendimus aduerſus Caietanũ, quod omnis potentia paſſiua, eſt potẽtia contradictionis; & Confirmatur nũc per alias rationes: quia tunc ratio Ariſt. quam facit 9. Metaph. textu 17. ad probandum, quod æterna non habent potentiam ad eſſe, eſſet nulla, vtitur enim hoc medio: ſi æterna haberent potentiam ad eſſe, haberent etiam potentiam ad non eſſe; & 12. Metaph. tex. 30. vbi probat, quod Intelligentiæ in ſua eſſentia non habent potentiam, per hoc idem medium: quoniam haberẽt quoque potentiam ad non eſse, nã aliquis poſset his rationibus reſpondere, quod habent potentiam ad eſse, & ad dimidium contradictionis, non ad totã contradictionem. Neque etiã valet quorundam aliorum reſponſio, aſserentium, quod materia Cæli non eſt quidem in potentia, tamen ex ipſa, & Intelligentia ſit vnum per ſe, quia eſt talis conditionis, vt ex ipſa, & Orbe, poſſit fieri vnum per ſe, licet non ſit potentia. Hæc enim reſponſio eſt ſine ratione, immò rationi contraria: nam ratio compoſitionis, propter quam ex duobus fit vnum, eſt, quia vnum eſt potentia, & aliud eſt actus, at ex duobus in actu nunquam fit vnum per ſe, vt inquit Ariſt. in 8. Metaph. textu 15. & 2. de Anima, textu 8. & alibi ſæpè; Præterea, re ipſa fatentur iſti, materiam Cæli eſse potentialem, dum dicunt eam actuari à forma: nã equidem ſi actuatur materia Cæli per ſeipſam, eſt in potentia, & carens actu, & ſic habet in ſe priuationem; Præterea, ſi in Cælo Intelligẽtia eſt forma informans Cælum, neceſsariò illa quoque mouebitur per accidens ad motum Cæli, ſicuti anima noſtra mouetur ad motum corporis moti: ſed hoc eſt contra Ariſtotelẽ in 8. Phyſic. vbi ait, quod Intelligentiæ non mouentnr per ſe, neque per accidens, ſed ſolùm mouent. At aliqui reſpondent, qđ duplex eſt forma informãs, alia enim eſt forma informans, & conſtituens ſubiectũ in eſse, & ſimul conſtituitur in eſse per ſubiectum, quomodo ſunt iſtæ formæ materiales; alia verò eſt forma informans, & conſtituens in eſse ſubiectũ, ſed non cõſtitnitur in eſse per ſubiectum: tunc ad argumentum dicunt, quod forma primo modo mouetur per accidens ad motum ſui ſubiecti, non autem forma ſecundo modo accepta: Intelligentiæ autem ſunt

Marginalia (left column): 1. rõ. — Reſp. quorũdã. — Reij-citur. 1. rõ.
Marginalia (right column): Alia reſp. reijc. — 2. rõ. — Reſp. quorũdã. Reij-citur.

formæ informantes ſecundo modo, non primo. Dimiſsa impugnatione Mercenarij, de qua in rebus animaſticis,cum alijs arguitur, quod per hanc diſtinctionem non ſoluitur argumentum: quoniam dato, quod ſit vera illa diſtinctio, non tamē ſequitur,quod forma informans,quæ cōſtituit ſubiectum, & non eſt conſtituta, non moueatur per accidens ad motum ſui ſubiecti:quia dum mouetur Cælum, quæro, vel mouetur ſola materia Cæli, vel aggregatum ex materia, & forma; non ſola materia: quia per eos eſt poteſtate tantum,& eget termino, & actualitate,ſubiectum autem motus eſt actu, & determinatum,ergo id, quod mouetur, eſt aggregatum:ſed illud conſtat ex materia,& forma,ergo materia, & forma mouentur: & ſic Intelligentia mouetur per accidens ſaltem; & confirmatur exemplo Solis,qui modo eſt in occaſu,modo in ortu,ſi ergo Sol eſt compoſitus ex Intelligentia tamquam ex forma informante, Intelligentia quoque erit modo in ortu, modo in occaſu.

3. rō. Tertia ratio deſumitur ex eodem 8. Phyſicorum, multis in locis, ſed maximè ex textu 40. & inde, & adducitur à Scoto complicata cum præcedenti; Ariſtoteles diſtinguit id quod mouetur, in duas partes, in partem per ſe motam, & partem per ſe mouentem: at ſi Cælum conſtat ex Intelligentia tamquam ex forma informante, non conſtabit Cælum ex parte per ſe mota,& parte per ſe mouente:quia materia per ſe,ſine Intelligentia, eſt pura potentia,& non eſt actu, & ideo non poteſt eſſe ſubiectum motus; Intelligentia quoque non poterit eſſe per ſe mouens, quia forma informans non mouet per ſe, ſed eſt ratio mouendi, vt anima in nobis,& ipſa mouetur; neceſſe eſt ergo inuenire alium motorem, qui moueat Cælum per ſe diuerſum ab intelligentia.Hæ ſunt rationes Scoti,quæ maximam euidentiam habent. Pro hac eadē ſententia multipliciter arguit Franciſcus Piccolomineus, in libro de Cælo,ca. 19. & hanc plurimi viri clari ſequuntur, & multi ſectatores Auerrois, adeo quod eſt fere communis his temporibus apud grauiores Philoſophos.

Piccolomineus.

Contra hanc ſententiam nōnulli arguunt, ſuſtinentes oppoſitam ſententiam, vt Sueſſanus,Balduinus,Achillinus, & alij,Achillinus lib.3.de Orbibus,dubio primo,per totum, ſed maximè Concluſione 5. probat Intelligentiam dare eſſe formaliter Cælo,ſic Forma vt habetur ex 2.Phyſicorum, textu 28. eſt quod quid eſt rei, & dat eſſe rei,Intelligentia eſt forma Cęli,ergo eſt quod quid eſt Cæli,ſiue dat eſſe Cælo formaliter. 1. rō. in oppoſitū.

Secundò, quandocumque forma ſubſtantialis eſt realiter vnita materiæ,informat materiam, & dat illi eſſe ſubſtantiale:ſed Intelligentia eſt forma Cæli ſubſtantialis, ex 12. Metaph.textu 37. ergo. Maior probatur: quia negata hac propoſitione,non probaretur dari formam ſubſtantialem,dantem eſſe ſubſtantiale compoſito ſubſtantiali. 2.

Tertiò, ex Ariſtotele 2. de Anima, tex.37.Anima eſt qua viuimus, & viuere eſt viuentibus: eſse ſed Intelligentia eſt anima Cæli, ergo.Alij rationem hanc formant ſic.Aiunt Ariſtotelem in illo ſecundo ita argumentari. Anima eſt forma,ergo eſt cauſa vt viuentia ſint: à pari,Intelligentia eſt forma, ergo eſt cauſa vt cæleſte corpus ſit actu. 3.

Quartò, in ſeparatis à materia, idem eſt efficiens,forma,& finis: cum ergo Intelligentia ſit efficiens, & finis, ergo etiā eſt forma Cæli. 4.

Quintò, Omne quod mouetur includit in ſe quattuor genera cauſarū: ſed Cęlum mouetur,ergo claudit in ſe quattuor genera cauſarum, ſed ſi excludas Intelligentiam eſse formam informantem cęlo, in cęlo non erit formalis cauſa. Sextò: Intelligentia eſt natura cęli, ergo eſt cauſa intrinſeca cęli,quia natura eſt intrinſeca rei,at non eſt materia,ergo eſt forma. 5. 6.

Septimò.Alij arguunt ex Ariſt.in 2.de Anima tex.24.vbi probat animam eſse actum corporis,hac ratione,Omne, per quod alicui propria operatio ineſt, corporis actus eſt,ſed per Intelligentiam Cælo propria operatio ineſt,igitur Intelligentia cęleſtis corporis actus eſt. Octauò, Quod largitur alicui vnitatem,largitur eidē eſse ſed Intelligentia largitur Cęlo vnitatē, quia ex Orbe, & Intelligentia, magis fit 7. 8.

vnum

vnum quã ex materia, & forma, ergo. Nono Ariſt. in 2. de Cælo tex. 13. ait, in Cælo nedum per relationem ad nos, ſed abſolutè, & ratione ſui, inueniri differentias poſitionis, cum ſit animatum: ergo, ſi Cælum eſt ex ſe animatum, igitur ab anima recipit eſse, & formatur ab ea: hæc autem anima eſt Intelligentia ipſa.

10. Decimò, corpora Cæleſtia inuicẽ comparata, vel ſunt eiuſdem, vel diſtinctæ ſpeciei: quodcumque dicatur, ſemper infertur Intelligentiam dare eſſe: quoniam ſpecies conſtituitur in eſse per formam, ergo per Intelligentiam diuerſam ſpecie, diſtinguuntur ſpecie; vel ſunt eiuſdem ſpeciei; quia ab Intelligentia eiuſdem ſpeciei ſunt conſtituta in eſſe.

Ad 1. Ad rationes iſtas facilis eſt ſolutio. Ad primam dico, quòd forma eſt duplex, ſcilicet, propriè dicta, & impropriè dicta. Intelligentiæ non ſunt formæ propriè dictæ, ſed potius agentes; quia tantum mouent, vt nauta nauim, at non dant actu eſſe: pro tanto autem dicuntur formæ, quia dant Cęlo motum, qui eſt vnus ex quattuor gradibus vitæ. Poſsumus itaque dicere, quòd duplex eſt forma, ſcilicet informans, quæ eſt verè, & propriè forma; Alia eſt aſſiſtens, quæ eſt impropriè forma, definitio Ariſt. in 2. Phyſ. intelligitur de informãte, non de aſſiſtẽte, vti ſunt Intelligentiæ, forma enim aſſiſtens non dat eſse ſubſtantiale, ſed dat ſolùm aliquem gradum vitæ, nempè, mouere.

Ad 2. Ad ſecũdum dico, quòd Intelligentia eſt forma Cæli aſſiſtens, nõ informans, & hoc eſt quòd dicit Ariſtot. 12. Metaphyſ. tex. 37. & vbique; Maior autem eſt vera de forma informante.

Ad 3. Ad tertiam dico, quòd Intelligentia dicitur Anima Cæli, & eſt qua Cælum viuit, ſed viuit ſolùm quarto gradu vitæ, ſcilicet, motu locali, non tamen ex hoc ſolo gradu vitæ ſequitur, quod ipſa ſit anima perfecta informans, & dans eſſe ſubſtantiale per informationem; Si verò conficiatur alio modo, dico vt Mercenarius, quòd non argumentatur Ariſt. eo modo in illo loco, ſed oppoſito modo, nẽpè ſic: Id quod eſt cauſa vt res ſit, forma eſt: at anima eſt cauſa vt viuens ſit, ergo anima eſt cauſa vt forma; Vnde ibi probat Minorem, ſcilicet, quod anima eſt cauſa in triplici genere cauſæ, ſcilicet, efficientis, formalis, & finalis; valeret ergo ita: Intelligentia eſt cauſa vt cælum ſit actu, ergo Intelligentia eſt forma informans Cælũ; ſed tunc antecedens eſt falſum, nec valet, niſi quo ad mobile.

Ad 4. Ad quartam dico, quòd Intelligentia eſt efficiens, quatenus eſt principium motus; eſt finis, quatenus Cælum eſt propter Intelligentiam; eſt forma, non quia det eſſe formæ, ſed quia dat quartum gradum vitæ, ideo in ſeparatis à materia finis, forma, & efficiens, ſunt vnum. Per hoc idem patet ad quintum. *Ad 6.* Ad ſextam dico, quòd Intelligentia non eſt natura Cæli, declarauimus enim in proprio Theoremate, quomodo in Cælo ſit natura, & quomodo motus Cæli ſit naturalis. *Ad 7.* Ad ſeptimam dico, quòd Maior eſt vera ſecundum proportionem, verum eſt quidem quòd id per quod ineſt alicui propria operatio ſubſtantialis, eſt actus eius, ſed quòd eſt cauſa vt alicui inſit tantum motus localis, non autem aliæ operationes, non eſt actus eius, & forma informans, ſed ſolùm aſſiſtens. Præterea, poſsumus negare, quòd Intelligentia ſit ratio, & cauſa propter quam propria operatio inſit Cælo; nam propria operatio Cæli eſt agere in hæc inferiora, ſaltem lumine, & calore; at hæc operatio non ineſt Cælo per Intelligentiam, ſed ex propria natura Cæli: moueri autem eſt quodammodo ei accidentale: quia eſt operatio, quæ illi ineſt ab alio extrinſecus, ſcilicet, ab Intelligentia.

Ad 8. Ad octauam, negatur quòd Intelligentia det vnitatem Cælo. Ad Auerroem dicentem ex Orbe, & Intelligentia magis fieri vnum, quam ex materia, & forma, dico, quòd non vult aſſerere quod ex Orbe, & Intelligentia fiat vnum compoſitũ, vt illi perperam intelligunt: ſed vult dicere, quod ex Intelligentia, & Orbe fit vnũ magis indiuiſibile, quam ex materia, & forma materiali. *Ad 9.* Ad nonam Reſpondet Piccolomineus, Cælum dici abſolutè, & ratione ſui, animatum: quia habet vitalem actum, & vitalem contactum virtutis, ex quo vitali contactu prodeunt

differentiæ:non tamen propter hoc ſequitur,quòd ſit verè animatum anima informante; quòd vt breuiter dicatur,eſt animatum effectiuè, non formaliter. *Ad decimam.* Ad decimam dico,quod ſicuti illa corpora ſunt actu entia per ſeipſa, ita etiam per ſeipſa ab inuicem differunt, non per aliquam formam informantem, & dantē illis eſſe ſubſtantiale.

THEOREMA LIX.

Cælum eſt corpus ſimplex.

Ponuntur opiniones Aegidij, & D. Thomæ,cum ſuis rationibus:& reijcitur opinio Aegidij. Cap. I.

QVoniā in hac materia Opinio Scoti non poteſt comprobari,niſi ex cōfutatione Opinionū Aduerſariorum, ideò prius apponam Opiniones aliorum, deinde Opinionem Scoti patefaciam. Aegidius primo loco putauit in Cęlo eſſe materiam,& eam eſſe eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum. 1. rō. Pro hac opinione ipſe, & multi alij, varias rationes adduxerunt. Prima ratio ſumitur ex Ariſtotele 1. de Cælo, textu 92. Omne indiuiduum ſenſibile, & per ſe exiſtens, conſtat ex materia,& forma,Corpus Cæleſte eſt huiuſmodi, ergo Corpus Cæleſte conſtat ex materia,& forma. Minor eſt per ſe nota; Maior eſt Ariſtotelis in aſſignato loco; immò totum argumentum; ibi enim expreſsè ponens hanc Maiorem, colligit aliud eſſe rem abſolutè ſumptam, vt Cælum, aliud eſſe eandem vt ſingulare,vt hoc Cælum: Cælum enim abſolutè pronunciatum, ſignificat formam, at hoc Cælum ſignificat formam in materia; Ait ergo Ariſtoteles apertè, quod Cælum conſtat ex materia, & forma. Subinfert Aegidius;at nulla alia materia datur apud Ariſtotelem niſi illa prima materia, quæ inuenta eſt primo Phyſicorum, quæ eſt materia horum inferiorum,ergo eadem eſt materia Cæli, & horum inferiorum.

2. rō. Secundò,eadem accidentia ſunt communia Vniuerſo Orbi,Cælo, & Mortalibus, & accidentia eadem, eandem materiā conſequuntur, ergo habent eandem materiam. Antecedens patet:quia lumē, perſpicuum,rarum & denſum,ſunt communia mortalibus, & Cælo. Et confirmatur:quia ex Ariſtotele ſecundo de ortu,& interitu: quæ comparantur ſecundū molem,& dimenſiones,habent communem materiam ait Ariſtoteles,Cælum,& mortalia ſunt huiuſmodi,ergo. Nā dicimus, ſolem maiorem terra, lunam minorem, ergo communem materiam includunt.

Tertiò,ait Ariſtoteles 2. de ortu, & interitu,eſſe genere eadem, & numero ęqualia principia Cæli,& mortalium, ergo materia eſt eadem in Cælo, & mortalibus. 3. rō.

Quartò, vnica eſt forma mundi, ergo vnica materia. Item, vnum primum efficiens omnium, ergo vnica prima materia omnium, vt cuilibet patienti reſpondeat proprium efficiens. Item vnus eſt mundus, ergo vnicam habet materiam: quia vnius operis eſt vnica materia, & confirmatur 5. Metaphyſices; Vnum numero eſt id, cuius materia eſt vna, Mundus eſt vnus numero, ergo materia eius eſt vna: & ſic Cæli, & inferiorum vnica eſt materia. 4. rō.

Quintò,Cælum,vel eſt pura potentia, vel eſt purus actus,vel compoſitum ex actu & potentia: ſed non eſt purus actus, quia Cælum eſt quantum, & habet alia accidentia;neque eſt pura potentia,quia non eſt prima materia, ergo eſt compoſitum ex potentia, & actu. His omnibus rationibus probatur in Cælo eſſe materiam, & illam materiam eſſe eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum; & quia videbat contra hanc ſuam ſententiam valere argumentum Diui Thomæ, & Auerrois,quia tunc Cęlum eſſet corruptibile. Reſpondet, quòd hoc non ſequitur:quia ait, quod ſunt duo genera formarum,quę materiam informant; alia enim forma habet contrariam aliam formam,& propter hoc materia illi ſubiecta habet poteſtatem recipiendi aliam formam contrariam, & propter hoc in tali materia eſt priuatio; alia verò forma nullam formam contrarium habet: ſed 5. rō.

ſatiat

ſatiat omnem capacitatem materiæ, quã informat,& tunc materia illi ſubiecta nõ eſt in potentia ad aliam formam recipiendam, quia tota eius capacitas ſatiatur hac forma; Hoc modo contingit in propoſito de materia Cæli,cum enim nullam aliam formam contrariam habeat, ſatiat omnem capacitatem materiæ, quam informat, & ita non eſt in potentia ad vllam aliam formam,& ſic Cælum licet habeat materiam eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum, tamen Cælum eſt incorruptibile. Duo itaque dicit Aegidius, Primò quòd in Cælo eſt materia. Secundò,quod illa materia eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum.

Opin. Aeg. duo continet.

6. rõ. Pro hac eadem opinione audiui quodam adducere ex 3. libro de Cęlo verba illa: *Dico autem ſubſtantias quidem ſimplicia corpora,vt ignem,& terram, & quæ eiuſdem cum his ordinis, & quæcumque ex his, veluti & totum Cęlum, & partes eius,& rurſum animalia,& Plantas, &c.* Nam videtur hic Ariſtot. dicere,quod totum Cælum ſit compoſitum ex Elementis,ſicut alia compoſita materialia corruptibilia, & conſequenter videtur velle, quod Cęlum conſtat ex materia eiuſdem rationis cũ materia horum inferiorũ. Id autem colligitur ex illis verbis: *& quod ex his, velut totum Cælum,& partes eius.*

Opin. D. Tho.

D.Thomas prima parte quæſtione 66. articulo 2. partim conuenit cum Aegidio, partim diſſentit; conuenit in hoc, quòd in Cælo eſt materia, & quod Cælum eſt compoſitum verè ex materia, & forma; diſſentit verò, quia D. Thomas ait hanc materiam eſſe alterius rationis à materia horum inferiorum: quomodo autem ſit diuerſa declarat, & hoc eſt notandum, vt cognoſcatur, quomodo differat ab opinione Auerrois; eſt ergo diuerſa ſecundum D. Thomam in hoc tantùm,quia materia horum inferiorum eſt in potentia ad diuerſas formas, neque vnquam recipere poteſt vnam formam, quę ſit ei perfectio integra, & ſit totum eius obiectum receptibile,ſed omnis forma, quam recipit, eſt pars obiecti adequati,ex quo fit, quòd in materia horum inferiorum neceſſariò ſemper relinquitur potentia ad aliam formam, qua eſt priuata, & ita in materia horum inferiorum hac de cauſa eſt priuatio, & corruptibilitas: at in materia Cęli, nulla eſt priuatio, neque potentia ad aliam formam,quàm ad eam, quam habet: quia illa forma ſatiat totam capacitatem materię, ſi quidem illa materia eſt tantum in potentia ad illam formam, & non ad aliam,& propter hoc in Cęlo non eſt corruptibilitas; Vult ergo quòd materia Cęli ſit in potentia ad eſſe, quòd recipit à forma Cęli, & non ad Vbi,ſolùm; & in hoc differt ab Auerroe, qui vult, quòd materia Cæli ſit ſolum in potentia ad Vbi; ſed non ad eſſe; & vltra D. Thomas vult, quod materia Cæli ſit ſolum in potentia ad hanc formam Cæli, non ad aliam: per quòd diſtinguitur a materia horum inferiorum, & in hoc diſcrepat ab Aegidio.

Diſcrimen D. Tho. ab Auerr. & ab Aegidio.

1. rõ. D. Tho.

Primam partem huius poſitionis, qua conuenit cum Aegidio,ſcilicet,quod materia Cæli ſit in potentia ad eſſe, & ad formam Cæli, & ita ſit pars, ex qua ſimul cum forma Cæli componatur Cælum, probat hoc argumento. Omne ens actu, vel eſt totum actus, & forma, vel eſt habens actum, & formam, at Cælum ſecluſa Intelligentia, eſt ens actu, vt patet, ergo vel eſt totum actus, & forma, vel eſt habens actum, & formã: at non eſt totum actus, & forma, quia omne tale eſt intellectum in actu, quod non poteſt dici de corpore Cęleſti, quia eſt ſenſibile, relinquitur ergo, quod ſit habens actum: ſed habere actum, eſt componi ex forma, & ſubiecto formæ, ergo Cælum conſtat ex materia, & forma. Pro hac parte etiam valent rationes adductæ pro ſententia Aegidij quò ad id, in quo conueniunt.

Secũda pars, ĩ qua diſcrepat ab Aegidio proba tur à D. Tho.

Secundam partem probat, in qua diſcrepat ab Aegidio. Cælum apud Ariſtotelem eſt ingenitum, & incorruptibile, ergo eius materia nõ habet annexam priuationem; Antecedens eſt clarum; Conſequentia quoque eſt clara: quia priuatio eſt cauſa corruptibilitatis; ſubinfert: at materia horum inferiorum habet annexam priuationem, quia eſt in potentia contradictionis, ergo hæc, & illa differunt, & ſunt alterius naturę,quæ alteritas

ritas conſiſtit in hoc, quod hæc materia inferior eſt in potentia ad diuerſas formas oppoſitas, ideò habet annexam ſemper potentiam, & priuationem, etiam cum eſt actu ſub vna forma: at materia Cæli eſt in potentia ſolùm ad vnam formam, quam actu habet, ideò non eſt in eo priuatio, neque potentia ad alias formas, & ita non eſt in Cęlo corruptibilitas.

1. rō. ex recētioribus. Pro eadem opinione arguunt recentiores, & acutiſſimè quidem Theophraſtus lib. quem ſcripſit de Natura, Albertus Magnus in Summa, p.p. ex Rabbi Moyſe Aegyptio, putant hanc propoſitionem: Corpus naturale eſt compoſitum ex materia, & forma, eſse per ſe notam; quod etiam videtur de mente Ariſtotelis ſecundò de Anima, textu 2. nam ibi Ariſtoteles diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum. Deindè textu 3. faciens diuiſionem compoſiti, quod dixerat conſtare ex materia, & forma, in naturale, & artificiale; deindè naturale in vitam habens, & non habens vitam, &c. compoſitum non nominat amplius nomine compoſiti, ſed nomine corporis, & dicit corpus, id eſt compoſitum comparatum alijs ſubſtantijs, ſcilicet, materiæ, & formæ, eſſe maximè ſubſtantiā, & ſubiungit maximè omnium corporum tale eſſe corpus naturale; ergo Ariſtoteles apertè videtur ſupponere corpus naturale, & compoſitum ex materia & forma, eſſe idem, & proinde omne corpus eſſe compoſitum, maximè autem corpus naturale (Mathematicum enim corpus, & Artificiale ibi accipiuntur vt ſubſtantiæ, quatenus exiſtunt ſola exiſtentia ſubſtantiali, non accidentali. Hac ergo Maiori ſic conſtituta, ſic formatur ratio. Corpus naturale eſt compoſitum ex materia, & forma, Cælum eſt corpus naturale; ergo Cælum conſtat ex materia, & forma; Minor ſupponitur vera ex dictis alibi.

2. rō. Secundò ex Ariſt. ſecundo Phyſicorū. Omnis res naturalis ad tria membra reducitur; vel enim eſt natura; vel habens naturam; vel ſecundum naturam. Cælum eſt res naturalis, vt patet: at non eſt natura, quia natura eſt in alio, ſcilicet in eo, cuius eſt principium, Cælum verò non eſt in alio, ſed per ſemetipſum exiſtit; non eſt principium motus, ſed corpus mobile; neque eſt ſecundum naturam: quoniā non eſt affectio, nec proprietas corporis naturalis; iſta autem ſola propriè dicuntur ſecundum naturam, ergo relinquitur, quod Cælum ſit habens naturam: at habens naturam, eſt compoſitum ex materia, & forma, ergo Cælum eſt compoſitū ex materia, & forma. Aſſumptum probatur ex diſcurſu Ariſtotelis in ſecūdo Phyſicorum à tex. 6. vſque ad textū 20. ibi enim Ariſtoteles loquitur de naturis inexiſtentibus habenti naturam, ſcilicet compoſito naturali, quæ ſunt materia, & forma: ergo ſupponit, habens naturam eſſe compoſitum ex materia, & forma: iſtæ enim ſunt naturæ, quæ inſunt habenti naturam.

Tertiò natura ex Ariſtotele ſecundo Phyſicorum textu 3. eſt in alio: quia eſt principium motus in eo, in quo eſt, &c. tunc facto hoc ſuppoſito ſic arguunt: Naturam eſſe in alio, duobus modis fieri poteſt; vel vt ſit in alio tamquam ſuperueniens; vel ſit in alio tamquā conſtituens; ſi primo modo, erit accidens, ergo ſecundo modo: at ſi natura eſt in Cælo ſecundo modo, ſcilicet, vt conſtituens, neceſſe eſt Cęlum eſſe compoſitum; Conſequentia probatur: quia ſimplex materia, & ſimplex forma, non ſunt in alio, ſed ambę ſunt in compoſito: ſi ergo in Cęlo eſt natura, & natura eſt in Cęlo tamquam in re conſtituta ab ea, neceſſe eſt quod Cęlum ſit compoſitum ex materia, & forma: quia hoc modo ſolum verificatur naturam eſſe in Cęlo, vt in conſtituente. 3. rō.

Quartò, ex Alberto Magno ſic arguunt: Poſterius non abſtrahit à ſuo priori, 4. rō.
compoſitio accidentalis eſt poſterior ſubſtantiali, ergo hęc non abſtrahit ab illa; ergo vbi eſt compoſitio accidentalis, ibi eſt compoſitio ſubſtantialis: in Cęlo eſt compoſitio accidentalis, vt patet: eſt enim compoſitum ex ſubſtantia, & quantitate, figura, &c. ergo Cęlum eſt compoſitum ex materia, & forma. Confirmatur: non eſt poſterius ſine ſuo priori, forma eſt natura prior materia, materia eſt poſte-

poſterior, ergo materia naturalis eſt vbi eſt forma naturalis: at in Cælo eſt forma naturalis per Auerroiſtas, ergo ibi quoque eſt materia naturalis, ergo Cęlum eſt compoſitum.

5. rō. Quintò Ariſtotele 8. Metaphyſices tex. primo, proponit ſubſtantias ab omnibus conceſsas, inter quas enumerat Cælum, & partes Cæli; in textu 3. deinde ponit hanc propoſitionem: omnes ſubſtantiæ ſenſibiles habent materiam, & ſubdit ibi diuiſionem illam, ſubſtantia eſt triplex, materia, forma, & quod ex his. Hinc patet, quod Celum continetur ſub his ſubſtantijs; conſtat etiam, quòd Cælum eſt ſenſibilis ſubſtantia, & quod non eſt materia, nec forma, ergo habetur, quod eſt ſubſtantia compoſita ex materia & forma.

6. rō. Sextò, Ariſtoteles 1. de Cælo textu 92. ait omne ſenſibile eſſe ſingulare, & in omni ſingulari aliud eſſe formam ſimpliciter, & aliud eſſe formam in materia; tunc ſic: Cælum eſt ſenſibile, & ſingulare, ergo Cælum eſt compoſitum ex materia & forma. Confirmatur: Ariſtoteles tertio de Anima, textu 9. ſcribit, in nonnullis rem eſſe, & eſſe rei, eſſe idem: in alijs verò non eſſe idem; illa in quibus ſunt idem, ſunt quidditates, & ſimplices eſſentiæ; illa in quibus non ſunt idem, ſunt compoſita ex materia, & forma; tunc ſic: Cælum eſt res, vel ergo eſt primi generis, & hoc non: quia Cælum eſt ſingulare quoddam, non quid vniuerſale, ergo eſt de numero illorum, in quibus differunt eſſe rem, & eſse rei: omnia talia ſunt compoſita ex materia, & forma, ergo Cælum eſt compoſitum ex materia, & forma, coincidit cum primo Aegidij.

7. rō. Septimò, Niſi Cælum ſit compoſitum ex materia, & forma, non dabitur primũ efficiens naturale: conſequens eſt abſurdum, ergo; Conſequentia probatur: quia ſi Cælum ſit mtaeria actu, quæ moueatur ab Iutelligentia, Cælum non habebit aliam formam, quam intelligentiam; at intelligentia non eſt forma naturalis, ergo Cælum non erit principium efficiens naturale: quia in Cęlo non erit vis effectiua naturalis, quę eſt forma naturalis pręter intelligentiam.

8. rō. Octauo arguitur ex Ariſtnt. 2. de Cælo tex. 46. vbi habet, circulum maiorem velocius ferri minore: quia in maiori eſt maior virtus; tunc ſic: virtus in alio poteſt eſſe maior ex duplici cauſa; primò, quia maior virtus additur mouenti, vt contingit in grauibus, quę in fine velocius mouentur, quia augetur grauitas ex minori reſiſtentia medij, quod ſemper diminuitur quo magis res approximatur Centro. Secundò, quia virtus augetur ex multiplicatione materię ſub eadem forma, vt fit de igne in ferro, & palea, in ferro enim eſt maior caliditas propter materię multiplicitatem; in Cęlo non poteſt eſse additio virtutis primo modo, ergo erit ſecundo modo: at multiplicatio, & condenſatio materiæ ſub eadem forma, ſupponit materiam eſſe ſub illa forma, ergo in Cælo eſt materia.

Nonò. Rarum aut eſt multiplicatio materiæ ſub eadem forma, aut formæ in eadẽ materia, ergo vbi eſt raritas, & denſitas ibi eſt materia, in Cælo eſt raritas, & denſitas, ergo in Cælo eſt materia ſub forma. 9. rō.

Vtraque iſtarum opinionum eſt falſa ſecuudum Scotum, & communibus vrgentur difficultatibus, & etiam proprijs; nos tamen primo reijciamus opinionem Aegidij. Aduerſus eam arguit Scotus 2. Sententiarum, diſtinctione 14. quæſtione 1. argumento eodem, quo etiam vtitur aduerſus Diuũ Thomam, vt infra videbimus, & eſt illud idem argumentum, quo vtitur Diuus Thomas contra Aegidij ſententiam, propter quod vitandum, Diuus Thomas dixit materiam Cæli eſſe alteri⁹ rationis à materia horũ inferiorũ, quod eſt iſtud. Stãte opinione Aegidij, ſequeretur Cælum eſſe corruptibile, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; Cõſequentia probatur: quia in quocumque eſt potentia contradictionis, in eo eſt corruptibilitas, quia potentia contradictionis eſt ratio corruptibilitatis, at in materia prima eſt potẽtia paſſiua, q̃ eſt potẽtia contradictionis, ergo in Cęlo non eſt materia prima. Huic rationi reſpondet Aegidius, quòd licet in Cęlo ſit materia prima paſſiua, quæ eſt contradictionis, non tamen

(Margin: 1. rō. cōtra Aeg.; Reſp.)

tamen ſequitur, quòd Cælum ſit corruptibile; quia forma Cæli eſt adeò perfecta, quod ſatiat omnem appetitum, & capacitatem materiæ, & potentiæ eius, & ideò Cælum non eſt corruptibile, licet includat materiam primam: nulla enim manet priuatio in illa materia amplius reſpectu cuius remaneat appetitus in materia.

Reij-citur.

Hanc reſponſionem reijcit Scotus: quia nulla forma complet totum appetitum materiæ ſuæ reſpectu alterius formę, niſi det actum oppoſitum priuationi alterius formæ: vt putà, forma ignis nõ poteſt ſatiare appetitum ſuæ materię, & potentię eius, quàm habet ad formam aquę, niſi det eſſe illi materię, quod daret formam aquę;

Reij-citur.

Hęc propoſitio eſt euidẽs: quia aliter ſemper manebit appetitus ille in materia illa ad illud eſſe, & actum, ſed forma Cęli non dat ſuę materiæ actũ oppoſitum priuationi cuiuſcumque formæ alterius à ſe, ergo non poteſt ſatiare omnem appetitum materiæ ſuæ, ſed in illa materia remanet priuatio formæ ignis, aquæ, &c. Minor hęc probatur: quia nulla forma dat actum oppoſitum priuationi cuiuſcumque formæ, niſi in ſe contineat omnes formas ſaltem virtualiter: ſed forma Cæli non ſic continet omnes formas, quia non continet intellectiuã, vt patet, ergo ſaltem in materia Cęli eſt priuatio formę intellectiuę, ergo materia Cæli eſt in potentia ad illam, & ita Cælum eſt corruptibile. Hæc ratio eſt efficaciſſima, & poteſt ampliari: quia certum eſt, quod forma Cęli non continet in ſe formas mixtorum, neque formas elementorum, cum ſint diuerſæ formæ etiam genere; clarum eſt autem, quod ſi materia Cęli eſt materia prima, ſiue eiuſdem rationis cum materia prima, quod eſt in potẽtia ad recipiendum huiuſmodi formas actu, & licet forma Cęli ſit nobilior formis mixtorum, & concurrat ad generationem ipſarum, non tamen illas virtualiter continet: quia tunc forma Cęli per ſe poſſet producere omnes effectus, & efficere omnia, quæ efficiunt formę mixtorum, ſicuti Deus, quia virtualiter in ſe continet omnes cauſas inferiores, & creaturas poteſt per ſe producere, & efficere omnes effectus, quos ipſemet creaturæ producere poſſunt; at ſecundum Ariſt. Cęlum eſt vnum genus ſubſtantiæ, quod habet ſuas operationes, & effectus proprios, diſtinctos, ac diuerſos ab alijs agentibus, quo fit, vt forma Cæli ſit pars obiecti adæquati materiæ primæ: obiectum verò totale, & adæquatum, receptibile à materia, eſt genus vniuerſum formarum, vti color in vniuerſum eſt obiectum viſus: ſicuti ergo licet potentia viſiua actu ſit ſub vno perfecto colore, vt putà, ſub albo, non propter hoc negatur quin ſit in potentia ad alios colores videndos, neque ab illo colore perfecto ſatiatur potentia, & appetitus potentiæ viſiuæ: ita materia prima licet ſit ſub forma Cęli, quę eſt forma perfectiſſima, non tamen propter hoc dici debet, quod ſit penitus ſatiata, & quod in ea amplius non ſit appetitus ad alias formas. Quod ſi quis dicat, rationem corruptibilitatis in his inferioribus prouenire non ratione materiæ, ſed ratione formarum horum inferiorum, quæ ſibi inuicem ſunt contrariæ, forma autem Cęli nullum habet contrarium, & ideò nõ eſt corruptibilitas in Cęlo; Hæc reſponſio eſt nulla, quia potentia, & priuatio, non inſunt materiæ primæ ratione formarum: ſed ex propria natura materiæ, vndè ait Ariſt. 1. Phyſ. tex. 59. & inde: quod priuatio, & materia ſunt idem, & vnum numero, licet ſint diuerſæ ratione: & in hoc eſt valde inſiſtendum;

Recẽtiorũ quorũdã diſtinctio reijcitur.

nonnulli enim volentes defendere Aegidium, diſtinguunt ſic. Materia poteſt conſiderari dupliciter; Vno modo ſecundum eſſentiam, & ſic nõ eſt in potentia ad vllam formam, nec habet priuationem vllam, ſed eſt pura potentia; Alio modo, quatenus eſt ſub forma, & tunc ſi eſt ſub forma habente cõtrarium, in materia ipſa inſurgit potentia ad aliam formam, & priuatio, ſi verò ſit ſub forma, quæ non habet contrarium, non inſurgit potentia ad aliam formam, nec priuatio: & quia materia, vt eſt in Cęlo, eſt ſub forma, quæ non habet contrarium, ideò non habet potentiam ad aliam formam, nec priuationem: ſed quatenus eſt ſub formis his ſublunaribus, quæ habent contrarium, recipit potentiam, & priuationem.

Verum hoc Aegidij fundamentum,

quod

quod materia prima ſecundum eſſentiã ſit potentia, & tamen non ſit in potentia ad formas, & quod non appetat formas omnes, ſed hęc potentia, & appetitus, & conſequenter priuatio inſit materiæ à formis habentibus contrarium, eſt omnino falſum; Primò enim repugnat dicere, quod materia ſit ſecundum eſſentiam potentia,& tamen non ſit in potentia ad formas; nam potentia dicit relationem ad formam, tamquam ad terminum, ergo non poteſt eſſe potentia,niſi reſpectu formæ. Præterea, ſi eſt eſſentialiter potentia reſpectu formarum,ergo eſsentialiter eſt priuata formis, & habet aptitudinem ad illas recipiendas,ergo implicat repugnantiam, quod habeat hanc potentiam, & priuationem extrinſecè à forma,quod enim ineſt alicui eſſentialiter,non ineſt extrinſecè.Confirmatur:quia ſecũdum Aegidium, potentia ineſt materiæ in primo modo dicendi per ſe, potentia autem, & priuatio,ſunt idem realiter,ergo priuatio ineſt materiæ in primo modo dicendi per ſe,non à forma; tandem forma dat materiæ actum,non potentiam; immò, determinat potentiam,quàm reperit in materia. Vltimò,vt dictum eſt ex Ariſtot. Priuatio,& materia ſunt idem, & vnum numero, ſola ratione diuerſa,ergo priuatio ineſt materię ex ſe, non à forma habente contrarium; eſt ergo verum, quod materia prima habet eſſentialiter annexam potentiam, quæ quia nunquam vniuerſaliter ab aliqua forma expletur, ſemper remanet priuata aliqua alia forma, & ſic priuationes, & potentiæ particulares remanent in materia, propter quas fit continua corruptio,& generatio:quia potentia vniuerſalis, nunquam tota ſatiatur.

2. rõ. Secundò arguere poſſumus vt Zabarella, & alij. Si materia Cęli eſt eiuſdem rationis cum materia horum inferiorũ, ergo ei competit definitio materiæ primæ, patet conſequentia; ſed hoc eſt falſum, quia in calce primi Phyſ. tex. 72. & inde, ait Ariſtot. quod materia prima eſt primum ſubiectum,ex quo fit aliquid,ergo materia Cæli erit ſubiectum ex quo aliquid poterit generari, ergo Cælum erit corruptibile. Neque valet dicere,ibi materiam definiri vt eſt in corporibus inferioribus tantum, quia eſſe in corporibus inferioribus,eſſet ei accidentale,ſi eſt cõmunis ad omnes formas, ſicuti eſt accidentale potentiæ viſiuæ, quod videat colorem album, & ſic hæc definitio eſſet per accidentalia:at clarum eſt, quod hæc eſt conditio eſſentialis materię, quod ex ipſa fiat aliquid, cum ergo hæc ſit eſſentialis conditio materiæ, neceſſe eſt etiam quod competat Cęlo, ergo Cęlũ erit corruptibile. Tertiò, Methodus inueniendi materiam primam eſt tranſmutatio,at in Cęlo non eſt tranſmutatio, ergo non poſſumus cognoſcere in Cælo an ſit materia; Maior probatur in quodam noſtro Theoremate de cognitione materię, & confirmatur; quia illa ſola vſus eſt Ariſtoteles 1.Phyſ. tex. 51.& inde, Vel ergo illa ſola datur;vel eſt notior, vel efficacior via, ſine qua non poſſumus cognoſcere an detur materia prima. Alias rationes require apud alios,vt apud Franciſcum Piccolomineum; hæ mihi videntur potiores, ſed multę rationes contra opinionem D. Thomę, etiam valent contra hanc ſententiam. 3. rõ.

Reijcitur opinio D.Thomæ. Cap. II.

IN eodem loco Scotus reijcit opinionem D.Thomę, & opinio adducit rationem primam, quam adduximus contra Aegidium, quam repetere non erit inutile, propter reſponſiones Thomiſtarum. 1. rõ.

Nullum incorruptibile conſtat ex materia,Cęlum ex Ariſt. 8. Phyſ.1.de Cęlo, & alibi,eſt incorruptibile,ergo Cęlum nõ conſtat ex materia,Minor eſt clara,& cõceſſa;Maior probatur.In quocumque eſt materia, in eo eſt potentia paſſiua, Hęc propoſitio patet, quia materia habet annexam potentiam, quę eſt propria paſſio materiæ;immò ſecundum D. Thomam, & Aegidium,potentia eſt de eſſentia materiæ in primo modo dicendi per ſe; at ex Ariſt.9.Metaph.tex. 17.omnis potentia paſſiua eſt potentia contradictionis,ergo in Cælo ſi ſit materia, Cælum erit in potentia contradictionis: ſed quod eſt in potentia contradictionis, poteſt eſse, & non eſse: quod poteſt eſſe, & non eſse, eſt

corrupti-

corruptibile,ergo à primo ad vltimum ſi Cælum conſtat ex materia, Cælum non erit incorruptibile,ſed formaliter corruptibile, ſicuti ignis, & quodlibet aliud corpus naturale; & dato quod non eſſet aliquod agens externum,quod poſſet ipſum corrumpere, tamen intrinſecè eſſet corruptibile in ſe,quia haberet materiã, quæ eſt principium internum corruptionis.

Reſp. Caietani. Caietanus prima parte Summę,quęſtione 66. art.2. nititur ſoluere rationem hanc Scoti, & pro declaratione opinionis D.Thomæ, & ſolutione rationis huius, & aliarum, ponit hanc diſtinctionẽ. Materia ſecundum ſe, non eſt aliquod ens, ſed ſolùm ſubſtantialis potentia ad formam, & hæc eſt quidditas materię: ſed eſſe ſubſtantialem potentiam ad formã,contigit duobus modis; Vel enim eſt ad formam ſecundum genus, vel ſecundum ſpeciem;differunt autem iſti modi, quia potentia ad formam vnam genere tantum, eſt ad plures ſpecies ſimul: ſed potentia ad formam vnam ſpecie tantũ, non eſt ad plura, niſi per accidens, vt ad plura indiuidua, in qua eſt multiplicabilis: ſed hæc non pertinent ad artem. Ex hac differentia conſurgit alia differentia, quæ eſt,quòd potentia ad formam vnam ſecundum genus,habet priuationem annexam,ſed potentia ad formam vnam ſecundum ſpeciem,nequaquam; & hæc ſecunda differentia patet: quia potentia, quæ eſt ad plura, dum habet actu, vnum illorum eſt in potentia ad reliquum, ac per hoc priuatur illo, & ſic habet annexam priuationem, materia verò habens potentiam ad formam vnam ſpecie, ſiue potentia ad formam vnam ſpecie, cum illam habet,nullo caret,quod ſit apta habere, & ſic illa potentia non habet annexam priuationem; & monet huic fundamento eſſe ſtandum:quia hoc eſt clariſſimum, quod nihil appetit negationem, aut malum, niſi quia appetit vnum, cui eſt annexa negatio alterius, vt calefactibile appetendo calorem, appetit priuationem frigoris; potentia ergo ſecundum genus, habet annexam priuationem, non potentia ſecundum ſpeciem; tunc ad propoſitum ait,quod materia horum ſublunarium eſt potentia ad formam ſecundum genus, ſcilicet ad formam ſubſtantiæ generabilis,& corruptibilis,quam reſpicit, vt actum adæquatum, & quia ſub forma hac generica ſunt multæ ſpecies, oportet quod cum eſt ſub vna ſpecie; ſit in potentia ad alteram, & ſic eſt priuata illa, ideò materia horum inferiorum habet annexam priuationem: ſed materia Cæleſtis corporis non eſt potentia ad formam vnam genere,ſed ad formam vnam ſpecie;ita,quod non eſt putandum(ait ipſe) quod materia Cęli reſpiciat formam Cęleſtem in communi,& vt actum in genere adęquatum:quia ſic ſequeretur eſſe in ea potentiam ad plura, & priuationẽ, & corruptibilitatem ab intrinſeco,vti cõtingit in materia horum inferiorum. Sed dicendum eſt, quòd materia lunę, eſt in potentia ſecundum, ſe ad formam lunę tantum,& materia ſolis ad formam ſolis tantum,& ſic de alijs;& ita quot ſunt ſpecies corporum Cęleſtium, tot ſunt genera Phyſica eorum;& ait,quòd quando dicit,materia Cęli,non dicit, neque ſignificat aliquam vnam materiam, ſed quoddam analogum omnibus materijs Corporum Cæleſtium.

Hac habita diſtinctione, vt reſpõdeat ad Rationem Scoti, quæ etiam eſt Auerrois,format aliam diſtinctionem,quæ coincidit cum iſta, ſcilicet, quòd potentia eſt duplex: Quædam eſt purè receptiua, quæ ſcilicet nulla paſſione media recipit formam, vti eſt potentia ad vnicam formam ſpecie; Quędam autem eſt potentia receptiua, & ſimul paſſiua, ita, quod & agitur ab agente, & recipit formam, vti eſt potentia ad formam ſecundum genus: modo prima potentia non eſt potentia contradictionis, ſed hæc ſecunda.

Ad propoſitum ait, quod luna conſtat ex materia, quę eſt purè receptiua; quia nulla paſſione media,aut actione,recipit illam formam; & ſic dicendum eſt, de alijs corporibus Cęleſtibus; Quod confirmatur: quia luna eſt in potentia ad figuram ſphęricam, & tamen non eſt in potentia cõtradictionis reſpectu illius: quia eſt tantum illius receptiua, ſed non eſt paſſiua reſpectu illius; Quod ſi quis inſtet, quòd potentia ſecundum ſe, eſt indifferens ad actum, & negationem, &

conſe-

conſequenter inferatur, ergo materia Cæli poteſt eſse ſine actu, neganda eſt conſequentia, vel ſimilis illatio, quocumque modo aliter formetur Ratio; ratio negationis eſt, quia iſta propoſitio negatiua eſt vera, potentia non ex ſe habet actum; ſed ex ea non infertur affirmatiua, ergo ex ſe habet non actum, quod eſt eſse in potentia contradictionis ſecundum ſe ad actum, & ad non actum; ſimiliter iſta propoſitio affirmatiua. Potentia ex ſe habet non actum, eſt falſa; Similiter iſta. Potentia ex ſe non magis habet actum, quam non actum: quoniam hæc materia Cæli, quæ eſt potentia ſubſtantialis formæ Cæli, ita vendicat ſibi actum talem, & talem formam, quod non aliam; Hæc eſt Prima reſponſio. Secundò reſpondet ad hominem, id eſt ad intentionem Ariſt. 9. Metaph. dicens; quod cum Ariſt. ait, quod omnis potentia eſt potentia contradictionis, ibi loquitur de potentia, vt potentia eſt, at quando potentia iam eſt ſub actu non eſt potentia, vt potentia, & ita potentia purè receptiua non clauditur ſub illa propoſitione; quòd autem potentia, vt eſt ſub actu, non ſit potentia, probat ex Ariſt. in eodem tex. 17. 9. Metaph. vbi Ariſt. negat in Cælo eſse potentiam ad motum, & tamen clarum eſt, quod in Cælo eſt potentia ad motum: quia motus eſt actus entis in potentia, vt in potentia; cum ergo motus ſit in Cælo, in Cælo eſt potentia ad motum localem, cum ergo negat in Cælo potentiam ad motum, non alia de cauſa negat, niſi quia Cęlum ſemper actu eſt ſub motu.

2. reſponſ.

Reijcitur.

Verùm hęc defenſio Caietani videtur tota verbalis: attamen contra eam arguo, & dimiſſa diſputatione, an materia ſit pura potentia ſubſtantialis, quæ alibi eſt diſcuſsa, probo, quòd illa diſtinctio de duplici potentia, ſcilicet purè receptiua, & receptiua, & paſſiua ſimul ſit nulla, quia tam primum, quam ſecundum membrum eſt potentia contradictionis (dato gratis quod in materia reperiatur iſta duplex potentia ad formam ſecundum genus, & ad formam ſecundum ſpeciem, quod eſt apertè falſum: quia determinatio omnis eſt à forma, nulla à materia; & ideo in materia ex natura ſua non reperitur diſtinctio potentiæ: ſed diſtinctio iſta potentiarum prouenit à formis informantibus ipſam materiam, & a formis illis poſtea euenit, quòd materia illa determinetur ad formam vnam ſecundum ſpeciem, & illa ad aliam) Probo itaque quod potentia, quam ipſe dicit purè receptiuam, ſiuè potentia quæ eſt ad vnicam formam ſpecie, habeat priuationem annexam, & ſit potentia contradictionis, primo ſic. Potentia ſecundum ſe, eſt indifferens ad actum, & negationem; Hæc propoſitio ex ſe eſt vera, & non eget probatione; quia ſi eſſet determinata ad alteram partem, non eſſet potentia, ſed eſſet vel purus actus, vel pura negatio; potentia ergo eſt indifferens ad vtrumque, quia poteſt recipere vtrumque, & carere vtroque ſucceſſiuè; & hæc propoſitio etiam admittitur à Caietano, vt viſum eſt: ſed negat poſtea conſequentiam; tunc ergo arguitur hoc modo. Potentia de ſe eſt indifferens ad actum, & negationem actus, at materia per vos, eſt potentia, ergo eſt indifferens ad actum, & negationem actus; totum hucuſque conceditur: at ex hoc ſequitur, quod in potentia eſt priuatio actus, & ita potentia contradictionis, hæc eſt conſequentia, quam negat Caietanus, quia inquit ſolum ſequi hanc propoſitionem; quod potentia non ex ſe habet actum, non autem iſtam, potentia non habet actum ex ſe; Ego autem probo hanc eſſe bonam conſequentiam: nam omnis potentia indifferens ad duo extrema, æqualiter illa duo extrema reſpicit, alioquin non eſſet indifferens ad illa, ſed ex conceſſis, & nunc probatis, materia, & potētia eſt indifferens ad actū, & negationē actus, ergo ęqualiter reſpicit actū, & negationē actus, ergo nō minus repugnat illi materiæ, & potentię ex ſe, negatio actus, quam actus ipſe: quia tunc non eſſet indifferens ex ſe, ad vtrumque: ſed actus ei non repugnat, immò competit, & illi ineſt actu, ergo negatio quoque illi materię, & potentię ineſſe poteſt actu, quantum eſt ex natura potentiæ, alioquin vt dictum eſt, potentia illa non reſpiceret indifferenter vtrumque, at potentia contradictionis eſt ea, cui ex ſe non re-

1. ratio.

non repugnat eſſe ſub extremis contradictorijs, ergo omnis potentia eſt potentia contradictionis,& ſic potentia purè receptiua, quoque erit potentia contradictionis. Secundo, Caietanus ait, quod hęc propoſitio eſt vera,& ſequitur ex illa: potentia non ex ſe habet actum; tunc ſic. Hæc propoſitio eſt propoſitio Cathegorica de ſubiecto infinito, vt patet: at ex Ariſt. in 2. Perihermenias, ad propoſitionem affirmatiuam de ſubiecto infinito, ſequitur affirmatiua de prędicato infinito: vt ad hanc; non homo eſt iuſtus, ſequitur iſta: homo eſt iniuſtus, ergo in propoſito, ſi hæc eſt vera: potentia non eſt ex ſe habēs actum (quę eſt eadem, prior enim reſoluitur in hanc) etiam iſta erit vera: potentia eſt non habens actum ex ſe; ſiue potentia eſt inhabens actum ex ſe, ergo priuatio actus potentię ex ſe ineſt;& certè hęc ratio eſt efficaciſſima,& euidentiſſima. Quòd ſi quis dicat, hanc propoſitionē eſse modalem, non abſolutam, hoc admiſſo, adhuc remanet vis rationis: quia ex Ariſtot. in 2. Perihermenias, ad faciendam propoſitionem modalem negatiuam, debet negatio apponi modo, non verbo. Itaque ſi hæc propoſitio: potentia non ex ſe habet actum, eſt modalis, erit negatiua, quia negatio eſt appoſita modo, ſcilicet ex ſe, quæ eſt conditio modificans propoſitionem: vndè oppoſita ei affirmatiua eſt hæc: potentia ex ſe habet actum,& re vera poteſt dici modalis, quia non negat abſolutè actum ineſſe potentiæ, ſed negat modum ineſsendi, ſcilicet ex ſe. Tunc arguitur ſic. Quando propoſitio negatiua eſt vera, id, quod negatur ineſse alteri, per talem propoſitionem re vera non ineſt, ſed per te hæc propoſitio negatiua eſt vera: potentia non ex ſe habet actum, ergo id quod negatur potentiæ per hanc propoſitionē, re vera non ineſt potentiæ; ſubinfero, at negatur actus ex ſe ineſse ipſi potentiæ, ergo actus re vera non ineſt ex ſe potentiæ, ſed vbi non eſt actus, ibi eſt priuatio: quia oppoſita priuatiua ſunt immediata, ergo cum in potentia ex ſe non inſit actus, qui eſt habitus, inerit priuatio ex ſe, & ita iſta potentia erit potentia contradictionis; immo hoc argumento concluditur, quod priuatio prius ineſt ipſi potentiæ, quàm actus, vt patet. Tertiò, priuatio, & potentia materiæ ſunt idem realiter, differunt formaliter ſolùm: quia priuatio primo dicit carentiam, ſecundo aptitudinem: ſed potentia prius dicit aptitudinem, ſecundò carentiam: tunc ſic. Potentia, & priuatio, ſunt idem realiter, ergo potentia eſt priuatio actus; conſequentia patet: quia potentia,& priuatio, ſunt idem realiter. Vlterius, ergo in quocumque ſubiecto,& materia, eſt potētia, in eo eſt priuatio actus ſibi oppoſiti, ergo implicat dicere, in aliquo eſſe potentiam, & non ineſſe priuationem, cum priuatio, & illa potentia, ſint idem re vera; eſt ergo vniuerſaliter propoſitio Ariſt. quod omnis potentia paſſiua, eſt contradictionis: quia illud ſubiectum, quod eſt in potentia, poteſt eſſe ſub actu, & ſub priuatione illi oppoſita. Quartò ait, quod potentia hæc, ſcilicet, materia Cæli non ex ſe habet actum, tunc arguo: ergo ab alio habet actum; conſequentia eſt clara, ſed quod habet actum ab alio, habet illum ab agente,& ab illo agitur,& per illud recipit formam: per te autem potentia, quę agitur ab agente, eſt potentia receptiua, & paſſiua ſimul, quam etiam fateris eſſe potentiam contradictionis, ergo materia Cęli, non erit potentia purè receptiua, ſed receptiua,& paſſiua,& conſequenter erit potentia contradictionis. Vide infra in fine huius capitis reſponſionem etiam recentiorum ad hoc argumentum. 4. rõ.

Contra hanc ſententiam etiam eſt efficaciſſima ratio Aegidij, quæ eſt: materia Cæli ſecundum eos, ſecluſa forma Cęli, eſt ſolum pura potentia: at pura potentia, non diſtinguitur à pura potentia: quia omnis diſtinctio eſt ab actu; cum ergo materia Cæli,& horum inferiorum non poſſint diſtingui, ſunt idem; ſed etiam oſtenſum eſt,& conceditur, quod materia horum inferiorum non eſt in Cælo: ergo nulla materia eſt in Cælo. Huic rationi reſpondet Caietanus, quod Maior eſt vera, quòd omnis diſtinctiō eſt ab actu. Ad Minorem ait, quod iſtæ potentiæ diſtinguũtur per actus, quos per ſe primo reſpiciunt,& per quos definiũtur; ſi vero quęras intrinſecum diſtinctiuum ipſarum, ait, quòd eſt interna cōmenſuratio vniuſcuiuſque 2. rõ priu. Reſp. Caie.

cuiuſque

cuiuſque materiæ ad propriam formam ſibi adæquatam, quæ cõmenſuratio eſt ipſamet eſſentia materiæ identicè, & formaliter. Verum hæc reſponſio eſt nulla: & eam ſatis confutauimus in Theorem. de Indiuiduatione animæ intellectiuæ: pro nunc autem poſſumus ita argumentari; quia tunc ſequitur, quod eſſentia materiæ erit formaliter relatio quędam, non quid abſolutum; conſequentia probatur: quia omnis habitudo eſſentialis ad aliquem, eſt relatio realis, materia per ſe eſt commenſuratio illa ad formam, & ad propriam formam, ergo eſsentia materiæ erit pura relatio; & nota, quod non dico materia erit relatiuum; ſed dico, relatio: quia relatiuum vltra relationem, notat fundamentum relationis, quia eſt concretum: at in eſſentia materiæ primæ ſecundum iſtos nil aliud eſt, niſi iſta ſubſtantialis cõmenſuratio, quia hæc eſt identicè, & formaliter eſſentia materiæ, ergo materia prima, & iſta materia Cæli, eſt ſimplex relatio; ſed iſti concedunt, quod materia ſit quid reſpectiuum, non abſolutum, quod eſt adeò abſurdum, vt non egeat confutatione, tunc enim ſubſtantia erit relatio, vel materia iſta non erit ſubſtantia, immò materia iſta non erit res abſoluta: quia aiunt, quod eſt pura potentia, cuius eſſentia eſt cõmẽſuratio ad proprium actũ, ergo eſt pura relatio; Quod confirmatur: quia ſi præter relationem materia aliquid abſolutum dicat, iſta habitudo, & cõmenſuratio, erit ei accidens proprium, non ratio conſtituens eam in eſſe in primo modo dicendi per ſe, & tũc coincident cum opinione Scoti, quã blaſphemiam in Philoſophia putant; & certe hæc ratio eſt efficaciſſima. Alias rationes habes apud Franciſcum Piccolomin, Zabarellam, Mercenarium, & alios.

Rocẽtiorũ quorũdam reſp. Nonnulli ex Alexandro 1. Quæſtionũ naturalium c.10. & 15. reſpondent materiam horum iuferiorum, & materiam Cæli, ſeipſis differre, ſunt enim entia ſimplicia, ſimplicia autem non differunt à ſe inuicem per aliquid additum, vt per differentiam: quia hoc ſolum competit ſimplicibus, vt ſeipſis differant, ſic enim materia, & forma differunt, ſic prædicamenta inter ſe ſic ens, & non ens; Verum quia contra hoc eſt, quia actus eſt qui diſtinguit non potentia, ergò duæ puræ potentiæ non poſſunt diſtingui ab inuicem ſeipſis. Reſpondent, quod iſtæ materiæ habent modos, ratione quorum diſtinguantur: nam materia Cæli, eſt potentia habens modum cauſandi determinatum, & definitum: materia autem ſublunarium eſt potentia habens modum cauſandi indeterminatum & indefinitum: iſti modi non ſunt differentiæ ſuperadditæ iſtis materijs, ſed ſunt eſsentia ipſa vtriuſcuiuſque materiæ; Cum ergo dicitur in argumento: omnis differentia eſt per actum, conceditur, ſed dicitur actus has materias diſtinguentes eſſe illos modos, quibus ipſe ſufficienter ſunt in actu; Quod ſi contendat quis, differentiam eſſe ab actu formali, reſpondent, quod etiam differũt per actum formalem, quatenus poteſt illis adeſſe differenter tamen, ſcilicet, quia vnius poteſt adeſſe accidentaliter, vt materia ſublunaris, altera quatenus poteſt adeſſe eſsentialiter, ſcilicet materia Cæli.

Reijcitur. Reſponſio iſta facilè ex dictis refellitur, in primis habetur, quod iſtæ materiæ, vt ſunt puræ potentiæ, non poſſunt ſeipſis diſtingui, quia diſtinctio eſt ab actu: vnde confugiunt ad modos illos tamquam ad actus, quibus iſtæ materiæ diſtinguantur. Sed neque hoc habet quid momenti: quæro enim, quid intelligant per iſtum modum cauſandi? non puto eos intelligere de aliqua cauſalitate effectiua, quia hæc eſt à forma, intelligere ergo habent de cauſalitate materiali, & tũc materiam Cæli habere modum cauſandi definitum, & determinatum, eſt idem, quòd materiam Cæli eſse determinatam ad faciendum compoſitionem cum forma Cæli, & non cum alia forma; materia verò ſublunarium eſt indeterminata ad faciendum compoſitionem cum hac, vel illa forma materiali. Sic autem dicere, eſt dicere, quod materia ſublunarium, & materia Cæli, diſtinguantur, & habitudine, & commenſuratione ad formam, ad quã ſunt in potentia, & ſic redit reſponſio Caietani, & ſimilitèr reijcitur; quia illa habitudo, ſiue ille modus, eſt relatio: relatio autem eſt accidens externum, quod

proinde

proinde non poteſt facere differre ſubſtã-tiam à ſubſtantia intrinſecè,& eſſentiali-ter. Si verò dicas, quòd modus ille cau-ſandi, nõ eſt relatio, ſed eſt ipſamet eſſen-tia materiæ, (licet hoc non ſit intelligibi-le: quia ille modus eſſentialiter eſt ordo ad forma,& ideo eſt relatio ſecundũ pro-priam ſuam formalitatem)adhuc ſtat ra-tio in ſuo robore: quia potentia pura ha-beret ex ſe diſtinctionẽ non ab alio,quod eſt abſurdum: quia ex Ariſtotele diſtin-ctio & maximè eſſentialis eſt ab actu,non à pura potentia.

Confirmatur: quia inauditum in Phi-loſophia eſt,quòd potentia pura determi net ſibi modum agendi:hæc enim eſt pro prietas actus, & ſi ſemel concedatur ali-quam potentiã determinare ſibi modum agendi,& eſſentiam ſuam in qualibet re, poterimus dicere,proprietates,& modos agendi, eſſe à materia, non à forma: & hoc eſt peruertere prima principia Philo ſophiæ,quæ ſunt,quòd materia ſit princi pium primum patiendi, forma, agendi. Tandem ex hoc modo dicendi potius ha-betur cõfirmatio opinionis noſtræ, quàm eius deſtructio:quia cum hæc materia ha beat modum agendi determinatum, & ſit ſimplex ſubſtantia, videtur eſſe quin-ta eſsentia, & corpus ex ſe ſimpliciter a-ctu, & nullo modo ex materia, & forma compoſitum.

Quod ait deinde has materias diſtin-gui quoque per habitudinẽ ad actũ for-malem, reijcitur, vt reſponſio Caietani, in eam enim recidit,& per dicta nunc.

3. rõ princ. Tertio principaliter arguit Scotus con tra hanc opinionem Diui Thomæ parti-cularite; ratio enim adducta, probat quod materia nullo modo eſt in Cælo, quia habet potẽtiam;Hæc ratio verò pro bat, quod non poteſt fingi alia materia diuerſa à materia horum inferiorum, & illam dici eſſe materiam Cæli,vti dicebat Diuus Thomas, & Thomiſtæ dicunt, vt patet ex dictis à Caietano nunc. Probat ergo, quod in Cælo non eſt materia, ne-que etiam alterius rationis à materia ho-rum inferiorum. Si in Cælo eſt materia alterius rationis à materia horum infe-riorum,ſequitur, quod ſint duæ materiæ primæ alterius,& alterius rationis.Conſe quentia patet: Conſequens eſt falſum; ergo & Antecedens,falſitas conſequentis probatur:quia non ſunt duo fines primi, nec duo efficientes primi, alterius, & al-terius rationis, ergo neque ſimiliter duæ materiæ primæ alterius, & alterius ra-tionis.

Conſequentia probatur: quia cauſæ ſi-bi inuicem ſunt proportionatę,& eodem modo multiplicantur, ex Ariſtotele ſæ-cundo Phyſicorum,textu 32.ergo ſi darẽ-tur plures materiæ primæ,darentur quo-que plures vltimi fines;at non dantur plu res vltimi fines,nec plures primi efficien-tes:ergo nec plures materiæ primæ.Et cõ firmatur ex ſecundo Metaphyſicæ,textu 2. in vnoquoque genere deueniẽdum eſt ad vnum primum; ergo ſicut in genere cauſæ efficientis deuenitur ad vnum pri-mum, ita in genere cauſæ materialis de-ueniendum eſt ad vnam primam mate-riam.

Huic rationi reſpondet Caietanus vbi ſuprà,negando falſitatem conſequentis. Reſp. Caie. Ad probationem,negat conſequentiam, quia non eſt par ratio, de cauſis extrinſe-cis,& cauſis intrinſecis:nam cauſæ extrin ſecę non ingrediuntur compoſitionem rei,vt partes rei:ſed intrinſecæ intrant cõ poſitionem rerum, vt partes, & ideo de-bent variari iuxta rerum varietates.

Contra.Si hęc reſponſio valeret,ſeque retur,quod quot ſunt varietates rerũ, tot eſsent materię primę,& ita nedum mate-ria Cæli, & horum inferiorum eſſent di-uerſę,ſed in his inferioribus eſſent plures materiæ primæ:conſequens eſt apertè fal ſum,conſequentia verò probatur:quia in his inferioribus ſunt variæ ſpecies, & va-riæ naturæ rerum, & maximè differen-tes,vt animatum, & inanimatum: ergo materia, quę eſt pars illarum, debet eſſe alterius,& alterius rationis.Pręterea,etiã verificatur de cauſis extrinſecis, quod multiplicantur, & variantur ad variatio-nem rerum: nam videmus diuerſas cau-ſas efficientes,& diuerſos fines; neque e-nim omnia ab eadem cauſa efficiẽte pro-cedunt,neque ad eundem finem,ſed pro-ut varię res ſunt, varios quoque fines, & cauſas requirunt, & tamen propter hoc non dicimus, quod ſint plures primi effi-

cientes,

cientes, & vltimi fines; ergo neque debemus dicere, quòd ſint plures materiæ primæ. Præterea, vt inquit Scotus, quæro à quo iſtę materię diſtinguantur, vel ab alio, vel à ſeipſis; ſi ab alio, quodcumque illud ſit, per aliquam differentiam, vel aliquam formam illas ad inuicem diſtinxit, & ſi hoc eſt verū, ergo prius cōueniebant in aliqua vna natura, & ſic datur vna materia prior duabus materijs, ex quibus iſtę deductę ſunt; vel illas immediatè produxit, & creauit, quod non admittitur in Philoſophia; ſi dicas ex ſeipſis diſtingui, vt videtur dicere Caietanus, cum ait diſtingui per internam commenſurationem, eſt impoſſibile: quia tunc eſſent actus, non materię, & potentię, quia actus eſt qui ſeipſo eſt diſtinctus ab alio, & qui diſtinguit, & ſeparat, non materia, vel potentia; Cum ergo non poſſimus aſſignare diſtinctionem, relinquitur quod non poſſint eſſe diuerſę.

Alio[*r*]*um* *reſp.* *reijcitur.* Reſpondet quidam, concedendo eſſe duas materias primas, & negant falſitatē conſequentis; Ad probationem reſpondent ad illud pręſertim 2. Metaphyſ. eſſe vnam tantum materiam primam in ratione communi potentialitatis, principij componentis, & principij mouentis: iſtę enim ſunt pręcipuè conditiones materię. Videtur ſenſus huius reſponſionis eſſe, quòd in genere cauſę materialis, deueniendum eſt ad vnam primam rationem cauſalitatis materialis, quę eſt hęc, vt ſit vna prima potentialitas quę ſit principium compoſitionis, & mouendi, ſed cōtra Ariſt. ibi non intendit inueſtigare rationem formalem cauſarum: ſed intendit inuenire vnam primam cauſam numero in vnoquoque genere cauſę, intendit enim ibi oſtendere, non eſſe procedendum in infinitū in cauſis: ſed in vnoquoque genere deueniendum eſſe ad vnum primū in illo genere, & ita in genere cauſę efficientis deueniendum eſſe ad vnum primum efficiens, in genere cauſę materialis, eſſe deueniendum ad vnam primam materiam: non ergo intendit concludere, deueniendum eſſe ad vnam primam potentiam in communi, quę poſtea ſit diuiſibilis in duas ſpecies, ſed ad vnam eſſentiam, quę ſit prima in illo genere, ſicut in genere cauſæ finalis non intendit concludere deueniendum eſſe ad rationem vltimi finis, vel ad rationem primi efficiētis; ſed eſſe deueniendum ad vnum ens, quod ſit primū efficiēs, & vltimꝰ finis, & in illo dari ſtatum; & hoc eſt euidentiſſimum, & ab aduerſarijs indubitanter alibi conceſſum. Quartò, principaliter arguit Scotus. Data hac alteritate, quod materia Cæli, ſit alterius rationis à materia horum inferiorum, adhuc non poteſt ſaluari, quòd Cælum ſit incorruptibile ab intrinſeco; probatur aſſumptum: quia hæc materia ſaltem erit in potentia ad hanc formam Cæli, & ad priuationem illius, & ita erit hæc materia de ſe in potentia contradictionis: ſed materia eſt cauſa corruptibilitatis inquantum eſt in potentia ad priuationem formæ, quàm habet; ergo. Minor probatur: quia ratio propter quā Ariſtoteles poſuit, & adinuenit materiā, fuit potentialitas ad mutationē, vnde ipſa mutatio fuit via, & methodus inueſtigandi materiam primam; vbi ergo nulla eſt mutatio, videtur quod neque debeat poni materia. Caietanus vbi ſupra, huic rationi reſpondet ex dictis negando, quòd materia Cæli, vt putà Solis, ſit in potentia ad priuationem illius formæ: quia, vt dictum eſt ab eo ſuprà, ſolùm ea materia eſt in potentia, quæ reſpicit diuerſas formas, ſed illa quæ vnicam formam reſpicit, non habet annexam priuationem. Verùm hoc fundamentum Caietani ſuperius eſt reiectum, vbi oſtendimus, omnem potentiam includere vtramque partem contradictionis: immò potentiam eſſe ipſammet priuationem realiter, ſolum differre ratione, vel formaliter. Contra quam reſponſionem maximè militat confirmatio, quam nunc adduxi e Scoto; nunc enim loquimur philoſophicè, & ideò debemus vti terminis eo modo quò vſus eſt Ariſtoteles at Ariſtoteles adinuenit materiam ſolùm ratione mutationis, vbi ergo non eſt mutatio, vanum eſt ponere materiam, & multo magis vanum eſt fingere nouam aliam materiam omninò diuerſæ rationis, & conditionis à materia prima, quam adinuenit Ariſt.

Quarta principal. rō. *Reſp. Caie.* *Reijcitur.*

Poſſumus etiam ſic arguere. Vel illi potentiæ *1. rō.*

tentiæ materiæ Cæli ex ſe repugnat priuatio formæ, quam habet, vel non, ſi non, ergo intrinſecè, & quantum eſt ex ſe, poteſt eſse ſub priuatione, & ſic Cælum eſt corruptibile; Si dicas, quòd ei repugnat, contra omnis repugnantia eſt ab actu, non à potentia, quia potentia, vt potentia, patitur, non agit, neque reijcit aliquid à ſe, ſed ſolum patitur, & recipit, ergo materiæ Cæli, & illi potentiæ non repugnat negatio quantum eſt ex ſe; quia ipſa non eſt actus. Quòd ſi dicas ei repugnat propter formam quam habet: quia ſolum ad eã eſt in potentia, contra; ergo hæc repugnãtia eſt ab extrinſeco, non ex natura materiæ, ſiuè potentię, & ita deducitur quòd intrinſecè quantum eſt ex ratione materię, Cælum erit corruptibile. Rationes autem Ariſtot. ſunt plures, quæ aduerſarios conuincunt, & præcipuè ex Ariſt. 9. Metaph. textu 17. vbi apertè ait quod omnis potentia paſſiua eſt contradictionis, & quòd propter hoc æterna non habent huiuſmodi potentiam, quia tunc poſsent nõ eſse, quod illis repugnat, & ratio, quam ibi adducit Ariſtoteles eſt: quia ſicuti q̃d non eſt poſſibile eſse, vtique nunquam exiſtit actu: quia non poſſibile, æquipollet impoſſibili, & ſic, quod non eſt poſſibile, eſt impoſſibile, & quod eſt impoſſibile, numquam eſt actu, ita quod eſt poſſibile, contingit actu eſse, & non eſſe, & ita concludit, quod id, quod eſt impoſſibile eſſe, contingit actu eſse, & non eſse (illud autem ſolum ſic poſſibile dicitur, quod eſt in potentia paſſiua, non actiua, quòd patet) tale ergo poſſibile, in quocumque illud dicatur, ſiue in ſubſtãtia, ſiue in quãto, ſiue in quali, ſemper contingit eſse, & non eſse, ideò cum Subſtantiæ ęternæ ſint penitus incorruptibiles, non poſsunt eſse paſſibiles, neque in potentia; ſi ergo in Cælo eſt potentia materiæ, erit paſſiua potentia (neque enim illam potentiam materiæ Cæli actiuam, eſſe quis dicet) & ſic ſequitur, quod ſit potentia contradictionis; vel ergo erit potentia paſſiua reſpectu eſse ipſius materiæ Cæli, & ſic ipſa materia Cæli poterit non eſse actu: vel erit potentia paſſiua in materia reſpectu eſse formæ Cæli, & ita quoque illa materia poterit eſse, & non eſse actu ſub illa forma. Hinc apparet, nullam eſse reſponſionem quam affert Caietanus huic authoritati, ait enim Ariſt. loqui de potentia, vt potentia eſt, non vt eſt ſub actu; vndè vult Caietanus, vt videtur, quod potentia paſſiua, quæ eſt ſub actu, non ſit potentia paſſiua; quod eſt expreſsè falſum: quia ſemper manet potentia ſecundum propriam eſsentiam, alioquin ſi eius natura mutaretur, Cælum, non conſtaret ex materia illa, quæ eſt potentia, ſed differt ſolum, quia tunc eſt ſub actu; poteſt ergo eſſe ſine illo actu: vndè hæc inferiora licet ſint ſub actu, dicuntur habere in ſe potentiam paſſiuam, non ſolum quia poſſunt recipere alios actus, ſed quia poſsunt amittere actum quem habent, & ideò ſi materia Cæli eſt paſſiua, non amittit ſuã naturam, licet fiat ſub actu: ſed ſemper eſt paſſiua, & ſic cum omnis potentia paſſiua ſit contradictionis, illa potentia materiæ Cæli erit contradictionis. Præterea, Ariſt. loquitur de natura, & eſſentia potentiæ in ſe, & etiam de illo, in quo ipſa eſt, ait enim, quod poſſibile id quod eſt in potentia paſſiua contingit eſſe, & non eſſe actu, poſſibile etenim, quod eſt actu, & eſt ſub forma actu, ad quam prius erat in potentia, habet potentiam paſſiuam, quia poteſt eſſe, & non eſſe actu; Vnde ait, quod nullum æternorum eſt ſic in actu: quia tunc poſſet eſſe, & non eſſe, ſed eorum actus eſt omninò excluſus à potentia paſſiua, & ſic nullo modo ſunt poſſibilia, ſiue ſub potentia paſſiua; loquitur ergo Ariſt. ibi de potentia, vt eſt ſub actu: immò Ariſt. ibi per poſſibile intelligit id, quod prius erat in potentia paſſiua, & poſtea eſt ſub actu, hoc enim contingit non eſſe; quod probo: quia ponit diſcrimen inter æterna, & caduca; modo per caduca intelligit, quæ actu ſunt ſub forma, vt res naturalis actu, non præcisè ea quæ futura ſunt, & non ſunt actu; differentia autem eſt; quia hæc caduca poſſibilia ſunt, quia contingit ea non eſſe, ſempiterna verò nequaquam; loquitur ergo Ariſt. de potentia paſſiua, vt eſt ſub actu.

Caietani expoſitio reÿcitur.

2. rõ.

Ad illud verò quod ait Ariſt. ibi negare in Cælo eſſe potentiam ad motum, cũ tamen motus ſit actus entis in potentia: reſpondeo, quòd Caietanus non rectè intellexit

Ad rõnẽ Caietani.

tellexit

tellexit eum locum, vel ſi intellexit, vt credo, quia eſt facilis, voluit illum peruertere; poſtquam Ariſt. dixit ſempiterna carere potentia paſſiua, hoc etiam determinat de motu æterno Cæli, & de ipſomet Cælo, dicens, quòd etiam motus, qui eſt æternus, caret potentia paſſiua, quia non contingit illum motum non eſſe: & ſic eſt neceſſe eſſe; ſimiliter Cælum non eſt in potentia paſſiua, quia non poteſt non eſse; ſed ait in tali motu, qui eſt tantummodo motus localis, & in Cælo eſſe potentiam vndè, & quo; vult ergo dicere Philoſophus, quòd ille motus non poteſt deficere, & non eſse, & ſic non habet potentiam paſſiuam, tamen habet potentiam, quæ requiritur ad ipſum vt motus, quæ eſt quod mobile ſit potentia ab vno Vbi, ad aliud Vbi, & vtique in Cælo admittit hanc potentiam: quia in Cælo eſt potentia ab vno Vbi, ad aliud Vbi, ſecundum partes Cæli; & hęc eſt potentia, quę in motu includitur, dum definitur 3. Phyſ. Motus eſt actus entis in potentia, vt in potentia, ſed non eſt potentia paſſiua ad eſſe, vel non eſse.

Sed aliquis dicet: Hęc potentia Cęli ad motum, eſt paſſiua, & tamen non eſt contradictionis: quia Cęlum non poteſt eſse ſine motu, ergo non omnis potentia paſſiua eſt contradictionis? Reſpondeo, licet non opus ſit propter Aduerſarios, hoc enim eſt aliud dubium, dico, quod eſt potentia paſſiua, & ideo eſt contradictionis, vnde Corpus Cęleſte quantum eſt ex ſe, poſſet non moueri, patet enim quod illa ęternitas motus in Cęlo, eſt ab Intelligentia extrinſecus mouente; negat ergo Philoſophus in motu potentiam paſſiuam ad eſse abſolutè, quia motus eſt ęternus, & ſempiternus ſecundum eſse ſimpliciter, quod habet, (eſt enim eſſe ſuum ab Intelligentia, quę eſt ęterna, & naturaliter mouet, & ita motus ſecundum eſse, quod habet eſt ęternus) non ergo eſt in potentia paſſiua ad eſſe abſolutè (& hic nota, quòd valet in via Philoſophi, apud Theologū nō valet: quia omnis natura eſt defectibilis) mobile etiam non eſt in potentia ad eſse abſolutè; ſed ſolum eſt in potētia paſſiua intrinſecè ad Vbi hoc, & illud, quia poſset quantum eſt ex ſe, non moueri, ſed extrinſecè impeditur, & ſic conceditur eſse in potentia contradictionis quātum eſt ex ſe, non abſolutè ſecundum Philoſophum. Ex his patet impugnatio omniū eorū, quę dicit Iauellus, 8. & 9. Metaphyſ. in hac materia, procedit enim ſecundum fundamentum Caietani. *Iau. reÿcitur.*

Per hęc impugnatur reſponſio quorundam, qui dicunt, quod potentia contradictionis, quę eſt in Cęlo, eſt potentia contradictionis ſecundum quid, non ſimpliciter; potentia contradictionis ſimpliciter, eſt, qua ſubſtantia Cęli poſſit eſſe, & non eſse, & hęc non eſt in Cęlo: potentia contradictionis ſecundum quid, eſt, quę in Cęlo eſt reſpectu partium motus: quia motus quo ad illas partes corrumpitur; Ad illud verò de Intelligentijs, quas eſse incorruptibiles diximus, propter carentiam materię, dicunt carentiam materię eſse neceſsariā, non ad eſse ęternum ſubſtantia ſolum; ſed ad eſse ęternum ſubſtantia, & actione; nam Intelligentię ſunt ęternę, non ſolum ſubſtantia, ſed operatione, quia ſunt ſubſtantia, actio ideo debet carere materia. Quantum enim ſpectat ad primum, patet Ariſt. aſserere potētiam omnem eſse contradictionis, ſimpliciter, & non ſolum ſecundum quid, id eſt potentiam paſſiuam, in quocumque eſse ad vtramque partem contradictionis. Vndè, ſi in eſsentia Cęli eſt potentia paſſiua neceſse eſt in illa eſsentia eſse potentiam ad eſse, & non eſse, ſecundum ſubſtantiam. Vndè reſpondere illam potentiam paſſiuam materię Cęli ponere in Cęlo ſolum potentiam contradictionis, quo ad partem motus, non eſt reſpondere ad argumentum, quia iam conceditur, quod Cęlum non ſolum habet potentiam, quo ad moueri ſecundum partes, ſed quod habet potentiam paſſiuam, quo ad eſsentiam, quia componitur ex materia prima, quę eſt potentia eſsentialiter paſſiua, & reducitur ad actum à forma Cęli: ergo in eſsentia Cęli, eſt potentia ad eſse, & non eſse; & ſic Cęlum ab intrinſeco eſt corruptibile, Quantum ad ſecundum, de Intelligentijs eodem modo arguitur, nam Ariſtot. loquitur ibi de ſubſtantia Intelligentiarum, non de operatione illarum; & illas diſtinguit à mortalib. per hoc, quod *Reſp. rec. imp.* *Solutio.*

carent materia: quia inquit, quod habet materiam, eſt corruptibile: ergo non negat potentiam materię ab intelligentijs ratione ęternitatis operationis, ſed preſertim ratione eſsentię earum; ad quam poſtea ſequitur etiam æternitas operationum. Habes alia argumenta Theorema ſuperiori cap. 1. an cælum ſit animatum, quod potentia paſſiua ſit ad eſse, & ad nõ eſse; vide ibi.

Ponitur opinio Scoti, & ſoluuntur rationes Aduerſariorum. Cap. III.

EX confutatione opinionum præcedẽtium, patet veritas Opinionis Auerrois, quam Scotus loco præcitato laudat, & ſequitur: quæ eſt, quod Cælum eſt corpus ſimplex, neque componitur ex materia, & forma, ſed eſt quædam ſubſtantia diuerſa ab elementaribus, ſimplex per ſe actu, quæ ab Ariſtot. appellatur quinta eſſentia: ſed pro intelligentia variarum auctoritatum Ariſt. & Philoſophorum, eſt *Notã dum.* notandum, quod ſubſtantia Cæli appellatur quandoque materia, ſed materia alterius rationis à materia horum inferiorum; neque tamen coincidimus cum opinione D. Thomæ: quia D. Thomas ponit materiam Cæli differre à materia horum inferiorum, ſolum in hoc, quòd materia horum inferiorum eſt in potentia ad plures formas, vt vidimus, ſed materia Cęli (ait ipſe) eſt ſolum in potentia ad vnicã formam, ſed in reliquis vult, quod conueniat materia Cæli, & horum inferiorum, & maximè in hoc, quod ſicuti ex materia, & forma in his inferioribus fit compoſitum, ita vult quòd ex materia Cæli, & forma Cæli Cælum componatur, & fiat, quod poſtea ſit compoſitum vnum immortale, & incorruptibile. Auerroes vero, & nos cum illo, dicimus, ſubſtantiam corporis Cæleſtis eſſe ſimplicem, non conſtantem ex materia, & forma, tamquam ex partibus: ſed eatenus componi ex materia, & forma, quatenus Intelligentia motrix dicitur forma eius; Orbis verò dicitur materia, quę non habet potentiam eſſe ſub actu, ſed ſolum ad Vbi: ſed D. Thomas præter Intelligentiam ponit aliam formam, qua corpus Cæleſte habet eſſe. Secundum Auerroem ergo, & Scotum, materia Cæli, eſt ipſe Orbis, & corpus Cæleſte, reſpectu cuius Intelligentia non eſt forma informans, ſed aſſiſtens; eſt ergo in Cælo materia, non propriè, quæ habet annexam potentiam: ſed materia impropriè dicta, quæ eſt locus Intelligentiæ; ex quo ſequitur, vt inquit Piccolomineus, nos rectius loqui dicendo in Cęlo non eſse materiam, quàm aſserendo in Cęlo eſse materiam: quia vox abſolutè prolata, debet accipi in potiore ſignificatione; materia autem ſignificat alteram partẽ potentialem compoſiti principaliter, vt patet ex communi vſu loquendi. Hæc autem opinio ex dictis contra D. Thomam, & Ægidium ſatis patet: poteſt tamen adhuc aliquibus authoritatibus confirmari. Primò, Ariſt. 8. Metaphyſ. textu 12. ait, quod res debent cognoſci per omnes cauſas; & etiam ibi enumerat quattuor genera cauſarum, etiam materiam: deinde monet, non omnes res habere omnes has cauſas; & reddit rationem: quoniam naturales ſubſtantię, & ęternę, non habent cauſam materialem: vel, ſi habent, non habẽt talem, qualem habent ſubſtantię corruptibiles: ſed habent materiam ſolum mobilem de loco ad locum; ecce, quòd ait, in Cęlo non eſse materiam; vel ſi ſit, quod non eſt talis materia qualis eſt materia ſubſtantiarum inferiorum, quæ habet potentiam ad eſſe; & aſſignat diſcrimen: quia illa habet ſolùm potentiam ad moueri de loco ad locum, ſed non ad eſſe, eſt ergo illa materia, ſubſtantia actus ſimplex, per ſe exiſtens. Secundò, Ariſtot. 12. Metaph. textu 5. & 29. ait, triplicem eſſe ſubſtantiam, ſcilicet, ſenſibilem, corruptibilem, vt hæc inferiora; ſenſibilem incorruptibilem, vt Cælum; inſenſibilem, & incorruptibilem, vt Intelligentias; ergo Cælum eſt alterius generis ſubſtantiæ, à ſubſtantia horum inferiorum; non ergo debet participare compoſitionem, materialitatem; & potentialitatem; quam habent hæ ſubſtantię inferiores: quia tunc non eſſet genus alterum ſubſtantiæ.

Piccolomineus. *1. rõ. pro opin. Scoti.* *2. rõ.*

Tertiò,

Tertiò, Ariſtoteles 1. de Cœlo tex. 20. differtè probat, cœlum non eſſe compoſitũ ex ſubiecto, & forma, per hoc medium: quia tunc eſſet corruptibile; quæ eſt ratio efficaciſſima; Vide infrà in Reſponſione ad primam rationem Mercenarij; & eius confirmationem. Ad rationes pro Aduerſarijs.

Ad primam Aduerſario-rum. Ad primam Aegidij; pro intelligentia eſt notandum illud quod habetur ſæpè apud Scotum, quod forma, duobus modis accipi poteſt; Vno modo pro forma illa, quæ eſt altera pars compoſiti, & re diſtinguitur à materia, in qua inhæret, & talis forma non eſt in corpore Cæleſti, vt dictum eſt, cum non ſit corpus compoſitum, ſed ſimplex: Alio modo accipitur forma pro quidditate, & eſſentia rei, omnis enim res habet eſsentiam propriam, & proprium, quod quid eſt, & hoc modo Cælum habet formam; quia habet propriam quidditatem, & eſſentiam; forma primo modo, dicitur à Scotiſtis forma partis; forma ſecundo modo, dicitur forma totius, de qua diximus in Theoremate, de toto, & partibus, cap. 1. Sed hoc eſt verum ſolum in rebus materialibus, quę ſunt compoſitæ; nam eorũ quidditas eſt forma totius, ſed in abſtractis à materia, vbi non eſt totum, neque pars, non dicitur eorum quidditas forma totius, ſed eſſentia ſimplex; differunt autem iſtæ duæ formæ, ſiue forma his duobus modis capta: nam forma primo modo accepta, ſcilicet, forma partis, diſtinguitur re à materia, & compoſito: quia ſicuti aliud eſt materia, & aliud forma, ita aliud eſt forma, & aliud forma, & materia ſimul, quæ iã tranſierunt in compoſitum: ſed forma ſecundo modo accepta, ſcilicet pro quidditate, non ſic ſe habet: quia hæc non diſtinguitur re à materia propria, ſiue ab eo, cuius eſt quidditas, ſed eſt idem: vt ego aliàs oſtendi in proprio Theoremate de hac re, ſed diſtinguitur ratione ſolum: nam homo re idem eſt quod animal rationale, quæ eſt eius eſsentia, & diſtinguitur ſola ratione; & per hoc vitamus nugationem, dum dicimus, homo habet quidditatem; ad propoſitum, Cælum eſt indiuiduum, materiale, & ſenſibile, quod habet ſuam quidditatẽ, à qua diſtinguitur non re, ſed ratione. Cum ergo dicimus Cælum, dicimus quidditatem, & eſſentiã per ſe, quæ eſt ſecundum ſe intelligibilis tantum, non ſenſibilis: cum dicimus hoc Cælum, dicimus quidditatem in compoſito ſenſibili, & materiali, ita Ariſtot. cum ait in 1. de Cælo, cum dico Cælũ, dico formam: ibi per formam non intelligit formam partis, vt perperam contendit Mercenarius cõtra Sarnanum; neque per materiam intelligit materiam partis, ſed per formam intelligit quidditatem ipſam intellectilem: per materiã verò ipſum indiuiduum ſenſibile, habẽs quidditatẽ. Hinc ad formam argumenti Aegidij, Maior admittitur de indiuiduò materiali, corruptibili, non de æterno, vt eſt Cælum; Ad probationem Maioris ex Ariſt. deſumptam 1. de Cælo, tex. 92. patet, quòd Ariſtotel. ibi non loquitur de materia, neque de forma partis, ſed de forma pro quidditate accepta, & de materia pro ipſomet compoſito: quæ verò ait Mercenarius contra hanc diſtinctionem, aliàs reiecimus in præcitato Theoremate. *Ad form. argu.*

Ad 2. Ad ſecundam reſpondet Franciſcus Piccolomineus, quod accidentia Cæli, & horum inferiorum, non ſunt communia vniuocè, ſed per quãdam ſimilitudinem, & proportionem: & ita quantitas Cæli, & mortalium, non dicitur vniuocè, ſed per proportionem. Alij dicunt, quòd eſt eadem Mathematicè, non Phyſicè. Idem dicendum de luce, perſpicuo, claritate, & denſitate; & rationem adducit Piccolomineus, cap. 27. quia cum ſubſtantia Cæli ſit alterius naturæ, & conditionis à ſubſtantia mortali, opus eſt quoque, quod accidentia eius ſint alterius generis ab accidentibus horum inferiorum, & cum arguitur; quia quantitati Cęli cõpetit eadem definitio, eodem enim modo definitur ſuperficies Cæli, quo ſuperficies corporum inferiorum: Reſpondetur, quod eſt eadem definitio, proportione, & ſimilitudine, non vniuocè, ſuperficies enim Cæli, & alia accidentia eius, ſunt diuerſa ab accidentibus his inferioribus, ſicuti & ſubſtantia Cæli eſt diuerſa à ſubſtantia hac inferiori; tamen ſimilitudinẽ habent in aliquibus, vt etiam ſubſtantia Cæli, habet aliquam ſimilitudinem cum

ſubſtantia horum inferirorũ, vt quia ſub ſtat accidentibus, ſicuti & iſta, ſed adſunt multę alię differentię: quoniam autem Cęlum valdè diſtat à nobis, hanc diuerſitatem non valemus cognoſcere, niſi in aliquibus, & cum difficultate maxima; De qualitatibus autem, vt quod eſt rarum, & denſum, diuerſo modo ſe habent in cælo, & in his inferioribus, patet: quia in his inferioribus fiunt per admiſtionem partium materiæ, ſed in cælo ſunt ex conditione ſuæ eſsentiæ, vt inſeruiat Intelligentiæ, & Vniuerſo: & ſic ſtella eſt denſior portio cæli, non ex maiori parte materiæ, ſed ex conditione ſuæ eſsentiæ, etiã cælũ eſt perſpicuum, & opacũ, perſpicuitas ſequitur raritatem, opacitas denſitatem; habet etiam lumen, quia multa corpora sũt lucida ex ſui conditione, vt ſol, & ſtellæ;

Alia reſp. Vel dicam⁹, vt inquit Mercenarius, quòd quantitas Cæli, & horum inferiorum, & alia accidentia, ſunt idem vniuocè vniuocatione Metaphyſica, non Phyſica, quo modo etiam ſubſtantia ęterna, & corruptibilis verè vniuocè conueniunt; & ſuper hac reſponſione fundatur prior: quia omnis proportio fundatur ſuper aliqua vnitate vniuocationis.

Ad 3. Ad tertium reſpondetur ex Ariſtotele in verbis ſequentibus, quòd ęternorum, & mortalium principia ſunt eadem proportione: nam in ęternis eſt aliud, quòd habet rationem materię, vt corpus Cęli; aliud, quòd habet rationem formæ, vt Intelligẽtia; vnde ſubinfert Philoſophus ibidem, hoc quidem, vt materia, id verò, vt forma.

Ad 4. Ad quartum reſpõdetur, quòd forma mundi, eſt ordo mundi, ſiue eſsentia mũdi, conſurgens ex omnibus entibus illum integrantibus, ita concedo, quòd eſt vna materia totius, illi reſpondens, quæ eſt moles mundi, habens eſse per formam illam vniuerſalem; quæ eſt forma totius mundi, ſed formæ partis ſunt variæ, & variæ materiæ, non vna, licet ſint ſubordinatæ; Ad illud de efficiente, reſpondetur, quòd eſt vnum primum efficiẽs, at ei reſpondet pro materia vnus mundus; eſt vnus primus motor, & ei reſpõdet vnum primum mobile, & vnus motus quò omnia mouentur; Ad aliud de vnitate operis, quòd operis vnius eſt vna materia, iã dictum eſt, quod mundus eſt vnus vnitate ordinis, & ſimiliter materia eius eſt vna vnitate ordinis.

Ad 5. Ad argumẽtũ D. T. Ad quintum reſpondetur eadem reſponſione, qua ad argumentum D. Thomæ, cum dicitur, quod Cælum, vel eſt actus, vel habens actum: diſtinguo, vel ſumit in hac Maiori, actum pro altera parte compoſiti, vel actum pro quidditate, & eſſentia rei; ſi primo modo, negatur illa Maior, quia eſt inſufficiens: dicimus enim quod datur aliquod ens extra animam, quod neque eſt talis actus, neque habet talem actum, & hoc eſt Cælum, quod neque habet formam partis, neque eſt forma partis, ſed eſt eſſentia quædam quinta, & ſimplex, quæ non conſtat ex partibus. Si verò accipiat actum ſecundo modo, concedimus totũ argumentum: quia Maior, & Minor ſunt veræ, nã Cælum eſt habens actum, eſt enim indiuiduum, habens propriam eſsentiam, à qua diſtinguitur ſolum ratione. Nec obſtat aliud argumentum Thomiſtarum, ſcilicet, qđ nihil dicitur habere ſemetipſum, Ariſt. autẽ multis in locis dicit Cælum habere materiam; Reſpondetur, quòd hic modus loquendi eſt vulgatus, & tritus in Philoſophia, dicimus enim homo habet definitionem ſuam. Homo eſt animal rationale, & tamen hic non eſt diſtinctio realis, ſed ſolũ rationis; Poſsumus etiam dicere, quòd Cælum eſt actus, ſcilicet, eſsentia ſimplex, & pura. Neque improbatio D. Thomæ valet cum dicit, quòd tunc eſſet intellectus in actu, id eſt Intelligentia ſeiuncta à corpore, & non eſset ſenſibile, peccat enim per inſufficientem diuiſionẽ, vt ſuprà diximus, quia datur quidditas, & eſsentia, quæ eſt actus, & non eſt Intelligentia ſeparata à corpore; Quæ verò dicit Caietanus pro oſtendenda efficacia huius rationis, nullius ſunt roboris, ait enim rationem D. Thomę habere vim ex reſolutione ſubſtantiæ, quę ſecundum Ariſtot. eſt ſolum triplex, ſcilicet materia, & forma, & compoſitum; materia ergo Cęli cum non ſit compoſitum, neque materia, ergo erit forma, quę eſt altera pars compoſiti, quę eſt de numero eorum, quę ſunt intellecta in actu, Vt enim cętera omittam,

mittam, fallitur Caietanus, dum arbitratur non dari aliam ſubſtantiam, præter iſtas tres, nã ſupra in hoc capite diximus, dari etiam apud Ariſtot. diuiſionem ſubſtantiæ in ſenſibilem, & corruptibilem, vt eſt ſubſtãtia horum inferiorum; in ſubſtantiam ſenſibilem, ſed incorruptibilem, vt eſt Cælum; & in ſubſtantiam inſẽſibilem, & incorruptibilem vt ſunt Intelligentiæ; Diſtinctio autem illa Caietani ex 7. Metaph. & alibi, in materiam, formam, & compoſitum, eſt diuiſio ſubſtantiæ ſenſibilis, & corruptibilis, non ſubſtantiæ in communi: ideo cum ratio D. Thomæ habeat vim ex hac diſtinctione, peccat ex inſufficienti diuiſione, & nullam vim habet.

Ad 6. rõnẽ. Reſpondetur ad ſextam, textum illum nullo modo facere ad propoſitum: quod patet euidenter: nam ibi Ariſtot. per Cælum non intelligit corpus cæleſte; nam ſi hoc intelligeret, ſequeretur ex illo loco plus colligi, quam velit Aegidius; colligeretur enim Cælũ conſtare non ſolum ex materia eiuſdem rationis cum materia horum inferiorum, ſed ex quattuor Elemẽtis ita quod non eſſet corpus ſimplex, ſed compoſitum, ſicuti ſunt hæc inferiora ex quattuor Elementis, quod non admitteret Aegidius. Dicendum eſt ergo cũ Simplicio & alijs, ibidem Ariſt. intelligere Mundum ipſum totum, & per partes eius intelligere partes principales mundi, quæ ſunt illa quinque Corpora ſimplicia quattuor Elementa, & corpus ipſum Cęleſte ſimplex: totus enim mundus quãdoque appellat Cælum, & ex illis quinque corporibus ſimplicibus tamquam ex partibus principalibus conſtat: Vnde ſenſus totius illius textus eſt hic.. Quæ natura conſtant, alia ſunt Subſtantiæ, alia ſunt paſſiones horum Subſtantias autem dico (inquit Ariſt.) ſimplicia corpora puta, Ignem; & Terrã, & his coniugata (nimirũ duo reliqua Elementa, Aerem & Aquam & Cælum, q eſt quinta eſſentia) & quæcũque ex his, vt eſt totus ipſe Mundus, qui ex his quinque corporibus componitur: & partes principales eius, quæ ſunt illas quinque corpora ſimplicia dico eſſe ſubſtantias. Rurſus dico, Subſtantias, Animalia, & Plantas, & partes ipſarũ; Paſſiones autem, & operationes ſunt motus vniuſcuiuſque horum, &c.

Rationes à recentioribus adductæ ex dictis facilè diſſolui poſſent, nihilominus ad maiorem declarationem reſpondetur ſingillatim ad vnamquamque.

Ad 1. rõnẽ recentiorũ. Ad primam ergo reſpondetur, illam propoſitionem; Corpus naturale eſſe cõpoſitum ex materia, & forma, eſſe propoſitionem per ſe notã, poſſe intelligi dupliciter; Vno modo, intelligendo eam vniuerſaliter, vt ſit vera de omni corpore naturali, & in hoc ſenſu illa negamus, & fortaſſe nõ eſt ad intentionem illorũ Doctorum; Alio modo poteſt intelligi indefinitè, vt ſit vera de aliquo corpore naturali, ſcilicet, de generabili, & corruptibili, & ſic conceditur, ſed non facit contra nos.

Ad cõfirmatione. Ad cõfirmationẽ ex Ariſt. 2. de anima Reſpõdetur, cõcedẽdo quòd per corpus intelligit ibi cõpoſitũ, & pro eodẽ ibi accipit corpus naturale, & cõpoſitũ: ſed dico, quod illa diuiſio ſubſtãtiæ in materiã, formã, & cõpoſitũ, eſt diuiſio ſubſtãtię ſẽſibilis, generabilis, & corruptibilis; nõ eſt aũt diuiſio ſubſtantiæ ſenſibilis in cõmuni: nã Ariſt. 12. Metaph. tex. 5. facit aliã diuiſionẽ ſubſtãtiæ, ſic: Subſtantiæ ſunt tres, vna quæ eſt ſenſibilis corruptibilis, alia quæ eſt ſenſibilis incorruptibilis, alia inſenſibilis, & incorruptibilis; Quam diuiſionẽ repetit eodẽ 12. tex. 29. ad propoſitũ, quãdo diuidit ſubſtantiã in materiã, formã, & cõpoſitũ, loquitur de ſubſtantia ſenſibili, generabili, & corruptibili. Vnde 1. de Cælo tex. 20. excepit Cælum ab hac cõpoſitione, quia inquit, compoſitum, quod fit ex hac compoſitione, ſcilicet ex materia, & forma, eſt corruptibile, & generabile; Cælum autem eſt incorruptibile, ideo caret hac compoſitione; & manifeſtum eſt, ibi Ariſtotelẽ intendere eximere Cælum à materia illa, & forma, de qua dixit in Phyſicis, compoſitum naturale conſtare ex materia, & forma, ait enim: Omne, quod componitur ex ſubiecto quodã, & cõtrario eſſe corruptibile, vt dictum eſt in primis ſermonib9, id eſt in Phyſicis.

Ad 2. rõnẽ. Ad ſecundam, per idem reſpondetur; concedo ergo Cælum eſſe habens naturã. Ad rationem contra hoc, nego omne habens naturam, eſse compoſitum ex mate-

ria, & forma; Ad probationem ex diſcurſu Ariſt. in 2. Phyſic. reſpondetur, quòd natura poteſt duobus modis conſiderari; Vno modo pro formali, alio modo pro materiali, natura pro formali eſt principium motus, & quietis, pro materiali eſt ipſa materia, & forma, vel illud à quo manat illud principium, ita habens naturam, eſt duplex: aliud habens naturam pro formali, & eſt illud, quod habet in ſe principiũ motus, vel quietis; aliud eſt, quod habet naturam pro materiali, & eſt illud, quod habet materiam, & formam pro principijs internis. Cælum habet naturam pro formali, non pro materiali. Pro materiali enim habet quintam eſsentiam, à qua manat eius motus. Ariſtot. loquitur in 2. de habente naturam pro materiali. Præterea, poteſt negari minor vniuerſaliter. Ad probationem negatur illa conſequentia; Ariſtot. loquitur de naturis inexiſtentib. habenti naturam, quæ ſunt materia, & forma, ergo ſupponit omne habens naturam, conſtare ex his, non enim conſequẽtia valet vniuerſaliter accepta, ſed indefinitè accepta: quia 1. de Cælo, vt dixi, exemit corpus Cæleſte ab his naturis pro materiali acceptis: quia dixit Cælum eſſe corpus immune a ſubiecto, & contrario, qđ non poteſt eſſe, niſi materia, & forma, priuatio enim non componit corpus, vel cõpoſitum Phyſicum poſitiuè.

Ad 3. rõnẽ. Ad tertiam, concedo quod natura eſt in alio, & quod natura eſt in Cælo, non vt accidens in ſubiecto, ſed vt principiũ cõſtitutiuum in conſtituto; cum infert, ergo Cælum eſt compoſitum ex materia, & forma: negatur conſequenita; Ad probationem reſpondetur, quòd natura duobus modis accipi poteſt, vt ſupra dictum eſt, vel pro formali, vel pro materiali, pro formali eſt ipſa quidditas naturę, quæ eſt principium motus &c. pro materiali eſt illud à quo prouenit hoc principium motus & quietis, vt materia, vel forma, in his ſublunaribus, tunc dico, quod natura pro formali, & pro quidditate, eſt in Cælo, non natura pro materiali, vt eſt materia, & forma, quæ ſunt partes eſſentiales compoſiti: ſed natura pro materiali in Cælo eſt ipſa quinta eſſentia, quæ eſt principium motus in Orbem, natura verò pro formali non facit compoſitionem cum eo, cuius eſt natura: vt quidditas hominis cum homine; & quidditas lunæ cũ indiuiduo lunæ: ita natura non facit compoſitionem cum illo, quòd habet naturam: quia eſt in illo, vt quidditas in eo, cuius eſt quidditas.

Ad 4. rõnẽ. Ad quartam reſpondetur, quod duplex eſt poſterius; Aliud, quod eſſentialiter dependet à priori; Aliud, quod non dependet eſſentialiter à priori. Maior eſt vera de poſteriori quod depẽdet eſſentialiter à priori, non de eo, quod dependet accidentaliter ab eo, compoſitio accidentalis eſt poſterius, quod dependet à compoſito ſubſtantiali tamquam à priori, nõ eſſentialiter, ſed accidentaliter: vndè datur aliquod compoſitum accidentale, quod non dependet à compoſito ſubſtãtiali, vt materia prima ſimul cum priuatione eſt compoſitum accidentale, & intellectus cum ſpecie intelligibili, vel ſecundum eos eſſentia animæ cum potentijs, quæ ſecundum eos ſunt accidentia & tamen non dependet ab aliquo alio cõpoſito ſubſtantiali, quia nullum tale prius datur; eſt ergo accidentale, quod compoſitum accidentale præſupponat compoſitum ſubſtantiale; poteſt enim ſequi ad ſimplicem eſſentiam, & maximè quando illa eſſentia non eſt forma, ſed materia in actu, ſiue quinta eſſentia.

Ad cõfirmationẽ. Ad confirmationẽ dico, quod illa procedit contra Auerroiſtas illos, qui tenent materiam Cęli aliqua forma formari ſiue ſit intelligentia, ſiue anima, ſiue aliqua alia forma materiata, ſed non valet contra nos, qui ſuſtinemus quod Cælum eſt corpus ſimplex, omnino carens forma aliqua informantè, ſed ſolum aſſiſtente.

Ad 5. Ad quintam reſpondetur quod Ariſt. 8. Metaph. tex. 1. & 4. & 12. Metaph. tex. 10. & alibi appellat corpus Cæleſte, & illã quintam eſſentiam eius materiã, eo quia eſt ſubiectum motui locali, & accidentibus, vt quantitati, &c. non tamen intelligit quod ſit materia eiuſdem rationis vniuocè, cũ materia horum inferiorum, vt ipſi quoque tenent contra Aegidium: quia ibi apertè, & maximè 12. tex. 10. dicit eſſe diuerſam à materia horum inferiorũ, neque eſt materia diuerſa à materia horum

rum inferiorum, eo quia ſit in potentia tantum ad formam corporis Cæleſtis, quia tunc eſſet generabilis,& corruptibilis, quia omnis potentia paſſiua eſt contradictionis,& illud, in quo eſt,eſt generabile,& corruptibile intrinſecè, vt ſupra oſtendimus: materia autem Cæli ex Ariſtot.eodem 12.tex.10.non eſt generabilis, ſed mobilis vnde quo, pro tanto ergo appellatur materia,quia eſt ſubiectum motus localis,& hac ratione omnes ſubſtantiæ ſenſibiles poſſent dici habere materiam.

Ad6. Ad Sextam reſpōdetur Ariſt.ibi diſtinguere quidditatem, & eſſentiā à ſingulari:vndè concedimus, aliud eſſe quidditatem hominis in communi, & quidditatē cōtractā ad eſſe indiuiduale; Aliud enim eſt quidditas Cæli,& aliud eſſe particulare huius Cæli; & ita concedimus Cælum conſtare ex eſſentia,& eſſe ſuo indiuiduali,& particulari,non autem concedimus, ex hoc eſſe compoſitū ex materia,& forma partis.Per hoc idem patet ad cōfirmationem,& per dicta ſupra, ad primum argumentum Aegidij.

Ad7. Ad ſeptimā negatur conſequentia. Ad probationem reſpōdetur, Cælum non eſſe actiuum propter aliquam formam naturalem,ex qua ſimul cum materia componatur: ſed quia eſt quædam quinta eſſentia,& quoddam corpus ſimplex,quod de ſua natura habet propriam efficientiam, & actiuitatem, ab intelligentia autem habet ſolum motum in orbem.

Ad8. Ad octauam multa poſſent dici. Sed quantum ſufficit ad argumentum reſpondetur, quod(vt ſupra diximus) raritas eſt in Cælo, ſed alterius rationis à raritate in corporibus ſublunaribus; Ideo ad propoſitum in Orbe maiori, eſt multiplicatio materiæ magis quàm in Orbe minori, ſicut in vno ſydere eſt magis condenſata materia, quàm in reliqua parte Orbis: ſed hæc materia eſt ſubſtantia illa quinta,actu corporis Cęleſtis,non materia potentialis actuata per formam.

Ad9. Ad nonam iam dictum eſt ſupra quod raritas,& denſitas in Cælo, non vniuocè dicitur; ſed per quandam proportionem,& ſimilitudine, ideo ratio non concludit.

THEOREMA LX.

Elementa manent in mixto virtualiter.

Opinio Auicennæ cum ſuis fundamentis, & reiectio. Cap. I.

HOc Theorema habetur ex profeſso à Scoto in 2.Sent.diſt.15.in corpore,vbi exactè hanc materiam pertractat, & recitatis aliorum opinionibus, ſuam ſententiam ponit,quæ ex confutatione aliarum habet ſuum robur; Ideò prius aliorum opiniones adducemus,quia ex cōfutatione illarum, clarius patebit quæ ſit mens Scoti, & quibus fundamentis innitatur.

Primo loco Scotus adducit opinionem Auicennæ,ex Commentatore,qui eam refert,& confutat 3.lib. de Cælo, textu 67. & 1.de generatione,cap.de mixtione;qui quidem Auicenna ſuſtinet, quod Elementa manent in mixto ſecundum ſubſtantiam, ita quod formæ elementorum manent in mixto,& conſequenter,etiam qualitates elementorum, Sed formæ elementorum manent integræ, & ſine vlla remiſſione, ſed qualitates elementorum remanent in eſſe remiſſo, caſtigato, & refracto. Auicennas.

Pro hac opinione Scotus nullam rationem adducit,ſed ſolum ponit diſputationem Auerrois contra Auicennam, quam nullius eſſe valoris oſtendit, vnde poſtea Auicennam proprijs rationibus impugnat,tamen à ſectatoribus Auicennæ,pro hac opinione referuntur huiuſmodi rationes.Ariſt.1.de generatione, tex.84. dixit in mixtione,neque ambo miſcibilia interire,neque alterum,ſed remanere vtrunque,& in tex.88.eiuſdem libri, dixit guttam vini non admiſceri multę aquæ,quia gutta deſtruitur,cum ergo primo loco dicat miſcibilia remanere in mixto,& in ſecundo loco neget guttam aquæ miſceri: quia corrumpitur,ſequitur,quod ipſe iudicet elementa manere in mixto, At non dicitur res manere, & ſeruari, niſi maneat, & ſeruetur eius forma ſubſtantialis,ergo formæ elemētorū debēt manere in mixto; Hoc etiā cōcluditur ex nomine 1. ro

mixtio-

mixtionis, quę enim miſcentur manent, At formæ elementorum cum ſint ſubſtantię, non poſſunt remitti, quia ſubſtantia non intenditur, neque remittitur, ergo manent integrę; qualitates autem cum ſuſcipiant magis, & minus, remanent in mixto, ſed in eſſe refracto.
2. rō. Secundo. Ariſtot. 5. Metaph. tex. 3. ait elementum eſse id ex quo inexiſtente, res fit, ergo Ariſtot. vult, quod elementa inexiſtant mixto: at non inexiſterent, niſi remanerent formę elementorum, ergo formę ſubſtantiales elementorum remanent in mixto.
3. rō. Tertia, definiens Ariſt. mixtionem primo de generatione, ait mixtionem miſcibilium alteratorum vnionem eſse, non dixit corruptorum, at alteratio pertinet ad qualitatem, ergo elementa ingrediendo mixtum, non corrumpuntur, ſed ſolùm alterantur, ergo formæ ſubſtantiales elementorum manent.
4. rō. Quarta Ariſt. 3. lib. de Cęlo, tex. 67, diſputans contra Platonem, docet Elementa non habere figuram aliquã propriam; & vtitur hoc argumento: quia ſi haberent aliquam figuram, non poſſent remanere in mixto, & hoc conſequens habet pro inconuenienti, ergo putat elementa manere in mixto ſecundum ſubſtantiam.
5. rō. Quinta, In initio 1. de Cęlo, ait mixta moueri ab elemento prędominante, vult ergo quòd elementa maneant in mixto, alioquin prędominans mouere non poſset, niſi actu eſſet in mixto ſecundum ſubſtantiam, & ſi remanet elementum prędominans, ergo & reliquà quibus prędominatur.
6. rō. Sexta, niſi elementa ſeruentur in mixto, mixtio nõ differret à generatione, & corruptione, quia tunc nil aliud eſſet mixtio, quàm generatio mixti, & interitus elemẽtorum.
7. rō. Septima, mixtũ in elementa diſſoluitur, nam Ariſt. tex. 84. primi de generatione, ait miſcibilia iterum poſſe ſeparari à mixto, & mixtum reſolui in elementa, ergo mixtum conſtat ex elementis, alioquin non poſset reſolui in elementa.

Mercenarius. Archangelus Mercenarius quoque in ſecundo Tomo ſuarum Dilucidationum, eandem opinionem ſuſtinet, & addit has rationes.
1. rō. Primã, ſi elementa non manent in mixto ſecundum ſubſtantiam, neceſse eſt aſſignare corrumpens, à quo eorum ſubſtantia, & forma ſubſtãtialis deſtruatur, cum ingrediuntur mixtionem, dicere enim elementa corrumpi dum ingrediũtur mixtum, & non aſſignare corrumpẽs, eſt ridiculum: at nullum datur tale corrumpens, ergo manent formaliter in mixto. Probatur: quia non corrumpuntur ad corruptionem eorum termini, quia hic modus corruptionis competit tãtum Relatiuis, vt corrupto patre, corrumpitur filius: at elementa non ſunt relatiua, ſed ſubſtantiæ; neque corrumpuntur ad corruptionem ſubiecti, quia ſic accidentia corrumpuntur: at elementa ſunt ſubſtantiæ, & licet eorum formæ ſint in materia, non poſſunt tamen corrumpi, quia eorum ſubiectum, quod eſt materia prima, eſt incorruptibile; ſi ergo corrumpuntur, ab aliquo corrumpuntur, aut ergo inter ſe corrumpuntur, aut ab alio, non primum, quia cum elementa habeant quodammodo pares vires ex Ariſt. 1. de generatione, tex. 89. vnum non poteſt corrumpere aliud, quia corrumpens ſemper alteri dominatur, neque ab alio corrumpi poſsunt, vel enim à Cœlo, vel a generante, vel à forma mixti generanda, non à Cęlo, quia quod corrumpit aliud, illud corrumpit qualitate contraria ei in quod agit, Ignis enim qualitate contrarij frigoris corrumpitur: at ſi Cęlum corrumperet ignem frigore, & humore, his qualitatibus non corrumperet aquam, quia aqua his conſeruatur, non corrumpitur. Si verò ſiccitate corrumperet aquam, ea qualitate non corrumperet ignem, quia ſiccitate conſeruatur, ergo Cęlum non poteſt eſse corrumpens, neque ob eandem rationem, generans, corrumpens eſſe poteſt, neque poſſunt corrumpi à forma mixti generanda, quia forma mixti eſt finis iſtorum Elementorum, iam verò finis non eſt contrarius ijs quæ ſunt ad finem, neque incompoſſibilis ijs; Præterea, finis non mouet niſi Metaphoricè, ex Ariſt. 1. de generatione, textu 5. ergo forma mixti non poteſt eſse corrumpens.
2. rō. Secundò principaliter, mixtum nõ poteſt corrumpi niſi combuſtione, vel putredine: at cum corrumpitur mixtum combuſtione, & reſoluitur in terram, vel eſt dicẽdum, quod illa terra erat iam in mixto, & tunc

habeo

habeo intentum; vel eſt dicendum, quod de nouo ſit genita, at hoc ſecundum dici non poteſt, quia ſi generaretur de nouo, generaretur ab igne, quia quod eſt corrumpens, eſt etiam generans. Vnde cum ignis comburit lignum, producit ignem: at ignis non poteſt producere terram, quia terra eſt frigida, & ſicca, quę qualitates, neque ſunt in igne, neque produci poſsunt ab igne, ergo terra, in quam reſoluitur mixtum, erat in mixto ſubſtantialiter.

3. rō. Tertio Ariſt. 1. de generatione, tex. 54. inquit (videntur enim, quę miſcentur prius ex ſeparatis conuenientia, & poſſibilia rurſus ſeparari) ecce, quod ait elementa eſse poſſibilia rurſus ſeparari, ergo ſecundum ſubſtantiam ſunt in mixto integra, alioquin ſeparari non poſsent.

4. rō. Quarto, Ariſt. 3. Cęli tex. 31. contra Anaxagoram probans non partes conſimiles eſſe primordia, & elementa rerum, ſed ignem, terram, aquam, & aerem, vtitur hoc argumento; quoniam mixta cum intereunt, in quattuor elementa diſsoluuntur, ex quo concludit quattuor elementa habere rationem principij, & ſubiecti.

Auerrois diſputatio cōtra Auicēnā. Auerroes, Auicennam arguit quo ad illud, quod ait formas elementorum remanere in mixto in eſse integro, & nulla ex parte læſas, in reliquis conuenit cum Auicenna, ſcilicet, formas ſubſtantiales, & qualitates remanere, ſed vult, quod omnes remaneant in eſse refracto, tam formæ ſubſtantiales, quam qualitates; vtitur autem tali argumento. Idem eſt iudicium de toto, & partibus, ergo ſi qualitas poteſt remitti ſecundum partem abſque eo quòd remittatur forma ſubſtantialis, ergo etiam poſset remanere elemētum integrum ſecundum ſubſtantiam amiſsa tota qualitate, & ſic patet eſse ignis; & non calidus, quòd omnes concedūnt eſse impoſſibile.

Scot⁹ impugnat hanc Auerrois rōnē. Verùm Scotus hāc rationem Auerrois, nullam eſse oſtendit, quoniam illa propoſitio quàm aſſumit pro fundamento, in hac ratione, non eſt vera abſolutè: verum eſt quidem, quod eadem eſt ratio totius & partis, ſi inter ſe comparentur: quia eo modo quò ſe habet tota pars qualitatis, eodem modo ſe habet tota qualitas: at ſi conſideretur reſpectu tertij, vt reſpectu ſubiecti, non eſt eadem ratio totius, & partis, quia quodlibet elementum habet qualitatem in quadam latitudine, ſed non præcisè ſub tali & tali gradu: vnde licet qualitas neceſſariò concomitetur ſubiectum, non tamen ſub hoc, vel illo gradu. Vndè contingere poſset, quòd gradus qualitatis intendatur, vel remittatur, neque tamen forma ſubſtātialis neceſsariò intendatur, neque remittatur: Vnde ſicut non ſequitur: hoc corpus non poteſt eſse ſine hoc loco, & ſine illo, ergo pari ratione ſine omni; Sic in propoſito non valet ratio Comētatoris: ignis poteſt eſse ſine hòc, & illo gradu caliditatis: ergo ſine quocumque gradu caliditatis, non valet. Ex quo loco deſumitur opinionem Scoti, de ſuſcipere magis, & minus in forma ſubſtantiali, eſſe eam, quam nos addduximus in Theoremate de hac materia; ſuſtinet enim vnam formam ſubſtantialem ſuſcipere magis, & minus in generatione: ſed poſtquam recipit eſse, non amplius remittitur, neque intenditur, per quod diſtinguitur ab accidentibus.

Arguit ergo ipſe contra Auicennam multis rationibus, quas cōtra Auerroem videbimus, quia valent contra vtrūque; Sed nunc ſufficit adducere iſtam. *Ratio Scoti cōtra Auicen.* Forma ſubſtantialis ſimul cum materia, nata eſt conſtituere ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ, ergo ſi ſint plures formæ ſubſtantiales elementorum in mixto, quęlibet cōſtituet vnum ſuppoſitum, & ſic in omni mixto eſsent plura ſuppoſita: quia ibi erit ſuppoſitum aquæ, & ſuppoſitum ignis, quorum quodlibet natum eſt per ſe ſubſiſtere; hoc autem eſt maximum inconueniens: quia ſic in mixto eſſet iuxtapoſitio. Præterea, mixtum non eſset vnum, quia nullum ens per ſe vnum ſubſiſtens, poteſt habere duas formas ſpecificas, quarum vna non ſit nata perfici ab alia: at ſtante hac opinione, in mixto vno eſsent quattuor formę ſpecificæ, neque vna eſset nata perfici per aliam, ergo mixtum non erit vnum, ſed quattuor. 2. rō. Alias rationes nunc contra Auerroem adducemus; Alias etiam rationes aduerſus hanc ſententiam habes apud Buccaferreum in 1. de generatione, cap. de mixtione, & apud Franc. Piccolom. & Zab. in libris

libris ſuis de Mixtione, Ad rationes Auicennæ reſpondebimus infrà.

Opinio Auerrois cum ſuis fundamentis. Cap. II.

AVerroes in præcitato loco 3. de Cælo cōmento 67. poſtquam confutauit Auicennam, ponit ſuam opinionem, quæ eſt quod elementa manent actu in mixto ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum qualitates: ſed in eſſe fracto, & caſtigato, tam quò ad qualitates, quàm quò ad formas ſubſtantiales, & ita conuenit cum Auic. quò ad qualitates, ſed quò ad formas ſubſtantiales diſsētit, quia Auicēnas illas in mixto remanere dicebat in eſſe integro, Auerroes autem ait illas remitti, & frangi, & ad quandam mediocritatem redigi; Vbi eſt notandum duo dicere Auerroem in hac ſua opinione; Primum quòd elementa manent in mixto ſecundum formas ſubſtantiales, & in hoc conſentit cum Auicenna. Secundum eſt, quod ait has formas ſubſtantiales manere in eſſe fracto; & in hoc diſcrepat ab Auicenna. Pro primo dicto faciunt omnia argumenta, quæ adducta ſunt pro Auicēna: ipſe tamen hæc duo addit referente

1. rō. Scoto: Primo, ex Ariſt. in 5. Metaph. tex. 4. Elementum eſt ex quo componitur res, & manet in eo, ergo ſubſtantia elementi

2. rō. manet in mixto, licet in eſſe refracto; Secundò, ſi elementa non manerent in mixto, ſed omninò corrumperentur adueniente forma mixti, ſequeretur, quod materia prima ſuſciperet omnem formam ſine ordine, quod eſt inconueniens.

2. rō. Secundum dictum probat per rationem, quàm ſuperiori cap. ex eo adduximus aduerſus Auicennam, & reiecimus.

3. rō. Præterea, Auerroiſtæ adiungunt ex eo, niſi dicimus formas ſubſtantiales remitti, ſequitur mixtionem eſſe tantum congregationem, & iuxtapoſitionem, quem mo-

4. rō. dum mixtionis reiecit Ariſt. Inſuper mixtum non eſſe vnum, ſed plura, vt oſtendebat argumentum Scoti: ſequeretur etiam, quod quælibet particula mixti, non eſſet mixta: quia aliqua particula ignis eſſet purus ignis, aliqua purus aer, &c. & tamen Ariſt. voluit, quod quælibet particula mixti, eſſet mixta: At ſi dicamus for- 5.
mas elementorum poſse remitti, & frangi, hæc omnia inconuenientia tolluntur, quia tunc non ſunt amplius plures formæ ſpecificæ, ſed vna, quam etiam ſequitur vna qualitas media, oriens ex congreſſu, & mutua alteratione, & caſtigatione excellentiarum qualitatum elementariū, hoc modo etiam non ſequitur generationē mixti, eſſe puram alterationem, quod ſequebatur ad Auicennam, quia ſecundū hanc ſententiam, fit noua forma ſubſtantialis ſpecifica, quæ eſt forma mixti, & elementa non ſeruant amplius nomen, definitiones, nec ſpecies, quia per illa caſtigationem deſierunt ignis, aer, aqua, terra, & totum incepit eſſe aurum, ferrum, vel huiuſmodi, & ſic in mixtione habetur noua forma ſubſtantialis ſpecifica, & nouum eſſe ſubſtantiale: denique ſaluatur mixtum eſſe vnum, & quamlibet mixti particulam eſſe mixtam.

Hucuſque conſentiunt omnes Auerroiſtæ: ſed poſtea valdè diſſentiunt in declarando quomodo hæ formæ elementorum maneant in mixto in eſſe refracto, quorum multas opiniones refert Franciſcus Piccolomineus ſuo lib. de Mixtione, cap. 8. & iure etiam confutat. Alexander Achillinus, lib. de elementis 3. artic. cum quo multi alij, dicit elementa primo diuidi in partes minimas, & eas iuxta ſe poni, & tunc deinde formæ, & qualitates, refranguntur, & conſurgit temperamentum, hoc modo tamen, quod forma mixti effunditur per omnes particulas, adeo quod in qualibet particula reperitur forma mixti, cum forma elementi, forma enim mixti ſuperuenit illis formis elementorum; cuius mixti ipſæ formæ elementorum ſunt portiones, propter quam formam mixti etiam illæ particulæ poſitæ ſub formis elementorum prohibentur dici, & nominari formæ elementorum. Sed hæc opinio iure confutatur à Piccolomineo: quia hæc mixtio eſſet minimarum partium iuxtapoſitio: quam mixtionem ſæpe reiecit Ariſt. 1. de generatione; Alias multas rationes adducit, quas apud eum quilibet legere poteſt; Alij, vt Pomponatius, & Sueſſanus, dicunt neceſſe eſſe iuxtapoſitionem partium elementorum mutuam

Cōſēſus & aſsēſus Auerroiſtarum.

Opin. Achillini.

Reijcitur.

Opin. Pōponatij.

tuam actionem, & paſſionem, ad quam ſequitur extenſio formarum cum remiſſione, ita quod in quolibet minimo ente naturali, ſunt quattuor formæ elementorum, quibus aduenit quinta forma, quæ eſt forma mixti, & ſic in quolibet mixto ſunt quinque formæ, quàm ſententiam quoque iure Piccolomineus reijcit: quia etiam hoc modo ſequitur, quod mixtio erit coaceruatio, & confuſio quædam entium, & iuxtapoſitio, non mixtio;

Reijcitur.

Opin. Aureoli.

Alij dicunt vt Aureolus, & alij, quod in mixto ſunt tantum illæ quattuor formæ elementorum, ſed in eſſe remiſſo, & caſtigato, & quòd forma mixti non eſt quinta forma illi adueniens, ſed quod mixtum nil aliud eſt niſi quattuor formæ contemperatæ, definitaq. proportione ſimul ligatæ, vti eſt harmonia, quæ eſt congruens proportio variarum vocũ; quæ opinio neque eſt vera: quia tunc mixtum eſſet quoddã accidens, ſi formaliter accipiatur, proportio enim eſt accidens, ſi verò fundamentaliter accipitur, non erit vna forma ſimplex, neque vna eſſentia, ſed multæ iuxtapoſitæ; Alia etiam multa habes apud eũ.

Reijcitur.

Alij quoque vt etiam Cardanus, dicunt quòd mixtũ eſt forma elementi prædominantis in mixto: in quo quidem ſunt quattuor formæ ſubſtãtiales, ſed illa, quæ prædominatur, dicitur forma mixti; Sed neque hæc opinio eſt ſuſtinenda, quia tunc mixtũ non differt ſpecie ab elemento prædominante. His itaque opinionibus dimiſſis, quæ ab omnibus reijciuntur, eſt his tẽporibus alia opinio, quam ſequuntur duo Philoſophi celebres, Franciſcus Piccol. in ſuo lib. de Mixtione, c. 9. & Iacobus Zab. ſimiliter lib. de Mixtione, c. 7. quam etiã eſſe veram Auerrois opinionem ſuſtinẽt;

Opin. Piccolominei & aliorũ.

Piccolomineus ponit duas Concluſiones; Prima eſt: in mixto eſt vnica forma ſpecifica, ſiue vnica forma conſtituẽs mixtum in ſpecies. Secundum illa forma ſpecifica mixti, conſurgit ex formis elementorum remiſſis, nõ tamquam ex termino à quo, vt volunt Latini, & etiam Scotus, ſed tãquam ex partibus, vti medij colores, & medij ſapores conſurgunt ex extremis: adeò quod forma mixti eſt quidem eſſentia ſimplex, vti eſt omnis forma: ſed tamẽ formæ elementorum fiunt gradus formæ mixti; adeò quod formæ elementorum ſunt partes formæ mixti, & in hoc ait ſe diſſentire à Latinis, qui nolunt formas elementorum eſſe partes mixti, vt putà qui volunt illas interire; Hæc opinio eſt penitus eadem cum opinionem Zabarellæ, nã cap. 7. Concluſione 2. ponit vnam diſtinctionem de intẽdi, & remitti, & ait, quod duobus modis poteſt fieri remiſſio, & intenſio; Vel cum variatione ſpeciei; Vel abſque variatione ſpeciei: remiſſio cum variatione ſpeciei eſt, quæ conſtituit medium, quod ſpecie differt ab extremis, vt ſi album ita remitteretur quod fieret rubedo; alia eſt remiſſio, quæ non eſt cum mutatione ſpeciei, & hæc conſtituit medium, quo non differt ſpecie ab altero extremorum, vt ſi album quò ad aliquos gradus remittatur pro admixtione nigri, ita tamen quòd non amittat ſpeciem, ſed ſolum non ſit ita album vti extremum album:

1. cõcluſio & 2.

tunc ponit duas Cõcluſiones, quod formæ elementorum non ſuſcipiunt magis & minus ſecundo modo; & hoc modo dixit Ariſtoteles ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus: ſed primo modo, ait formas elementorum ſuſcipere magis, & minus; & ita per hanc ſecundam Concluſionem, declarat opinionem Auerrois, quòd formæ elementorum ſubſtantiales intenduntur, & remittuntur illa remiſſione, qua variatur ſpecies: adeò quod in mixtione elementa admiſcentur ad inuicem; & quia ſunt contraria, remittũtur ad inuicem, & hac remiſſione mutãt ſpeciem, & ita ignis deſinit eſſe ignis, & terra deſinit eſse terra, & aqua, & aer, ſed fiunt noua ſpecies, vt caro, vel aurum, quod rectè ab Ariſtotele vocatum eſt medium, & diuersũ, miſcibilibus: quia eſt tale medium, quod ſpecie differt ab extremis, & ita hoc medium eſt ipſum mixtum, ſiuè forma mixti. Amplius declarans rationẽ huius poſitionis, ait, quod natura horum corporum, quæ debebant eſse materia aliorum corporum, debebat eſse talis, vt eorum formæ varijs modis remiſsæ poſsent euadere formæ omnium mixtorũ & horum ſpecies conſtituere, adeò, vt omnes, mixtorũ formę, nil aliud re ipſa ſint quã gradus aliqui omnium formarum elemẽtariũ, diuerſæ tamen formaliter à formis elemen-

clementorum, quia non amplius conſtituunt elementa, ſed mixtum, & dãt aliud eſſe ſpecificum. Ex his patet, quod ambo iſti viri grauiſſimi, conueniunt in hoc, quod in mixto manent elementa ſecundum formas ſubſtantiales, & tamen eſt vnica forma ſpecifica in mixto, quæ eſt forma mixti, cuius gradus, & partes ſunt ipſæ formæ elementorum, quæ tamen formæ elementorum non ſunt amplius formæ elementorum, ſed mutatæ ſunt in tertiam formam ſubſtantialem, nempè in formam mixti; Hanc eandem ſententiam ſequitur Ioannes Bacconus 3. Sent. d. 16. vbi diffusè eam declarat, vbi habentur hæc propria eius verba poſt allatam quãdam diſtinctionem (Et illo tertio modo debet concedi, quod aliquid elementorum manet in mixto, non duobus primis modis, vt ſic dicatur, quòd elementa, ſiue formæ elementorum manent in mixto ſecundum gradus ſuos medios, aut remiſſos tranſmutatos in formam mixti) & infra ſe declarat, vt per hoc, quòd dico, quod manent ſecundum gradus ſuos, intelligatur, quod aliqua realitas media illarum formarum elemẽtarium manet in mixto (& infra, & probo, quod duo trãſmutantes, excluduntur, quod illi non remanent infra proprias ſpecies.) Ex quibus verbis, & alijs multis, patet ipſum quoque ſenſiſse, quod formæ elementorum remanent in mixto in eſse refracto, ita, quod nõ amplius ſunt in propria ſpecie, neque amplius ſunt terra, ignis, &c. ſed mutatæ ſunt in tertiam formam, nẽpè mixti, cuius ſunt realitates, vel partes; & ita ſecundum eos, in mixto eſt vnica forma ſpecifica ſimplex, cuius tamen formæ elementorum, hoc modo refractæ, ſunt gradus. Pro hac opinione Auerrois hoc modo declarata, ſunt variæ rationes; Zabarella habet hoc fundamentum. Niſi dicamus hoc modo elementa manere in mixto, nullam poſſumus afferre ratiõnẽ cur elemẽta magis dicantur materia mixti, quam mixtum mixti, nec magis elemẽta dicerentur materia hominis, quàm ſemen materia hominis, & homo materia cadaueris; nam ſi formæ elementorũ interirent penitus, ita mixtum fieret ex elementis, vt homo ex ſemine. At lata eſt

Bacconi opin.

1. rõ.

differentia quia elementa dicuntur materia mixti, quia remanent in mixto, ſed ſemen dicitur materia hominis, quia fit ex ſemine non remanente, ſed corrupta forma ſeminis, neque ſatis eſt dicere, quod elementa remanent per qualitates, quia quod corrumpitur per formam ſubſtantialem, non dicitur remanere in aliquo. Neque valet dicere, quòd remanent poteſtate, quatenus poſſunt iterum elementa generari ex ipſo mixto, quia hoc modo poſſumus etiam dicere, mixtum manere in alio, quod ex eo generatur, & ſic poſſemus dicere, quod caro eſt in pane, quia caro poteſt generari ex pane; eſt ergo dicendum, quod remanent in mixto, ita quod ſeruant aliquid ſui actus, vt dictum eſt.

Secunda ratio deſumitur ex Ariſtot. 1. de generatione, textu 89. vbi ait, miſcibilia non mutari alterum in alterum, ſed vtrumque in alterum, ita vt non alterum ipſorum generetur, ſed medium, & commune, At Ariſt. non appellaret mixtum medium, & commune, niſi aliqua ex parte retineret vtriuſque materiam, hoc autem nullo alio modo poteſt intelligi niſi prædicto modo. 2. rõ.

Tertia ratio. In eodem libro textu 84. ait miſcibilia nec omnino remanere, ſicut corpus, & album, quæ integra penitus coniunguntur, neque etiam interire, ſed ſeruari vt res ipſorum, vbi per vires, patet ipſum intelligere realitates, ſiue gradus formæ, quia ſtatim ſubiungit inde fieri, vt poſſint iterum ſeparari; ſi ergo poſſunt ſeparari, ſignum eſt, quod prius in actu erant in mixto, non enim alio modo niſi ex proteruia poteſt interpretari illud ſeparari; ſeparantur enim illa ſolum quæ ſunt actu coniuncta. Quarta ratio. Item textu 48. ſecundi libri de generatione, ait, quando in duorum elementorum congreſſu, vnum eſt abſolutè actu, & alterum poteſtate, non eſt mixtio, ſed huius generatio, iſtius verò interitus: at quando neutrum interijt omninò, ſed modo aliquo calidum, factum eſt frigidum, & frigidum factum eſt calidum, & neutrum factum eſt actu abſolutè, ſed tranſit vtrũque in quoddam medium, tunc eſt mixtio, vult ergo Ariſtot. elementa in mixto 3. rõ. 4. rõ.

remane-

remanere actu, ſed in eſſe fracto, vnde ibidem dicit, elementa in mixtione ſolùm amittere excellentias, & frangi, ſed non penitus interire.

5. rō. Quinto, ex Baccono, 1. de generatione textu 83. probat Ariſt. quod mixtio non eſt generatio: quia in generatione alterum corrumpitur: at ſi in mixtione omnia elementa corrumpuntur, ita vt non remaneant aliquæ realitates, ergo mixtio non erit mixtio, ſed erit corruptio, & generatio, quod negatur ab Ariſtotele.

Reijcitur ſententia Auerroiſtarum. Cap. III.

VErum contra hanc opinionem validiſſimæ ſunt rationes Scoti, quas in præcitato loco tùm contra Auicenam, tùm contra Auerroem facit, primo itaque arguit ſic: Forma elementaris nata eſt cum materia conſtituere ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ, ergo ſi ſint plures formæ elementares in mixto, quælibet conſtituet ſuppoſitum proprium, & ſic in omni mixto erunt plura ſuppoſita: quia ibi erit ſuppoſitum aquæ, & ſuppoſitum ignis, &c. quorum quodlibet eſt natum per ſe ſubſiſtere: hoc autem eſt inconueniens, quia tunc mixtio eſſet iuxtapoſitio, & mixtum non eſſet vnum; Hæc quidem ratio eſt validiſſima, & abſque dubio concludit aduerſus Auicennam, & aduerſus illos Auerroiſtas, qui ponunt in mixto formas quidem remiſſas, ſed eſſe ſeparatas, & formam mixti eſſe formam ſuperuenientem illis quattuor formis elementorum, vti ſupra oſtendimus. Sed iſti moderni Auerroiſtæ vti Piccolomineus, & Zabarella, ſequentes opinionem Bacconij, reſpondent huic rationi, vt eſt videre apud Zabarellam in lib. de Mixtione, cap. 12. quòd aduerſus eos hæc ratio non concludit: quia ipſi non dicunt, quòd formæ elementorū maneant in mixto, vt quattuor formæ, ſed vt vna forma: quia iam tranſierunt in aliam formam ſpecificam, ſcilicet, in formam mixti, ideò non poſſunt conſtituere vnaquæque ſuum ſuppoſitum in eſſe ſpecifico. Et ſic ad argumentum negant conſequentiam; Sed iſti dum volunt vitare argumentum Scoti, in maximum abſurdum incidunt, immò in apertam contradictionē; & certe hoc argumentum Scoti eſt nodus indiſſolubilis. Ex opinione nunc recitata iſtorum, & ex reſponſione ad hoc argumentum, habetur, quod nullo modo formæ elementorum manent in mixto, actu, ita quòd hac in re conſentiunt cum Latinis, diſcrepant tantum verbis; aperto ore in primis omnes fatentur formas elementorum in mixtione non ſeruare ſuum eſſe ſpecificū, ſed remitti, ita quod tranſeunt in tertiam formam; ſcilicet in formam mixti; tunc ſic argumentor. Forma, quæ amittit proprium eſſe ſpecificū, & tranſit in aliam ſpecificam formam, penitus corrumpitur: ſed per vos, formæ elementares amittunt in mixtione proprium eſſe ſpecificum, & tranſeunt in aliam formam ſpecificam diuerſam à quacumque illarum, ergo formæ elementorum ſecundum ſubſtantiam, & actu, non remanent in mixto, vt contenditis defendere: ſed nihil penitus illarum actu manet, cum penitus corrumpantur. Minorem confitentur aperto ore; difficultas ergo erit in Maiore: ſed Maior eſt ita clara, quòd eam neque proteruus negare poteſt: quia eſſe ſpecificum, eſt propria eſſentia & ſubſtantia formæ; vndè, ſi anima rationalis huius hominis, amitteret eſſe ſpecificum hominis, & reciperet eſſe ſpecificū Angeli, quis non videt, quòd illa anima eſſet penitus corrupta, & ex ea genita eſſet alia eſſentia, & forma. Præterea, iſti dicunt quòd manent forma terræ, aeris, &c. in mixto, ſed non eſt amplius terra, neque aer, &c. quia factæ ſūt forma mixti; tunc ſic arguo: at vbi non eſt terra, ibi non eſt forma terræ; vbi non eſt aqua, non eſt forma aquæ, tunc enim maneret forma abſque ſubiecto, ergo formæ ſubſtantiales elementorum, non manent in mixto ſecundum ſubſtantiam; & denique ſi deſinit eſſe forma aquæ, non debemus dicere, quòd forma aquæ maneat in mixto. Dices, manent realitates formarum; contra tunc quæro, quid ſunt illæ realitates ſecundum ſubſtantiam, an formæ elementorum, vel formę mixti? Si primum, ergo non corrumpuntur ſecundum eſſe ſpecificum, & ſunt forma terræ, aeris,

Marginal notes: 1. rō. (beside "in præcitato loco"); Reſp. quorūdā. (beside "moderni Auerroiſtæ"); Reijcitur. (beside "hæc ratio non concludit"); 2. rō. (beside "forma mixti; tunc ſic arguo")

ræ,aeris,&c. Si ſecundum: ergo ſubſtantiæ formarum elementorum, non manent in mixto,ſed penitus corrumpuntur. 3. rō. Præterea,quod amittit eſſe ſpecificum alicuius ſpeciei, nihil eſt illius ſpeciei, ſed ſic ſunt formæ elementorum per vos, ergo in mixto formę tales nihil ſunt ſpeciei aquæ, vel terræ, &c. Si ergo terra, vel aqua, ſiue gradus terrę, vel gradus aquę, non poſſunt dici formę elementorum ſubſtantiales,nihil ſunt ſpecierum elementorum; Maior aſſumpta probatur: quia à quo remouetur totũ, remouetur & quęlibet pars totius: at ab eo, quòd amittit eſſe ſpecificum, remouetur tota natura ſpeciei, ergo id quod amittit eſſe ſpecificum, amittit totam naturam ſpeciei, & ſic nihil eſt illius ſpeciei; Si ergo formæ ſubſtantiales elementorum amittunt eſſe ſpecificum, amittunt totam naturam ſpeciei, & ſic non poteſt dici, quod amplius maneant in mixto formæ elementorum: quia iam per vos ſunt corruptę. Denique, dicere quod formæ elementorum corrumpuntur quò ad eſse ſpecificum,& poſtea dicere quod formę elemẽtorum ſecundum ſubſtantiam, ſiue gradus,& realitates,dum ingrediuntur mixtum,actu manent in mixto, eſt contradictio, quia realitates ſiue gradus formę ſubſtantialis,actu manere non poſsunt in mixto, ſi corrumpuntur, & mutant ſpeciem, ipſemet formæ ſubſtantiales; ſi enim dum vinum amittit formam ſpecificam, & ſit aqua,diceret quis realitatẽ, & gradus formæ vini manere actu in aqua,diceret contradictionem:quia ſi iam corrupta eſt forma ſpecifica vini,quomodo actu manet realitas vini?Præterea,forma ignis, & ſic de alijs, vel corrumpitur penitus in mixtione, vel non(hæc eſt contradictio in qua non eſt dare medium;) ſi dicas,quod penitus corrumpitur, ergo formæ elementorum, neque realitates, neque gradus remanent actu in mixto. Si dicas, quod non penitus corrumpuntur,ſed remanent realitates,& gradus,vt dicitis,ergo non mutant eſſe ſpecificum: quia tranſitus de vno eſſe ſpecifico, ad aliud, abijcit primum eſse penitus, quia formæ ſunt ſimplices,ſed paulatim remittuntur; quæ remiſſio non mutat ſpeciẽ, ſicut album remiſsum eſt ſemper album, neque amittit eſse album; & ita in mixto illæ realitates formarum,cum habeant eſſe ſpecificum proprium, licet remiſsum, ſpecie diſtinctę erunt ab inuicem,& à forma mixti; & ita in mixto non erit vnica forma ſpecifica, & mixtio erit iuxtapoſitio,vt à principio argumentabamur;Præterea, terminus à quò generationis formæ mixti, quæro à vobis quid ſit?vos cogimini dicere,quod ſint formæ elementorum: quia forma mixti etiam per vos fit ex formis elementorum, vel ergo forma mixti fit ex illis realitatibus formarum, ita quod illæ corrumpuntur,& tranſeunt in formam mixti, vti ſanguis, & caro ex cibo,& tunc deſinunt eſse, & ſic amplius in mixto actu non manent: ſicuti, neque cibus actu manet in carne; vel fit ex illis; ita quod non corrumpuntur, ſed in ſuo eſse manent, & ſic forma mixti illis ſuperuenit, vt forma, & tunc non corrumpuntur ſecundum eſse ſpecificum, & ſic in mixto vltra formam mixti, erunt iſti gradus formarum elementarium,quæ facient iuxtapoſitionem, non mixtionem, erit enim mixtio aggregatio realitatum formarum elementarium,ſimul cum forma mixti, neque enim inſeruire poſsunt pro materia ipſius formæ mixti, quia tũc forma mixti non eſset forma ſimplex,ſed quædam compoſitio,vel agregatum; ex his omnibus apparet iſtos, cum Latinis conuenire re ipſa, quod non intendunt, & repugnantia dicere.

Secundò arguit Scotus eſt inconueniens quod aliquod ſubſiſtens, poſſit habere duas formas ſpecificas, quarum vna non eſt nata perfici ab alia:at ſi ponatur elemẽta manere in mixto ſecundum formas ſubſtantiales,poneretur dari ſubſiſtens per ſe,habens duas formas ſpecificas, quarum vna non eſt nata perfici ab alia, ergo in mixto non poſsunt manere formæ ſubſtantiales actu. Maior eſt euidens; nam & illi qui ponunt in compoſito plures formas ſubſtantiales, non ponunt plures formas contrarias,ſed ponũt illas eſse ſubordinatas ad vnam, reſpectu cuius aliæ ſe habent vti materia, & hoc etiam fatetur Zabarella; Minor probatur: quia vel formæ elementorum retinent 2. rō. princ.

nent ſuam eſsentiam; vel illam amittunt; ſi illam amittunt, nihil eorum remanet, neque realitas, neque gradus illarum formarum: quia tunc adeſſet realitas formæ ignis abſque natura, & eſſentia ignis, quod implicat: quia realitas formæ ignis, ſiue gradus formæ ignis, pro tanto eſt realitas, & gradus formæ ignis, quia eſt realitas eſsentiæ, & formæ ſpecificæ ignis; ſi ergo manet realitas, & gradus formæ ignis, manet quoque eſsentia, & forma ſpecifica ignis; immò vltrà, ſi manet realitas ignis, & gradus ignis, & manet abſque forma ſpecifica ignis, ſequitur hoc inconueniens, quòd erit realitas, & gradus formæ ignis, ſed diuerſæ ſpeciei a forma ignis: quis autem audebit dicere, quòd realitas formæ ignis ſit diuerſæ ſpeciei a forma ſpecifica ignis; ſi enim eſt diuerſæ ſpeciei à forma ignis perfecti, non eſt amplius realitas formę ignis: ſed eſt corrupta; ſicuti panis cum recipit eſse ſpecificum carnis, non poteſt dici amplius gradus vel realitas formæ panis, ſed potius gradus, vel realitas carnis, ſiue formæ carnis. Relinquitur ergo ex hoc, quòd ſi formæ elementorum amittunt in mixtione eſſe ſpecificum, in mixto non maneant: ſi verò manent, ergo in mixto ſunt duæ formæ ſpecificæ, & earũ vna nõ eſt apta nata perfici ab altera. Hoc vltimum probatur: quia formæ elementorum ſunt formæ contrariæ, quarum vna non eſt nata perfici ab altera. Huic rationi reſpondet Zabarella, vt ſupra, quòd non concludit aduerſus eũ: quia non dicit formas elementorum remanere in eſſe integro, ſed in eſſe fracto: quia remanent realitates, quibus aduenit noua formalitas, & ſic realitas formæ elementaris ſit alia forma; ſic ſemper reſpondet Zabarella ſoluendo argumenta Scoti, & maximè quartũ, & quintum, ſecundum ſuam enumerationem.

Reſp. Zab.

Sed hoc pluries eſt confutatum: quia illa realitas formæ ignis, certè eſt alicuius vnius ſpeciei, nihil enim eſt in mundo, quòd non ſit alicuius vnius ſpeciei, vna enim res, vnius eſt ſpeciei; vel ergo eſt ſpeciei ignis, vel ſpeciei formæ mixti; ſi eſt ſpeciei ignis, ergo non amittit eſſe ſpecificum ignis, quòd eſt contra te, & ſic ſunt in mixto quattuor ſpecificæ formæ cõtrariæ; vel eſt ſpeciei formę mixti, ergo non eſt amplius realitas formæ ignis: quia nihil eſt ſimul duarum ſpecierum diuerſarum, & ita elementorũ formæ non remanent in mixto, ſed corrumpuntur; & certè velle hac in re proteruiare, eſt in manifeſtiſſima pertinacia manere, quam quilibet ingenuus Philoſophus vitare debet.

Reÿcitur.

Hoc etiam cõfirmatur ex eo, quòd ipſi adducunt de medijs coloribus; certè cum ex albo, & nigro fit color medi⁹, vt rube⁹, nõ manẽt in rubedine realitas albedinis, & realitas nigredinis; quia tũc rubedo nõ eſſet qualitas, & forma ſimplex, vti ipſa albedo: ſed eſſet quędam mixtio realitatum extremorum colorum; immò ex illis ſi manerẽt realitates extremorũ, non fieret vna tertia forma p ſe, ſed ſolum fieret quædam iuxtapoſitio: quia ex realitatibus diuerſis, & contrarijs, ſi maneãt in ſuo eſſe, fit tantũ aggregatio, nõ generatio; non poteſt generari noua forma diuerſa à prima, ex prima, niſi prima corrũpatur, & ſic mutetur in illam; non ergo manent realitates formarum elementorum. Cõcludit etiam efficaciter cõtra eos, qui ponũt in mixto manere gradus formarũ in eſſe ſpecifico ſuo: quia tunc clarè concludit, quod quattuor formæ, quarum vna non eſt perfectibilis ab alia, manebunt in mixto. Dicent, ꝙ manẽt gradus formarũ, non formæ. Cõtra, vel illi gradus amittunt eſſe ſpecificũ ſuæ formæ elemẽtaris, vel non ſi amittũt, ergo non remanent, quod eſt contra te, ſi non amittunt, ergo manent in ſuo eſſe ſpecifico, & ſic licet ſint refracti, & remiſſi, tamen habebunt eſſe ſpecificum, & ſic in mixto erunt quattuor formæ ſpecificæ remiſſæ, quarum vna nõ eſt nata perfici ab alia, quòd itidem eſt inconueniens.

Confirm.

Præterea, contra iſtos omnes valet ratio illa, quòd tunc quælibet particula mixti, non erit mixta: nam vel iſti gradus, & realitates formæ ignis manent diſtincti, & tunc non fit mixtio; vel miſcentur perfectè, ita quod in qualibet minima portione mixti, eſt realitas formæ aquæ, ignis, terræ, & aeris, ſed ſunt confusæ ſimul, & tunc eadem portio materiæ mixti, ſimul informabitur à realitate formæ ignis, & ſimul à realitate formæ aquæ, aeris, & terræ, & ſic eadem portio

3. principaliter.

materiæ numero, informabitur ſimul ab oppoſitis realitatibus formarũ, quòd eſt impoſſibile: quia nullum ſubiectum ſimul,& ſemel, poteſt manere ſub contrarijs. Præterea, ſi maneant iſtæ realitates actu,& ſunt ſic comixtæ, realitas formæ aquæ, erit comixta realitati formæ ignis, & ſic medium non erit forma mixti ſimplex, ſed quædam iuxtapoſitio realitatũ minutiſſima. Præterea, vel iſti gradus & realitates gerunt officium materiæ, vel formæ, vel intereunt, ſi intereunt, habeo intentum; ſi funguntur officio formæ, ergo dant eſſe, quia officium formæ eſt dare eſſe, & ſic quælibet realitas dabit eſse per ſe ſubſiſtens, cum ſit realitas ſubſtantialis; vel ſi funguntur officio materiæ, erit materia formę mixti, & ſic forma mixti erit ex realitatibus elementorum, tamquam ex materia, & ſic forma mixti erit compoſitum quoddam, non ſimplex eſſentia, qualis eſt omnis forma.

4. rō. princip. Quarta ratio Scoti eſt efficaciſſima, Mixtum generatur ex elemento, vel ex elementis, & corrumpitur in illa, ergo talis incompoſſibilitas eſt inter formam mixti, & inter formas elementorum, qualis eſt inter terminũ generationis à quo, & inter terminum generationis ad quem; At terminus à quo, & ad quem, non ſe compatiuntur in eodem ſubiecto, ergo neque forma elementorum, & forma mixti, ſe compatiuntur in eodem mixto ſubiecto; vnde ſicuti eſt impoſſibile, quod quando ex aquá fit ignis, materia ſimul perficiatur forma aquæ, & etiam forma ignis; ita in propoſito eſt impoſſibile, quod materia mixti ſimul perficiatur formis elementorum, & forma mixti.

Reſp. Ad hoc argumentum efficaciſſimũ, reſpondet Zabarella conſequenter, & concedit totum argumentum: quia ait contra ſe non concludere, quia non dicit formas elementorum remanere, ſed eſse re vera terminum à quo, & formam mixti eſse terminum ad quem, neque hæ poſſunt eſse ſimul, neque eadem res poteſt eſſe ſimul mixta, & elementum (hæc ſunt verba eius formalia) eſt tamen eadem realitas formæ elementorum, & formæ mixti. Sed hæc reſponſio eſt penitus vana; Reijcitur. nam videtur concedere, has realitates formarum, quas ponit remanere, ſe habere eo modo quo ponit materiam remanere in generatione, ait enim, quod remanet ſub vtroque termino generationis, quia remanet ſub termino corruptionis formarum elementarium, quia dum corrũpitur eorum eſſe ſpecificum, & forma elementi, remanent realitates, quę etiam ſeruatur in generatione formæ mixti; At hoc eſt ridiculũ aſserere de gradibus formæ, cum ipſa ſit quæ corrumpantur in materia, & generantur in materia, non autem ſit materia, & ſubiectum generationis. Inſuper forma ſubſtantialis elementi eſſet compoſita ex materia, & forma: quia in corruptione eorum deſinit eſse ſpecificũ, & remanet realitas, quæ ſubit aliam formam ſpecificam, & realitas, quæ gerit vicem materiæ.

Quinta ratio. Omne ſubiectum corporeum conſequitur quantitas, quæ eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeę. At forma elementi quantumcũque remiſsa, conſtituit ſubſtantiam compoſitam, ergo ipſam conſequitur propria quantitas, ſicuti paſſio propria: ſed eadem propria paſſio, nõ eſt plurium ſubiectorum, ergo in vno ſubiecto erunt plures quantitates, vt quãtitas mixti, quantitas ignis, terræ, aeris, &c. & ita tunc vel duo corpora erunt ſimul, & dabitur penetratio corporum, vel mixtio erit tantum iuxtapoſitio. Hoc argumentum euitare non poſſunt Auerroiſtę, dum aſſerunt gradus formarum elementarium retinere officium formæ in mixto, vt patet: quia tunc vnaquæque dat eſſe ſubſiſtens per ſe, ad quod ſequitur propria paſſio, quæ eſt quantitas propria; Si verò dicant realitates gerere officium materiæ, incidunt in errorem peiorem, vt dictum eſt; Si corrumpuntur penitus, habemus propoſitum, &c. 5. rō. princip.

Ponitur opinio Scoti, & probatur ex dictis, & declaratur, quomodo diſcrepet à cæteris Latinis, quorum opinio reijcitur. C. IV.

EX confutatione iſtarum opinionum apparet comprobatio opinionis Scoti, quæ ſicut à nemine eſt explicata, & intellecta, ita omniũ eſt veriſſima, eam ponit in præcitato loco 2. diſtinct. 15. queſt. Opin. Scoti.

vnica,

vnica, in corpore, quæ eſt: elementa non manent in mixto, ſecundum formas ſubſtantiales; neque in eſse remiſso, neque in eſse ſummo, vt probatum eſt: & cum non maneant ſecundum formas ſubſtantiales, manifeſtum eſt, quòd neque manere poſsunt, quò ad accidẽtia, quia accidẽtia manere non poſsunt eadem numero deſtructis eorum ſubiectis, nihil ergo elementorum manet in mixto, & in hoc vltimo differt à Latinis alijs, cum quibus tenent ferè omnes Scotum conuenire; Sed tunc quomodo ſaluabitur id quod Ariſt. ait elementa manere in mixto? Reſpondet Scotus & declarat quomodo elementa manent in mixto; & certè eſt egregia declaratio, & pro declaratione adducit illam diſtinctionem de duplici medio, quã etiam adducunt Zabarella, & Piccolomineus; ſed Scotus conſiderat tãtum vnum membrum, ſcilicet medium per participationem extremorum, dimittens medium per abnegationem extremorum, ait ergo, quod medium per participationem extremorum, dicitur componi ex extremis, vt color rubeus ex albo, & nigro; ſed iſta compoſitio non eſt vera compoſitio, ita, quod media illa qualitas integretur ex partibus extremorum, & partes extremæ ſint partes rubedinis: quia illa qualitas eſt ita ſimplex, ſicuti ſunt extrema, adeo quod rubedo eſt ita ſimplex, ſicuti albedo, & nigredo, ſed pro tanto illa qualitas media dicitur componi ex extremis: quia habet naturalem conuenientiam cum extremis, quam non habet extremum ad aliud extremum; propter ergo hanc conuenientiam naturalem cum vtroque extremo, dicitur componi ex extremis: tamen re vera non eſt compoſita, ſed eſt qualitas ſimplex, vti ſunt extrema. Hoc etiam hucuſque fateri debent, & fatentur Piccolomineus, & Zabarella, & ideo dicunt, quod forma mixti, quæ eſt tale medium, eſt forma ſimplex: ita ad propoſitum, cũ Ariſt. dicit formas elementorum manere in mixto, ita quod corrumpuntur excellentiæ, & refranguntur, & manent in medio, vult dicere, quod forma mixti habet naturalem conuenientiam cum formis elementorum, quam non habent formæ elementorum ad ſe inuicem, ſicuti dicimus rubedinem continere in ſe albedinem, & nigredinem, quia habet conuenientiam cum vtroque: ſed hoc non ſufficit ad rectam intelligentiam opinionis Scoti, ſed opus eſt declarare quomodo ex elementis fiat mixtum, quia nondum patet quomodo ex elementis fiat mixtum.

Dub. *Solu.*

Inquit ergo Scotus, quod quando elementa concurrunt ad generationem non generatur mixtum per actionem illorum mutuo ſe corrumpentium, ſed quod agunt in virtute vniuerſalis agentis, adeo, quod ſecundum Scotum agens vniuerſale vtitur elementis & ex illorum actione, & mutua corruptione, inducit aliam formam ſubſtantialem, quæ eſt forma mixti, in qua forma mixti non remanẽt amplius formæ ſubſtantiales elementorum, neque eorum accidentia, quia iam corrupta ſunt: ſed dicuntur manere in mixto in virtute, ſiue ſecundum vires: quia illa forma mixti producta ex elementis ab agente vniuerſali, habet quandam mediam naturam, quæ retinet vires, & qualitates ſimiles virtutibus formarum ſubſtantialium elementorum, adeo, quod euenit ſicuti ſi ex albedine, & nigredine ab aliquo agente per actionem illorum ad inuicem, & corruptionem induceretur rubedo, tunc rubedo fieret ex albo, & nigro, & vires albedinis, & nigredinis dicerentur manere in albedine in eſſe refracto, & in medio, non quia re vera gradus albedinis, vel rubedinis manerent in rubedine, quia eſt ſimplex, vt dictum eſt: ſed dicerentur manere ſecundum virtutes, quia ex illis producta eſt rubedo, quę continet qualitates, & virtutes ſimiles virtutibus, & qualitatibus elementorum in eſſe medio, & refracto. Hæc proculdubio eſt mẽs Scoti, vnde declarans verba Ariſtotelis, quibus dicit, quod elementa manent in mixto virtualiter, ait, quod forma mixti eſt perfectior ſine dubio formis elemẽtorũ, & ideo dicuntur elementa manere in mixto virtualiter, ſicuti imperfecta, & inferiora, in ſuis ſuperioribus, & perfectis, & ſicuti ſenſitiua, & vegetatiua manent in intellectiua: non quia intellectiua componatur ex ſenſitiua, & vegetatiua, tãquam ex partibus, quia intellectiua eſt

forma ſimpliciſſima, ſed quia intellectiua eſt forma cōtinēs virtutes ſimiles virtutibus vegetatiuæ, & ſenſitiuæ. Et reſpōdendo ad ſecundum argumentum ait, quòd in mixto ſūt qualitates ſimiles qualitatibus elementi, non eędem; & in fine corporis quęſtionis Reſpondet reſolutè, & ponit concluſionem ſuæ opinionis his verbis.

Dico ergo, quod quattuor elemēta manēt ĩ vno mixto, virtualiter habēte formā ſubſtantialē continentē in virtute formas elementorū, non tamen ſecundū ſubſtantiam, vt partes ſui: ſed propter prædictā conuenientiam, & cōtinentiā virtualem; & pro hoc videtur eſſe Philoſophus, qui dicit, qđ manent potentia, & virtute. Hæc ſunt verba Scoti. Ex quibus apparet, in hac opinione Scoti duo eſſe: Primò declarat, quomodo elementa maneant in mixto. Secūdò declarat quomodo ex elementis fiat mixtum; Mixtum autem fit ex elementis ab agente vniuerſali, quod agens ex elementis per actionē eorum, & corruptionem mutuā, producit formam mixti; Ecce ſecundum dictum. Elementa verò nō manent in mixto, neque ſecundum ſubſtantiam, ſiue in eſſe remiſſo, ſiue in ſummo, neque realitates eorum: quia iam corrupta ſunt, & forma mixti eſt ſimplex, ſed manent ſecundum vires in eſſe medio: quia illa forma mixti habet virtutes ſimiles virtutibus elementorum in eſſe fracto, & medio; Hoc eſt primum dictum quod probatum remanet per rationes contra Auerroiſtas, & Auicennam, & per auctoritatem Ariſtotelis, dicētis elementa manere in mixto virtute, & per exemplum illud de medio. Secundum dictum, quod ſcilicet elementa ex ſe non producant formam mixti, ſed quod agant in virtute vniuerſalis agentis, probat dupliciter. Primò, quia quæro de inſtanti, in quo generatur mixtum, vtrum in illo ſint omnia elemēta corrupta; vel adhuc maneāt; ſi omnia ſunt corrupta, & in illo inſtanti, in quo inducitur forma ſubſtantialis mixti, eſt vera actio, & productio, & generatio, ergo mixtum generatur à non ente; ſi aliquod illorum maneat, ergo non corrumpunt ſe mutuo in generatione mixti, & tunc etiam non generaretur mixtum, niſi ab illo vno. Ex hac ratione apparet, quod mixtum non poteſt generari ex ſola actione, & mutua corruptione elementorum: ſed requiritur aliquod agens efficiens, diuerſum ab elementis; neque tamen excludit corruptionem, & mutuam actionem elementorum, quia hæc neceſſariò requiritur. Vnde reſpondendo ad primum, apertè ait, quod cum mixtio ſit quædam generatio, per cōſequens eſt corruptio alterius: at non poteſt eſſe corruptio niſi elementorum, neque poſſunt corrumpi niſi agant ad inuicem: ergo actio mutua elementorum requiritur; & ſic probat, quod per ſolam actionem elemētorum, non poteſt generari mixtum, ſed requiritur virtus agentis vniuerſalis. Secunda ratio eſt clarior, Cauſa æquiuoca eſt nobilior ſuo cauſato: ſed elementa in inſtanti, in quo corrumpuntur, & in quolibet inſtanti, ſunt imperfectiora ipſo mixto, ergo non cauſant, nec generant ipſum mixtum per actionem ſuam. Opinio Piccolominei, & Zabarellæ huic propè accedit, & non differunt niſi in obſtinatione, ſed in re eſt eadem: aiunt enim, formas ſubſtantiales elementorum corrumpi ſpecificè, & fieri vnam tertiam formam ſimplicem, quæ eſt forma mixti; ecce, quòd dicunt idem: quia ſi formæ quo ad eſſe ſpecificum corrumpuntur, & euadunt tertia forma, ſcilicet mixti, ergo ſecundum ſubſtantiam non remanent, neque ſecūdum realitates ſiue gradus: quia tunc non mutarent eſſe ſpecificum illi gradus, & realitates, vt ſupra probatum eſt: neque forma mixti conſtans ex illis gradibus, & realitatibus diuerſarum formarum, eſſet ſimplex eſſentia, vti eſt, & ipſi fatētur: quia dicūt in mixto eſſe vnicum eſſe formale, & vnicā formā ſpecificā, & ſic, ſi volunt vitare implicationē cōtradictionis, incidunt in opinionē Scoti, ſed inciderunt in hanc contradictionem propter duas rationes oppoſitas, quæ illos vrgebant, ex vna parte eſt Ariſtot. qui dicit ex elementis fieri mixtum, & elemēta manere in mixto, & corrumpi excellētias; hoc autem non videtur poſſe ſaluari, niſi formæ remaneant aliquo modo in mixto; ideò dixerunt eas manere ſecundum realitates: quia verò ex alia parte

Opin. Picc. et Zabar. Accedit ꝓpè opin. Scoti.

plures

plures formæ ſubſtantiales ſpecificæ, quæ non ſint ſubordinatæ, non poſſunt ſtatui in vno ſuppoſito, vt valide oſtendunt rationes Scoti, dixerunt formas corrumpi, ſecundum eſſe ſpecificum, & ſic putabant ſe omnia ſaluare: ſed non animaduerterunt tunc ſe incidere in contradictionem; ideò melius eſt ſi dicamus cum Scoto, ex elementis fieri mixti formam ab agente vniuerſali per eorum corruptionem ad inuicē, in qua remanent per proportionem, & ſimilitudinem viriū in medio, non in ſummo, ſic enim ſaluatur vnitas mixti, & elementa manere in mixto virtute, decipit etiam eos mixtio ſenſibilis: ſicuti enim in noſtris mixtionib. quas ſenſu cernimus, videmus realitates, ſiue partes minimas miſcibilium remanere, ita non potuit capere Zabarella quomodo ex elementis fiat mixtio, & elementa realiter non maneant; ſed debebat aduertere, quod hæc mixtio ſenſibilis, non eſt vera mixtio, ſed iuxtapoſitio, quàm reijcit Ariſtot. toties, ideò non debet eſſe talis mixtio ex elementis.

Opin. aliorū Latinorum. Ex his apparet in quò differant cæteri Latini à Scoto; quam differentiam rectè notauit Zabarella; quia cæteri vt D. Thomas, Aegidius, Marſilius, & Ludouicus Buccaferreus, dicunt quidem formas elementorum interire in mixtione penitus, ſed qualitates illorum remanere in eſſe fracto: Scotus autem neque ſubſtantiales formas, neque virtutes eorum vult remanere, vt patet apud eum, reſpondendo ad ſecundum, vt ſupra diximus, & per totam ſuam poſitionem. Pro hac opinione

1. rō. pro opin. Latinorū. duas auctoritates adducunt, quia Ariſt. 84. primi de ortu, & interitu, vbi ait miſcibilia nō manere actu in mixto, vt corpus, & album, neque etiam interire, ſed manere vires eorum, iſtæ ſunt qualitates, ergo.

Secundo Ariſt. 2. de partibus animaliū, c. 1. dicit, tres in animali eſſe compoſitiones, & primam eſſe ex ijs corporibus quæ à nonnullis elementa vocantur, ſcilicet, aqua, terra, aere, igni, ſed ſtatim ſubiungit, melius fortaſſe eſſe vt dicamus corpora conſtare ex virtutibus elementorum, quam ex elementis ipſis; & virium nomine ſtatim ait ſe intelligere qualitates, ergo clara eſt auctoritas Ariſt. quod elemēta maneant in mixto tantum ſecundum qualitates.

Reijcitur. Sed hæc opinio non eſt ſuſtinenda, quia cum forma ſubſtantialis corrumpitur, etiam accidentia corrumpuntur; non ergo eædem qualitates elementi numero remanent in mixto, ſed ſunt eadem proportione, & ſimilitudine; & hoc modo reſpondemus ad illa duo argumenta: concludunt enim, quòd virtutes elementorum manent in mixto, eædem proportione, non realiter, & ſecundum ſubſtantiam. *ad rōnes proLatin.*

Solutio rationum Aduerſariorum, & declaratio quomodo mixtio ſit idem, quod generatio mixti. Cap. V.

PRo ſolutione rationum Aduerſariorum, & intelligendis auctoritatibus Ariſt. quæ in contrarium adducuntur, notandū eſt Primò, quod generatio mixti, & mixtio, non differunt re, ſed re ſunt idem: quoniam mixtio nunquam eſt perfecta niſi cum acquiſiuit ſuum terminū, ſcilicet formam mixti: ſed differunt ſolū ratione, quia mixtio, vel reſpicit formam mixti productā, vel elementa, ex quibus producitur: ſi primum, dicitur generatio: quia eſt productio formæ ſubſtantialis mixti; ſi reſpicit elementa, dicitur mixtio: quia illa ſimul miſcentur, & corrumpuntur, & ſic ſunt principia mixtionis, & generationis formæ ſubſtantialis; & ita non eſt inconueniens, quod mixtio diuerſimodè conſiderata, dicatur mixtio, & generatio mixti; & etiam ſecundum has varias conſiderationes habeat duas definitiones, quæ verè vna ſint. Notandum eſt inſuper, quod in mixtione, & generatione mixti, ſunt tria per ordinem, Primum eſt alteratio mutua per actionem, & paſſionem mutuam contrariarum qualitatum; Secundum eſt actio actiuarum qualitatum in paſſiuas: Tertium eſt productio mixti, quæ in definitione mixtionis, dicitur vnio; & hoc tertium eſt mixtio, & mixti generatio; quia reliqua duo ſunt diſpoſitiones ad mixtionem, & ad generationem mixti, & præcedunt tempore ipſam generationem mixti; Quod autem hæc vnio, ſiuè generatio mixti, *Notādum.*

mixti, ſit re vera mixtio, & quòd Ariſtot. quando definiuit mixtionem, dicens Mixtio: eſt miſcibilium alteratorum vnio, per vnionem intelligat generationem formæ mixti, & non vnionem elementorum tantummodo alteratorum, vt volebat Mercenarius, patet ex eo: quia tunc mixto eſſet iuxtapoſitio elementorum, quia illa integra cum ſuis formis adhuc permanerent, quod genus mixtionis ſæpè Ariſtoteles reiicit, diſputans contra Antiquos. Et confirmatur: quia inquit Ariſt. Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio; vbi illud participium præteriti temporis, alteratorum, vt expoſuit Scotus, ſignificat alterationem iam præceſſiſſe mixtionem, & à mixtione præſupponi, non autem in ea formaliter conſiſtere naturam mixtionis; Sunt ergo idem definitio mixtionis, & definitio generationis mixti, quarum prima eſt: Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio; Secunda eſt, quam affert Ariſt. 4. Meteororum, & eſt Tranſmutatio patientium qualitatum ab agentibus ſuper illas dominantibus; in vtraque ponitur ſubſtantia ipſamet mixtionis, & generationis mixti; & ponuntur etiam prçuię diſpoſitiones ſubſtantiæ ſubiectæ, cum dicitur in definitione mixtionis, quod eſt vnio, & in definitione generationis mixti cum dicitur quod eſt tranſmutatio, diſpoſitiones verò, cum dicitur in definitione mixtionis, Miſcibilium alteratorum, in definitione generationis, cum dicitur patientium qualitatum ab agentibus ſuper illas dominantibus; differunt verò ratione: quia vna reſpicit elementa, alia formam mixti; quæ omnia abundè, & egregiè declarat Zabarella, libro primo de generatione mixti, cap. quinto, & eandem opinionem ſuſtinet Franciſcus Piccolomineus, libro de Mixtione, cap. 11. quæ omnia ſunt conſona doctrinæ Scoti; immò puto, quòd Zabarella hanc ſententiam mediandi inter Mercenarium, & Eraſtum magna ex parte acceperit ex Scoto multam vim enim facit ſuper expoſitione illius particulæ, alteratorum, quę proculdubio eſt Scoti, vt videre eſt apud eum, reſpondendo ad primum; ſuper quam expoſitionem, vltra alias rationes, maximè fundat ſe, quòd mixtio ſit generatio formę ſubſtantialis, non ſimplex vnio elementorum alteratorum. Ex quo etiam patet, quod apud nos, nulla eſt illa difficultas, An forma mixti, ſit forma ſuperaddita formis elementorum in mixto; & rationes Zimaræ non concludunt contra nos: quia ſupponunt, quòd formæ elementorum remaneant ſecundum ſubſtantiam in mixto, licet in eſſe fracto: & ideo poſtea quærunt Auerroiſtæ, an forma mixti, ſit forma, ſuperaddita illis formis elementorum. At nos dicimus, formas elementorum ſolum remanere proportione, non actu; Secundo, Notandæ ſunt duæ diſtinctiones; Prima, quòd cum dicitur elementa manent in mixto, poteſt intelligi duobus modis; Primò, ſecundum eſſe reale, & ſubſtantiale, & hoc modo non manent in mixto, neque ſecundum ſubſtantiam, neque ſecundum qualitates, vt oſtendimus. Alio modo poteſt intelligi quòd maneant ſecundum proportionem virtutum, & qualitatum, & hoc modo, elementa manent in mixto. Secundo Elementa ſecundum hanc proportionem virtutis manere in mixto, poteſt duobus modis intelligi; Vno modo quòd maneant ſecundum proportionem virtutis in ſummo; Alio modo quòd maneant ſecundum proportionem virtutis in eſſe refracto, & remiſſo, manent hoc ſecundo modo, non primo. Ex his ad primam rationem, quæ innititur Ariſtot. auctoritati, primo de generatione, textu 84. Reſpondetur, quòd ait vtrũque remanere: quia vtrumque ſecundum proportionem virtutis manet, non autem ſecundum ſubſtantiam, ſi enim generaretur aliquod mixtum, quòd non haberet conuenientiam vllam cum virtute ignis, diceretur interire ignis penitus in illo mixto: quia forma mixti nullam haberet proportionem cum forma ignis: at forma mixti debet habere proportionem cum omnibus formis elementorum, & ſic eſt medium reſultans ex illis. Ad illud de tex. 88. dico, quòd Ariſt. adducit illud exemplum de gutta aquæ, ad declarandum, quòd elementa debent manere omnia in forma mixti, ſecundum proportionem, non ſecundum rem, non autem alterum corrumpi ſecundum proportionem virtutis;

An forma mixti ſit ſuperaddita formis elemẽtorũ.

Secũdum.

Notãdum.

Ad 1.

tutis; Vndè, ſicut gutta vini non dicitur miſceri amphoræ aquæ, quia corrumpitur, ita, ſi aliqua forma elementi intereat, ita, quòd forma mixti nullo modo illi ſimilis ſit, neque vllam cum illa habeat cõuenientiam, non dicetur illud elementũ manere, & eſſe in illo mixto ſimilitudine, neque illud elementum eſſe mixtum illi formæ mixti, ſicuti neque gutta aquæ eſt mixta amphoræ vini, quia corrumpitur, & quo ad hoc valet tantũm ſimilitudo: neque enim exempla quattuor pedibus currere debent, & ideò omnes auctoritates exponendæ ſunt de hac remanentia, ſecundum proportionem, & ſimilitudinem virtutis, non ſecundum ſubſtantiam elementorum. Sed contra: quia ait Ariſt. ſicuti ſyllabæ ex litteris conſtant, ita mixtum ex elementis: at litteræ manent in ſyllabis actu, & ſecundum ſubſtantiam, ergo & elemẽta. Reſpondetur, quòd hoc exemplum non eſt omninò ſimile: quia ſubinfert ibidem Ariſtot. Nunquid autem hæc elementa inſint actu, vel potentia, alibi ſoluendum eſt, & ſoluit poſtea, dicens, quòd manent virtute; tenet ergo ſimilitudo, quòd ſicuti ex litteris fit ſyllaba, ita mixtum ex elementis: immò hæc auctoritas facit pro nobis: nã ſyllaba fit quidem ex litteris, ſed facta ſyllaba, litteræ non ſunt amplius litteræ, ſed ſyllaba, ſicuti dixit Ariſt. 7. Metaph. textu vltimo, de ſyllaba (AB) quæ fit ex A. & B. ſed poſtea non eſt amplius neque A. neque B. ſed AB; ita mixtum fit ex elementis, ſed non ea amplius ſunt elementa, ſed mixtum.

Dub.

Solu.

Rõ ꝓ opin. Scoti.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondet Scotus, quòd Ariſt. ibi loquitur de materia prima.

Ad 3. Ad tertium reſpondet Scotus, quòd omnis mixtio eſt quædam generatio, & per conſequens eſt neceſſe quòd ad ipſam precedat corruptio alterius, quæ ſunt elementa, quòd autem corrũpitur, prius alteratur, & ſic elementa, & miſcibilia prius alterãtur, deinde corrumpũtur; Vndè Ariſt. ait, quod Mixtio eſt vnitio miſcibilium alteratorum, deinde corruptorũ, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundũ virtutem, vel ſimilitudinem virtutis; Poſſumus etiam dicere, quòd Mixtio eſt vnio miſcibilium alteratorum, id eſt Mixtio eſt vnio elementorum ſecundũm ſimilitudinem virtutis, non in ſummo, ſed in eſſe fracto, & alterato, quem eſſe ſenſum neceſſarium illius definitionis, ex dictis oſtendimus.

Ad quartum egregiè reſpondet Ludouicus Buccaferreus, nempè, quòd Ariſt. ibi loquitur ad hominem, ſcilicet ad Platonem dicentem, quòd mixtum conſtat ex compoſitione elementorum; ſed cum hoc dicebat, quod elementa habent proprias figuras, Ariſt. autem ait: quòd ſi elementa haberent proprias figuras, cum maneant in mixto, ſecundum Platonem, in mixto dabitur vacuum: quia hæc corpora cum proprijs figuris, non poſſunt verè contineri in mixto, niſi intercipiatur vacuum, & ſic concludit Argumentum quòd elementa non poſſunt habere proprias figuras ex hoc medio, quod manent in mixto ſecundum ſubſtantiam, ſed hoc medium, quod maneant in mixto ſecundum ſubſtantiam, accepit à Platone, & arguit ad hominem, non ex propria ſententia. *Ad 4.*

Ad quintum reſpondet Scotus, quod prædominium elementi in mixto, attenditur penes illã qualitatem mixti in qua mixtum aſſimilatur vni elemento magis, quam alij. Vndè ſecũdum diuerſam mixtionem elementorum concurrentium in generatione illa, aliquando mixtum magis conuenit in forma cum vno elemento, quam cum alio, & ſic in qualitate ſimili, quæ eſt qualitas mixti, non elementi: & ideò habet ſimilem modum, conſequẽter etiam ſimilem actionem: non ergo hoc prædominium arguit ſubſtantiam elementi eſſe in mixto, ſed mixtum magis aſſimilari illi elemento, ſecundum cuius motum mouetur naturaliter. *Ad 5.*

Ad ſextum duplex eſt generatio; Vna qua genitũ nullo modo aſſimilatur priori corrupto, vt, cum ex aqua fit aer; Alia in qua genitum de nouo, aliquam conuenientiam habet cum eo, quòd eſt corruptum, vt cum fit ex nigro rubeum, tunc dico, quòd Ariſt. negat mixtionem eſſe generationem primo modo, ſed concedit ſecundo modo, vt declaratum eſt. *Ad 6.*

Ad ſeptimum habemus reſponſionẽ ex ipſomet Zab. eodem lib. cap. 10. exponendo ſen- *Ad 7.*

do ſententiam Alexandri, inquit enim, Alexandrum rectè annotaſſe, cum dicit Ariſt. elementa iterum ex mixto poſſe ſeparari, hoc non debere intelligi ità, vt illa elementa penitus eadem redeant numero, quæ prius in mixtionem venerant, ſed, quòd non redeunt eadem numero, ſed ſolum ſpecie; hoc modo dicimus ad rationem, quod equidem mixtum poteſt reſolui in elementa, & elementa poſsunt ſeparari à mixto, ſed non eadem numero, quæ ingreſsa ſunt, ſed ſolum eadem ſpecie; hoc autem concludit pro nobis, elementa non manere in mixto ſecundum ſubſtantiam, ſed corrumpi, & manere ſecundum ſimilitudinem tantum; & hoc nobis poteſt inſeruire pro argumēto principali: quia ſi non ſeparantur ex mixto eadem numero, ſed ſolum eadem ſpecie, ergo realitas eadem numero ignis, non manet in mixto, ſed corrumpitur, & tunc nihil penitus elementi, quod pertinet ad vnitatem numeralem manet in mixto.

Ad 1. Mercen. Ad primum Mercenarij dico, quòd elementa corrūpuntur à ſe inuicem, & ab vniuerſali agente, quòd inducit mixtum. Cum dicitur, quòd hoc eſſe non poteſt, q̄a habent pares vires ex Ariſt. dico, quòd dicuntur habere virtutes pares, quia vnū nō poteſt conuertere aliud in ſuam naturam: ſed propter hoc non ſequitur, quòd non adſit intenſior virtus in vno quàm in alio: ſed quia parum vnum excedit aliud, hinc fit, quòd dū agit in aliud, repatitur, & ſic corrumpuntur omnia, & reſoluuntur in tertiam formam, ſcilicet formam mixti; Si etiam hoc argumentum concluderet, ſequeretur elementa eſſe corpora incorruptibilia, cum nullum corrumpēs habeant.

Ad 2. Ad ſecundum dicimus, quòd nulli dubium eſt, quod terra, in quam reſoluitur mixtum per combuſtionem, actu nō erat in mixto, & eadem numero, vt ſupra diximus reſpondendo ad ſeptimum pro Auicenna: ſed de nouo generatur. Cum arguitur, quia ignis non producit terram, ſed ignem; reſpondetur, quod agit quantum poteſt ignis, vt vertat mixtum in ignem, ſed quia tale mixtum multum aſſimilatur terræ, & qualitatibus terræ, hinc fit, quòd reperit ignis maximam reſiſtentiam, & cum non poſſit vertere in ignem, vertit in terram, affectam tamen calore igneo.

Ad 3. & 4. Ad tertium iam reſponſum eſt ſupra ad ſeptimum. Ad quartum, concedimus mixtum cum corrumpitur corrumpi in quattuor elementa, non tamen propter hoc ſequitur, quòd elementa ſint in mixto actu ſecundum ſubſtantiam.

Ad 1. Zab. Ad primum Zabarellæ dicitur, quod non debemus decipi à mixtione ſenſibili, in qua videmus res iuxtapoſitas, ſeruari realiter, quā m reſpicit ipſe, ex cuius ſimilitudine videtur decipi: ſed cum mixtio ſit generatio ipſa mixti ſecundum rē, non alio modo, dicere debemus elementa eſſe materiam mixti, quam dicamus ſenſus eſſe materiam hominis, oſtendimus enim, quod elementa penitus corrumpūtur. Vel poſſumus dicere, quòd elementa ſecundum proportionem, ſunt materia mixti, ſiquidem tantum ſecundum proportionem remanent in mixto, vt vidimus.

Ad 2. Ad ſecundum ex Baccono patet ex dictis ſupra, quomodo mixtio, & generatio ſunt idem realiter, ſed differunt ratione.

Ad alia. Ad alia tria, quæ auctoritatibus Ariſt. innituntur, iam dictum eſt, quomodo illę auctoritates intelligendæ ſint, cum enim loquantur de remanentia elementorū in mixto, intelligendæ ſunt ſecundum ſimilitudinem qualitatum, non ſecundum realitatem, & ſubſtantiam: & ſic elementa cum veniunt ad mixtionem, vnum non corrumpitur omninò in aliud: ſed ex ambobus fit medium mixtum, quòd virtutes illorum in eſſe remiſſo retinet in ſimilitudine, quia habet virtutes in ſe, ſimiles virtutibus elementorum in eſſe remiſſo; Et cum facit vim ſuper illud verbum, ſeparari, quia niſi elementa eſſent actu in mixto, non poſſent ſeparari, iam ſupra reſponſum eſt, reſpondendo ad ſeptimum pro Auicenna, fatetur enim loco citato etiam Zabarella cum Alexandro, elementa nō manere in mixto actu eadem numero, ſed eadem ſpecie, quod ſic eſt pro nobis, non contra nos, &c.

THEOREMA LXI.

Elementa dum naturaliter mouentur, à ſeipſis mouentur.

Ponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

DIſputatio iſta plena eſt dubijs, quod patet ex varijs opinionibus virorũ grauiſſimorum; Hanc autem ex profeſſo examinat Scotus ſecundo Sent.d.2.q.10. per totam, Primo itaque ponam opinionem Scoti; Secundò rationes aliorum cõtra Scotom adducam, & ſoluam, opinioneſq. aliorum euertam, quantum in me fuerit; Aſſerit ergo apertè Scotus loco citato, quod in grauibus, & leuibus eſt potentia actiua ad illud Vbi, cuius ſunt receptiua naturaliter, id eſt habent principiũ internum actiuum mouendi ſe ad proprium locum naturalem, quæ eſt propria forma ſubſtantialis elementorum; quam eſſe veram opinionem Scoti, colligitur ex rationibus quas adducit; quæ omnes probant allatam ſententiam. Primò itaque Scotus arguit auctoritatibus Ariſtotelis. Secundo rationibus; authoritas prima ſumitur ab Ariſtot. 8. Phyſic. textu 32. & inde, vbi Ariſtoteles ſoluens hanc dubitationem de principio efficiente motus grauium, & leuium, Primo diſtinguit potentiam dupliciter, ſcilicet in potentiam ad actum primum, & in potentiam ad actum ſecundum; primam communiter expoſitores vocant eſſentialem, ſecundam vocant accidentalem; prima potentia eſt, quæ reſpicit actum primum, & formam, vt cum quis non habet ſcientiam, ſed poteſt illam habere, ſiue acquirere, antequam illam acquiſiuerit, dicitur eſſe in potentia eſſentiali ad illam ſcientiam; hęc eſt potentia eſſentialis; Secunda potentia reſpicit actum ſecundũ, ſcilicet operationem rei, cum enim aliquid eſt adeptum actum primum, vt cum aliquis adeptus eſt ſcientiam, poteſt exire in actum ſecundum, ſcilicet operari, vt conſiderare, & cum aliquis adeptus eſt animam, quæ eſt actus primus, eſt in potentia ad ſentire, & intelligere: quia poteſt operari actu; Hæc ergo eſt potentia accidentalis; quæ diſtinctio, nedum ab Ariſt. in 8. Phyſic. textu 32. ſed & in libris de Anima, ſcilicet 3. textu 8. & alibi, ſæpè, & apud omnes eſt frequenter in vſu. Habita hac diſtinctione, ad propoſitum eam applicando, dicit, quòd ignis eſt in potentia eſſentiali, vt fiat frigidus; quod patet: quia ex igne poteſt fieri aqua, & hæc potentia in igne dicitur potentia ad actum primum, ſiue potentia eſſentialis, quia reſpicit actum primum aquæ: poſtquam vero genita fuerit aqua ex igne, & ſic potentia prima redacta fuerit ad actum primum, tunc inſurgit potentia accidentalis, ſiue potentia ad actum ſecundum, quia ignis factus aqua habet potentiam infrigidandi, & poteſt infrigidare actu, niſi impediatur. His habitis, hanc diſtinctionem applicat propoſito de motu grauium, & leuium: nam leue fit ex graui, & tunc antequam graue fiat leue, graue eſt in potentia ad leue; cum verò ex graui factum eſt actu leue, ita quod illa potentia eſſentialis, quæ erat in graui deducta eſt ad actum primum, tunc in leui inſurgit potentia accidentalis, ſcilicet ad actum ſecundum, ſcilicet ad moueri ſurſum, niſi impediatur; Vnde verba formalia Ariſt. ſunt hæc [Cum autem eſt iam leue actu, operabitur mox, niſi prohibeatur prohibetur autem, cum leue eſt in aliquo loco contrario, vt cum eſt deorſum, & actu in illo detinetur ab agente aliquo externo, ne poſſit ſurſum aſcendere] Ex hoc loco conſpicitur Ariſt. velle, quod elementum cum recepit actum primum, habeat in ſe potentiam, & virtutem exeundi ad actum ſecundum, & ad operationẽ, & de facto exire ex ſe, & ſicuti ignis, vt factus eſt ignis actu, & habet calorem actu, verè, & effectiuè efficit calefactionẽ, quæ eſt eius operatio, ita ignis actu exiſtens leuis, effectiuè ſe habet ad eſſe ſurſum, ſiue ad ferri ſurſum, quæ eſt operatio eius, ſe ergo elementa mouent, quo ad actum ſecundum ex Ariſtot. Subinfert etiam Ariſt. in eodem tex. hæc verba [Et iam leue operabitur mox, niſi aliquid prohibeatur; actus autem leuis eſt alicubi eſſe, vt ſurſum, prohibetur autem cum in contrario loco fit] Vbi notanda ſunt illa

verba

verba (actus autem leuis eſt alicubi eſſe, & ſurſum) nam per iſtud verbum, actus, clarum eſt, quòd non intelligit actum primum, ſed actum ſecundum: quaſi dicat, actio leuis, id eſt operatio leuis, eſt tendere ad aliquem locum, ſcilicet ſurſum: nã ſi velimus exponere de actu primo, eſt falſum quod ait Ariſtot. quia licet leue ſit in loco contrario, non tamen prohibetur ab actu primo, quia adhuc habet actum primum, ſed prohibetur ab actu ſecundo, quia non habet actum ſecũdum, ſcilicet ſuam operationem; cum ergo dicit, actus leuis eſt alicubi eſſe, ſcilicet ſurſum, eſt, acſi dicat, operatio leuis, eſt eſſe ſurſum, ſiue tendere ſurſum. Si etiam exponamus actus leuis eſt eſſe alicubi, ſcilicet cum eſt in actu leue, eſt actu leue, ita quod leuis eſt aſcendere, nihil impedit noſtram opinionem: quia tunc eſt dicere, quod leue, quia actu leue eſt, aſcendit, quod eſt dictum cauſale, quod nobis manifeſtat leue eſſe cauſam aſcendendi ſurſum, quod nos fatemur, & aſſerimus.

Secunda auctoritas deſumitur ex 4. Phyſ. cap. de vacuo, tex. 85. vbi ait apertè, quòd ad rarum, & denſum, concomitantur duæ contrarietates, ſcilicet graue, & leue, durum, & molle, loquens verò de contrarietate graui, & leui in tex. 86. eiuſdem libri, apertè aſſerit, quod rarum, & denſum, ſecundum hanc contrarietatem grauis, & leuis, ſunt actiua motus, ſecundum autem durum, & molle, ſunt paſſiua. Ex hac auctoritate clarè patet, grauia, & leuia per ſeipſa eſſe principia effe-

Obiectio. ctiua motus. Sed hic occurrit obiectio Aduerſariorum, quam reflectit Scotus aduerſus eos, deinde illam ſoluit.

Reſp. Reſpondent Aduerſarij, quod iſta non eſt intentio Ariſtotel. licet hoc modo ſonent verba. Ratio eſt: quia in 2. de generat. textu 8. Ariſt. enumerans qualitates actiuas, excludit qualitates, grauitatem, & leuitatem à qualitatibus verè actiuis,

Cõfutatio. & paſſiuis. Reſpondet Scotus, quod ſi valet hæc obiectio, & Ariſtot. eodem modo intelligat in 2. de generat. loco citato, & in 8. Phyſ. etiam obiectio valet contra Aduerſarios, & ſibijpſi Ariſt. aduerſaretur, etiam ſecundum Aduerſarios: nam Aduerſarij dicunt, quod in 8. Phyſ. ait, grauia, & leuia habere in ſe principium patiendi, non agendi: in ſecundo autem de generat. ait, quod graue, & leue, nec ſunt actiua, nec paſſiua, & etiam hoc probat ibi; Hæc ergo auctoritas non ſolum eſt cõtra Scotum, ſi intelligatur eodem modo, qui dicit grauia, & leuia habere in ſe principium actiuum, ſed etiam contra Aduerſarios, qui dicunt grauia, & leuia, habere in ſeipſis principium paſſiuum; ex 8. ſiquidem Ariſt. in 2. de gener. negat à grauibus, & leuibus principium agendi, & patiendi; quoque oportet ergo dicere ad tollendam hanc contradictionẽ, quod Ariſt. non loquitur eodem modo in vtroque loco: ſed ſicuti loquitur in libris Phyſicor. de motu in generali, & vniuerſali, in libris autem de gener. loquitur de motu ad formam, ita in 4. Phyſ. loquitur de actione, & paſſione in communi, & in vniuerſali, & ita verum eſt, quod dicit 8. Phyſ. quod nedum habent principium patiendi, reſpectu motus localis, ſed etiã agendi: in libris autem de generat. loquitur de actione ad formam, vbi agens, & & patiens ſunt contraria in principio, ſimilia in fine, & loquitur de actione, quæ eſt productio actiua, & paſſione, quæ eſt productio paſſiua; & hoc modo negat grauia, & leuia eſse actiua, vel paſſiua, quia neque ſunt principium faciendi alia, neque patiendi ab alijs, & hoc expreſsè ſonat ratio ſua ibi: non tamen propter hoc ſequitur, quod non ſint principia actiua aliquo modo reſpectu motus localis, vt dictum eſt.

Tertiò, arguit Scotus rationibus. Omnis effectus, quando in actu cauſatur, habet cauſam in actu; Hæc propoſitio eſt Ariſt. apertè 2. Phyſ. textu 37. & 5. Metaphy. cap. de cauſa, vbi dicit efficiens in actu, & cauſatum in actu, ſimul ſunt, & nõ ſunt; probatur etiam vltra auctoritatem Ariſt. hæc propoſitio per rationem: quia quod non eſt, quando non eſt, non producit aliquid ad eſſe, hæc ergo propoſitio eſt manifeſta per ſe. Stante hoc fundamẽto, ſic arguitur. Cum graue mouetur deorſum actu, neceſſe eſt quod adſit aliqua cauſa actu producens illum motum deorſum. Hæc propoſitio manifeſtè deducitur ex fundamento allato, ſubinfert: at 3. ro.

tunc

tunc non cauſatur actu iſte motus, à remouente prohibente: quia remouens prohibens, poſtquam remouit impedimentum, nil amplius efficit: vt patet exẽplo; eſt lapis in turri poſitus ſuper aliquo ligno, ego aufero lignum, ſtatim lapis cadit deorſum, ego non amplius ago in illo motu, ſed ſolum egi in principio, quando abſtuli impedimentum, quo lapis ille nõ poterat ferri deorſum; motus ergo ille lapidis deorſum, poſt ablationem impedimenti, non fit à remouente prohibens; Hoc idem, ait Scotus dicendum eſſe de impellente graue deorſum, quia expellens videtur eſſe remouens, prohibens, vt cum quis pellit lignum vel aliquod graue deorſum, quod per ſe moueri deorſum nõ poſſet, nihil aliud facit, niſi quod remouet prohibens, & impedimentum; & confirmatur: quia hoc agens remouens impedimentum, eſt agens, per accidens, vt videtur dicere Ariſt. 8. Phyſ. tex. 32. at præter mouens per accidens, opus eſt dare mouens per ſe: de hoc autem loquimur in propoſito. Neque talis motus effici poteſt à centro trahente; quia dato per impoſſibile, quod nullum graue eſſet in centro, ſed tota terra eſſet amota à centro, ita quod nullum corpus eſſet in centro, & tamen remaneret centrum ſub ratione centri, adhuc graue naturaliter tenderet ad centrum, & tamen per Hypotheſim datam, nullum corpus eſſet in cẽtro, quod poſſet trahere graue; manifeſtum eſt autem, quod actio illa tractionis, neceſſariò debet fieri ab aliquo corpore; Neque eſt Vbi Mathematicum, id eſt illud centrum purum, quod eſt Vbi Mathematicum, poteſt eſſe cauſa talis motus, quia cõſtat, quod talis forma Mathematica, non eſt forma actiua, quia eſt de genere quanti, at quantitas non eſt de genere actiuorum; Neque poteſt eſſe Cælum; quia eſt fuga, recurrere ad agens vniuerſale, & negare cauſas particulares, & effectus particulares. Pręterea, influentia Cæli, quantum eſt de ſe, eſt vniformis in toto, & in medio, quare ergo vnam partem in toto medio moueret ſurſum, & aliam deorſum; niſi poneretur agens particulare determinans. Neque poteſt eſſe generans: quia accidere poteſt quod generans actu non ſit, cum graue mouetur deorſum; neque poteſt dici, quod graue actu motum, ſit cauſa talis ſui motus in actu: quia nihil mouet ſe vniuocè ad illud, quod habet: nam ignis non calefacit ſe. Præterea, motus eſt quid extrinſecũ graui, & rei motæ, eſt enim accidens quoddam, oportet ergo dicere, quod cauſa efficiens motus, ſit aliquid intrinſecum ipſi graui, vel ipſummet graue per aliquid intrinſecum. Hæc ratio poteſt confirmari ex his, quæ dicit Ariſtot. 2. Poſt. circa textũ 56. & inde, de cauſa, & effectu, inquit enim effectus præteriti, eſſe cauſam præteritam, præſentis præſentem, & futuri futuram; actu exiſtentis actu exiſtentem, poteſtate exiſtentis, poteſtate exiſtentem; Vnde cum effectus exiſtit, opus eſt quod cauſa eodem modo exiſtat.

Reſp. aliquorum. Huic rationi reſpondet Gotfredus, cõcedens totam illam, & cum concluditur, quod hæc cauſa eſt aliquid intrinſecum, dicit quod generans manet virtute in graui, & per hoc generans mouet ipſum graue.

Reiectio. Sed hæc reſponſio reijcitur à Scoto, quia generans manet virtute in genito, vt cauſa in ſuo effectu: at quod manet ſic in aliquo, ipſum per ſe nihil eſt, pater enim qui genuit filium, ſi non habet aliud eſſe, niſi eſſe quod habet in filio, per ſe erit non ens, vt patet; Vnde omne quod eſt in filio, eſt entitas filij, non entitas patris, ſolum eſt illa relatio, quod habuit eſſe à patre: at virtus quæ efficit motum grauis deorſum, debet eſse ens actu per ſe: quia reducitur ad cauſam efficientem, cauſa autem efficiens ſi non eſt actu, non poteſt efficere actu; ſequitur ergo, quod hoc intrinſecum exiſtens in graui, quod eſt principium motus, non ſit generans in virtute exiſtens in graui genito, ſed quod ſit aliquid actu, exiſtens in graui genito.

4. rõ. Quartò, Illud, quod mouet aliud tantum, quia mouetur prius vniuerſaliter ab alio, ab eodem habet quid moueat, & moueatur; Hæc propoſitio de ſe patet: ſed graue, cui alligatum eſt aliquid leue, cuius leuitas non excedit grauitatem eius, mouet leue trahendo illud ad centrum ſecum, vt patet experientia; tunc ſubſumo: at graue illud cum mouet illud leue, prius

prius vniuerſaliter mouetur; quod patet: quia ex ſuo motu trahit ſecum leue, ab eodem autem habet, quod moueat illud leue, & quod ipſum moueatur, ex propoſitione dicta; at mouet illud leue deorſũ ex ſua grauitate, vt videntur omnes fateri, ergo & graue ipſũ mouetur à ſua grauitate; Hæc ratio confirmatur: quia quando aliquid habet potentiam actiuam reſpectu alicuius formæ, poteſt eam cauſare in quocumque proportionato, & debitè approximato, ſed graue habet potentiam actiuam reſpectu Vbi deorſum, vt patet reſpectu leuis, quod ſecum trahit deorſum, ergo quando graue eſt extra locum deorſum, cum ſit receptiuum illius Vbi, poterit cauſare iſtam formam Vbi, deorſum in ſeipſo, quia eſt patiens proportionatum, & approximatum ſibi.

5. rō. Quintò, Quies ita requirit cauſam in actu cauſantem, ſicuti motus in actu, & hæc cauſa debet eſſe coæua ipſi graui quieſcenti, at nulla alia cauſa coæua ipſi graui, cauſans quietem, aſſignari poteſt niſi ipſa grauitas, cæteræ enim cauſæ cum diſtinguantur à graui, poſſunt ſeiungi, & ſeparari à graui, ergo grauitas ipſa eſt quæ mouet graue deorſum effectiuè ad illam quietem; & confirmatur: quia ab eadem cauſa efficitur quies, & motus ad quietem, quies enim eſt finis intentus à cauſa mouente graue deorſum, & ideò cauſa mouens graue ad centrum, facit quoque graue manere in centro, at grauitas facit quieſcere graue in centro, ergo grauitas eſt quæ mouet graue deorſum.

6. rō. Sextò, graue impeditum à motu deorſum, ſi grauitas eius vincit virtutẽ illius impedientis, vel reſiſtentis, remouet illud prohibens ſemetipſum graue à motu deorſum; Hæc propoſitio eſt manifeſta per exemplum; Accipiatur aliquod graue in aere alligatum filo, & ſuſpenſum, poſtea verò ſuo pondere filum frangatur, & feratur deorſum, certum eſt filum fuiſſe impedimentum, idq. à nullo alio ſublatum eſſe quàm à grauitate illius grauis deorſum tendentis, remotio autem illa impedimenti, ſiue fractio illa fili, certum eſt quòd eſt motus violentus, & ſic habet cauſam externã, quam nullã aliam eſſe fingere poſſumus, niſi grauitatem, at graue illud non alia de cauſa frangit, & aufert illud impedimentum, niſi vt ſe faciat in centro, ergo ab eodem principio habet ſe facere in centro, à quo habet illud impediens remouere, per grauitatem remouet impediens, ergo per grauitatem tendit deorſum.

Septimò, ab eodem generante poſſet generari aliquid grauius, & aliud minus graue, & poſſent iſta duo eſſe in eadẽ diſtantia à Centro, & in eadem influentia Cæli, & tamen grauius velocius mouebitur quàm graue, ergo difformitas motuum in iſtis, eſt ab aliquo principio interno. Octauo, motus naturalis intenditur in fine ſecundum Philoſophũ in primo de Cęlo textu 88. & 89. at huius eſt difficile aſſignare cauſam, ſi cauſa effectuum iſtius motus eſſet præcisè aliquid extrinſecum. Ex his omnibus colligitur, quod elementum mouetur à ſeipſo, ſcilicet à propria forma; quomodo autẽ hoc ſe habeat, & ad mentem Philoſophi declarat per vnam pulchram, & veram diſtinctionẽ, quòd agẽs eſt duplex; ſcilicet, vniuocum, & æquiuocum, Agens Vniuocum eſt, quod inducit formam in paſſo eiuſdem rationis cũ forma per quã agit; Agens æquiuocum eſt illud, quod agit non per formam eiuſdem rationis cum forma quam producit; Siue agens æquiuocum eſt illud, quod non inducit formam in paſſum eiuſdem rationis cũ forma, quàm actu habet; exemplum primi, vt homo generans hominem: exemplum ſecundi, vt Sol producens ranam; inquit modo Scotus, ſicuti agens vniuocum poteſt per ſuam formam agere in paſſum, & receptiuum ſibi proportionatum, & proximum, ita agens æquiuocum per ſuam formam poteſt agere in paſſum ſibi proportionatum, & approximatum, & ſi ipſummet ſit receptiuum illius actionis, & effectus, poteſt producere illum effectum in ſeipſo ſi ſit carens illo, immo tunc cauſabit hunc effectum in ſeipſo, ex quo eſt ſibi approximatum; ita in propoſito, lapis exiſtens ſurſum, eſt in potentia ad Vbi deorſum, & caret illo; grauitas autem eſt principium effectiuum æquiuocum illius Vbi, in eo, in quo eſt aptum natum

7. rō. 8. rō. Modus poſitionis. Scoti. Agẽs vniuocũ, & æquiuocũ.

natum recipi, ergo in ſeipſo poterit producere,& efficere illud Vbi, immo prius producit hoc Vbi, in ſeipſo, deinde in alijs, mediante ſeipſo; Cauſare ergo Vbi deorſum, eſt operatio grauis, ſicuti calefacere, eſt operatio calidi, ſed quod cauſet hoc Vbi in ſeipſo,eſt ei accidentale,ac cidit enim ſibi in quantum eſt cauſatiuum huius Vbi, quod ipſum ſit receptiuum huius Vbi,vt dictum eſt.Addit Scotus;hic motus factus à forma grauis, non eſt naturalis in ſe, in quantum habet principium actiuum in ſe, ſed ſolum ex hoc, quod habet principium paſſiuum intrinſecum naturaliter inclinans ad motum hunc, natura enim eſt principium paſſiuum,ex 2.Phyſ.tex.3.non actiuum, intelligendo tam de materia,quàm de forma, vt aliàs diximus in proprio Theoremate de hac re,& hoc probat in hoc eodem loco Scotus; Sed quia de hoc aliàs loco citato diximus, hic non eſt immorandum, forma ergo elementi non eſt natura, vt eſt principium actiuum talis motus, ſed quatenus largitur graui inclinationem, & proportionem paſſiuã ad hunc motũ; hæc eſt germana mens Scoti, fideliter relata, vt quilibet videre poterit conferendo cum littera Scoti.

Theo. 33.

Adducuntur rationes Aduerſariorum,ac eorum opinio explicatur,per quam reijcitur opinio Scoti. Cap. II.

Aliquorum opin. DImiſſis opinionibus antiquorum,loquar ſolum de Peripateticis, multi ſunt, qui ex oppoſito aſſerunt elementa nullum habere internum motorem per ſe in ſuis motibus naturalibus,ſed ſolum motorem externum, & aiunt, quod illud eſt,vel generans,vel remouens prohibẽs; & ſtatuunt duplicem eſſe motorem;quia mouere eſt ducere rem de poteſtate ad actum, duplex autem eſt poteſtas in elemento, prima quidem eſt qua graue eſt in poteſtate ad aſcendendum, quæ dicitur eſſentialis,quia ad hoc vt aſcendat,neceſse eſt quod eſſentiã mutet,& fiat leue, talis enim aſcenſus repugnat graui, niſi mutet eſsẽtiam,vt cum ex terra fit ignis, ſtatim facta hac eſsentiali mutatione, quòd erat prius graue, aſcendit, niſi impediatur: quia eſt actu leue; Hic aſcenſus, & motus, fit à generante, quia dans formam,dat conſequentia formę,& ideò quia generans dedit graui leuitatem, dedit quoque aſcenſum ſurſum, Alia eſt poteſtas aſcendendi in elemento, qua elementum iam factum leue aſcenderet ſurſum:ſed quia impeditur, non poteſt ferri ſurſum, & hæc eſt poteſtas accidentalis, quia accidit leui extra ſuum locum exiſtenti, quòd non aſcendat cum habeat naturalem inclinationem ad aſcendendum; ab hac poteſtate accidentali ducitur ad actum,& mouetur ſurſum à remouente prohibẽs; vt ſi vas aere plenum detineatur in fundo aquę ab aliquo ſaxo ſuperpoſito, & aliquis remoueat ſaxum ſuperpoſitum,aſcendit aer, tunc aer ille dicitur moueri ſurſum ab eo, à quo abductum eſt impedimentum; Hanc ſententiam probant auctoritate clara Ariſt. in pluribus locis, hæc enim quæ dicta ſunt modò,dicuntur ab ipſomet Ariſtot. in 8. Phyſ. tex. 32.& 4.de Cælo tex. 24. & 25. ergo elementa nullum habent internum motorem, ſed ſolùm externum, & illum duplicem,modo prædicto. 1. rõ.

Secundò Ariſt.8.Phyſ.tex.29.& 30.expreſsè diſtinguit grauia, & leuia ab animalibus,per hoc,quòd animalia mouentur à ſeipſis, & a motore interno, nempè ab anima, grauia verò, & leuia non mouentur à ſe, ſed ſemper ab æterno motore. 2. rõ.

Tertiò addit Ariſtot. aliam rationem, quæ eſt: id,quod mouet ſe,etiam ſiſtit ſe, & mouet ſe contrarijs motibus; At elementum neque ſe ſiſtere poteſt,neque ſe mouere motibus contrarijs,ergo non mouetur a ſeipſo. 3. rõ.

Quartò, Ariſt.in calce tex.33.8.Phyſic. ſoluit quandam tacitam obiectionem,ex qua ſolutione videtur apertè confirmare prædictam ſententiam;Dicere aliquis poterat, ſi elementa ab æterno motore mouentur, cur ergo illum motum naturalẽ appellamus;vt cum ignis mouetur ſurſũ? videtur enim potius violentus,reſpondet Ariſtot. grauia, & leuia habere in ſeipſis principium paſſiuum motus, non actiuum, & ab illo principio paſſiuo, motus ille dici- 4. rõ.

ille dicitur naturalis, quia eſt conformis inclinationi, & propenſioni paſſiuæ, quã habent, ideò licet non moueãtur a ſe, ſed ab alio, non tamen dicendum eſt, quòd non ſit naturalis.

5. rõ. Quintò, Nullum continuum poteſt ſeipſum mouere ex 8. Phyſic. textu 28. ſed elementa ſunt de genere continuorum, ergo.

6. rõ. Sextò, Ariſt. ipſe adducit rationem pro hac opinione efficacem; non poteſt idem ſecundum idem agere, & pati, quia idem ſecundum idem, eſſet ſimul poteſtate & actu, ergo non poteſt idem mouere ſeipſum, niſi habeat duas partes re diſtinctas vnam mouentem, alteram motam, vt in animali videmus, quod diſtinguitur in animam mouentem, & corpus motum, at in elemento nõ poſſumus reperire partem per ſe mouentem diſtinctam à re mota: quia diſtinguitur ſolùm in materiam primam, & in formam elementarem, at conceſſo, quòd forma ſit per ſe mouens, tamen materia non poteſt per ſe mouere, neque moueri; quia non eſt actu, omne autem quod mouetur, debet eſſe actu, ex 5. Phyſ. tex. 7. ergo. Hæ omnes ſunt rationes ipſiuſmet Ariſtotel. ergo videtur, quod hæc ſit ſententia clara, & aperta Ariſtotelis.

Opin. D.T. Hanc ſententiam ſequitur D. Thom. p. p. q. 18. art. 1. reſpondendo ad ſecundum, nullam aliam rationem aſſignat, forſan ſupponens hanc eſſe veram, propter rationes adductas ex Ariſt. nunc ſupra. Iauellus tamen 8. Phyſic. q. 9. pro Diuo Thoma arguit primò ſic; Si duo ita ſe habeant, vt remoto impedimento vnum neceſsariò ſequatur aliud, dans primum dicitur quoque dare ſecundum; ſed generans dat formam elementorum ad quam proximè ſequitur latio, niſi ſit impedimẽtum, ergo generans, quod dat formam elementorum, dat quoque lationem eorum; Confirmatur: quoniam ex Ariſt. 4. de Cælo, tendere in ſuum locum, eſt tendere ad formam, at motus ad formam rei prodit à generante, ergo à generante prodit motus ad ſuum locum in elementis.

1. rõ. 2. rõ. 3. rõ.

Tertiò exemplo proiectorum confirmatur: nam proiecta ſolùm recipiũt principium motus à proijciente, & tamen pereunte poſtea proijciẽte, dicũtur illa proiecta moueri à proijciente, ergo ſimiliter elementa cum primo recipiant à generante formam, per quam mouentur, licet generans pereat, non tangat elementa, tamen dicuntur moueri à generante. Hanc eandem ſententiam videtur ſequi Simplicius 8. Phyſ. tex. 33. & alibi; Item Themiſtius in 8. Phyſ. tex. 32. omnes iſti, dicunt, elementa moueri à generante, licet diuerſificẽtur poſtea in aſſignãdo, quodnam ſit iſtud generans: Alij enim dicunt eſſe Cælum; Alij generans proximum, diuerſificantur quoque multi in aſſignando quomodo forma elementi concurrat; Alij enim dicunt, quod generans eſt Princeps mouens, forma verò ſubſtantialis elementi, & grauitas, ſunt inſtrumenta inſeruientia generanti ad motum, Alij verò dicunt formam eſſe cauſam motiuam per accidens, non per ſe, ſed per ſe eſſe generans, & hanc eſſe opinionem Auerrois, aliqui dicunt, quam exponunt per exemplum; Sicuti enim remex mouendo triremẽ, ſeipſum mouet, ſic etiam corpus ſimplex pellendo medium, producit ſeipſum vſque ad locum ſuum naturalem; Alij adducunt exemplum nautæ, qui ſe mouet mouendo nauim, quod eſt mouere ſe per accidens, ex eo enim quòd mouet nauim in qua eſt, mouet quoque ſeipſum, ita corpus ſimplex mouet medium, medium autem motum, mouet corpus ſimplex, & ſic graue mouendo medium, mouet ſeipſum, ſed per accidens. Sim. The- miſt. Auer rois. Opin.

Zim. Hanc ſententiam refert Zimara eſſe Auerrois in quadam ſua quæſtione manuſcripta, vt inquit Franciſcus Piccolomineus, & alij Moderni eiuſdem eſſe ſententiæ Auerroem fatentur in 4. de Cælo, com. 22. immò eam eſſe Ariſt. nituntur probare, quia Ariſt. 3. de Cęlo tex. 28. ait naturam ad efficiendum motum localem corporum ſimplicium, ſiue naturalem, ſiue violentum, vti medio aere tamquam inſtrumento, atque eo ſublato, neutrum effici, vel conſtare poſſe, & 4. Phyſ. tex. 72. ait, in vacuo nullum motum corporum ſimplicium fieri poſſe: quia non adeſt medium; videtur ergo Ariſt. velle, quod elementa moueant medium, & ad

motum

motum aeris ſe moueant, adeò quod ſe mouent per accidens; Iacobus Zabarella conciliare nititur omnia dicta Auerrois; & vult ipſum aſſeruiſſe idem quod Scotus, & ait malè Scotum reprehendere Auerroem de inconſtantia, quia Auerroes ſemper ſibi conſtitit, ſed de Auerroe nobis non eſt curandum, ſi conſentit nobiſcum, quia de hoc non eſt lis, ſed an conſentiat nobiſcum, eſt dubium, cum eius dicta varia ſint, etiam teſte ipſo Zabarella, & præcipuè ſui ſectatores, ei aliam opinionem tribuant, & propter hoc iuſtè dicit Scotus quod auctoritatibus Auerrois non eſt multum initendum; Opinio autem adducta a Zimara, non eſt vera, vt tunc infra patebit cuiuſcumque illa ſit. Zab.

Prædictæ opiniones reijciuntur, & rationes pro eis ſoluuntur. Cap. III.

1. rō. VErùm opinionem D. Thomæ, nō eſſe approbandam, ſatis apertè patet ex rationibus ſupra adductis à Scoto pro ſua opinione, quibus clarè oſtenſum eſt, quod nec generans, neque remouens impedimentum, ſunt principium per ſe proximum effectiuum motus naturalis elementorum, præſertim, quia effectus in actu, & maxime ille cuius eſſe conſiſtit in fieri, requirit cauſam per ſe in actu, motus autem eſt effectus in actu, & eius eſſe cōſiſtit in fieri, ergo requirit cauſam in actu quando eſt, at generans, & remouens impedimentum, poſſunt non eſſe quando motus eſt, ergo neque generans, neque remouens impedimentum, ſunt principium effectiuum per ſe motus

2. naturalis elemētorum; Præterea, Franciſcus Piccolomineus adducit aliam rationem efficaciſſimam, quæ deſumpta eſt ex Scoto, in materia de virtute ſeminali, vt ibi patebit; Quando dicunt elementa moueri naturaliter a generante, clarum eſt quod per generans, intelligunt generans proximum, non Cælum; quia Cælum eſt agens commune, & remotum, At generans proximum, & res genita, ſunt duo particularia, quæ ad inuicem accidētaliter ſunt ordinata; at cauſæ ordinatæ accidentaliter, ſunt huius conditionis, quod poſterior non agit in virtute prioris, vt Socrates genitus à Platone, non operatur, neque mouet in virtute Platonis, ſed per propriam virtutem, & per ſeipſum, ergo elementum genitum, vt leue, ex graui, non operatur, neque mouetur in virtute grauis, ſed ipſa forma leuis per ſeipſa eſt cauſa effectiua ſui motus.

Ex ijſdem rationibus patet opinionem Auerrois, & aliorum, quocumque modo explicatæ ſint, dummodo aſſerant principium per ſe, proximum effectiuum motus naturalis, eſſe generans, vel aliquid aliud, vt remouens impedimentum, formam verò nequaquam: ſed eſſe principium mouens per accidens, eſſe falſas, & præſertim contra opinionem explicatam à Zimara, arguunt Zabarella, Piccolom. Cōtra & Gregorius de Arimino, quoniam graue mouet aerem per ſe vt iſti dicunt, ergo prius mouetur graue, antequam moueat medium, neque enim prius poteſt mouere aerem medium, niſi prius moueat ſe, ſicuti nec remus poteſt mouere triremem, niſi prius moueatur, & nauta non poteſt mouere nauim, niſi prius moueat ſe ſaltem natura, ergo in illo priori motu, non mouetur ab aere moto, ſicuti nec primus motus nautæ eſt à naui; Tūc quæro de illo moto, à quo proueniat per ſe; certè à ſeipſo, vel à generante; at quod à generante, ſiue à quocumque alio externo, eſt iam impugnatum; ergo à ſeipſo mouetur per ſe, non ergo per accidens; Præterea, hęc opinio tunc eſt penitus eadem cum opinione D. Thomæ quò ad principium mouens per ſe, quia nullum aſſignat mouens per ſe, niſi generans, vel remouens prohibens, quæ tamē non ſunt mouentia per ſe, ſed per accidens; Nos autem in propoſito loquimur de principio effectiuo motus naturalis per ſe, non per accidens. Zim.

Ad rationes in oppoſitum, facilè eſt reſpondere. Ad intentionem Ariſtotelis ex dictis à Scoto facilè elicitur reſponſio: nā inſpiciendus eſt ſcopus principalis Ariſtotelis in 8. Phyſicorum, maximè enim intendit oſtēdere, Quòd omne quod mouetur, ab alio mouetur, vſquequo deueniatur ad primum motorē immobilem; ſed hoc *Ad rōnē in oppoſitum.*

hoc non oſtendit de quocumque motu cuiuſcumque rei, non enim eſt neceſſe, quod omnis motus rei, ſit ab alio, ſed ſufficit quod quo ad actum primum, fiat ab alio; inquit ergo Ariſtoteles, quòd elemēta mouentur à generante, quia à generante habent actum primum, à quo pendet actus ſecundus; & hoc quidem eſt veriſſimum: quia nō poteſt negari quin grauia à proprijs formis moueantur, tamquam ab agente proximo per ſe efficiente talem motum, vt patet ex rationibus allatis, tamen quoniam elementa hanc formam non habent à ſe, ſed ab alio, ſcilicet à generante, dicit Ariſtot. quod mouentur à generante, poſſumus itaque ita diſtinguere grauia, & leuia moueri à generante, cōtingit duobus modis; Vno modo, quod moueantur à generāte tamquam à principio proximo, & per ſe, & hoc eſt falſū; quia ſic mouentur à propria forma; Alio modo elementa dicuntur moueri à generante tamquam à principio dante elemētis actum primum, quo habito, poſtea ſe mouent, & ſic Ariſtot. loquitur, & aſſerit grauia moueri à generante; & hanc cauſam pręcipuè aſſignat in octauo, quia eſt ad ſuum intentum ibi, non tamen negat quin moueantur à ſeipſis, vt dictum eſt. Ad id verò quod ait moueri à remouente prohibens, patet, quòd hoc dicit eſſe principium mouens per accidens, de quo non loquimur modo; Pręterea, illa efficientia videtur pertinere quoque ad actum primum; nam cum graue impeditur à motu deorſum, videtur quodammodo non habere actum primum, cum ad actum primum ſequatur ſemper actus ſecundus, remouens ergo impedimentum, dicitur quodammodo dare actum primum elemento, cum remouet illud impedimentum, quo ablato, eſt ſolutum, & ſuæ naturæ reſtitutum, vt poſſit operari ſecundum illam, patet per hoc ad intentionem Ariſt. & ad primam rationem. Ad

Ad 2. & 3. ſecundam Reſpondet Scotus, quòd ratio illa Philoſophi concludit, quòd grauia, & leuia non mouent ſe, ſicuti faciunt agentia operantia per cognitionem; & per hoc habet intentum ſuum, quod grauia, & leuia, non ſunt primus motor, quod ibi intendit: quia primus motor operatur, & mouet per cognitionem: inquit ergo grauia, & leuia non mouere ſe, quia non poſſunt ſiſtere ſe, neque mouere ſe quocumque volunt, vti animalia: quia non ſunt agentia operantia per cognitionem; & propter hoc dicuntur moueri ab alio, quia illum motum, quem efficiunt, non habent ex ſe vti animalia habent ſuos motus, ſed illum habent à generante, quod dedit illis talem, & talem formam efficientem talem, & talem motum: vndè non poſſunt aliter mouere ſe, ſed animalia maximè: non tamē propter hoc ſequitur, quin moueant ſe naturaliter; Per hoc patet etiam ad tertiam. Ad quartam Reſpondet ſimiliter Scotus, quod per illud innuit Ariſtot. motum illum elementorum non dici naturalem à principio actiuo: quia vt aliàs dictum eſt, natura non eſt principium actiuum, ſed paſſiuum, non tamen propter hoc negat, quin actiuè ſe moueant; neque Ariſt. ibi dicit, quod non habeant in ſe principium actiuum, ſed quod ab actiuo principio motus ille non dicitur naturalis. Ad quintam Reſpondet Scotus, quod non concludit de continuo, quatenus quantum, ſed de cōtinuo, quod eſt eiuſdem diſpoſitionis in omni parte; & concludit, quod non poteſt mouere ſe per partem, non autem concludit, quod non poſſit mouere ſe primò ſecundum totum; probat enim Ariſt. quòd graue non mouet ſe effectiuè, quia nō habet partem vnam in actu, quæ poſſit facere aliam in actu, ſecundum eandem qualitatē; & hoc modo conceditur, quòd vna pars grauis exiſtens in actu, non cauſat motū in alia parte: ſed dicimus nos, quod totum graue eſt in actu ſecundum actum primum, & ita mouet ſe totum, ſecundum actum ſecundum, non pars, partem. *Ad 4.* *Ad 5.*

Ad ſextum, quod eſt difficilius, Reſpōdet Scotus, quod illa propoſitio quod nihil poteſt mouere ſeipſum, eſt tantummodo vera in agentibus vniuocis, non æquiuocis, vt diximus ſuprà, cap. 1. in calce. Ad probationem: quia idem eſſet ſimul in actu, & in potentia, ſimiliter non valet, niſi quando agens ageret vniuocè, tunc enim ſequeretur, quòd idem haberet actu formam eiuſdem rationis, ad quam *Ad 6.*

quam moueretur actu, quod implicat cōtradictionem; ſed hoc non valet, loquendo de agente æquiuoco, quia hoc agens habet virtualiter tantum illam formam, ad quam mouetur, ſed non habet eam formaliter, immò eſt in potentia ad eam formaliter, eſse autem in actu virtualiter, reſpectu alicuius formæ, & carere illa formaliter, & conſequenter eſse in potentia ad illam formaliter non eſt contradictio.

Ad rationes Iauelli reſpondetur vnica reſponſione; Generans, & remouens prohibens, efficere motum in grauibus, & leuibus contingit duobus modis; vel proximè, vel remotè, concludunt, quod generans, & remouens, prohibens efficiunt motum remotè, quia in hoc ſenſu eſt vera illa propoſitio: Dans formam dat conſequentia formam; vnde pater generans filium, cum dat ei actum primum, dat quoque actum ſecundum, ſcilicet generare alios filios, ſed tamen pater non dicitur generare illos filios, niſi remotè, quatenus dedit formam, & actum primum, quo exire poſſit in actum ſecundum. At in propoſito loquimur de mouente proximo, non de remoto.

Adducuntur quædam obiectiones contra ſententiam Scoti, & diluuntur. Cap. IV.

Picc. HÆc opinio Scoti, videtur dubia in aliquibus, & propterea Franciſcus Piccolom. in lib. 2. de Elementis cap. 21. aduerſus eam arguit, conuenit quidem Piccolomineus cum Scoto in concluſione, ſcilicet, quòd grauia, & leuia à ſeipſis moueantur, ſiue à proprijs formis, ſed differt in modo à Scoto, quia Scotus videtur dicere, vt elicitur ex dictis ſupra, quòd nō requiritur diſtinctio realis inter mouens, & motum: ſed ſufficit diſtinctio rationis, ſiquidem idem mouet ſeipſum: vtitur etiam illa diſtinctione, quod agens vniuocum non poteſt in ſeipſum agere, ſed bene agens æquiuocum; Arguit ergo Piccolomineus contra hæc duo dicta, quæ redeunt in idem, & probat, quod neceſsaria ſit diſtinctio realis inter mouens, &
1. rō. motum, & primo ſic. Hæc poſitio aduerſatur Ariſtoteli 8. Phyſ. poſt 40. text. Vbi latiſſimè probat aliquid ſolum ex ſe moueri, quia conſtat ex parte mouente, & ex parte mobili, adeo quod conſtituit differentiam realem, & ex natura rei inter mouentem, & motum. Secunda ratio, ſi 2. rō.
ſufficeret diſtinctio rationis inter moués, & motum, & mobile, vt inquit Scotus, tunc Ariſt. in 8. Phyſ. ſuis rationibus non aſſequeretur intentum: nam ſibi propoſuit in mouentibus, & mobilib. deuenięndum eſse ad primum, quod ita ex ſe mouet, vt conſtet ex motore immobili, & parte mobili, at ſi ſufficit diſtinctio rationis ſola, dicere poſsemus, Cælum æternum, 3. rō.
& ingenitum, moueri ex ſe, ſine alio motore immobili per ſe, & præſertim, quia mouens motu locali eſt motor æquiuocus, quod etiam fatetur Scotus. Inſuper Scot.
ait ex Ariſtot. 8. Phyſic. textu 32. haberi, quod motus elementorum dicitur naturalis a principio paſſiuo, non actiuo. Contra hoc quia Ariſt. in 8. Phyſic. tex. 32. de hac re nec verbum quidem facit. Præterea, ſi motus iſte eſt a forma, & forma eſt natura, & eſt principium actiuum, motus ille debet dici naturalis ratione principij actiui, non paſſiui, quod eſt materia. Præterea, conſpicua eſt ſententia Ariſt. 8. Phyſic. textu 72. aſſerentis totum animal, quia ab anima interno principio mouetur, moueri ſecundum naturam, quamuis corpus contra propriam naturam moueatur.

Iacobus Zabarella quoque libro de 4. rō.
motu grauium, & leuium c. 13. comendat Scotum in concluſione, quod elementa moueāt ſe a proprijs formis, & quòd nulla requiratur diſtinctio realis inter mouens, & motum: ſed primo reprehendit 1. ob.
ipſum Scotum, quia dicit Auerroem hac in re fuiſse inconſtantem, cum ſibi maximè conſtiterit ſemper. Sed hac in re ipſemet Zabarella, ait Auerroem variè locutum fuiſse, licet modo ipſe diligenter cōſiderans Auerroem, faciat eum eſse determinatæ ſententiæ, ſed omnes aliorum Auerroiſtarum opiniones teſtantur ſententiam Scoti eſſe veram; Reprehendit ſecundo Scotum ipſe quoque, quo ad illam diſtinctionem de agente vniuoco, & æquiuoco, qua Scotus ſuam ſententiam confirmat, & Aduerſariorum rationem

ſoluit; nam falſum eſt ait, quod omne agens æquiuocum, poſſit agere in ſeipſum abſque diſtinctione reali: ſiquidem dantur multa agentia æquiuoca, quæ agunt 2. ob. per tranſmutationem extra ſe, vti eſt Cælum, reſpectu iſtorum inferiorum, in talibus autem nihil poteſt tranſmutare ſeipſum, & quod nihil poteſtatem habet tribuēdi ſibi actum, niſi habeat partem per ſe mouentem, & partem per ſe motam; quod probat etiam alijs exemplis: nam vinum eſt virtute calidum, & actu frigidū, ſed in potentia ad fieri calidum actu, & formaliter, attamen non poteſt calefacere ſeipſum; motus etiam ſecundum Ariſt. generat calorem, quo liqueſcit plumbeus mucro ſagittæ, hoc modo quod mucro ſagittæ per motum agit primo in aerem, & ipſum atterendo accendit, quo accēſo poſtea calefit ipſe mucro; ecce quod mucro, & ſagitta habet virtutem calefaciendi ſe, & eſt in potentia formali, & tamen non poteſt ſeipſum immediatè mutare; non ergo eſt idonea ratio Scoti, neque hæc diſtinctio ipſiuſmet Scoti, ad probandam hanc concluſionem valet.

3. ob. Præterea, hæc ratio eſt agens æquiuocum, & habet potentiam recipiendi formam, ergo poteſt mutare ſeipſum, eſt falſa, & implicat contradictionem: quia ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quod tale agens, non eſſet in potentia formali ad habendam illam formam; ſed eſset ſub actu ſemper, quia ſi habet virtutem operādi, & eſt diſpoſitum, & eſt ſibi præſens, cum ſit agens naturale, ſemper erit in actu; Quartò, viget contra Scotum ratio Aduerſariorum, quòd admiſſa hac ſententia Scoti, ruit proceſſus Ariſtotel. in 7. Phyſic. ad inueniendum primum motorem immobilem: nam Aduerſarius diceret, deueniri ad primum mouens, quòd ſeipſum mouet abſque diſtinctione motoris, & moti, & ſic non daretur primum mouens immobile.

4. ob. Verùm, quia iſta obiecto vltima militat etiam contra eos, qui ſuſtinent, quòd elementa moueantur à ſeipſis, ipſi Aduerſarij aliter reſpondent, & declarant hunc motum quo elementa ſe mouent alio modo, quàm faciat Scotus.

Picc. Franciſcus Piccolomineus itaque reſpondet, elementa moueri per eſſentialē diſtinctionem originis, actionis, & paſſionis, nam corpus graue, totum mouet, & totum mouetur, ita tamen, vt origines, & primæ rationes agendi, & patiendi, ſint diſtinctæ: nam quamuis ſola forma non moueat, eſt tamen prima, & integra ratio agendi; ſimiliter quamuis ſola materia nō moueatur, eſt tamen integra ratio patiendi, & ita non ſequitur abſurdum, quod idem, relatum ad idem, ſit actu, & potentia; Cum itaque elementum ſit compoſitum ex materia, & forma, poteſt habere hanc diſtinctionem, quod ſi eſſet ſimplex, vti eſt Angelus, non poſſet ei competere talis diſtinctio, nec poſſet mouere ſe ſecūdum Ariſtot. ſicut ipſe Ariſtot. de alijs Intelligentijs dicit. Iacobus Zabarella accipit diſtinctionem de agente operante per motum, & mutationem, & operante per emanationem; verum eſt, ait, quod in agente operante per motum, & mutationem, neceſſe eſt mouens, & motum diſtingui, at in operante per emanationem, non eſt neceſſe; & per hoc ſoluitur obiectio facta ab alijs contra Scotum, quam ipſe Scotus ſoluere poteſt, nempè, quòd ſtante ſententia hac deſtrueretur proceſſus Ariſtot. in 8. Phyſic. ad inueniendum dari primum mototem immobilem, quia Aduerſarius dicere poſſet, primum ſeipſum mouens, eſſe mouens per emanationem, proinde non requiri diſtinctionem realē mouentis, & moti, cùm à ſemetipſo moueatur; & proinde poſſemus dicere, Cælum ſeipſum mouere. Reſpondet enim, quòd nullus motor per emanationem poteſt dici primus; quo fit vt cum peruenerimus ad hunc, neceſſario prodeat à motore alio priore, talis enim motor per emanationem, non poteſt eſſe niſi forma naturalis; & ideo hæc obiectio contra eū non valet. Præterea, ipſemet Scotus aduerſus ſe duas rationes admodum difficiles adducit, quas non oportet latere, quia huic materiæ maximum lumen præbet earum ſolutio.

Prima eſt, aliqua diuidentia entis ſunt incompoſſibilia in aliquo vno, vt Subſtātia, & Quātitas: nam diuiditur ens in Subſtantiam, & Quantitatem: at videmus, quòd id quod eſt Subſtantia, non eſt Quātitas,

Zab. Scot⁹ cōtra ſe arguit. 1. rō. Scoti cōtra ſe.

ritas,& quod eſt Quantitas non eſt Subſtantia, ſed actus, & potentia diuidunt omne ens,(Subſtantia enim, & Quantitas non diuidunt omne ens)ergo potentia, & actus ſunt incompoſſibilia in quocumque eodem:non ergo eſt poſſibile, quod idem ſit in actu,& in potentia.

2. rō. Secundò. Omne quod mouet ſe, diuiditur in duo, quorum alterum eſt primo mouens,alterum primo motum,ex 8.Phyſic.tex.30.& 40.& probatur ex 1. Concl. 7.Phyſicorũ, quod nihil mouet ſe primo: quia tunc quieſceret ad quietem partis,& non quieſceret, quòd implicat contradictionem.

Solutio. Antequam diſſoluam obiectiones iſtorum,oſtendendum eſt, quod modus iſtorum,quo declarant hanc Concluſionem, & rationi reſpondent, non eſt admittendus; reſponſio quidem Piccolominei eſt falſa:quia falſum eſt,quòd rationes agendi,& patiendi in graui,ſint diſtinctæ realiter: quia eadem forma, quæ eſt principium agendi motum deorſum,eſt principium, & ratio patiendi, non materia;primum conceditur,& ſecundum probatur: qũia materia de ſe, nullam habet determinatam propenſionem ad hunc, vel ad illum motum,vt ad ſurſum,vel deorſum; vnde in leui eſt apta moueri ſurſum, in graui deorſum; tota ergo determinato illius inclinationis paſſiuæ,eſt à forma,quę dat eſſe graui,ergo eadem ratio,& origo, quæ eſt principium agendi,eſt etiam principium patiendi:hoc autem abundè probatur in Theoremate, quòd natura eſt principium paſſiuum motus tantum, & ſic falſum eſt quod materia ſit integra ratio patiendi, & forma integra ratio agendi;Concedo quidem formam eſſe integrã rationem agendi, ſed cum hoc etiam eſt ratio patiendi:materia enim ſolum habet potentiam indeterminatam patiendi, à forma verò illa determinatur; Præterea materia,& forma, vt ſunt in compoſito, non ſunt realiter diſtinctę, ſed vnum numero reale,& magis vnum,qd eſſe poſſit, ergo nõ eſt diſtinctio realis inter illas; & eo magis hoc ſequitur:quia videm⁹,& cõcedunt,quod nõ ſola materia mouetur,& non ſola forma agit,ſed totum mouet, & mouetur,vbi eſt ergo hæc diſtinctio realis mouentis,& moti;Certè nõ video quomodo poſſit ſaluare hanc diſtinctionem realem,niſi fortè dicat,quod grauia, & leuia mouent ſe,vt faciunt animalia,quod quia eſt nimis vanũ,non credo ipſum aſſerere.

Reÿcitur mō dicendi Picc.

Ad rationes ergo eius, dico;quòd ſufficit aliquando ſola diſtinctio rationis in aliquibus agentibus æquiuocis, vt in propoſito.Ad Ariſtot.in 8.Phyſicorum,textu 40.dico,quòd ibi Ariſt.loquitur de agente vniuoco,quòd patet ex exemplis adductis:ait enim,quòd tũc ſequeretur, quòd idem doceret,& doceretur,alteraret,& alteraretur,quæ ſunt incompoſſibilia.Contra hanc reſponſionem arguit Piccolomineus,& probat,quòd Ariſtot.ibi loquatur etiam de motore æquiuoco: quia motor ſecundum locum, eſt æquiuocus motor, & tamen ait Ariſt.ibi,quod idem non poteſt moueri,& mouere motu locali, ait enim;Si idem moueret ſe, idem ferret, & ferreretur,quod eſt incõueniẽs,ergo;Rurſus,omnes rationes Ariſt.in 8.Phyſic.ruerent, quibus oſtendit deueniendum eſſe ad vnum motorem immobilem latione: quia poſsemus dicere cum Scoto, quod ſatis eſt diſtinctio rationis inter mouens, & mobile, & quod ideo poſſumus ſiſtere ad mouens, quod etiam moueatur a ſe; Præterea,eſt conſpicua Ariſt.ſententia 1. de generat. textu 73.vbi diſputans cõtra Democritum, aſſerentem Athomos deſcendere, inquit Ariſt. vel diuiduntur in motorem, & mobile, & ita non erunt Athomi, vel ſecundum idem, contraria ipſis inerunt,quæ ratio inanis eſſet, ſi ſat eſſet diſtinctio rationis inter mouens,& motum;Reſpondetur,quod(vt ſupra dictum eſt)ibi Ariſt. loquitur ſolum de mouente vniuoco,non æquiuoco, vt ipſemet Ariſt. teſtatur in calce textu 40. ait enim; id ꝙ ipſe dixit, quod nihil ſe mouere poteſt ſecundum totum,verum eſt ſolum in agentibus vniuocis; At illud de motu locali, dico, quod mouens motu locali, poteſt comparari ad duo; primo poteſt comparari ad Vbi, quod eſt quid extra ipſum agens, & tunc reſpectu illius, eſt agens æquiuocum, quia inducit in ſe Vbi, quod eſt forma alterius rationis à forma, per quam agit, & hoc modo non negat Ariſtoteles quòd mouens motu locali, non

Ad 1.

Imp. Picc.

poſſit

poſſit ſeipſum mouere: quia videmus, quòd animal ſeipſum mouet ad Vbi hoc, vel illud. Alio modo poteſt conſiderari mouens motu locali in ordine ad formam internam, per quam mouet localiter, & tunc non poteſt mouere illa forma, & ad illam formam moueri: quia ſequeretur, quod tunc haberet formam, per quam mouet, & non haberet, quod implicat contradictionem; & in hoc ſenſu dixit Ariſtoteles quod non poteſt idem mouere, & moueri, quia ferret, & ferretur, quod implicat contradictionem, & in hoc ſenſu, mouens motu locali, eſſet agens vniuocum: quia induceret formam in ſe, per quam operaretur, quod implicat contradictionem, & certè hic eſt ſenſus in quo loquitur Ariſtoteles ibi, vt patet intuenti literam, alioquin Ariſtoteles ipſe mentiretur, dum ait: Id, quod dixit totum non poſſe mouere ſeipſum, verum eſſe ſolum de agente vniuoco, quibus verbis oſtendit ſe locutum eſſe de mouente motu locali, vt eſt agens vniuocum, non vt eſt agens æquiuocum. Per hoc idem patet illud ex primo de generatione.

Ad 2. Ad ſecundam impugnationem, dico, quod proceſſus Ariſtoteles non ruit, quia dato, quod inter aliquod agens, & patiens æquiocum, ſolum requiratur diſtinctio rationis, & quod illud idem poſſet mouere ſeipſum, non tamen propter hoc dabitur ſtatus in tali mouente, quia huiuſmodi mouens, non eſt immobile, & ideo non poteſt eſſe primum, Ariſtoteles autem probat neceſſariò deueniendum eſſe ad vnum primum mouens immobile, vnde etiam in animalibus in 8. Phyſicorum textu 20. docet, quòd mouent ſeipſa motu locali, & animal mouetur ab anima in motu locali: at anima à nullo amplius mouetur motu locali, licet moueatur ab obiecto motu metaphorico, & tamen non propter hoc ſequitur, quòd anima ſit primum mouens; & ratio eſt: quia licet ipſa moueat ſeipſam motu locali, & ſit immobilis ab alio motu locali, non tamen eſt immobilis quocumque motu ab alio, quia mouetur ab obiecto, & alijs; ita de grauibus, licet ſeipſa moueant grauia motu locali, non tamen graue eſt immobile quocumque motu, quia mouetur ab alio, vt a generante ad actum primum, & ideo nō poteſt eſſe primum mouens: non ergo datur ſtatus in illo; licet ergo ſolummodo cadat diſtinctio rationis in aliquibus mouentibus, & motis tantum, non tamen propter hoc ſequitur quòd tollatur proceſſus Ariſt. in 8. Phyſicorum.

Per hoc patet etiam ad ſecundam obiectionem principalem, falſum eſt enim, quòd ex hac noſtra poſitione ſequatur, Cælum poſſe ſtatui primum motorem: quia Cælum, id eſt corpus illud æternum, non eſt immobile per ſe, ſed mouetur, ergo ipſum dato, quod eſſet ſeipſum mouens, ſine intelligentia, non eſſet primum mouens: quia non eſt immobile; at primum mouens debet eſse immobile, ideo ſtatuit Ariſt. dari Intelligentiam, quæ eſt tantum mouens, non mota, Cælum verò eſt motum: Ad aliam obiectionem, quòd elementa dicuntur naturaliter moueri, à principio paſſiuo, non actiuo, iā dictū eſt in Theoremate, de Natura, quòd eſt principiū paſſiuū tantū; Ad obiectionē illam, quod Ariſt. in 8. Phyſic. tex. 32. nec verbū facit de hac materia, ſcilicet, an motus elementorū dicatur naturalis a principio paſſiuo, dicitur, quod Piccolomineus non rectè conſiderauit illū textu: nā, vt patet cuique intuēti illū textū, clarū eſt, quòd in medio illius textus Ariſt. mouet hanc dubitationē, quam etiam Antiqui quidam mouebant, ſcilicet, propter quid grauia, & leuia in ſua loca mouentur; & reſpondet, quod cauſa eſt, quia ipſa apta ſunt ſecundum propriā naturā ad illa loca moueri, vt leue ſurſum, & graue deorſum; ex his deducit Scotus, quòd motus elementorū ad propria loca, eſt naturalis, vt patet: at cauſa, & principium huius motus ex Ariſt. eſt inclinatio naturalis, ſiue aptitudo paſſiua ipſorum elemētorum, ergo motus naturalis dicitur naturalis à principio paſſiuo eorū, ſcilicet ab illa inclinatione paſſiua, non ab actiuo principio; Hæc dicit Ariſtot. & hæc eadem Ariſtot. dicere ait Scotus; & ita patet, quòd nullius valoris eſt hæc obiectio Piccolominei. Ad aliā obiectionem iam dictum eſt in proprio quæſito, quòd forma eſt natura, ſed non dicitur natura quatenus eſt principium actiuum,

Ad 2. prin. obie.

Ad 3.

Ad 4.

actiuum, ſed quatenus eſt principium paſſiuum, quod quomodo intelligatur, ibi diffusè oſtendimus; Ad obiectionem aliā ex eo loco Ariſt.breuiter dico, quòd ibi Ariſtot.facit generalem quandam diuiſionem mobilium,& inter multas diuiſiones, ponit hanc: quod aliqua mouentur natura,aliqua præter naturam,& declarans, quæ moueantur natura, ait eſſe illa, quæ habent internum principiū motus,non externum: & exemplificat de Animali ſecundum ſe totum, cum enim habeat internum principium, moueri naturaliter dicitur: ſi tamen loquamur ait Ariſtot.de corpore naturali per ſe,poſſumus dicere,quod mouetur naturaliter, & præter naturam;ſi mouetur contra inclinationem paſſiuam, etiam ſi ille motus fiat ab anima, eſt contra naturam; ſi verò ſit ſecundum inclinationem naturalem,eſt naturalis;ex quo colligitur, hunc locum facere pro nobis,vt patet: quia inquit motum corporis animalis, ſi ſit contra inclinationem paſſiuam, non eſſe naturalem,ſed præter naturam.Ad illud ergo,quod ait animal totum cum mouetur à ſeipſo,naturaliter moueri: reſpondeo, per hoc denotare naturam eſſe principiū motus internum,non externum,pro tanto enim quæ à ſeipſis mouentur, dicuntur naturaliter moueri: quia habent internum principium motus; ſed cum duplex ſit internum principium, ſcilicet actiuum,& paſſiuum, ex his non apparet, quodnam principium ſit illud, quod natura dicitur,ſcilicet, an actiuum, vel paſſiuum: immò illud eſſe ſolùm paſſiuum, colligitur ex verbis ſequentibus, in quibus determinat, quod ſi corpus moueatur ab anima, contra inclinationem paſſiuam, non natura, ſed præter naturam mouebitur.

Cōfutatio Zab. Ad Zabarellam verò dico,quod reſpōſio ſua coincidit cum reſponſione Scoti, quam putat falſam: nā dum dicit, quod graue eſt agens per emanationem, quæro an ſit agens vniuocum, vel æquiuocum,certum eſt(vt etiā fatetur ipſe)quòd eſt agens æquiuocum; quia inducit formam,ſcilicet,Vbi,quæ eſt forma alterius rationis à forma,per quam operatur;ait etiam, quòd inter tale agens, & patiens, non requiritur diſtinctio realis, ſed rationis; hoc eſt id,quod dicit Scotus, ſcilicet,quòd inter agens æquiuocum,& paſſiuum ſibi reſpondens, ſufficit diſtinctio rationis; cum etiam reſpondet ad rationem Aduerſariorū, quòd tolleretur proceſſus Ariſtot. in 8.Phyſic.& ait,quod ad ſuam ſententiam hoc non ſequitur; quia tale mouens per emanationem, non poteſt eſſe primum,eſt eadem reſpōſio,quæ Scoti; quare enim tale agens non poteſt eſſe primum,inquit: quia ſemper mouetur ab alio,ſcilicet à generante; & hoc eſt quòd ait Scotus, huiuſmodi mouens æquiuocum, non poſſe ſtatui primum: quia non eſt immobile, ſed ab alio mouetur, ſcilicet, à generante, motu alterationis, & generationis, & etiam ab alijs: proceſſus autem Ariſtotelis, & rationis ibi adductæ,probant dari vnum primum motorem immobilem omnino;non ſufficeret ergo dicere:datur ſtatus ad mouēs, quod moueat ſe, quia primum mouens debet eſſe immobile per ſe, & per accidens,vt dictum eſt ſuprà: ſed Zabarella deceptus eſt in cognoſcenda ratione fundamentali opinionis Scoti, optauit enim quod Scotus adduxerit illam diſtinctionem de agente vniuoco, & æquiuoco pro fundamento ad probandum grauia mouere ſe,& vti hac ratione, agens æquiuocum non requirit diſtinctionem realem inter ſe,& paſſum,& poteſt mouere ſe, elementa ſunt agentia æquiuoca,ergo poſſunt mouere ſe, vndè in obiectione ait Scotum deficere in adducenda ratione ſuæ poſitionis, quia falſa eſt iſta propoſitio: quòd omne agens æquiuocum, agat in ſeipſum, & quod nullum agat in paſſum diſtinctum à ſe realiter,quia licet vera ſit de aliquibus agentibus æquiuocis, vt de ijs, quæ agunt per emanationem, vt Cælum cum agit in hæc inferiora, non eſt tamen vera de omnibus; Sed fallitur Zabarella: quia hæc diſtinctio non inſeruit Scoto ad probandam ſuam Concluſionem, ſed ad eam probandam ſufficiunt rationes adductæ pro Concluſione in primo capite,& maximè,quia effectus actu requirit cauſam actu;ſed hæc diſtinctio inſeruit Scoto ad declarādam ſuam poſitionem, quomodo grauia moueant

ſe: & ad ſoluendam illam obiectionem, quod nihil mouet ſe, quia illa vera eſt in agentibus vniuocis, nõn in æquiuocis. Vndè, ſat eſt Scoto, quòd aliqua agentia ęquiuoca moueant ſe, & quòd in illis non requiratur diſtinctio realis mouentis, & moti; & per hoc patet ad ſuam ſecundam obiectionem principalem contra Scotũ, & ad tertiam: neque enim Scotus confecit talem rationem, qualem ibi colligit Zabarella. Per idem patet ad quartam obiectionem, cui eodem modo ſatisfacit Scotus, quia tale mouens non eſt primum: quia eſt motum. Rationes autem Ariſtot. Omne, quod mouetur ab alio moueri &c. probant deueniendum eſſe ad vnum primum mouens, quod ſit immobile, & quod illud mouens, quod mouetur, non poteſt eſſe primum, ſiue illud moueatur à ſe, ſiue ab alio, quia ante ſe habet alium motorem: primum ergo mouens debet eſſe immobile quocumque motu, cuiuſmodi non ſunt grauia.

Ad 2. 3. & 4.

Ad 1. obiec. q̃ eſt contra ſe

Ad primam obiectionem Stoti contra ſe, reſpõdet: quod actus & potentia duobus modis cõſiderari poſſunt; Vno modo vt ſunt modi entis, & ſic ſunt incompoſſibilia in eodem ente, ſicuti rationale, & irrationale in eadem re; Alio modo, vt accipiũtur pro principio actiuo, & paſſiuo, & hoc modo non ſunt incompoſſibilia in eodem, quia non ſic diuidunt ens, quia idem intellectus præſente obiecto, poteſt inducere in ſe intellectionem, & ita eſt actiuum, & paſſiuum.

Ad 2.

Ad ſecundam reſpondet: quòd illa propoſitio: Omne mouens ſe, diuiditur, &c. valet in mouentibus per cognitionem, & mouentibus ſe organicè: quia illæ partes organicæ, nedum requirunt diſtinctionẽ inter ſe, & animam, ſed etiam inter ſe, ad hoc, vt moueant: ſed hoc non valet in mouentibus ſe non organicè, quia totum eſt vniformę quantum ad actum primum, & totum in potentia quantum ad actum ſecundum; Ad probationem ex ſeptimo Phyſicorum reſpondet: quòd ratio illa Ariſtot. non probat, quòd nullum totum poſſit ſe primo mouere, id eſt ſecundum omnes partes ſimul: ſed probat, quòd nulli toti competit mouere ſe ſecundum totum primò, & ſecundum quamlibet partem primò, ità quòd cauſalitas adæquata mouendi, competat ſimul toti primo, & cuilibet parti illius totius primo, quia hoc implicat: ſequeretur enim quo ad quietem partis totum quieſceret, & non quieſceret: at ſi dicamus totum mouere ſe primò, quia ſecundum quamlibet partem ſe mouet, & mouetur, licet mouere ſe non competat primò cuilibet parti, ſed ſolùm toti, non implicat contradictionẽ, nec ſequitur, quod ſi pars quieſcat, totum quieſcat, & non quieſcat.

THEOREMA LXII.

In mixto principium motus naturalis ſecundum elementum prædominans eſt forma mixti. Cap. Vnicum.

CVm experientia conſtet, & Ariſtot. expreſsè aſſerat in initio primi libri de Cælo, omnia mixta moueri ſecundum prædominium elementi prædominantis, eſt difficultas, quodnam ſit principium actiuum iſtius motus; & de hoc eſt contentio apud Philoſophos. Scotus 2. Sent. diſt. 15. quæſt. 1. ſoluendo tertium argumentum, ait hoc principium actiuum eſſe qualitatem quandã mixti, reſultantem ex mixtione elementorum ſimilis qualitatis elementi prædominãtis: nã dũ ſit mixtio ex elementis, vt diximus ſemper, vel ſaltem vt plurimum, forma mixti magis conuenit cum vno elemento, quàm cum alio: & ſic conuenit etiam cum qualitate illius elementi, magis quam cum qualitate aliorum, & ita illa qualitas eſt principium actiuũ motus naturalis in illo mixto, quæ qualitas non eſt qualitas elementi, cum non adſint elementa in mixto, ſed qualitas formæ mixti, quæ ſequitur conditionem elementi, cum quo forma mixti magis conuenit.

Ad hanc opinionem comprobandam Scotus nullam adducit rationem, ſed ex ijs, quæ habet in quæſito, & quæ nos ſupra diximus exponendo quomodo elemẽta maneãt in mixto, poteſt probari: quia principiũ motus localis in elemẽtis ſunt qualitates, ideò enim terra mouetur deorſũ, qa eſt grauis, & ignis ſurſum, qa eſt leuis; ergo & in mixto cauſa motus ad hũc, vel illum

vel illum locum naturalem, eſt qualitas ipſius mixti,ſi ſit graue,tendit deorſum, ſi leue,tendit ſurſum, & ſic de alijs, ergo qualitas eſt principium actiuum motus; & Notandum eſt,quod hæc qualitas non eſt prima cauſa, & radix motus naturalis mixti:ſed eſt forma mixti;Neque valet contra Scotum obiectio quam adducit Zabarella libro 2. de Motu grauium, & leuium,capitulo 2. & 3. contra Latinos, ſcilicet, quia forma mixti eſt alterius rationis à formis elementorum, & quòd propterea non poteſt efficere motum ſimplicem, qui dicatur ſecundum præualens elementum:quæ enim diuerſa ſunt, diuerſos motus quoque producunt.Non valet inquam: quia licet ſint diuerſæ, tamen, vt dictum eſt, elementa remanent virtute,& proportione in mixto, & ſic forma mixti ſemper conuenit magis cum aliquo vno elemento, & ideo cum ſit magis ſimilis vni elemento,quam alteri,motus illius formæ dicitur factus ſecundum elementum dominans,non quod re inſit, & dominetur,ſed proportione,& ſimilitudine: forma ergo mixti eſt cauſa, & radix principalis motus, qualitas autem inſeruit pro inſtrumento:ſicuti etiam diximus de motu elementorum. Ex hoc patet quod in mixto eſt vnicum tantum principium motus actiuum naturale,non plura. Sed contra hanc ſententiam arguunt Nominales,qui ſuſtinent, quòd elementum non mouetur ab vnica forma, ſed a pluribus; quam opinionem probant: & 1. primò faciunt duo fundamenta.Primum ex Ariſtotel.4.de Cælo, graue in ſuo loco non grauitat,nec leue in ſuo loco leuitat; id eſt graue in ſuo loco non mouet, neque mouetur; ſimiliter nec leue, ſed ſolum quando ſunt extra propria loca. Secundum fundamentum eſt, quod graue tunc ſecundum naturam dicitur eſſe locatum,quando eſt infra leuius ſeipſo;tūc fingunt exemplum; Sit mixtum habens quinque gradus igneæ qualitatis, tres aereæ,tres aqueæ,tres terreæ, certum eſt, in hoc dominari qualitatem igneam, attamen non ſemper mouetur ab illa: quia ſi tale mixtum ponatur in igne, deſcendet, quia illi gradus qualitatis igneæ in proprio loco non mouent ex primo ſuppoſito, inſuper nouem alij gradus elementorum grauium præualent:cum etiam fuerit in aere,deſcendet,quia tres gradus aereæ qualitatis erunt otioſi,ex primo fundamento, illi autem ſex gradus grauiorum, præualebunt quinque gradibus igneis, at cum fuerit in aqua tale mixtum aſcendet,quia gradus aquei erunt otioſi, reliqui octo leuiores præualebunt tribus terreis,& ſic aſcendet,& ſic illud mixtum quieſcet inter aerem, & aquam, quod oleo, & ſimilibus competere videtur. In hoc ergo exemplo apparet; quòd non ſemper mixtum mouetur ab elemento prædominante:ſed etiam ab alijs non prędominantibus. Verùm hæc opinio iure reijcitur a Zabarella, tum, quia falſum eſt,quod qualitates eędem elementorum maneant in mixto, vt diſputauimus contra Latinos alios; tum quia ſequeretur, quòd idem moueretur motibus contrarijs naturaliter, quod eſt abſurdum, motus enim ſecundum vnam qualitatem illi eſſet naturalis, ſed alij elemento eſſet contrarius,& violentus. Inſuper ſequeretur, quòd elementum prædominans, vt terra,quantumcumque excederet, non poſſet vnquam facere mixtum quieſcere in ſuo loco, vt in Centro, quia iſti dicunt, quod elementum in ſuo loco non mouet,reliqui octo gradus qualitatum leuium dominabuntur, & illud mixtum aſcendere faciēt; eſt ergo dicendum,quod in vnico mixto,Eſt vnica forma, & ſic eſt vnicum principium motus, non plura, quod vt diximus maiorem ſimilitudinē habet cum vno elemento quā cū alio; & hac de cauſa dicitur moueri ſecūdum elemētū prædominans: quia tale elementū,cui magis aſſimilatur videtur dominari in illo mixto. Ad rationes iſtorum, ad illa exēpla dicēdū eſt,quòd talia exempla ſunt impoſſibilia: quia ſupponunt in aliquo mixto reperiri varios actus, & gradus diſtinctos formarum:nos autem dicimus eſſe vnicam formam, quæ naturaliter mouet ſecundum eſſentiam,quam acquirit in ſua generatione.Ad primum fundamētum dicitur,quod eſt verū de elemētis per ſe exiſtētibus,ſed non exiſtentibus in mixto.Secūdū fundamētum eſt omnino falſum:quod patet,ſi accipiamus vtrē

Not. *Obie. Zab. plu.* *No-min. argu.* *Reijcitur.* *Ad rōnes in oppoſit.*

plenum aqua, cui aer ſupernatet, & ponamus vtrem in loco ignis , non tamen propter hoc dicetur aqua exiſtens in illo vtre eſſe in ſuo loco , licet ſit infra leuius ſe, ſcilicet infra aerem, quia non eſt in loco naturali in vniuerſo ſibi a natura conſtituto, & determinato. Alia eſt difficultas, quia motus mixti factus ſecundum elementum prædominans , videtur eſſe duplex: at forma mixti eſt complexa, ergo non videtur poſſe producere motum ſimplicem. Pro Intelligentia iſtius argumenti videndum eſt quid ſit motus ſimplex, & quis compoſitus. Ad quod eſt reſpondendum breuiter, quòd ex Ariſt. 1. de Cælo, textu 6. motus ſimplex eſt ille, qui non eſt compoſitus ex motibus diuerſis, vt ex recto, & ex circulari, ita, quod ſolum rectus, & circularis ſunt ſimplices , hæc autem ſimplicitas in motu, tantum oritur ex vnitate lineæ, ſuper quam fit , ſiue fiat à cauſa ſimplici, ſiue à mixto, nã ratio ſimplicitatis, vel compoſitionis in motu ſemper eſt petenda à ſimplicitate lineæ ſuper quam fit motus. Videndum eſt modò, quæ ſit linea ſimplex, & quæ mixta, hæc autem poteſt eſſe mixta duobus modis; Vno modo eſt mixta Mathematicę, quę ſcilicet partim eſt recta, partim verò circularis: ſed alio modo apud naturalem dicitur ſimplex, vel mixta; ſimplex eſt linea protracta a cẽtro terræ, ſiue aſcendendo, ſiue deſcendendo: quia non deſcendit ad latera, ideò non eſt mixta ; mixta verò eſt, cum partim vergit ad latera, & tamen tendit ad centrum, vel ducitur à cenrro; Modò ad propoſitum, cum mixtum naturaliter ſecundum elementũ prædominãs mouetur ad centrum, vel recedit à cẽtro per rectam lineam (Nã omnis motus mixti, vel eſt ſurſum, vel deorſum) quia natura ſuperflua reiecit, & cũ tunc mixtum appetat proprium locum , mouetur ad illum per breuiorem viam, quam per longiorem , breuior autem eſt via recta, quàm mixta, ergo colligitur ex hoc, quod motus naturalis elementorum, & etiam mixtorum, ille ſcilicet qui factus eſt ſecundum elementum prædominans, eſt ſimplex: quia fit per lineam rectam naturalem; mixtum etiam mouetur alio motu, qui mixtus dicetur, & eſt ille qui fit à

An motꝰ mixti ſit ſimp.

mixto, vt mixtum eſt, vt qui fit ab animali cum quærit cibum, quia hic motus non fit ſuper lineam rectam; Ideo ad propoſitum patet, quod licet forma mixti ſit cõpoſita , tamen motus factus ab ea ſecundum elementum prædominans , eſt ſimplex, quia fit ſuper lineam rectam ſimplicem, motus verò mixti factus ab anima , eſt mixtus, quia non fit per lineam rectã, ſed per mixtam.

Contra 1. Sed cõtra hoc arguitur, quia ad ſimplicitatẽ motus tria requiruntur; Vnitas naturæ mouẽtis; Simplicitas corporis, quod mouetur; & Simplicitas ſpatij; ſicuti è cõuerſo ad compoſitionem motus requirũtur illa tria, ſcilicet, Pluralitas principiorũ mouentium; Secundò, compoſitio corporis; Tertio, compoſitio ſpatij: at in mixto, principium nõ eſt ſimplex, nec mobile eſt ſimplex, ergo neque motus mixti ſecundũ elemẽtum prædominans eſt ſimplex . Maior probatur: quia mouentia diuerſa , diuerſos motus efficiunt , & modo ſurſum , & modo deorſum mouent, vt contingit in motu ventorum; ſimplex etiam corpus vno motu ſimplici mouetur , & mixtum motu mixto, ex Ariſtot. 1. de Cęlo, textu 7. Motus etiam factus per ſpatium, & lineam ſimplicem, eſt ſimplex, ſicuti factus per mixtam lineam, eſt mixtus, vt nunc dictum eſt.

2. ra. Secunda ratio, ſequeretur eundem effectum produci à tali abſolutè, & tali ſecũdum quid; Conſequens eſt falsũ: quia idẽ effectus non poteſt produci à ſummè calido, & leuiter calido. Conſequentia probatur: quia terra abſolutè per ſe eſt ſummè grauis, & illa producit motum deorſum , ergo ſi mixtum, in quo terra prædominatur, producet motũ deorſum rectũ, ſequitur, quod idẽ effectus producitur ab abſolutè graui, & à ſecundum quid graui.

Ad 1. Ad primum argumentũ reſpondetur , negando Maiorem: quia ad ſimplicitatẽ motus ſufficit ſimplicitas lineæ, & ſpatij ſuper quam fit. Ad probationem, quoad primam partem dico, quòd forma mixti eſt duplex, & ideo duobus modis mouere poteſt, vel motu ſimplici, vel motu mixto illa, quæ mouet ratione qualitatis ſimplicis, vt grauitate, vel leuitate, quam acquirit in generatione, talis motus eſt ſimplex,

plex, quia fit ſuper lineã rectam, vt dictũ eſt, & hoc modo mouent formæ mixtorum inanimatorum; Vel forma mixta nõ mouet aliqua ſimplici qualitate, ſed per ſe, vti eſt anima: & tũc hic motus eſt mixtus, quia non fit ſuper lineam rectam, ſed eſt compoſitus ex mixto, & circulari. Et nota quod omnis forma tam mixtorum, quàm elementorum eſt ſimplex, quia eſt vna ſimplex eſſentia, quoniam nullam habet compoſitionem: ſed forma mixtorum dicitur mixta, quia præſupponit alias formas in materia eadem priores ſe, ſiue illæ remaneant poſt aduentum ſuũ, ſiue recedant: & ſic anima licet ſit eſſentia ſimplex, dicitur mixta: quia pręſupponit alias formas in materia; formæ verò elementorum dicuntur ſimplices: quia nullam priorem formam pręſupponunt in eadem materia priorem ſe: & ſic etiam patet, propter quid forma mixti dicatur mediare inter formas elementorum, & animam: quia anima pręſupponit formam mixti, forma verò mixti pręſupponit formas elementorum. Differunt: quia anima eſt addita formę mixti, quia forma mixti in aduentu animę non corrumpitur, ſed formę elementorum in aduentu formę mixti non remanent actu, ſed ſolum proportione, vt dictum eſt; forma ergo mixti cùm ſemper aſſimiletur alicui elemento, recipit ſimilem qualitatem, & per illam mouet, & ſic ille motus dicitur factus ſecundum pędominium illius elementi, & eſt ſimplex, quia mouet qualitate, & principio ſimplici: anima verò, quia mouet per ſe, non qualitate illa, ideò facit motum mixtum. Ad probationem ſecundę partis, quę innititur auctoritati Ariſtotelis primo de Cęlo, textu 7. Reſpondeo, quod Ariſtoteles loquitur de mixtis quando mouent vt mixta, vti ſolum ſunt mixta animata, & de his mixtis propriè verificatur dictum Ariſtotelis vt dictum eſt. Ad ſecundum argumẽtum maior eſt vera cum hac conditione, quod nullum tale ſecundum quid, poteſt producere eundem effectum omnibus modis, quod producit tale ſimpliciter, & ideò argumentum concludit, quod mixtum graue non poteſt mouere ſe ita fortiter, vti graue ſimplex, & quod ideo nõ poteſt ocupare locum ita infimũ, ſicuti graue ſimplex. Corporea enim grauia habẽt loca ordinata in mundo, ſecundum quod ſunt magis, & minus grauia, ſed non ſequitur, quod non poſſit moueri motu ſimplici, &c.

Ad 2.

THEOREMA LXIII.

Motus Cęli eſt neuter.

Exponitur mens Scoti, ac aliorum, obiectiones ſoluuntur, & declaratur quomodo in Cęlo ſit natura. Caput vnicum.

SCotus 2. Sentent. d. 2. quęſt. 6. in fine corporis quęſiti O. & 4. diſt. 48. quęſt. 2. E. Reſpondendo ad vltimum principale O. aſſerit apertè, motum Cęli non eſſe naturalem; & pro ſe citat Auicennam 9. ſuę Metaph. vbi idem aſſerit: & rationem ad hoc adducit: quia ſi motus Cęli eſſet naturalis, eſſet terminabilis ad aliquem locum, in quo poſtea deberet quieſcere, & ſi moueretur ab illo loco, ille motus eſſet ſibi violentus: at videmus, quod in Cęlo nullus eſt motus violentus, quia tunc Cęlum eſſet corruptibile, quo ad motum, neque eius motus ęternus eſſet. Hoc poteſt confirmari à ſimili. Ignis naturaliter mouetur, ideo habet proprium locum ſurſum, ad quem tendit, & in quo naturaliter quieſcit: quod ſi ab illo loco moueatur deorſum, hic motus eſt illi violentus, ergo etiam ſi Cælum moueretur naturaliter, haberet proprium locum ad quem moueretur naturaliter, à quo poſtea non poſſet remoueri, niſi violenter. Similiter in 4. diſt. 48. quæſt. 2. idem aſſerit, & nullam aliam rationem adducit, niſi quia motus naturalis eſt ad aliquem terminum in aliquo Vbi, ad quieſcendum; ſed motus Cæli non terminatur ad quietem in vllo Vbi, quod patet: quia tunc cum recederet ab illo Vbi, ad aliud, violenter moueretur, & hac de cauſa ait Scotus non eſt naturalis, neque violentus, ſed neuter.

Scot. *Auicen.*

Perrerius libro de Natura, cap. 6. recẽſet opinionem Scoti, & tres rationes pro eius opinione adducit, quæ re vera non ſunt apud Scotum, vt eſt videre eum in locis

Perrerius

locis citatis;nullibi autem de hac re præterquam in ijs locis loquitur Scotus, ſed ſolum affert illam rationem, quàm ego adduxi, illa enim eſt totum eius fundamentum.

Zabarella quoque lib.de Nat. Cæli,c. 10.ait Scotum fuiſſe huius opinionis, ſed nihil de illa dicit,ſolum approbat Perrerium. Arguit Perrerius aduerſus Scotum
1.rõ. 1.ex Ariſtot.1.de Cælo, tex. 5.vbi probat Ariſt.Cælum habere aliquem motum naturalem,quoniam eſt corpus naturale habens naturam. Item ex 3.libro de Cælo, tex. 1. de partibus animalium cap. quinto, & octauo Metaphyſices textu 1. & 2. & alibi,ait Cælũ eſſe corpus naturale;ſed corpus naturale habet principium motus,& quietis,ergo habet motum naturalem.

2. Secundò, Motus circularis, quò Cælum mouetur,vel eſt ei naturalis, vel violentus; ſed patet quòd non eſt violentus: quia eſt perpetuus,nullum autem violentum eſt perpetuum.

3. Tertiò, Omnis res naturalis habet naturalem propenſionem ad ſuam operationem,& perfectionem:ſed propria Cęli operatio, & perfectio eſt motus circularis, ergo Cęlum habet naturalem inclinationem ad motum circularem. Tandem,quæ ſunt neceſſaria ad efficiendum motum circularem, ea omnia ſunt in Cælo naturaliter,ergo etiam motus circularis eſt ei naturalis. Antecedens patet:quia adeſt figura orbicularis, adeſt grauitas, & leuitas, eſt ſubſtantia incorruptibilis carens contrario,quę omnia requiruntur ad motum circularem faciendum. Fran-
Picc. ciſcus Piccolomineus quoque libro de Cælo, cap. 34. ait Scotum dicere Cælum non eſſe procliue ad motum, ſed eſſe indifferens cum ad motum,tum ad quietem: quod falſum eſſe probare nititur, ſed quia hoc non dicit Scotus,vt patet ex dictis,neque ipſe Piccolomineus aſſignat locum, in quo hoc dicat Scotus, ideo rationes eius omitto. Pro intelligentia ergo opinionis Scoti,& veritatis,ſciendum eſt, quod motus localis duobus modis poteſt eſſe naturalis. Vno modo quia fit à principio naturali, abſque conſideratione termini ad quem eſt.

Alio modo dicitur motus naturalis, quia tendit ad quietem in aliquo Vbi, vt motus terræ deorſum, eſt naturalis, quia tendit ad Vbi deorſum,vt ibi quieſcat;ita quod diſtinctio in hoc conſiſtit,quod motum eſſe naturalem cõtingit duobus modis; Vel ratione principij, Vel ratione termini. Tunc dico,quòd quando Scotus ait motum Cæli non eſſe naturalem, intelli- Notã
git ratione termini, non ratione princi- dum.
pij: quod conſpicitur ex ſuo fundamento; ait enim,non eſſe naturalem,quia tũc haberet aliquod Vbi, in quo quieſceret, & à quo non poſſet moueri niſi violenter: clarum eſt autem, quod Cælum non habet aliquod Vbi determinatũ, in quo quieſcat, non eſt ergo naturalis motus Cæli ratione termini: quia ad nullum Vbi inclinatur,vt ibi quieſcat,& ſic eſt neuter; ratione verò principij, nulli dubium eſt,quod motus Cæli eſt naturalis;neque hoc negat Scotus: nam in 12. Metaph. tex.29.dicit,tres eſſe ſubſtantias,quarum duas, ſcilicet ſubſtantiam ſenſibilem, & generabilem, & ſenſibilem, & ingenerabilem pertinere ad Phyſicum: inſenſibilem verò,& incorruptibilem,ad Metaph. per ſubſtantiam autem ſenſibilem,ſed æternam,intelligit Cælum,ergo cum concedat pertinere ad Phyſicum,& alibi conceſserit corpus naturale eſſe ſubiectum in Philoſophia naturali, ſequitur, quod iudicauerit eſſe corpus naturale; & conſequenter eius motum eſſe naturalem, & hoc corpus in ſe habere naturam. Item concedit naturam eſſe principium motus paſſiuum, at in Cælo eſt principium paſſiuum motus, quia eſt aptum natum moueri motu circulari, ergo iudicauit in Cælo eſſe naturam, & illum motum eſſe naturalem, quia eſt conformis ſuæ inclinationi,& naturæ;quo ergo ad principiũ, motus Cæli eſt naturalis,nõ quod ad terminum. Hanc etiam eſſe mentem Scoti conſpicitur:quia cùm dicit Scotus reſpõdendo ad vltimum principale, quod in Cælo eſt habilitas quædam ad moueri circulariter, propter figuram ſphæricam; ſed quod talis habilitas non ſufficit ad naturalitatem, oſtendit apertè Cęlum habere in ſe principium paſſiuum, & conſequenter naturam, & motum Cæli circularem:

larem:hac ratione poſse dici naturalem, ſed ait non poſſe dici perfectè naturalem, quia omnis motus naturalis eſt ad aliquem terminum naturalem: hoc deficit motui Cæli,& hac de cauſa ait,quod non eſt motus naturalis,ſcilicet ratione principij, & termini, ſeu ſolum ratione princi-
1. rõ. pij. Quod autem hæc opinio Scoti ſit vera, probatur. Et quod Cęli motus nõ poſſit appellari naturalis abſolutè probatur: quia omnis motus naturalis habet motũ violentum ſibi oppoſitum,vt patet:at nullum poſſumus aſſignare motum violentum in Cælo, neque enim in motu circulari poſſumus aſſignare motum violentum, quia talis motus non eſt ad aliquod Vbi determinatum, ad quod accedendo mobile dicatur moueri naturaliter, & à quo recedendo, dicatur moueri violen-
Ad rõnes Perr. ter. Hinc patet ſolutio rationum Perrerij, neque enim militant contra Scotum, ſed ſunt pro Scoto; quia probant motum Cęli eſſe naturalem ratione principij, non ratione termini, vt dictum eſt: nos autem hoc concedimus. Per hoc idem patet ad omnes alias rationes; Pereandem patet
Ad Picc. ad rationes Franciſci Piccolominei, Neque enim verum eſt quod Scotus aſſerat Cælum non eſſe procliue ad motum; ait Scotus quod non eſt procliue ad aliquod Vbi determinatum, ſed indifferens, vt diximus; ideo quæ dicit, nullius ſunt valoris contra Scotum.

Obiectio cõis. Sed contra hanc determinationem eſt communis obiectio, quia dictũ eſt, quòd in Cælo non eſt materia, neque forma, Ariſtoteles autem 2. Phyſic. ait, quòd natura dicitur de materia, & forma, ergo videtur, quòd in Cælo non ſit natura, & quòd conſequenter motus Cæli non ſit
Solu. naturalis ratione principij. Reſpondetur etiam communi reſponſione, quòd natura analogicè dicitur de corporibus Cæleſtibus, & ſublunaribus, ideò ſicut materia, & forma in mortalibus dicuntur natura, quia ſunt principium paſſiuum motus corporum corruptibilium, ita eſſentia, & quidditas corporis Cæleſtis dicitur natura Cęli, quia eſt principium paſſiuũ motus circularis in Cælo; Sicuti enim ex materia, & forma, in his inferioribus conſtituitur res naturalis habens talem, & talem inclinationem paſſiuam, ita in Cælo quidditas eius, cum ſit ſimplex, per ſeipſam eſt determinata ad talem aptitudinem, & propenſionem motus; non ergo debemus in Cælo quærere formam diſtinctam à materia, quà Cælum recipiat talem, & talem inclinationem, vti contingit in his inferioribus; ſed ipſa quidditas ſolum per ſe habet talem propenſionem. Ex quo etiã patet, quòd in Cælo (loquor de Orbe) nullum eſt principium actiuum internum reſpectu motus, ad quem eſt inclinatum, & habet propenſionem: ſed principium eſt externum, id eſt intelligẽtia, & tamen Orbis per ſe dicitur naturale corpus, & habere naturam. Ex quo confirmatur, veram eſſe opinionem Scoti, quòd natura eſt principium paſſiuum tãtum, non actiuum, cum Cęlum dicatur habere naturam, & tamen habet ſolum principium paſſiuum motus internum, non actiuum, &c.

THEOREMA LXIV.

Subſtantiæ abſtractæ præter primam ſunt in genere.

Exponitur ſententia Scoti, & declaratur propoſitio illa, æterno, & corruptibili nihil eſt commune vniuocum. Cap. I.

EX Theoremate, quòd Deus non eſt in genere, patet qua de cauſa aſſerere debeamus ſecundas ſubſtantias eſſe in genere; Ratio ſiquidem eſt: quia illæ ſunt finitæ, & licet ſint neceſſariæ ſecundum Philoſophum, non tamen ſunt neceſſariæ ex ſe, ſed ab alio, vt diximus; Modo cõceptus generis repugnat tantũ conceptui infinito, & neceſſe ex ſe, vel conceptui de ſe indifferenti ad infinitum, & finitum ad neceſſe eſſe, & contingens eſſe, vt vidimus ſupra. Dicendum eſt ergo, illas eſſe in genere, & in genere Subſtantiæ: quoniam ens diuiditur infinitum, & infinitũ, Subſtantiæ abſtractæ pręter primam, continentur ſub ente finito, modo ens finitũ diuiditur in decem Prædicamenta per modos intrinſecos, & ſic ens per ſe ſubſiſtens eſt Subſtantia, & primum Prędicamentum: Subſtantiæ abſtractæ continentur ſub *The. 96.*

tur ſub hoc genere Subſtantiæ; quia, & illæ per ſe ſubſiſtũt;diuiditur poſtea Subſtantia,& in Subſtantiam corpoream, & incorpoream,Subſtantia incorporea continet Subſtantias abſtractas excepta prima, ita quod Subſtantiæ abſtractæ ſunt vna ſpecies Subſtantiæ,& ſic continentur ſub genere. Sed eſt difficultas, quia non videntur eſſe potentiales, neque compoſitæ,quomodo ergo ſunt ſpecies? Reſpondetur, quod Subſtantiæ abſtractæ limitatæ, non ſunt compoſitæ ex re, & re, neque ex realitate, & realitate actualiter, ſed tantum potentialiter (vt etiam ſunt formæ actuales, licet diuerſa ratione, vt infra patebit) quia vt inquit Scotus in 1. d.8.q.2.per totam,quælibet Creatura cũ ſit finita,licet actu non ſit compoſita, tamen eſt compoſita potentia: quia habet entitatem cum priuatione alicuius gradus entitatis, quia nulla Creatura habet entitatem ſecundum totam perfectionẽ, quæ nata eſt eſſe entitas in ſe, quia tunc eſſet infinita,& ideo caret ſemper aliqua perfectione, & ſic eſt componibilis; Subſtantia itaque quatenus eſt genus generaliſſimum, eſt potentialis, & eſt contrahibilis, & de facto contrahitur per has differentias eſse actu compoſitam, & cõponibilem: ita quod Subſtantia alia eſt componibilis tantum, alia eſt compoſita actu: componibilis eſt Subſtantia incorporea,compoſita actu eſt Subſtantia corporea,quæ poſtea diuiditur inanimatũ, & inanimatum; & ita primæ ſpecies Subſtantiæ, & vt eſt genus generaliſſimum, ſunt Subſtantia componibilis tantum,& Subſtantia compoſita actu. Thomiſtę autem tenent etiam,quod ſecundæ Subſtãtiæ abſtractæ ſint actu compoſitæ ex actu,& potentia, ſcilicet ex eſse, & eſsentia,vt patet ex Caietano in libro de Ente, & eſsentia;ſed aliàs oſtendimus,quod nõ differt eſse ab eſsentia,ideò nõ poſsunt eſſe cõpoſitæ actu,ex actu & potentia,& ex rebus realiter diuerſis. Sed cõtra hanc determinationem eſt propoſitio illa Ariſt. 10. Metaph. Corruptibile, & incorruptibile differunt plus quam genere,quomodo ergo poſsumus dicere, quòd ſubſtantiæ abſtractæ ſecũdæ ſunt in genere; Hæc propoſitio debet exponi, & declarari ad totalem cognitionẽ huius materiæ. Ideò Reſpondet 4. Sent. d. 6. q. 10. ad M, & apertè aſserit, corruptibile, & incorruptibile differre quidem genere Phyſico, non autem genere Logico: vbi declarans hanc propoſitionem Ariſt. ex 10. Metaph. corruptibile,& incorruptibile differunt plus quam genere, ait, quòd corruptibile, & incorruptibile, non poſsunt eſse eiuſdem generis Phyſici: quæ enim ſunt talis generis, ſunt tranſmutabilia, incorruptibile autem non eſt tranſmutabile: quia caret materia: immò differunt genere Phyſico, quia non conueniunt in mutabilitate, & tranſmutatione; cauſa huius eſt: quia non conueniunt in materia: ſed inquit nihil prohibere quin conueniant in vno genere Logico, tale enim genus poteſt continere multa, quæ non pertinent ad idem genus Phyſicum, & exemplificat (vt patet) de Subſtantia, quæ continet corpoream, & incorpoream, & de Quantitate, quæ continet corporalem,& ſpiritualem. Hãc eandem ſententiam defendit Antonius Andreas 10. Metaph. quæſt. vltima. Hanc opinionem tuentur omnes Latini. Pro hac opinione adducta ſunt fundamenta in Theoremate, quòd Deus non eſt in genere, & præſertim, quia omne quod eſt potentiale, & componibile eſt in genere: ſecundæ Intelligentiæ ſunt potentiales, quia licet actu non ſint compoſitæ, ſunt tamen componibiles non ex alio actu, ſed ex alijs gradibus perfectionis: quia compoſitæ ſunt ex poſitiuo, & priuatiuo; Suſtinet itaque Scotus, quòd Subſtãtia quæ eſt genus generaliſſimum, eſt vniuocum genus, & quòd continet ſub ſe Subſtantias æternas, & corruptibiles.

Diffi cult. *Solu.* *Solu.* *Theo. 96.*

Ex altera parte Auer. in cap. ſuper Porphyrium, & multis alijs in locis, & cũ eo ſui ſequaces, vt Iandunus 10. Metaphyſ. quæſtione vltima, & Zimara Theoremate 62. qui ſequitur Iandunum, & Zabarella lib. 2. de Materia, cap. 15. qui Zimaræ ſententiam in hoc approbat: tenent iſti omnes, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt plus quam genere, & negant, quòd Subſtantia prædicetur vniuocè de æterno, & corruptibili, & innituntur huic authoritati Ariſt. ex 10. Metaph. corruptibile, & incorruptibile differunt

Aduerſariorũ obiectiones.

plus quam

pluſquam genere. Vnde volunt, quod ſupremum genus vniuocum de Prædicamento Subſtantiæ ſit corpus, quòd amplectitur ſolùm Subſtantias compoſitas ex materia,& forma, & ſic neque Intelligentia,neque Cęlum continetur ſub Subſtantia,tamquam ſub genere vniuoco:ſed Subſtantia reſpectu illorum omnium eſt genus multipliciter dictum, ſiuè analogum:& quia Scotus,& Latini exponunt, quòd differunt genere Phyſico,non genere Logico. Contra hanc expoſitionem, & ſententiam ſic arguunt.

Iand. Primò ſic,Iandunus,& Zimara in præcitatis locis, ſi Ariſt. intelligeret de genere Phyſico,non de genere Logico,dum dicit, quod corruptibile, & incorruptibile differunt plus quam genere, ſequeretur quòd ratio eius peteret principium,& nihil concluderet contra Platonem;Probatur conſequentia: quia Plato dicebat, Ideam hominis, & hominem ſingularem, eſſe eiuſdem ſpeciei Logicę:quia volebat, quod haberet eandem rationem, & definitionem vtrũque;ſed nõ volebat quòd eſſent eiuſdem generis Phyſici;quia ponebat Ideam ſine materia, hominem verò ſingularem ponebat cum materia, & ſic non volebat, quod eſſent eiuſdem generis Phyſici. Modò Ariſt. arguit aduerſus Platonem;quæ differunt genere, differũt etiam ſpecie, corruptibile, vt hic homo, & incorruptibile, vt Idea, differunt plus quam genere,ergo differunt ſpecie; ecce quod ſi Ariſt. intelligeret de genere Phyſico,Plato negaret illam propoſitionem, quod quæ differunt genere,differant ſpecie, & Ariſtot. peteret principium, quia hoc eſt,quod probare debet Ariſt.ſcilicet, quod quæ differunt genere Phyſico, differant etiam ſpecie Logica: quia Plato hoc non habet pro inconuenienti; at ſi dicamus Ariſt. intelligere de genere vniuoco, ita quod hic ſit ſenſus, quod quæ differunt genere, id eſt in nullo vniuoco conueniunt,differunt etiam ſpecie,corruptibile,& incorruptibile, differunt genere,neque in vllo vniuoco conueniunt,ratio eius eſt efficax; quia tunc ſequitur, ergo corruptibile, & incorruptibile non ſunt eiuſdem ſpeciei, quod eſt intentum Ariſtotelis in illa ratione.

Pro hac opinione adducit Zimara aliam rationem, quæ eſt hæc, ex 12. Metaph.tex.26.Actus,& potentia ſunt principia omnium decem Prædicamẽtorum: quia quæ ſunt in Prædicamento, quandoque ſunt in potentia, quandoque ſunt in actu:quæ autem ſunt quandoque in actu,& quandoque in potentia,ſunt corruptibilia, & generabilia; ergo quæ ſunt in Prædicamento, ſunt ſolùm res generabiles,& corruptibiles, ergo ſupremũ genus vniuocum de Prædicamento Subſtantiæ eſt Corpus,quod continet ſolum Subſtãtias generabiles,& corruptibiles. 2.

Tertiò Zabarella in præcitato loco ita argumentatur,& probat, quod huiuſmodi genus Logicum vniuocum, non detur quod ſit diſtinctum re à Phyſico; arguit autem ſic,genus Logicum ſiuè genus prędicabile, non poteſt eſſe vniuocum, niſi ei reſpondeat natura communis extra animam, vanus eſt enim ille conceptus, cui non reſpondet extra animam Natura communis:genus autem cui extra animam correſpondet communis natura, eſt genus Phyſicum,ergo genus Logicum vel eſt idem re quòd genus Phyſicum,vel eſt figmentum. Tunc ad propoſitum.Cũ æternum, & corruptibile, non conueniãt in aliqua natura communi extra animã, ſi enim aliquam participarent, illa eſſet materia, ſequitur, quod non conueniant in aliquo genere vniuoco, & ſic ſupremũ genus vniuocum de Prædicamento Subſtantiæ eſt corpus,quod complectitur omnia inferiora corpora, & eſt illis vniuocũ per materiam,quam omnia participant. His eiſdem rationibus vtitur Franciſcus Piccolomineus libro de Cælo, cap.14. 3. Picc.

Huius opinionis confutatio,& ſolutio rationum pro ea. Cap. II.

CONtra hanc opinionem facilè poſſumus arguere ex dictis ſupra, Iſti enim negant Subſtantias abſtractas eſſe in genere Subſtantiæ:ſed neque illis eſſe aliquid commune vniuocum cum his inferioribus,quod plus eſt;ideò iiſdem medijs,quibus probatum eſt ens eſse vniuocũ Deo,& Creaturæ,Subſtantiæ,& Accidenti,

denti, ſimiliter poteſt argui, quòd Subſtantia dicit conceptum vniuocum Subſtantijs abſtractis, & mortalibus; ſed ſpe-
1. rô. cialiter nunc ſic arguo. Iſti concedunt quod Subſtantia, vt comprehendit ſub ſe æternam, & corruptibilem, eſt genus analogum, vt viſum eſt ex Zimara, & Auerroe: at tale analogum, vt probauimus in
The. Theoremate, de vniuocatione entis, ſtat
95. cum vniuoco, ergo ſi Subſtantia vt eſt genus analogum, continet ſub ſe Subſtantiam æternam, & corruptibilem, Subſtantia eſt genus vniuocum, & vniuocè dicitur de ſubſtantia æterna, & corruptibili.
2. Præterea, Omnis ſcientia eſt de vniuerſalibus vniuocis, non de æquiuocis, & quæ non ſunt vniuoca, non pertinent ad ſcientiam, de Subſtantia in communi ad æternam, & corruptibilem eſt ſcientia, ergo Subſtantia in communi, eſt genus vniuocum, alioquin non eſſet ſcientia de illa, & hæc ratio vitari non poteſt contradiſtinguendo analogum ab vniuoco; Maior eſt Ariſt. vbique, de eo enim quod nō habet vnam rationem communem, non poteſt eſſe ſcientia; & ideò ſi analogum non dicit vnam rationem communem, non eſt vniuocum, & de eo non poteſt eſſe ſcienda; ſi verò dicit vnam rationem, quæcumque illa ſit, eſt vniuocum, vt diximus ſupra; Minor conceditur: quia Ariſtot. à 7. Metaph. vſque ad 12. multa diſſerit de Subſtantia in communi, & maximè, cum ipſam diuidit ab Accidentibus, quam poſtea diuidit in tres ſpecies, ſcilicet in ſenſibilem, & corruptibilem, in ſenſibilem ſed incorruptibilem, in inſenſibilem æternam, & incorruptibilem.
3. rô. Tertiò principaliter in Theorematibus
The. Logicis oſtendimus, quòd genus ſcie-
4. tiæ neceſſariò eſt vniuocum, licet de Metaphyſica poſſint proteruiare, dicentes, quòd ens eſt analogum, tamen de Mathematica hoc non poteſt dici, quæ eſt de Quantitate, quæ non eſt analogum, ſed vniuocum. Præterea, ſequitur ſecundum Zabarellam, quòd omne genus vniocū ſit Phyſicum. Contra, ſi omne genus vniuocum eſt Phyſicum, ergo Subſtantiæ abſtractæ in nullo genere vniuoco conueniunt. Conſequentia eſt de ſe manifeſta; Falſitas conſequentis probatur: quia quæ differunt ſpecie, conueniunt in aliquo genere; ſed Subſtantiæ ſeparatæ inter ſe differunt ſpecie ſecundum Aduerſarios, & omnes, in via Ariſt. vt ſuo loco dicam, ergo debent conuenire in aliquo genere, & hoc genus debet eſſe vniuocum quia ſpecies ſpecialiſſimæ, continentur ſub genere vniuoco, Subſtantiæ autem abſtractæ ſunt veluti ſpecies ſpecialiſſimæ, ergo nō omne genus eſt Phyſicum. Quartò, vniuocum eſt illud, quòd includitur in ſuis inferioribus ſecundum nomen, & ſecundum rationem: ſed Subſtantia includitur in Subſtantia æterna, & corruptibili, ſecundum nomen, & ſecundum rationem, ergo. Maior eſt Ariſt. in Antepræ dicamētis, & vbique vbi de hac re loquitur. Minor probatur: quia per ſe exiſtere, & non eſſe in alio, eſt conceptus, & ratio Subſtātiæ, hic autem conceptus eſt præter opus intellectus; quia per hoc diſtinguitur Subſtantia ab Accidente; at tam Subſtantia æterna, quàm corruptibilis, per ſe exiſtit, neque eſt in alio tamquam in ſubiecto, ergo conceptus Subſtantiæ eſt vniuocè incluſus in illis. Quod autem conceptus Subſtantiæ in communi, ſit genus, probatur: quia contrahitur per differentias, nō per modos intrinſecos; quia æternum, & corruptibile variant eſſentiam Subſtantiæ, neque ſunt ſolum gradus, & modi intrinſeci, vt gradus albedinis: ſed habent rationem extrinſeci, quia additi rei, variant eſſentiam, & faciunt aliam ſpeciem Subſtantiæ, quod non verificatur de infinito, & finito contrahentibus ens, vt oſtendimus in Theor. An Deus ſit in genere declarando modos intrinſecos. 4. rô.

Ad rationes aduerſariorum. Ad primā multa eſſent dicenda pro declaratione illius text. ſed pro nunc dico, quod ratio Ariſtot. optimè concludit contra Platonem, neque petit principium; & tamen intelligit de genere Phyſico: nam in principio illius textus oſtendit, quòd corruptibile, & incorruptibile opponuntur ſecundum potentiam, & impotentiam; quę autem ſic opponuntur differunt genere. Ex hoc in calce textus concludit, quòd ſi datur ſpecies illa hominis æterna, quam ponebat Plato; eſt impoſſibile quod ſit eiuſdem ſpeciei, & rationis cum homine ſingulari, Ad aduerſariorum rōnē.

ſingulari, vt dicebat Plato, Ratio eſt: quia quæ differunt genere, differũt etiam ſpecie, corruptibile, & incorruptibile differunt genere, vt ſupra oſtenderat, ergo illa ſpecies æterna, quæ eſt incorruptibilis, non eſt eiuſdem ſpeciei cum homine ſingulari, qui eſt corruptibilis. Illa autem propoſitio ſuper quam innititur ratio, ſcilicet, quæ differunt genere, differunt etiam ſpecie, eſt per ſe clara, neque probatur ab Ariſt. quæ enim aliquo genere differunt, ſiue illud ſit Phyſicum, ſiuè ſit Logicum, certum eſt quòd non poſſunt eſſe vnius eiuſdem ſpeciei, quæ continetur ſub illo genere, in quo non conueniunt; modò Idea hominis, & hic homo, non conueniunt in genere Phyſico, quomodo ergo poſſunt eſſe idem in ſpecie vna, quæ continetur ſub illo genere Phyſico. Porrò, ſi in tali ſpecie conuenirent, etiam in tali genere conuenirent, hic autem homo eſt ſpeciei animalis, quòd eſt genus Phyſicum, ergo ſi Idea hominis eſt eiuſdem ſpeciei cum hoc homine, erit quoque ipſa ſpecies animalis, & ſic conuenient in genere Phyſico quoque. Vera ergo eſt propoſitio per ſe, quæ differunt genere, differunt etiam ſpecie. Hæc pro ſolutione præſenti. Sed pro nobis facit ratio Ariſtot. in eo loco: probat enim in principio illius textus, quod corruptibile, & incorruptibile differunt ſolum genere Phyſico: quia differunt ſecundum potẽtiam, & impotentiam, ſed quæ differunt ſecundum potentiam, & impotentiam in aliquo vniuoco genere conueniunt, ſcilicet in Subſtantia, conueniunt etiam in tranſcendenti, ſcilicet in ente, ergo.

Ad 2. Ad ſecundam rationem dico, quod Ariſt. ait quòd actus, & potentia circumeunt decem Prædicamenta, non quidem actus, & potentia realis: ſed ait quòd actus, & potentia circumeunt omnia Prædicamenta ſecundum ſimilitudinem, vt patet expreſsè in textu ibidem; & ſic vult inferre, quod omnia quæ ſunt in Prædicamento, conſtant ex actu, & potentia, vel reali, vel ex ſimilitudine; Subſtantiæ corruptibiles conſtant ex actu, & potentia reali, ſubſtantiæ verò æternæ conſtant ex actu, & potentia ſecundum ſimilitudinem, quia in illis eſt aliquid quod habet rationem actus, & aliquid quod habet rationem potentiæ: quia conſtant ex priuatiuo, & negatiuo, vt dictum eſt. Ad tertiam rationem dico, quod ſupponit falſum: nempè, nullam naturam eſſe realem, & extra animam, à qua poſſit ſumi vniuocatio, & non ſit Phyſica: hoc enim eſt falſiſſimum, vt oſtendimus contra eius opinionem. Concedimus quidẽ, quòd talis naturã, quàm ipſe dicit, facit vniuocationem Phyſicam, at non propter hoc ſequitur, quòd non detur vniuocatio Metaph. ſiue Logica, quæ eſt per conuenientiam in aliqua vna natura reali extra animam ſeiunctam à motu, & mutatione, quam appellamus Metaph. ſiue Logicam, de qua tractat Metaphyca. Immò ſi talis vniuocatio non daretur, neceſſariò eſſet tollenda de medio Metaphyſica, &c. Ad 3.

THEOREMA LXV.

Subſtantia ſuſcipit magis, & minus.

Exponitur quid ſit ſuſcipere magis, & minus, & variæ aliorum adducuntur opiniones, & reijciuntur. Cap. I.

SCotus de hac re loquutus eſt plurimũ 8. Metaph. q. 3. ſed adeo obſcurè, vt nõ parum ſit laboris in inueſtiganda eius ſententia; aliqua etiam dicit 1. Sent. d. 17. q. 3. vt dicemus: ſed quia magis propriè loquitur in 8. Metaph. ideo conſideranda ſunt ea, qnæ dicit eodem octauo. Prius autem oportet declarare, quid ſit ſuſcipere magis, & minus; deinde videbimus quomodo Subſtantia ſuſcipiat magis, & minus. Quo ad primum itaque; variæ ſunt opiniones, vt ipſe in eodem 8. Metaph. dicit loco citato, & Antonius Andræas 8. Metaph. q. 6. & ſuper Sex Principia, cap. vltimo; Aliqui enim dicunt, quòd ſuſcipere magis, & minus, eſt ſuſcipere incremẽtum, & decrementum, quo ad ſubiectũ, vel quo ad accidens, vel quo ad vtrumque. Hanc ſententiam probãt: quia illud dicitur grauius, ſiue magis graue, quod habet maiorem grauitatem extenſiuè, id eſt maiorem quantitatem grauitatis. Sed hæc opinio eſt falſa, & reprobatur ab Au- *Quid ſit ſuſcipere magis, & min' 1. rõ.*

ctore Sex Principiorum : quia tunc eadẽ ſubſtantia numero, ſuſciperet magis, & minus: quia eadem ſubſtantia numero, augetur, & diminuitur, vt Antonius eſt maior cum eſt vir, quàm cum erat puer: quod tamen negatur ab Ariſt. in Prædi-
2. rõ. camentis. Item, quia quantitates ſolæ per ſe ſuſciperent magis, & minus: quia illæ per ſe creſcunt, quod tamen negatur ab Ariſt. cùm in capite de Quantitate, tùm in capite de Qualitate. Item tunc maius album eſſet albius, quod eſt falſum, vt patet experientia. Aliqui alij dicebant, quod ſuſcipere magis, eſt magis recedere à contrario; ſuſcipere minus, eſt admiſceri contrario multum; adeo quod dicebãt,
2. opinio. ſolùm inter contraria reperiri ſuſceptionem magis, & minus; & hanc opinionem videtur ſequi Ammonius in Prædicamentis, c. de Subſtan. Sed hæc opinio impro-
Reijcitur. batur: quia lumen in medio ſuſcipit magis, & minus, & tamen nullum contrariũ miſcetur ſibi; ſimiliter virtus intenditur, & remittitur abſque admixtione vitij.
3. opinio. Aliqui alij dicebant, quòd ſuſcipere magis, & minus, eſt, formam habere eſſe in ſubiecto ſecundum maiorem, & minorẽ diſpoſitionem eius, remanente eſſentia
D. T. opin. eius immutata. Hęc opinio eſt D. Thomæ, prima ſecundæ, q. 52. artic. 1. & 2. vbi apertè ait, quod forma ſecundum ſe remanet immutata: ſed dicitur ſuſcipere magis, & minus, ſecundum quod participatur à ſubiecto in maiori diſpoſitione, vel minori, & hæc eſt opinio, quàm refert Scotus 1. Sent. quæſt. vltima, diſtinct. 17. poſt V. V. vbi loquitur de augmento Charitatis.

Pro hac opinione eſt auctoritas Ariſt. 8. Metaph. qui ait, quòd formæ ſunt ſicut numeri, id eſt in ſe indiuiſibiles. Sunt etiam aliæ rationes, quas infrà adducam ex Scoto pro eadem opinione; per eaſdẽ enim rationes tenet D. Thom. quod nulla forma neque Accidentalis, neque Subſtantialis ſuſcipiat magis, vel minus ſecundum participationem graduum formæ, ſed ſolum ratione receptionis in ſubiecto.

Reijcitur. Contra hanc ſententiam arguit Scotus primo Sent. diſtin. 17. q. vltima. Primò,
1. rõ. ſic. Contraria in ſummo ſunt incompoſſibilia in eodem, ſed in gradibus remiſſis non ſunt incompoſſibilia, ergo neceſſe eſt quòd hoc proueniat ex aliquo, quod eſt in contrario, dum eſt intenſum in ſummo, quod non eſt in contrario, dum eſt in eſſe remiſſo; quia aliter eſſent etiam incompoſſibilia in eſſe remiſſo; ſubinfert: ſed illa incompoſſibilitas non eſt habitudo ad ſubiectum, neque ex habitudine ad ſubiectum: prior enim eſt incompoſſibilitas formarum in ſe, quam ſit formarum in ſubiecto recipiẽte: quia enim ſunt incompoſſibiles in ſe, ideo ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto, non è conuerſo. Ex his deducit, ergo illud, quod eſt ratio incompoſſibilitatis in formis intenſis oppoſitis, eſt aliquid poſitiuum in eis ſecundum ſe, non in ordine ad ſubiectũ, & conſequenter quando in eis fit remiſſio, vel intenſio, fit reſpectu alicuius intrinſeci ipſarum formarum, non ratione diſpoſitionis, & eſſe quod habent in ſubiecto: illud autem intrinſecum poſtea nil aliud eſſe poteſt, niſi gradus ipſarum formarum.

Si forma eſt indiuiſibilis, dat ſubiecto eſſe indiuiſibile, & indiuiſibiliter: non enim ſubiectum eſt tale ſecundum formã, niſi quia forma eſt talis in ſeipſa, ergo ſi forma eſt talis, quod in ipſa ſecundum ſe non ſit aliqua maioritas perfectionis, & non habeat varios gradus perfectionis in ſe, nec ſubiectum ſecundum eam dicetur magis tale. 2. rõ.

Præterea, quæro de illa diſpoſitione, vel eſſe, an ſit idem realiter; quod forma illa, vel non: ſi idem, ergo ſicuti illa diſpoſitio, & eſſe recipit magis, & minus, & habet varios gradus, etiam illa forma ſecundum eſſentiam recipiet magis, & minus, cum idem ſint. Si eſt quid diuerſum, quæro de illo vtrum ſecundum ſuam eſſentiam ſuſcipiat magis, & minus, ſi ſic: habeo propoſitum, ſcilicet, quòd ſuſcipere magis, & minus, contingit ſecundum eſſentiam. Si dicas non, ſed per aliud, ergo dabitur proceſſus in infinitum, quia eodem modo quæram de illo alio. Præte- 3. rõ.
rea, Habito termino ĩ ratione termini, ceſ ſat motus; quia habitibus præſentibus, ceſſat motus, & generatio, vt habetur ex 1. de Generatione; ſed per te in principio 4. rõ.

calefa-

calefactionis habetur tota caliditas ſecũdum rationem, quæ eſt terminus calefactionis, ergo in principio calefactionis ceſſabit motus. Probatur Minor; quia in principio calefactionis eſt aliquid de eſſentia caloris: ſi ergo eſſentia caloris non ſuſcipit magis, & minus, ſequitur, quòd in principio erit calor perfectiſſimus ſecundum modum, quo eſt terminus, quia iam adeſt eſsentia caloris tota; Hæc autẽ concluſio eſt falſa, & contra ſenſum: quis enim non uidet, quòd caliditas augetur ſemper magis, & conſequenter eſſentia caloris recipit magis, & etiam minus.

Cai. defenſio. Caietanus, prima ſecundæ, quæ. 83. artic. 2. nititur defendere D. Thomam, & ait Scotum putare Diuum Thomam dicere duo. Primum, quòd formæ intendantur propriè, & remittantur ſecundum habitudinem ad ſubiectum. Secundum eſt, quod res illa, quæ eſt forma, quando intenditur, & remittiur, nihil ſibi reale acquirat abſolutum, vel diſperdat, ſed ſolùm aliquid in ordine ad ſubiectum; & ait, quòd hoc ſecundum dictum, ſecundum veritatem non eſt D. Thomæ, ſed ſolùm primum; Sed quilibet, vel cęcus poterit iudicare, an hoc dicat D. Thomas, vel non: nam apertè D. Thomas in illis duobus articulis ait, quòd forma ſecundum ſe, non mutatur: quia formæ non fit additio, ſed ſolum in forma fit additio ſecundum materiales diſpoſitiones; & adducit rationem in ſecundo articulo: quia ſi fieret additio, vel detractio ex parte formæ, hæc additio, vel detractio mutaret ſpeciem. Item, primum dictum includit neceſsariò ſecundum; quia dicit, formæ intenduntur tantum ſecundum habitudinem ad ſubiectum: ecce, dicit tantum, ergo nullo alio modo. *Reijcitur.*

Reſp. Cai. ad 1. rõnẽ Scoti. Ad primam rationem autem Scoti ſolum reſpondet Caietanus, primò negãdo Antecedens, ſcilicet, quod cõtraria remiſſa ſe compatiantur in eodem ſubiecto; ait enim, quod ſemper pugnant proportionabiliter, ſicuti faciuut quando eſſent in ſummo, quòd ſi maneant in mixto ſimul, hoc eſt propter formam mixti.

2. reſ. Secundò reſpondet, dato Antecedenti Conſequentia illa non valet, quæ erat; ergo hæc repugnantia competit illis contrarijs abſque habitudine ad ſubiectum; ratio eſt: quia illa incompoſſibilitas competit formis in ordine ad ſubiectum, quia habitudo formæ ad ſubiectum, præcedit incompoſſibilitatem illorum graduum inter ſe.

Sed hæc defenſio eſt inanis; Primò patet quod Antecedens eſt verum, licet enim in mixto contraria ſibi contrarientur: tamen certum eſt, quod in mixto ſimul manent, & ſe compatiuntur in eodẽ ſubiecto, quòd tamen in eſſe ſummo fieri non poterat, & hoc ſufficit nobis. *Reijcitur. 1. Reſponſ.*

Secunda reſponſio eſt falſa; quia iam oſtendi contra Caietanum in Materia de principio indiuiduationis animæ intellectiuæ, quod illa participabilitas, vel commenſuratio formæ ad ſubiectum materiale, non eſt principium conſtitutiuum talis formæ, & conſequenter talis participabilitas, non eſt prior gradibus formæ, & conſequentibus naturaliter tales gradus, vt eſt incompoſſibilitas eorum ad inuicem, vt latè dixi in Materia de indiuiduatione ſubſtantiæ materialis. *Reijcitur. 2. reſponſ.*

Præterea non ſoluitur ratio; quia incompoſſibilitas formarum cõtrariarum eſt propter gradus, qui in ſummo non ſe compatiuntur in eodem ſubiecto, ſed cũ remittuntur, ſe compatiuntur, ergo in illa remiſſione non fit variatio tota ſolum in diſpoſitionibus formæ ſubiecti, ſed fit quoque variatio in gradibus formæ, quia aliqui illorum diſperduntur, ergo remiſſio non fit ſolum ratione participationis, & diſpoſitionis formæ in ſubiecto, ſed ſecundum eſsentiam ipſiuſmet formæ in qua fit deperditio graduum. *2. rõ.*

Aliqui alij dicunt, quod ſuſcipere magis, & minus, prouenit à maiori, vel minori radicatione formæ in materia, ita quod ipſa forma per ſe non intenditur in eſſentia, ſed dicitur eſſe magis, vel minus, quatenus magis, vel minus radicatur in ſubiecto. Sed hæc opinio neque ipſa eſt vera: quia illa radicatio, vel eſt quid diſtinctum ab ipſa forma, vel non: ſi non eſt quid diſtinctum, habeo intentum; quia ſi ſicuti radicatio eſt maior, vel minor, ita illa forma. Si eſt quid diuerſum, tunc quæro, vel eſt quid abſolutum, vel quid reſpectiuum: ſi quid abſolutum, habeo inten- *Aliorũ opinio.* *Reijcitur. 1. rõ.*

tentum: quia illud eſt forma aliqua, & habet magis, & minus; ſi eſt quid reſpectiuum, ſimiliter eſt forma, relatio eſt forma accidentalis, & ſic forma ſecundum eſ-

2. rō. ſentiam habet varios gradus. Præterea, ſequeretur ſtante hac opinione, quod vbi forma eſt magis radicata, ibi ſubiectum ſit magis tale: ſed hoc eſt falſum; probatur falſitas Conſequentis: quia verecundus quandoque eſt rubicundior aliquo homine naturaliter rubeo, & tamen in eo eſt minus radicatus rubor, quam in alio, qui

3. rō. eſt ſanguineus naturaliter. Dicunt etiam Medici, quod febris Hectica eſt magis radicata, quã Tertiana, & tamen Tertiana

Aliorum opin. eſt magis intenſa. Aliqui alij, vt Auctor Sex Principiorum dicunt, quod magis, & minus, eſt per acceſsum ad terminum, vel ad formam, à qua aliquid denominatur; quod enim propius accedit ad illam formam, dicitur magis, quod autem magis recedit, dicitur minus; Supponit autẽ, quòd illa forma accidentalis, quam aliqua ſubiecta recipiunt, habeat nomen impoſitum ab vltimo ſuo gradu perfectiſſimo, & ita vult, quòd illud dicatur album, quod eſt perfectiſſimum, & puriſſimum album; per album itaque intelligitur albedo in perfectiſſimo gradu, illud ſubiectũ ergo, quod propius accedit, & de pluribus gradibus albedinis participat, dicitur ſuſcipere magis, & quod remotius manet, dicitur ſuſcipere minus; & quoniam imponitur nomen, vt ſupponit ab vltimo gradu formæ, ideo dicit, quòd illud recipit magis, quod propius accedit ad rationem nominis: quod minus recedit, ſu-

Reÿcitur. ſcipiet minus. Hęc poſitio videtur falſa tãtum quo ad id, quod ſupponit, ſcilicet quod impoſitio nominis fiat ab vltimo gradu formæ: tunc enim nihil eſſet album albedine, niſi albiſſimum; nam ſi nomen album imponitur ab vltimo, & perfectiſſimo gradu albedinis, ſignificat tantum perfectiſſimam albedinem in ſubiecto; ſubiectum ergo album remiſsè, non poterit dici album; tamen in re, eſt vera: quia admittit gradus in formis accidẽtalibus, & ait ſubiectũ recipere magis, & minus, cum recipit plures, vel pauciores gradus illius formæ.

Opin. Scoti. Tandem eſt ſententia propria Scoti in eodem 8. loco citato, & 1. Sententiarum diſtinct. 17. quæſt. vltima, quæ eſt, quod ſuſcipere magis, & minus in quacumque forma, quæ ſit apta ſuſcipere magis, & minus, ſiue ſit Subſtantialis, ſiue Accidentalis, eſt eſſe maius, vel minus alio, non maioritate molis, ſed maioritate perfectionis in natura rei, ſiue in complemento perfectionis: vel eſſe maius in potentia, ſiue in vigore actionis. Prima dicitur naturalis bonitas; Secunda naturalis vigor: adeo, quod illud eſt magis, quod habet maiorem bonitatem naturalem, vel maiorẽ vigorem naturalem: ſed hoc ſecundum ſequitur primum; vbi enim eſt maior bonitas naturalis, ſiue, vbi eſt completior ratio perfectionis naturæ rei, ibi etiam eſt maior vigor. Ex qua ſententia apparet, quòd ſecundum Scotum, vti etiam fatetur Antonius Andræas ſuper librum Sex Principiorum, capite vltimo, forma omnis ſpecifica habet quandam latitudinem in gradibus, ita quod in ſe continet multos gradus perfectionis naturalis, & propter hoc participatur ab indiuiduis ſecundũ magis, & minus: quia vnum indiuiduum participat illam ſecundum aliquos gradus, aliud ſecundum plures: & propter hoc datur magis, & minus in indiuiduis; quod ſi in quidditate, & illa forma ſpecifica non darentur illi gradus, non poſſet eſſe magis, & minus; Dat exemplum in 1. Sententiarum diſt. 17. quæſt. vltima, littera x. Sicut quantitas molis ſi per impoſſibile non haberet inclinationem ad ſubiectũ, per ſe eſſet maior, vel minor, abſque alia habitudine ad ſubiectum. Vnde hic *Notã-* notandum eſt, vt infrà etiam dicemus, ꝙ *dum.* in forma, & quidditate ſpecifica ſunt iſti gradus prædicti, ꝗ ſunt gradus indiuiduales, ſed in illa non dantur varij, nec plures grad⁹ ſpecifici, immò ſi plures eſſẽt grad⁹ ſpecifici, nõ eſſet vna ſpecies, ſed plures: quia quilibet gradus ſpecificus conſtituit ſpeciem, ſicuti quælibet vnitas addita numero, variat numerum, & aliam ſpeciem conſtituit; ſed in ea ſunt plures gradus perfectionis, quos indiuiſibiles nominamus, & illud indiuiduum, quod plures continet, eſt magis, & quod minus habet, dicitur minus. Sic ergo patet, quid ſit ſuſcipere magis, & minus.

Opinio

Opinio Scoti, an ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minus. Cap. II.

Opin. Scoti. HIs prçmiſſis, oportet determinare principalem dubitationem, an ſcilicet forma ſubſtantialis ſuſcipiat magis, & minus, de forma accidentali non eſt vt differamus: quia ex dictis in præcedenti cap. patet, ipſam ſuſcipere magis, & minus: quòd & omnes concedunt, licet diſcrepent in modo poſitionis; de ſuſcipere magis, & minus loquitur Scotus in 1. Sententiarum, diſt. 17. q. vltima, & inde, ſed in communi loquitur, tam de forma Accidentali, quàm de Subſtantiali, imò magis de Accidentali. Quo autem ad formam Subſtantialem (loquimur de forma Subſtantiali, quia ſi forma Subſtantialis ſuſcipit magis, & minus, conſequenter etiã Subſtantia ſuſcipit magis, & minus) loquitur in 8. Metaph. q. 3. loco citato, & in additionib. & ante additiones, vbi Scotus ponit tres Cõcluſiones: Prima eſt in initio quæſtionis, & eſt, quod ſi accipiatur Subſtantia in communi, & pro quidditate, Subſtantia non ſuſcipit magis, nec minus: quia ei, vt ſic, non competit ſuſcipere magis, & minus: ſed quatenus eſt in indiuiduis tantum; Si verò conſideratur quatenus participatur ab indiuiduis, tunc ponit duas Concluſiones. Prima eſt, quod vna forma Subſtantialis eſt maior alia eiuſdem ſpeciei, & intelligit, quod ſit maior maioritate perfectionis id eſt, eſt magis Subſtãtia alia forma eiuſdem ſpeciei. Et hanc Concluſionem vniuerſaliter ſuſtinet cum Henrico contra Auerroem, de quacumque forma Subſtantiali, Auerroes enim eam ſuſtinet tantum in formis elementorum.

Scot⁹ ponit tres cõcl. 1. cõcl. de qua nõ eſt ſerm. 1. cõcl. de 2. mẽbro diuiſionis.

2 cõcluſ. Secũda Concluſio eſt, quòd eadem forma numero, nõ intenditur, neque remittitur; quã Concluſionem etiam ſuſtinet cũ Henrico cõtra Auerrœm, qui ſuſtinet aliquam formam Subſtantialem eandẽ numero intendi, & remitti, vt patet de formis elementorum. Quo ad primam Concluſionem ſecũdi membri, diſtinctionis, in eodem loco ait Scotus, nullam eſſe rationem cogentem pro, nec contra: tamen ipſe magis adhæret concluſioni poſitæ, quam oppoſitæ, & rationes pro ea adducit.

Primò ſic. Pro ea Concluſione eſt articulus ſecundus Pariſienſis, igitur de intellectiua, & cætera, ſed hoc cogeret apud Theologos, non Philoſophos. 1. rõ pꝛo cõcl. 1.

Secundò adducit vnam rationem efficacem, quæ eſt. Quandocumque aliqua vna Subſtantia numero eiuſdem ſpeciei habet aliquam qualitatem conuenientem neceſſariò ſpeciei intenſiorem, quàm alia forma eiuſdem ſpeciei, forma prioris Subſtantiæ eſt perfectior, & conſequẽter magis Subſtantia, quàm forma ſecundæ Subſtantiæ habentis minus intenſam qualitatem: ſed ſic eſt, quod vna Subſtantia numero eiuſdem ſpeciei, habet qualitatem neceſſariò conſequentem ſpeciei intenſionem tamquam alia forma eiuſdẽ ſpeciei, ergo illa eſt perfectior, & magis Subſtantia alia. Minor probatur inductione: quia vnum indiuiduum ignis, eſt calidius alio indiuiduo ignis, quantitate materiæ eadem vtrinque exiſtente, & vnum indiuiduum vini, & carnis eſt dulcius alio indiuiduo eiuſdẽ ſpeciei, & ſic de alijs. Maior patet ex duobus ſuppoſitis. Primũ, quòd qualitates emanant ab illa forma Subſtantiæ excluſo quocumque alio extrinſeco agente, vt patet de frigiditate aquæ: nam cum frigiditas aquæ per contrarium remittitur, ſi poſtea Subſtantia illa aquæ ſibi relinquatur, redit ad priſtinum ſtatum, & gradum frigiditatis, ergo videtur, quod cauſa efficiens reditus frigiditatis, non ſit alia, quàm forma Subſtantialis aquæ. Secundum ſuppoſitum, Cauſa naturalis non impedita, agit ſecundum vltimum potentiæ. Ex his duabus propoſitionibus ſequitur, quòd ſi qualitas producta ab vna Subſtantia eiuſdem ſpeciei, ſit minus intenſa qualitate proueniente ab alia Subſtantia eiuſdem ſpeciei, etiam forma Subſtantialis imperfectior, & minus ſubſtantia, quia præſtantia effectus arguit nobilitatem cauſæ, maximè quando agũt cauſæ ſecundum vltimum potentiæ ſuæ, & non ſunt impeditæ, & ſunt in ſuo eſſe quieto, & non pugnant cum contrario. Hoc autem etiam fatetur D. Thomas 1. parte Summæ, quæſt. 85. art. 7. ait enim, quod corpus quanto eſt perfectius diſpo- 2.

 ſitum,

ſitum, tanto meliorem ſortitur animam. Ecce quod ponit magis, & minus ex parte animæ, non in ordine ſolum ad corpus: vbi videtur contradicere ſibi in 1.2.queſt. 52.art.1.& 2.dicat quidquid velit Caietanus, alibi enim illam commenſurationem confutauimus, & etiam confirmatur per articulum allegatum; quid autem valeāt reſponſiones aliorum ad hoc, infra conſiderabimus.

Alias rationes adducit Scotus pro hac Concluſione in principio illius quæſtionis: ſed quia illæ non concludunt magis, & minus in Subſtantia, ſed diuiſibilitatem ſubiecti, vt dixi in Theoremate, quod non datur minimus motus, ideo illas omitto, aliter arguendo ſic.

Ex Ariſt.8.Metaph.textu 10.habetur, quod Subſtantia, quæ eſt ſecundum ſpeciem, non ſuſcipit magis, & minus, ſed ſi quidem in materia; quæ auctoritas eſt clariſſima, ibi enim comparat formas numeris, & ait, quod ſicut numerus non habet magis, vel minus, ita Subſtantia, quæ eſt ſecundum ſpeciem non ſuſcipit magis, vel minus, ſed quæ, cum materia; quod autem intelligat hoc, patet: quia intelligit Subſtantiam ſecundum eſſe indiuiduaſe, ſiue ſecundum quod recipitur in indiuidua, hæc enim eſt Subſtantia in materia, non abſtracta à materia; Hoc modo igitur Subſtātia ſuſcipit magis, & minus, quia recipitur in indiuidua ſecūdum magis, & minus.

2. cō-cl. ꝓbatur Quo verò ad ſecundam concluſionem tenet contra Auerroem, ſcililicet, quod eadem forma ſubſtantialis numero, non ſuſcipiat magis, vel minus, nec intendatur, vel remittatur; & probatur ab eo ſic, ex eodem medio ferè. Si remiſſa qualitate remittatur forma ſubſtantialis, igitur a moto contrario remittente, nulla eſt cauſa intrinſeca redeundi ad gradum intenſum, vtpura eſt aqua in ſummo frigida, accedit ignis, & remittit frigiditatē aquæ per quinque gradus, deinde ceſſat agere, tunc eſt manifeſtum, quod aqua redit ad priſtinam frigiditatem ſcilicet ad gradum intenſum: modo ſi forma ſubſtātialis aquę tunc remiſſa fuiſſet, quando illa frigiditas eſt remiſſa, manifeſtum eſt, quod aqua non potuiſſet redire ad gradum intenſum in ſummo, quia forma ſubſtantialis, quæ remanſit tunc, non poteſt vltra ſuas vires, & ſic nō poteſt producere qualitatem intenſiorem, quia illa non eſt ſibi proportionalis: illa etiam forma remiſſa non poteſt eſſe principium ſufficiens, nullum ergo erit principium effectiuum reditus illorum quinque graduum ablatorum, oportet ergo dicere, quod eadem forma ſubſtantialis numero non intenditur, neque remittitur. Confirmatur: quia cum aliqua qualitas innaturaliter eſt intenſa per contrarium præſens, vt cum aer calefit contra gradum naturalem ſuū, non eſt dicendum, quod tunc forma aeris intendatur: quia amoto igne, non daretur cauſa intrinſeca, per quam aer rediret ad perfectum calorem remiſſum, & tamen videmus, quod ablato igne agente extrinſeco, & relicto aere ſibi, redit ad calorē naturalē, hoc autem eſt clariſſimū de forma animaliu, ſcilicet, quod nulla intenditur, neque remittitur, de quibus eſt articulus in ſpeciali. Tertia eſt auctoritas Ariſt.5.Phyſ.vbi negat motum in ſubſtantia; & concedit illum in qualitate; non negat autem motum in ſubſtantia penes partem mobilis: quia ſic generatio eſt ſucceſſiua, vt oſtendimus ſupra Theor.37.& 6.Phyſic. ergo negat motum penes partes, vel partibilitatem formarum. 2.

Ant. Andreas diſſētit à Scoto Hic nota, quod Antonius Andreas in hac Concluſione non eſt cum Scoto, ſuſtinet enim in Prædicamentis, capite de Subſtantia, & in 11.Metaph. q.1. quod eadē ſubſtantia numero, non omnis, ſed aliqua intenditur, & remittitur, & maximè de formis elemētorū, & in animabus hoc ſuſtinet: & ita eſt cum Auerroe: immò plus dicit, quàm Auerroes, ſed rationes, quas pro ſe adducit, illas eaſdem adducit Scotus, & ſoluit, vt videbimus infra.

Not. Notandum eſt etiam, quod in his dictis videtur contradictio; nam diximus ſupra, quod in forma ſubſtantiali, non ſunt gradus, ſed in forma accidentali; deinde diximus, qd ſuſcipere magis, & minus eſt participare magis, vel minus gradus perfectionales formæ, ergo ſi forma ſubſtantialis non habet gradus, nō poteſt ſuſcipere magis, vel minus. Ad hoc reſpōdetur, quod non negamus omnino eſſe

gradus

gradus in forma ſubſtantiali, immò illos admittimus, népè indiuiduales, vt ſupra diximus in 1. Concluſione de forma ſubſtantiali: ſed negamus gradus eo modo, quo ſunt in forma accidentali; forma enim accidentalis paulatim inducitur per gradus, vt patet de caliditate in aqua, & ſecundum illos gradus eſt in continuo fluxu; non ſic eſt de forma ſubſtantiali, quia tota ſimul in inſtanti inducitur, neque cũ eſt inducta, & generata, modo intenditur, & modo remittitur, vt forma accidentalis; attamen non propter hoc ſequitur, quod in generatione indiuiduali vna forma non recipiat plures gradus perfectionales altera, & hinc fit, quod ſuſcipit magis, & minus.

Rationes Aduerſariorum contra primam Concluſionem Scoti; & reſponſio ad fundamenta Scoti, & eorundem ſolutio, & confutatio. Cap. III.

D.T. rões DIuus Tho. 1.2. quæſt. 52. art. 1. & 2. videtur negare, quod forma ſubſtãtialis ſuſcipiat magis, & minus: ſed hoc dicit in ſenſu 2. concluſionis, aſſerit enim ipſe quoque, formam ſubſtantialem ſuſcipere magis, & minus. Quod confirmatur ex 1. parte, quæſtione 85. articulo 7. vt ſuprà diximus; ſed eſt diuerſus à nobis, quo ad modum: ſuſtinet enim, quòd forma ſubſtantialis ſuſcipiat magis, & minus ratione diſpoſitionis in ſubiecto, quod ſuprà confutauimus. Hoc etiam intendit Iauellus in 8. Metaph. quæſt. 6. ſi rectè notaueris. Eandem ſententiam ſequitur Mercenarius in ſuis Dilucidationib. Pro hac opinione præter rationes ſupra pro D.T. adductas, ſunt iſtæ. Ariſt. 8. Metaph. textu 10. habet, quod formæ ſunt ſicuti numeri quò ad hoc, quod ſi numero addatur vnitas, variatur numerus, vt ſi addatur vnitas denario, fit vndenarius, & binarius, fit ternarius: ita forma ſubſtantialis ſi ei addatur aliquis gradus, vel detrahatur, variatur eſſentia, & natura eius, ergo forma ſubſtantialis non ſuſcipit magis, vel minus.
2. Secundò, Ariſt. 10. Metaphyſ. capite penult. textu 25. dicit, quod differentiæ formales mutant ſpeciem, at ſi eſſent gradus in eſſentia formæ ſubſtantialis, tunc illi gradus eſſent differentiæ formales, ergo ſi addatur gradus formæ, variatur ſpecies eius. Tertio Porphirius dicit capite de Differentia, quòd differentia formalis non ſuſcipit magis, nec minus, ergo. 3.

Quartò, Auctor Sex Principiorum ait, quod forma eſt conſiſtens in ſimplici, & inuariabili eſſentia. 4.

Quintò, Ex Iauello 8. Metaph. quæſt. 6. quodlibet indiuiduũ conſtituitur in eſſe per formam indiuiſibilem, ergo illa nõ habet varios gradus, ergo illa non poteſt ſuſcipere magis, & minus. 5.

Archangelus aliam adducit. Ariſtot. in Prædicamentis dicit, quòd Subſtantia nõ ſuſcipit magis, & minus, ergo. Neque valet reſpondere, quod verum eſt dictum Ariſtotelis quo ad eſſe ſpecificum, non quo ad eſſe indiuiſibile, quoniam ibi Ariſtotel. intendit per illam proprietatem demonſtrare, quod ſubſtantia differt ab accidente per hoc, quod accidens ſuſcipit magis, & minus, ſubſtantia verò minimè, ſed accidens non ſuſcipit magis, vel minus quò ad eſſe ſpecificum, ſed quo ad eſſe indiuiſibile: quia vt ibi ait Ariſtot. hic homo eſt magis albus alio homine: ſi ergo intelligatur Ariſtoteles quo ad eſſe ſpecificum, non habebit Ariſtoteles intentum ſuum. Addunt aliam auctoritatem Ariſtot. in 1. de Anima, tex. 65. vbi ait Philoſophus, quòd intellectus eſt incorruptibilis, & quod ſi corrumperetur, maximè corrumpereretur ab illa debilitate, quæ eſt in ſenio; hoc autem ait non contingit: ſed ſibi accidit, ſicuti virtuti ſentienti, & potentiæ viſiuæ, quæ quidem non minuitur quo ad ſubſtantiam, neque remittitur: ſed ſi quid prima patitur, ita vt deterius operetur, id ſibi contingit ratione organi malè diſpoſiti; vnde ſi ſenex acciperet oculũ iuuenis, videret vt iuuenis. Ex hoc loco habet Philoſoph. quod sẽſitiua ſe habet veluti intellectiua, quo ad intendi, & remitti: at hæc ſecundum Scotum eſt indiuiſibilis omnino, ergo forma ſubſtãtialis non ſuſcipit magis, nec minus, tam quo ad eſſe ſpecificum, quam quo ad eſſe indiuiduale. Ex his ad rationem Scoti reſpõdẽt.

Ad primã dicitur, quod vnus ignis eſt magis, vel minus intenſus alio, non pro-

pter formam ignis magis, vel minus intenſam, ſed propter materiam, & proptere a cum dicitur remiſſio effectus denotat remiſſionem cauſæ, negant hoc: quia dicunt, hoc prouenire ratione materiæ, vel diſpoſitionum ſubiecti.

Ad 2. Ad ſecundam ex Ariſt. 8. Metaph. tex. 10. dicitur, quod non concludit formam ſuſcipere magis, vel minus: ſed tantum, quod vna forma eſt perfectior altera: ſed ratio non aſſignatur ab Ariſt. Archangelus autem dicit, quòd ibi Ariſt. non loquitur affirmatiuè, ſed ſub conditione, vt ſit ſenſus: Forma ſubſtantialis non ſuſcipit magis, vel minus, ſed ſi ſuſciperet vllo pacto, tunc ſuſciperet in materia, ſed nec hoc, nec illud ſupplendum eſt, ergo non valet illa auctoritas pro Scoto.

Reijcitur opin. adducta. Verum quod iſta opinio ſit falſa, patet ex rationibus Scoti adductis, quæ non ſol uuntur per reſponſiones illas, primum argumentum Scoti manet in ſuo robore: quia materia habet eſſe à forma, & materia in compoſito eſt talis conditionis: quia forma dat ei tale eſſe, ideò ſi operatio indiuidui vnius eſt perfectior, quàm alterius, hoc non eſt aſcribendum materiæ, ſed formę: quia forma dat eſſe, nec pẽdet a materia, ſed materia à forma. Nec eſt dicendum, quod proueniat propter diſpoſitiones in materia, quia diſpoſitiones conſequuntur formam, ergo non ſunt cõtrariæ formæ. Maioritas ergo intenſionis, vel remiſſionis non eſt aſcribenda diſpoſitionibꝰ, ſed formæ, quę eſt cauſa prima.

2. rõ. Præterea, illę diſpoſitiones, quę ſunt in materia, non ſunt contrarię formę, quia contrarię formæ ad aduentum nouę formę recedunt, ideo non poſſunt impedire operationes formę inductę de nouo.

Secunda ratio ſimiliter manet in ſuo robore, dictum eſt enim quòd ſubſtantia non poteſt dici ſuſcipere magis, vel minus ratione materię, ſed ratione formę. Reſponſio Archangeli eſt mera fictio: quia patet legenti textum, quòd Ariſt. affirmatiuè loquitur, ait enim [Et quemadmodum nec numerus habet magis, nec minus, nec quę ſecundum ſpeciem ſubſtantia, ſed ſi quidem cum materia] Ecce ait: ſed ſi quidem cum materia, loquitur ergo affirmatiuè.

Pręter rationes adductas pro opinione Scoti, opinio aduerſariorum impugnatur ſic. Ipſi admittunt, quòd vna forma intenſius operatur alia, quod etiam experientia patet: ſed confugiunt ad modum ſuę poſitionis, dicentes hoc prouenire propter materiam & diſpoſitiones eius, ideò hoc eorum fundamentum eſt confutandum. Et quidem cõtra illud ſunt illa duo argumenta ſuperius ſecundo capite facta contra D. Thomam, deſumpta ex Scoto in primo Sententiarum, diſt. 17. q. vltima. *1. rõ auctoris.*

Sed præter illa, adhuc ex eodem loco argumentor. Forma huius ignis, & huius, ſunt formę eiuſdem ſpeciei, ſpecies ſecundum ſe totam habet diſpoſitiones eiuſdem rationis in ſuſceptiuo, ergo omnia indiuidua illius habent diſpoſitiones eiuſdem rationis, & ſic vnum indiuiduum nõ habet maiorem diſpoſitionem altero, cũ ſint eiuſdem ſpeciei, & tamen vnum indiuiduum eſt magis intenſum, vel remiſſum altero, ergo maioritas, vel minoritas nõ prouenit ex diſpoſitionibus, ſed ex gradibus formarum. Secunda propoſitio probatur: quia data veritate eius oppoſitæ, ſequeretur, quòd quando lignum eſt diſpoſitum ad recipiendum hoc indiuiduũ ignis, non eſſet diſpoſitum ad recipiendum aliud indiuiduũ ignis eiuſdem ſpeciei, quod tamen eſt ridiculum; quia cum lignum eſt calefactum ad gradus debitos, recipit indifferenter hanc, vel illam formam ignis. Secundo. Si pręcedant tales diſpoſitiones ad magis, & minus, tunc non erit vnus motus ab intenſo ad remiſſum, quod eſt abſurdum. Conſequentia probatur: quia nihil mouetur ad remiſſum, niſi quatenus habet diſpoſitionem iſtam conuenientem receptioni remiſſi: non poteſt autem hęc diſpoſitio haberi niſi per motũ factum in hac diſpoſitione, adeò, quod intercedit motus factus in illa diſpoſitione, ergo motus ab intenſo ad remiſsum non eſset vnus motus, ſed duo. Idem dicendum de motu à remiſso ad intenſum. *arguitur opinio.*

Contra eandem opinionem habes rationes apud Gregorium de Arimino, 1. Sent. diſtinc. 17. & apud Bacconum 1. Sen tent. diſtinct. 14. ſed prima ratio adducta contra reſponſionem Aduerſariorum ad primum Scoti eſt validior omnibus, quia

eſt fun-

eſt fundamentum huius poſitionis.

Ad 1. aduerſariorum. Ad rationes aduerſariorum. Ad primã Formæ ſunt ſicut numeri, etiam dicitur quod forma ſubſtantialis accepta pro quidditate, vt abſtrahit ab indiuiduis, nõ ſuſcipit magis vel minus, ſed forma ſubſtantialis vt participatur ab indiuiduis ſuſcipit magis, & minus, vt dictum eſt, Auctoritas intelligitur primo modo, non ſecundo.

Ad 2. Ad ſecũndum per idem Reſpondetur quod eſt verum de gradibus quidditatiuis, id eſt de differentijs ſpecificis, quæ variant ſpeciem, non de gradibus indiuidualibus, qui non variant ſpeciem, vt dictum eſt.

Ad 3. Ad tertium dicitur eodem modo.

Ad 4. Ad quartum de Auctore Sex Principiorum dicitur, quod probat formam eſſe indiuiſibilem, quo ad quantitatem molis, non quo ad quantitatem perfectionis; nos autem loquimur ſecundo modo, non primo. Ad rationes Mercenarij patet per ſecundam diſtinctionem infra aſſignandam.

Ad rõnes. Mercenarij. Ad 1. Ad primam dico, quod Ariſt. in Prædicamentis ait, proprium eſse ſubſtantiæ non ſuſcipere magis, vel minus motu continuo; non tamen negat quin ſuſcipiat magis, & minus motu indiuiduali, ſeu indiuiſibili, vt dictum eſt; & iuxta hoc Ariſtot. ponit differentiam inter ſubſtantiã, & accidens, adeo quod eſt ſenſus Ariſt. in Prædicamentis, quod ſubſtantia non ſuſcipit magis, vel minus motu continuo, vt facit accidens; vnde exemplificat, Socrates non eſt magis homo nunc, quàm prius, quia habet ſemper idem eſse, quod à principio habuit, ſed bene eſt modo magis albus quam prius, quia accidens motu continuo intenditur, & remittitur; His tamen non obſtantibus Plato potuit habere perfectiorem formam in generatione, quàm Socrates.

Ad 2. Ad ſecũndam auctoritatem ex 1. de Anima textu 65. dico, quòd nihil aliud probat, niſi quòd forma ſubſtantialis non ſuſcipit magis, vel minus motu continuo, & ideo eſt ita perfecta in puero, quam in ſene, quod concedimus; ſed propter hoc nõ aufertur, quin in motu indiuiduali ſuſcipiat magis, & minus.

Fundamẽtum omnium ſolutionũ ad ductarum. 1. diſtinctio. Sed pro breui, & dilucida ſolutione rationum in contrarium adductarum, & adducendarum, & pro declaratione auctoritatum Ariſtot. notandæ ſunt duæ diſtinctiones. Prima eſt, quod ſubſtãtia duobus modis accipi poteſt; Vno modo pro quidditate, vt abſtrahit à ſuppoſitis, & indiuiduis; Alio modo poteſt accipi ſubſtãtia pro quidditate, vt includitur in indiuiduis; ſubſtantia primo modo conſiderata nõ ſuſcipit magis, nec minus, quia quodcũque additur quidditati, eſt differentia ſpecifica, quæ variat quidditatem contrahendo illam, & ideo hoc modo non ſuſcipit magis, nec minus. Secundo modo, quidditas ſubſtantiæ ſuſcipit magis, & minus, quia hoc indiuiduum perfectius habet naturam ſpecificam, quàm aliud.

2. diſtin. Secunda diſtinctio eſt, quòd aliter contingit ſuſcipere magis, & minus in Accidentibus, & aliter in Subſtantijs, quia in Accidentibus magis, & minus inducitur motu continuo: nam eadem caliditas numero, modo eſt in quattuor gradibus, modo in octo, modo in ſex, & ſemper in motu continuo abſque quòd corrumpatur, intendatur, & remittatur ad prædictos, & ſimiles gradus: in ſubſtantia autem magis, & minus inducitur ſolum in mutatione indiuiduali, quæ eſt generatio, quam appellamus mutationem indiuidualem, quia terminatur ad indiuiduum; quando autem indiuiduum generatur, tunc participat magis, vel minus alio indiuiduo, de ſua natura ſpecifica, ſed poſtea amplius non remittitur, neque intenditur quo ad ſubſtantialem illam formam quam recepit, ſed ſemper in eodem gradu permanet, & in hoc conſiſtit differentia inter Subſtantiam, & Accidens. Notandum eNot. tiã, quod differentiæ ſpecificæ ex quarũ additione variatur quidditas, dicũtur gradus ſpecifici: gradus verò illi, qui in latitudine eiuſdẽ ſpeciei reperiuntur, ſecundũ quos magis, vel minus participatur ab indiuiduis, dicuntur indiuiduales. Per has duas diſtinctiones reſpõdetur communiter ad omnes auctoritates: concludunt enim, quòd ſubſtãtia accepta pro quidditate, & vt abſtrahit ab indiuiduis, non ſuſcipit magis, vel minus. Itẽ auctoritates negãt ſubſtãtiã ſuſcipere magis, vel minus,

motu continuo, non autem motu indiuiſibili; & ita omnes illæ auctoritates faciũt pro ſecũda Concluſione, nec contradicũt primæ. Nos tamen ad vnamquamque ſupra reſpondimus. Per hæc patet ad auctoritatem adductam à Iauello, quod indiuiduum cõſtituitur in eſse per formã indiuiduale motu continuo; vt patet ex dictis.

Ad rõnẽ Iauelli.

Rationes aduerſariorum contra ſecundam concluſionem, & earundem ſolutio. Cap. IV.

Contra ſecundam Concluſionem eſt Auer. qui ſuſtinet formas elementorum continuò intendi, & remitti, ſicuti etiam euenit in qualitatibus. Hanc ſent. probat primo ſic, tertio Cæli, Com. 67. Si formæ elementorum non ſuſcipiunt magis, & minus, non poteſt ſaluari generatio mixti; conſequentia probatur: quia elementa certum eſt, quod manent in mixto, nõ poſſunt autem manere in eſſe ſummo, & perfecto: quia tunc generatio mixti aduenirer enti perfecto, & materiæ iam exiſtenti in actu; quòd autem aduenit enti exiſtenti in actu, eſt Accidens, ergo forma mixti habita per generationem, eſſet accidens, quòd eſt inconueniens. Confirmatur: quia mixtum non eſſet vnũ, quia vnaquæque forma elemẽtorũ dat eſſe ſimpliciter; quattuor autem ſunt elementa, ergo quattuor cõpoſita, ergo mixtũ non eſſet vnum. Secundò, ibi aduerſus Auicẽnã ſic arguit. Si formæ elementorum non remitterentur ad remiſſionem ſuarum qualitatum, formæ elementorum poſſent conſeruari in materia ſine diſpoſitionib. ſuis; Conſequens eſt falſum; Cõſequentia probatur: quia qua ratione duo, vel tres gradus caliditatis remitti poſſunt abſque remiſſione formæ, pariter & omnes, cum ſint eiuſdem rationis, & ſic forma ignis poterit manere in igne, & tamen ignis nõ erit calidus. Vltra adiungit Scotus alias rationes pro hac opinione, quas pro ſe Antonius Andræas adducit.

Confirm.

1. rõ. Scoti & aduerſ. Prima, Calidum intenditur, & remittitur: igitur ignis; Antecedẽs eſt manifeſtũ; conſequentia probatur: quia propria paſſio ſequitur formam tamquam per ſe cauſam, ergo cum propria paſſio intenditur, ſignum eſt, quòd forma quoque intenditur per ſe. Secunda. Si in alteratione præcedente corruptionem aquæ in ignem, inducitur calor in aquam ipſam, igitur & forma ignis, non perfecta, ergo imperfecta, & remiſſa. Antecedens patet: quia aqua per calorem diſponitur ad corruptionem, & receptionem formæ ignis. Probatur conſequentia: quia calor eſt propria paſſio formæ ignis, & propria paſſio non poteſt eſſe ſine ſubiecto. Inſuper, quia ſi poſſet induci vnus, vel duo gradus caloris abſque forma ignis, pariter poſſent induci omnes ſine forma ignis, & ſic eſſet totus igneus calor in aqua, & maneret aqua, & non eſſet ibi forma ignis, quod eſt abſurdum. 2.

Tertiò, ignis remiſſo calore non æquè ignis, & vinum aquaticum nõ conuertit ſemper aquam in vinum; & tamen illæ generationes fiunt per formam ſubſtantialem generantis, ergo ſignum eſt, quòd illa forma remittitur, & conſequenter etiam intenditur. 3.

Quartò, Ex Ariſt. 6. Phyſ. Omne quod trãſmutatur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, ergo oportet tranſmutantem habere partes, & ſecũdum illas partim eſse in vno loco, & partim in alio; hoc nõ poteſt intelligi niſi forma ſit diuiſibilis, ergo ſucceſſiuè inducitur, & ſic intenditur, & remittitur. 4.

Quintò, ſi duo ignes numero vniantur, & fiat vnus ignis, certum eſt, quòd ille eſt intenſior, ergo certum eſt, quòd ille ignis compoſitus habet perfectiorem formã, quàm vnuſquiſque illorum per ſe ſeiunctus, quia ardentius vrit. 5.

His rationibus omnibus reſpondet Scotus loco citato. Vidẽtur iſtæ rationes probare, quòd vna forma numero eſt intẽſior altera, vt diximus in prima Concluſione de forma ſubſtantiali; & ſi in hoc ſenſu, adduxiſset Antonius Andręas, non eſset contrarius Scoto, & illas concederemus; ſed videntur vlterius probare quòd eadẽ forma ſubſtantialis numero intẽdatur, & remittatur, vt facit albedo, & hoc eſt, qđ negat Scot⁹, & propter hoc ſoluit illas rationes, neque enim hoc vltimum probãt: Antonius Andręas autem videtur eas adduxiſse in hoc ſenſu, ſed quidquid ſit de

Ad rõnẽ adu.

mente

mente eius, ad rationes reſpondetur.

Ad 1. Ad primam dico, quòd ſupponit falſum, ſcilicet, quòd elementa maneant in mixto, vel ſecundum eſſe remiſſum, vel ſecundum eſſe ſummum, quorum vtrumque falſum eſt, vt diximus in materia de mixtione.

Ad 2. Ad ſecundam eſt notandum pro intelligentia, quòd multa entia ad hoc vt ſint ſimpliciter, neceſſariò requirunt aliquam qualitatem, infra latitudinem aliquam graduum, nō tamen neceſſariò in hoc gradu vel in illo: exempli gratia; Vita hominis requirit ſanitatem aliquam, non tamen requirit hanc proportionem humorum præciſam in hoc gradu, vel illo ad hoc, vt ſit, quia ſi vita requireret determinatum gradum ſanitatis, vt hanc proportionem humorum præciſam, ſequeretur, quòd corpore meo aliqualiter infirmato anima mea periret, & vita deſtrueretur; dicendum eſt ergo, quòd forma ſubſtantialis requirit aliquam qualitatem infra aliquam latitudinem, ſine qua exiſtere non poteſt, & tunc illa qualitas intra illam latitudinem, licet intendatur, & remittatur, dummodo non exeat illam latitudinem, forma ſemper manet in eodem ſtatu: cum verò qualitas exit extra illam latitudinem, forma ſtatim corrumpitur; ita in propoſito, forma ignis ad hoc vt ſit, requirit caliditatem in quadam latitudine graduum; vt exempli gratia, requirit caliditatem quinque graduum, ſcilicet, à quinto ad decimum, adeo quod ſupremus gradus ignei caloris eſt decimus, infimus eſt quintus; quando ignis eſt in eſſe quieto, quia tunc eſt in ſummo, ignis habet caliditatem in decimo gradu, cum verò alteratur à contrario, paulatim deperdit gradus iſtos, ſed non ſtatim cum amittit decimum gradum caloris, forma ignis alteratur, ſed neque cum amittit octauum, & ſextum; vnde videmus, quod ſi auferatur contrarium, redit ad priſtinam caliditatem decem graduum; quod ſi forma eſſet remiſſa, euenire non poſſet, vt dictum eſt ſupra; neque etiam corrumpitur: quia non requirit præcisè decimum gradum caloris, vel octauum ad ſuum eſſe: ſed cum corrumpitur quintus gradus, tunc & forma ignis corrumpitur, quia exit extra latitudinem determinatam, & ſic ignis cum conuertitur in aquam, neceſſe eſt quod amittat caliditatem, & remittatur, ita quod ignis tendens ad corruptionem, eſt remiſſior igne in eſſe quieto, licet habeat eandem formam aquæ perfectam. Ex quo ſequitur etiam, quod ignis tendens ad corruptionem in aquam, ſit aliquādo minus calidus aqua, quæ corrumpitur in ignem, nam, & aqua ipſa, dūm corrumpitur in ignem, amittit frigiditatem, & recipit caliditatem: non poteſt enim forma aquæ corrumpi, niſi cum eſt inducta caliditas in tot gradibus, quòd ſit incompoſſibilis formæ aquæ, & ſic caliditas debet excedere frigiditatem in aqua multum, antequam forma aquæ corrumpatur. E conuerſo, in igne corrumpendo in aquam, frigiditas debet excedere caliditatem, ad hoc, vt forma ignis corrumpatur, & inducatur forma aquæ; alioquin non eſſet bene diſpoſita aqua cum conuertitur in ignem, neque ignis, cum conuertitur in aquam; ignis ergo in via ad corruptionem in aquam, eſt minus calidus aqua in via ad corruptionem in ignem, tamen in eſſe quieto clarum eſt, quod ignis eſt calidior aqua, & aqua frigidior eſt igne. Ad argumentum ergo negatur conſequentia: Ad probationē dicitur, quod vnus, & duo gradus non ſunt neceſſarij ſimpliciter ad hoc vt forma ſit, ſed cæteri intra latitudinem. Per hoc ſoluuntur duo argumenta Scoti, quæ videntur probare, q̄d dū intenditur calor in aqua corrūpenda in ignē, etiam forma ignis paulatim inducatur, quorū primū eſt. Si paulatim non inducitur forma ignis in aquā, dum aqua conuertitur in ignem, ſequitur, quòd aqua manens aqua, erit calidior igne manente igne, quod eſt abſurdum. Ad hoc reſpondetur, & negatur falſitas conſequētis in aqua, & igne in via ad corruptionem. In eſſe quieto vero, conſequēs eſt falſum. Secundum argumentum; eſt Ignis corrūpēdus frigeſcit, igitur ante corruptionē deuenit ad vnicum gradum caliditatis tantū, quia alias non ſummè diſponeretur ad corruptionem, ergo aqua corrumpenda in ignē, excedit ignem corrumpendum in 8. gradibus caloris, & ita erit nouies calidior igne. Reſpondetur (non

Duo argumēta Scoti p aduerſarijs.

Soluūtur.

(non diſputando modo, an forma ignis poſſit manere cum vno gradu caloris,nec ne; forſan enim cum ignis admiſit plus quam medietatem graduum caliditatis, forma ignis eſt incompoſſibilis illi materiæ propter frigiditatem oppoſitam, hoc autem non facit ad præſens quæſitum) vt ſuprà, quod admiſsa forma ignis manere cum vnico gradu caliditatis,& nouem frigiditatis, hoc conſequens non eſt abſurdum de igne,& aqua in via ad corruptionem,ſed eſset inconueniens de illis in eſse quieto: ſed ſuſtinendo latitudinem graduum, dicimus, quod ignis corrumpendus frigeſcit,& cum amiſit vltimum gradum ſuæ latitudinis eſt ſufficienter diſpoſitus ad corruptioné in aquam, ita quod numquam permanet ignis in tali gradu, quod ſit minus calidus aqua corrumpenda in ignem;idem dicendum de igne corrumpendo in aquam.

Ad 1. Scoti. Ad primum ex Scoto, negatur conſequentia; poteſt enim eſse,quod cauſa naturalis impediatur a cótrario agente præſente,& agente, & ita per illud contrariũ poteſt eius effectus remitti, licet ipſa cauſa non remittatur, quod hic patet: quia cauſa ſibi derelicta ablato contrario cauſat effectum perfectum, vt prius,non ergo remittitur cauſa in ſe, licet remittatur effectus. Valeret quidem conſequentia arguendo ex effectibus cauſatis a diuerſis cauſis ſibi derelictis in eſse quieto,quia ſi illi effectus ſic ſe haberent, quòd vnus eſſet magis intenſior alio, valeret quidem tunc inferre, ergo vna cauſa eſt intenſior alia, vti nos argumentabamur pro prima concluſione de forma ſubſtantiali;pro ea enim rectè concludit,non pro hac ſecunda. Ex hoc apparet,quod replica Antonij Andreæ ad hanc reſponſionem nulla eſt; Ad probationem conſequentiæ, negatur quod caliditas ſit propria paſſio ignis: quia nec indiuiſibiliter eſt ſequens, nec ſoli inhærens, ſed eſt qualitas neceſſariò conſequens formam ignis neceſſitate abſoluta,ſecundum aliquem gradum determinatum in illa latitudine.

Ad 2. Ad ſecundam rationem de alteratione negatur ſimiliter conſequentia; nam non eſt verum, quòd cuilibet gradui qualitatis,qui ineſt per actionem agentis extrinſeci correſpódeat proprius gradus formæ.

Ad primam probationem conſequentiæ dictum eſt,quòd caliditas non eſt propria paſſio ignis. Ad ſecundam ſimiliter dico,quod non valet: vnus gradus caloris poteſt eſſe ab agente extrinſeco, ſcilicet ab igne in aquam ſine forma ignis,ergo omnes gradus ignis poſſunt ineſse aquæ ſine aquæ corruptione, & introductione formæ ignis;non valet: quia forma ignis requirit quandam latitudinem graduum indeterminatam, ad quam poſtea ipſa forma ignis ſubſequitur.

Ad tertium reſpondetur, quod intenſio, & remiſſio in huiuſmodi effectibus, prouenit ex contrario impediente,de forma autem ſibi derelicta in eſſe quieto,nõ valet. *Ad 3.*

Ad quartum,dictum eſt ſupra in Theoremate, quod datur minimus motus, illam rationem concludere extenſionem quantitatiuam molis, non extenſionem virtutis,& perfectionis,de qua nũc loquimur. *Ad 4.*

Ad quintum dico,quòd tunc ſit generatio noui indiuidui habentis formam intenſioré; ex duobus enim illis indiuiduis debilibus generatur ab agente vnum indiuiduum habens formam intenſiorem; ideo concludit hoc argumentũ pro 1. concluſione de forma ſubſtantiali, non contra hanc ſecundam. *Ad 5.*

THEOREMA LXVI.

Lumen eſt intentio, ſiue ſpecies ſenſibilis ipſius lucis.

Ponitur quæſtio Scoti ad literam ex ſecundo Sententiarum, diſt. 13. quæſt. vnica, quia in ea ſunt multa pulchra ſcitu de hac materia. Cap. I.

Circa iſtam diſtinctionem decimamtertiam quæro ſimul de luce, & lumine.

Et primo quæro, Vtrum lux gignat lumen tamquam propriam ſpeciem ſenſibilem ſui? Quod non. Auguſt. 7. ſuper Geneſim ad literam. Anima miniſtrat corpus per lucem, & aerem, &c.

Præterea. Lumen gignit ſubſtantiam, vt patet

vt patet de igne, ergo eſt ſubſtantia.

Præterea. Lumen frangitur, & reflectitur, ergo eſt corpus quia iſta ſunt paſſiones corporis.

Præterea. Quod non ſit ſpecies, quia denominat medium, non ſit ſpecies coloris.

Excludit etiam oppoſitum ſcilicet, tenebram, non ita ſpecies: ſimul enim ſunt ſpecies oppoſitorum, vt ſimul ſunt ſpecies albi, & nigri in medio.

Tertiò quia habet effectum realem in medio, & organo, ſcilicet, viſum corrumpere, & gignere colorem, effectus realis non conuenit ſpeciei, &c.

Contra, Lux eſt de ſenſibilibus ex 2. de Anima tex. 68. ergo habet aliquam ſpeciem ſenſibilem, non aliam à lumine, ergo, &c.

Hic tria ſunt videnda. Primo quid ſit lux, ſecundo quid lumen, Tertio qualiter lumen à luce gignatur.

De primo dico, quòd lux non poteſt poni ſubſtantia: quia eſt per ſe ſenſibilis: non ſic ſubſtantia, ergo, &c. Lux etiam in aliquo eſt accidens, ergo in nullo eſt ſubſtantia, quod enim verè eſt nulla, accidit, ex primo Phyſic. tex. 27. Antecedens patet: quia ſi in igne eſſet lux forma ſubſtantialis, vel eſſet vltima differentia ſpecifica, vel aliqua imperfectior; quæ eſſent in potentia ad formam ſpecificam. Non primo modo: quia tunc quæcumque haberent lucem, eſſent eiuſdem ſpeciei. Non ſecundo modo, quia tunc iſta forma eſſet imperfectior forma ſpecifica ignis, & ita non eſſet forma ſubſtantialis alicuius corporis cæleſtis in quo nulla eſt forma ſubſtantialis imperfectior forma elementari.

Tertio eſt probabile, formam ſubſtantialem corporis cæleſtis conſequi aliquam formam actiuam, ſicut formas ſubſtantiales generabilium, & corruptibilium conſequuntur qualitates actiuæ. Non eſt autem alia qualitas conſequens formam ſubſtantialem corporis cæleſtis quàm lux.

Confirmatur per Damaſ. libro 2. cap. 8. quære.

2. de aīā t. 69. *De ſecundo dico, quòd lumen non eſt ſubſtantia completa: hoc eſt, per ſe ſubſiſtens, quia nec ſpiritualis: cum ſit extenſibilis, nec corporalis: quia tunc duo corpora eſſent ſimul, eſt enim lumen cum toto aere, nec oportet aërem moueri localiter adueniente lumine, & non moueri recedente. vel non adueniente lumine, quia tunc in medio illuminato non eſſet reſpiratio aeris: ſi illud corpus eſſet localiter motum propter lumen. Nec etiam lumen eſt forma ſubſtantialis, quia illud, cui aduenit, manet perfectũ in ſpecie illo recedente: ſicut apparet in aere quandoque illuminato, quandoque tenebroſo. Nec eſt materia. Patet. Nec aliquid pertinens ad genus ſubſtantiæ. Nec eſt veriſimile, quod ad aliquid aliud genus pertineat, præterquam ad genus Qualitatis.*

Cum autem quãtum ad tertiam ſpeciem diſtinguatur qualitas, in qualitatem ſenſibilem, & in qualitatem, quæ eſt ſpecies, ſiue intentio qualitatis ſenſibilis.

Notandum eſt, quod intentio non dicitur hic illud, in quo tendit ſenſus: quia hoc modo ipſum obiectum eſſet intentio; ſed intentio hic dicitur illud, per quod tamquam, per principium formale, in obiectum tendit ſenſus, & ſic quidquid eſt ſignum, eſt res ſecundum Auguſt. de doctr. Chriſtiana: licet non è conuerſo, & ideo in diſtinctione rei, & ſigni: res accipitur pro illa re, quæ non eſt ſignum, licet illa, quæ eſt ſignum ſit etiam res: ita in diſtinctione rei, & intentionis licet intentio ſit res, & forte ſenſibiles res, in quam poſſit ſenſus tendere; tamen illa dicitur intentio, quæ non eſt tantum res, in quam tendit ſenſus, ſed eſt ratio tendendi in alterum cuius eſt propria ſimilitudo.

Hoc modo dico, quòd lumen propriè eſt intentio ſiue ſpecies ſenſibilis ipſius lucis: quod probatur. Tum quia ſi non eſſet intentio, tunc poſitum ſupra ſenſum prohiberet ſenſum, quia quod eſt tantum ſenſibile, & non ratio ſentiendi, ſi ponatur ſupra ſenſum impedit ſenſationem: quia ſenſibile ſupra ſenſum poſitum non ſentitur, & ita lumen ſupra poſitum oculo impediret ipſum videre.

Hoc autem eſt falſum, & contra Commentatorem ſupra de Senſu, & Senſato, vbi vult, quòd neceſſe eſt lumen proprium in oculo eſſe ad hoc, vt recipiat ſpecies colorum & videat. 2. de aīā t. 73. & 75.

Modus ponitur iſte, quòd ſicut lux, vt viſibile eſt prius naturaliter colore: ita & ſpecies

ſpecies eius eſt naturaliter prior ſpecie coloris & ita tam in perficiendo medium,ita quòd medium non illuminatum non ſit capax ad percipiendum colores, quàm in perficiendo viſum: ita quòd organum non illuminatum non ſit viſiuum proximè.

Quantum ad Tertium articulum,qui declarat iſtum ſecundum,notandũ eſt, quòd eſt dare triplicem radium, videlicet, radium rectum,& fractum,& reflexum, ſecundum ipſum Auiſen.in Perſpectiua ſua. Rectus radius eſt, qui diffunditur à luminoſo in medio eiuſdem diaphaneitatis quantum durat virtus luminoſi.

Radius reflexus eſt, qui occurrente opaco, ante quam terminetur virtus actiua luminoſi,diffunditur in partem oppoſitam, non ex electione, ſed quia naturale agens, cuius virtus actiua non eſt totaliter exhauſta, in directum agit quantum poteſt, & quod non poteſt in directum, agit in obliquum.

Radius fractus eſt, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis,non tamen omnino opaco,multiplicatur in illo medio, ſed non ſecundum lineam rectam, ſed incidit ibi angulus: quando autem occurrit medium denſius, frangitur radius ad perpendicularem: quia ex quo eſt perpendicularis, eſt fortiſſimus in agendo.

Vnde,cum frangitur ad agendum in medium denſius, requiritur ſitus propinquior perpendiculari radio: talis eſt ſitus radij fracti ad perpendicularem; quando autem occurrit medium rarius,frangitur radius à perpendiculari propter oppoſitam cauſam.

Dico tunc, quòd lumen multiplicatum ſecundum iſtos tres radios, immediatè gignitur ab ipſa luce, & etiam immediatè eſt ſpecies ſenſibilis ipſius lucis. De recto patet; De reflexo probatur: tum,quia per illum radium videtur res in ſe, non autem aliqua ſpecies impreſſa ſpeculo reflectente. Tum, quia quære Commentatorem de hoc, qui dicit, quòd radius egreditur à corpore radioſo, & effunditur in ſpeculum, & inde reflectitur in eodem.

Eodem modo etiam per radium fractũ, videtur ipſa res multiplicans ſe, & non ſpecies aliqua ipſius rei viſæ: & ſicut iſta lumina primaria multiplicatione diffuſa ſunt immediatè ſpecies lucis gignentis, fortè ita immediatè gignuntur ab ea, loquendo de immediatione ad cauſam; non excludendo ordinem effectuum ordinatorum, reſpectu eiuſdem cauſæ.

Sed præter iſta, eſt aliud lumen ſecundarium, quod dicitur lumen accidentale, quale eſt vbi eſt vmbra. In hoc enim diſtinguitur vmbra in actu à tenebra, quia tenebra eſt priuatio luminis, tam primarij, quàm ſecundarij; vmbra eſt priuatio luminis primarij. Iſtud autem ſecundarium lumen, licet quandoque diffundatur per reflexionem, non tamen à corpore polito, quia reflexio à tali corpore eſt gignitio radij primarij, quia eſt immediata ſpecies ipſius lucis gignentis, non autem ſic iſtud lumen ſecundarium, immo gignitur ab ipſo lumine primario, ita quòd ſi per impoſſibile reflexio remaneret ſine lumine radij imprimentis, gigneret ſphæricè, vel hemiſphæricè iſtud lumen ſecundarium, non ſit autem gigneretur lumen reflexum à radio primario, qualis eſt reflexio à corpore polito, eſt ergo omne lumen ſpecies, ſed lumen primarium eſt ſpecies lucis gignentis, lumen ſecundarium ſpecies luminis primarij.

Et ex hoc patet ad argumenta, quæ poſſunt fieri contra iſtam partem; quia cum lumen videatur, non erit ſpecies viſibilis.

Reſpondeo ſpecies aliqua intenſa non obſtante, quod ſit intentio, & ſpecies alterius viſibilis poteſt tamen in ſe eſſe viſibilis, ſicut dicit Comment. ſuper de Senſu, & ſenſato, capitulo 1. quia quando lumen reflectitur ad virides plantas, colorantur parietes. Similiter ſpecies non ſunt viſibiles, niſi quando terminantur ad opaca, ita quòd non contiguatæ opacis, non poſſunt gignere ſpecies ſui, quibus videantur: ſicut ſpecies coloris dum eſt in medio, non videtur, ſed quando contiguatur opaco, tunc videri, poteſt; ſicut patet de radio tranſeunte per vitrum coloratum, apparet color in pariete, vbi terminatur radius ille, & videtur coloratus ſimiliter ſicut vitrum, & tamen in medio non erit ille radius coloratus viſibilis: nec tamen propter hoc negatur ille rubor eſſe ſpecies, qui apparet in pariete: quia oculus ibi exiſtens, cui ſi ſupponeretur ille rubor, videret rubeum vitrũ, vel ruborem vitri. Vnde hæc eſt falſa: illud, quod eſt intentio obiecti viſibilis, nõ eſt

viſibile,

viſibile, ſed iſta eſt vera. Omnis intentio non tantum eſt viſibilis, ſed eſt etiam ratio videndi. Vnde forma illuminans Lunam, lumen eſt, & non lux: quia non eſt corpus terminatum in Luna: & tamen eſt ſenſibilis, & ſpecies lucis, ſimiliter per Ariſtot. in de Senſu, & Senſato, cap. 2. Fulgor emiſſus ab oculo moto in tenebris viſibilis eſt: & tamen eſt ſpecies lucis tantum. Et eodem modo lumen non terminatum ad opacum, non videtur, quod patet: tũ quia radij Solares, de nocte non apparent, qui tamen intercipiuntur inter nos, et cælum, & ſupra conum pyramidis vmbræ terræ. Tum, quia exiſtens in carcere opaco, & tenebroſo, vbi per oppoſita foramina tranſiret radius Solaris, non videret: ita, quòd nuſquam reflectente ſe ad opacum, non videret illum radium, ſi corpuſcula illa non frangantur.

Similiter ſi medium illuminatum eſſet infinitum, & non terminatum ad corpus opacum, Sole exiſtente ſuper Horizontem nihil videretur, quia non eſſet terminans.

Eandem ergo conditionem habet lumẽ, quam habent aliæ ſpecies principales colorum, quantum ad videri, & non videri, ſicut principales ſpecies colorum: quæ, ſcilicet, radioſè multiplicantur, poſſunt generare alias ſecundarias accidentales non radioſè multiplicatas, & per illa videri, & tamen non negatur illas primas, eſſe intentiones pro eo, quòd ſimpliciter ſunt ſimilitudines illorum primorum colorum gignentium, ita in propoſito.

Ad primum dico, quod Auguſtin. accipit ibi lucem pro corpore ſubtili, puta forte pro igne, qui eſt corpus ſubtilius in mixto, vel pro aliquo corpore ſubtili multum conueniente cum igne in natura: ſicut & ſcriptura dicit, lucẽ factam fuiſſe prima die: non quòd tunc fieret accidẽs ſine ſubiecto, ſed tunc fiebat corpus luminoſum, cuius forma notior erat lux, & ideo deſcribitur ſubiectum ignotum per terminum notiorem.

Ad ſecundum dico, quòd alterans in fine alterationis generat, non autem illa qualitas, qua alterauit.

Ad tertium dico, quòd iſta ſunt metaphoricè dicta de lumine: ſicut patet per Auicen. 6. naturalium, par. 3. non enim aliquid idem procedit rectè, quaſi motu locali, & tamen quandoque obliquatur frangendo, vel reflectendo: ſed quando virtus actiua non eſt totaliter exhauſta, id eſt, nõ tantum cauſauit, quantum poteſt cauſare, tunc vlterius, ſi non poteſt ſecundum lineã rectam agere, ſecundum quam natura maximè agit, quia illa eſt breuiſſima, & efficaciſſima ad operandum, agit ſecundum aliam lineam iſti propinquiorem, & hanc fractam, vel reflexam, ſi nihil poteſt agere vlterius, reagendo in idẽ paſſum, in quod prius egit, cauſando tamen ibi cũ illo prius cauſato aliquid ſimpliciter imperfectius.

Et ſi obijcias, quòd cum perfectiori cauſato priori non poteſt eſſe cauſatum imperfectius poſterius, & ita cum toto medio illuminato radio primario, nõ poteſt eſſe lux, nec etiam cum medio illuminato radio recto, poteſt eſſe radius reflexus.

Dico, quod falſitas Concluſionis apparet ad ſenſum.

Patet enim ſi radius Solis incidat in aquam, & reflectatur in aliquem locum tenebroſum, vbi non eſt radius rectus, ſenſus dicit reflexionem fieri, vſque in locum illum tenebroſum. Non autem illic fieret, niſi prius eſſet radius reflexus in medio illuminato radio recto. Eodem modo dicit Senſus lumen ſecundarium ſiue ſpeciem luminis primarij diffundi à lumine primario cõtiguato alicui corpori opaco, vſque ad oculum: alioquin non videretur illud lumen primarium, & tamen per totum illud medium eſt lumen primarium.

Tunc ergo illa propoſitio eſt neganda, vbi eſt forma perfectior, ibi non poteſt multiplicari aliqua imperfectior, ſiue ſpecies, quæ ſit forma imperfectior.

Ad alia, quæ ſunt contra ſpeciem, ſiue intentionem. Dico ad primum, quòd omne accidens fortè, poſſet denominare ſubiectum ſuum, in quo eſt, ſi eſſet denominans: vel nomen impoſitum, quod ſignificaret denominationem conuenientem formæ, reſpectu talis ſubiecti.

Hoc modo non eſt denominatiuum impoſitum à ſpeciebus colorum, quia denominatiua impoſita à coloribus, denominãt ſubiectũ habent colores, ſecundũ eſſe reale.

Si autem eſſet denominatiuum impoſitum, quod denominaret ſubiectum habere formam, ſecundum eſſe intentionale, nõ ſecundum eſſe reale, bene poſſet mediũ denominari

minari à tale nomine albi, & tale eſt impoſitū à lumine, & fortè magis hic, quàm in coloribus, propter maiorem perfectionē, & euidentiam huius intentionis, quàm aliarum intentionum viſibilium.

Quod additur ſecundò de oppoſito dico, quòd lumen vnum non excludit aliud lumen alterius rationis, ſicut lumen Solis nō excludit lumen Lunæ in eadem parte medij, vel alterius ſtellæ; ſicut nec ſpecies nigri excludit ſpeciem albi, vel è conuerſo in eadem parte medij, ſed ſicut lumen quodcumque excludit à medio tenebram: quæ eſt eius priuatio non contrarium, vel diſparatam, ita ſpecies cuiuſcumque coloris excludit priuationem illius coloris in medio.

Ad tertium concedo, quòd res eſt, & effectum realem habere poteſt: non tamen ita res, quòd poſſit non eſſe intentio: quia cum ratione ſua ſtat, quòd ipſa per ſe ſit ratio tendendi in obiectum. Et hoc ſufficit ad rationem intentionis. Quòd autem totus radius gignatur immediatè ab ipſa luce, & non pars radij à parte, probatur: quia ſi ponatur, quòd lumen in aliqua parte medij gignat lumen ex ſe, quilibet punctus lucis multiplicat ſe ſphæricè, quia omne actiuum naturale agit in medium circumſtās ſphæricè: ſi ſit ex omni parte aquæ diſpoſitum, & ſi habeat opacum obſtans ex vna parte ſui, ſaltem multiplicat ſe hemiſphæricè, ergo modo ſi lumen eſſet igneus reſpectu alterius luminis, ex quo non habet opacum impediens ex aliqua parte ſui ſphęricè ſe multiplicat, & ita ſicut lumen principale gignit aliud lumen vlterius ſæcundarium indirectum: ita gigneretur ex omni parte radij diſtantis, quod eſt contra ſenſum.

Præterea. Aliquod luminare poteſt agere in diſtans localiter: quia ſi non poſſet agere niſi vbi eſt localiter, tantum poſſet illuminare aliquod indiuiſibile, quòd ſi præſens eſt in ratione agentis alicui diſtanti localiter, ergo & pari ratione toti medio vſque ad tantam diſtantiam, ad quantam ſufficit virtus eius, & ſi præſens eſt illi toti, & poteſt in toto cauſare lumen, ergo cauſat; quia ipſum lumen genitum ab ipſo dato, quòd poſſet cauſare aliud lumen: tamen luminare prę̄ſēs eſt maioris virtutis, quàm lumen genitum, & ita præuenit ipſum lumen in agendo in partem remotam.

Declaratur ſententia Scoti breuiter; & opiniones Aduerſariorum reijciuntur, cum ſuis fundamentis. Cap. 11.

Ex allata quæſtione Scoti, patet quid ſit dicendum ſecundum Scotum de allato Theoremate. De luce quidem aſſerit, quòd non eſt dicendum, quòd ipſa ſit ſubſtantia. Ratio eſt: quia ipſa lux eſt per ſe ſenſibilis, at ſubſtantia non eſt ſenſibilis per ſe: ergo lux non eſt ſubſtantia; ſed eſt dicendum, quòd eſt forma accidentalis actiua conſequens formam ſubſtantialem cęleſtis corporis; ſicuti formas ſubſtantiales generabilium, & corruptibilium conſequuntur qualitates actiuæ, quæ ſunt formæ accidentales; De lumine verò ait, quòd non eſt ſubſtantia: quia nō eſt ſubſtantia completa, quia nec ſpiritualis, nec corporalis, vti probat; neque eſt ſubſtantia incompleta, vt materia, vel forma, vt etiam ibidem probat: relinquitur ergo, quòd lumen ſit accidens. Non videtur autem veriſimile, quòd pertineat ad aliud genus, quàm ad Qualitatem; Eſt ergo dicendum, quod lumen ſit Qualitas, & ſit de tertia ſpecie Qualitatis, tertia autem ſpecies Qualitatis, ſcilicet, ſenſibilis Qualitas, diuiditur in duas partes, ſcilicet in Qualitatem ſenſibilem, & in Qualitatem, quæ eſt ſpecies, ſiue intentio Qualitatis ſenſibilis, lumen eſt ſpecies Qualitatis ſenſibilis, quæ dicitur ſpecies, & intentio Qualitatis per ſe ſenſibilis.

Sed pro clara intelligentia huius rei explicare debemus, quid ſit Intentio, & Intentionale: hoc enim cognito, cognita erit natura luminis, & opiniones falſæ facilè reijcientur.

Porro hoc nomen Intentio, nil aliud ſignificat, niſi attentionem, & diligentiā animæ in alicuius rei conſideratione. Vnde qui diligenter aliquid conſiderat dicitur attentus, ſcilicet valdè intentus, ſed in hac ſignificatione non accipitur in præſenti. Alio modo accipitur Intentio, pro actu potentiæ tendentis in aliquod obiectum, ſiue illa potentia ſit intellectus, ſiue ſit ſen-

ſit ſenſus; & hoc modo conſideratio, & cognitio quam habet Intellectus de rebus realibus, videlicet de homine, animali, &c. à Philoſophis dicitur Intentio; & dicitur prima Intentio: quia eſt prima conſideratio Intellectus circa illud obiectum reale, quando poſtea Intellectus iterum conſiderat illa obiecta realia, & format ſecundas Intentiones, vt diximus in Theoremate, quod Logica eſt ſcientia, illa ſecunda conſideratio Intellectus dicitur ſecunda intentio: & intentio, in hac ſignificatione cõmuniter accipitur à Philoſophis. Vndè ſcientiæ reales dicuntur eſſe de primis Intentionibus; Logica quæ eſt ſcientia rationalis, dicitur eſſe de ſecundis Intentionibus: tamen in præſenti Intentio non accipitur in hac ſignificatione.

Tertio modo accipitur Intentio pro illa ratione formali, per quam potentia tendit in obiectum, & ſic ſpecies intelligibiles, & ſpecies ſenſibiles, cum ſint rationes formales, quibus intellectus tendit in obiectum intelligibile; & ſenſus in obiectũ ſenſibile, illæ ſpecies dicuntur Intẽtiones, & entia Intentionalia: quoniam enim illæ ſpecies habent eſſe ſpirituale, & repræſentant obiecta ſua, dicuntur eſſe intentiones illorum obiectorum, id eſt imagines, & ſimilitudines in anima illorum obiectorum. Ad propoſitum dicit Scotus, quod lumen eſt intentio, & ſpecies lucis: quoniam lumen eſt ſpecies, & imago, per quam ſenſus tendit in lucem, & illam cognoſcit, & ſic lumen habet eſſe intentionale.

Sed ſubinfert Scotus, quod lumen nedum habet eſſe intentionale, ſed etiam habet eſſe reale. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd illud dicitur habere ſolum eſſe Reale, & non Intentionale, quòd ſolum eſt per ſe ſenſibile, ſed non eſt ratio ſentiendi alicui; vt in propoſito, lux eſt ſolum ſenſibilis; tamen non eſt ratio, qua ſenſus videat; & color eſt ſolum viſibilis, non ratio, qua viſus videat; & ita lux, & color, & ſimilia, habent ſolum eſſe Reale, nõ Intentionale; ſed illud, quod poteſt ſentiri, & quod etiam eſt ratio ſentiendi alicui, dicitur habere eſſe Reale, & eſſe Intentionale; & hoc modo inquit Scotus, quòd ſe habet lumen: quia lumen eſt ſpecies, & imago lucis, & ſic habet eſſe Intentionale, eſt etiam per ſe viſibile, quia poteſt terminare viſum, & ſic habet quoque eſſe Reale. Tenet ergo Scotus, quòd lumen habet eſſe Intentionale, & eſſe Reale. Quomodo autem lumẽ ſit per ſe viſibile, & terminet ſenſum, non declarat Scotus, neque etiam aſſertiue dicit, quod ſit per ſe ſenſibile: ſed inquit, forte: ſed tamen dicit, quod lumen, & vniuerſaliter illa ſpecies, & intentio eſt res, & ideò habet eſse Reale; & ita patet quomodo lumen habet eſſe Reale, & Intentionale; quomodo autem lumen ſit per ſe viſibile, & terminet viſum, infrà manifeſtabitur nunc. Ex his patet diſcrimen inter lucem, & lumen, nam lux eſt obiectum per ſe viſibile, & eſt forma accidentalis conſequens corpora cæleſtia; vt Solẽ, & Stellas; ſed lumen eſt ſpecies, & imago ipſius lucis, ab illa manans, vti aliæ ſpecies ſenſibiles emanant, & producuntur à ſuis obiectis ſenſibilibus. Quomodo autem lumen poſſit habere eſſe Reale, & Intentionale Scotus declarat exemplo Theologico, ex D. Auguſtino, de doctrina Chriſtiana; ſed nos poſſumus hoc declarare exemplo naturali, nam ſæpè videmus à lumine per ampullam vino plenã tranſeunte, produci ſpeciem, & imaginẽ coloris vini in panno linteo ſubiecto; illa enim rubedo, quæ eſt in vino, eſt color realis, & mouetur ad motum vini, quod eſt eius ſubiectum: ſed color, qui eſt in panno linteo, eſt color intentionalis, qui non mouetur ad motum ſubiecti panni, ſed ad motum vini, & ad motum luminis cauſantis, à quo producitur; iſte ergo color intentionalis eſt ſpecies, & imago coloris realis vini; & ſic habet eſſe intentionale, & quia etiã eſt res in ſe, & ſenſibilis, terminatur enim viſus ad eum, dicitur quoque habere eſse reale, licet illius eſse reale ſit eſſe valde ignobile, & exiguum. Lib. 1. c. 1.

Hanc ſententiam probat Scotus, & præſertim probat, quod lumen habeat eſſe intentionale hoc argumento; quia ſi lumen non eſſet intentio, tunc poſitum ſupra ſenſum, prohiberet ſenſationem; quia quod eſt tantum ſenſibile, & non ratio ſentien- 1. rō.

ſentiendi, ſi ponatur ſupra ſenſum, impedit ſenſationem: quia ſenſibile poſitum ſuprà ſenſum, non ſentitur, ex Ariſtotele 2. de Anima, tex. 68. & ita lumen poſitum ſupra oculum, impediret viſionem oculi, quod oppoſito modo ſe habet.

Zab. Picc. Hanc eandem ſententiam ſequitur Iacobus Zabarella libro 1. de Viſu, capite 6. & Franciſcus Piccolomineus, in libro de Viſu, capite 8. quòd verò dicit Piccolomineus capite 9. ex Scoto nō haberi quid ſit eſſe ſpirituale luminis, eſt falſum; nam ex dictis conſtat, quod eſſe ſpirituale luminis eſt eſſe Intentionale, & ita cum lumen habeat eſſe Intentionale, & ſit imago, & ſpecies lucis, habet eſſe ſpirituale; & hoc idē dicit ipſemet Piccolomineus, neque tamen ſequitur, quod lumen creetur, quia creatio eſt productio ex nihilo: ſed lumen, & omnes ſpecies ſpirituales, producuntur ex obiecto principali, & ab eodem quoque emanant, ita quod non educuntur ex nihilo, & ſic non creantur.

D. Tho. D. Thomas 2. de Anima, textu 70. & 1. parte, quæſtione 67. articulo 3. arguit contra hanc ſententiam Scoti, & probat, quod lumen in medio non habeat eſſe intentionale, ſed reale, & naturale, duabus rationibus.

1. rō. Prima, quia lumen denominat aerem actu, quia aer fit luminoſus actu, ergo lumen eſt forma naturalis: & habet eſſe naturale, & ſecundum tale eſse, eſt in medio, & diaphano: probatur Conſequentia: quoniam forma intentionalis non denominat ſubiectum, non enim oculus dicitur albus per ſpeciem ſenſibilem coloris albi, ſed forma realis, & naturalis.

2. rō. Secunda, quia per radios ſolis calefiūt corpora: at intentiones non cauſant trāſmutationes naturales, ergo ſignum eſt, quòd lumen non eſt ſpecies intentionalis, ſed eſt forma realis, atque habet eſſe reale, & non intentionale. *Reijcitur.* Ex quo loco videtur D. Thomas non diſtinguere inter lumē, & lucem, ſed arbitrari idem eſſe lucem, & lumen, & hoc certè ipſum arbitrari quilibet conſiderans ea quæ dicunt ibi D. Thomas, & Caietanus, apertè cognoſcet, & hanc eſſe intentionem Thomiſtarum conſpicitur quoque ex ijs, quæ dicit Iauellus 2. de Anima, quæſt. 29. ait enim, quod lux, & lumen idem ſunt, ſed ratione differunt: quia dicitur lux, vt eſt in corpore luminoſo, vt in Sole; dicitur verò lumen, vt eſt in medio, & diaphano; Ecce quod aſſerit lucem, & lumen eſſe idem ſecundum rem, ſola ratione differre. Sed hæc ſententia Diui Thomæ optimè impugnatur per argumenta Scoti: *Reijcitur.* quia ſi lumen eſſet aliquid reale ſolum, & non intentionale poſitum ſupra ſenſum viſus, oculus nō videret: quia ſenſibile, quòd non eſt intentionale poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem. Et hæc ratio eſt efficaciſſima etiam confitente ipſomet Caietano.

2. Secunda ratio Scoti deſumitur ex Ariſt. in libro de ſenſu, & ſenſibili, non longe à principio; Vbi Ariſt. ait, neceſſe eſſe lumen proprium eſſe in oculo, ad hoc, vt recipiat ſpecies colorum, & videat; & ponit hunc modum; quod ſicut lux, vt viſibile, eſt prior naturaliter colore, ita ſpecies lucis, eſt naturaliter prior ſpecie coloris, etiam prius naturaliter ſpecies lucis perficit medium quàm ſpecies coloris, ita quod medium non poteſt recipere ſpeciem coloris, niſi prius receperit ſpeciem lucis: & ita ſimiliter ſpecies lucis, prius perficit organum, quàm ſpecies coloris, adeò, quod organum viſus, non eſt proximè viſiuum, antequam receperit ſpeciem lucis; modo, ex hoc loco conſpicuè patet, quòd lumen eſt ſpecies lucis, & quod conſequenter habet eſſe intentionale in medio. Eſt etiam falſa opinio Diui Thomæ in eo, quod non diſtinguit lucem a lumine, nam, vt patet ex Ariſt. in hoc loco, & alibi, lumen eſt ſpecies, & imago lucis, producitur enim lumen à luce corporis lucidi, tamquam ab obiecto reali, adeò, quod negare lumen non diſtingui a luce, eſt negare rem manifeſtam. *Lux diſtinguitur à lumine Caiet.* Caietanus in Comentario illius articuli tertij, 67. quæſtionis, ptopter vim primi argumenti Scoti, nititur conciliare D. Thomā cum Scoto, & trahit D. Thomam in ſententiam Scoti, & inquit, quod luminis eſſe, non eſt purè intentionale, neque purè naturale; ſed eſt quid altius, præhabens in ſe virtualiter id, quod ſpectat ad eſse intentionale, & ad eſſe naturale, & ita ait, quod eſt vtrumque, & neutrum; & ita ait D. Tho-

D. Thomam, & Scotum aliquo modo verum dicere. Sed in hac ſententia Caietani ſunt multi errores. Primo confundit lucem, & lumen, credit enim, & lucem, & lumen eſſe eandem rem realiter, vt patet ex declaratione ſuæ ſententiæ in illo Comentario; & hoc fuit cauſa, quod non intelligere potuit quid ſit lumen. Secundo expreſsè repugnat D. Thomam, qui ibi in corpore articuli adducit opinionem dicẽtium lumen eſſe intentionem, & illam recipit per illas duas rationes ſuperius adductas: non enim vult, quòd lumen ſit aliquo modo intentio, & ſententia D. Thomæ eſt ita clara, quod nõ eget manifeſtatione. Tertio eſt falſa: quia non eſt verũ, quod eſſe luminis virtualiter contineat, id quod pertinet ad eſse intentionale, & eſſe naturale, ſiue reale: ſed formaliter habet eſſe intentionale, & reale, vt oſtendimus; eſt enim intentionale formaliter, quia eſt ſpecies, & ſimilitudo lucis; habet etiam eſſe reale formaliter: quia lumen eſt ens reale ſenſibile, terminatiuum viſus; non ergo continet eſse intentionale, & reale virtualiter, ſed formaliter hi vero duo modi cõtinendi, ſunt diuerſi, & incompoſſibiles, vt communiter conceditur.

Error 1. Cai. *2. Reijcitur.* *3.*

Opin. Aeg. Ex altera parte Aegidius 2. de Anima, textu 76. tenet, quòd lumen in medio, & diaphano habeat eſſe intentionale tantum, non reale, & hoc probat duplici ratione.

1. rõ. Prima: quia ſenſibile poſitũ ſuprà ſenſum, non facit ſenſationem, ergo ſi lumen haberet eſſe reale in medio, aer illuminatus poſitus ſupra oculum, non faceret ſenſationem, vt facit, ſed impediret ſenſationem.

2. Secunda; Omnis forma recepta in materia ſecundum eſse reale, ſi materia habet contrariam, & illa forma habet contrarium; Hæc propoſitio probatur: quia omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur: modo, omnia corpora inferiora diaphana habent contrarium: quia vel ſunt elementum, vel elementatũ, ergo ſi lumen recipitur in diaphano ſecũdum eſse reale, habebit contrarium; ſed hoc eſt falſum: quia lumini opponitur ſolum tenebra, quæ eſt contrarium priuatiuum.

Reijcitur Aeg. ſententia. Sed hæc Aegidij ſentẽtia falſa eſt, quoniam nos ſupra oſtendimus, quòd lumen habet eſse reale: quia eſt Qualitas de tertia ſpecie qualitatis, & non eſt nihil; & hoc confirmatur argumento illo: quia lumen producit effectus reales, quia lumen vehemens deſtruit temperiem oculi, qui eſt effectus realis; producit quoque calorem, vt dicemus infra: at effectus realis eſt à cauſa reali; Sed cauſa erroris Aegidij, & multorũ, vt inquit Zabarella, fuit, quòd exiſtimauerunt, non poſſe aliquid eſse ſimul intentionem, & rem, cum tamen è contrariò res ſeſe habeat, & hoc negare, ſit pugnantia dicere: quoniam ſi aliquid eſt ſpecies, & intentio alicuius obiecti, ergo eſt res aliqua: quomodo enim eſset intentio, & ſpecies, ſi eſset in ſe nihil; & ideò optimè hoc declarauit Scotus exemplo deſumpto ex Diuo Auguſtino de Doctrina Criſtiana, ſcilicet, de re, & ſigno, quoniam quando diſtinguimus rem à ſigno, non propterea dicimus ſignum non eſse rem, ſic enim eſset nihil; proinde ſignum appellari non poſset; ſed cum rem à ſigno diſtinguimus, nil aliud ſignificare volumus, niſi aliquid eſse rem tantum, non ſignum, quid vero eſse rem, & ſignum rei; & ita hoc modo diſtinguitur res, & intentio: aliquid enim eſt res tantum; & non intentio rei; aliquid autem eſt intentio, & res ſimul: quia non poteſt eſse intentio rei, quin ſit aliqua res, & ita habeat eſse reale; quòd etiam decepit multos, quia exiſtimauerunt, quòd illa quæ ſpiritualia ſunt, nihil ſint, quod tamen eſt falſum: quia dantur ſubſtantiæ ſpirituales, quæ nobiliſſimæ ſunt; dantur etiam accidentia ſpiritualia, quæ habent veram entitatem, licet minorem, quàm accidentia realia, à quibus producuntur, vt diximus in Theoremate de ſenſu agente; iſtæ ergo ſpecies habent eſse reale, ſed debile; Ex his duobus erroribus proceſſit etiam ſententia Diui Thomæ, quoniam non potuit cogitare, quòd lumen habere poſset ſimul eſse ſpirituale, & reale; & exiſtimauit, quòd ſi haberet tantum eſse ſpirituale, & intentionale, non poſset agere actione reali, quaſi eſse ſpirituale, non ſit eſse reale. Ad rationes Diui Thomæ, & Aegidij ex dictis facilis eſt ſolutio.

lib. 1. cap. 1. *The. 76.*

Ad 1. rōnē. D.T. Ad primam Diui Thomæ habetur reſponſio ex Scoto, ſoluēdo quartum principale; nego igitur conſequentiam. Ad probationem dico, quòd quodlibet accidens poſſet denominare ſuum ſubiectum, & ſic lumen, & quodlibet accidens intentionale, poſset denominare ſuum ſubiectum: tamen quoniam non habent denominatiua propria, ideo non denominant ſubiecta ſua, denominatiua enim impoſita à coloribus, & alijs, denominant ſubiectum habens colores ſecundum eſse reale, non intentionale: ſi autem eſset denominatiuum impoſitum, quod denominaret ſub ectum habens formam ſecundũ eſse intentionale, non ſecundum eſse reale, bene ſpecies, & intentio poſset denominare ſubiectum, & ſic ſpecies coloris albi in oculo, poſset denominare oculum album.

Ad 2. Secunda ratio concludit, quòd lumen eſt res, & hoc nos concedimus: non tamen ſequitur, quòd etiam non ſit intentio, vt declaratum eſt; & ſic negatur, quòd ſpecies intentionalis non agat Phyſicè; Nec obſtat, quòd ſint diuerſæ rationis: quia hoc concludit ſolum quòd non cauſet vniuocè, tamen negari non poteſt quin cauſet æquiuocè.

Ad 1. Aegidij. Ad primum Ægidij reſpōdetur, quod authoritas illa Ariſtotelis (Senſibile poſitum ſuprà ſenſum, nō facit ſenſationem) vera eſt, & Ariſtoteles eam intelligit ſolum de obiecto ſenſibili reali, terminante ſenſationem tantum, non de eius ſpecie; quinimò neceſse eſt, ſpeciem ad contactum vſque organi peruenire, ſi fieri debet ſenſatio; ideò hoc argumentum quo abuſus eſt Ægidius, optimè vſus eſt Scotus, vt notauit Zabarella.

Ad 2. Ad ſecundum maior eſt falſa: quia materia de ſe, non habet contrarium, ſed quidquid habet, illud habet à forma; Ad probationem per illam Maximam dico, quod non eſt ad propoſitum: quia ſenſus illius Maximæ (Quidquid recipitur, per modũ recipientis recipitur) eſt hic; Quidquid recipitur in aliquo, recipitur ſecundum capacitatem, & modum, quo recipiens recipere poteſt: hoc autem ſenſus non eſt ad propoſitum, vt patet.

Si autem Maxima faceret ad propoſitum, ſenſus eius eſſe deberet iſtæ: Quidquid recipitur in recipiente, induit naturam recipientis: tunc enim ſequeretur, quod cum lumen recipiatur in corporibus diaphanis inferioribus, quæ habent contrarium, ipſum quoque induerent cōtrarium: at propoſitio illa Maxima in hoc ſenſu eſt falſa ſimpliciter, & ſecundum Aegidium. Simpliciter: quia quod recipitur in alio, habet rationem actus, & formæ, recipiens verò habet rationem paſſi; actus antem eſt qui determinat paſſum, & illum actuat, vt patet de forma reſpectu materiæ, non autem actuatur, & determinatur à paſſo, & recipiente. Secundum Aegidium verò eſt falſa illa propoſitio: quoniam ſuſtinet, quòd formæ corruptibiles receptæ in materia, faciant in illa contrarietatem, quam ex ſe non habent: forma Cæli verò nequaquam, vt vidimus ſupradicto Theor. de materia Cæli. Senſum autem verum illius Maximæ hunc eſſe: Omne quod recipitur, in recipiente eo modo quo competit ipſi recipienti, recipitur, patet: quia quod eſt Spirituale, non recipit Materiale; Quale non recipit Quantũ; Accidens non recipit Subſtãtiam, & huiuſmodi: ſed Accidēs recipitur in Subſtãtia; Qualitas in Quãtitate; Quãtitas vna in alia Quantitate ſibi proportionata, & ſic de alijs: vnumquodque enim recipitur in ſubiecto, & recipiente apto nato. Quod autem ſecundum hunc ſenſum non faciat ad propoſitum, patet: quia etſi corpora diaphana inferiora, quæ habent contraria, apta nata ſint recipere lumen, non tamen ex hoc ſequitur, quod ipſum lumen debeat induere naturam contrariam ipſorum corporum: quia Qualitas, quæ recipitur in Quantitate, & Accidens in Subſtantia, non induunt naturam, & modum ipſorum ſubiectorum, vt diximus: ſed potius oppoſito modo ſe habent.

Quomodo generetur lumē. Quomodo autem generetur lumen à luce, & etiam lumen ſit viſibile, licet ſit ſpecies lucis, optimè eſt declaratum à Scoto in 3. Articulo. Ex prædicta quæſtione habetur quoque quid ipſe Scotus ſenſerit de neceſſitate luminis in viſione: *neceſ ſitas lum.* certum eſt enim, quod lumen requiritur ad viſionem, quoniam ſine lumine non poteſt fie-

teſt fieri viſio,ſed an requiratur ad illuminandum medium perſpicuum,an ad illuminandum obiectum colorem, an etiam propter organum,eſt difficultas apud expoſitores Ariſtotelis. Auempaces enim,& Auicennas ex vna parte ſuſtinent, quod lumen requiratur ſolum ex parte coloris, ſcilicet,ad hoc, vt color illuminetur, & fiat actu viſibilis,& motiuus diaphani. Auerroes ex altera parte ſuſtinet, quod requiratur lumen nō propter colorem, ſed ad illuminandum medium ſolum,ſed Auerroes quoque nō negaret requiri lumē propter organum. Vnde Gandauenſis in 2. de Anima, quæſtione 19. de mente Auerrois ſuſtinet requiri lumen, tam ex parte medij,quàm organi. Alij, vt Albertus,quem ſequitur Zabarella, ſuſtinent, quod requiratur lumen tam ex parte coloris,quam medij,& organi.

Scotus expreſsè dicit in 2. Articulo recitatę quæſtionis, requiri lumen ex parte medij, & organi, & hoc etiam de mente Auerrois,adeo, quòd videtur approbare ſententiam Auerrois,tamen non negat requiri ex parte coloris quoque: ſed de hac re non loquitur ex propoſito; ideò quilibet teneat ſententiam,quæ ſibi rationabilior videtur:mihi probatur opinio Alberti,& Zabarellæ, qui ſuſtinent,quòd lumē requiratur,& propter colorem, & propter organum,& propter medium,quam optimè tuetur Zabarella 1.libro de Viſu, & aliorum obiectiones optimè tollit; & huic opinioni mihi maximè accedere videtur Scotus. Qui verò vult tueri opinionem Auerrois, ſoluat obiectiones in contrarium. Quòd lumen requiratur propter medium,expreſsè dicitur in libro 2.de Anima,capite,de Viſu, Ariſtot. aſſignando enim definitionem luminis,dixit: Lumen eſt actus perſpicui; neque enim perſpicuum poſſet recipere ſpecies colorum,niſi illuminaretur à lumine; modo propter eandem rationem organum viſus, ſcilicet oculus,requirit lumen:quia & ipſe eſt perſpicuus, ideo ſine lumine non poſſet recipere ſpecies colorum;quòd verò requiratur etiam propter colorem,patet experientia: quia ſi color ſit in tenebris, licet medium ſit illuminatum, & organum oculi, tamen color nō videtur: quia ſine lumine non poteſt mouere perſpicuū. At econuerſo,ſi color ſit illuminatus,etiam medio exiſtente tenebroſo, color videtur:vt patet de aliquo exiſtente in ſpelūca tenebroſa, qui videt colorem illuminatū exiſtentem extra illam ſpeluncam; Nō tamen dicendum eſt, quod color poſſit videri abſque eo, quod medium illuminetur:quoniam medio exiſtente omninò tenenebroſo, nō poteſt recipere ſpecies colorum: ſed dicēdum eſt, quod lumen illuminans colorē eſt, quod poſtea quoquo pacto illuminat medium,& etiam organum,ita,quod poteſt recipere ſpecies illius coloris, & illas deferre ad viſum,adeo, quod lumen tunc gerit vicē lucis,& illuminat. per hanc experientiam itaque cōprobatur, quòd eſt neceſse ad viſionem colorem illuminari, ſed tamen non ſequitur,quod medio omnino exiſtente tenebroſo, poſſit color videri;requiritur ergo lumen propter colorem medium,& organum. Obiectiones in contrarium optimè ſoluuntur à Zabarella,& alijs,quæ quia diffusè apud illos habentur,hic omitto. Quomodo fiat color, non dicit Scotus, ſed ex dictis eius in hac quæſtione poſsumus conijcere ſententiā Zabarellæ poſitam 2.capite 1.libri de Viſu,eſse probabilem,&c.

THEOREMA LXVII.

Anima rationalis eſt forma informans.

Exponitur ſententia Auerrois cum ſuis fundamentis. Cap. I.

INter omnes difficultates Philoſophicas, omnium cōſenſu maxima eſt illa, An anima rationalis ſit immortalis,cui aliæ tres coniunctæ ſunt in eodem diſcrimine,nēpè,An anima rationalis ſit forma informans hominis; Secunda, an ſit vna, vel plures;Tertia,de origine ipſius. Sed ſicut ſunt valdè difficiles in doctrina Ariſtotelis, ita quod à multis multa, & valdè prolixè ſcripta ſint, quæ quemlibet legentem tædio afficere poſſint, ita ſunt valde vtiles:ideo dimiſsa prolixitate, & confuſione, quæ in alijs mihi diſplicet, de his ſermonem habiturus, breuiter difficultates potiores aperiam, & maximè quæ ſit

mens Scoti. Primò oſtendam, quòd Anima rationalis eſt forma informans. Secundò, quod nõ eſt vnicus intellectus in omnibus hominibus, ſed multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum. Tertiò, examinabo quid ſecundum Ariſt. dicendum ſit de immortalitate intellectus hominis. Quartò loquar de origine intellectus, & aliarum animarum ſecundum Ariſt. Quo ad præſens Theorema, Scotus 4. Sent. diſt. 46. quæſt. 2. in principio corporis quæſtionis, apertè ſuſtinet animam intellectiuam ſiue intellectum eſse formam informantem hominis: & hoc comprobat enixè aduerſus Auerroem, ideo, vt rectè percipiantur rationes Scoti, prius adducam opinionem aſſerentium intellectum eſse aſſiſtentem tantum homini, non informantem, neque dantem eſse ſpecificum, cum ſuis rationibus.

Scot⁹

Auerrois opin. Auerroem præſertim hanc ſententiam ſecutum eſse, ſcilicet intellectum eſse aſſiſtentem, non informantem actum, clarè conſpicitur ex Commentario eius in 5. textu 3. libri de Anima, & multis alijs in locis, & hanc fuiſse mentem eius, omnes eius ſectatores, & etiam oppoſitæ ſententiæ auctores aſſerunt: quidquid dicat Achillinus in 3. quodlibeto, dubio 8. *Ach.* Eandem ſecuti ſunt Themiſtius (licet Diuus Thomas oppoſitam ſententiam ei tribuat) vt videre eſt in 3. de Anima, textu 20. vbi tuetur vnicum eſſe intellectum in omnibus hominibus, vt Auerroes. Philoponus in 2. de Anima, in præfatione, & in declaratione primi tex. *Philoponus. Picc. et alij* Simplicius & inter Latinos Gandauenſis, Viccomercatus. Franciſcus Piccolomineus, libro de Humana mente, cap. 17. & multi ex Modernis. Hi omnes dicunt, intellectum non dare eſſe ſpecificum homini, neque eſſe formam informantem; Si verò quæratur ab eis, quæ ſit forma informans, & dans eſſe ſpecificum homini, dicunt eſſe cogitatiuam. *Fũd. opin.*

Pro hac Opinione rationes præcipuæ, quæ adducuntnr ſunt illæmet, quæ adducuntur pro immortalitate animæ; omnes enim (excepto D. Thoma cum ſuis ſectatoribus) de mente Ariſt. ſuſtinentes intellectum immortalem eſſe, ſuſtinent quoque non eſse informantem, ſed aſſiſtentem, & vnicum eſse in omnibus: quia putant in via Ariſt. hæc duo eſſe icompoſſibilia: ſcilicet, quòd intellectus ſit immortalis, & quod ſit forma informans, & multiplicatus ad multiplicationẽ indiuiduorum: quia tunc ſequeretur, quod actu eſſent infiniti intellectus, cum Mundus, & generatio ex Ariſt. ſint ęterna à parte ante, & a parte poſt, quod eſt maximum abſurdum; Illi ergo, qui ſuſtinent immortalitatem, ſuſtinent etiam vnitatem, excepto D. Thoma, vt dixi.

Ideo Franciſcus Viccomercatus in ſua quæſtione de Anima rationali, hanc vnicam rationem adducit. Ariſt. in 2. de Anima, textu 11. apertè aſserit quaſdam partes animæ non eſse ſeparabiles, quia ſunt actus ipſius corporis, vt vegetatiua, & ſenſitiua; quaſdam verò nihil prohibet ſeparari à corpore, quia non ſunt actus corporis; & hæc ſunt verba Ariſtotelis. *Quaſdam autem nihil prohibet ſeparari, propter id, quod nullius corporis ſunt actus.* Ex quo loco habetur, quod apud Ariſt. intellectus, qui eſt hæc pars ſeparabilis, non eſt forma informans corporis, & conſequenter eſt aſſiſtens, & quoniam nondũ hoc erat explicatum, ſubiungit hæc verba. *Amplius autem immanifeſtum eſt, ſi ſit corporis anima actus, vt nauta nauis.* Hanc difficultatem poſtea Ariſt. explicauit, dum oſtendit. quòd intellectus eſt immortalis; & ſeparabilis a corpore; ſic enim oſtendit, quòd non eſt forma informans, adeo quòd ſic poteſt formari ratio. Forma informans non eſt ſeparabilis à corpore, at intellectus eſt ſeparabilis à corpore, ergo intellectus non eſt forma informans, ſed aſſiſtens. Maior habetur in illo textu 11. in verbis adductis. Minor probatur per rationes, quibus probant intellectus immortalitatem.

Franciſcus Piccolomineus libro 2. de Humana mente, cap. 18. nonnullas alias rationes adducit, quarum prima eſt. Omnis forma dans eſſe corporis, eſt finis generationis, per Ariſt. 2. Phyſ. textu 70. vbi dicit, quod finis, & forma generationis, in idem venit: at mens, id eſt intellectus, non eſt finis generationis: quia finis generationis eſt natura, ex 2. Phyſ. tex. 14. Mens autẽ nõ eſt natura, ex 1. de partib. animaliũ: *Picc. 1. rõ.*

ergo

ergo intellectus, & mens, non informant hominem.

Secundo. Ea forma cõſtituit corpus naturale, ad quam materia eſt in potentia; at materia cum ſit natura, eſt in potentia ad formas, quæ ſolum per naturalem tranſmutationem ex ea educuntur, non ad eas, quę extrinſecus adueniunt, & ſunt æternæ, vt eſt intellectus, ergo intellectus non dat eſſe hominis per informationem.

3\. Tertiò, forma non attinens ad Phyſicum non dat eſſe corpori Phyſico, mens ex 1. de partibus animalium, non eſt Phyſicæ conſiderationis, ergo.

Quarta, & amplectitur omnes alias; Forma, & formatum, terminus, & terminatum, debent eſſe eiuſdem conditionis: ſed mens eſt immaterialis, & incorruptibilis, & conſequenter diuerſæ conditionis, ideo non poteſt formare, & dare eſſe materiæ ſiue compoſito materiali, neque materia ipſa poteſt terminari ab huiuſmodi formis. His fere rationibus nituntur oſtendere intellectum non eſſe formam informantem.

Alias rationes pro hac Opinione habes in calce ſequentis capitis.

Hæc ſententia reijcitur, & explicatur ſententia Scoti, & comprobatur. Cap. II.

Scot⁹ HAec Opinio eſt adeo impia, & inepta, vt ſuam ineptiam in ipſamet fronte deferat: nam, vt inquit Scotus, in 4. Sent. diſt. 43. quæſt. 2. ſecundum ipſum Auerroem huius ſententiæ defenſorem, & alios eiuſdem ſectæ, homo non eſſet formaliter, niſi quoddam animal irrationale: tamen per quandam animam irrationalem, & ſenſitiuam excellentiorem animabus aliorum brutorum, haberet eſſe, quod quàm ſit impium, & ineptum, conſenſus communis omnium hominũ manifeſtat, qui aſſerunt hominem in hoc excellere alia bruta, quia homo eſt rationalis, & intellectiuus, quod alijs brutis non competit. Ideo Alexander Aphrodiſæus excellentiſſimus Peripateticus D. Thomas, Scotus, & multi ex Modernis, vt Põponatius, Zabarella, & multi alij, enixè tuentur intellectum eſſe formam informantem: ſed opus eſt hanc ſententiam contra proteruos comprobare. Rationes autem omnes erunt à poſteriori, vt inquit ipſemet Scotus, loco citato: quia à priori nulla datur ex operatione; ipſa itaque probatur, quòd anima rationalis, & intellectus ſit forma informans ipſum hominem.

Ratio prima communis omnibus Doctoribus huius ſentẽtiæ, ſumitur ex intelligere, quę ratio à D. Thoma formatur in hũc modum, prima parte, quæſt. 70. art. primo. Intelligere eſt propria operatio hominis, ergo eſt a propria forma hominis, ſed intelligere eſt ab intellectiua, ergo intellectiua eſt propria forma hominis. Hanc rationem ex principijs D. Th. ait Scotus nihil valere: quia D. Th. ſuſtinet, quod intellectus intellectione ſe habeat paſſiuè, non actiuè, ideò Minor ſecũdum hoc principium eſſet falſa: ſi quidem ſtante hoc principio, intelligere non eſſet opus prodiens ab intellectiua, ſed ex obiecto. Huic obiectioni reſpondere nituntur Caietanus, & alij; ſed de hac re loquemur in proprio loco, dum diſputabimus de cauſis producentibus intellectionem; pro nunc ſatis eſt nobis, quod ratio ſatis in ſe eſt efficax, quam Scotus ſic format; Homo intelligit formaliter, & propriè, ergo anima intellectiua, eſt propriè forma hominis. Antecedens eſt manifeſtum ex Philoſopho, 3. de Anima, tex. 1. vbi dicit Philoſophus. *De parte autem animæ qua homo intelligit, & ſapit*, & 1. Ethicor. capite 9. in his locis expreſsè dicit Philoſophus, intelligere eſſe propriam operationem hominis, & hominem formaliter intelligere, operatio etiam, vt contradiſtinguitur contra actionem, ſeu factionem, formaliter ineſt operanti, & non eſt actio tranſiens in alterum, ſed in ipſo manens, ex 9. Metaph. tex. 17. Confirmatur: quia 10. Ethicorum Ariſtot. ponit felicitatem hominis in intelligere; manifeſtum eſt autem, quod illa felicitas ineſt homini formaliter, ergo intelligere quoque ineſt homini formaliter; quoniam felicitas conſiſtit in intelligere; licet ergo hoc antecedens ſit de ſe euidens, & verum, attamen contra proteruum Scotus illud probat efficaciter; & notandum eſt quod in ante-

1. rõ. ex D. Tho.

reſp. Caie.

Rõ. propria Scoti.

antecedente intelligit Scotus, de intelligere propriè accepto, vt contradiſtinguitur à toto genere cognitionis ſenſitiuæ;& primo adducit probationes D.Thomæ,quas in aliquo deficere oſtendit;Sed his dimiſſis, adducamus rationes proprias Scoti , quæ ſunt efficaces.Prima ratio.Habemus in nobis aliquam cognitionem obiecti , ſub aliqua ratione, ſub qua non poteſt cognoſci à ſenſitiua,ergo habemus in nobis formaliter hanc operationem,quæ eſt intelligere ; antecedens probatur primò : quia experimur in nobis , quod actu cognoſcimus vniuerſale . Secundo experimur nos intelligere ens, ſiue qualitatem , vel aliquod aliud ens , ſub ratione communiori,quam ſit ratio primi, & adæquati obiecti ſenſus,includendo etiam ſupremam ſenſitiuam.Tertio experimur,quod diſtinguimus genus ſenſibilium ab aliquo,quod non eſt illius generis . Quarto experimur, quòd cognoſcimus relationes rationis,ſcilicet ſecundas intentiones , vt intentionem generis , & ſpeciei,& oppoſitionis, & aliarum intentionum Logicalium. Quinto experimur , quod aſſentimus complexis principijs abſque dubio errandi,vt primis principijs.Sexto experimur in nobis diſcurſum a noto ad ignotum , & illi aſſentimus neceſſariò modo cognitio iſtorum non poteſt attribui parti ſenſitiuæ, ergo neceſſario in nobis præter potentias ſenſitiuas eſt intellectus. Si quis autem proteruus negatet Maiorem, ſcilicet , hos actus , quos diximus ineſſe nobis , non eſt cum eo vlterius diſputandum,ait Scotus : ſed eſt illi dicendum , quòd eſt Brutum ; ſicuti non eſſet diſputandum cum eo,qui habet oculos, & negaret ſe videre colorem: ſed eſt illi dicendum, quod eget ſenſu, & quod cęcus eſt. Aſſumptum verò,ſiue Minorem,ſcilicet , quod nullus iſtorum actuum poſſit cognoſci ſecundum aliquam potentiam ſenſitiuam,probatur, & primò de vniuerſali:quia vniuerſale cognoſcitur à nobis ſub illa vniuerſalitate, vt dicitur de omnibus ſingularibus in quibus continetur,& ſub hac vniuerſalitate ſenſus non cognoſcit , quia communi conſenſione ſenſus eſt ſingularium,intellectus vero vniuerſalium , ſed de ſecundo res eſt euidentior,ſcilicet, quòd cognitio rerum ſub communiori ratione, quàm eſt obiectum adęquatum ſenſitiuę potentiæ,non poſſit haberi à ſenſu,quoniam nulla potentia poteſt cognoſcere aliquid ſub ratione vniuerſaliori , quàm ſit ratio adæquata ſui obiecti ; cognitio ergo, quæ eſt in nobis, de rebus , quæ excedunt rationem obiecti ſenſus, etiam ſenſus principalis,non poteſt fieri,& generari in nobis per potentiam ſenſitiuam; & certè hoc argumentū eſt efficax ; at experimur in nobis, quod de albedine cognoſcimus, quod eſt ſpecies coloris, & quòd color eſt eius genus,experimur etiā, quòd cognoſcimus albedinem eſse Qualitatem,& quòd continetur ſub Qualitate,non ſub Quantitate : aſſignamus quoque definitiones Qualitatis, &c. qui omnes actus non poſſunt eſſe alicuius ſenſus, ſiue interni , ſiue externi: de externis patet.

Reſp. tacitæ reijcitur.

Si quis verò dicat, hos actus eſſe cogitatiuę,vel imaginatiuæ:Contra,quia tunc ſuperflua eſt virtus,intellectiua, cum ipſa non habeat nobiliores actus:cognoſcere enim prædicatur quidditatiuè, aſſignare definitiones rerum,diſcurrere,ſunt nobiliores operationes , quæ intellectiui aſcribantur , ideo ſi ille competunt cogitatiuæ, ſuperfluus eſt intellectus. De tertio patet ex dictis in hoc ſecundo : quia virtus ponēs diſcrimen inter aliqua duo , debet cognoſcere vtrumque:at virtus ſenſitiua non poteſt exire extra obiectum ſenſibile,ergo non poteſt diſtinguere, & dignoſcere id, quod eſt ſēſibile ab eo,quod non eſt ſenſibile,cum non ſenſibile , non cognoſcatur ab eo. De quarto patet per idem : cum enim illę relationes ſint extra res ſenſibiles, immò ſint tantum in rebus intelligibilibus, ſequitur, quod ſenſus illas cognoſcere non poſſit, quia ſunt extra limites ſui obiecti. Confirmatur iſtud etiam primum, ſcilicet de vniuerſali, per hoc:quia ſenſus eſt rerum exiſtentium tātum,at vniuerſale actu , & iſta relationes rationis,non poſsunt exiſtere per ſe , ergo non poteſt ſenſus illas cognoſcere . De quinto, & ſexto patet quod non poſſunt haberi à ſenſu, quia fiunt per relationem rationis, eſt enim ratio noſtra , & mens, quę illa ſimul connectit , & perinde cognoſcit, & iudicat, & denique diſcurſus,

& com-

& comparatio propoſitionum eſt peculiaris operatio intellectus ſecundum omnes,& ex Ariſtotel.3.de Anima,vbi enumerans operationes intellectus,dixit illas eſſe tres,ſcilicet, ſimplicium apprehenſionem,& diuiſionem , & denique diſcurſum.Si ergo diſcurſus haberi poſſit à ſenſitiua virtute, ſuperfluus eſt intellectus. Ex his omnibus apparet clarum eſſe antecedens primum, ſcilicet, quòd homo formaliter,& propriè intelligit,id eſt,homo habet in ſe formaliter cognitionem excellentiorem cognitione ſenſitiua:Conſequentia verò primi enthimematis, quæ erat: ergo Anima intellectiua eſt forma hominis, probatur ſic; talis actus, qui eſt intelligere,non eſt ſubſtantia noſtra:quia modo adeſt, modo abeſt à nobis,ergo eſt accidens, ergo oportet dare ſibi aliquod receptiuum proprium: quia omne accidens propriè in aliquo ſubiecto proprio recipitur:at hoc ſubiectum receptiuum , non poteſt eſſe aliquod extenſum, neque organicum, vti ſunt omnes ſenſus: quia tunc intelligere eſſet actus extēſus, quod eſt impoſſibile,& conceditur ab aduerſarijs; quia intellectus non vtitur organo; probauimus etiam, nullam talem cognitionem poſſe cadere ſub aliqua potentia ſenſitiua, ſi autem reciperetur in ſenſu , ſenſus cognoſceret ea , quia cognoſcere eſt pati, ergo eius ſubiectum erit aliquid inextenſum,at illud ſubiectum debet ineſſe nobis, quia iam diximus, quod in nobis experimur huiuſmodi actus intelligendi; at reliquæ formæ, quæ ſunt in nobis , & reliqua omnia ſunt extenſa , & ſunt ſenſus, ergo illud ſubiectum erit ſolum anima intellectiua, & conſequenter anima intellectiua eſt forma informans hominis, & intrinſecus dans eſſe, non extrinſecus, vt nauta naui, quia tunc in nobis non experiremur huiuſmodi actus; Si enim intellectus eſt qui intelligit,& eſt ſubiectum receptiuum iſtorum actuum, ſed poſtea eſt extra hominem , ergo homo non intelligit formaliter ſicuti cum nauta intelligit, vel loquitur, nauis non dicitur loqui neque intelligere quia nauta eſt extra eſſentiam nauis , at ſi intellectio reciperetur in forma eſſentiæ nauis , nauis diceretur loqui ; & hæc ratio abſque dubio eſt efficaciſſima. Huic rationi videtur Auerroes quodammodo innuiſſe reſponſionem in illo quinto textu in digreſſione, quæ tamen vt inquit Scotus eſt fictio, quæ nec ei, nec alijs eſt intelligibilis. Videtur ergo ex Auerroe poſſe reſponderi, quod ideo homo intelligere dicitur, licet intellectus non informet eum, quia intellectus coniungitur homini per phantaſmata, & ſic cum intellectus intelligit, homo dicitur intelligere. Verum quæ nā ſit hæc coniunctio, nec ipſe Auerroes, nec aliquis alius eius ſectator explicare potuit, vt inquit Scotus in prædicto loco, & experientia diſcimus: nā coniunctio phātaſmatis cum ipſo intellectu, eſt coniunctio obiecti intelligibilis cum potentia intelligente, ideo licet phantaſmata ſint in homine, vt in phantaſia & illis vtatur intellectus, non propter hoc fit, quòd homo, vel illa phantaſmata intelligant, ſicuti color exiſtens in pariete, & mouens oculum meum, non facit quòd paries videat: quia phantaſma habet ſemper rationem cogniti, non cognoſcentis, & hoc eſt verum ſecundum omnes , eſt ergo mera fictio iſta coniunctio. Sed alij aliter declarant hanc coniunctionem, vt Franciſcus Piccolomineus, in 2. libro de Mente, cap. 17. ait enim, quòd intellectus dupliciter nectitur cum homine, ſcilicet primo per naturam, ſecundo per operationem, nexus per operationem eſt coniunctio per phantaſmata, vt nunc diximus, licet non explicetur ab eo: nexus verò per naturam, in quo ipſe facit maximam vim, quis ſit, & quomodo fiat, non docet: ſolum dicit, quòd hic nexus intellectus cum homine per naturam, eſt intimior, quàm nexus materiæ, & formę, & ſubinfert hæc verba. Homo conſtitutus per phantaſiam, dicitur per mentem cum eo iunctam intelligere; tandem ad argumentum dicit : cum dicitur, quòd homo formaliter non intelligeret, non eſſet beatus, &c. Reſpondetur, quòd hoc non ſequitur: quia homo per phantaſiam cui iuncta eſt mens, intelligit, & eſt capax ſummi boni, &c. Hæc vir iſte maximæ exiſtimationis. Sed hæc declaratio eſt verboſa , & nihil momenti in ſe habet, ita vt verum ſit, quod dicit Scotus, ſcilicet, quòd iſta coniunctio

Cōſ. primi enthimemátis probatur — *Reſp. Auer.* — *Reijcitur.* — *Reſp. alia.*

intellectus cum homine, ficta alr Auerroe, non eſt intelligibilis, & quod nullus eius ſectator eam explicare valet.

Reij-citur. *1. rō.* Sed breuiter reijcitur: quia dicit iſte vir, quòd intellectus iungitur phantaſiæ, & homini, & quod iſte nexus eſt intimior, quàm nexus formæ cum materia; tunc argumentor: ergo intellectus non eſt forma aſſiſtens, ſed eſt plus quam forma informans, & conſequenter non eſt ſeparabilis ab homine; probo conſequentiam: quia actus informans, vt eſt forma iuncta materiæ, non eſt ſeparabilis a materia per eos, ergo ſi intellectus maiori nexu vnitur homini, quàm forma materiæ, multo minus intellectus erit ſeparabilis ab homine.

2. rō. Præterea, debent explicare quomodo fiat, & quæ vnio ſit iſte nexus intimior; porrò ex Ariſtotele non datur maior nexus, quàm actus, & potentiæ, cum ex his duobus conſtituatur vnum per ſe, ſi ergo vnio intellectus ad hominem eſt maior, ergo multo magis ex intellectu, & homine fiet vnum per ſe, & ſic vnum habebit rationem actus, aliud potentiæ, ſed excellentiori modo, & ſic erit informans, & plus quam informans, ſi hæc maior informatio eſt poſſibilis.

3. Præterea, non eſt intelligibile apud Ariſtotelem quomodo ex duobus actibus fiat vnum per ſe: intellectus eſt actus, homo per eos iam eſt in actu per phantaſiam, phantaſia eſt actus, & nullo modo potentia, reſpectu intellectus, ergo falſum eſt quod ex intellectu, & homine, fiat vnum intimius, & magis, quàm ex forma cum materia, ſed erunt diſtincta, & duo entia ſegregata tantum ſibi præſentia.

4. Denique, conceſſo quòd intellectus nō ſit informans hominem, licet ſit virtus cogitatiuæ hominis, non ſequitur, quod homo formaliter intelligat. Conſequentia probatur: quia ſicut nauis non intelligit, licet nauta, qui ſibi aſſiſtit intelligat: ita hominis eſſentia non intelliget, licet aſſiſtat ſibi intellectus, qui formaliter intelligit: quia ille intellectus non eſt forma, & eſſentia hominis, dans illi eſſe, ſed eſt forma extrinſecus illi annexa, & aggregata.

Aliorum reſp. Alij voluerunt explicare hanc coniunctionem per exemplum luminis in perſpicuo, lumen enim aduenit aeri extrinſecus, neque eſt eius forma, & tamen eſt ratio ipſi aeri recipiendi coloris: ſic intellectus licet non ſit forma hominis, ſed extrinſecus homini adueniat, tamen eſt ratio propter quam homo eſt intelligens.

Reij-citur. *1. rō.* Sed hoc exemplum, vt optimè inquit Zabarella, non eſt ad propoſitum: quia aer inquantum aer, non recipit colores, ſed quatenus perſpicuum, ſit verò perſpicuum per lumen, quia lumen eſt actus, & forma perſpicui, & lumen dat eſſe perſpicuo, & ſic poſtea perſpicuum recipit colores: at in propoſito intellectus reſpectu hominis non ſe habet vt lumen, reſpectu perſpicui ſecundum Auerroem; quia intellectus non dat eſſe homini ſecundum eum, ſed lumen dat eſſe perſpicuo.

2. Præterea intellectus ipſe abſque corpore recipit intellectionem, quia eſt inorganicus, at in perſpicuo non euenit ſic: quia non eſt lumen quod recipiat colores, ſed perſpicuum conſtitutum in tali eſſe per lumen, & ſic lumen non recipit, ſed eſt ratio, quia perſpicuum recipit colores, ideo exemplum non eſt ad propoſitum.

2. rō princ. Scoti. Secundo principaliter arguit Scotus in eodem loco per eandem Concluſionem, ex operatione, voluntatis, ſiue appetitus, quam experimur in nobis, ſic. Homo eſt Dominus ſuorum actuum, ita quod in poteſtate eius eſt determinare ſe ad hoc, & ad oppoſitos actus, & hanc propoſitionē concedit Ariſtotel. paſſim in ſua Philoſophia, vt primo Perihermenias, capite, de futuris contingentibus, & 2. Phyſic. cap. de fortuna, & caſu; & maximè 6. Metaph. vbi probat, dari entia contingentia; probat etiam multa pertinere ad prudentiā, in moralibus admittens conſilium, quod eſt de futuro, & de eo, quod nos vitare poſſumus; & denique hoc eſt clarū in Philoſophia Ariſt. & ſenſu ipſo patet; Cum hac propoſitione aſſumit aliam, quæ quoque eſt euidentiſſima, ſcilicet, quòd hæc libertas, & indeterminatio nō poteſt prouenire ab aliquo appetitu materiali, & extēſo, ſiue ab aliqua virtute ſenſitiua: quia omnis virtus appetitiua, ſenſitiua, & extēſa, deter-

determinatur ad certum genus appetibilium ſibi conueniens, ita quod illud apprehenſum non poteſt non conuenire, nec appetitus non approbare; quæ propoſitio confirmatur: quia agere ſecundum electionem, & à propoſito, competit ſoli homini, vt experientia patet: quòd ſi talis electio competat homini ſecundum potentiam ſenſitiuam aliquam, ergo poſſet competere brutis, ergo & per impoſſibile ablato intellectu ab homine, poſſet homo liberè agere, eligere hoc, & non illud, quod eſt inconueniens: quia ſuperfluus eſſet intellectus. Quod ſi quis dicat, actio iſta libera prouenit ab intellectu, ſed recipitur in cogitatiua, hoc improbatur: quia actio illa, quæ eſt ab intellectu, eſt inextenſa, & inorganica: ſed omnes ſenſus ſunt organici, & eorum operatio recipitur in ipſis, mediantibus organis: actio autem illa intellectus, eſt inextẽſa, & inorganica, ergo nõ poteſt recipi in cogitatiua, vel in aliqua alia virtute organica, & extenſa. Præterea, ſi prouenirent ab intellectu, & intellectus non ſit forma informans, homo formaliter vellet, vt ſupra argumentabamur de intellectu. Ex his duabus propoſitionibus ſequitur hæc tertia: quòd electio, & determinatio ineſt nobis per animam intellectiuam: tunc ſic: experientia videmus nos habere hanc actionem liberam, hæc nobis non poteſt ineſſe per aliquam virtutem ſenſitiuam, quia illæ ſunt organicæ, & extenſæ, ergo ineſt nobis per intellectiuam, & conſequenter anima intellectiua eſt forma noſtra; quæ omnia probata ſunt ex dictis.

3. Tertiò, principaliter arguitur ex vnitate ſpecifica hominis: homo per rationale cõſtituitur in eſſe, & diſtinguitur à brutis: ſed rationale denotat nobis animam intellectiuam, ergo anima intellectiua dat eſſe ſpecificum homini, & eſt eius forma informans; Hæc ratio communiter adducitur à ſectatoribus iſtius ſententiæ; & cõfirmatur: quia certum eſt, quod homo diſtinguitur à brutis: non poteſt autẽ diſtingui, niſi per aliquam formã ſubſtantialẽ: vel ergo iſta forma eſt anima intellectiua, vel illa cogitatiua Auerrois: at nõ poteſt eſſe illa cogitatiua, quia vel illa cogitatiua eſt illamet imaginatiua, ſiue Phantaſia, de qua loquitur Ariſt. in calce 2. de Anima; vel eſt alia forma: ſi eſt eadem, homo à brutis non differt ſpecie, quia etiam bruta habent phantaſiam. Nec valet dicere, quòd in homine eſt excellentior, quia magis, & minus non variant ſpeciẽ, & Ariſtot. ibi agens de ea, nullum in ea diſcrimen ponit, ſed de ea agit communiter, vt omnibus animalibus competit; ſi verò eſt alia forma ſubſtantialis à Phantaſia illa, Ariſt. debebat de illa verba facere; cur enim Ariſt. de tali forma ſubſtantiali ita neceſſaria, & digna non eſt locutus, & tamen eſt locutus de Phantaſia, & forma ſubſtantiali dante eſſe ſpecificum brutis? ergo dicendum eſt, quòd forma dans eſſe ſpecificum homini, eſt anima rationalis. Quarto, eſt Argumentum Ariſtot. de Anima tex. 24. vbi volens Ariſtot. 4.
probare, quòd anima eſt forma corporis, ita argumentatur; Anima eſt id, quo primo viuimus, ſẽtimus, mouemur, & ratiocinamur, ergo anima eſt forma viuentis, ſentientis, mouentis, & ratiocinantis; ex quo loco apertè patet, quòd fatetur animam eſſe formam ratiocinantis: ſicuti anima ſentiens eſt forma ſentientis animalis; iam verò illa eſt forma informans, ergo anima rationalis, qua ratiocinamur, eſt forma informans. Hæc ratio in ſe eſt efficax: ex eo enim, quòd homo ratiocinatur, probat animam, per quam ratiocinatur homo, quæ eſt intellectiua eſſe formam, per quam conſtituimur in eſſe.

Quinto, Scotus tangit aliud argumentum, quod eſt: quia intellectio eſt actio immanens, non tranſiens, omnium conſenſione, at ſi intellectus eſt aſſiſtens, erit tranſiens, quia tranſit ab intellectu in hominem, ſicut actio intelligentiæ, qua mouet Orbem, eſt tranſiens ab Intelligentia in Orbem. Sexta ratio, Ariſt. 2. de Anima definiens animam, dixit, Anima eſt actus corporis Phyſici organici, &c. & ibi aſſignat definitionem de anima in communi, vt proteſtatur in primo textu, vbi pollicetur ſe velle aſſignare rationem communiſſimam de anima, ergo etiã anima intellectiua eſt forma dans eſſe ſpecificũ homini. Reſpõdet Frãciſcus Piccolomineus vbi ſuprà, quod Ariſt. ibi reſpexit totã animã, nõ partes eius, ideo verũ eſt, quòd tota ani- 5. Reſp. Picc.

ta anima eſt forma informãs,ſed nõ que-
Reij- libet pars,vt eſt intellectiua.Hęc reſpõſio
ciuntur. dicit pugnantia:ſi enim tota anima in cõ
muni eſt forma informans,quomodo nõ
eſt forma informans quælibet eius pars,
profectò ſi aliqua pars non eſt informãs,
falſum eſt quod tota ſit informans: quia
quod competit generi, competit etiam
cuilibet ſpeciei. Secundo reſpõdet,quod
genus in hac definitione, ſcilicet, actus,
non dicitur vniuocè, ſed ab vno, & ſic eſt
commune ad actum informantem,& aſ-
ſiſtentem; & hæc reſponſio eſt communi
ter omnium Auerroiſtarum: ſed impu-
gnatur ex ipſomet Ariſt. nam in 2. de A-
nima tex.2.poſtquam pollicitus eſt ſe vel
le aſſignare definitionem communiſſimã
animæ, diuidit ſubſtantiam (ſupponit e-
nim ex diſputatione habita contra Anti-
quos animam eſſe ſubſtãtiam) diſtinguit
ergo ſubſtantiam in tres partes,ſ.in mate
riam,formam,& compoſitum, & mate-
riam dicit eſſe potentiam,& formam eſſe
actum perficientem materiam; dicit e-
nim ibi, quod forma facit hoc aliquid;
deinde eliciens definitionem animæ in
quarto textu,ait,quòd anima non eſt cor
pus,neque materia,ſed quod eſt actus,&
forma corporis Phyſici,ergo actus qui ſu
mitur in definitione animæ,eſt forma,&
actus dans eſſe, non autem in communi
ſumptus ad actum aſſiſtentem, & infor-
mantem. Hoc idem confirmatur ex eo-
dem 2.textu 7.ibi enim Ariſt.ait,non eſſe
quærendum an ex anima,& corpore fiat
vnum, ſicuti non eſt quærendum, an ex
cera,& figura fiat vnum,quoniam ex po
teſtate,& actu non fiunt duæ res,ſed vna:
ecce, quòd actus iſte, qui eſt anima, eſt
qui informat,& dat eſſe potentiæ. Idem
colligitur ex tex. 8. eiuſdem libri, vbi di-
cit, quod anima eſt quod quid eſt corpo-
ris, modo forma aſſiſtens, non eſt, quod
quid eſt rei,ſed hoc, verificatur ſolum de
cauſa formali dante eſſe ſpecificum,quę
eſt vnum genus cauſæ per ſe; vnde forma
in 2. Phyſ. textu 28. definitur, quod eſt,
quod quid eſt rei.In eodem etiam tex.cõ
parat corpus animatum ſecuri, & animã
figuræ ſecuris, at figura ſecuris eſt, quæ
conſtituit in eſſe ſecurim, non autem illi
aſſiſtit.Idem docent Ariſt.in tex.9.& 10.
comparando corpus oculo, & animã po-
tentiæ viſiuæ: dicit enim potentiam viſi-
uam eſſe, quod quid eſt oculi, ſine ea e-
nim eſſet oculus æquiuocè: ita quoque a-
nima eſt quod quid eſt corporis Phyſici,
illi dans eſſe,non aſſiſtens,ſicuti potentia
viſiua non aſſiſtit oculo, ſed informat, &
dat eſſe.Reſponſio Viccomercati ad hæc *Reſp.*
omnia argumenta non eſt reſponſio, ſed *Vicco*
repetitio ſuæ poſitionis: ait reſponderi v- *merc.*
nico verbo ad omnia argumenta, nem- *reijc.*
pè, quòd ſtante, quòd anima rationalis
ſit aſſiſtens, nihilominus homo eſt intel-
ligens,eſt vnus per ſe,viuere poteſt,& dif
fert ab alijs per rationale: quia in homi-
ne eſt vnica anima,quæ eſt eius vera for-
ma informans,ſed non ſecũdum omnem
partem,quia non ſecũdum intellectum.
Sed hæc reſponſio, vt dixi, eſt repetitio
ſuæ opinionis, & per rationes adductas
reiecta eſt:quia ſi anima rationalis nõ eſt
informans,homo non intelligeret forma-
liter, vt oſtendit prima ratio, non opera-
retur liberè,vt oſtendit ſecunda;non dif-
ferret à brutis,vt oſtendit tertia, & quar-
ta;intellectio non eſſet immanẽs, vt quin
ta; neque hoc congruit definitioni ab A-
riſt. aſſignatæ, vt oſtendit ſexta ratio. De
his multa alia legi poſſunt apud Alexan-
drum, Pomponatium, & alios viros do-
ctos.Hæc ſatis ſint ex dictis à Scoto. Præ-
terea, vt nunc dictum eſt contra Piccol.
hæc reſponſio dicit repugnantia: quia re-
pugnat,quod aliqua vna forma ſecundũ
totam eſſentiam ſit informans,& eius a-
liqua pars non ſit informans,ſed aſſiſtẽs:
non enim eſſet vnica eſſentia numero,
ſed aggregata ex pluribus animabus,qua
rum illa, quæ eſt aſſiſtens, non eſt vera
forma hominis, quia non eſt quod quid
eſt eius.

Rationes variæ pro opinione Auerrois, *Aliæ*
præter adductas, in primo capite addu- *rõnes*
cuntur:quarum quaſdam præcipuas ego *pro o-*
adducam: longiſſimæ enim diſputationes *pinio-*
de hac re habentur.Gandauenſis 3.de A- *ne*
nima,q.5. multipliciter arguit: & nota *Auer.*
quod eius rationes ſupponunt,quod om
nis forma informans materiam, & cor-
pus,ſit materialis.Primò inquit ſequere- 1.
tur, quod anima rationalis eſſet morta-
lis:conſequens eſt falſum,ergo. Ibi habet
alia

alia argumenta, ſed ego ex eius dictis ita
2. arguo. Si anima rationalis eſt forma informans, ergo anima rationalis eſt materialis: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens; Conſequentia probatur: quia forma immaterialis non poteſt dare eſſe materiale; ſi ergo rationalis eſt forma immaterialis, non poteſt dare eſſe materiale homini, & informare materiam, & ex aduerſo, ſi dat eſſe materiale, ipſa eſt materialis, & corporea; falſitas conſequentis probatur: quia ſi eſſet materialis, ipſa non reciperet omnes formas materiales, nec formas rerum materialium, quia nihil recipit ſeipſum, neque ſpeciem ſui: at intellectus recipit omnes formas materiales quãtum ad earum ſpecies, ergo non eſt mate-
3. rialis. Sequeretur etiam, quòd ſi intellectus eſt informans corpus, quod ſit extenſus, quia eſt ſubiectum figuræ corporis, & aliorum accidentium: nam materia per ſe non poteſt eſſe ſubiectum accidẽtium, eſt ergo ſubiectum accidentium per animam dantem illi eſse ſpecificum, ergo ſi illa eſt intellectiua, anima intellectiua erit ſubiectum figuræ, quæ eſt quantitas, & ſic ipſa erit quanta ſaltẽ per accidens,
4. quod eſt abſurdum. Quarto, ſi anima rationalis eſset materialis, non poſſet intelligere vniuerſalia, quia vniuerſalia intelliguntur cum abſtractione à materia, ergo ſolùm competit facultati abiunctæ à
5. materia. Quinto, Alij arguunt ex Ariſt. 3. de Anima, tex. 4. & 6. vbi dicit intellectũ humanum eſſe immixtum, id eſt non cõmixtum cum materia, ergo intellectus non eſt forma informans.
6. Sexto Ariſt. in 1. de Anima, textu 92. ait non poſſe quidem fingi quam partẽ corporis occupet intellectus, ergo intellectus non eſt forma corporis, ergo eſt abiũ
7. ctus à materia. Septimo, Ariſt. 2. de generatione animalium, cap. 3. ait, quod intellectus extrinſecus accedit, ergo nõ eſt forma informans, ſed aſſiſtens homini.

Proponuntur quædam digna ſcitu pro intelligentia veritatis, & rationes Aduerſariorum ſoluuntur. Cap. III.

PRo ſolutione rationum Aduerſariorum ſciendum eſt, quod Ariſt. ſemper fuit dubius, an omnis forma informans ſit corruptibilis: vel potius aliqua ſit corruptibilis tantùm, aliqua verò non; Quòd aliquæ formæ informãtes ſint corruptibiles, non dubitauit, ſed pro certo habuit; & patet ratione, & experientia; per continuam corruptionem rerum, ſed de anima rationali fuit valde dubius, & modo in hãc partem, modo in aliam declinauit, vt dicemus in ſequentibus, dum de immortalitate tractabimus. Adeò quod tres ſunt propoſitiones apud Ariſtot. Prima; Anima rationalis eſt forma informans hominem. Secunda, Anima rationalis eſt inorganica, incorporea, & immaterialis ſecundum ſuam eſsentiam, neque alicui organo adicta, & operatur ſine organo. Tertia; Anima rationalis in ſe, & quo ad eſsentiam ſuam, eſt incorruptibilis. De duabus primis fuit ſemper certus: quia per rationes probari poſsunt, & ab eo probantur, quòd clarum eſt ex dictis: nam in præcedentibus viſum eſt de prima; de ſecunda quoque habetur intentio Ariſtotelis in 3. de Anima, textu 6. vbi apertè probat, quod anima rationalis non eſt organica, neque commixta corpori: nam in operando non vtitur organo, quia eſset qualis, eſset enim calida, vel frigida. De tertia verò propoſitione fuit dubius, & ſecundum varia principia variè locutus eſt. Si inſpiciebat operationem animæ rationalis, quæ eſt ſine organo, Item ſi inſpiciebat eius excellentiam, ſibi videbatur incorruptibilis, & immortalis: ideò aliquando dixit intellectum eſſe quid Diuinum forſan eſse ſeparabilem à corpore, extrinſecus aduenire, & alia huiuſmodi. Si verò conſiderabat, quod intellectus operatio non eſt ſine corpore, quia non eſt ſine phantaſmate, & quod eſt actus corporis, & quod alij huiuſmodi actus ſunt corruptibiles, & multa alia, quæ infrà tangentur declinabat ad mortalitatem. Et certè niſi nos Chriſtianæ fidei lumine eſſemus adiuti, hoc lumen immortalitatis animæ ignorauiſsemus, & ſi illam admiſiſsemus, illam admiſiſsemus cum multis erroribus, vt fecerunt Auerroes, & Platonici, qui etſi dixerunt animam rationalem eſse immortalem, tamen illi multas impietates adiunxerunt, vt po-

Tres propoſitiones notabiles apud Ariſt

vt ponendo numerum determinatum ab initio mundi, vt Platonici, aut vnicam, vt Auerroes, & alia multa abſurda. Stante hoc fundamento, facilè eſt reſpondere ad rationes in oppoſitum allatas.

Ad 1. Ad primam Gandauenſis, negatur cõſequentia; Ratio negationis eſt: quia conſequẽtia innititur illi propoſitioni, quod omnis forma informãs materiam, ſit materialis, & corruptibilis, quam diximus vniuerſaliter non eſse certam apud Ariſtot. ſed ſolum quo ad aliquas formas, nõ autem quo ad rationalem, de qua in præſenti loquimur.

Ad 2. Ad ſecundam, negatur conſequentia; ad probationem negatur illa propoſitio, quod forma immaterialis non poſſit dare eſse materiale, id eſt informare corpus, & dare vitam, non poteſt quidem dare eſse corporeum, & extenſum, & ſic currit argumentum, ſed poteſt dare vitam intellectiuam, & eſse inextenſum.

Ad 3. Ad tertiam reſpondetur, negando conſequentiam: quia intellectus dat eſse homini vitale, non corporeum, & extenſum; iam enim corpus per formam corporis eſt quantum, & extenſum, per animam verò habet eſse intellectuale, & vitam, & ſic non ſequitur quòd ſit quanta, extenſa, & organica, licet det eſse homini per informationem.

Ad 4. Ad quartam, reſpondent Alexandrei negando conſequentiam, quia ad intellectionem vniuerſalium ſufficit abſtractio ab organo ſecundum operationem, non ſecundum eſse; nos inſuper poſsemus reſpondere, concedendo totum argumentum: ſed negamus ſuppoſitum, ſcilicet, quod anima rationalis ſit materialis.

Ad 5. Ad quintam reſpondetur, quod intellectus duobus modis poteſt dici commixtus corpori, vel quo ad eſse, vel quo ad operationem, quo ad eſſe affirmatur ab Ariſt. vt viſum eſt, quia illi dat eſse, ſed quo ad operationẽ eſt immixtus, & quia commixtio intellectus cum corpore quo ad operationem, poterat duobus modis eſse; Vel quo ad obiectum recipiendum, vel quo ad corpus, vt illo vtatur ad intelligendum tamquam organo, & eius inſtrumento, Ariſt. in illo 3. de Anima tex. 4. refutat primam Concluſionem quo ad obiectum, & inquit: quòd intellectus eſt immixtus ab omnibus obiectis, quia in ſua natura nullum obiectum habet: quia intus exiſtens, prohibet extraneum; Secũdùm verò reijcit in 6. tex. vbi apertè ait, quod intellectus in operando non vtitur organo, quia tunc intellectus eſset calidus, vel frigidus, adeo quod Ariſt. ibi vult oſtendere, quod intellectus non vtitur organo corporeo ad intelligendum, vt ſenſus, ſed eſt immixtus ab eo.

Ad ſextam per idem patet: nil aliud enim Ariſt. vult dicere ibi, niſi quod intellectus in corpore non habet determinatum locum id eſt organum, non enim eſt colligatus alicui parti corporis, qua vtitur vt inſtrumento, vt cæteræ partes animæ, ſed eſt inorganica virtus. *Ad 6.*

Ad ſeptimam dicemus, dum loquemur de origine animæ rationalis infra. *Ad 7.*

Ad rationem Viccomercati dico, quod rectè debet conſiderari ille textus, & tunc patebit, quod ille tex. 11. facit diſertè pro nobis: nam in illo tex. Ariſt. ſtatim in initio ex dictis colligit, quod anima non eſt ſeparabilis à corpore, ſed ſtatim Ariſtot. venit in mẽtem anima rationalis, de qua erat ipſe dubius, & erat apud Philoſophos tanta controuerſia, ideò ſtatim quodammodo reſtrinxit ſermonẽ, & reſtrinxit ſe, vnde hæc ſunt verba eius. (*Quod quidem igitur non ſit anima ſeparabilis à corpore, aut partes quædam eius, ſi partibilis apta nata eſt, non immanifeſtum eſt.*) Ecce, quòd prius ait manifeſtum eſse animam non eſſe ſeparabilem à corpore: deinde propter dubium de anima intellectiua, quæ eſt pars animæ in communi, quam prius definiuerat, ſe reſtrinxit dicens; aut quædam partes eius, & aliam rationem adducit propter quã aliquæ partes ſunt ſeparabiles, quædam vero non, & inquit: quia aliquæ ſunt actus quarundam partium corporis: quædam vero nõ: id eſt, ideo aliquæ partes non ſunt ſeparabiles, quia alligatæ ſunt aliquibus partibus corporis, quibus egent ad eorum operationes obeundas: & quia abſque illis operari non poſſunt, ideò ne otioſæ ſint, non poſſunt ſeparari. Sed quædam ſcilicet intellectiua, quia non ſunt alligatæ alicui organo; non enim in operando *Ad Viccomer. q̃ eſt 1. tõ ex 1. cap.*

vtuntur

vtuntur organo, nullum habent impedimentum ex hac parte, quin ſint ſeparabiles: & curſus, quia iſta ſeparabilitas ipſi erat dubia, nec volebat ſe determinare ad huc, eam obſcuritate inuoluit, ſubinferens. Amplius immanifeſtum ſi ſit corporis actus anima, ſicut nauta nauis: videbatur enim ſequi, quod ſi anima rationalis eſt ſeparabilis à corpore, anima rationalis aſſiſteret corpori, vt etiam aliqui Antiqui forſan exiſtimabant; Ideò hanc ſententiam reprimit, dicens; immanifeſtum eſt autem, an anima ſit corporis actus, vt nauta nauis: id eſt, ſed ex dictis non eſt manifeſtum, an anima ſit actus corpori aſſiſtens, vt nauta nauis, quaſi dicat, ſed potius oppoſitum eſt manifeſtū, quod eſt actus corporis per informationem; quod item ſupra probauerat, vti oſtendimus perpendendo textum 9. & 10. cap. præcedentis; & cõfirmatur hæc expoſitio; quia ſi Ariſt. iudicaſſet animam intellectiuam eſſe formam aſſiſtentem, & hoc colligeret ex eo, quod intellectus nõ eſt actus alicuius partis corporis, debuiſſet colligere ſic: manifeſtū eſt, quod anima eſt actus corporis, vt nauta nauis, & non oppoſitum: at ipſe colligit oppoſitū, ſcilicet, non eſse manifeſtum an ſit actus corporis, vt nauta nauis, textus ergo ille atteſtatur egregiè dubitationem Ariſtot. in materia de ſeparabilitate, & incorruptibilitate animæ intellectiuæ.

Ad Picc. Ad primam rationem Piccolominei, reſpondeo primo, quod anima duobus modis conſiderari poteſt; vel ſecundum quidditatem; vel vt eſt forma; ſecundo modo eſt natura, non primo modo, Ariſt. dicit loco citato Animam in prima ſignificatione non eſſe naturam, non in ſecunda; Vide infrà Theoremate ſequenti, capite 3. Secundo poſſumus dicere, quòd re vera anima rationalis eſt natura, quia eſt forma hominis, vt vidimus; ſed quia, vt dictum eſt, Ariſt. fuit dubius de æternitate animæ rationalis, ſecundum varia ptincipia vario modo locutus eſt de ea: & quia communiter forma naturalis eſt corruptibilis, & de anima rationali erat dubium, an eſset mortalis, vel potius immortalis, tunc declinans ad immortalitatem dixit intellectum non eſse naturam, non quidem, quòd voluerit dicere, quod anima non ſit forma non informans: ſed voluit dicere, quod non eſt natura, id eſt, & mortalis vti communiter ſunt formæ naturales, & fateor, & fatetur Scotus apud Ariſt. reperiri auctoritates magis expreſſas pro immortalitate, quam pro mortalitate: ſed rationes ſunt efficaciores pro mortalitate, quàm pro immortalitate; & mirum ſi arbitratus eſt Ariſt. animam rationalem eſse immortalem, quod illam nullibi ſaltem aliqua ratione ſuaſerit, cum eſset res tanti momenti.

Ad ſecundum reſpondetur per idem, tamen infra declarabimus quomodo anima quælibet nedum rationalis extrinſecus educatur, & tamen ſit forma informans: quia Scotus de mente Ariſt. tenet, quod Deus ſit productiuus animæ cuiuslibet ex ſemine, ideo dato, quod anima extrinſecus accedat, id eſt ab vniuerſali agẽte ex virtute ſeminis producatur, non tamen ſequitur, quod non ſit forma informans, & quod materia ad eam non ſit in potentia. Ad tertium dico, quod variæ ſunt expoſitiones illarum trium rationū Ariſt. ſcilicet, quomodo anima rationalis pertineat ad Phyſicum; Pro nunc dico, quòd non ait, quod rationalis non pertineat ad Phyſicum, ſed quod non pertinet ad Phyſicum, ſecundum omnem ſuam conſiderationem; non enim pertinet ad Phyſicum quatenus eſt Ens, ſed ad Metaphyſicum; Vel dicas, quòd tunc declinat ad immortalitatem, vt ſuprà, & ſic ait, nõ pertinere ad Phyſicum. Ad quartam reſpondetur, quod Maior eſt falſa abſolutè prolata: quia non eſt inconueniens, quod forma ſecundum ſuam eſsentiam ſit immaterialis, & informet corpus Phyſicum, & det illi vitam; concedimus ergo, quòd intellectus eſt immaterialis, & immixtus organo corporeo, quia per ſe, eſt receptiuus ſpecierum abſque aliquo inſtrumento corporeo, ſed quãdo ait, quod intellectus eſt incorruptibilis, negatur hoc aſſumptum: quia hoc eſt dubium; & dato, quòd eſset immortalis, non propter hoc ſequitur, quod non poſſit informare corpus, & negatur, quòd hæc forma non ſit proportionata corpori; eſt enim actus, corpus vero potentia.

Ad 2. *Ad 3.* *Ad 4.*

THEO-

THEOREMA LXVIII.

Anima rationalis ſecundum veritatem, eſt immortalis, ſed de hac veritate fuit dubius Ariſtoteles.

Exponitur Sententia Scoti. Cap. I.

Scot. SCotus 4.Sent.d.43.quæſt.2.declarando ſecundam propoſitionem, quæ eſt iſta; An animam rationalem eſſe immortalem, ratione naturali poſſit probari; Reſpondet, quod naturaliter non poſſumus habere rationes neceſſarias, atque demõſtratiuas, ad illam probandam; ſed ſolum probabiles; & loquens de Philoſophis, maximè de Ariſtotele, ait, quòd auctoritates eius, quæ videntur aſſerere immortalitatem, poſſunt ſolui duobus modis; vno modo, quia dubium eſt, quid ipſe Ariſt. circa hoc ſenſerit; variè enim loquitur in diuerſis locis, & habuit diuerſa principia, ex quorum aliquibus videtur ſequi vnum oppoſitum, & ex alijs aliud; vnde probabile eſt, quod Ariſtot. in illa Concluſione ſemper fuerit dubius, & nunc magis accedere ad vnam partem, nunc magis ad aliam, iuxta hoc, quòd tractabat materiã conſonam magis vni parti, quàm alteri; neque ſibi contradicit in quodlib. 21. ſed habet eandem doctrinam, quàm habet in eo.4. Sent. loco citato; & nos declaramus in ſeq. Theor. cap. 1. declarando authoritatem illam Ariſt. Intellectus de foris aduenit: docet enim ſecundum principia Ariſt. animam intellectiuam eſſe immediatè à Deo: ſed non dicit ſecundum omnia principia Ariſt. eſſe immortalem. Quòd ſi quis obijciat, ait Scotus in eo quodlibeto, quod ratio naturalis poteſt attingere ad probandam animam intellectiuã eſſe immediatè à Deo, quia eſt immortalis, ergo ſecundum principia Ariſtot. vult Scotus, animam intellectiuam eſſe immortalem. Reſpõdeo, quòd aliud eſt aſſerere animam intellectiuam eſſe immortalem probari poſſe ratione naturali, aliud eſt ſecundum principia omnia Ariſt. eſſe immortalẽ, ex illa ratione Scoti poteſt inferri primum, non ſecundum. Vnde etiam Scot. in 4. Sent. loco citato, dicit, quod ad probandum animam intellectiuam eſſe immortalem, ſunt rationes probabiles, licet non ſint demonſtratiuæ, neque neceſſariæ, tamen authoritates Ariſt. ait poſſe dupliciter ſolui; ſcilicet, vel quia fuit dubius, vel quia ſi aſſerit animã rationalem eſſe immortalem, non probauit: nulla ergo eſt contradictio in Scoto, ſed idem vtroque loco dicit; & hoc elicitur quoque ex 7.q. quodl. ſub P. vbi citat quodlib. 21. quo in loco apertè oſtendit, ſe ibi loqui de productione animæ intellectiuæ, non de immortalitate animæ; Quod ſi quis obſtinate hanc expoſitionẽ reijciat, dicamus, quòd ſecundum aliqua principia Ariſt. anima intellectiua eſt immortalis, vt nunc infra patebit, & de his loquitur ibi Scotus; Hanc eandem ſentẽtiam habet Scotus in 3. Sententiarum, diſtinct. 27. quæſtione vnica, articulo 3. ſub G.

Quòd autem hoc verum ſit, facilè oſtenditur Ariſt. 7. Metaph. tex. vlt. vult, quod quando compoſitum reſoluitur, ſolùm partes materiales remaneant, ſcilicet, elementa, ſed forma nequaquam: vnde dicit ibi, quod compoſitum conſtituitur ex partibus materialibus, vt ex terra, & igne, ſicuti ſyllaba componitur ex elementis; ſed vltra hoc adeſt forma totalis reſultans, & dans eſſe toti. Vnde ſyllaba AB, non eſt ſolum A, & B, ſed aliquid aliud, & caro non eſt ſolum ignis, & terra, aut calidum, & frigidum, ſed & alterum aliquid: per illud, aliquid alterum, innuens formam ſubſtantialem, & totalem; & hoc probat: quia diſſolutis his, id eſt elementis, vti A, & B, & terra, & igne, elemẽta quidem manent, ſed caro, & ſyllaba non manẽt, id eſt forma ſubſtantialis totalis, quæ dabat eſſe carni, nõ manet poſt totum; & ex hoc elicitur, quòd forma ſubſtantialis, qua totum habet eſſe, non manet ſeparata à toto ſuo materiali; ſed hæc forma totius non eſt alia forma à forma partis, vt declaraui in Theoremate, An totum diſtinguatur realiter à ſuis partibus, quia forma partis eſt quę dat eſſe rei, & conſtituit eſſentiam rei, vt ibi declaraui: at anima rationalis eſt, quæ dat eſſe homini, vt probauimus: & eſt quod quid eſt hominis, ergo ipſa iuxta principia Ariſt. *1. 10.*

non

non, remanet ſeiuncta à toto materiali, ſiuè à partibus materialibus. Et ex hoc confutatur reſponſio Iauelli ad hoc argumentum, qui concedit, formam totius corrumpi, ſed negat animam eſſe formam totius; Rationes autem in dicto Theoremate adductæ cap. 1. hoc probant;& hoc quo ad ſecundam reſponſionem; quo ad primam reſponſionem verò, concedit Iauellus, Ariſtotelem probare ibi, quod totum eſt aliud à partibus, quia partes remanent poſt totum, hoc autem non probat rationalem corrumpi, immò remanere: quia ait, partes remanent, rationalis autem eſt pars hominis. Sed ego quæro à Iauello, quæ ſint partes, quas Philoſophus ibi dicit remanere poſt totum; certè dicit eſse ſolùm materiales, non formam, immò formam dicit corrumpi, ergo hæc conſequentia eſt Ariſtotelis, partes quæ remanent poſt totum, ſunt ſolum elementares, ergo non forma.

Reijcitur reſp. Iau.

Secundò, eſt principium apud Ariſtotelem: quòd incipit, deſinit eſſe; vndè hoc vtitur Ariſtoteles contra Platonem 1. de Cęlo, textu 102. & indè, & textu 126. & indè, & ibi habet pro incōpoſſibili, quod aliquid receperit eſſe, & ſit perpetuum, & incorruptibile: ſed anima rationalis incipit eſſe, apud Ariſtotelem, ergo. Item 3. Phyſicorum cap. de Infinito, textu 60. habet. Cuius eſt principium, eius eſt finis; Huic rationi reſpondet Iauellus eodem 3. de Anima, quæſtione 3. dupliciter. Primò, quod argumentum concludit de genito generatione Phyſica: ſed anima non eſt genita generatione Phyſica. Sed hæc reſponſio deſtruitur per rationes Philoſophi, & per ſuammet declarationem iſtorum terminorum, ingenitum, & genitū, nam expreſsè textu 125. ſe declarat, quid intelligat per ingenitum, & quid per incorruptibile intelligat, & dicit, & quod accipit ingenitum in ſua ſignificatione pro eo, quod eſt nunc: & prius verum nō erat dicere, non eſſe, id eſt pro eo, quod ſemper fuit, & eſt, & per incorruptibile intelligit id, quod nunc eſt, & de quo poſterius non erit verum dicere, non eſt; & oſtendit, quod hæc duo ſe conſequuntur, ingenitum, & incorruptibile; in tex. verò ſequenti probat ex his, quod genitum, & corruptibile ſe conſequuntur: adeò quod omne quod eſt genitum, eſt corruptibile; Ex hoc patet falſitas reſponſionis Iauelli, quia Ariſtotel. non loquitur de genito, generatione Phyſica, vel alio modo, ſed loquitur abſolutè de genito, quod eſt illud quod habuit eſſe poſt non eſſe, vti dicunt ipſi de anima, nam ſicut ingenitum eſt, quod ſemper habuit eſſe, ita genitum eſt, quod non ſemper habuit eſſe, ſed poſt non eſſe, habuit eſse, & adducit rationē in textu 127. 128. & 129. quæ conſiſtit in hoc; datur aliquid quod ſemper fuit, ſemper eſt, & ſemper erit, & hoc dicitur ſemper ens: datur aliud, quod nunquam fuit, neque eſt, neque vnquam erit, & hoc dicitur ſemper non ens; inter hęc duo extrema datur medium, quod medium eſt genitum, & corruptibile: hæc enim non ſunt ſemper, vt ſemper ens, neque ſemper non ſunt, vt ſemper nō ens, ergo ſunt medium, & ſic aliquando ſunt, & aliquādo non ſunt: genitum enim pro aliquo tēpore determinato eſt, pro aliquo verò nō eſt corruptibile, ſimiliter pro aliquo tempore eſt, & pro aliquo non eſt, & ſic ſe videntur conſequi: & hac ratione probat Ariſt. corruptibile, & genitum ſe conſequi; Ex hac ratione colligitur, quod Ariſtot. non accipit genitum, quod eſt corruptibile, pro genito generatione Phyſica, ſed pro eo, quod aliquando habuit eſſe, poſt non eſse, quocumque modo illud eſſe recipiat. Ex his etiam patet falſitas ſecundæ reſponſionis Iauelli ad hoc argumentum, cui magis ipſe aſsentit, quæ eſt, quod Ariſtotel. loquitur de genito, quod habet contrarium, cuiuſmodi non eſt anima, falſum enim eſt, quod loquatur de genito ſub hac contractione particulari, ad genitum habens contrarium, quia, vt dixi, loquitur de genito abſolutè, quod habet eſse, poſt non eſse, & eſt medium inter ſemper eſse, & non ſemper eſse. Sed plures aliæ rationes ad hoc in illis textibus habentur, quas vnuſquiſque videre poteſt.

Reijcitur reſp.

1. reſpōſ. Iau. *Reijcitur.* *2. reſp. Iau. reijc.*

His poſsumus addere tertiò, quod ſecundum Ariſtotelem forma eſt, quod quid eſt, & eſsentia rei compoſitæ, ergo implicat, quod illamet forma ſit ſeparabilis ab 3.

bilis ab

bilis ab illa eſsentia, ita quod deſtruatur eſſentia illius compoſiti, & forma illa maneat: & hæc ratio eſt, quam magni facit Alexander Aphrodiſienſis, quæ re vera eſt efficaciſſima: dicere autem animā rationalem non eſſe formam ſpecificam hominis, eſt adeò impium, & contra rationem, vt ſupra diximus, vt nihil magis. Ex his principijs Ariſtot. declinabat ad mortalitatem intellectus.

4. Quartò, etiam 1. de Anima, tex. 12. ait intellectum non intelligere ſine phantaſmate, ex quo colligitur non poſſe ſeparari à corpore, quia eſſet otioſa.

Reijcitur reſp. D. T. Reſponſio Diui Thomæ nulla eſt: quia oſtendam eius opinionem eſſe impoſſibilem apud Ariſtotelem. Neque reſponſio Auerroiſtarum, qui dicunt, vt Viccomercatus, & Franciſcus Piccolomineus, quod licet corrumpatur vnius phantaſia, alia remanet, cum qua intellectus intelligit ſemper; eſt ergo mens ſeparabilis ab hoc, & ab illo corpore, ſed non à corpore in communi. Sed hæc reſponſio eſt vana: quia ergo incorruptibile, æternum, & diuinum pendet à corpore in ſua propria, & peculiari operatione, quia non poteſt operari ſine corpore, ſiue illo vtatur vt inſtrumento, ſiue quocumque alio modo. Præterea, Ariſtotel. loquitur de corpore particulari vniuſcuiuſque hominis; quia loquitur de paſſionibus, vt de timore, ira, deſiderio, &c. & quærit de his, an ſint illis particularibus corporibus ſimul cum intellectu communes, vel ſoli animæ: & cōcludit, quòd ſi communes ſunt toti coniuncto, anima non eſt ſeparabilis ab illo corpore particulari: certum eſt autem, quòd timor, confidentia, ira, &c. inſunt toti coniuncto, vt ibi dicit etiam de intelligere, quia non eſt ſine phantaſia; non ergo confugere debent ad corpus in communi. Mirum eſt de viris iſtis, dum Ariſtoteles dicit videri ſibi animam eſſe abiunctam à corpore, libenter interpretātur de corpore particulari; dum verò Ariſtoteles dicit ſibi videri non poſſe ſeparari, quia non poteſt operari ſine corpore, interpretantur de corpore in communi: at Ariſtoteles loquitur vniformiter, quia de eadem quæſtione ſemper loquitur, & maximè in illo 1. de Anima, textu 12. quia dicit eſſe dubitationem de paſſionibus animæ, an ſint totius coniuncti, vel ſolius intellectus: quia ſi primum, non eſt ſeparabilis à corpore; ſi verò ſecundum; nihil prohiberet: ſed primum concedit, & negat ſecundum, & ſic ex hoc principio pendet inſeparabilitas.

Præterea, 3. de Anima, textu 20. dicit, quòd intellectus poſt mortem non reminiſcitur; quæro ergo ad quem pertineat reminiſcentia, an ad homines, & intellectus particulares (ſuppono enim reminiſcentiam eſſe intellectus in hac vita) certè pertinet ad particulares, non ad vnam vniuerſalem Intelligentiam; ſed inquit quod non reminiſcitur, ergo ſupponit, quod intellectus remanens poſt mortem ſit ille particularis, qui erat viuentis huius, & quod ſint plures, non vnus poſt mortem.

Aliorum principium īpellens ad īmortalitatē. Ex altera parte habebat quædam principia, licet non ita cogentia, quæ ipſum impellebant ad immortalitatem, quæ vt ex eius dictis colligitur, videntur eſſe dignitas intellectus, qui videtur eſſe quodammodo quid diuinum, eſt enim in operatione ſua inorganicus, & hoc eſt maius, & magis cogens principium, quod tamen non ita cogit, vt aduerſa, quæ adduximus.

Aderat etiam opinio maximorum, & pręcedentium Philoſophorum, deſiderium naturale hominis, exiſtimatio omnium hominum ferè, pietas legum, & alia huiuſmodi, quæ tamen non ſunt valdè efficacia vt priora; & hoc cōfirmatur: quia Ariſtoteles nullam adduxit rationem, neque innuit vnicum medium, quo probaret illam eſſe immortalem: ſed aliquando aſſeruit quidem eſse immortalem, ſed ſub dubio, & ſub ambiguitate, vt expoſitores eius illas auctoritates in vtrāque partem trahant, & exponant, quæ omnia ſigna ſunt euidentia dubitationis Ariſtotelis in hac re, qui neſciuit ad alteram partem certam, & euidentem ſe determinare: & certè niſi lumen ſupernaturale nos adiuuiſſet, arbitror innumeros homines hoc dubio inuolutos fuiſſe: res enim nimis ardua eſt ex lumine naturali tantum.

Secūdus mo. Secundus modus quo poſſumus ſolue re aucto-

re auctoritates Ariſtotelis, eſt, quia poſſumus dicere, quod licet exiſtimauerit animam rationalem eſſe immortalem, hoc tamen rationibus neceſſarijs non probauit: neque enim omnia dicta à Philoſophis aſsertiuè erant probata ab eis per neceſſariam rationem naturalem, ſed frequenter non habebant niſi quaſdam probabiles perſuaſiones, vel vulgarē opinionem Philoſophorum præcedētium; vnde Philoſophus 2. de Cælo, textu 60. in quo loco tractat duas difficillimas quęſtiones, inquit, tentādū eſt id dicere, quod videtur ſignum, reputantes promptitudinem magis imputari verecundiæ, quam audaciæ, ſi quis propter Philoſophiæ ſitim etiā paruas ſufficientias diligit, de quibus maximas dubitationes habemus.

°fol uēdi utho ita- es A iſt.

Ex quo loco elicitur debere ſufficere Philoſopho quæuis parua ſufficientia de rebus arduis, vbi non poterint peruenire ad maiora, ne contradicerent principijs Philoſophiæ, & in eodem capitulo ait: de alijs aſtris dicunt Aegyptij, & Babylonici, à quibus multas credulitates habemus de vnoquoque aſtrorum; ex quo loco patet, quòd quandoque Philoſophi acquieſcunt alicui Concluſioni propter ſuas perſuaſiones probabiles, aliquando propter aſſertiones ſuorum principiorum, præter rationem neceſſariam; & ex hoc habetur reſponſio clara ad omnes auctoritates Philoſophi, etiam ſi eſſent expreſſæ, quod licet Ariſtoteles exiſtimauerit animam immortalem, nunquam hoc rationibus neceſsarijs probauit: immò ad hanc concluſionem nullam ipſe Ariſtoteles rationem adduxit, vt illam probaret, vt patet ex diligenti inquiſitione eorum, qui dicunt indubitanter Ariſtotelem poſuiſse animam immortalem, quia nullam rationem nec leuiſſimam factam ab Ariſtotele ad oſtendendum animam eſse immortalem adducunt, licet varias auctoritates eius adducant, ex quibus ipſe videtur aſſeruiſse hanc immortalitatem.

Notā dum. Sed hic vnum aduertendum eſse notādum eſt; quod quando Ariſtoteles videtur dicere animam rationalem eſse immortalem, non tenet eam immortalem vt facit Auerroes, & eius ſectatores, id eſt, non tenet eam eſse vnam Intelligentiam aſſiſtentem omnibus hominibus, quia vt viſum eſt, fatetur eam eſſe informantem, ſed dicit eſſe immortalem, vt D. Thomas, id eſt animam rationalem vniuſcuiuſque eſſe immortalem. At dicet Aduerſarius, hoc non potuit dicere Ariſtoteles, quia eius principijs aduerſatur; & ego reſpondeo, quòd aliquibus ſuis principijs aduerſatur, ideò quia non habuit rationem ſufficientem ad probandum immortalitatem, quæ tamen animę ob alia principia, quæ diximus ei competere videbatur ſibi, ſemper cum dubitatione dixit, eam eſse immortalem, certus ergo fuit Ariſtoteles, quod intellectus eſt forma hominis, & hoc probauit, ſed an eſset immortalis fuit dubius; Quòd confirmatur: quia teſte Franciſco Piccolomineo, 2. libro de Mente humana, cap. 20. Ariſt. nullibi mentionem fecit de vnitate intellectus, ſi ergo Ariſt. exiſtimauit animam rationalem eſse quandam intelligentiam vnam numero, hominibus aſſiſtentem, certè, vel vnum verbum de hac vnitate dixiſset: at quia ſupponebat eam multiplicari ad multiplicationem indiuiduorum, quia eſt forma informans, ideò vt de re clara nec verbum fecit.

Opiniones, & rationes Aduerſariorum explicantur. Cap. II.

ILli, qui animam eſse immortalem abſque vllo dubio dixerunt, de mente Ariſtotelis, in duas partes diuiſi ſunt; aliqui enim dixerunt illam eſse vnicam in omnibus hominibus, vt Auerroiſtæ omnes, & Viccomercatus, Franciſcus Piccolomineus, & alij. *Auerroiſtæ Vic. Frāc. Picc.*

Alij verò dixerūt multiplicari ad multiplicationē indiuiduorū, & vnamquamque eſse immortalem; atque hæc opinio eſt vera, & de fide; ſed hanc diximus fuiſſe dubiam Ariſtoteli, & hanc ſecutus eſt D. Thomas. Quæ opiniones licet diuerſæ ſint, tamen in eo, quod vtraque ſuſtinet animam rationalem eſse immortalem, rationes communes habent, quas adducere libet, vt dubietas Ariſtotel. in hac re, & meritum fidei Chriſtianæ magis appareat. Scotus pro hac opinione adducit varias rationes, & auctoritates. Primò *D. T.*

Philoſophus 2. de Anima textu 21. dicit, quòd intellectus ſeparatur à cæteris, ſicut perpetuum à corruptibili; hanc eandem adducunt Viccomercatus, & Piccolomineus.

2. Secundo, 3. de Anima textu 7. ponitur differentia inter ſenſum, & intellectum, quia vehemens intelligibile perficit intellectum, ergo intellectus non debilitatur in operando, & tunc vltrà ſequitur, quod ſit incorruptibilis in eſſendo.

3. Tertiò (hæc magnificatur à Franciſco Piccolomineo) in 12. Metaphyſicæ textu 17. ait Philoſophus, ſi autem poſterius aliquid permanet, perſcrutandum eſt; in quibuſdam enim nihil prohibet, vt ſi anima eſt tale, non omnis, ſed intellectus, ergo vult dicere, quod intellectus eſt forma manens poſt compoſitum, ergo eſt immortalis.

4. Quartò, 2. de generatione animalium, cap. 3. habentur hæc verba; *Relinquitur igitur, vt intellectus de foris adueniat.* Ergo intellectus non accipit eſſe per generationem, ergo neque poteſt amittere eſse per corruptionem: quia eius eſſe non ſubeſt alicui tali cauſæ corrumpenti, vel generanti (hanc plurimi faciunt Viccomercatus, & Piccolomineus.)

5. Quintò, ex dictis Ariſtotelis formatur ratio; eſt vnum principium apud Ariſtotelem, quod naturale deſiderium non eſt fruſtra, nunc autem in anima eſt naturale deſiderium ad ſemper eſſe, vt patet, ergo.

6. Sextò, 7. Metaphyſices, vult Philoſophus, quod materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, ergo illud, quod non habet materiam, non habet talem potentiam non eſſendi, intellectus ſecundum Philoſophum non habet materiam, quia eſt forma ſimplex.

7. Septimò, 3. Ethic. vult, quod fortis debet ſe exponere morti pro Republica, & 9. Ethic. vult idem, etiam ſecundum iudicium rationis naturalis, ergo ſecundum rationem naturalem Ariſt. cognouit immortalitatem animæ; probatur conſequẽtia, quia nullus propter quodcumque bonum virtutis, vel in ſe, vel in alio, poteſt appetere omnino non eſse ſuum, at ſi anima non eſset immortalis, tunc fortis appeteret eſse ſuum totaliter, ergo.

8. D. Tho. D.Tho. par. 1. quæſt. 75. artic. 6. arguit ex verbis Philoſophi ſic: Quod corrumpitur, corrumpitur per contrarium, aut per defectum alicuius neceſsariò requiſiti ad eſse eius: ſed anima intellectiua non habet contrarium, nec eſse corporis eſt ſimpliciter neceſsarium ad eſse eius, quia habet proprium eſse per ſe, & idem in corpore, & extra corpus ſolum adeſt hæc differentia, quod in corpore illud communicat corpori, extra corpus non communicat.

Nonò, Nõ Anima eſt ſimplex, ſimplex, poteſt ſeparari à ſimplici, ergo non poteſt ſeparari a ſeipſa, ergo neque à ſuo eſse, quia non habet eſse per aliam formam à ſe diuerſam, ſed per ſeipſam; ſecus eſt de compoſito, quod habet eſſe per formam, quæ forma poteſt ſeparari à materia, & ita eſſe compoſiti deſtrui. 9.

Decimò, ex Piccolomineo lib. 2. de Mẽte humana, cap. 4. Ariſt. 1. de Anima tex. 49. inquit; *Laborioſum eſt, & miſtum eſſe corpori non potens abſolui, & præterea fugiendum, ſiquidem melius eſt menti non eſſe cum corpore, vt dici ſolet, & multis placet.* Ecce quod commendat ſententiam Platonis in hoc, quod dixit animam eſse immortalem. 10.

Vndecimò, in eodem 1. tex. 65. ait Philoſophus; *Mens quidem videtur iraſci ſubſtantia quædam exiſtens, & non interire*, & infra. *Ipſum igitur intelligere, & ſpeculari marceſcit quodam interius corrupto, ipſa autem impatibilis eſt*; & paulò infrà; *Mens autem fortaſſis quid diuinius, & impatibilius eſt.* 11.

Duodecimò, Ariſtoteles in 1. de partibus animalium, cap. 1. probat mentem non eſse de conſideratione Phyſica, tribus rationibus; ex quo loco Piccolomineus elicit rationem primò ex Concluſione; Forma omnis ad Phyſicum non attinens, eſt immortalis, at mens ex dicto loco non attinet ad Phyſicum, ergo eſt immortalis. 12.

Decimotertio, Ariſtoteles ibi adducit rationem primam, quæ eſt: Si naturalis Philoſophus loqueretur de omni anima, præter naturalem ſcientiam nulla relinquere- 13.

quæretur Philoſophia.

14. Decimoquarto, forma, quæ non eſt natura, non attinet ad Phyſicum, mens non eſt natura, ergo non attinet ad Phyſicum; Minor probatur: quia mens non eſt initium motus accretionis, neque lationis, neque alterationis, &c.

15. Decimoquinto, eſt tertia ratio Ariſtotelis ibi. Quæ ſunt ex abſtractione, nō pertinent ad Phyſicum; ſed mens eſt ex abſtractione, ergo ſupponit Ariſtoteles mentem eſſe de numero abſtractorum.

16. Decimoſexto, ex 4. textu 3. de Anima, arguitur. Ibi accipit Ariſtoteles mentem omnia intelligere, ex quo deducit, quod anima eſt immixta corpori, & in hoc laudat Anaxagoram, qui dixit mentem immixtam eſſe corpori, quia intus exiſtens prohibet extraneum. Ex quo loco ſic arguitur. Ariſt. hic intelligit mentem eſſe ſegregatam, & immixtam corpori, vti poſuit Anaxagoras, quem hic laudat: ſed Anaxagoras poſuit mentem ſegregatam à corpore omninò, & quo ad eſſe, & operationem, & eſſe immortalem, ergo Ariſtoteles exiſtimauit mentem eſſe immortalem, & a corpore, quo ad eſſe, & operari, eſſe ſeiunctam.

17. Decimoſeptimo, arguitur ex 6. textu vbi dicit Ariſtotel. mentem non eſſe mixtam corpori, quia eſſet calida, vel frigida. Sic arguitur. Forma, quę non fit qualis, neque eget inſtrumēto corporeo, eſt immortalis, ſed mens eſt talis; Minor eſt Ariſtotelis in eo textu; Maior probatur: quia forma quæ eget materia ad ſui eſſe, etiā pro fungendo ſuo munere eget aliquo materiato inſtrumento, ergo quæ non eget pro ſuo munere fungendo aliquo inſtrumento materiato, eſt ſecreta à materia, & conſequenter eſt immortalis.

18. Decimooctauo, in textu 19. loquens de intellectu agente, dicit, quod eſt immixtus ſeparabilis, & ſimplex, ſed intellectus agens, & poſſibilis, re idem ſunt, ergo intellectus ſecundum eſſentiam eſt immortalis.

19. Decimonono, 3. de Anima textu 20. ait, quod intellectus poſt mortem non reminiſcitur, quia corrupta eſt phantaſia, ergo intellectus manet poſt mortem, & eſt immortalis.

Alias rationes adducunt alij: ſed hæ potiores videntur, & ex ſolutione, & declaratione iſtarum quilibet poterit de alijs iudicare.

Opinio prædicta reijcitur, & rationes pro ea ſoluuntur. Cap. III.

VErum iſta opinio, quo ad neutram viam eſt admittenda. Opinio quidem Diui Thomæ in ſe eſt vera, & abſolutè: ſed illa nobis certudinaliter innotuit per fidem, & reuelationem ſupernaturalem, ab Ariſt. autem fuit quidem cognita, ſed dubia, vel ſaltem non habuit rationes efficaces ad illam probandam; immò ex eius principijs ſequitur oppoſitum omninò: quia ipſe negat creationem temporalem, quam tamen ſuſtinendo immortalitatem animæ cum pluralitate, cogimur admittere; Sed hoc admiſſo, quia poſſent varia reſponderi vnum eſt argumentum, quod eſt inſolubile, quia Ariſt. poſuit mundum eſſe æternum a parte ante, & à parte poſt, ideo ſi animæ rationales ſunt immortales, infinitæ animæ actu eſſent, infinitum autem actu non poteſt dari ex Ariſt. 3. Phyſ. tex. 56. & inde, ideo cū non potuerit Ariſt. ſoluere hoc argumentum, nihil de immortalitate animę voluit certò proferre: ſed, vel ſub dubio, vel ſine vlla ratione. *Reijcitur. Opin. D.T.* *Arg. inſolubile.*

Nec reſponſio D.Th. & Iauelli ad hoc argumentum, ipſum tollit: reſpondent enim quod Philoſophus 3. Phyſ. negat dari infinitum in corporalibus, non autem negat infinitum in intellectualibus, & immaterialibus; Sed certè, hæc reſponſio eſt falſa: quoniam clarum eſt apud Ariſt. pluribus in locis, quòd dicit naturam reſpuere infinitum; & maximè 8. Phyſicorum textu 48. vbi dicit, motores orbium, qui ſunt ſeparati à materia, non eſſe infinitos: quia melior eſt finitas, quam infinitas, & 1. Phyſicorum textu 50. aduerſus Antiquos ponentes infinita principia, inter rationes multas, quibus refutat principia infinita eſſe, dicit, ſemper finita melius eſſe ponenda quàm infinita: & ſic ſemper Ariſt. renuit infinitatem, ergo maximè renuit in propoſito. Sed quod Ariſt. in 3. Phyſic. & 11. Metaph. cap. 8. probet *Reſp. D.T.* *Reijcitur.*

non dari infinitum actu,etiam in immaterialibus, probatur ex rationibus ſuis, quas adducit contra Antiquos ponentes infinitum ſeparatum à ſenſibilibus: probat enim Philoſophus abſolutè non dari infinitum ibi 11. Metaph.cap.8. hoc modo. Si datur infinitum actu exiſtens, vel eſt Subſtantia,vel Accidens,non eſt Subſtantia,quia tunc infinitum non erit multitudo,neque magnitudo, quia iſta ſunt accidentia:at conſequens eſt falſum,quia multitudo,& magnitudo ſunt de eſſentia infiniti,quia infinitum eſt diuiſibile, diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis, ergo infinitum erit accidēs:ſed hoc eſſe falſum, probat primo aduerſus Platonicos: quia hoc ipſi dicere non poterant, quia ponebant infinitum eſſe principium omnium, accidens autem nō poteſt eſſe aliquod huiuſmodi: ſed infra probat abſolutè quod infinitū non poſſit eſſe accidens:quia vel eſſet magnitudo cōtinua infinita,& tūc daretur corpus infinitū, quod eſt abſurdū, & longo ſermone in illo 11.cap. 8.probatur,& 3.Phyſ.vel eſſet numerus infinitus, ſed hoc ſecundum quod maximè facit ad propoſitum noſtrum(quia Aduerſarij ponentes infinitas animas actu,ponunt infinitatem in numero, adeò quod dabitur infinitus numerus actu)cōfutat hac ratione: quia omnis numerus,vel habēs numerum,eſt numerabile: ſi ergo infinitum eſt numerus per ſe exiſtēs,ſeparatum à ſenſibilibus, vel à quocūque ſubiecto, erit innumerabile:ſi etiā inerit alicui ſubiecto, illud ſubiectum erit innumerabile:at falſum eſt vtrumque iſtorū eſſe innumerabile,ſcilicet quod tā numerus in ſe quā habens numerū nō ſit numerabile, patet ergo quod non datur infinitus numerus in ſe,quod eſt accidens,neque dantur infinita numerabilia actu,quęcumque illa ſint, ſiue ſenſibilia,& materialia,ſiue abiuncta à materia, ergo non dantur infinitæ animæ actu: quia tunc eſſet numerus infinitus in ſe,vt eſt accidens, eſſet etiam actu infinitū numerabile innumerabile, quod eſt inconueniens, quia non poſſet numerari, & tamen omne numerale eſt innumerale. Præterea in 3.Phyſ. à tex.56.incipit loqui de infinito per modum determinationis, cum eouſque determinaſſet de infinito per modum diſputationis;determinat autem ibi, quod omnē infinitū ſemper eſt quid potentiale, & non eſt totum ſimul, ſed quod accipitur pars poſt partem: & dat exemplum de ludo Agone, & de die, qui numquam eſt totus ſimul,ſed pars ſuccedit parti, & hoc in tex. 57.in calce autem illius textus, & ſequenti,comparat ad inuicem duo infinita, ſcilicet infinitum generationis hominum,& temporis ad infinitum in magnitudine, & docet in quo conueniant,& in quo differant,inquitq. conuenire, quod in vtroque infinito, id, quod accipitur, ſemper eſt finitum,& ſemper remanet aliquid accipiendum;differunt verò in hoc,quod illud finitum,quod accipimus in magnitudinibus ſemper permanet,& non corrumpitur,ſed illud finitum, quod accipimus in infinito generationis, & temporis,corrumpitur, & deficit; ex hoc loco conſpicuè percipitur, quod Ariſt. non vult res, quæ in continua ſucceſſione habent eſse, remanere,& conſequēter non vult; quòd detur infinitus numerus rerū actu à parte ante, quod tamen Aduerſarij dicunt.

Eſt etiam falſum,quod dicit Iauellus, nempè, quod Pithagoras ponebat infinitum quantum,non in numero, & quod ideo Ariſt. reijcit tale infinitum in quantitate,non in numero: quoniam Pithagoras, & Antiqui,vt ibi dicit Philoſophus, ponebant infinitum ſine quantitate, eſse quid ſeparatum:quia ſi ipſi dixiſſent infinitum illud,quod arbitrantur dari, eſse quantitatem,Ariſt.in 11.Metaph. non argumentatus fuiſset aduerſus eos per illā diſiunctionē:infinitum illud, aut eſt Subſtantia,aut eſt Accidens:quia iam Aduerſarij aſserebant eſse quantitatem; eſt ergo dicendum,quod Antiqui dicebant abſolutè dari infinitum, quid vero illud eſſet,erat aliud negotium;ideo Philoſophus reprobat tale infinitum,quia omne,quod eſt,eſt Subſtantia,vel Accidens, illud autem infinitum non eſt Subſtantia, nec Accidens,ergo non datur.

Probat etiam non eſse Quantitatem: quia vel eſset cōtinua,vel diſcreta, & neutrū eſse oſtendit,& ſic infinitū nihil eſse. *2. rō princ.* His poſsumus addere, quòd apud Diuū Tho.indiuiduatio eſt propter materiam, anima

anima autem in ſeipſa eſt ſine materia, quomodo ergo poteſt multiplicari? Opinio autem Caietani quo ad hanc Indiuiduationem, aliàs eſt refutata. Opinio verò Auerroiſtarum eſt impia: quia negat intellectum eſse formam informantem, & putant Ariſt. dicere animam eſse abiūctam à corpore per informationem, & ſolum eſse aſſiſtentem, & propterea eſse immortalem, & vnicam numero; quod principium eſse falſum patet ex ijs, quæ ſuprà diximus de informatione animæ intellectiuæ, & rationes, ſiue auctoritates adductę, informationis nihil officiunt: quia auctoritates non dicunt intellectū ſeparari à corpore, id eſt non informare corpus hominis, dum homo actu viuit: ſed dicunt, animam eſse ſeparabilem à corpore, id eſt in ſe non eſse materialem, & corpoream; vel dicunt eſse ſeparabilem à corpore, nempe poſt mortem, id eſt non eſse interituram: hoc autem non erat inconueniens expreſsum apud Philoſophos antiquos, quod anima eſset immortalis, & quod tamen eſset actus informans hominem, vt patet de Platonicis, qui ponebant quendam determinatum numerum animarum a principio mundi creatarum, quas poſtea informare corpus aſſerebant, dum homo generabatur, & licet Franciſcus Piccolomineus dicat Platonicos poſuiſſe animam eſſe aſſiſtentem, tamen ex ijs, quæ dicit Zabarella libro de Humana mente, cap. 4. colligitur ipſos poſuiſſe illam eſſe informantem: ſed hoc nihil refert pro nunc. Hæc propoſitio ergo erat dubia apud Ariſt. An omnis forma informans eſset corruptibilis, & ſic ſtant ſimul, quod Ariſt. non dubitauerit de animæ informatione, ſed illam aſseueranter tenuerit, & probauerit, vt patuit ſuprà, tamen dubitauerit de eius immortalitate: Rationes etiam, quæ videntur probare animam eſse ſeiunctā à corpore, non eſse mixtam, &c. non probant animam rationalem non eſse actum informantem, & dantem eſse ſpecificum homini, vt ſupra toties diximus, ſed ſolum non eſse organicam, & operari ſine organo, neque alicui parti corporeæ eſse addictam, vt ſunt partes ſenſitiuæ: quod magis patebit nunc, dum reſpondebi-

Reijcitur opinio Auerroiſtarum.

Rōnes ādbātes aīam eſſe immortalē.

Non faciūt cōtra īform.

mus ad vnamquamque.

Redeundo verò ad immortalitatem, duobus modis poſsumus reſpondere ad omnes has rationes.

Primò, quod Ariſt. nihil certi attulit, & quod ſi aliquando dixit animam eſse immortalem, illud ſub dubio protulit.

1. reſp generalis.

Sed aduerſus hanc reſponſionem arguit Piccolomineus, dicens, immò Ariſt. de nulla alia re tam clarè, & ſæpè locutus eſt, & ſi de hac re dicendum eſt Ariſt. ſub dubio locutū fuiſse, nulla eſt res, de qua clarè locutus ſit. Sed hæc confutatio non eſt confutatio, non enim quia Piccolom. dicit Ariſt. locutum eſse clarè, ideo Ariſt. locutum eſse abſque dubio probatur, debebat rationes adducere.

Arguit Pice.

Reij.

Secundo modo poſsumus dicere, quod etſi forſan Ariſtot. exiſtimauerit animam rationalem eſse immortalem, & aliquando illud aſsertiuè protulerit, tamen ad hoc nullam adduxit rationem neceſsariam, Ratio autem illa, quæ efficacior Aduerſarijs videtur, quia ipſa rationalis non eſt commixta corpori, vel alicui parti, & quod ideò eſt ſeparabilis, iam dixi, quod probat, animam rationalem non eſse organicam, id eſt in operando non vti corpore, vel aliqua parte eius determinata ad operandum, vt facit ſenſus; & confirmatur adhuc: quia ſi Ariſtot. ex eo, quod anima rationalis non eſt actus alicuius corporis, deducit ſeparabilitatem à corpore omnino, in textu 11. 2. de Anima, quem locum ipſi tantum magni fecerunt, ergo debebat concludere, quare manifeſtum eſt intellectum eſse actum, vt nauta, nauis, & ſeparabilem a corpore: ſed Ariſtot. infert oppoſitum, dicēs. (Amplius autem eſt immanifeſtum, an anima ſit actus corporis, vt nauta nauis;) Ratio ergo illa nihil valet, neque cōtra informationem, neque pro immortalitatis certitudine apud Ariſt. ſed ſolum concludit ſeparabilitatem animæ ab organo determinato in operādo; at inquit Vicomercatus, Ariſt. ex eo, quod rationalis non eſt organica, concludit eſse immixtā à corpore, in 3. de anima textu 6. Dico, quod non concludit animam eſse immixtam corpori ſecundum eſse, ſed ſolū probat non eſse organicam, & materialem,

2. reſp generalis.

Rō Vicc. reijc.

& hoc modo non miſceri corpori: quia tunc eſſet calida, tamen non ſequitur, quod probet non dare eſſe formale. Nūc ad vnamquamque rationem breuiter reſpondetur, cum etiam Scotus ad multas illarum, & potiores reſpondeat, in quo magis patebit dubietas Ariſtot.

Ad 1. ronē ē particul. Ad primum reſpondetur, quod intelligit ibi Ariſt. de ſeparabilitate à corpore in operando: quia non vtitur organo, dicit ergo, quod eſt ſeparabilis, & incorruptibilis corruptione organica, quæ eſt propter corruptionem organi, potentia enim viſiua eſt corruptibilis, quia eius organum corrumpitur, intellectus ergo eſt ſeparabilis, & incorruptibilis tali corruptibilitate, non tamen ſequitur propter hoc, quod intellectus abſolutè ſit incorruptibilis in operando, quia tunc eſſet quoque incorruptibilis in eſſendo: ſed eſt ſimpliciter corruptibilis in operando, iuxta illud 3. de Anima, Intellectus corrumpitur nobis quodam intentiori corrupto. Poſsumus, & aliter dicere, quod ibi Ariſtotel. loquitur dubitatiuè, hæc enim ſunt verba text. *De ſpeculatiua autem potentia nihil manifeſtum eſt, ſed videtur genus alterum animæ eſſe, & hoc ſolum contingere ſeparari, vt perpetuum à corruptibili*; Ecce quod prius inquit de hoc intellectu nihil certi eſſe, ſed videri eſſe genus aliud; certè ſi aſsertiuè loqueretur, non debuiſſet dicere, de ſpeculatiua nihil eſt certum: ſed debuiſset dicere, eſt certum, & indubitatum, illam eſse aliud genus animæ, & eſse ſeparabilem; clarum eſt ergo, quod hoc dixit ſecundum vulgarem quandam hominum opinionem, qui iudicabant animam eſse immortalem: ſed ipſe nihil certi habebat.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur, quod excellens ſenſibile corrumpit ſenſum per accidens: quia corrumpit organum; & per oppoſitum, quia intellectus non habet organum, non corrumpitur ab excellenti obiecto, non tamen propter hoc ſequitur, quod intellectus abſolutè ſit incorruptibilis.

Ad 3. Ad tertium reſpondetur quod Ariſtoteles ibi loquitur ſub dubio: quia apponit particulam dubitatiuam (forſan) Vel ſecundum aliam literam, conditionalem; ſi ſit tamē aliquis qui contendat Ariſt. illud expreſsè dicere: dicendum eſt, quod illud non probauit aliqua ratione neceſſaria, quod oſtendit eum ſic locutum eſſe propter vulgarem quorūdam hominum opinionem communiorem, & propter quaſdam perſuaſiones, de quibus diximus ſuprà.

Ad quartum, in ſequentibus, dum loquemur de origine, reſpondebitur. Ad 4.

Ad quintum, de deſiderio naturali, reſpondetur, quod æquè concludit de omnibus, nam quodlibet brutum fugit mortem. Ad 5.

Ad ſextum reſpondetur, quod illa eſt vera deſcriptio materiæ, ſed non debet intelligi ſic, quod illa res ſolum ſit corruptibilis, cuius ipſa materia eſt pars: quia tunc forma ignis non eſſet corruptibilis, quia eſt ſimplex: ſed debet intelligi, quod illud eſt corruptibile, cuius materia ipſa eſt pars; vel quod recipitur in materia; hoc ſecundum autem eſt dubium de intellectu, immò potius videtur oppoſitum, quia clarum eſt quod recipitur in materia. Ad 6.

Ad ſeptimum reſpondetur, quod bonum commune eſt maius bonum, quàm bonum particulare: & ideo politicus debet magis diligere illud bonum commune, quam ſuum bonum particulare, etiam ſi ignoret ſe eſse immortalem. Ad 7.

Ad octauum, quæ eſt ratio D. Thomæ; reſpondet Scotus: dum inquit D. Thomas, quod anima rationalis habet propriū eſse per ſe, vel accipit ibi eſse, prout contradiſtinguitur ab ineſse accidentis, & hoc modo non valet conſequentia: quia etiam forma ignis cum ſit ſubſtantia, ſi eſſet ſine materia, eſset per ſe; Vel accipit, eſse per ſe, pro eſse, quod conuenit compoſito in eſse ſubſtantiæ; hoc modo Antecedens eſt falſum: quia ſi anima per ſe haberet eſse hoc modo, nunc non indigeret corpore; Ratio ergo non concludit. Niſi intelligatur illa propoſitio ſic: quòd anima habet per ſe eſse ſubſiſtens, abſque corpore naturali. Sed hæc propoſitio non eſt nota naturaliter, ſed credita. Ad 8.

Reſp. Cai. Reſpondet Caietanus in Commentario, parte 1. quæſtione 75. articulo 6. quod eſt ſatis probata ex modo operationis propriæ

priæ animæ, quæ eſt intelligere: probat enim ibi D. Thomas, quod anima eſt per ſe ſubſiſtens, & independens à corpore, ex modo operandi, ſic. Id quod eſt cognoſcitiuum omnium, nullam habet naturam corporis: anima eſt cognoſcitiua omniũ, ergo nullam corporis rationem habet; Minor eſt clara; Maior probatur: quia intus exiſtens prohiberet extraneum; quod probatur experientia in ſenſu guſtus, qui quã do eſt affectus ab aliquo ſapore vehementer, non ſentit alium; ſic contingit in febricitãtibus. Quod etiam ſit incorporea, probatur ex operatione: quia operatur ſine organo, ſi enim operaretur per organum, natura illius organi impediret omnium cognitionem; Sed iam diximus ſuprà, quod ratio iſta non probat animam eſse ſeparabilem à corpore, & per ſubſiſtentem. Prima ratio probat animam non eſſe mixtam obiecto materialiter, vt docet Ariſtoteles 3. de Anima, textu 4. Secunda autem ratio probat ſolum animam non vti organo, neque eſse determinatam alicui determinatę parti corporis, vt eſt ſenſus; & hoc concludit ratio Philoſophi, 3. de Anima, textu 6. ait inquit Caietanus ibidem, & 1. de Anima, cap. 1. quod animam eſse ſeparatam ab organo, ideſt à parte corporis, in idem coincidit, quod eſt eſse ſeparatam à toto corpore: quia ratio, quæ probat animam non eſse commixtam organo, quæ eſt, quia eſset calida, vel frigida, concludit idem de toto: ſi enim intellectus non eſt ſeparabilis à toto corpore, quo ad operari, ſed requiritur corpus, in quo recipiatur ſimul cum intellectu intellectio, & ſpecies intelligibilis, ſequitur ſimiliter, quod intellectus erit organicus: quia habebit totum corpus pro organo; at ratio eadem Ariſtotelis cõtra totum corpus valet: quia ſequeretur ſimiliter tunc, quod intellectus eſset calidus, vel frigidus. Eſt ergo fuga valde puerilis, declinare à parte ad totum, cum quęritur, an intellectus corpori, vt ſubiecto vniatur. Reſpondetur, quod Scotus non dixit ſpecies intelligibiles, & cognitionem recipi in corpore partialiter, & partialiter in anima, ita quod ex anima, & corpore fiat integrum, & primarium ſuſceptiuum intellectionis, vt ibi tribuit Caietanus Scoto: ſed ait tantum recipi in anima, quæ tamen non eſt, neque ſubſiſtit ſine corpore; ideò Caietanus non rectè percepit Scotum: at ſi intellectus eſset organicus, ſpecies, & intellectio reciperentur in corpore, ſcilicet, in organo illo, ſicut euenit in potentijs ſenſitiuis: non recipitur autem in corpore, ſed in anima, quæ non eſt ſine corpore, cum intellectus ſit actus, & quod quid eſt corporis; quod autem ratio, qua Ariſtoteles probat intellectum non eſse organicum, probet etiam intellectum nõ eſse actum, & formam informantem corporis, ſed per ſe ſubſiſtentem, non dicere debet Caietanus, qui ſecundum Diuum Thomam tenet animam eſse immortalem, & tamen formam informantem, contra Auerroem. Vnde ad argumentum reſpondetur, quòd valet quidem hæc cõſequentia: intellectus non vtitur aliqua parte corporis pro organo, ergo non vtitur toto corpore pro organo; Sed non valet poſtea hæc alia conſequentia: intellectus non vtitur corpore pro organo, ergo eſt actu non informans corpus. Ad rationem autem in ſe, propter Auerroiſtas dictum eſt, quod Ariſtoteles probat intellectum non vti organo: quia tunc intellectus eſset alicuius temperaturæ, & eſſet calidus, vel frigidus: hoc autem non poſsumns dicere de intellectu, qui eſt forma incorporea, & immaterialis ſecundũ eſsentiam; non ergo ex hac ratione probatur, quod intellectus ſit immixtus corpori, id eſt non det eſse formale corpori: ſed probatur, quod in ſe eſt immixtus, incorporeus, & immaterialis; neque etiam ex hoc poſtea ſequitur, quod ſi eſt immaterialis, & incorporeus in ſe, ſit ſeparabilis à corpore: quia eſt actus, & quod quid eſt, corporis: non eſt autem naturaliter certò notum, quod aliquis actus informans materiam, ſit ſeparabilis ab illa materia, ſed hoc eſt dubium, vt ſupra diximus.

Reijcitur. *Inſtãtia Caietani.* *Reſp.*

Sed Caietanus eadem quæſtione, articulo 2. arguit contra Scotum, quod ſibi in hac materia, ſcilicet in hoc quod dicit operationem intellectus, ſcilicet, intelligere, eſse operationem animæ cum corpore aduerſetur, tenet enim Scotus duas propoſitiones, ex quibus videtur ſequi oppoſitum, nam in 4. diſtinct. 43. quęſt. 2. tenet

Aliud argum. Cai. cõtra Scotũ

hanc propoſitionem, quod in nobis eſt operatio quædam tranſcendens omnem operationem ſenſibilem, & hoc eſt verũ, quia hoc medio vſus eſt ad oſtendendum potiſſimè, intellectum eſſe formam informantem, non aſſiſtentem. In Quodlibetis autē, quæſtione 9.D.& inde, tenet, quod ex hoc, quòd operatio aliqua eſt ſic immaterialis, vt de intelligere dictum eſt, quod recipitur in anima ſola, & non in compoſito ex anima & corpore, vt proximo receptiuo modo ex his duabus propoſitionibus ſequitur tertia, quòd intelligere recipitur de facto in ſola anima, non in compoſito, vt proximo receptiuo; Ex hac autem benè infertur: ergo anima eſt ſeparabilis à corpore; & vlterius ſequitur quarta propoſitio, quòd anima ſit immortalis: quod tamen Scotus dicit ſe neſcire. Si ergo Scotus, quando dicit, quod intelligere, eſt operatio animæ, vt eſt vnita corpori, intelligit, quòd anima ſit ratio intelligendi toti compoſito, ita quod corpus ſit correceptiuum proximum, & propter hoc ex hac operatione non poteſt inferri, anima eſt per ſe ſubſiſtens, contradicit poſitioni de 4. Sententiarum: quia tunc intellectio eſſet ſenſibilis, non tranſcendens ſenſibilem cognitionem; ſi verò intelligit, quòd anima eſt ratio operandi ipſi compoſito, ita quod ſit totum ſuppoſitum, quod operatur, contradicit poſitioni de 9. quodlibetali, in qua dicit operationem recipi in ſola anima, & ex illa poſse inferri, quòd anima eſt ſeparabilis à corpore. Cogitur ergo Scotus dicere, quòd intelligere, eſt operatio ſolius animæ, abſque corpore omninò.

Reſp. Ad hoc breuiter dico, quod in dictis Scoti nulla eſt contradictio, quia idem vbique dicit, ſcilicet intelligere recipi in anima tamquam in proximo receptiuo: dici tamen operationem totius compoſiti, quia anima non eſt quid per ſe ſeiunctum ſubſiſtens: ſed eſt actus corporis; & ſic operatio animæ eſt operatio totius compoſiti. Ad illud verò quod videtur facere maiorem difficultatem, & quod decepit Caietanum, nempè quod ex hoc, quod intelligere recipitur in anima, non in toto compoſito, tamquam in proprio receptiuo, valet inferri ſeparabilitatem animæ à corpore. Reſpondeo, quòd egregiè ibi ſe declarat Scotus, dicens, quòd ex hac operatione, quæ ſic recipitur in ſola anima, valet inferri ſeparabilitatem animæ à corpore, id eſt, valet inferri ipſius naturæ animæ immaterialitas: quia in eſſe ſuo ſubſtantiali non pendet à materia; ſed inquit Scotus, non propterea inferri immaterialitas vlterior, quæ eſt impoſſibilitas informandi materiam. Ecce, quòd ſtat, quòd anima ipſa habeat propriam operationem abſque corpore, non tamen valet inferri ex hoc, quòd ipſa anima non ſit actus materiæ, illi dans eſſe formaliter: ſed ſolum valet inferri, quòd anima in ſe eſt potentia immaterialis, quòd nos iam conceſſimus. Quod verò Caietanus infert, eſt immaterialis, ergo eſt immortalis, non ſequitur neceſſariò: quia non eſt notum ratione naturali, quòd actus, qui de ſe eſt immaterialis, ſed tamen eſt actus materiæ, ſit immortalis, & maneat poſt illam materiam, ſiue compoſitum cui dat eſse.

Ad 9. Ad nonam, quæ eſt ſecunda ratio Diui Thomæ, Reſpondet Scotus, quòd non omnis corruptio eſt per ſeparationem alterius ab altero: ſed aliquando eſt per deſitionem eſſe. Caietanus ait, quòd inſtantia non valet: quia procedit de annihilatione, ipſe Diuus Thomas verò loquitur de corruptione.

Cai. defenſio reijc. Sed hæc reſponſio eſt nulla: quia verum eſt quidem de compoſito, quod deſinit eſſe per ſeparationem formæ à materia, tamen hoc non eſt verum de forma ſubſtantiali; Si quis enim quærat, quomodo forma vegetalis deſinit eſſe, non dicet, quia aliquid ſeparatur ab ea, quia eſt ſimplex, & tamen non eſt in ſe incorruptibilis: non ergo eſt ſufficiens ratio ſimplicitas formæ, quia & ceteræ formæ in ſe corruptibiles, neque abſque ſubiecto manere poſſunt, & tamen ſunt ſimplices. Sed dices alia eſt ratio de illis: quia illæ ſunt materiales, vel actus materiæ, vel aliquid aliud. Et ex hoc ego arguo, ergo ſimplicitas formæ non eſt ſufficiens ratio incorruptibilitatis formæ.

Ad 10. Ad decimam, patet præcipuè ex hac auctoritate, quòd quando dicit animam eſse immortalem, hoc dicit, quia eſt conſonum multis, non quod hoc ipſe rationibus

nibus

nibus ſic eſſe certum ſtatuat.

Ad 11. Ad vndecimam, patet ipſum loqui cũ dubitatione, quia toties vtitur illo verbo fortaſſis.

Ad 12. Ad duodecimam, in qua, & in tribus illis rationibus Ariſtotelis faciunt maximam vim Viccomercatus, Piccolomineus, & cæteri Auerroiſtæ, licet poſſem diſputare de modo, quo concludant illæ rationes, tamen dimiſso hoc, de quo multi viri diſerti vtriuſque ſectæ ſcripſerunt, poſsumus exponere illas cum Mercenario in ſuis Dilucidationibus, ipſe enim quamuis teneat animam immortalem de mente Ariſtotelis, tamen illas rationes non iuuare hoc cognouit: ideo Reſpondetur, diſtinctionem, qua ipſe ad diſsoluendas eas vtitur, quod intellectus duobus modis cõſiderari poteſt: vel vt eſt forma corporis, vel ſecũdum ſuam quidditatem, primo quidem modo intellectus pertinet ad Phyſicum, ſecundo modo nequaquam: ſicuti, nec vlla alia forma Phyſica, ſed ad Metaphyſicum ſpectat, quia conſiderat quidditates omnium rerum, vt entia ſunt, & ſic patet ad duodecimam.

Ad 13. Ad decimamtertiam, quæ eſt prima ratio Ariſtotelis, ex dictis patet: quia antecedens eſt verum cum hac gloſſa, ſi Phyſicus loqueretur de omni anima omnibus modis, non daretur Metaphyſica, quia ſi loqueretur de anima omnibus modis, loqueretur etiam de omni intelligibili omnibus modis, quia correlatiua pertinent ad eandem ſcientiam, & tunc rectè ſequitur, ergo ſuperfluerent aliæ ſcientiæ.

Ad 14. Ad decimamquartam dicitur, quod intellectus non eſt natura, conſideratus ſecundum ſuam quidditatem: ſed eſt natura vt forma, & actus corporis eſt, ideo ſecundum primam conſiderationem, remouet ipſum à conſideratione Phyſica.

Ad 15. Ad decimamquintam Reſpondetur, quod intellectus vt quidditas, eſt à materia abſtractus, & ſic non pertinet ad Phyſicum: vt forma verò, non eſt abſtractus, & ſic pertinet ad Phyſicum. Ad omnes iſtas quattuor rationes poſsemus etiam reſpondere, quod Ariſtoteles ſecundum varia principia, vario modo loquitur: ibi loquitur ſecũdum opinionem ponentem immortalitatem; in libris verò de Anima, vbi pollicetur ſe velle loqui de anima in communi, vt in initio 2. de Anima, & in particulari de intellectu, vt in principio 3. de Anima, vbi dicit: *De parte autem animæ*, &c. loquitur ſecundum eos, qui ponunt animam eſse immortalem.

Ad decimãſextam reſpõſum eſt, quod ibi Ariſtoteles loquitur de mixtione ab obiecto, & laudat Anaxagoram nõ abſolutè, ſed in ratione huius dicti: dicebat enim Anaxagoras, quod erat neceſse, quod mens eſset immixta ab omnibus, vt imperaret omnibus; ita Ariſtoteles ait, quod eſt neceſse, quod intellectus ſit immixtus ab omnibus obiectis, vt omnia obiecta cognoſcat: intus enim exiſtens, prohibet extraneum. Ad 16.

Ad decimamſeptimã, iam expoſuimus ſæpè, quomodo ille textus intelligatur: probat enim Ariſtoteles ibi tãtum, quod anima non eſt corporea, & materialis, & organica, ſed in ſe eſt immaterialis, non tamen propter hoc ſequitur, quod non ſit actus corporis, & ſic quo ad eſse, eſt comixta corpori, ſed quo ad eſsentiam ſuam, & naturam, nequaquam. Sed contra: quia nulla forma incorporea videtur poſse dare eſse corpori, quomodo enim forma immaterialis, & incorporea, dabit eſse corporeum, & materiale? Reſpondetur, quod de ratione, & eſsentia animæ nõ eſt, quod ſit corporea, & materiata: ſed ſolum quod ſit actus, & perfectio corporis, cui quidem corpori non dat eſse quantũ, & extenſum, quia illud habet corpus per propriam formam corporeitatis, ſed dat corpori Phyſico vitam intellectiuam, ideo non eſt inconueniens, quod anima ſit immixta corpori ſecundum ſuam naturam, & eſsentiam, tamen ſit mixta corpori, quo ad eſse nõ vera mixtione, ſed ſicut forma miſcetur compoſito, dando illi eſse. Ad rationem ergo Piccolominei negatur Maior; Ad probationem negatur Antecedẽs: & hoc eſt, quod probare debet, quod forma, quæ eget materia ad ſui eſse, ſemper egeat organo, & materia ad operandum: quia anima etſi non poſſit eſse ſine corpore, non tamen vtitur corporeo organo. Ad 17. *Quõ aĩa rõnalis det eſſe corporeũ.*

Ad de-

Ad 18. et 19. Ad decimamoctauã, illud concedimus ab Ariſtotele dici, tamen non probatur ab eo, & ideo colligitur dicere illud ſecũdum mentem aliorum; Per idem patet ad vltimum.

Animam rationalem eſſe immortalem ſecundum veritatem Philoſophorum probatur, & rationes in oppoſitum ſoluuntur. Cap. IV.

QVid ſentiat Ariſt. de animæ rationalis immortalitate, vidimus: verum quia res hæc eſt magni ponderis, & veritas eſt, quod anima rationalis humana eſt immortalis; ideo nũc dimiſſis principijs Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum gentilium, quorum multa, quàm vana ſint, & falſa, cumulatè oſtendit Franciſcus Picus Mirandulanus, in libro illo præclaro examinis vanitatis doctrinæ gentium. Nos (dimiſſa fide, & reuelatione ſupernaturali, ſecundum quã de hac veritate dubitare nefas eſt, dicente Domino Ieſu Chriſto, qui veritas ipſa eſt apud D. Lucam cap. 22. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt. Timete autem, &c. & in Euangelio, & in ſacris literis paſſim im pijs cõminantem ignem æternum, iuſtis verò vitam æternam: quod eſſet fruſtra, ſi anima non eſſet immortalis) in philoſophia id eſt lumine naturali procedentes, excluſa reuelatione ſupernaturali, hanc veritatem aſtruamus (neque enim philoſophia Ariſt. eſt vniuerſa philoſophia) hãc veritatem igitur præſertim duabus vijs manifeſtabimus. Prima erit per rationes oſtenſiuas, ſi non demonſtratiuas, ſaltem valde cogentes; Secunda per claram, & facilem ſolutionem rationum in contrarium allatarum.

1. rõ. Quo ad primum, ſit hæc ratio; Conſpicuum eſt hominem habere liberum arbitrium, propter quod præſertim eleuatur ſupra alia animalia, non enim ſolum excedit animalia bruta, quia diſcurrat, ipſa verò nequaquam, ſed quia liber eſt in ſuis operationibus, & ſæpius operatur cõtra inclinationem naturæ, vnde hoc beneficio homines conſtruunt vrbes, domos, ſerunt agros, gubernat ſe inuicem, ſcilicet cum cognoſcant quid ſibi bonũm, & quid ſibi malum, eligunt illud, hoc fugiunt, quod facere non poſſunt cætera bruta animalia, licet cognoſcant quid ſibi bonum, quid ſibi malum; quia naturali inſtinctu ducuntur ad agendum illud, quod agunt; Ex hoc fundamento ita argumentor. Quod corpori, & materiei dominatur, eſt à materia liberum, & ſolutum; ſed anima rationalis materiæ dominatur, & imperat, ergo eſt à materia ſoluta: at quod eſt à materia ſolutum, nullam habet cauſã corruptibilitatis, ergo anima rationalis eſt incorruptibilis, & æterna. Minor patet ex dictis. Maior verò probatur.

Nam ideo res naturales cognitionis expertes, non ſunt ſeparabiles à materia; quia non dominantur materiæ, ſed à materia trahuntur, & materiæ imperio ſubijciuntur, vt forma lapidis, non dominatur ſuæ materiæ, ſed a ſua materia trahitur: quòd ſi materię dominaretur, & traheret materiam, ad libitum, eſſet quoque ſoluta à materia. Idem quoque euenit de cæteris animalibus brutis, quoniã enim eorum animæ non dominantur materiæ, ſed materiæ imperio ſubijciuntur, ideo à materia non ſunt liberæ & ſolutæ; Cum igitur anima rationalis materiæ dominetur, proculdubio cenſenda eſt immortalis; Aſumptũ in ſubſyllogiſmo eſt euidens; quia materia propter potentiam ſibi annexam eſt cauſa corruptibilitatis, ergo vbi non eſt materia, non eſt corruptibilitas, quod etiam nouit Ariſtot. 12. Metaph. textu 30.

Secundo, ſuadetur immortalitas ex religione, neque enim ſola religio Chriſtiana, quæ eſt vera Religio, ſuſtinet, & credit Animam rationalem hominis eſſe immortalem, ſed omnis, & quæcumque religio Gentilium, ſiue fuerint Græci, ſiue Chaldæi, ſiue Arabes, vel alterius gentis, & his temporibus, ſiue ſint Mahumetani, ſiue Gentiles; & denique omnes nationes, quæ religionem habent, tenent animam rationalem eſſe immortalem, ac ponunt præmia, & pęnas illi poſt mortem, & licet diſcrepent in declarando ſtatum animę rationalis poſt mortem, ita, vt quidam ridicula affirment, tamen hoc eſt in 2. rõ.

confeſſo

confeſſo apud omnes gentes, animam rationalem ſuperſtitem eſſe poſt mortem, & immortalem ſeruari; Hac de cauſa colunt Deum, ſiue Deos iuxta eorum inſtituta, propter futuram felicitatem, quod non eſſet adeo firmum, & ſtabile, ſi mendacium eſset, & commẽtum hominum; quia figmentum hominum non poteſt eſſe idem apud omnes gentes, & temporis ſpatio euaneſcit; Hoc ergo eſt argumentum euidentiſſimum immortalitatis animæ rationalis.

3. rō. Tertio, Inſatiabilitas animi, & apetitus noſtri rationalis, oſtendit ipſius immortalitatem; quia videmus hominem quantocumque bono creato adepto, minimè ſatiari, ſed ſemper plura, & perfectiora optare, quod non contingit in brutis, illa enim adepto obiecto naturali, conquieſcunt; ſignum eſt ergo, quod animæ rationalis obiectum & finis vltimus, eſt aliquid infinitum: at in hoc mortali corpore non poteſt conſequi hoc obiectum infinitum, & tamen hæc conſecutio non eſt illi impoſſibilis, quoniam voluntas nõ eſt impoſſibilium, ex 3. Eticorum, capite 5. & tamen anima rationalis tantopere hoc obiectum infinitum exoptat, ergo neceſſe eſt poſt mortem dari alium ſtatum, in quo hunc ſuum appetitum ſaciare poſſit, ac in obiecto, & bono infinito conquieſcat.

4. rō. Quarto Argumẽtor in hunc modum; Nulli dubium eſt, quod Deus eſt ens nobilius ipſo homine, ergo debet habere totam perfectionem, & nobilitatem hominis, & nobiliori modo: ſed homo eſt agẽs liberum, & libertas in homine dicit maximam perfectionem, & excellentiam, ergo tribuenda eſt Deo; Conſequentia eſt euidens; alioquin Deus non eſſet virtus intellectiua perfectior homine; & confirmatur: quia facere Deum agens neceſſarium, vt eſt ignis, eſt facere illum viliorem homine, immò, & brutis, quia illa habent ſpontaneum.

Hoc ergo iacto fundamento, quod Deus eſt agens liberum, elicitur claré, quòd Deus habeat prouidentiam vniuerſi huius, & horum inferiorum: cum enim regat liberè cuncta, ea diſponit pro modo ſuæ libertatis; Tunc ſic.

At ſi anima rationalis non eſſet immortalis, ſequeretur hoc maximum abſurdum, quod Deus eſſet impius, & iniuſtus, quod apud omnes gentes eſt nefas dicere.

Conſequentia vero probatur: quoniam in hac vita non agitur cum hominibus ſecundum eorum merita; quinimò, cernitur in rebus humanis magna quædam inæqualitas, & inordinatio, dum improbi magis proſperè viuant, quàm boni, dũ illi plerumque abundant omnibus bonis, iſti verò in calamitate viuunt; niſi ergo hæc inæqualitas, & inordinatio in alia vita, & ſtatu ordinetur, Deus eſset impius: hoc non eſt dicendum, ergo neceſſe eſt, quod poſt mortem detur ſtatus in quo iuſtis, & malis condigna præmia reddantur.

Quinto Argumentor ratione deſumpta ex Diuo Auguſtino, 13. de Trinitate, capite 8. vbi licet aſserat viribus naturalibus difficile eſse aſtruere animæ rationalis immortalitatem, & quod pauci ex Philoſophis illam aſsecuti ſint: tamen facit rationem ad probandum animam rationalem eſse immortalem, quæ ſufficit ad perſuadendum vnicuique ratione prædito; Omnes naturaliter appetimus beatitudinem, beatitudo autem eſt, viuere vt volumus, dum tamen nihil mali velimus, quia beatus eſt ille, qui viuit vt vult, & nihil mali vult; Hanc eſse definitionem veræ beatitudinis, poſset probari ex conſenſu communi hominum; tunc enim vnuſquiſque ſe beatum eſse exiſtimat, quando habet quidquid vult, & nihil mali vult; Tunc ſic, at nemo põteſt eſse beatus ſine vita, quia vita eſt fundamentum beatitudinis, ergo ſi anima noſtra rationalis eſt mortalis, non eſt poſſibile nos habere beatitudinem, quam tantopere habemus inſitam, & innatam nobis: quia non habemus vitam; ſi verò anima rationalis eſt immortalis, poſſibile eſt nobis habere beatitudinem, quia poſſibilis eſt vita ſempiterna, quam omnes exoptamus. 5. rō.

Sexto, Efficaciſſima ratio deſumitur ex illo principio conceſſo, & probato ab Ariſtotele, ſcilicet, quod anima intellectiua non eſt organica, neque materialis, ſecundum 6. rō.

dum eſſentiam, quia non eſt calida, nec frigida, nec corrumpitur à vehementi intelligibili: ſed perficitur, vt habetur 3. de Anima, textu 6. & 7. at tale genus formę Phyſicæ nihil prohibet ſeparari à corpore, & manere poſt mortem, vt ipſemet Ariſtoteles habet in eodem 2. de Anima tex. 11. & 12. Metaphyſices tex. 17. ergo anima rationalis eſt immortalis. Quod autem hoc repugnet alijs principijs Ariſtotelis, vt mundi æternitati, nihil curare debemus: quia fatemur illud principiũ: mundum eſſe æternum, eſſe falſum, & Ariſt. in illo deceptum eſſe.

Ad rõnẽ in oppoſitum. Vltimò animæ rationalis immortalitas maximè oſtenditur ex ſolutione rationum in oppoſitum. Cum enim illæ nõ cogant, & habeamus rationes probabiliſſimas pro animæ immortalitate, & ex Ariſtot. in 8. Phyſicorum tex. 56. dignius ſemper accipiamus in natura ſi ſit poſſibile, proculdubiò aſserere debemus, animam rationalem eſſe immortalem. Neque enim Philoſophi de omnibus veritatibus habent demonſtrationem ſemper: ſed ſufficit in rebus difficilibus habere perſuaſiones probabiles, & aliorum ſapientum auctoritates, vt ait Ariſtot. 12. Metaphyſices, tex. 35. de numero orbiũ, & alibi ſæpè.

Notandum eſt autem pro ſolutione rationum in contrarium, quòd anima rationalis etiam ex Ariſtotele, vt ſuprà diximus, eſt forma immaterialis inorganica, & inextenſa, ideo ei non repugnat eſſe ſine materia, & corpore. Tunc ad primam rationem, quæ inter efficaciores adduci ſolet, quę deſumitur ex illo principio Ariſtotelis 7. Metaph. tex. vlt. & alibi ſæpè, ſcilicet, quòd compoſito corrupto, non remanet forma, ſed tantummodo partes elementales, & materiales. Reſpondetur negando illud principium Ariſtotelis eſſe verũ vniuerſaliter, & abſolutè de quocumque compoſito, in ſpeciali enim eſt falſum de compoſito humano, neque Ariſt. probat illud eſse verum vniuerſaliter, ſed in aliquibus ſpeciebus compoſitorum tantum. Vnde ad probationem: cum dicitur caro corrupta, non remanet forma carnis, ſed ſolum remanent partes materiales ipſius carnis; Reſpondetur, quod duplex eſt forma dans eſſe compoſito materiali: Altera eſt forma omnino materialis, & extenſa; Alia eſt forma omninò immaterialis, & inextenſa; verum eſt, quòd corrupto compoſito, quod habet eſſe per formam materialem, forma ipſa materialis corrumpitur, nec remanet, vt eſt forma carnis, ſed loquendo de compoſito, quod habet eſſe à forma immateriali, non eſt verum, quod corrupto compoſito, forma corrumpitur: neque oppoſitum huius probatum eſt ab Ariſtotele, anima autem rationalis, etiam teſte ipſomet Ariſt. eſt immaterialis, inorganica, & inextenſa.

Ad 1. rõnem cõtra ĩmortalitatem.

Sed dices, quomodo forma non materialis poteſt dare eſſe compoſito materiali? Dictum eſt in quæſtione de informatione. Prò nunc dico, quod non poteſt dare eſſe materiale, & corporeum, ſed dare poteſt eſſe immateriale, & inextenſum, ſicut eſt eſse intellectiuum: homo enim præter animam intellectiuam habet formam corporeitatis, per quam eſt extenſus & materialis. Ad ſecundam rationẽ, quæ eſt deſumpta ex illo principio Ariſtotelis: Omne quòd incipit eſſe, deſinit quoque eſſe; Reſpondetur, quod multa eſſent dicenda, quę pertinent ad productionem mundi, & intelligentiarum, de quibus ſuo loco; Pro nunc dico, quòd iſta propoſitio: Omne quod incipit eſse, deſinit eſſe, poteſt habere duplicem ſenſum; Primus eſt, quod omne ens productum in eſſe, eſt corruptibile quantum eſt ex ſe, & deſinet eſse: quia intrinſecus, & quantum eſt ex ſe, non habet neceſſitatem eſsendi, & hoc modo propoſitio eſt vera, & admittitur à Theologis omnibus: quia creaturæ omnes, ſiue mortales, ſiue immortales, vt Angeli intrinſecus, & quantum eſt ex ſe, ſunt corruptibiles, & defectibiles, quia non ſunt ex ſe neceſse eſse: ſic enim ſolus Deus eſt neceſse eſse, & conſequenter abſolutè ſolus ipſe eſt incorruptibilis. Secundus ſenſus eſt, quòd omne, quod incipit eſse, ſit corruptibile de facto, & de facto tendat ad non eſse, & pro aliquo tempore ſit non futurum: & in hoc ſenſu eſt falſa, ſecundum veritatem: quoniam licet Angeli, & Cælum ſint facti à Deo aliquando, cum prius non eſſent, & nunc

ſint ex

ſint ex ſe corruptibiles, & circumſcripta manu deitenentia deſinerent eſse, tamen hac lege à Deo agente libero cõdita ſunt, vt perpetua, & immortalia ſint, & dedit eis naturam omnino immaterialem, alienam à contrarijs, in ſignum, quod voluit talem naturam eſse immortalem, & incorruptibilem, & propter hoc Angelus, & Anima ſunt immortales.

Ad 3. ex Abro. Ad tertiam rationem, quæ deſumitur ex eo, quod Anima eſt forma hominis, qua maximè innitebatur Alexander Aphrodiſæus, Reſpondetur, quod eſsentia rei duobus modis poteſt accipi; Vno modo adæquatè, & totaliter, & hoc modo amplectitur materiam, & formam, & integrat eſsentiam, & compoſitum rei, & hæc proculdubio eſt inſeparabilis à compoſito, quia ablato animali rationali, aufertur quoque homo: ſed hoc modo forma non eſt eſſentia rei; Alio modo accipitur eſsentia rei, pro principali parte quidditatis, & hæc eſt forma: quia hæc conſtituit eſsentiam rei principaliter, licet non ſe ſola; & loquendo de hac quidditate, falſum eſt quod eſsentia, & quidditas, non poſſit ſeparari ab eo, cuius eſt forma; & quidditas, contingit enim ſeparari, quando talis forma eſt immaterialis, & inorganica.

Ad 4. rõnẽ. Ad quartam rationem, quæ deſumitur ex opetatione animæ intellectiuæ, reſpondetur, quod intelligere formaliter eſt actus immaterialis, & ideo competit Deo, & Intelligentijs: non eſt ergo de intrinſeca ratione actus intelligendi, quòd pendeat à corpore, ſed ex accidenti, ſcilicet, quia anima intellectiua eſt iuncta corpori pro hoc ſtatu, nec aliquod obiectum poteſt ſibi præſentari ſine ſenſibus: quia nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; & propter hoc neceſse eſt intelligẽtem phantaſmata, ſpeculari pro hoc ſtatu. Ex hoc autem non ſequitur, quod intellectus non poſſit intelligere ſine corpore, & ſenſu, abſolutè loquendo.

aliud arg. efficacius ... Erat aliud argumentum. Si anima rationalis eſt immortalis, & multiplicatur ad multiplicationẽ indiuiduorũ, vt reuera multiplicatur, ſequitur dari infinitum in actu in multitudine, quia Ariſtoteles poſuit mundum eſse æternum, quo ſuppoſito, infinitæ animæ neceſsariò præceſserunt. *Ariſ. ſolui tur.*

Reſpondetur, quòd hoc concludit apud Ariſtotelem, ſed non concludit ſecũdum veritatem: quia principium illud Ariſtotelis, quod mundus ſit æternus, eſt falſum, neque ratione naturali demonſtratum eſt ab ipſo: vnde rationes illius factæ in 8. Phyſicorum, ſoluuntur à Ioanne Grammatico, & à multis alijs: non eſt autem mirum, quòd ex falſo principio ſequatur falſa Concluſio. Concludamus ergo, verè, & abſolutè Animam rationalem eſse immortalem, & præter hunc dari alium ſtatum, in quo veram beatitudinem conſequi poterit.

Vbi obiter notandum eſse duco, non admodum ſcitè facere quoſdam, qui contendunt eos iniuriam veritati, & fidei Catholicæ inferre, qui aſserunt Ariſtotelem dicere animam rationalem immortalitatis eſse expertem, vel fuiſse dubium. Primò, quia fides Catholica non eget noſtris mendacijs, immò hiſce eam velle munire, eſset maxima impietas, quia exponeretur deriſioni infidelium; Dicere autem Ariſtotelem poſuiſse animam rationalem eſse immortalem, non eſt ita clarum, vt maximè, & euidenter diſtet à mendacio, Vnde tot ſunt contentiones de eius mente. Præterea parum eſt curæ Eccleſiæ, quid dicat Ariſtoteles: quia doctrinam ſuam non ex argumentationibus Philoſophorum, ſed ex reuelatione diuina, & fide tenet: & propter hoc tot alias aſsertiones Ariſtoteles, & aliorum philoſophorum reijcit, & damnat, vel eleganter oſtendit D. Auguſtinus in lib. de Trinit. præſertim 13. loquens de beatitudine hominis. Et multo magis eos errare puto, qui dicunt eſse de fide, tenere Ariſtotel. poſuiſse animam rationalem eſse immortalem. Primum enim falſum docent, quia ſacrum Concilium Laterenenſe, ſub Leone X. ſeſs. 8. decernit quidem eſse de fide, aſserere animam rationalem humanam eſse immortalem, & hanc veritatem profeſsores publicos tamquam veritatem ſynceram debere defendere, aduerſarios, reijcientes, & eorum rationes ſoluenres in ſuis ſcholis contra temere philo- *Quo ſecũdum ſacra Cõci ĩmortalitas animæ ſit tractãda a Phil.*

philoſophantes;temere enim philoſophã tur,qui aſſertiones Alex. Aphrodiſæi, vel Auerrois, vel Ariſt. aſſerunt eſſe veras in philoſophia, quaſi philoſophia Alex. Auerrois,Ariſtot. vel alicuius alterius Philoſophi ſit vniuerſa philoſophia, vt ſupra dicebamus. Dicant ergo, illas aſſertiones deducet ex doctrina illorum philoſophorum,quæ cum habeat multa falſa principia,non eſt mirum, ex illis ſequi Concluſiones falſas, quas tamen ipſi veras iudicent: ſed non dicant eſſe veras in philoſophia abſolutè,quia philoſophia abſolutè ſumpta,vel eſt ſapientia,quam lumine naturali excluſa diuina reuelatione habemus, quæ eſt vulgaris acceptio huius nominis philoſophia;vel eſt ſapientia vera, & hoc modo idem eſt philoſophia,quod vera philoſophia, & tunc coincidit cum ſapientia reuelata,quia ipſa ſola ſyncera, & indubitata veritas eſt. In philoſophia autem hoc duplici modo ſumpta,falſiſſimum eſt,animam intellectiuam hominis eſſe mortalem, vt iam abundè oſtenſum eſt; Sed ſacrum Concilium non decernit aſſerendum eſſe Ariſtotelem hanc veritatem cognouiſſe, vel eam ex principijs Ariſtotelis neceſſariò ſequi. Satius eſt ergo non inijcere ſcrupulos in mentem auditorum: ſed in veritate apertè eos docere,explicando,quid Philoſophi gentium dixerint,vel dicere exiſtimentur, deinde illorum errata manifeſtare,& neruoſis rationibus veritatem tueri,& cõfirmare,quod ipſi pro virili facere conati ſumus.

THEOREMA LXIX.

Omnis Anima animalium habet eſſe à Deo immediatè, ſecundum Ariſtotelem.

Exponitur, & comprobatur opinio Scoti, & declaratur in quibus ſit ſemen, & quid ſit, & quomodo agat in generatione. Cap. 7.

LOquitur Scotus duobus in locis, præcipuè de productione animarum, ſed præſertim de intellectiua, in 4. Sent. diſtinct.43.quæſt.2.declarãdo ſecundam propoſitionem: an ſcilicet,anima ſit immortalis,de omnibus verò animabus animalium,quæ per propagationem producuntur,in communi loquitur, in 2. Sent. diſt. 18. in calce, & in vtroque loco dicit animas viuentes, non poſſe produci virtute ſeminis, ſed recurrendum eſſe ad Deum; Prius explicabimus attinentia ad animam intellectiuam, cum hucuſque de ea locuti ſimus; deinde loquemur de alijs animabus in communi,& de virtute ſeminis.

Quo ad primum,inquit Scotus in præcitato loco 4. Sent. declarando locum illum Ariſtotelis; Intellectus de foris aduenit;quod valde dubium eſt quid Ariſt. ſenſerit de inceptione animæ intellectiuæ: ſi enim non ponit Deum immediatè aliquid de nouo agere, ſed ſolum motu ſempiterno mouere Cælum, & hoc vt agens remotum,à quo agente ſeparato,poneret illam animam intellectiuam de nouo produci? Si enim dicas, quod ab aliqua intelligentia:duplex eſt inconueniẽs; Vnum,quia illa non poteſt creare ſubſtãtiam;Aliud,quia illa non poteſt magis aliquid nouum producere immediatè,quã Deus, ſecundum principium Philoſophi de immutabilitate agentis, & de ſempiternitate in agendo; Nec poteſt ipſe philoſophus,vt videtur ſecundum principia ſua,ponere intellectum eſſe terminum agentis naturalis: quia vt videtur ex 12. Metaph. ponit eum incorruptibilem, & immortalem (diximus enim ſuprà, eſſe varia principia apud Ariſtotelem, quorũ aliqua inducunt ad mortalitatem, aliqua ad immortalitatem; Scotus nunc loquitur de illis principijs, quæ ducunt ad immortalitatem)nulla autem forma,quæ eſt terminus agentis naturalis, eſt ſimpliciter incorruptibilis. His excitatis dubijs, poſtea ſubdit ſuam determinationem,dicens:(Adduco verba Scoti,quia clara sũt, & breuiter aperiunt mentem Scoti) Poteſt dici,quod Philoſophus ponit eam immediatè recipere eſſe, & nouum eſſe à Deo; quia quod accipiat eſſe, ſatis ſequitur ex principijs ſuis,cum non ponat eam perpetuò præceſſiſſe ſine corpore, nec prius in alio corpore, & non eſt probabile ſecundum rationem, à quo poſſit recipere totale eſſe,nullo præſuppoſito,niſi à Deo,

Deo, ergo concederet creationem; non ſequitur: quia non dixit eſse aliam productionem compoſiti, & animæ intellectiuæ, ſicut nec in igne, nec in forma ignis, ſed illam animationem corporis organici, ponit eſſe productionem per accidens ipſius animæ; Nos autem Chriſtiani, ponimus duas productiones; Vnam, de non eſse animæ, ad eius eſse, & illa eſt creatio; Aliam à non animatione corporis, ad animationem eius, & illa eſt productio corporis animati, & per mutationem propriè dictam; Qui igitur poneret tantum ſecundam, ſcilicet animationem, nullam poneret creationē, & ita Ariſtoteles; Adhuc Scotus rem magis declarat, dicens: ſed licet vites creationem, ſecundum eũ, quomodo poteſt agens immutabile, vt eſt Deus, aliquid nouum producere? Reſpondeo, nullo modo, niſi propter nouitatem paſſi receptiui, quod enim effectus totaliter & præcisè dependens a cauſa actiua, eſſet nouus, reduceretur ſecundum Ariſtotelem in aliquam variationem ipſius cauſæ efficientis: ſed quod effectus dependens ab agente, & paſſo receptiuo, ſit nouus, poteſt reduci in nouitatem ipſius paſſi, ſine nouitate agentis, & ita diceretur hic, quod Deus neceſſitate naturali tranſmutat corpus organicum ad animationem, quam citò corpus eſt ſuſceptiuum iſtius animationis, & à cauſis naturalibus fit aliquando de nouo iſtud ſuſceptiuum, & tunc noua eſt mutatio ad animationem ab ipſo Deo; ſed quare reducenda eſt illa nouitas immediatè in Deum, ſicut in cauſam agentem? Reſpondeo; Sicut quia eſt primum agens, ideò ſecundum Ariſtot. eſt ſemper agens aliqua actione in paſsum ſemper eodem modo ſe habens, ita ſi aliquod paſſum poteſt eſſe nouum, & ſuſceptiuum alicuius formæ, quæ non poteſt ſubeſse cauſalitati illius cauſæ ſecundæ, Deus eſt immediata cauſa illius, & tamen de nouo; quia omni potentiæ paſſiuæ in ente, oportet ponere aliam actiuam correſpondentem, & ita ſi potentiæ paſſiuæ nouæ, non reſpondet alia potentia actiua creata, correſpondebit ſibi immediate Diuina; hæc Scotus, Ex quibus clarè patet, Scotum voluiſſe Ariſtotelē exiſtimaſſe animam intellectiuam eſſe immediatè productam à Deo: & tamen non eſſe creatam; quia creatio eſt productio de nihilo; ſed iſta productio naturalis, eſt eductio de potentia materiæ, hoc enim idem eſt quòd animatio, vt ipſe dicit; habetur etiam ratio huius ſententiæ, quia ſuſtinendo quòd rationalis anima habeat eſse, poſt non eſſe, vt ſuſtinere debemus, ſuſtinendo multiplicationem, & informationem abiecta tranſinigratione Pythagorica, & numero determinato animarum, ſecundum Platonem, quæ omnia certum eſt Ariſtotelem reiecisse; & inſuper ſuſtinendo illa principia Ariſtotelis, quod anima ſit immortalis, neceſſe eſt nos dicere, ipſam eſse à Deo immediatè productam; Ratio eſt adducta: quia tunc non poteſt produci à cauſa naturali, ergo à Diuina, non ab Intelligentia, vt dictum eſt, ergo à Deo.

Sed ſuſtinendo etiam animam rationalem eſse mortalem, ſecundum alia principia Ariſtotelis, quæ magis cogentia apud eum videntur, vt ſupra diximus, neceſse eſt etiam dicere, quod immediatè producitur à Deo, & hoc nedum de anima rationali, ſed etiam de ſentiente dicendum eſt; Hoc autem diligenter probat Scotus in 2. Sent. diſtinct. 18. & licet non loquatur de intellectu, tamen quia loquitur in communi de anima animantium, quæ per propagationem producunt ſibi ſimile, comprehenditur quoque anima intellectiua; Scotus ergo in præcitato loco, Tria declarat; Primò, in quibus ſit ſemē; Secundò, quid ſit ſemen; Tertiò, qualiter in eis ſit. Quò ad Primum, dicit, quod aliqua producunt ſibi disſimilia in ſpecie, & in forma, vt Sol producens Ranam: & agentia æquiuoca, alia ſunt quæ producunt ſibi ſimilia, & hoc dupliciter, vel immediatè, vt ignis ignem, vel mediante propagatione; in primis duobus non requiritur ratio ſeminalis mediante qua forma inducatur, ſed ſolum in tertio. *De ſemine.*

Quod autem in illis duobus non ſit ſemen, probat Primò; quia nihil eſt dicere, *1. rō.* quod ignis in producēdo ignem de aqua, primo cauſet ſibi rationem ſeminalem, quæ ſibi coagat, vel agēti vniuerſali, quia elementa ſunt imperfectiſſima entia ſecundum Commentatorem 3. Cæli, Comment. 22.

ment.22.& 67. ſemen autem cuiuſcumque agentis, eſt imperfectius eo agente, non ergo illa ratio ſeminalis ageret ad formam perfectam mixti, (ſi enim ignis non poſſet agere, multo minus ſemen ignis ageret ad formam mixti, cum illud ſemen ſit imperfectius igne,) Præterea, ratio ſeminalis agit abſente agente principali, ſed ceſſante igne à ſua actione, nō continuatur caliditas, vel actio caloris mediāte qua generatur ignis, ſed redit aqua ad frigiditatem, ergo. Præterea, ſemen ponitur vt ſit medium inter generans, & genitum: ſed hic eſt actio immediata ſine ſemine, quia ignis immediatè generat ignem, ergo. Præterea Ariſt.7. Metaph. textu 29. & 31. dicit, quod ſicut in artificialibus non fit aliquid niſi ab extra, ita in naturalibus fit aliquid tantum ab extra, vt ignis ab igne: igitur non præceſſit in materia ratio ſeminalis, quæ eſt inchoatio formæ.

2. rō. 3. rō. 4. rō.

Quid ſit ſemen. His habitis, accedit ad ſecundum, ſcilicet, ad declarandum, quid ſit ſemen, & quid ſit ratio ſeminalis. Deinde declarabit quomodo, & qualiter hæc ratio ſeminalis in animalibus, & alijs animantibus ſe habeat: non enim eodem modo ſe habet in omnibus; Inquit ergo Scotus, quòd ſemen eſt corpus quoddam imperfectū, cuius forma non eſt intenta propter ſe, ſed propter aliud vt, ſcilicet ex illo generetur aliquid ſimile generanti; & vt hoc melius videatur, poteſt diſtingui in natura duplex proceſſus in formis; Vnus aſcendendo, vt à forma ſeminis ad formā ſanguinis, à forma ſanguinis ad formam aliam, ſcilicet, Embrionis, vel alterius: & iſtæ proceſſus eſt ab imperfecto ad perfectum; Alius proceſſus eſt deſcendendo à perfectis ad imperfectiora, reſoluendo, ſcilicet, in cadauer, & in fœces, & ſic procedendo vſque ad elementa, vel ad materiam primam: illud autem à quo incipit natura in primo proceſſu, eſt ſemen, & conſtat naturam in illo non ſiſtere, ſed vlterius procedere, & aſcendere vſque ad vltimam formam perfectam, & è conuerſo eſt in reſoluendo, & deſcendendo, ſcilicet quòd natura non ſiſtit citrà vltimā, & tota natura aſtricta eſt huic ordini, & proceſſui; ſemen igitur eſt quoddam corpus imperfectum productum à generante, vt ſit via aſcendendi ad vlteriores formas perfectas. Ratio autem ſeminalis eſt aliqua forma ſeminis, in quantum ſemen eſt, & illud eſt vel forma ſubſtantialis ſeminis, vel qualitas neceſſariò conſequēs formam ſubſtantialem eius, ſicut forma tritici in tritico, vel qualitas conſequens formam ſubſtantialē tritici, eſt ratio ſeminalis tritici, ſemen autem fit ex nutrimento, in quo ſemine eſt ratio ſeminalis tamquam in ſubiecto, nec ſemper eſt ſemen in ſeminante, cum fiat de ſuperfluo alimenti. Hæc de ſecundo. Tertium principale eſt, ad quid ſit ſemē: & hoc eſt, quod in præſenti quæritur, An ſcilicet ſemen ſit propter generationem, & hoc certum eſt, quod ſemen eſt propter generationē: ſed quæritur qualiter conducat ad generationem, ſcilicet an ita fiat propter generationem, quòd ſit principium generationis actiuum; vel potius paſſiuum. Scotus reſpondet apertè, quod ſemen non poteſt eſſe principium actiuum generationis attingens formam, & animam generandā; & hoc probatur primo ſic: Quod non eſt, non poteſt eſſe principium productiuum ſubſtantiæ, ſed ſemen in inſtanti generationis non eſt, ergo tunc non eſt principium productiuum generationis, vel termini generationis. Secundò, neque etiam dum eſt, poteſt eſſe principium tale: quia ſemen eſt aliquod de proximo conuertibile in id, quod debet generari: hoc autem habet rationem paſſiui, non actiui. Tertiò, imperfectius non eſt cauſa ſufficiens actiua perfectioris: ſed ſemen eſt imperfectius, quam res generanda, etiā cum omnibus ſpiritibus ſuis, ergo etiam ſi maneret, non poſset eſſe principium actiuum generationis. Ad hoc reſpondetur, quod ſemen mouet, & agit in virtute decidentis, & generantis, & ideo ſic poteſt agere ad productionem ſubſtantiæ, & geniti, & hoc patet per Galenum, qui dicit in ſemine eſſe virtutem Diuinam. Sed contra hoc arguitur. In virtute non entis, eo modo quo eſt non ens, nihil agit, ſed generans, vel decidens ſemen in propoſito, eſt non ens, cum non ſit præſens illi corpori in quod debet agere ſemen, vel ratio ſeminalis, & poteſt non eſſe ſim-

Quid ſit rō ſeminalis. *Ad quid fiat ſemen.* *Scoti opin.* 1. rō. 2. rō. 3. rō. *Reſp.* *Cōfutatio.*

ſe ſimpliciter, ergo ſi ſemen agit, hoc erit in virtute alicuius in ſe contenti. Præterea, licet cauſæ per ſe, & eſſentialiter ordinatæ ſimul concurrant ad vnum effectum cauſandum, ſicut patet de Sole, & Homine in generando hominem, cauſæ tamen accidentaliter ordinatæ, non requirunt ſe in cauſando, ſed licet vna ſit ab alia, ex quo tamen eſt, habet, & habere poteſt propriam cauſalitatem reſpectu alicuius effectus, non exiſtente cauſa, à qua eſt, ſicut patet de Platone generato à Socrate, qui poteſt generare Ciceronem Socrate non exiſtente, nec cauſante. Vnaquæque igitur cauſarum accidentaliter ordinatarũ agit, & cauſat propria virtute, ſed generans, vel ſeminans, & ſemen, ſunt accidentaliter ordinata ſicut Socrates, & Plato, igitur ad actionem introductiuam formæ vltimæ, non concurrit forma generantis.

Sed ſi nec ſemen, nec generans, ſunt principium actiuum formę, & ſubſtantię generandæ, quodnam erit principium actiuum generationis, & vltimæ formæ generandæ, quæ eſt anima?

Reſpondet, quod nec ſemen, nec aliquid in ſemine, nec pater, nec mater, ſunt principium productiuum iſtius vltimæ formæ; De ſemine dictum eſt, & de ratione ſeminali eſt eadem ratio; pater etiam, & mater poſſunt non exiſtere, quando compoſitum generatur, ergo illa non ſunt quæ producunt, neque eſt forma Cęli, quia multa viuentia ſunt perfectiora forma Cęli, neque Angelus, ſiue Intelligentia, quia Angelus non agit niſi mediante motu Cęli. Relinquitur ergo, quod à Deo.

Vlterius quęrit Scotus, poſtquam ſemen non eſt principium actiuum vltimæ formę, an ſaltem ſit principium pręuium ælteratiuum corporis organici, quod generatur.

Reſpondet, quod neque huiuſmodi actiuitatem poſſumus ponere in ſemine; quia ſemen eſt vniforme, & vnigenum, & ideò non poteſt per aliquem gradum entitatis ſuę, vel per qualitatem ſuã ſeipſum corrumpere, vel promouere ad vlteriorem gradum: ſicut patet de igne, & ſuo calore; Iſta etiam qualitas ſeminis ſi eſſet actiua, alteraret ſe, nihil autem alterat ſe, quia nihil agit in ſeipſum; Prętereà, principium vniforme non eſt principium actiuum difformitatis, niſi paſſiuum ſit difforme: ſed ſemen eſt vniforme, & vnigeneum, dato etiam quod ſit actiuum, & ſimiliter materia, ergo non poteſt alterare ad tantam diuerſitatem, quanta apparet in organis ipſius geniti, ſcilicet corporis organici; Sed à quo prouenit igitur iſta difformitas, & organizatio corporis?

Reſpondet Scotus, quod recurrendum eſt hic ad virtutem Diuinam, ſicut, & Auerroes facit in diſſoluendo quęſtiones difficiles, 2. Cęli, & ideò Galenus vocat virtutes ſeminum diuinas; Dicit ergo, quod virtus quę facit diuerſitatem organorum in corpore animalis, debet eſſe difformis, & huiuſmodi eſt actio caloris Cęleſtis, vel corporis Cęleſtis, quæ eſt conformis virtuti Diuinæ. Hæc habet Scotus de ſemine, & virtute ſeminali animalium. Ex quo loco apertè patet, ipſum tenere nedum animam rationalem immediatè prouenire à Deo, ſed animam ſentientem, & vniuerſaliter animas animalium.

In alijs verò ab animalibus, poni poteſt ratio ſeminalis hoc modo: quia mixta habere poſſunt à generante quaſdam qualitates, quæ ſunt viæ ad formas vlteriores, & perfectiores, vt in cadauere bouis, poteſt induci qualitas aliqua à corpore Cæleſti, quæ eſt via ad formam. Et hæc qualitas dici poteſt ratio ſeminalis. Hoc idem poteſt dici de corporibus non verè mixtis, quia Corpora Cæleſtia non ſemper generant de verè mixtis, ſed de mixtis per iuxtapoſitionem, & tale mixtum poteſt habere qualitatem quæ eſt via ad formam perfectiorem, & ſic patet, quid ſit dicendum de ratione ſeminali in animalibus, & alijs ab animalibus, ſecundum Scotum; Quæ opinio cum ſit munita rationibus, vt ſigillatim oſtenſum eſt, iudicanda eſt vera.

Soluuntur quædam dubitationes contra prædicta, & eadem ſententia magis confirmatur. Cap. 11.

EX his habetur, quod locus ille ex ſecundo de generatione animalium, quamuis

Mentem de fo-

quamuis valdè exagitetur à Boetio, Pomponatio, Viccomercato, Piccolomineo, & alijs, poteſt explicari hoc modo, quo Scotus explicauit, ſcilicet, quod ibi Ariſtoteles voluerit dicere, quod mens extrinſecus accedat ratione principij productiui: quia producitur immediatè à Deo, & propterea ille locus nihil iuuat pro immortalitate animæ: quia ſiuè ſit immortalis, ſiuè mortalis, tamen extrinſecus aduenit hoc modo, non ſolùm intellectiua, ſed quælibet alia anima. Quòd confirmatur ex ſerie illius capitis: quam optimè ponderauit Zabarella cap. nono de Humana mente; nam Ariſtoteles propoſuit ibi tres quæſtiones, ſed præcipuè hanc, quæ eſt trimembris: an omnis anima extrinſecus accedat, vel nulla, vel aliqua, & antequam ſoluat, diſputatiuè procedit, vt ſui moris eſt; & primo probat, quod nō omnis anima extrinſecus accedit, id eſt nō præexiſtit ante corpus, quia aliquæ vtuntur organo, & ſic non poſſunt præexiſtere ante corpus, & poſtea accedere ad corpus: quia prius fuiſſent otioſæ; & hanc argumentationē ſtatim ſequuntur verba illa [Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaq. ſola Diuina ſit, nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis,] quaſi dicat, omnes animæ partes extrinſecus accedere eſt impoſſibile: quia aliquæ ſunt organicæ ſola relinquitur mēs, quæ extrinſecus accedere poſſit, ac Diuina eſſe dicatur, quia ipſa non eſt organica, id eſt, quantum eſt ex vi huius rationis deſumpta ab organis, nihil prohibet eam eſſe Diuinam, & extrinſecus accedere quo ad ſubſtantiam. Ecce, quod nihil certi colligit; Et hæc eſt eadem ſententia, quæ eſt in 11. textu 3. de Anima.

risve nire Quō intelligatur.

Mox habitis his verbis, ſoluit quæſtionem propoſitam, & oſtendit quomodo omnis anima extrinſecus accedat: nō quia præexiſtiterit ſecundum ſubſtantiā ante corpus, quia hoc eſt impoſſibile; & de organicis probauit; de rationali reliquit ſub dubio: ſed ratione agentis, & efficientis à quo producuntur, dicuntur extrinſecus accedere: nam ait, quòd formæ inanimatorum educuntur de materia ab agente elementari: ſed anima non poteſt produci à calore elementari, ideo habet principium externum, cæleſte, & Diuinum, ſcilicet, Aſtrorum vires, in ſemine enim ait reperiri ſpiritum, qui proportione reſpondet elemento ſtellarum, quas ſtellas etiā ait nobilitate, & dignitate inter ſe diſſidere, prout etiam animæ producendæ nobilitate diſcrepant: actiones autem ſtellarū ſunt inſtrumenta primi mouentis, immò in ſeqnentibus dicit, in ſemine eſſe duplicem virtutem; Vnam ab ipſo ſeparatam; Alteram verò, non ſeparatam, agit enim ſemen tamquam agens proximum inſtrumentale, agit etiam virtute Cæleſti, tamquam inſtrumentum Cæleſtis agentis; Itaque hic locus egregiè confirmat ſententiam Scoti: neque enim Scotus negat in ſemine omninò actiuitatem, agit enim ſemen maris, in ſemen feminæ, quà actione diſponitur, & fit potentia animarum, non actu, vt dicit Ariſtoteles in eodem cap. 2. de generatione animalium, ſed actu animatur à Deo producente animam: negat ergo Scotus, ſolam actiuitatem quo ad vltimam formam quæ eſt anima, neque illa auctoritas nobis obeſt: cum inquit Ariſtoteles, quòd ſola mens extrinſecus accedit: quia dictum eſt, quod in alio ſenſu accipit extrinſecus accedere, ab eo, in quo accipit, dum ſoluit quæſtionem, nam in eo ſenſu, quo ibi loquitur, neque intellectiua, neque vlla alia extrinſecus accedit, licet illud de intellectiua ibi non probetur per illam rationem.

Obie. Sueſ. Aduerſus hanc ſententiam arguit Sueſſanus 7. Metaph. quo ad definitionem ſeminis, & nititur oſtendere, quod ſemen ſit corpus perfectum, & quod malè Scotus dixerit dum aſseruit ſemen eſſe corpus imperfectum. Sed hoc nihil eſt: quia *Reie.* Scotus dixit pro tāto ſemē eſſe corpus imperfectum, quia non intenditur à natura propter ſe, ſed propter aliud, ordinatur enim ad animal. Contra Concluſionem verò principalem, ſcilicet, quod anima quælibet producatur immediatè a Deo, *Obie. Iau.* Arguit Iauellus 7. Metaphyſic. quæſt. 14. & probat, quòd cæteræ animæ, præter animam intellectiuam, virtute ſeminis producantur, ac ab illo attingantur, hac præſertim ratione, quam cæteri huius ſententiæ plurimi faciunt: quia ſi cæteræ animæ

produ-

produceretur à Deo, non à virtute ſeminis, ſequeretur, quod illæ crearetur: Creatio autem non admittitur à Philoſopho; Probatur Conſequentia: quia nulla alia ratione anima intellectiua dicitur creari, & non generari, niſi quia non educitur ab agente naturali de potentia materiæ;

ſolu. Sed hoc argumentum nullius eſt momenti: dicimus enim, vt patet ex dictis, quòd in hoc differt Creatio à Generatione, quia id, quòd creatur producitur ex nihilo de nulla ſubiecta materia, & nullis prærequiſitis diſpoſitionibus in materia, at in præſenti dicimus, animam poſſe produci à Deo ſecundum Philoſophum, ſed de materia ſubiecta, prærequiſitis diſpoſitionibus, & ideo non eſt Creatio, ſed Generatio; quod etiam optimè nouit Franciſcus Piccolomineus, libro 5. de Materia, cap. vltimo.

Obie. ex Themiſt. Ex Themiſtio alij ſic arguũt. Si ſemen non produceret animam, ſed Deus, ergo non magis homo poſſet generari ex ſemine hominis, quam equi.

Reſp. Reſpondetur, quod non negamus ſemen agere diſpoſitiuè, eſt enim corpus inductum à generante, & à natura, propter animal generandum, & agit ad terminum quendam, quo habito, Deus perficit quod ſemen attingere non poteſt: quia Deus eſt cauſa vniuerſalis, quæ ſupplet defectus cauſarum naturalium quando paſſiuè ſunt debitè diſpoſitæ, & nulla cauſa actiua hoc attingere poteſt.

Obie. Iand. Iandunus 7. Metaphyſices, quæſt. 19. ex Commentatore ſic arguit. Si anima inducitur ab agente ſeparato, ergo genitum non eſt vnum. Probatur Conſequentia: quia omne generans terminatur ad actũ, ſed datur agens coniunctum materiæ, datur & agens ſeparatum, vtrumque agens producit aliquid in actu, ergo genitum eſt duo in actu, non vnum.

Reſp. Reſpondetur, quòd Conſequentia non valet: quia non ſunt duæ formæ vltimæ, ſed agens iunctum materiæ, vt forma ſeminis agit ad diſpoſitionem quandam, ſed illa ordinatur ad vlteriorem formam, quæ poſtea inducitur à Deo, ideo cum iſtæ formæ ſint ſubordinatæ, genitum non eſt duo, ſed vnum.

2. ob. Secundò, Agens ſeparatum non poteſt tranſmutare materiã, ſed genitum eſt generatum per tranſmutationem, ergo non eſt genitum à Deo; Dico, quod Maior eſt vera de agẽte ſeparato ex ſe ſolo operãte, non de eo operante per cauſas ſecundas, vnde in propoſito, Deus vtitur motu Cælorum, & motu ſeminis, tamquam cauſis inſtrumentalibus ad inducendas præuias diſpoſitiones: ſed vltima forma quæ in inſtanti inducitur, à ſolo Deo producitur. *Reſp.*

Paulus Soncinas, nonnullas rationes adducit, quæ nullius momenti ſunt, ideo eas omitto; ſed præſertim arguit: quia generatio omnis naturalis eſſet æquiuoca, Conſequens eſt falſum; Cõſequentia probatur: quia formæ rerum naturalium, nõ ſunt eiuſdem ſpeciei cum intelligentia, *Obie. Sonc.*

Reſpondetur, quod æquè concluderet de anima intellectiua, ideo reſpondeo, quod eſt generatio vniuoca, quia generãs, licet nõ attingat productionẽ vltimæ formæ, tamen ſufficienter diſponit materiã, ad quã diſpoſitionem ſequitur neceſſariò ſecundum Ariſtotelẽ ipſius animæ productio. Et quòd arguit, quia tunc agens naturale ſuperfluũ eſſet: quia quidquid poteſt facere maius, poteſt facere minus, nihil eſt: quia hæc propoſitio valet in effectibus eiuſdem rationis: ſed in effectibus diuerſæ rationis, nequaquam; nam homo poteſt generare hominem, & tamẽ nõ poteſt generare pulicem, & tamen homo eſt effectus nobilior pulice; Ita in propoſito, licet Deus ſecundum Ariſt. poſſit producere animam, non tamen poteſt producere diſpoſitiones, quia iſtæ ſunt effectus viliores, qui Deo competere non poſſunt, & propter hoc datæ ſunt cauſæ ſecundæ, vt alibi dictum eſt. *Reſp.*

THEOREMA LXX.

Intellectus non eſt vnus numero in omnibus hominibus, ſed multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum.

Exponitnr ex dictis mens Scoti, & rationes Aduerſariorum præcipuæ adducuntur, & ſoluuntur. Cap. vnicum.

VT nonnullæ difficultates tollantur, quæ prædeterminatis aduerſari videntur,

dentur,expendere decreui particulariter, an intellectus ſit vnus numero in omnibus. Quid verò hac in re ſit dicendum,ex dictis facilè patet,&præcipuè ex eo,quòd intellectus eſt forma informans hominē, atque illi dans eſse ſpecificum: nam luce clarius ſequi patet,quod intellectus multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum , & quoniam hoc cognouerunt Auerroiſtæ,dixerunt intellectum eſse formam aſſiſtentem,non informantem. *1. rō. Zab. cōtra Achillinum.* Solus Achillinus 3. quodlibeto, dubio 2. vt rectè inquit Zabarella, negauit hanc Cōſequentiam . Intellectus eſt forma informans, ergo multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum:ſed rectè confutatur ab eodem Zabarella,& confutatio eſt per ſe euidens, ſequeretur enim,quod ſi intellectus eſt forma informans, & tamē eſt vnus numero; quod omnes homines particulares eſsent vnus homo numero , & ſingularis, & quod vnus homo numero haberet eſse alterius hominis particularis, quæ omnia implicant contradictionem,& ipſi ſenſui aduerſantur; *Reſp. Achillini.* At reſpōdet Achillinus , hæc abſurda non ſequi, quia intellectus eſt vna Intelligentia vniuerſalis , quę dat eſse omnibus hominibus particularibus,quaſi dicat: Si intellectus eſset forma particularis, non poſset dare eſse omnibus particularibus hominibus:ſed quia eſt vniuerſalis,ideo ſingulares homines poſsunt ab illo intellectu ſumere eſse ſuum hoc,& vnum;Ratio verò multiplicationis oritur ex materia diuiſa ab intellectu informabili cogitatiua, quæ cogitatiua multiplicatur , & ſic datur multiplicatio indiuiduorum in natura humana, licet eſse ſpecificum , & eſſe hominem , hunc recipiant ab eodem intellectu. *Reÿcitur.* Sed hęc poſitio eſt adeo implicita abſurditatibus,vt nihil magis. Quæro quomodo forma vniuerſalis poteſt dare eſse ſingulare per ſui informationem , forma enim informans eſt,quod quid eſt rei,& eſsentia,& qualis eſt forma, tale eſſe dat rei,& non eſse oppoſitum?quomodo ergo forma vniuerſalis dare poteſt eſse
2. ſingulare?Præterea,quādo dicit, quod intellectus eſt forma vniuerſalis,quæro, vel eſt forma vniuerſalis in prædicandó , & tunc implicat contradictionem dicere , quod eſt vna Intelligentia numero, ſicuti dicere,quod animal eſt vnum numero,& hoc dicere non poteſt:quia omne tale vniuerſale,habet ſub ſe indiuidua,eſt ergo ſolum vniuerſalis in cauſando: at vniuerſale in cauſando, non dat eſse formale cauſatis: ſed per modum efficientis, vt patet de alijs cauſis vniuerſalibus, vt eſt Deus, Cælum,&c.

Præterea, vt inquit Zabarella, ſingularitas ſubſtantiæ, vel pendet à forma, vel 3.
à materia;vel adiungamus nos , ab Accidentibus, vt omnes modos Indiuiduationis comprehendamus;ſi a forma,ergo forma vna numero, conſtituit vnum ſingulare,& ſic valet noſtra Conſequentia ; Vel ſingularitas , & indiuiduatio prouenit à Materia;vel Accidentibus,& tunc forma ipſa eſt ſingularizata , & indiuiduata , & ſic erit numero diſtincta ab altera forma .

Secundò communiter adducitur contra hanc vnitatem intellectus, argumentum deſumptum ab operatione; & argumentum eſt hoc. *2 principal.* Actus ſecundus intellectus,ſcilicet intellectio , multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorum, ergo etiam actus primus , ſcilicet intellectus ; Conſequentia eſt euidens:quia diuerſitas operationem indicat diuerſitatem formarum, Antecedens eſt clarum, quia intellectio mea,non eſt tua: quia ego aliquando dormio,& tu vigilas, & aliquid intelligis,ergo intellectio tua, non eſt mea.Præterea,vnus diſcipulus diſcit, & alius eſt ignorans.

Ad hoc argumentum reſpondet Auerroes,& Auerroiſtæ,vt Gandauenſis, Viccomercatus,& alij, negando Conſequentiam. *Reſp.* Ratio eſt,dicunt ipſi:quia ad multiplicationem poſterioris , non ſequitur multiplicatio prioris : licet enim multiplicentur intellectiones,non tamen propter hoc ſequitur , quòd multiplicari debeat intellectus , qui producit huiuſmodi intellectiones ; aſſignant etiam rationem multiplicationis, intellectionum ex parte phantaſmatum : cum enim phantaſmata ſint varia , variæ quoque intellectiones ſunt : non enim ſolus intellectus intelligit, inquit Viccomercatus , ſed totus homo , & ſic licet intellectio *Qu... ſm A... uerr.*

in ſe

in ſe ſit vna, tamen reſpectu eorum qui intelligunt, ſunt plures, & phantaſma illuſtratum ab intellectu agente, in diuerſis hominibus diuerſas intellectiones producit. Sed re vera hæc ratio ſic ieiunè formata, non eſt efficax: quia ad multiplicationem poſterioris, non ſequitur multiplicatio prioris: ſed declarata eo modo, quo infrà, eſt efficax; quod vero ipſi dicũt de multiplicatione intellectionum ratione phantaſmatum, eſt perpetua Auerroiſtarum cantilena, quam in Theoremate de informatione animæ, oſtendimus non eſſe intelligibilem: mirum eſt enim, quod intellectus ſit productiuus, & receptiuus intellectionis ſolus, quantum eſt ex parte potentiæ (neque enim in hoc vtitur corporeo organo, vt dictum eſt ſupra,) & tamẽ diuerſæ intellectiones in hoc, & in illo homine ſint propter diuerſitatem phantaſmatum, non intellectuum. Quæro enim ab Auerroiſtis, ſunt ne phantaſmata, quę intelligunt, nec ne? profectò dicere, quòd phantaſmata ſint quæ intelligant, eſt merum abſurdum: quia intelligere eſt actus vitæ, & ideo eſt actus alicuius formæ viuentis, ſcilicet animæ: ſi autem phantaſma non intelligit, relinquitur, quòd ſolus intellectus ſit qui intelligat, cum neque ſenſus, neque corpus intelligere dicantur, vt ex ſe patet; tunc vltrà argumentor, & ſuppono vnam propoſitionem veram, quam ſupra oſtendimus in Theoremate de Informatione animæ, quod intellectio recipitur in intellectu, & quod pro tanto intellectus intelligit, quia recipit intellectionem in ſe, quæ infrà probabitur, & eſt conceſſa, tunc ſic arguo.

Diuerſæ intellectiones numero recipiũtur in diuerſis ſubiectis numero, actu, vt in diuerſis hominibus, vt alia in Socrate, alia in Platone, &c. vt experientia videmus, ergo diuerſi intellectus numero dantur, & nõ vnicus; Cõſequentia patet: quia intellectus eſt ſubiectum intellectionis; Antecedens eſt verum: ſed negaretur forſan ab Auerroiſtis, qui dicunt vnicam eſſe intellectionẽ numero in omnibus. Sed contra. Quando aliqua duo ſic ſe habent, quod vno deſtructo remanet aliud, illa diſtinguuntur numero, ſed intellectio Socratis poteſt deſtrui illo dormiente, & remanere intellectio Platonis, vt patet: ergo differunt numero; Quod ſi concedant eſſe diuerſas intellectiones, ſed hoc prouenire non à diuerſitate numerali intellectuum, ſed hominum, in quibus recipiuntur, Contra: Intellectio cum recipitur in hominibus, non recipitur in parte corporea, vel ſenſitiua; ſed in intellectu, ergo ſi recipitur in diuerſis hominibus, eſt, quia in illis ſunt diuerſi intellectus, vnde ſi eſſet vnus numero intellectus, diuerſæ intellectiones non poſſent recipi in diuerſis ſubiectis numero diuerſis. Præterea, è cõuerſo, eadem intellectio numero, quæ recipitur in intellectu, cum intellectus intelligat patiendo, erit in omnibus hominibus eadem numero; Conſequentia eſt euidens: quia dicũt, quod in omnibus hominibus eſt vnicus, & idem intellectus, & ſic ſequitur, quod eadem erit intellectio omnium hominum numero.

Aliqui dicunt, quod eſt eadem ſpecie, non numero: ſed hoc, vltra quod reprobatur ex argumento facto, quòd concludit, quòd eſſet eadem numero in omnibus hominibus, ſi concedatur, eſt falſum: quia ſequeretur, quod omnes homines haberent eandem cognitionem ſpecie, & ſic, qui ſtuderet medicinæ, diſceret illud, quod diſcit ſtudens Mathematicæ, &c.

Adſunt multa alia argumẽta apud D. Thomam, Gregorium Ariminenſem, Zabarellã, & alios, & maximè illud D. Thomæ, quod intellectus mouetur à phantaſmate tamquam ab obiecto, adeo quod cum phantaſma mouet intellectũ meũ, neceſſe eſt dicere, quod moueat intellectum aliorum hominum, ſi idem numero intellectus eſt in omnibus hominibus: at ego nũquam cognoui intellectum meum moueri à phantaſmate aliorum, & certè ſi Auerroiſtę non dicant ſuam cogitatiuã eſſe quæ intelligit, & patitur, & recipit intellectionem, & intellectum eſſe tantũ cauſam efficientem intellectionis, non poſſunt hæc argumenta ſoluere: dicere autem cogitatiuam recipere intellectionem, & intellectum ſe habere merè actiuè eſt falſiſſimum, vt oſtendimus in Theoremate de Informatione, & aliàs in ſequentibus manifeſtabimus. *Alia arg. apud alios.*

1. rō ſt A-uerr. Viſa veritate, nunc rationes potiores adducendæ ſunt, quas Auerroes ipſe, & Auerroiſtæ pro hac vnitate adducunt. In primis ab omnibus adducitur hoc argumentum, quod exiſtimatur magni momenti. Omnis forma ſubſtantialis, quæ eſt multiplicata, & numerabilis, eſt perfectio inhærens materiæ, extenſa ad extenſionem materiæ: ſed hoc repugnat intellectui, ergo intellectus non eſt forma multiplicata. Maior probatur ex Ariſtotele in 12. Metaph. tex. 49. vbi dicit, multitudinem indiuiduorum ſub eadem ſpecie à materia prouenire. Minor verò probatur: quia omne materiale eſt poteſtate intellectum, vt ait Ariſtoteles in textu 16. 3. libri de Anima: omne autem poteſtate intellectum, eſt obiectum intellectus poſſibilis, ergo idem intellectus eſt obiectum ſibijpſi, & mouet ſeipſum, & recipit ſe: quæ omnia ſunt abſurda; ergo intellectus non eſt forma numerabilis, neque multiplicatus.

2. rō. Secundò. Si intellectus eſſet multiplicatus numeraliter, ſequeretur, quod intellectus vnius hominis non eſſet eiuſdem ſpeciei cum intellectu alterius hominis. Probatur Conſequentia: quia vel eſſet indiuiduatus per corpus, vel per ſeipſum, non per corpus: quia ſubſiſtit ante corpus; non per ſeipſum: quia in eadem ſpecie non ſunt differentiæ ſubſtantiales, ex libris Poſteriorum, ſed ſolum accidentales, ergo ſi intellectus eſt multiplicatus numeraliter, & ſubſtantialiter, non erit in eadem ſpecie.

3. rō. Tertiò. Si intellectus vnius hominis eſſet penitus diſtinctus numero ab intellectu alterius hominis, ſequeretur, quod Magiſter non poſſet producere ſcientiam in animam diſcipuli: Conſequens eſt falſum; Conſequentia probatur: quia ſcientia non eſt qualitas, & ideo non poteſt aliam numero ſcientiam in alio producere eo modo, quo calor ignis producit in alium, alium calorem numero; igitur idem eſt intellectus Magiſtri, & Diſcipuli; alioquin non habemus modum, quo diſcipulus poſſit doceri à magiſtro. Hinc eſt etiam ait Themiſtius, quòd communes animi conceptiones apud omnes ſunt eędem.

Quartò. Si intellectus eſſet multiplicatus, ſequeretur, quòd intellectiones eſſet multiplicatæ, & ſi hoc, ſequitur etiam quòd erunt multiplicatæ in infinitum: at infinitum non datur, ergo. Secunda conſequentia probatur: quia ab hac intellectione mea, & ab hac tua, poterit abſtrahi alia vniuerſalis, quæ ſi iterum à pluribus hominibus particularibus intelligatur, erunt plures intellectiones de illa, à quibus alia vniuerſalis intellectio abſtrahi poterit, & ſic in infinitum, ergo. 4. rō

Sed rationes iſtæ nullo negotio ſoluuntur. Ad primam quidem reſpondetur, quod animam rationalem eſſe formam materialem, poteſt duobus modis accipi; Vno modo quatenus materiale idem eſt, quod corporeum organicum, & extenſum: & in hoc ſenſu accipitur ab ipſis; Alio modo accipitur quatenus materialis forma dicitur, quæ eſt forma, & quod quid eſt materiæ, ſiue corporis materialis: concedimus animam rationalem eſſe materialem hoc ſecundo modo, non primo modo, & in hoc ſenſu conceditur Maior (licet alio modo dicamus nos de indiuiduatione, vt patet in proprio Theoremate) & negatur Minor. Ad probationem reſpondet Zabarella, & rectiſſimè, quòd obiectum adęquatum intellectus non eſt materiale tantum: ſed omne ens, & ſic intelligentia, & anima, ſub eo continentur: ſed hoc obiectum poſtea eſt duplex: aliud eſt obiectum intellectus primarium, & aliud ſecundarium, primarium eſt omne ens præter ipſum intellectum; ſecundarium verò obiectum eſt ipſemet intellectus: dixit enim Ariſtoteles 3. textu vndecimo de anima, quòd intellectus intelligit ſe per intellectionem aliorum, & ſic non mouet primò intellectum, ſed ſecundariò, ſcilicet, per alia obiecta primaria; quando autem Ariſtoteles dixit intus exiſtens prohibet extraneum, eſt intelligendus de obiecto primario, non ſecundario. Ad rōni

Ad ſecundum reſpondetur, quòd indiuiduatur homo, ſicuti cætera indiuidua ſpecierum materialium, ſcilicet, per vltimam realitatem formæ, vt declarauimus in proprio Theoremate, de Principio Indiuiduationis. Ad 2.

Ad ter-

3. Ad tertium Zabarella optimè retorquet illud in Aduerſarios: nam aliqua animalia bruta, vt Pſittacus vocem humanam audiens, eam imaginatur, & in memoria figit, & mirabiliter imitatur, nec propter hoc dicimus, quod eadem numero ſit phantaſia Pſittaci, & hominis; Et certè hoc argumentum eſt indignum illorum. Ad rationem tamen in ſe, dicitur, quòd intellectus Magiſtri differt numero ab intellectu diſcipuli; & cum arguitur, quia ſcientia non eſt qualitas actiua: reſpondetur, quod non agit materialiter, ſed ſpiritualiter, vt etiam quantitas, quæ imprimit ſpeciem ſuam in oculo, & deinde in imaginatiua, ita ſcientia explicata per voces, defertur ad auditum, inde ad Phantaſiam, & ſic imaginatur, & tandem intelligitur, & modum hunc adiſcendi docuit Ariſtot. 1. Perihermenias, dum dixit, vocem eſse ſignum eorum, quæ ſunt in animo, & ſic nos explicare cõceptus noſtros per voces.

d4. Ad quartum, conceditur prima Conſequentia, ſecunda vero negatur; Ad probationem dico, quod ab intellectionibus particularibus, poteſt abſtrahi vna intellectio vniuerſalis, & in illa ſiſtimus; Cum dicis iterum: ſi illa intelligatur a pluribus, erunt plures intellectiones ſingulares, à quibus abſtrahi poterit intellectio vniuerſalis; dico, quod intellectio duobus modis poteſt conſiderari; Vel ſubiectiuè; Vel obiectiuè; ſi obiectiuè, intellectio de obiecto vniuerſali, ſiue ſit in vno indiuiduo, ſiue in pluribus, dicitur vniuerſalis: intellectio vero ſubiectiuè, dicitur ſingularis, quia eſt in ſubiecto ſingulari. Ad propoſitum ab intellectionibus ſingularibus ſubiectiuè, & vniuerſalibus obiectiuè poteſt abſtrahi intellectio, in communi, ſcilicet conſideratio intellectionis illius vniuerſalis in ſe, abſque conſideratione huius, & illius ſubiecti particularis intelligentis, & hic datur ſtatus: ſi enim iterum illa intellectio de illo vniuerſali obiecto intelligatur à particularibus, non poteſt abſtrahi alia intellectio ab illis intellectionibus particularibus, ſed ſemper eadem abſtrahitur quæ prius. Vel dicamus breuius, quod intellectio in communi, eſt ſpecies, & ſic quæcumque intellectio cuiuſuis de quauis re, eſt indiuiduum intellectionis in communi, ideo ſiſtimus in abſtractione Intelligentiæ in vniuerſali: licet enim iterum ego illam intellectionem vniuerſalem intelligam, & ille, & ille, iſtæ omnes intellectiones ſunt Indiuidua illius intellectionis vniuerſalis; licet ergo dari poſſit proceſſus in infinitum in intellectionibus particularibus, non tamen datur proceſsus in intellectione in generali: quia illa eſt veluti ſpecies, quæ eſt vniuerſalis, & ſemper manet, licet indiuidua multiplicentur in infinitum.

re-
ſ.

THEOREMA LXXI.

Aliquæ ſpecies entium naturaliter generabilium poſsunt produci vniuocè, & æquiuocè.

Exponitur opinio Scoti, & declaratur, an genita ex putri, & ſemine, ſint eiuſdem in ſpecie. Cap. I.

SCotus 1. Sent. diſt. 2. quęſt. 7. ſoluendo primum principale, de hac re loquitur ex profeſſo, declarãdo propoſitionẽ illã Auerrois 8. Phyſ. Commento 46. quod vnius naturæ eſt vnus modus cõmunicãdi; & inquit, quod ibi Auerroes, loquitur expreſsè de homine, & diſputat cõtra Auicennam, cui ipſemet Auerroes imponit, quod exiſtimauerit hominem poſſe produci æquiuocè; Probat ergo Auerroes, quòd homo nõ poſſit produci æquiuocè, ſed ſolum vniuocè, id eſt, per propagationem, per multas rationes. Inquit autem Scotus, quod Cõcluſio Auerrois eſt vera, intelligendo ipſam de homine, & de alijs genitis naturaliter perfectis: ſi tamẽ Auerroes intelligat vniuerſaliter, quod nulla res genita naturaliter etiã imperfecta, poteſt etiam generari alio modo, ſcilicet, ſolum generari vniuocè, & non æquiuocè, ait Scotus Cõcluſionem Auerrois eſſe falſam, & rationes illius non concludere. Primò itaque probat Cõcluſionem Auerrois eſſe falſam de rebus imperfectis naturaliter genitis, neque enim ea vnicum modum generationis, & vniuocum habent: ſed etiam æquiuocum, ita quod & producta vniuocè, & æquiuocè, ſunt eiuſdẽ ſpeciei,

ciei, licet ſint diuerſo modo producta, & genita; & hoc primo probat auctoritate
1. rō. Sanctorum. Sed illis dimiſſis, vtamur naturalibus rationibus, & primo ſic. Genita ex putri, propagant alia iterum propagantia, propagantia autem ſunt vniuoca generatis à ſe, ergo propagata, & genita per putrefactionem, ſunt vniuoca; Quod ſi ad hoc argumentum, Auerroes, & ſectatores contrariæ opinionis, negent aſſumptum, vt negant, propter inſtantiam de apibus, & de conſimilibus animalibus, quæ genita ex putri, generant, ſed diuerſam ſpeciem, ait Scotus, quod ſaltem hoc non poteſt negari in plantis, quia plantę æquiuocè genitæ, hoc eſt, non ex ſemine, ſed ex putri poſtea producunt ſemen vniuocè, ex quo generantur plantę aliæ eiuſdem ſpeciei.

2. rō. Secunda ratio. Multa genera animalium ex terra procreantur, ſine parentibus, quæ tamen pariunt coeundo ſibi ſimilia; ergo ſpecies genitæ vniuocè, poſſunt etiam produci æquiuocè; probatur antecedens: quia ſimiliter viuunt, & moriuntur, habent eaſdem operationes, & circa eadem obiecta, & ab eiſdem conſeruantur, & ab eiſdem corrumpuntur, habent eoſdem motus, ſiue quantum ad ſurſum, ſiue quantum ad deorſum, ſiue quantum ad motum progreſſiuum, & eadem organa motus progreſſiui, At Ariſt. ex vnitate motus, concludit vnitatem naturæ, 1. de Cælo, tex. 8. & etiam Ariſt. ibi, habet motus vnius ſpeciei, non prouenit niſi ex vnitate naturę; habent inſuper hæc animalia membra eiuſdem ſpeciei, membra enim leonis, non differunt à membris cerui, niſi quia anima leonis, differt ab anima cerui, 1. de Anima, textu 53. & generaliter quæcumque media poſſunt cōcludere vnitatem ſpecificam, ſiue ſumpta ex accidentibus, ſiue ſumpta ex operibus, concludunt propoſitum de vniuocatione generatorum ſic, & ſic in vnitate ſpecifica. Ad hæc duo argumenta reſpondent Aduerſarij.

Reſp. ad 1. Ad primum dicit Mercenarius, plantas ſolum generare alias plantas, quę genitæ ſunt ex ſemine: at illas quæ ſunt genitę ex putri, nequaquam, & hoc cōfirmat auctoritate Ariſtot. præſertim 8. de Hiſtoria animalium cap. 1. vbi habet hæc verba: *Plantarum nullum aliud munus eſſe videtur, niſi, quod ſibi alteram faciant, videlicet quæ ex ſemine procreantur.*

Ad 2. Ad ſecundam reſpondent idem Mercenarius, & Franciſcus Piccolomineus, negando antecedens; Ad probationem dicunt, quod non habent organa, neque membra, neque motus eiuſdem ſpeciei; quod comprobatur: quia orta ex putri, generant quidem, ſed illa non ſunt mas, neque femina, ergo non habent eadem membra, ſed ſunt ſimilia, & hæc ſimilitudo eſt cauſa deceptionis, ſunt ergo eiuſdem generis ſubalterni, ſed non eiuſdem ſpeciei.

Reijc. iſta reſp. Iſtæ reſponſiones, non poſſunt reijci, niſi experientia; equidem de plantis ſatis compertum puto, quòd quædam generātur ex putri, vt patet de arboribus ſilueſtribus, vt ſunt quercus, & caſtaneæ ſilueſtres, pira quędam, & poma ſilueſtria, quę oriuntur ex putri, & tamen producunt ſemen ex quo ſi ſeratur, producitur alia quercus, & pirus, & malus; & de quercu eſt quidem certum, ſatis enim conſpicuum eſt, quod naſcuntur aliquæ ex putri, & tamen generant glandes, quas ſi ſeminamus, oriuntur aliæ plantæ quercus; Auctoritas autem Ariſtotelis non dicit, quod ſolæ plantæ ex ſemine productæ, producunt ſibi ſimiles plantas: ſed exemplificat in plantis ex ſemine productis, quia in illis non eſt illa difficultas: ſed de genitis ex putri, non eſt ita clarum, immò multa, vt dicemus, non producunt ſibi ſimilia in ſpecie, ſed diuerſa; Similiter de animalibus genitis per coitum, & animalibus genitis ex putri, an omnia ſint diuerſæ ſpeciei, ita quod neque ſint feminæ, neque mares, eſset probandum. Ariſtoteles illud quidem dixit de aliquibus, at non de omnibus, immò in 6. de Hiſtoria animalium, capite vltimo ait, *Terræ Perſicæ parte quadam, mure femina receſa, fœtus feminæ prægnantes, comperiuntur.*

Ex quo apparet, quod non omnes mures geniti ex mure orto ex putri, ſunt nec mares, nec feminæ: ſed aliqui ſunt qui ſunt mares, vel feminæ, quod etiam nos infra ex ipſomet Ariſtot. magis oſtendimus;

mus;& hoc dicit ex propria mente, non ex aliorum ſententia; vnde ſi diceret hoc ex aliorum ſententia, illud exprimeret ſicuti facit ſtatim infrà, cum ait: Sunt qui vehementer affirment, mures ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu. Ecce, quia hoc dixit ex aliorum ſententia, declarauit ſe hoc dicere ex aliorum ſententia: & hoc frequenter habet in vſu, in illis libris, quòd cum aliquid dicit de mente aliorũ, ſe explicat.

Ad rationem Ariſtotel. infra reſpondebitur. Tertiò Ariſtot. in 7. Metaph. textu 22. & 23. vult, quòd ſicut aliqua eadem fiunt ab arte, & à caſu, ità vult, quod naturalia eadem, alia fiant à natura, & alia à caſu; & Auerroes ibi vult in textu, quod illa poſſint generari ſine ſemine æquiuocè, in quorum materia poteſt produci virtute cæleſti aliqua virtus ſimilis virtuti ſeminis in propagatis.

Ad hoc reſpondent Mercenarius, & Piccolomineus, quod intelligit, quod ſunt eadem genere, non eadem ſpecie: quia ille locus non eſt proprius locus de hac materia, ſed liber primus de generatione, vt Piccolomineus, vel 5. de Hiſtoria animalium, quibus in locis ſe explicat, hæc genita ex ſemine, & ex putri eſſe eadem genere, diuerſa verò ſpecie; Sed iſta ſolutio non ſatisfacit: quia infrà oſtendemus, quòd in libris de animalibus, conceſſit aliqua eadem ſpecie fieri ex putri, & ſemine: ſed auctoritas Ariſtotelis eſt intelligenda de identitate in ſpecie, non in genere, quoniam adducit exemplũ, & ſimilitudinem de ſanitate; inquit enim, quod ſicut eadem ſanitas inducitur ab arte, & à natura, ita eadem animalia ex ſemine, & abſque ſemine oriuntur; Ecce quòd per ſimilitudinem ſe declarat: ſicuti ergo eadem ſanitas ſpecie producitur à natura, & ab arte, eadem quoque animalia ſpecie, ex ſemine, & ſine ſemine producuntur. Nec valet quod inquit Mercenarius, ſimilitudinem tenere in hoc ſolum, quod ſicuti ſanitas arte, & natura producitur, ita quoque animalia, quædam ex ſemine, & ſine ſemine producuntur: nam tunc Ariſtot. non debebat apponere illud verbum eadem.

Præterea, neque expoſitio ipſiuſmet Mercenarij eſſet bona, dum exponit Ariſtot. intelligere eadem genere: nam ſi Ariſtot. ſolum intendit, quod ſicut ſanitas producitur arte, & natura, ita animalia producuntur ex ſemine, & ſine ſemine, non poſſumus dicere, quod ipſe dicat eſſe eadẽ genere, ſicuti non vult ipſe, quod dicamus eſse eadem ſpecie. Præterea, quòd hæc expoſitio non ſit admittenda, patet: quoniam quando nos adducimus exempla, & ſimilitudinem ad declarandum aliquid, debemus interpretari rem ſicuti ſimilitudo illam nobis patefacit, at ait Ariſtoteles quod ſicuti eadem ſanitas producitur ab arte, & à natura, ita eadẽ animalia producuntur ex ſemine, & ſine ſemine, ergo ſicuti eadem ſanitas ſpecie producitur à natura, & ab arte, ita eadem animalia ſpecie producuntur ex ſemine; & ſine ſemine. Quod vero ait Franciſcus Piccolomineus, nil obſtare, licet ſanitas ſit eadem ſpecie, quæ producitur arte, & natura, quia in ſanitate ſeruatur principale agens, quia ars eſt inſtrumentum, natura verò ex putri, & ex ſemine variatur principale agens, & quod ideo non ſequitur argumentum, nihil eſt: quia nos hic non dicimus, quod ſit eiuſdem ſpeciei, & vniuocè reſpectu principij producentis, ſed ratione formæ, & eſſentiæ productæ.

Præterea, tunc reprehendendus eſſet Ariſtotel. qui non feciſſet bonam comparationem: nam ſanitas ab arte, & à natura facta, eſſet eadem ſpecie, ſed animal ex ſemine, & ex putri non eſſet idem ſpecie, ideo prauam comparationem feciſſet Ariſtoteles, dicendo, quod ſicut eadem ſanitas producitur arte, & natura, ita eadem animalia producuntur ex ſemine, & putri: immò dictum Ariſtotelis eſſet falſum, quia non eſſent eadem animalia, ſed diuerſa; aſſerendo ergo, quod comparatio Ariſtotelis ſit bona, dicere cogimur vbique eſſe eadem eodem modo.

Quarto arguo ipſe auctoritate Ariſtotelis, vt etiam argumentatur Ludouicus Buccaferreus, ex 6. de Hiſtoria animalium, cap. 15. ibi Ariſtoteles in principio 15. capitis habet hæc verba. *Sed ſunt qui ex limo, & arena proueniunt, etiam*

ex ijs

Margin notes: 3. rō. — Reſp. Mercen. & Picc. — Reij‑citur. — 4. rō.

ex ijs generibus, quæ per coitum, & oui primordio generantur. Verba iſta ſunt adeo conſpicua,& ſententia,& probatio Ariſtot. in illo loco, vt nil magis, in præcedenti capite declarauerit quomodo piſces lacuum,& fluuiorum generentur,& pariant;& in calce capitis dicit, quòd piſces magna ex parte ex ouo generantur: ſubinfert poſtea, in initio capitis 15. verba prędicta, quibus aſſerit apertè, quod ſunt quidam piſces etiam ex ijs generibus,quæ ex coitu,& ouo generantur, qui quoque ex limo, & ex arena generantur; & deinde aſſignat loca in quibus hi piſces,& ex coitu,ſiue ex ouis,& ex limo, & arena generantur, & producuntur; Ecce ergo,quod apertè Ariſt. aſſerit, eandem ſpeciem piſcis, quæ generatur ex ouo, & per coitum,generari quoque ex arena;ergo genita ex putri,& ex ſemine, & per coitum,ſunt eiuſdem ſpeciei; Deinde in eodem loco procedit declarans quod in quibuſdam ſtagnis apud Gnidum,ſub ortu Canis reſiccatis, limo iã arido,vbi primum imbribus reſtagnare loca cæperunt piſciculi naſcebantur, genere Mugilum, quod per coitum procreatur: & hoc idẽ euenire ait in nõnullis Aſię auibus;& tandem ſubinfert, (quòd mirum in modum hanc ſententiam cõfirmat) eſſe quoſdam auctores, qui pntant omne genus mugilum(quod Græcè dicitur Cephaloe)ex putri,& ſponte oriri,ſed ait non rectè exiſtimare; & adducit rationem: quia feminæ eorum habere oua cernuntur, & mares genitale; ex quo apparet, quòd etiam aliqua generantur per coitum. Eſt etiam alius locus in Problematibus,10.Probl. 66.vbi Ariſtot. ait,animalia alia ex coitu generari tantùm,vt Homo,& Equus;alia ex coitu,& ſine coitu,& ſemine,ſed ſpontè;qui loc⁹ eſt clariſſimus,patet enim animalia perfecta non poſſe produci ex ſemine,& ſine ſemine:ſed alia,vt imperfecta, poſſe vtroque modo produci.

Reſp. Picc. Reſpondent Piccolomineus, & alij, quod hæ auctoritates probant genita ex ſemine,& ſpontè,eſſe eadem genere proximo,ſed non ſpecie:poſſumus eorum reſponſionem adiuuare:quia Ariſt. in præcitato loco, 6.de hiſtoria Animalium,dicit: Mugiles genitos ex putri, & per coitum,eſſe eiuſdem generis;Hæc enim ſunt verba eius. *Sunt qui omne Mugilum genus ſpontè oriri opinentur, ſed non rectè,* ergo videtur,quòd Ariſtot. dicat, eſse eadem genere,non ſpecie. *Reiectio.* Sed hæc reſponſio non eſt admittenda: quoniam ibi Ariſtot. per nomen,genus,intelligit ſpeciem-ſpecialiſſimam, & hoc frequenter eſt in vſu in illis libris, & ideo non eſt facienda vis in verbo; Vnde etiam in 1.de generatione animalium, cap.1.(qui locus eſt præcipuũ fundamentum Aduerſariorum) dum dicit genita ex putri, generare quidem, ſed ſobolem,quæ nec eſt mas,neque femina, & ideo eſt diuerſæ ſpeciei, vtitur nomine generis, pro ſpecie, ait enim procreant quidem (ſcilicet genita ex putri) ſed non ſui generis prolem:vbi apertè per genus, intelligit ſpeciem ſpecialiſſimam. Sed vlterius reſponſio ipſa impugnatur,ex hoc quod Ariſtoteles ait, illa eadem, quæ ex ſemine, & coitu procreantur, procreari quoque ſpontè; Modo,ſi per eadem,interpretemur eadem genere,ſequitur, quòd nedum eadem ſpecie, ſed eadem genere, id eſt, eadem natura generica producatur,& ex ſemine,& ſine ſemine:ſed quod competit generi, competit quoque ſpeciei,ergo ſi alicui toto generi piſcium cõpetit generari ex ſemine, & ſponte, ergo omnibus ſpeciebus illius generis competit generari ex ſemine, & ſine ſemine; & ita hæc reſponſio eſt pro nobis:immò facit nos colligere plus quam volumus; & ſi per eadem,interpretemur identitatem ſpecificam, vt reuera interpretari debemus,ſenſus eſt,quòd ex generibus piſciũ, etiam ex ijs,qui ex ſemine,& coitu naſcũtur,ſunt quędam ſpecies,quæ ex ſemine, & ſine ſemine procreantur,vt ſpecies Mugilis. Et certè hic eſt germanus ſenſus illius textus. Hoc eodem modo procedit auctoritas ex Problematibus allata.

Quintò, arguo ex Ariſt. 5. de Hiſtoria animalium, cap. 1. quem locum Mercenarius pro ſe adduxit: ſed ſi eum integrũ conſideraſſet, vidiſſet eum fauere nobis. *5. rõ.* Inquit Ariſtoteles ibi, quod animalia, quæ non niſi ex ſemine ex cognatis progenerantur, omnia ortum habent, & generationem per coitum, dummodo habeant ſexus diſcrimen, ita quod ſit mas, & femina;

& femina; & ſubinfert, quòd in genere piſcium ſunt nonnulla quæ gignuntur, nec mas, nec feminæ ſunt; & ſubinfert, hæc quidem ſic genita eſſe quidem eadem genere, ſed diuerſa ſpecie ab alijs; & ſubinfert: quædã verò ſunt quæ omninò ſunt ſui generis; Perpendo iſtam vltimam particulam, piſces, qui generantur ex coitu, & non ſunt mas, neque femina, ſunt genita, & procreata à genitis ex putri, vt in eodem capite docet Ariſtoteles, de his dicit, eſſe genere eadem cum alijs, ſcilicet, cum ſuis partibus, vt etiam Aduerſarij fatentur; at in vltima particula ſubinfert: quædam etiam ſui generis omninò conſtituunt, ergo in his verbis manifeſtat, quòd ſi aliqua ſunt diuerſi generis à ſuis parentibus genitis ex putri, vt quæ nec mas, neque femina ſunt: aliqua etiã omninò ſunt eiuſdem generis cum ſuis parẽtibus; non ergo dicit Ariſtoteles, quod omnia progenita à genitis ſpontè, ſint diuerſæ ſpeciei; ſed aliqua, illa ſcilicet, quæ nec mas, nec femina ſunt: at alia ait eſſe, quæ ſunt omninò eiuſdem ſui generis, quæ autem ſunt omninò eiuſdem generis cum aliquo, ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo aliqua ſoboles genitorum ex putri, eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſis parentibus ortis ex putri.

6. rõ. Sextò, Scotus probat propoſitionem allatam, etiam de mente Auerrois non eſſe veram vniuerſaliter: nam de accidentibus ipſemet Auerroes affirmat, quod generantur æquiuocè, in 2. de Cælo Commento 42. ibi enim concedit, quod in accidentibus non ſemper generatio eſt ab vniuoco: & ponit exemplum de calore, qui generatur æquiuocè ex motu, & concurſu radiorum, & etiam à calore vniuocè.

7. rõ. Septimò, probat idem in ſubſtantijs alijs ab animalibus: quia ignis generatur æquiuocè, & vniuocè, quod æquiuocè, patet 3. Cæli, & Mundi, Commento 56. & ibi per Auerroem exitus ignis de lapide, non eſt de capitulo translationis, ſed de capitulo alterationis, hoc eſt, non generatur per lationem, ſed per alterationem, generatur etiam per motum localem, 1. Meteor. de generatione impreſſionum ignitarum.

Rationes Aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur. Cap. 11.

Ex aduerſo multi alij exiſtimarunt allatam propoſitionem: vnius naturæ eſt vnus modus producendi, eſſe vniuerſaliter veram de quacumque re naturaliter genita: idq. apertè ſentit, & probat Auerroes, tum 8. Phyſic. com. 46. tum 1. de generatione animalium, cap. 1. in paraphraſi, præcipuæ rationes eius ſunt. Primò, quæ ſunt eiuſdem formæ, ſunt ex eadem materia: ſed quæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecificæ, ſunt eiuſdem formæ, ergo erunt ex eadem materia. Hoc Syllogiſmo accepto pro Maiori, ſubinfert Minorem: ſed orta ex putri, & ex ſemine, ſunt ex diuerſis materijs, ergo orta ex putri, & ex ſemine, nõ ſunt eiuſdem formæ, neque eiuſdem ſpeciei; Vel vniuerſaliter ſumatur Minor ſic: Sed materiæ correſpondentes diuerſis agentibus, & producentibus, ſunt alterius rationis, ergo idem eiuſdem ſpeciei, non poteſt produci à diuerſis agentibus, Minor propoſitio primi Syllogiſmi eſt euidens, Maior verò probatur ab Auerroe: quia alioquin propriæ materiæ non reſponderet propria forma, & tunc quodlibet generaretur ex quolibet; & vltrà, materiæ vniuerſaliter eſſent otioſæ, & ſuperfluæ. Aſſumptum in Subſyllogiſmo probatur in generatione per propagationẽ: nam propagatum generatur ex ſemine, ſed genitum ex putri, non, ſed ex alio corpore putrefacto. 1. rõ.

Secundò. In eiſdem locis ſi eadem ſpecies ex ſemine, & ex putri poſſet generari, fruſtra eſſet natura, & fruſtra paraſſet marem, & feminam pro conſeruatione ſpeciei; Conſequentia eſt euidens: quia tunc homo poſset generari à natura, & à caſu, ergo abſque natura, & ſemine, homo generari poſſet: quia illa natura diuerſis principijs poſſet communicari, & ſic natura producẽs ex ſemine, eſſet fruſtra: at natura minimè eſt redundans; Sequeretur etiam, quod homo poſſet fieri à natura, & caſu, Conſequens eſt falſum: quia quod fit a caſu, eſt oppoſitum ei, quod fit a natura. Præterea, nulla ſpecies eſt ex accidenti, & à caſu: quia quæ eueniunt a caſu, ſunt 2. rõ.

ſu, ſunt monſtruoſa; vnaquæque etiam ſpecies prædita eſt proprijs principijs per ſe, quibus cadit ſub natura, ex quibus gignitur, & conſtituitur.

3. rō. Tertiò, Si homo poſſet gigni ex terra, vt vermis, aut hoc eſſet, vt in pluribus, aut raro, aut neceſſitate: at non eſt dicendum, quod ex neceſſitate: quia nunquam fieret ex ſemine; non frequenter: quia tūc rarò fieret ex ſemine; Si rarò, ergo contingenter fieret, & caſu; talia autem ſunt monſtruoſa, & diuerſæ ſpeciei à natura genitis, ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei.

4. rō. Quartò. Arguit Scotus pro Auerroe, diuerſorum motuum ſpecie, ſunt diuerſi termini ſpecie, 3. Phyſ. textu 48. & infrà: at in propoſito, ſunt diuerſi motus, & diuerſæ productiones, ergo etiam termini producti ſunt diuerſi ſpecie.

5. rō. Quinto. Arguunt Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, & Franciſcus Piccolomineus in libro de Ortis ex putri, cap. 11. auctoritate validiſſima Ariſt. 1. de generatione animalium, cap. 1. vbi Ariſt. conſpicuè aſſerit, quæ non ex coitu, ſed ex putri materia oriuntur, generare quidem, ſed genere diuerſum; quodq. gignitur, nec mas eſt, nec femina; talia ſunt nonnulla inſectorum: & Ariſtot. adducit rationem: ait enim, quod iuxta rationem euenit: nam ſi ex coitu eorum quæ ex animalibus orta ſunt, animalia orirentur, hæc ſi eiuſdem generis eſſent, primum quoque ortum parentum talem eſſe oporteret, quòd rectè ita cenſemus, cum ita euenire in cæteris animalibus pateat: ſed ſi diſſimilia quidem, & quæ coire inter ſe poſſent, generarentur, rurſus ex eis alia quædam natura procrearetur, & alia ex ea, idq. in infinitum procederet: at natura infinitum renuit, &c. Ex quo loco patet, Ariſt. apertè affirmare, orta ex putri, & ex ſemine, eſſe diuerſæ ſpeciei, & inſuper id ratione probauit.

6. rō. Sexto. Adiungit Mercenarius, auctoritatem ex Ariſt. 5. de Hiſtoria animalium, cap. 1. vbi apertè Ariſtot. inquit, quod in genere piſcium, nonnulli ſunt, qui ex putreſcenti limo oriuntur, qui licet idem genus cum alijs ſortiantur, ſpecie tamen differunt.

7. rō. Septimo. Eſt locus Ariſtotel. 2. de Anima tex. 34. vbi Ariſt. ait, quod naturaliſſimum eſt opus viuentiū, ſibi ſimile procreare, quæcumque imperfecta non ſunt, neque aborta, aut ſponte genita.

Hæc ſententia, vt patet ex rationibus aſſignatis in præcedenti cap. eſt falſa: & licet habeat aliquā apparentiam de animalibus, propter auctoritates ferè expreſſas Ariſtotelis, tamen de alijs ſubſtantijs, vt igne, & plantis, & alijs, & de accidentibus, nulla remanet dubitatio: ſed & de animalibus non verificari, quoque ex reſponſione ad auctoritates adductas magis patebit. *Reijcitur hæc ſētētia.*

Ad primam rationem Auerrois, Reſpondet Scotus loco citato, & Maiorem primi Syllogiſmi gloſſat; quando dicitur, forma eiuſdem rationis requirit materiam eiuſdem rationis, ibi materia poteſt accipi duobus modis; Vel pro materia, quæ eſt pars rei inexiſtentis, & hoc modo vera eſt Maior, ſed eſt falſa Minor aſſumpti, quòd genita ex ſemine, & ex putri, ſint ex materijs diuerſæ rationis à forma; Vel poteſt accipi ibi materia, pro oppoſito, ſcilicet, pro materia, vt eſt ſub oppoſita forma rei generandæ, & vt eſt annexa priuationi, & hoc modo accipit Auerroes, & ſic eſt falſa: nam ignis eiuſdem ſpeciei generatur, ſiue ex terra corrupta, ſiue ex igne corrupto: & hoc modo concedimus, quòd genita ex putri, & ex ſemine, ſunt ex diuerſis materijs. Ex hoc patet, quod non quodlibet fit ex quolibet: quia vnumquodque non fit ex quacūque materia, accipiendo materiam primo modo pro, ex materia ſibi inexiſtēte, vt pars, ſed ex determinata materia; determinatur enim materia in aduentu formæ per præuias diſpoſitiones, eo modo quo diximus in Theoremate de Modo generationis ſubſtantiæ, ſed accipiendo materiam ſecundo modo, ſcilicet, pro oppoſito, dicimus, quod quodlibet fit ex quolibet: quia materia de ſe, eſt indifferens ad omnes formas, & eſt eadem in omnibus, & ſic quodlibet fieri poteſt ex materia, vt eſt ſub oppoſito corrupto; Neque etiam ſequitur, quod dentur materiæ quæ ſint otioſæ in rerum natura. *Ad 1. Auer. rōnē.* *Theo.*

Ad ſecundum non reſpondet Scotus: quia ex reſponſione ad tertium haberi poteſt ſo- *Ad 2.*

teſt ſolutio. Reſpondeo itaque ipſe per ordinem,& nego primam conſequentiã: quia licet homo tunc poſſet produci ex ſemine,& ex terra, tamen natura producẽs ex ſemine,non eſſet fruſtra: quia hæc eſt producens per ſe, & per determinatam cauſam, illæ aliæ cauſæ verò producunt ex accidenti. Secunda conſequentia conceditur,& negatur falſitas conſequentis; Pro reſponſione verò ad probationem,& pro maiori declaratione propoſiti, notandum eſt ex Scoto 7. Metaph. tex. 23. in expoſitione, quòd non inconuenit, quòd aliquid idem numero, ſit genitum à caſu, & naturaliter,vt cum ſanitas in aliquo ægroto euenit ex fricatione, & fricans non habet intentionem ſanandi: nam ſi conſideremus naturam,& corpus ſanati, ſanitas eſt inducta à natura, quia natura per illam fricationem operata eſt ſanitatem, & ſic illa ſanitas eſt naturalis. Si verò conſideremus cauſam agentem fricationis, tunc illa ſanitas eſt à caſu: quia illa ſanitas eſt inducta præter intentum fricantis; Ita in propoſito euenit de animalibus genitis ex putri: ſi conſideremus cauſam vniuerſalem eorum,ea eſt Sol, & eſt cauſa naturalis, ſicuti ſemen eſt cauſa genitorum per propagationem; ſi verò conſiderentur quo ad cauſam particularem inducentem,& producentem animal ex putri, illa eſt cauſa per accidens: nam calor,qui eſt in putrefacto, non intendit generationem illius animalis, ſicut virtus, quæ eſt in ſpermate: adeo quod animal genitum ex putri, & à caſu, eſt naturaliter productum; quia a cauſis naturalibus naturaliter agentibus eſt productum à caſu,quia præter intentum cauſæ proximæ agentis: Quare autem plura fiant per propagationẽ, quàm ex putri, ratio eſt, quia quæ fiũt per propagationẽ,habẽt cauſam particularem determinatam: ſed quæ fiũt ex putri,habent cauſam particularem indeterminatam, ideo eueniunt raro, quia præter intentum cauſæ particularis, quæ cum non poſſit aliquando attingere terminum intentum, vel etiam attingendo per accidens,aliud generat, ideò ad probationem falſitatis conſequentis,cum dicitur, quod prouenit caſu, opponitur ei quod euenit à natura, dico, quod opponitur quo ad modum productionis, ratione cauſæ particularis, non autem quo ad rem productam, vt declaratum eſt de ſanitate; Cum dicitur ſecundo, quòd ea quę eueniunt a caſu, ſunt monſtruoſa, & non naturalia, negatur conſequentia: quia ſtat, quòd eadem res producatur caſu, & etiam ſit naturalis, & naturaliter producta. Cum dicitur vlterius, quod vnaquęque ſpecies eſt prędita proprijs principijs,quibus conſtituitur,verum eſt,de principijs internis, & etiam externis ſecundum vſum communem naturę,non eſt tamen inconueniens, quòd quandoque, & per accidens ab alijs, & diuerſis principijs externis conſtituatur,vt dictum eſt de cauſa proxima efficiente. Hæc deſumuntur ex Scoto partim ex 7. Metaph. partim ex 1. Sent. loco citato,reſpondendo ad ſecundum.

At tertium reſpondet Scotus,(ſed ipſe inquit in textu ad ſecundum) & pro intelligentia ſupponit, quod aliquid non dicatur fieri raro,vel vt in pluribus: quia illa res in ſe contingat raro, vel frequenter: ſed illud dicatur euenire, vt in pluribus, quòd habet cauſam determinatã ad ſuum euentum: illud verò dicitur euenire raro, quod non habet cauſam determinatam ad ſuum euentum, quę vt in pluribus producit effectum ſuum,ſed tãtum euenit ex alia cauſa ordinata ad aliũ effectum, impedita tamen,quòd non poſſit producere illum effectum,quem intendit,& tamen ex tali impedimento prouenit iſtud raro. Inſuper accipitur, raro, & vt in pluribus duobus modis; Vno modo prout diſiungit inter oppoſita contradictoria,non prout diſiungit inter oppoſita diſparata,& ſic illa eueniunt raro,quę nũquam eueniunt: illa eueniunt vt in pluribus,quę aliquando eueniunt,& hoc modo ſunt vt cõtradictoria: Alio modo accipitur raro,prout comparatur ad cauſam indeterminatam,& vt in pluribus ad cauſam determinatã,& tunc,vt in pluribus, & raro ſunt oppoſita diſparata. Ad argumẽtum itaque concedit, quod nõ eſſet ex neceſſitate, ſed eſſet vt in pluribus, accipiẽdo,vt in pluribus, primo modo: quia orta ex putri, habent cauſas naturales,licet proxima ſit indeterminata,adeo quod

ſunt

ſunt extra numquam, & ſic aliquando eueniunt, neque eſt impoſſibile quod eueniant, vt Aduerſarij dicunt. Concedit itaque Scotus, quòd ſi homo generaretur ex putri, quod eueniret vt in pluribus, prout, vt in pluribus, accipitur primo modo, & opponitur, raro, contradictoriæ, vt dictum eſt. Sed accipiendo ſecundo modo, eueniunt raró, & non vt in pluribus, quia ſecundo modo, genita ex ſemine, eueniũt vt in pluribus, quia habent cauſas omnes determinatas: ſed orta ex putri, eueniunt raró; quia habent cauſam particularem indeterminatam, & hoc modo vt in pluribus, & raró, ſunt diſparata, non contradictoria, vt declaratum eſt: neque tamen ex hoc ſequitur, quod genita ex putri, ſint monſtra, propter rationem nunc dictam, reſpondendo ad ſecundam rationem: quia ſtat ſimul, quòd aliquid naturaliter producatur, & caſu.

Ad 4. Ad quartam, quam cõficit Scotus pro Auerroe, Reſpõdet ipſemet Scotus, quòd illa propoſitio Maior, non eſt immediata, ſed pendet ex alijs duabus propoſitionibus, quarum ſi vna ſit falſa, altera propoſitio quoque eſt falſa, propoſitio prima, ex qua pendet, eſt: motus differentes ſpecie ſunt illi, in quibus formæ ſecundũ quas ſunt fluxus, differunt ſpecie, vt dealbatio, & denigratio, ſunt motus ſpecie differentes, quia albedo ſecundum quam eſt fluxus in dealbatione, & nigredo, ſecũdum quam eſt fluxus in denigratione, differunt ſpecie; Secunda propoſitio, forma fluens, vel forma ſecundum quam fit fluxus, (idem enim sũt) eſt eiuſdem rationis cum forma terminata; vbi autem altera iſtarum duarum eſt falſa, propoſitio Maior aſſumpta quoque eſt falſa; Quod autem illa Maior pendeat ex illis duabus propoſitionibus, & quod altera illarum exiſtente falſa, ipſa quoque ſit falſa, probat ex Philoſopho 7. Phyſ. Sed illud eſt aliud negotium: ſatis eſt per ſe manifeſtũ, quod forma fluente exiſtente alterius rationis à forma terminata, non oportet ex diſtinctione motuum concludere diſtinctionem terminorum: in propoſito autem ſecunda propoſitio eſt falſa: quia forma inducta per productionem, & generationem vtramque, tam ex ſemine, quam ex putri, nempè eſſentia rei productæ eſt alterius rationis à forma quæ eſt fluens, vel ſecundum quam eſt fluxus, & motus: quia forma ſecundum quam fit fluxus, & generatio ex putri, non eſt eſſentia rei productæ: quia haberet eſſe antequam eſſet. Idem dicẽdum de forma ſecundũ quam fit fluxus generationis ex ſemine, quæcumque illæ formæ ſint.

Ad quintum, quod eſt difficilius argumentum, quod pro Aduerſarijs adducatur, Reſpondet Auicennas, quem multi alij ſecuti ſunt, vt Conciliator, Antonius Trombetta, & multi alij, quod Ariſtotel. loquitur particulariter, ſcilicet tãtùm de quibuſdam animalibus, quæ immediatè generant diſſimile ſpecie, vt Ranæ genitę ex putri, generant primo ranunculos, qui videntur piſciculi paruuli, & appellantur Marſiliones, & illę poſtmodum efficiũtur ranæ; idem de vermibus, qui faciunt ſericum, primo generant papiliones, deinde redeunt ad propriam ſpeciem; Sed hæc expoſitio vt inquit Ludouicus Buccaferreus, eſt extorta, & falſa: quia Ariſtoteles ibi vniuerſaliter loquitur de omnibus genitis ex putri, quia ibi dicit: *In vniuerſum vt ita dixerim.* Præterea, tunc iſta poſſent ſe perpetuare, quod tamen Ariſtot. in eodem loco in ratione facta, negat; Iudico itaque Reſpondendum cum ipſomet Buccaferreo, qui certè veram reſponſionem attulit; & niſi hoc modo dicamus, pugnantia in ipſomet Ariſt. comperiemus. Dicendum eſt ergo, quod Ariſtot. poſuit tres gradus animalium, quædam generantur ſolùm ex ſemine, vt animalia perfecta; quædam generantur ſolum ex putri, vt animalia quædam imperfectiſſima, vt pediculi, pulices, anguillæ; &c. quædam verò generantur & ex putri, & etiam ex ſemine. Ad propoſitum quando Ariſtot. in 1. de generatione animalium, cap. 1. aſſerit genita ex putri, nõ generare ſibi ſimile in ſpecie, loquitur de ſecundo gradu, ſcilicet de ijs, quæ ſolum ex putri generantur: at nos in propoſito non nitimur tueri, quod omnia genita ex putri, & ſua ſoboles, ſint eiuſdem ſpeciei: ſed ſolùm dicimus, dari quædam animalia, quæ & ex ſemine, & ex putri producuntur, ſicuti dixit Ariſtot. 6. de Hiſtoria

Ad 5.

anima-

animalium, cap. 15. de Mugilibus, qui generãtur ex ſemine, & etiam ex arena; poteſt ergo in propoſita quæſtione fieri duplex comparatio; Prima inter animal genitum ex putri, & animal genitum ex ſemine; Secunda inter animal genitum ex putri, & eius prolem. Argumentum, & auctoritas Ariſtotelis loquitur ſecundo modo, non primo modo: nos verò loquimur primo modo; & hoc eſt quod Scotus intendit, ſuſtinet enim Scotus, & probare vult, quòd non eſt inconueniens, quòd aliqua natura imperfecta communicetur pluribus modis: & quod idem ſpecie, generetur à natura, & caſu, vt probant argumenta allata: hoc autem eſt ſuſtinere, quòd dantur illi tres gradus animalium, non ergo valet contra nos illa auctoritas, & ratio Ariſtotelis. Sed notandũ eſt quod
Not. non omnia genita ex putri, ſunt huius naturæ, quòd non producant ſibi ſimile: ſed hoc eſt verum Solum de ijs animalibus ſecundi gradus, qui ſolum ex putri producuntur: ſed de ijs, quæ ſunt tertij gradus, ſcilicet, quæ ex putri & ex ſemine producuntur, non valet: quia hæc producunt prolem ſibi ſimilem in ſpecie, vt oſtendimus ratione ſecunda, & quinta, in capite præcedenti. Per hoc idem patet ad ſextum, & ſeptimum; ſed ſexta nullius eſt momenti, vt probauimus ratione quinta, expendendo ſenſum illius loci, in cap. præcedenti.

Ad 7. Ad ſeptimum verò patet, quod loquitur de ijs quæ generantur ſolum ex putri.

THEOREMA LXXII.

In animali vt in homine non ſunt tres Animæ realiter diſtinctæ, ſcilicet, vegetatiua per ſe, ſenſitiua per ſe, & intellectiua per ſe, ſed ſunt vna met & eadem Anima.

Exponitur ſententia eorum qui exiſtimant hoc Theorema eſſe falſum. Cap. 7.

Zabarella libro de Facultatibus Animæ, cap. 8. & plures alij Auerroiſtæ, vt Gandauenſis, 7. Phyſicorum quæſt. 8. ſuſtinent enim, in eodẽ animali eſſe plures animas, vt in homine, eſſe tres animas realiter diſtinctas, ſcilicet vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, & quod iſtæ tres animæ ſint tres diuerſæ ſubſtantiæ, realiter diſtinctę, quę hoc modo ſe habẽt, quòd vegetatiua ſe habet veluti materia reſpectu ſenſitiuæ, & ſenſitiua reſpectu vegetatiuæ habet rationem actus, & hoc compoſitum ex vegetatiua, & ſenſitiua, ſe habet veluti materia reſpectu intellectiuæ, & intellectiua habet rationem actus, & ſic Ariſtoteles collectionem illarum animarũ ſolet appellare animam, ipſas verò animas ſolet appellare partes; Vnde in principio 3. de Anima ait: De parte autem animæ; ita ergo animę iſtę hoc modo ſubordinatæ, & colligatę per actum, & potentiam, dicuntur quodammodo vna forma, quia priores omnes ſunt veluti materia, vltima verò eſt vti actus, quas formas Latini appellant gradus, cum vereantur appellare formas.

Primum argumentum pro hac opinione eſt hoc: Non repugnat in eodem compoſito eſſe duas formas ſubſtantiales, ergo neque tres, neque decem, neque centum: ſed in compoſito viuente, eſt forma mixti, & Anima, quę ſunt duę formę ſubſtantiales realiter diſtinctę, vt ſuo loco nos quoque aſſeruimus, ergo non repugnat, quod in eodem compoſito ſint tres animę, quę ſint formę ſubſtantiales diuerſæ, eadem ratione, & eodem modo ordinatę. *1. argumẽtũ pro hac opinione.* Secundum. Ab eadem forma eſt impoſſibile prouenire effectus oppoſitos, ſed ſępè euenit, quod id quod vult ſenſus, reijcit intellectus, & ratio, ergo ratio, & ſenſus ſunt duę diuerſę formę. Neque valet ſi quis dicat, quod diuerſitas effectuũ contrariorum, ſolum arguit diuerſitatem potentiarum, non animarum: quia vt dictum eſt, eadem potentia realiter, eſſentialiter non poteſt ſimul, & ſemel producere effectus oppoſitos. *2. argumẽtum.*

Tertium argumentum. Forma ſimplex eſt eſſentia, & quod quid eſt rei, & dat eſſe rei: vna autem forma dat vnicum eſſe, non plura, ideo forma, quę dat eſſe homini, & conſtituit hominem in eſſe, nõ cõſtituit in eſſe animal, nec viuens, id eſt, illa forma per quam homo eſt homo, nõ efficit vt per eandem homo ſit animal: ſed *3. argumẽtum.*

per aliam, ſcilicet per ſenſitiuam, & per vegetatiua eſt viuens;Cum ergo in homine ſint tria eſſe, & vnica forma det vnicum eſſe, ſequitur, quod in homine ſint tres animæ.

4. *argum.* Quartum argumentum. Sequitur etiã ſecundum ponentes vnicam formam in animali, vt in homine, quod idem eſſe proueniat à pluribus formis:nam ſi rationalis conſtituit hominem, & rurſus animal,& viuens,& ſimiliter forma equi cõſtituit in eſſe equum,& rurſus animal, & viuens, & idem dicatur de forma leonis, & cætera, ergo eſſe animal prouenit à diuerſis formis, quod eſt ridiculum ;,ergo dicendum eſt,quod datur propria forma conſtituens hominem, & propria forma conſtituens animal, & propria forma conſtituens viuens, & ſic in eodem animato ſunt tres animæ per ſe diſtinctæ.

5. *argum.* Quintum. Si ponamus plures animas in eodem compoſito, optimè ſeruamus vniuocationem generis;,ſi verò teneatur oppoſitum, minimè ſeruatur. Probatur hoc:quia illa verè dicuntur vniuoca, quæ conueniunt in aliqua natura communi: ſed ſi ponatur, quod vegetatiua ſit vna forma eadem exiſtens in omnibus viuentibus, tunc apparet quod omnia viuentia ſunt vniuoca, quia conueniunt in eadem natura communi, quæ habet eſſe per illam formam ;,at ſi homo eſt viuens per rationale,& equus eſt viuens per formam propriam equi,&c.non eſt vera vniuocatio :quia naturæ viuenti nulla correſpondet vna natura realis communis in rebus.Neque valet communis reſponſio Latinorum ad hoc, quæ conſiſtit in hoc, quod licet anima rationalis ſit vna, tamẽ habet tres gradus,ſcilicet rationale,ſenſitiuum,& vegetatiuum, & ideò licet anima rationalis, & anima equi ſint realiter animæ diuerſæ, tamen participant gradũ ſenſitiuæ, & in hoc conueniunt, & propter hoc ſeruatur vniuocatio generis ſenſitiuæ in illis ; ſimiliter licet anima rationalis,& anima equi,& anima plantarum, ſint diuerſæ animæ, participant tamen gradum vegetatiuæ omnes, & per gradũ ſeruatur vniuocatio in illis, quia ille gradus vegetatiuæ eſt communis illis. Sed contra hos gradus arguitur non enim videtur intelligi poſſe quid illi ſint, & primo ſic;Quæro de his gradibus, vt diſtincti ſunt, vel ſunt ſubſtantiæ, vel accidentia:quia non datur medium;non ſunt accidentia, quia quod conſtituit ſubſtantiam,non eſt accidens,ergo ſubſtantia: ſi ſubſtantia,vel materia,vel forma;non materia,ergo erunt diſtinctę formæ, ergo in homine tres diſtinctæ animæ.

Sextum argumentum ſtatuitur à Latinis,quod vnuſquiſque horum trium graduum,vt vegetalis, ſenſitiua, & rationalis,habent alios gradus,ſiue facultates:dicunt enim,& eſt verum,quod vegetatiua habet generatiuam, auctiuam & nutritiuam;ſentiens,viſiuam,auditiuam,&c.rationalis, intellectum, & voluntatem : ex quo ſequitur magnum abſurdum, ſcilicet,quod facultates, habeant facultates, ſiue potentiæ, potentias ;,quòd eſt abſurdum ; quia ſola ſubſtantia animæ habet varias facultates operandi: quia facultas nihil aliud eſt,niſi aptitudo operãdi;Modo aptitudo ad operandum non habet aliam, & aliam aptitudinem ad operandum, eſſet enim ridiculum hoc, quia illa facultas eſt accidens qualitatis,ſcilicet illa aptitudo ad operandum. Si ergo vegetatiua,& ſenſitiua ſunt facultates,ſiuè potentiæ animæ, non eſt dicendum, quod habeant facultates:at habent ex Ariſtotele, vt clarum eſt, ergo non ſunt facultates, & gradus, ſed animæ, & ſubſtantiæ dantes eſſe. *6. argum.*

Septimum argumentum. Operationes diuerſæ arguunt formas diuerſas realiter;ſed actus vegetalis,& ſenſitiuæ,& rationalis, ſunt diuerſi, ergo ſunt diuerſæ animæ in homine. *7. argum.*

Gandauenſis loco citato ſic arguit.Primò ſupponit, quod omne quòd ineſt homini per formam, qua eſt animal, ineſt homini ſecundum quòd eſt animal. Secũdum ſuppoſitum eſt,quod omne quod ineſt homini ſecundum quod eſt animal, ineſt omni animali; Tertium ſuppoſitũ, quòd ſi eſt eadem forma, quæ dat eſſe homini, & eſſe animali, non dat eſſe ſecundum diuerſum modum, ſed eodem modo:nam ſi per diuerſos modos, quæro de illis modis, quid ſint; vel enim ſunt ſubſtantię,vel accidentia;nõ accidentia:quia *Gandau. 1. rõ.*

accidens

accidens non dat eſse ſubſtantiæ,ergo ſub ſtantia:ſed materia,ergo forma, quod eſt propoſitum. Tunc ſic arguit. Omne quod ineſt homini per formam, qua eſt animal,ineſt homini ſecundum quod eſt animal per primum ſuppoſitum,& conſequẽter ineſt omni animali per ſecundum ſuppoſitum:ſed omne quod ineſt homini per formam, qua eſt homo, ineſt ei per formam, qua eſt animal, per aduerſarium, qui concedit,quòd eadem eſt forma, per quàm eſt homo, & per quam eſt animal: ergo omne quod ineſt homini per formam,qua eſt homo, ineſt homini ſecundum quod animal,& per conſequens omni animali,quod eſt abſurdum.

Secundò. Aliquod accidens ineſt formæ genericæ per ſe primo, & non formis ſpecificis,ergo forma generica eſt diuerſa à formis ſpecificis. Conſequentia patet: quia ſi eſsent idem,quod vni ineſt,ineſset quoque alteri. Antecedens probatur:quia ſenſus ineſt animali per ſe primo, & omnibus alijs per formam animalis,non autem ineſt per ſe primò ſenſus homini, vel equo,ergo,&c.

1. Auct. Ariſt. Aliæ rationes non ſunt ad hoc propoſitum. Auctoritatibus Ariſtotelis idem probatur. Prima eſt Ariſtotel. 1. cap. libri de Vita,& Morte,vbi habet hæc verba;[*Neceſſe eſt vnam, & eandem eſſe particulam in animali,qua & animal eſt,& viuit,ipſo autem eſſe plures, & diuerſas*] vbi per eſſe, intellexit eſſentiam; voluit ergo eſſe diuerſas eſſentias, & animas in eodem animali. Item ſecundo de generatione animalium, cap. tertio dicit: Conceptum in vtero prius habere animam vegetantem, poſtea ſenſibilem, qua animal eſt, denique rationalẽ,qua eſt homo, ergo ex hoc habetur,quòd ſint diuerſæ animæ, & formæ eſſentiæ; ſi quidem prius vna aduenit, quàm alia. Nec valet ſi quis dicat, quod Philoſophus ibi loquitur de ordine naturæ,non de ordine temporis, quia patet ex textu, quòd loquitur de ordine temporis. Nec valet,quod quis dicat,hoc debere intelligi de operationibus animæ, non de eſſentia:dicunt enim aliqui, quòd anima rationalis in inſtanti aduenit, ſed non ſtatim operatur omnibus modis, ſed prius operatur opera vegetatiuæ, deinde ſenſitiuæ,& rationalis. Hæc reſponſio non valet inquam, quia Ariſtoteles ibi loquitur non de operationibus,ſed de ſubſtantia animæ: clara enim ſunt verba eius, quæ ſunt.[*Non ſimul fit animal, & homo, nec ſimul animal, & equus*] at ſubſtantia, non operatio eſt quæ dat eſſe rei, & facit eſse animal,vel hominem.

Reſp. impro batur (margin, beside the preceding reply)

Itaque hæc opinio,quæ eſt Auerrois,& Galeni quoque pluribus in locis,vt refert Zabarella loco citato,ponit, quòd in homine,& in animali,ſunt plures formę ſubſtantiales,vltra formam mixti, ſcilicet, tres animę,hoc modo, quòd vna eſt ſubordinata alteri, & vna habet rationem potentię reſpectu alterius, & vltima ſola habet rationem actus, & omnes iſtę dicuntur conſtituere vnam animam ratione huius potentialitatis,& actus. *Auerroes, Gal. Zab.*

Exponitur opinio Scoti, & comprobatur; at recitata opinio Auerroiſtarum reijcitur. Cap. II.

CErtum eſt,quod Scotus,licet in compoſito aſſeruerit eſſe plures formas ſubſtantiales,vt ſuo loco diximus: tamen non exiſtimauit in animali eſse plures animas realiter diſtinctas: ſed voluit,quòd in homine eſset ſola anima intellectiua, quæ contineret vegetatiuam, & ſenſitiuam tamquam potentias: Brutum quoque contineret vegetalem tamquam potentiam, & ſimiliter facultates vegetalis tamquam proprias facultates: has verò potentias continet vnitiuè & realiter, vt dicemus in Theoremate 74. ſed remanẽt diſtinctę formaliter,ſicuti color,& qualitas vnitiuè continentur in albedine, & ſunt diſtincta formaliter, & tamen albedo eſt vna forma ſimplex:ita vegetatiua, & ſenſitiua, continentur realiter in intellectiua,& vnitiuè, ſed formaliter diſtinctę manent: nihilominus intellectiua eſt forma ſimplex, & ſi hoc modo aduerſarij intelligerent, rectè dicerent: ſed ipſi volunt, quod in homine ſint tres animę realiter diſtinctę, quarum vna ſit velut materia reſpectu alterius, vt diximus, quod eſt abſurdum.

Opin. Scoti. Quòd autem hæc fuerit mens Scoti elicitur ex 4. Sententiarum, diſt. 43. littera A. vbi hoc apertè dicit, & declaratum eſſe affirmat in 2. Sententiarum, diſt. 1. q. 6. & diſtinct. 16. & 4. Sententiarum diſt. 11. quæſt. 3. articulo 2. in quibus omnibus locis ſemper dicit vegetatiuam, & ſenſitiuam, eſse eandem animam cum intellectiua in homine, licet quando ſunt in diuerſis animalibus, ſint animæ per ſe diuerſæ. Ad hanc ſententiam tamen comprobandam nullam rationem adduxit: quia ſuis temporibus forſan non erat dubia, ſolum in 16. diſtinctione 2. probat, quod iſtæ potentiæ animæ, non ſunt accidentia, neque ſunt partes animæ, vt dicebant Richardus, & alij: ſed nullibi probauit, quod non ſint tres animæ ſeparatæ in homine, tamen multa dixit, ex quibus hęc opinio quę mihi veriſſima videtur, (ex eo maximè, quia rationes aduerſariorum nihil concludunt) comprobari poteſt: rationes autem quibus aduerſa reijcitur, hęc noſtra comprobatur. Itaque contra hanc opinionem Auerrois ſunt rationes, & auctoritates Ariſtotelis.

Ra. 1. Primò eſt auctoritas Ariſtotelis ſecundo de Anima textu 31. vbi ex profeſſo hanc dubitationem diſſoluit, ait enim ibi, quòd vegetatiuum, eſt in ſenſitiuo potentia, vt triangulus in quadrangulo, vel vt Trigonon in Tetragonon, quod idem eſt: at triangulus non eſt in quadrato vt alia figura diſtincta ab ipſo quadtato, ſed eſt vna met figura realiter cum ipſo quadrato, ergo anima vegetatiua, vt eſt in ſenſitiua, non ſunt duæ animæ diſtinctæ realiter, ſed eſt vnica anima continens animam vegetalem, ſicuti quadratus eſt vna figura tantum ſimul cum triãgulo: Ex hac ratione colligitur vegetalem ſecundum eſſentiam eſſe in ſenſitiua realiter, & vnitiuè, vt diximus declarando mentem Scoti, non tamen ſequitur, quod ſint duæ animæ, ſed vnica, & ſimplex, vt eſt albedo, licet vnitiuè contineat colorẽ, & qualitatem, & vti eſt ens, licet contineat ſuas paſſiones.

Not. Sed eſt hic notandum, quòd antequã dicat vegetatiuam eſſe in ſenſitiua, adducit rationem in illo eodem textu, quæ cõſiſtit in hac comparatione: quod ſimiliter ſe habet de figuris, & animæ potentijs; quia id quod eſt prius, ſemper eſt potentia in eo quod eſt poſterius, & ex hoc infert, quod vegetatiua eſt in ſenſitiua, vt triangulus in quadrato; modo hic eſt conſiderandus intellectus iſtius propoſitionis: Quod omne prius eſt in potentia in ſuo poſteriori: ſi volumus exponere, vt exponit Zabarella, ſcilicet, quod triangulus eſt in quadrato potentia, quia eſt materia quadrati, & materia dicitur potentia illius rei cuius eſt materia; Hæc expoſitio eſt inanis: quia directè eſt contra ſenſum literæ; quod enim eſt materia alicuius rei, non dicitur eſſe in potentia in illa re, ſed actu. Modo, ſi triangulus eſt materia quadrati, non poſſumus dicere, quod triangulus ſit in potentia in quadrato, ſed erit actu: eſt ergo exponenda, vt vniuerſaliter exponitur illa propoſitio: Omne prius eſt in potentia in ſuo poſteriori, quod ad illud conſequitur, quod ſcilicet, licet actu non contineatur ſemper in ſuo poſteriori, tamen ſemper potentia continetur, & ſic binarius licet non ſit ſemper in ternario, quia quandoque binarius eſt per ſe, vt quando non exiſtit ternarius, ita triangulus eſt in potentia in quadrato, quia quotieſcumque quadratus erit, in eo continebitur actu triangulus.

Ita vegetatiua per ſe, eſt in potentia in ſenſitiua, quia quandoque eſt per ſe ſine ſenſitiua, tamen quando eſt anima ſenſitiua, ſemper in ipſa eſt anima vegetatiua, & ex hoc licet inferre, quòd vegetatiua continetur in ſenſitiua, vt triangulus in quadrato, quia omne prius eſt in potentia in ſuo poſteriori, quod ad illud ſequitur: ſed vegetatiua, & triangulus, ſunt priora ad ſenſitiuum, & quadratum, ergo ſemper vegetatiua eſt in potentia in ſenſitiua: ſi per ſe conſideretur antequã ſit actu in illo poſteriori, quando poſtea eſt actu in illo poſteriori fit vna, & eadem cũ illa poſteriori realiter: & ſic ex hoc ſequitur, quòd non ſint duæ animæ, ſicut nec ſunt duæ figuræ quadratus, ſed eſt vna realiter, & duę formaliter: nec ſequitur, quod vna habeat rationem actus, alia potentiæ: quia nec triangulus eſt materia quadrati, ita quod quadratus ſit ſolum actus, quia quadratus nedum addit formam

mam aliam, ſed materiam aliam, nempè alium angulum, eſt ergo vegetatina in ſenſitiua vti pars integralis, licet non ſit re vera integralis, quia anima eſt eſſentia ſimplex, ſed ſimilitudinariè; ex quo patet, quòd iure optimo dicit Scotus has potentias, & animas vnitiuè contineri in ipſa anima, & eſſe vnam eſſentiam realiter, diſtingui verò formaliter, & ſi ſecundum hunc ſenſum loquerentur Zabarella, & Auerroiſtæ, eſſent nobiſcum; & certè eorum opinio poſſet redigi ad bonum ſenſum: quia forſan ipſi dicunt eſſe tres animas, quia vident animas iſtas manere formaliter diſtinctas in eſſentia animæ, quã totam animam dicunt eſse vnam, ſed ex collectione omnium iſtarum conſtitutã. Vnde ſi intelligant animam eſse vnam entitatem ſimplicem, conſtantem ex ijs vnitiuè, ſentiunt nobiſcum.

2. Secundò, hæc opinio dicit, quod cuilibet generi correſpondet propria forma, alioquin non eſset vniuocatio illius reſpectu ſuorum inferiorum, & ita Vegetatiuo reſpondet propria forma, quæ eſt generata, ſenſitiuo reſpondet propria forma, quæ eſt generica, ſed minus communis; Rationali reſpondet propria forma rationalis, quæ eſt forma ſpecifica. Tunc ſic: Si hoc eſt verum, ſequitur hoc abſurdum, quod accidens non erit forma ſimplex, ſed compoſita, & in albedine erunt tres, vel plures formæ realiter diſtinctæ; Conſequentia probatur: quia albedo primo eſt qualitas, deinde color, deinde albedo, ergo in albedine erunt tres formæ realiter diſtinctæ, vna per quam albedo eſt qualitas, ſecunda per quam albedo eſt color, tertia, per quam albedo eſt albedo: ſicuti in homine ſecundum illos eſt vna forma, qua homo eſt viuens; alia, qua eſt animal; & alia, qua eſt homo; conſequentis falſitas per ſe patet: quia omnes fatentur, accidentia eſse formas ſimplices, neque enim in illis eſt aliquid, quod habeat rationem materiæ, & aliquid quod habeat rationem formæ intrinſecæ. Quod ſi quis dicat, hoc valere ſolum in ſubſtantijs, non in accidentibus; Contra ſaltem ex hac ratione habeo, quod illa propoſitio cuilibet generi ad hoc, quod ſit vniuocum, debet reſpondere propria forma diſtincta à ſpecificis, eſt falſa: quia color vniuocè prædicatur de albedine, & alijs ſpeciebus, & tamen non reſpondet ei propria forma diſtincta à forma albedinis, & alijs ſpeciebus realiter; De hac re egimus in Theoremate de Pluralitate formarum, cap. 4.

Tertiò. Si in homine ſunt tres animæ realiter diſtinctæ, ita quòd generi cuilibet, reſpondeat propria forma, ſequitur, quòd in Franciſco erunt tres animæ particulares realiter diſtinctæ, vna faciet Frãciſcum eſſe hoc animal, alia eſſe hoc viuens, & alia eſſe hunc hominem; Conſequentia eſt euidens. Hinc arguo ſic. Omnis forma ſingularis realiter exiſtens eſt alicuius ſpeciei, ſed hæc forma, per quam tu dicis Franciſcum eſſe hoc animal, eſt ſingularis, & realiter exiſtens, ergo debet eſſe alicuius ſpeciei. Sed concluſio eſt falſa, ergo aliqua præmiſſarum, non Maior, ergo Minor, quæ eſt tua Concluſio: ſuſtines enim, quod Franciſcus ſit animal per vnam formam ſingularem exiſtentem in Franciſco; totus hic diſcurſus eſt bonus, vt patet, Maior ab omnibus conceditur, eſt enim impoſſibile, quod ſit aliquod ſingulare exiſtens in natura rerum, & nullius ſit ſpeciei: quod etiam probatur: quia genus non prædicatur immediatè de pluribus differentibus numero, ſed de pluribus differentibus ſpecie, neceſſe eſt ergo, quod ſingulare ſit ſub ſpecie, deinde ſub genere, quod etiam patet ex eo dicto Ariſtot. quod ſecundæ ſubſtantiæ vt genera, & ſpecies fundantur in primis ſubſtantijs. Vnde Ariſt. dicebat in Prædicamentis, quod deſtructis primis ſubſtantijs, eſt impoſſibile aliquid aliorum remanere: non ergo exiſtere poſſunt generá, & ſpecies abſque indiuiduis, & ſic eſt contradictio, quod detur ſingulare generis per ſe exiſtens, & nullius ſit ſpeciei; poteſt quidem intellectus conſiderare ſingulare vnum generis abſque conſideratione cuius ſpeciei ſit: ſed illud non poteſt eſſe in rerum natura, niſi ſit alicuius ſpeciei; Minor eſt eorum poſitio; falſitas Concluſionis eſt patens: quia forma, quæ fecit Franciſcum eſſe viuens, conſtituit Franciſcum in genere viuentium per aduerſarios, non in aliqua ſpecie determinata, eſt ergo impoſſibile,

poſſibile, quòd detur hæc forma particularis viuens, & nullius ſpeciei viuentium ſit. Item, quod detur vnum particulare animal, & nullius ſpeciei ſit; ſemper enim cum alijs indiuiduis conſtituit vnam ſpeciem, vel ſi ſit vnum numero tantum, cõſtituit propriam ſpeciem, vt patet de Intelligentijs, & de Sole; eſt enim Sol vnicum indiuiduum, & non abijcit ſpeciem, ſed eſt vnius ſpeciei determinatæ; ſimiliter, & vnaqueque Intelligentia vnicam ſpeciem conſtituit in via Ariſtotelis.

4. rõ. Quartò, tunc daretur forma generis abſque ſpeciebus: nam illa eſt prior, quia homo viuit prius vita plantæ, neque per aduerſarios dependet à ſpecifica, neque à ſingulari. Conſequens tamen eſt abſurdum, quia genera, & ſpecies, & omnia ſimilia, non habent eſſe per ſe ſeiunctum à ſingularibus, ſed ſolum in ſuis ſingularibus, à quibus abſtrahuntur, & quibus deſtructis deſtruuntur.

5. rõ. Quintò, id, quod generatur, & corrumpitur eſt ſingulare, & indiuiduũ, vniuerſale verò eſt ingenerabile, & incorruptibile per ſe, at ſi in Franciſco eſt forma generis exiſtens, & illa generatur, & corrumpitur per vos, ergo vniuerſale per ſe generatur, & corrumpitur, & non ad corruptionem ſingularium: nam ſi in Franciſco eſt forma, per quam eſt viuens, & alia per quam eſt animal, cum viuens, & animal ſint vniuerſalia, quia ſunt genera, viuens & animal per ſe generatur, & corrumpitur, ergo vniuerſale generatur, & corrumpitur per ſe, quòd eſt abſurdum.

6. rõ. Sexto arguo, quòd genus non ſit forma diſtincta a ſpecie, clarum eſt, quòd vniuerſalia nihil ſunt præter ſingularia, abſque opere intellectus, ſed intellectus noſter eſt qui facit vniuerſale, videns enim omnes particulares homines in quibuſdam proprietatibus, vt puta, in rationali conuenire, fecit vnum vniuerſale, quod appellauit ſpeciem, & ſic de alijs; Hinc quia vidit multa alia, quæ conueniebant in viuere, fecit aliud vniuerſale, quod appellauit genus, & dixit omnia illa eſſe vnius generis, quæ viuunt, & ſic de alijs, vt patet cuilibet Philoſopho, & eſt quod communiter dicitur, intellectus eſt, qui facit vniuerſalitatem in rebus; ex hoc apparet quod in vno ſingulari compoſito, vt Franciſco, non eſt in rei veritate vna forma particularis, per quam ſit viuens, & alia per quam ſit animal, & alia per quam ſit homo, & ſic de alijs; quia cum omne prius poſſit eſſe ſine poſteriori, potuiſſet natura abſque contradictione facere Franciſcum eſſe viuens, & non eſſe animal, vel alicuius alterius generis viuentium, & eſſe animal, & non eſſe rationale, vel alicuius alterius ſpeciei animalis, quod tamen eſt impoſſibile; Concluditur ergo, quòd in Franciſco eſt vnica forma, loquor modo de anima, non de forma mixtionis, quæ eſt anima rationalis, quæ cum ſit perfectiſſima, & habeat plures gradus perfectionis, continet enim in ſe rationẽ vegetandi, ſentiẽdi, & ratiocinãdi, & ſic viuẽs eſt animal, & eſt homo per eãdẽ formã numero.

Septimò poſſumus adducere argumentum Scoti, quod mihi efficaciſſimum videtur. Dicit Zabarella loco citato, cap. 9. quod iſta collectio animarum in eodem viuẽnte, ſolet appellari tota anima ab Ariſtotele, quia ex actu, & potentia ſit vnum per ſe: iſtæ autem animæ ſic ſunt ſubordinatæ, quod vna reſpectu alterius eſt potentia, vt vniuerſalior reſpectu minus vniuerſalis, minus verò vniuerſalis eſt actus, & ſic plures formæ colligatæ, ſimul per actum, & potentiam, dicuntur quodammodo vna forma, quæ habet plures ſubſtantiales formas, & per hoc nititur ſaluare, quod habentes animas ſint vnũ numero, quod quidem eſt, ergo argumentum efficax contra eum; Modo in primis eſt ſtatuẽdum vnum fundamentum quod illi nobiſcum fatentur, ſcilicet, quod licet nos admittamus in cõpoſito plures formas ſubſtantiales, vt formam mixtionis, & animam, tamen compoſitum non poteſt eſſe vnum número, niſi vltima forma adueniens habeat rationem actus perfectiſſimi, & præexiſtens forma materiæ, ſiuè præexiſtens compoſitum conſtitutum in eſſe per formam mixti reſpectu vltimi actus, non ſe habeat vt potentia, & nullo modo vt actus; niſi enim hoc dicamus, non poſſumus tueri compoſitum, in quo ſunt plures formæ ſubſtantiales eſſe vnum numero, ſed eſſent tot numero quot huiuſmodi for- 7. rõ.

di formæ eſſent in eo: vel forma adueniẽs eſſet accidentalis. Hoc ſtante fundamento, ita argumentor; Vel iſtæ tres animæ in Franciſco connectuntur ad inuicem, vt actus, & potẽtia, vel non: ſi dicas quod nõ, tibi aduerſaris: & inſuper Franciſcus nõ eſſet vnum in diuiduum, & compoſitum numero, ſed plures; vel ſenſitiua, & rationalis eſſent formæ accidẽtales, quę omnia abſurda ſunt; relinquitur ergo, quod ſe habeant vt potentia, & actus; Tunc ſic: ſed quod conſtat ex duobus, vel pluribus, quorum vnum habet rationem potentiæ, & aliud rationem actus, eſt totum eſſentiale, & vnum per ſe perfectiſſimo modo, ergo tota anima ſiuè collectio animarum iſtarum, non erit quodammodo vna forma, vt dicit Zabarella, ſed erit compoſitum perfectum, & per ſe vnum, ſed hoc eſt abſurdum: quia Anima non eſt eſſentia compoſita, ſed ſimplex; Sed vlterius deduco argumentum vt deducit Scotus; Si iſte animæ ſunt partes eſſentiales animæ. Anima ipſa non poterit informare, & dare eſſe corpori, conſequens eſt manifeſtè falſum; Conſequentia probatur: quia quod conſtat ex aliqua potentia receptiua, & perfectibili ab alia, & ex perfectiuo ſimul, non poteſt ineſſe alicui informando illud; Hoc aſſumptum probatur: quia illi parti receptiuæ repugnat, vt ignis non poteſt ineſſe alicui informando illud, quia eius parti potentiali, ſcilicet materiæ, repugnat informare, ita eueniet in propoſito; Cum enim ipſa anima aliqua pars ſit receptiua, ſequitur, quod animæ repugnet ex illa parte ineſſe alicui illud informando, neque enim eſt maior ratio de potentia hac in anima quam de materia in alijs compoſitis; & hoc eſt diligenter notandum; quia Zabarella eſt perplexus, dicit enim, quod iſtæ animæ ſunt ſubordinatæ vt actus, & potentia, & poſtea inquit, quod ſunt quodammodo vna forma, & deinde inquit, quod tamen ſunt tres animæ realiter diſtinctæ, & quod vegetatiua prius tempore aduenit, deinde ſenſitiua, tandem intellectiua; at hæc pugnant ad inuicem; quia ſi habent rationem actus, & potentiæ, ergo non ſunt quodammodo vna forma, ſed ſimpliciter sũt vna forma, & vna eſſentia compoſita per ſe, & tunc vlterius ſequitur, vt rationalis non poſſit informare corpus, quia conſtat ex aliqua parte, quæ eſt potentialis & receptiua, ſicut ignis non poteſt eſſe forma alicuius rei.

Octauò, Franciſcus Piccolomineus libro de Multitudine formarum arguit ex Ariſtotele 1. de Anima, textu 58. quo loco Ariſtoteles habet pro inconuenienti, in eodem corpore eſſe plures animas: hoc enim ratione probat Ariſt. quod anima nõ poteſt eſſe ratio mixtionis, ratio enim mixtionis eſt multiplex, quia alia eſt ratio mixtionis oſſis, alia carnis: vnde ſi anima eſſet ratio mixtionis, anima eſſet plures, & ita in quolibet corpore eſſent plures animæ, quod Ariſtoteles habet pro inconuenienti. 8.

Item 2. de anima textu 20. ait animam extenſam, vti eſt ſenſitiua, & vegetalis, eſſe vnam in toto viuente actu, plures autem potentia: ergo ex Ariſtot. in animali ſentiente non ſunt duæ animæ. Rationes aliæ apud ipſum videri poſſunt; ex his clarè colligere poſſumus in homine non eſſe plures animas, ſed vnicam, in ſe continentem varias potentias, quæ quidem potentiæ, quia formaliter diſtinctæ manent, ideò videntur formę ſeiunctæ, & per ſe, tamen non eſt verum, ſed eſt vnica eſſentia numero, continens potentias, quæ formaliter diſtinguuntur, vt ſuperius declarauimus.

Rationes aduerſariorum ſoluuntur. Cap. III.

Ad rationes in oppoſitum facilè eſt ex dictis reſpondere. Ad primam dico, quod non eſt par ratio de forma mixti, & de anima: nam forma mixti eſt particularis, & conſtituit ſuum compoſitum particulare in eſſe ſingulari, quod non poteſt fieri ab alia forma, quàm à forma mixti; ſed eſse vegetale, & ſenſibile, poteſt poni in eſse ab anima rationali cõtinente in ſe vegetalem, & ſenſitiuam potentiam, & ideo cum non adſit neceſſitas multiplicandi entia, non debemus ponere multas animas, repugnat etiam, vt diximus arguendo, & maximè in ratione ſeptima. *Ad 1.*

Ad 2. Ad ſecundam dico, quòd pugna, quæ in homine eſt inter rationem, & ſenſum, non arguit diuerſitatem realem in homine rationalis, & ſenſitiuæ, ſed ſolum differentiam formalem, vt diximus; inſuper rationalis anima eſt actus corporis, & habet affectiones corporeas, & ſimul eſt rationalis, & habet iudicium, quo diſcernit rectum à malo, non eſt ergo inconueniẽs, quòd diuerſo modo affecta, diuerſa appetat, & fugiat: quandoque enim contingit, quod obiectum delectabile appetat anima potentia ſenſitiua cum circumſtantia indebita, ita quod ratio, & mens iſti aduerſabitur; tunc ipſa anima ſibi aduerſabitur vario modo affecta, affecta ratione æqui, & honeſti, aduerſabitur ſibi affectæ bono delectabili, ſed non honeſto, neque ſunt iſti actus oppoſiti, quia fluunt ab ipſa anima, & forma, ſed diuerſo modo diſpoſita, & cum reijcit duce ratione, tunc non appetit, & cum appetit ſenſu non reijcit; quandoque eſt dubia, & neutrum accipit, licet inclinetur magis ad vnum, quàm ad aliud; Neque eſt mirum, quòd eadem potentia ſecundum varios affectus producat oppoſitos actus, vt ſenſus quandoque appetit mel propter dulcedinem, ſed odit propter intemperiem, quã inducit in ſtomachum, ecce hic pugna, & eſt in ſenſitiua, quia guſtus appetit lac propter dulcedinem, ſed tactus fugit lac propter intemperiem, & tamen non dicunt aduerſarij, quod in ſenſitiua ſint plures animæ.

Ad 3. Ad tertium concedo, quod vnica forma dat vnicum eſſe, ſed cum dicit, quòd in homine ſunt tria eſſe, concedo formaliter, nego realiter, eſt enim vnicum eſſe reale, & vnica eſſentia realis, quæ conſtituitur in eſse per animam rationalem, quæ eſt ita perfecta, quod dat ſuo compoſito illa tres perfectiones, quod ſit animal, & viuens, & rationale, ſicuti albedo albificans parietem, facit, quòd paries eſt albus, & coloratus, & eſt qualificatus, & tamen eſt vnica forma; Cum ait ex Ariſt. quòd forma eſt, quod quid eſt rei, ſed aliud quod quid eſt viuentis, ergo ſunt tres animæ. Reſpondeo, quod, quodquid eſt animalis, & quod quid eſt hominis, &c. eſt aliud formaliter, non aliud realiter, & propter hoc non ſunt tres formæ reales, realiter diſtinctę in homine, ſed ſolum formaliter, ſicut facultas viſiua, & auditiua in anima ſenſitiua, formaliter diſtinguuntur non realiter, & tamen aliud eſt quodquid eſt viſus, & aliud eſt quod quid eſt auditus.

Ad quartum argumentum patet quid ſit dicendum ex Theoremate, quod datur natura communis: tamen pro nunc dico, quod natura communis, tam generica, quam ſpecifica, non eſt ſeparata à ſingularibus, quia ſic eſſet idea Platonis: ſed eſt diuiſa in ſingularibus, ita quòd vnumquodque indiuiduum ſpeciei participat vnam partem illius naturæ ſpecificæ, & vnaquequæ ſpecies capit partem naturæ genericæ, & ſic natura generica, & ſpecialis, licet in ſe præter operationem intellectus habeãt propriam vnitatem, non tamen habent illam ſeiunctam à ſingularibus. Ex quo patet, quòd eadem forma ſingularis includit in ſe, & naturam ſpecificam, & genericam, & ideò eſt alicuius determinatę ſpeciei, & determinati generis, & propter hoc fit abſtractio à ſingularibus, & intellectus dicitur abſtrahere vniuerſale à ſingularibus: quia contemplatur poſtea hanc naturam communem ſeiunctim à ſingularibus, vt prædicatur de pluribus & eſt in pluribus quod eſt facere vniuerſale completum. Tunc ad argumentum dico, quòd plures formæ particulares dant vnum eſſe vniuerſale, & commune, quia ſunt ſubordinatæ, vel dic quod plures formæ formaliter diſtinctæ ſed realiter, idem dant vnum eſse reale, quod eſt plura eſſe formaliter.

Ad 5. Ad quintum, patet per idem, non enim requiritur ad vniuocationẽ, quod vniuocata habeant vnam naturam communẽ per ſe exiſtentem realiter diſtinctam à ſingularibus: ſed ſufficit ſi vt modo dicebamus conueniant in aliqua natura communi, vel conceptu vno, qui eſt diuiſus realiter in multis, ſed tamen eſt vnus propria vnitate communi, & hic conceptus eſt vniuocus, quia non eſt purum nomen, ſed ſignificat aliquam naturam, vel realitatem vnam in ſe, exiſtentem tamen diuiſam in multis, vt albedo, & nigredo conueniunt vniuocè in hoc conceptu color, qui co-

qui color non eſt quid vnum per ſe realiter diſtinctum a coloribus particularibus, ſed eſt vna natura communis, ſiue realitas diuiſa in albedinē,& nigredinē, & alias ſpecies coloris, quam cum omnes participent,dicuntur eſſe vniuoca in illa, ſic cum equus,homo,&c.participent animam ſentientem,quæ eſt natura communis diffuſa in eis, dicuntur vniuocè contineri ſub viuente; vniuocatio ergo optimè ſeruatur in his potentijs, & gradibus. Cū arguitur contra gradus iſtos, dico, quod argumentum eſt efficax contra Diuum Thomam, & Aegidium, tenentes potentias eſse accidentia, ſed nos faciliter dicimus,quòd illi gradus ſunt potentiæ, quæ ſunt ipſamet ſubſtantia animæ,ſed formaliter ab ea,& à ſe inuicem diſtinctæ, & ſic poſsunt dare diuerſa eſse formaliter, licet ſint vnum in eadem anima numero, ſicuti eadem numero albedo dat albedini eſſe albedinem,eſse colorem, & eſse qualitatem; Vnde vltima conſequentia negatur;ſunt formæ,ergo ſunt tres diuerſæ formæ realiter, quia non valet.

Ad 6. Ad ſextum reſpondetur,quod vegetatiua,vt eſt per ſe, & ſenſitiua ſimiliter per ſe,habet duas potentias, ſed vegetare, id eſt nutrire,augere,& generare,ſunt facultates rationales, quæ cum contineat in ſe vegetalem,continet quoque eorum facultates,cum verò vegetatiua eſt per ſe, habet etiam ſuas facultates, & potentias, quæ ſunt ipſamet ſubſtantia animæ, vt dictum eſt, & ſic ſubſtantia habet facultates,& non facultas facultatem; idem dicendum de facultate ſentiente. *[...]t reſpōſ.*

Ad 7. Ad ſeptimum dico, quòd vna forma ſimplex poteſt habere diuerſas operationes: nam ſecundum aduerſarios anima vegetalis eſt vnica ſubſtantia, & forma ſimplex, & tamen habet tres operationes diſtinctas,vt nutrire,generare, & augere, & ſimiliter ſenſitiua habet quinque ſenſus, qui diuerſas habent operationes,nec tamen propter hoc dicimus, quod ſint quinque animæ ſenſitiuæ; idem dicendū de anima intellectiua, eſt ergo falſa illa propoſitio,quòd forma ſimplex non poſſit habere diuerſas operationes.

Ad Gan- Ad primum Gandauenſis nego tertiū ſuppoſitum,Ad probationem dico, quod dat eſse per varios gradus,ſiue per varias potentias,quæ ſunt ſubſtantiæ; neque tamen ſunt formę per ſe realiter diſtinctę, ſed formaliter,vt dictum eſt; argumentū eſt efficax contra Thomiſtas, qui dicunt has potentias eſse accidentia. *dauē-ſis.*

Ad ſecundum dico, quòd argumentum illud facit pro nobis, concludit enim has potentias formaliter diſtingui ab inuicem,ſed non realiter: nam cum iſtæ potentiæ formaliter ſint diuerſę habent prædicata formalia diuerſa, & quę conueniunt vni potentiæ primo,non conueniunt alteri primò; Sed quando ſunt idem realiter conueniunt ei per ſe ſecundo, & ſic quia ſenſitiua differt formaliter à rationali, ſentire competit primo ſenſitiuę,rationali verò ſecundario: at ſi rationalis non eſset eadem anima realiter cum ſenſitiua,nec primo,nec ſecundo hoc prędicatum illi competeret, ſicut prędicata albedinis non competunt primo, nec ſecundo rationali,quia & formaliter,& realiter diſtinguuntur. *Ad 2.*

Ad 1. auctoritatem Ariſtot. Ad primam auctoritatem dicendum, quod illa authoritas facit pro nobis; hęc enim ſunt verba Ariſtotelis [Neceſse eſt vnam, & eandem eſse animę particulam in animali, & qua animal eſt & viuit, ipſam autem eſse plures, & diuerſas] Ecce, quòd apertè dicit,quod eſt vna particula in animali, qua viuit,& eſt animal, ergo non ſunt duę animę quarum altera viuat, & altera ſit animal,ſed eſt vna,& eadem, qua viuit, & eſt animal: quod autem adiungit,ipſam autem eſſe plures,& diuerſas, ideò adiungit, quia aliud eſt eſſe viuens,& aliud eſſe animal,nō realiter, ſed formaliter,& ſic oſtendit,quòd particula eadem dat vtrumque eſſe, licet illas eſſe ſint diſtincta non realiter, ſed formaliter.

Ad 2. Ad auctoritatem de 2. de generatione animalium,dico, quod dum dicit Ariſtoteles,quòd homo prius viuit vita plantę, poſtea animalis, pòſtea rationalis, non vult dicere,quòd in homine prius tempore ſit anima vegetalis per ſe, quantum ad ſubſtantiam abſque ſenſitiua, & rationali,quia tunc exiſteret per aliquod tempus extra ſuas ſpecies forma generis, abſque quod eſſet vllius ſpeciei determinatæ,

quod eſt impoſſibile, eſt ergo dicendum, quòd Ariſtoteles quidem ibi loquitur de prioritate temporis, ſed non loquitur de ſubſtantia animæ, ſed de operationibus, adeò quod eſt ſenſus, quòd in homine prius tempore operatur potentia vegetali, quàm ſenſitiua, & rationali.

Vbi eſt notandum, quòd licet anima rationalis in homine ſit eadem, quòd vegetalis, & ſenſitiua realiter, & etiã in inſtanti quo ad eſſentiam tota inducatur, tamen quia eſt forma, & actus corporis Phyſici organici, quod paulatim perficitur, hinc fit quòd in operationibus paulatim perficitur, Vnde primo vegetalis opera efficit, deinde ſenſitiuæ, & tandem intellectiuæ. Propter hoc dixit Ariſtoteles, quòd non ſimul ſit animal, viuens, & homo; Sic etiam ſaluamus quòd forma generis non exiſtit extra ſpeciem, quod ipſe Zabarella ſaluare non poteſt; quod enim dicit formam generis exiſtere non poſſe abſque ſpecie, & ſingularibus, verificari de formis perfectis non autem de imperfectis, cuiuſmodi eſt homo in fieri, eſt vanum, quoniam compoſitum ſubſtantiale quodcumque eſſe habeat, habet illud eſſe per formam, & ſi eſt viuens, eſt per animam, ergo neceſſe eſt, quòd illa anima ſit alicuius determinatæ ſpeciei, quia omne ſingulare eſt alicuius determinatę ſpeciei.

Obiectio. Sed contra opinionem noſtram eſt argumentum validum: quia tunc rationalis contineret in ſeipſa virtualiter vegetalẽ quod videtur impoſſibile: quia nulla forma continens virtualiter aliam formam formaliter operatur ſicut illa vt patet de Deo qui virtualiter continet in ſe omnes potentias naturales, nec producit effectus formaliter, vt illæ potentiæ naturales, ſed modo eminentiori; at homo formaliter generat, augetur, & nutritur vt animatum anima vegetali tantum, ergo vegetalis non continetur virtualiter in rationali, ſed formaliter, & actu.

Reſp. Reſpondetur quòd rationalis continet vegetalem, & ſenſitiuam, non virtualiter eminenter, vt Deus res, ſed realiter, & formaliter, id eſt, continet potentias iſtas ſecundum rationes ſuas formales, & ideò poteſt operari formaliter, vti operantur vegetatiua, & ſenſitiua, quando ſunt ſeiunctæ realiter à rationali.

THEOREMA LXXIII.

In eodem compoſito numero ſunt plures formæ ſubſtantiales.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Caput primum.

QVòd in compoſito ſubſtantiali animato plures formæ ſubſtantiales reperiantur, & maximè duæ, ſcilicet forma mixti, & anima, ſuſtinet Scotus 4. Sent. d. 11. q. 3. art. 2. in quo loco multa dicit, ex quibus poſſunt deduci multæ rationes. Prima ratio erit hæc. *1. ra.*

Vbicumque ſunt plures mutationes ſubſtantiales, ibi ſunt plures formæ ſubſtantiales: ſed in compoſito animato ſunt plures mutationes ſubſtantiales, ergo in compoſito ſunt plures formæ ſubſtantiales. Maior probatur: quia vnaquęque mutatio ſubſtantialis terminatur ad formam ſubſtantialem, ex Ariſt. Hęc maior eſt clara: quia per hoc differt à mutatione accidentali; Minor probatur: alia eſt mutatio ad corpus, alia ad animam, quia inducitur à diuerſis agentibus, nam corpus inducitur à generante, qui producit ſemẽ; Anima verò à Deo, ſiue ab vniuerſali agente ſecundum Philoſophum, qui illam educit de ſemine, quod intelligitur nedum de intellectiua, ſed de ſenſitiua quoque, & vegetatiua, vt dixi in materia de virtute ſeminali, ergo ibi ſunt plures formæ ſubſtantiales, & tamen homo, vel animal eſt vnum compoſitum, Præterea vel inducantur illæ duæ formæ ab vnum, vel diuerſo agente, nihil refert: ſufficit quòd ſint duæ mutationes ſubſtantiales. Sed huic rationi forſan Aduerſarij reſponderent, quod verum eſt quidem in pluribus mutationibus adeſſe plures formas: ſed imperfectior corrumpitur adueniente perfectiori, & ſic adueniente anima, corrumpitur forma mixti. Sed contra, operatio arguit formã: ſi ergo in mixto ſit aliqua operatio, quæ non poſſit prouenire ab anima, neceſſariò erit ab alia forma ab anima: ſed in mixto animato ſunt multæ tales *Reſp.* *Obiectio.*

tæ tales

træ tales operationes,ergo. Maior eſt clara. Minor probatur; Mixtum animatum cum ex turri deijcitur deorſum, præter intentum mouetur naturaliter à ſeipſo,non tamen ab anima, vt patet: quia talis motus eſt à grauitate,quę grauitas repugnat motui animæ, vnde animal in progrediendo fatigatur, ergo eſt forma mixti, quæ mouet ſecundum qualitatem elemẽti prædominantis, ergo in mixto præter animam,eſt alia forma, quæ eſt cauſa huius motus.

2. Secundè,certum eſt, quod corpus habet eſſe ab aliqua forma: ſed hæc non eſt intellectiua,nec vegetatiua,nec ſenſitiua; non intellectiua: quia ipſa eſt inextenſa, corpus verò extenſum: at nulla forma inextenſa, dat eſſe extenſum: quia hoc aduerſatur ſuæ naturæ,ergo habet eſſe ab aliqua alia forma,quæ ſit extenſa, hæc non eſt ſenſitiua, neque vegetatiua: quia modo inextenſo continentur in intellectiua, ergo datur forma corporis ſubſtantialis diſtincta ab anima, & ita ſunt plures formæ ſubſtantiales ſaltem in homine.

Reſp. Sed huic argumento reſpondent Thomiſtæ dupliciter; Primo,quod corpus habet eſſe quantum à materia, quæ licet non ſit ſubiectum trium dimenſionum, eſt tamen ratio receptiua earum in homine,& non forma,hæc eſt Iauelli.

2. Secundò dicunt, quod dato,quod forma ſit quæ dat eſſe quantum homini, & corpori, negant tamen hoc non poſſe efficere animam intellectiuam: quia licet ſit ſpiritualis, æquipollet tamen in ſubſtãtia, & virtute animæ ſenſitiuæ,& vegetatiuæ,& formæ mixti, & ita non inconuenit, quod anima intellectiua det eſse corporeum, & faciat omnem effectum & operationem formæ mixti: quia licet non ſit quanta formaliter, eſt tamen quanta virtualiter: vnde anima rationalis eſt media inter ſubſtantias penitus incorporeas, & formas penitus corporeas: quia formaliter non eſt quanta,ſed virtualiter.

Hæc eſt reſponſio Iauelli 7.Metaph.q. 19.deſumpta à Caietano. Sed contra primam reſponſionem, certum eſt ſecundũ Thomiſtas,& veritatem, quod materia de ſe,non eſt cauſa determinationis, & limitationis quantitatis in corpore: quia materia de ſe,eſt indeterminata: ſed tota limitatio in corpore eſt a forma, licet enim ratio recipiendi quantitatem in corpore ſit materia, tamen ratio recipiendi hanc limitationem quantitatis, & hanc non eſt materia, ſed forma: quia forma eſt,quæ determinat,& agit, materia verò ſolum patitur,& eſt ratio paſſionis;& probatur inſuper: quia ſi limitatio quantitatis in aliquo corpore proueniret ratione materiæ,nulla eſset ratio, propter quam hoc corpus debeat eſſe maius alio corpore: at hoc,quòd ſit maius allio,non prouenit à materia,ſed à forma,quæ requirit tantam,& tantam materiam,& cum talibus organis; & hoc eſt conſpicuum in animatis, non enim forma bouis poteſt informare corpus formicę: ſi hoc ſit verum, ſequitur ergo clarè, quòd ratio, & forma conſtituens corpus in eſse quanto determinato,non eſt materia,ſed forma: quia forma eſt quæ limitat quantitatem, non materia; & ſic tollitur prima reſponſio: quia licet materia ſit ratio fundamentalis, non tamen eſt ratio formalis limitationis. Neque anima intellectiua poteſt eſſe cauſa talis limitationis quantitatis in corpore, & ſic tollitur ſecunda reſponſio: quia quod dat alicui eſse per informationem, & eſt inextenſum, & ſpirituale quo ad ſubſtantiam,dat eſse inextenſum, & ſpirituale tali compoſito: ſed anima dat eſse per informationem compoſito, & eſt ſpiritualis, & inextenſa ſecundum ſubſtantiam, ergo dat eſse compoſito ſpirituale, & inextenſum. Minor eſt clara. Maior probatur: quia forma dans eſse per informationem alicui compoſito, dat illi tale eſse qualis eſt eſsentia talis formæ, quia eadem forma dicitur eſsentia,& quod quid eſt compoſiti, & ita ſi forma eſt ſpiritualis dat eſse ſpirituale,& immateriale compoſito, non ergo poteſt limitare quantitatem in materia, & conſtituere formam corporis, ſed illam ſupponit.Item,nihil dat,quod non habet; anima non habet quantitatem,nec limitationem quantitatiuam, ergo neque poteſt eam dare corpori; & quod confugiunt ad hoc, quod anima habet hanc vim virtualiter,& non formaliter, eſt falſum: quia anima dat eſse animato p infor matio-

Contra 1. reſp.

Contra 2. reſp.

mationem actualem, non virtualiter, & ideò ſi faciat corpus eſſe quantum, hoc facit per propriam informationem ſubſtantialem, non per virtualem influxum; Item anima non continet virtualiter tantum effectus, quos operatur circa corpus: ſed etiam formaliter; formaliter enim animat, ſentit, vegetat, intelligit; ergo ſi dat eſſe quantum, & limitatum, hoc erit formaliter, & per propriam inexiſtentiam, quam informat corpus, quod ei repugnat, cum ſit ſpiritualis, vt dictum eſt. Præterea, nulla ſubſtantia continet in ſe virtualiter effectum ſibi repugnantem, neque enim ignis continet in ſe virtutem frigefaciendi, at limitari quantitatem, & extendi ad tantam, & tantam quantitatẽ, repugnat animæ intellectiuæ formaliter, & ſecundum ſubſtantiam, quia ipſa eſt inextenſa, & incorporea, ergo non poteſt eſſe cauſa virtualiter limitationis, & determinationis formæ corporis, tunc enim per ſe limitaret ſeipſam ad tantam quantitatem, & tantam; quod eſt falſum: quia accidit animæ intellectiuæ, quod comprehendatur talibus, & talibus limitibus, cũ ſit penitus immaterialis, & expers quantitatis.

3. ro. Tertiò, non poteſt regulariter idem effectus produci à diuerſis quamtumcumque agentibus, ſed a quocumque agente corrumpatur anima viuens, ſemper tamen remanet idem corpus quod erat; ſiue enim animal gladio, vel morbo pereat, vel ſuffocetur, vel fulmine percutiatur, eſt idem corpus, & eiuſdẽ rationis, quod erat viuens, ergo hoc corpus non poteſt eſſe aliquid de nouo productũ, quia tunc non ſemper eſſet idem ſpecie, ſed diuerſum, ſecundum diuerſitatem agentium, & diuerſo modo agentium; ergo relinquitur, quod corpus animalis habeat eſſe ab alia forma, quàm ab anima viuente: quia ſi ab anima viuente habuiſſet eſſe, tunc illa corrupta defeciſſet: ſed remanet, ergo habebat propriam formam. Sed dicetis, quare non permanet diu ſub illa forma, ſed cito marceſcit? Dico, quod hoc prouenit, quia ordinabatur ad illam formam perfectiorem, à qua recipiebat perfectionem: ideo illa deficiente, & ipſum corpus deficit: non tamen propter hoc ſequitur, quod à ſe non habuerit propriam formam.

Huic argumento reſpondent Iauellus, & Caietanus vbi ſuprà, quod propoſitio Maior non eſt vera, quando effectus eſt via ad deſitionem rei, & ad effectum vilem, vti eſt cadauer; & eo magis non valet: quia omnia iſta agentia inducunt alterationem, qua diſponitur anima ad recedere à corpore; Dicit inſuper Caietanus, quod eſt dubium an cadauer ſit eiuſdem rationis, quod educitur à diuerſis agentibus, poteſt enim dici quò ſic, & quod non. Reſp. 1. 2.

Contra primam reſponſionem arguo. Si illa propoſitio Maior non eſt vera, ergo leo poterit producere culicem, eſt enim effectus vilis, & vulneratio quæcumque inducet dolorem eiuſdem rationis; & denique, quodlibet producere poterit quodlibet vile: quod quam ſit abſurdum, ex ſe patet: quia determinata agentia habent determinatos effectus. Præterea inquit, quod agentia iſta inducunt alterationem eiuſdem rationis; hoc eſt falſum: quia cum morbi ſint diuerſi, & modi agendi ſint diuerſi, etiam alterationes diuerſas ſpecie inducunt: alia eſt enim alteratio, qua per morbum interit animal, & qua gladio. Præterea inquit, quod hic effectus, ſcilicet forma cadaueris, eſt forma media, & via ad deſitionem rei, ergo hæc corruptio animalis non eſt generatio alicuius noui compoſiti per formam de nouo accedentem, vt dicitis, ſed tantùm corruptio, ſi quidem dicitis, quod eſt via ad deſitionem rei. Inſuper, natura tenderet ad deſtructionem in ſuis generationibus, & à perfecto ad imperfectum, quod eſt abſurdum; Cum ergo agentia inducunt mortem animalis, non generant aliquid, ſed ſolum corrumpunt, & ſic cum remaneat corpus cum ſua forma corporeitatis, dicendum eſt illam formam iam in viuente præceſſiſſe, & eſſe eandem quæ prius, non de nouo productam. Contra 1.

Confirmatur modo quod ſit idem numero corpus mortuum quod erat viuẽs, & quod non ſit de nouo genitum, quia anima interit per mortem, quæ eſt caloris vitalis, atque infuſi extinctio: forma verò mixtionis interit per putredinem,

quæ eſt

quæ eſt extinctio caloris elementaris à calore ambiente,ergo per mortem non corrumpitur forma mixti. Et confirmatur: quia mortuo animali, ſuperſunt oſſa, & nerui, ſi propria eorum forma de nouo gignitur, non poteſt aſſignari à quo gignantur: quia per coctionem gignuntur, vt dicitur 4. Meteororum; à quo autem fiat talis coctio in tam breui tempore,nō poteſt aſſignari. Ad hoc reſpondet Gregorius, quod decedente anima, non remanet corpus quod erat prius,ſed fit generatio noua cadaueris; Cum arguitur contra,quia à diuerſis agentibus non poteſt prouenire idem effectus,&c.Reſpondet, quod aliquando verum eſt,non ſemper:nam ſæpe idem effectus prouenit à diuerſis cauſis,vt calefactio eſt ab Igne,& a Sole; quandoque ſunt à diuerſis agentibus diuerſi effectus, & hoc aduenit quoque in cadauere: quia aliquando per vnum humorem,aliquādo per alium, &c. adeo quod nouum eſt cadauer, & diuerſum ab alio quo ad ſubſtantiam: ſed quo ad accidentia remanet idem: ſed hoc ait prouenire,quia accidentia conſequuntur materiam, & cum materia remaneat eadem, accidentia quoque remanent eadem, licet forma recedat. Hæc reſponſio nulla eſt; Contra quam ſic inſurgo.Si accidentia remanent eadem, vt tu concedis, ergo ſubſtantia, & forma ſubſtantialis corporis; probatur Cōſequentia: quia accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum;modo,ſi eadem ſunt in corpore viuo,& mortuo,& parte diuiſa à ſubiecto,ergo migrant, quod quam ſit falſum patet. Secundum,quod dicit,eſt falſum, id eſt, quod accidentia inſequantur materiam,quoniam cum materia de ſe ſemper ſe habeat vno modo, ſic ſemper accidentia in quocumque generato eſſent eadem,quod eſt falſum. Eſt ergo dicēdum, quod conſequuntur formam, & ideo ad mutationem formæ, & ad diuerſitatem eius, ſequitur diuerſitas accidentium: ideò cum ipſa recedit,recedunt etiam accidentia;quod confirmatur:quia accidētia inſequuntur compoſitum,& non materiam ſolum, ideo corrupto ſubiecto,& compoſito,& ipſa corrumpuntur.

Reſp. Greg.

Cōnfutatio.

4. rō. Quartò ſi in compoſito non ſunt plures formæ ſubſtantiales, ergo agens producens animam illam, producit immediatè in materia prima, & ſic anima eſt actus primus materiæ primæ; Conſequēs eſt falſum: quia anima tunc non haberet organum,nec corpus diſpoſitum ad operationes illius, etiam ſuperfluæ eſſent tot mutationes præuiæ ad formas ſubſtantiales,cum per aduētum vltimæ formæ priores recedāt,& fiat reſolutio vſque ad materiam primam,quam immediatè poſtea illa vltima forma informat; Conſequentia patet:quia ſi priores formæ recedunt, manet ſola nuda materia prima.

Quintò, & fortius, ex Ariſtotele 2. de Anima,textu 6. Anima eſt actus corporis Phyſici organici,&c.Ex hoc deduco:Anima eſt perfectio corporis,ergo antequam anima perficiat corpus, iam corpus Phyſicum,& organicum eſt:niſi enim eſſet, nō diceret Philoſophus,quod anima ſit perfectio corporis Phyſici organici, ſed diceret,quod anima effecit corpus Phyſicum, & organicū. Colligitur ergo clarè, quod corpus præcedit animam quo ad eſſe; & hoc etiam concedunt aduerſarij. Confirmatur etiam hoc:quia anima non dat eſſe corpori,ſed dat operationes;vt vegetatiua generare,nutrire,augmentare; ſenſitiua ſentire:& ideo etiam in ſecunda definitione ait: Anima eſt, qua primo nutrimur,ſentimus,intelligimus. Ex quo patet,quod anima non dat corpori eſſe corpus, ſed eſſe animal, & operari opera vitæ: quia ex corpore Phyſico, & organico, & anima, tamquàm ex materia, & forma,fit compoſitum,ſcilicet animal. *5 rō.*

Sextò, Pro hac opinione arguunt Franciſcus Piccolomineus, & Zabarella, in libris ſuis de hac materia; hanc enim ſententiam, vt veram declarant, & probant aduerſus alios.Ariſt.8.Phyſ.tex.28. & 29. dicit animalia ſolum mouere ſeipſa hac ratione; quia diuiduntur in partē per ſe mouentem, & in partem per ſe motam; anima enim eſt mouens inſtar nautę, & corpus inſtar nauis eſt motū: hoc autem dicere de inanimatis non poſſumus: quia ipſa ſolum diuiduntur in materiam primam,& formam: at materia non poteſt dici mouēs,neque per ſe mota;quia quod per ſe mouetur,debet eſſe actu;quod probatur: *6. rō. Picc. & Zab.*

batur: quia Ariſt. in 5. Phyſ. diſtinxit id quod mouetur, ab eo quod generatur; quia, quod mouetur, eſt actu, vt patet de eo quod mouetur de loco ad locum, at quod generatur, non eſt actu, materia autem non eſt actu, ergo non poteſt per ſe moueri. In animalibus igitur cum ſit pars per ſe mouens, quæ eſt anima, & pars per ſe mota, quæ eſt actu, neceſſe eſt, quod hæc pars mota, quæ eſt corpus, habeat formam ſubſtantialem diuerſam ab anima, qua ſit actu, ergo in animali vltrà animam eſt forma ſubſtantialis dans eſſe corpori.

7. rō. Septimò idem accidens quod erat in viuente, ſeruatur in mortuo: nam idem odor, & ſapor ſeruatur in herba demortua, qui erat in viuente, ergo ſignum eſt, quod prouenit ab alia forma, quam ab anima, ſcilicet à forma mixtionis. Reſpōdetur ad hoc, quod non ſunt eadem accidentia, ſed ſimilia. Contra, formæ oppoſitæ, & diuerſæ ſpecie, effectus oppoſitos & diuerſos ſpecie producunt, non ſimiles, & eiuſdem ſpeciei: ſed anima, & forma cadaueris, quam dicunt de nouo produci, eſt oppoſita animæ, & ſpeciei diuerſæ, immò, & generis diuerſi ergo, non poteſt producere eoſdem effectus, quos producit anima ipſa.

8. rō. Vltimò arguit Scotus Theologicè: quia tunc ſequeretur, quòd Corpus Chriſti in ſepulchro, non fuiſſet idem corpus numero, quod erat viuens, quia ſi iam de nouo aduenit alia forma diuerſa numero, & ſpecie à priori, qua erat corpus viuens, non eſt idem numero.

Caie. Reſp. Reſpondet Caietanus, quod Corpus Chriſti in triduo fuit ſimpliciter idem: quia fuit idem ſuppoſitaliter, materialiter, & quo ad eſſe exiſtentiæ actualis, non autem idem formaliter: & quod hoc ſufficit ad verificandas omnes auctoritates ſanctorum, & inquit, quòd nos trepidamus timore, vbi non eſt timor. Sed hoc dimiſſo, quia Theologicum eſt, certe verū eſt, nos trepidare, & libenter captiuamus intellectum noſtrum, vbi lumen ſupernaturale elucefcit: at ipſe non trepidat, vt ſuas opiniones tueatur. Sed ad rem rediens, quomodo Corpus Chriſti poteſt eſſe idem numero in ſepulchro, quod erat viuens? ſi dicamus, quod in morte de nouo generat aliud totum diuerſum, & numero, & ſpecie à priori toto? ſi eſse eſt à forma, & vnicum eſſe ab vnica forma, & à pluribus formis plura eſse, quomodo ſi in Chriſto ſunt duæ formæ diuerſæ numero, & ſpecie: altera, qua eſt viuens corpus; altera, qua eſt cadauer, poteſt eſse Corpus Chriſti idem numero, & quò ad entitatem, & eſſe eſſentiæ, de qua modo loquimur? Dicunt, eſt idem ſuppoſitaliter, hoc eſt dicere, eſt idem numero: at ſi forma non eſt eadem numero, quomodo ſuppoſitum erit idem numero? Dicitis eſt idem materialiter, ſed hoc non ſufficit: quia entitas, & eſsentia Corporis Chriſti non conſtituitur ex ſola materia, ſed ex forma quoque, ideò, ſi forma eſt diuerſa, neceſsario quoque ſuppoſitum eſt diuerſum, eſse autem actualis exiſtentiæ ſecundum aduerſarios, non pertinet ad eſſe eſsentiæ, & entitatem Corporis Chriſti, nos autem loquimur de hac entitate. Præterea, ſi non manet eadem eſsentia, & entitas Corporis Chriſti, neque manere poteſt idem eſſe exiſtentiæ: quia eſſe, & exiſtentia, non diſtinguuntur, vt ſuo loco diximus.

Rationes pro oppoſita ſententia adducuntur. Cap. II.

D. Th. EX altera parte eſt D. Thomas, 1. parte Summæ, q. 76. artic. 3. & 4. vbi ſuſtinet, quod in compoſito non ſint plures formæ ſubſtantiales: & arguit multis rationibus; prima eſt art. 4. Vnius entis eſt vnum eſse, vnum eſse eſt ab vnica forma, ergo vnius entis ſubſtantialis eſt vnica forma. Secunda ratio principalis ibidem in corpore art. 4. eſt. Si in compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, tunc vna adueniret enti completo, & ſic daret eſſe accidentale, & ita non diſtingueretur à forma accidentali, differūt autem, & maximè: quia forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, accidentalis ſecundum quid. Tertiò. In art. 3. Vltrà primam rationem nunc adductam, adducit ſecundam rationem, quam licet ipſe D. Tho. adducat ad probandum quòd in homine eſt tantum vnica forma, tamen Thomiſtæ, vt Caietanus, 1. rō. 2. rō. 3. rō.

ietanus,illam etiam valere dicunt vniuerſaliter cõtra pluralitatem quamcumque formarum in eodem compoſito;& ſumitur ex prædicatione, & eſt hæc. Quæ ſumuntur à diuerſis formis, vel prædicãtur ad inuicem per accidens, vel in ſecundo modo dicendi per ſe, ſi formæ non ſint ſubordinatæ, erit prædicatio accidentalis:vt ſi dicamus album eſt dulce; ſi verò ſint ſubordinatæ, erit prædicatio per ſe, in ſecuudo modo, vt ſi dicamus ſuperficiatum eſt coloratum. Ad propoſitum, ergo ſi in homine ſit vna forma, qua dicatur animal,& alia,qua dicatur homo; vel non erunt ſubordinatæ, & ſic erit prædicatio accidentalis,cum dicimus homo eſt animal;vel erit prædicatio in ſecundo modo dicendi per ſe,vt cum dicimus, homo eſt animal,vtrumque autem eſt falſum: quia animal, per ſe de homine prędicatur,& ſic primum eſt falſum: homo etiã non ponitur in definitione animalis; ſed animal in definitione hominis, ergo eſt in primo modo,non in ſecundo modo.

4.rõ. Quartò, Generatio vnius eſt corruptio alterius, ergo cum aduenit anima intellectiua, corrumpitur illa prima forma corporeitatis prçexiſtens.

5.rõ. Quintò,Ex Henrico de Gandauo, qui in brutis negat formam mixti diſtingui ab anima; ſi ſunt plures formç in eodem ſubiecto, vel educuntur de vna potentia materiæ,vel de pluribus:non de vna,quia vna potentia eſt ad vnam formam ſpecie,ſecundum Comentatorem, ergo omnes iſtę formę eſsent eiuſdem ſpeciei, quod eſt impoſſibile:tunc etiam duę ſpecies, & formæ perficerent vnam potentiam,quod eſt impoſſibile;quia ex Ariſt. potentiæ diſtinguuntur per actus, ergo quot actus,tot potentiæ. Nec poteſt dici,quod ſint plures potentiæ: quia illæ eſſent ſine ordine in materia,& tunc etiam formæ eſsent ſine ordine.

6.rõ. Sextò, Ludouicus Buccaferreus 1. de generatione inquit: Ariſt. definiens generationem ait Generatio eſt mutatio totius in totum,nullo ſenſibili remanente, ergo in generatione dum noua forma aduenit, præcedens corrumpitur, non ergo manent plures formæ ſubſtantiales in eodem compoſito.

Septimò. Caro viua,& caro mortua eſſent vnica,quod eſt abſurdum. Præterea, eſsent duæ formæ completæ, & vltimatæ in compoſito, quod eſt abſurdum: quia eadem caro vltra propriam formam ſubſtantialem,haberet animam, & ſic haberet duas formas vltimatas, & completas. 7.rõ.

Octauò. Arguit Iauellus, Si anima intellectiua aduenit formę corporeitatis mixti, quæ eſt extenſa ſaltem per accidens, anima intellectiua extẽditur, quod patet à ſimili: quia non alia ratione albedo recepta in quanto, eſt quanta per accidens,niſi quia recipitur in quanto: ſed quod anima ſit extenſa per accidens, eſt contra Scotum,& veritatem: quia cõmuniter tenetur,formam extenſam educi de potentia materiæ: anima autem intellectiua non educitur de potentia materiæ. 8.rõ.

Nono particulariter,quod forma corporeitatis ſit ſuperflua in animalibus brutis,quia in his anima ſenſitiua,& vegetatiua dat eſse extenſum, vt patet ex Ariſtotele 2. de Anima, dum loquitur de animalibus annuloſis, & Entomis, inciſis,& Plantis,in quibus dicit animam ſenſitiuam, & vegetatiuam diuidi in partes, ergo in his non eſt multiplicanda forma corporeitatis, cum per ſenſitiuam, & vegetalem fiant,quæcumque fiunt à forma mixti. 9.rõ.

Decimò. Paulus Soncinas; Poſſibile eſt ſecundum Scotum, quod materia ſit actu ſine forma, tunc per diuinam potentiam vniatur materiæ forma leonis, cum quantitate, abſque vlla alia forma, tunc certè compoſitum illud erit animal, ergo etiam eſt corpus, & tamen non habet niſi vnicam formam ſubſtantialem. Conſequentia hæc vltima probatur: quia ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè valet conſequentia; ſi eſt homo, ergo eſt animal,valet,ergo etiam valet ſi eſt animal, eſt corpus. 10.rõ.

Vndecimò. Arguit ibidẽ. Si datur hæc forma corporeitatis in animali, conſtituet genus, dicitur enim tale animal corpus per talem formam corporeitatis; tũc ſic: Omnis forma prior poteſt eſse abſque poſteriori,ſine contradictione: ſed ſic eſt, 11.rõ.

quod

quod genus non poteſt eſſe abſque differentijs ſpecificis, quia nullum eſt genus, quod non ſit in aliqua ſpecie, ergo forma hæc conſtituens genus, non poteſt eſſe abſque alijs formis ſpecificis, ergo non diſtinguitur ab illis.

Iſtarum rationum ſolutio. Cap. III.

VErum ad hanc opinionem reijciendam non eſt opus alijs rationibus, præterquam nunc ſupra adductis, ex illis enim ſatis apertè falſitas eius conijcitur. Reliquum eſt, vt rationes per ea ſoluantur.

Ad 1. Ad primam rationem reſpondet Scotus in 4. diſt. 11. q. 3. B. B. Sed pro intelligentia ſciendum eſt, vt ſuprà diximus, quod in animali licet ſint plures formæ ſubſtantiales, tamen non faciunt plura entia, quia iſtæ ſunt ſubordinatæ, ad vltimum, quæ eſt cæteris perfectior, & quæ dat eſse ſpecificum, & vltimatum compoſito, vt in animali anima, licet enim in cōpoſito animato ſint formæ mixti, & in forma mixti ſint aliæ partiales formæ dantes eſse ſubſtantiale partibus ipſius corporis, tamen omnes iſtæ formæ ordinantur ad formam mixti, & forma mixti ad animam, adeo quod reſpectu materiæ, quam informant ſunt actus; ſed reſpectu formæ ad quam ordinantur, ſe habēt vti materia, adeo quod forma mixti reſpectu animæ intellectiuæ, ſe habet vt materia; & hæc eſt ſententia Ariſtotel. in calce 4. Meteororum, vbi dicit ſolam poſtremam formam eſse abſolutè formam, & actū, intermedias verò eſse materias, & formas ratione nunc dicta; Hoc etiam expoſcit ordo naturæ, neque enim anima poteſt immediatè informare materiam, ſed neceſſariò prærequirit ſaltem prioritate naturæ loquendo de intellectiua corpus organizatum, vt poſſit operari.

Ideo his ſic ſtantibus, ad Primam rationem ita reſpondetur. Vnius entis eſt vnicum eſse completum, & abſolutum, ſed multa poſsunt eſse partialia; ideò cū ſubinfert: ſed vnicum eſse, eſt ab vnica forma, Reſpondeo, quod ſi hæc propoſitio abſolutè ſumatur, & eſse vno modo accipiatur, ſemper eſt falſa: quia vnicum eſse totale, id eſt, vnica entitas totalis, (pro eodem enim apud Scotum eſt eſse, & eſſentia, ſiuè entitas, vt aliàs oſtendimus) eſt à pluribus formis partialibus; Si verò accipiatur difformiter, & cum ſpecificatione, id eſt, vnum eſse partiale eſt ab vnica forma, & vnicum eſse totale, & abſolutū, eſt ab vnica forma totali, & abſoluta, eſt vera: & ideo tunc concedimus, quod in compoſito eſt vnicum eſse completum, & perfectum, & quod eſt ab vnica forma abſoluta, & completa nō tamen propter hoc obſtat, quin in compoſito reperiantur plures formæ ſubſtantiales, quæ vti materia ſe habent reſpectu illius vltimæ formæ, vt dictum eſt. Hoc eodem modo reſpondent huic argumento Franciſcus Piccolomineus, & Iacobus Zabarella.

Caietanus 1. parte Summæ, quæſtione 76. articulo 3. hanc reſponſionem reijcere nititur, & inquit eam tripliciter deficere: ſed quia duo priores modi nihil obſunt reſponſioni, adduco tertium, qui eſt, quod tenemur cęcitate communi, quam tamen in noſtris principijs cogimur fateri, & videre, immò ſemper in ore habemus, nempè, quòd ex duobus in actu, nō fit vnum per ſe, ſed per accidens: ſi ergo in compoſito ſunt plures formæ ſubſtantiales, ſequitur, quod compoſitum animatum non erit vnum per ſe, ſed per accidens. *Caie. impugnat.* Sed hæc obiectio nulla eſt: quia verum eſt, quod ex duobus in actu, non fit vnum per ſe, ſed dicimus, quod in compoſito ſubſtantiali formæ præuię ſe tenēt loco materiæ, non formæ: non enim habent rationem actus, ſed potentiæ reſpectu animæ, vt nunc ex Ariſt. 4. Metaphyſices ſuprà diximus; ex duobus verò in actu per ſe, & non ſubordinatis, verum eſt, quod fit vnū per accidens, non per ſe. *Reſp.*

Ad ſecundum argumentum ex dictis facile reſpondent Piccolomineus, & Zabarella, quod illa propoſitio: Quidquid aduenit enti in actu, facit vnum per accidens, ſiue non dat eſse ſubſtantiale; vera eſt de illo actu, qui eſt actus, & forma vltima, & completa, quę alteri formæ non ſubordinatur: ſed de illo actu, & forma, qui etiam eſt potentia, vt dictum eſt de forma mixti, non eſt vera; & hæc eſt optima ſolutio.

Sed

Sed quoniam ratio D. Thomæ, videtur inniti rationi, & naturæ formę ſubſtantialis, & accidentalis, & facere vim in hoc, quod forma ſubſtantialis dat eſse ſimpliciter, & accidentalis ſecundum quid, ſiue eſse tale.

Reſpõdet Scotus in 4. vbi ſuprà, quod ille terminus, ſimpliciter, poteſt duobus modis accipi; & hæc diſtinctio habetur ex Ariſtotele, in 1. de generatione 12. & inde, vbi arguit contra Antiquos, quod ex non ente ſimpliciter, non poteſt aliquid fieri: quia ex nihilo nihil fit, & quod ideo debet dari materia; Et eadem habetur in 1. Phyſicorum, verſus finem, textu 76. & indè, vbi de eadem re loquitur cõtra Antiquos. Ait ergo Scotus, quòd cum dicimus aliquid eſse ens ſimpliciter, poteſt duobus modis intelligi. Vno modo prout ſimpliciter accipitur pro vniuerſaliter, & tunc ens ſimpliciter, eſt quodcumque ens, quod contradiſtinguitur à non ente, & nihilo; ſimpliciter; non ens ſimpliciter autem eſt, quod vniuerſaliter non eſt ens, & ſic purum non ens, eſt non ens ſimpliciter, & ita huic non enti ſimpliciter, opponitur quodcumque ens, quantumcumque minimam habeat entitatẽ, & ſic tã ſubſtantia, quàm accidens quodcumque dicitur ens ſimpliciter, prout opponitur omninò non enti, & puro nihilo; Alio modo accipitur ens ſimpliciter, prout contradiſtinguitur ab ente ſecundum quid, & tunc ens ſimpliciter, eſt ſubſtantia, & ſecundum quid, eſt accidens, & ſic eſse ſimpliciter, eſt primum eſse naturale, eſse ſecundum quid, eſt ſecundum eſse naturale; natura enim dat prius eſse per ſe ſubſiſtens, & perfectum, quòd dicitur eſse ſubſtantiale: dat deinde alia conſequentia tali ſubſtantiæ, & hæc dici poſſunt eſse ſecundaria naturalia; dat enim prius homini eſse ſubſtantiale, & hoc eſt eſse primum naturale: dat deinde eſse album, & hoc eſt eſse ſecũdum quid, quod eſt eſse ſecundum naturale. Sed ſi quęras, vnde eſt quòd hæc forma dat eſse ſimpliciter, illa ſecundum quid? vnde diſtinguuntur.

Obiectio.

Reſpondet Scotus, & egregiè, quòd vel tu quæris de re in ſe, vel in comparatione ad cognitionem noſtram: in ſe, nulla cauſa aſſignari poteſt, quare illa dat eſſe ſimpliciter, niſi, quia eſt forma ſubſtantialis, hęc verò dat eſse ſecundum quid, quia eſt forma accidentalis; ſicuti non poſsumus reddere rationem; quare ſubſtantia; eſt ſubſtantia, & accidens, eſt accidens: ſi quo ad cognitionem noſtram, dicit, quod Philoſophi diſtinxerunt inter formam ſubſtantialem, & accidentalem à poſteriori, & ſic varias cauſas aſſignauerunt, vtpote per recipere magis, & minus; per habere contrarietates, ſed ſuum medium principalius, & manifeſtius dignoſcendi formam accidentalem à ſubſtantiali, eſt, quod quãdiu proceditur in ſubſtantialibus formis; forma poſterior eſt perfectior: quando proceditur in accidentalibus, poſterior eſt imperfectior; Quando ergo in compoſito forma adueniens eſt perfectior priori, ſignum eſt quòd eſt ſubſtantialis, quando eſt imperfectior, ſignum eſt quod eſt accidentalis; & ſic patet ad formam argumenti, quod videbatur procedere: quaſi hæc opinio Scoti, non diſtingueret inter formam ſubſtantialẽ, & accidentalem: nam hęc opinio non deſtruit hanc diſtinctionem inter formam ſubſtantialem, & accidentalem: ſed illam aſſignat, & ex parte rei, & ex parte noſtra.

Caie. impugnat.

Hanc reſponſionem inquit Caietanus loco ſupra citato, articulo 4. eſse voluntariam: quia Scotus ad placitum exponit terminos, & non ſecundum vſum Philoſophorum: quia apud Philoſophum, ſimpliciter, habet tantum duos ſenſus; Vno modo ſimpliciter idem eſt, quod totaliter; & ſic intelligitur ex non ente ſimpliciter, id eſt totaliter, nihil fit; ſecundo modo, vt idem eſt, quòd nullo addito, & hoc modo accipitur in propoſito; ſubinfert, quod Scotus, & alij huius opinionis, decepti ſunt: quia non diſcernunt in hoc termino ſimpliciter, actum exercitum, ab actu ſignato, cum tamen diſtent, ſicut Cælum à Terra. Exponit autem actum ſignatum, dicens, quod in actu ſignato ponitur ſimpliciter in ipſa re, de qua eſt ſermo, vt cum dicimus: Generatio hominis eſt generatio ſimpliciter, generatio hominis albi, eſt generatio ſecundum quid; In actu verò exercito, ſimpliciter eſt loqui

de ipſa

de ipſa re, de qua eſt ſermo, abſque adiectiuo aliquo: vt in generatione hominis dicimus, homo fit, id eſt, ſimpliciter fit: cum dealbatur verò homo, non dicimus homo fit, ſed dicimus, homo fit albus, id eſt, fit talis. Tunc ait, quòd D. Thomas, & Ariſtot. ponunt diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, penes eſſe ſimpliciter, & ſecundum quid, in actu exercito: & ſic forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, forma verò accidentalis dat eſſe ſecundum quid: & ita procedit ratio D. Thomæ: quia cum forma ſubſtantialis det eſſe ſimpliciter, ſi alia forma aduenit illi, non dabit amplius eſſe ſimpliciter, ſed eſſe tale, id eſt ſecundum quid; & ſic erit accidentalis.

Reſp. Sed quod nihil dicat Caietanus, Primò patet ex dictis, quod Scotus non vtitur ad placitum terminis: ſed ſicut generatio eſt accepta ab Ariſt. 1. de gener. Deinde hoc mirum non eſſe debebat Caietano, cum notum ſit hos terminos ſimpliciter, & ſecundum quid, apud Philoſophos varijs ſignificationibus accipi; Quod autem ait formam ſubſtantialem diſtingui ab accidentali penes ſimpliciter, & ſecundum quid, in actu exercito, ſi quis diceret hos eſſe terminos ad placitum, rectè diceret, ſunt enim confecti a Caietano; Sed his omiſſis, dicimus, vt ſuprà, quod eſſe ſimpliciter in actu exercito, poteſt accipi duobus modis; Vno modo, vt contradiſtinguitur à penitus nihil; tunc dicimus, quòd per hoc nõ diſtinguitur forma ſubſtantialis ab accidentali: quia neque forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter hoc modo. Alio modo poteſt accipi, vt contra diſtinguitur ab ente ſecũdum quid, & ab ente, quod eſt accidens: & ſic concedimus formam ſubſtantialem diſtingui ab accidentali: ſed tunc non valet argumentum, vt prius dicebamus: non enim valet, forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter, ergo forma illi adueniens dat eſſe ſecundum quid, id eſt dat eſſe accidentale: ſed ſi eſt perfectior: dat eſſe ſubſtantiale ſimpliciter perfectius.

Caietanus autem arbitratur, eſſe ſimpliciter in actu exercito, eſſe id, quod contradiſtinguitur ab omnino non ente; & vult, quòd forma ſubſtantialis det tale eſſe ſimpliciter, quod contradiſtinguitur ab omnino non ente: hoc enim eſt totaliter dare eſſe, & nullo addito, vt exponit ipſe, ſimpliciter; ſed hoc eſt falſum: quia forma ſubſtantialis non dat eſſe totaliter, & nullo addito: ſed prærequiritur materia, cum qua ſimul dat eſſe compoſito: non ergo forma ſubſtantialis dat eſſe totaliter, & nullo addito: ſed dat ex parte; immò dat tale eſſe, ſicuti accidẽtalis quoque dat tale eſſe; & ita apparet, quòd forma ſubſtantialis non diſtinguitur ab accidentali, per dare eſſe totaliter, & nullo addito: quia non dat tale eſſe, ſed potius conuenit cum forma accidentali, quia vtraque dat eſſe tale; oportet ergo confugere ad aliam differentiam.

Ad tertium reſpondet Scotus, quod ſi reſpiciamus vim prædicationis, videtur prima facie haberi ſolum, quod prædicatum acceptum à forma priori, non dicitur per ſe de eo, quod ſumitur à forma poſteriori, quòd conceditur; Ratio huius eſt: quia iſtarum formarum vna, non includit aliam, quod requiritur ad prædicationem per ſe; Tamen ad argumentum reſpondet, negando Maiorem quo ad ſecundum membrum, ſcilicet, quòd prædicata, quæ ſumuntur à diuerſis formis, etiã ſi ſint ſubordinatæ, cum prædicantur ad inuicem, fiat prædicatio per ſe, in ſecundo modo, quoniam prædicatio iſta erit ſemper prædicatio accidentalis, & nõ per ſe, vt eſt hæc: homo eſt albus; ſuperficies eſt colorata; & animal eſt rationale; &c. Et ratio huius eſt: quia in propoſitionibus per ſe, requiritur, quod vnum includatur per ſe in alio: at quando accipitur vnum prædicatum præciſè, à forma priori, vt à Genere, & aliud præciſè à forma poſteriori, vt à Differentia conſtituente ſpeciem, neutrum includit alterum per ſe; & ideo cum prædicantur ad inuicem, nunquam eſt prædicatio per ſe: vt ſi dicã, animal eſt rationale, non eſt per ſe, neque rationale eſt animal, eſt per ſe, & tamen iſtæ duę formę ſunt ſubordinatę, vt patet, & cum dicitur hęc eſt per ſe, homo eſt animal.

Reſpondet Scotus, quod ideo valet: quia homo non importat ſolum differentiam ſpecificam: ſed vltrà eam, includit etiam ra-

etiam rationem generis:ideo cnm animal includatur in homine,tamquam genus in ſpecie,prædicatio illa eſt per ſe: homo eſt animal,in primo modo,ſed iſta:Rationale eſt animal, vel animal eſt rationale, in nullo modo per ſe clauditur, quia neutra includit aliam.Cum dicebatur,quod hæc eſt per ſe in ſecundo modo,corpus ſuperficiatum eſt coloratum: nego conſequentiam:ſed erit prædicatio accidētalis, quia nulla forma intrinſecè clauditur in alia, & ſic prædicata ſumpta præcisè ab his formis, ſi prædicantur ad inuicem, erit prædicatio accidentalis.

...aie. ...p. Caietanus vbi ſupra artic. 3. ait Scotū diſſimulare vim rationis D.Thomæ, quæ tamen eſt conſpicua: & oſtendit, quod hæc propoſitio: Homo eſt animal,ſtante, quod ſint duæ formæ diuerſæ, animalis, & hominis, erit vel prædicatio per accidens,vel in ſecundo modo dicendi per ſe: at ex dictis patet, Caietanum non percepiſſe Scotum,hoc enim dixit Scotus reſpiciendo vim prædicationis ſuper quam fundabatur ratio D.Thomæ,vt ſupra diximus,ſoluendo eam:deinde ad rationem D.Thomę reſpondet,negando Maiorem, vt diximus. Sed probat Caietanus contra reſponſionem Scoti, quòd illa propoſitio Maior eſt vera quo ad ſecundum membrum quoque, quando prædicatum, & ſubiectum ſumuntur à diuerſis formis præcisè: quia iſta eſt vera per ſe: terra eſt grauis, & ignis eſt calidus,& tamen ſubiectum,vt terra, ſumitur ab vna forma, ſcilicet a forma ſubſtantiali terræ, grauis vero ſumitur à grauitate,quæ eſt accidentalis forma.Idem de igne,& caliditate dicendum.Ecce ergo,quod etiam prædicata,& ſubiecta quando ſumuntur à diuerſis formis præcisè,ſi prædicantur ad inuicem, faciunt propoſitionem per ſe. Sed hæc probatio eſt nulla; & exemplum hoc non eſt ad propoſitum: quia terra,& grauitas,non ſunt duæ formæ diſtinctæ, dantes eſſe alicui rei: ſed grauitas eſt propria paſſio terræ,& ineſt terræ, ſiue clauditur in terra,tamquam in proprio ſubiecto, & ideo talis propoſitio, & ſimiles,vt illa: Ignis eſt calidus, ſunt in ſecundo modo dicendi per ſe;ſicuti iſta:Homo eſt riſibilis, at quando formę ſunt diſtinctæ, & vna non eſt de conceptu per ſe, alterius,vt eſt illa: Rationale eſt animal, dico,quod nūquam eſt prædicatio per ſe, ſed per accidens.

...eſp.

Ex dictis ibidem à Caietano poteſt formari alia ratio talis; Nos dicimus, quod hæc propoſitio:Homo eſt animal, eſt per ſe: quia homo includit in ſe animal; at hoc de facto eſt verum: quia in homine eſt vnica forma continens ſpecificum, & genericum:at data Hypotheſi, & quod in homine eſſent duæ formæ, altera qua eſt homo,& altera,qua eſt animal, tunc homo aut ſignificaret formam ſpecificam ſolam per modum totius, non per modum partis, & differentia formā ſpecificam,quæ determinat,& dat eſſe formaliter,& habet rationem partis, quod non eſt dicendum; vel ſignificaret habens vtramque formam, genericam, & ſpecificam;& tunc optimè ſequitur,quod homo non eſſet verè id, quod eſt animal,niſi vel ratione partis, & hoc repugnat prædicationi per ſe primi modi: vel eſſet idem, quod animal per accidens,quod etiam repugnat prædicationi directæ per ſe primi modi, quia prædicatum nullo modo debet eſſe per accidens. *Alia rō ad uerſ.*

Ad hoc reſpondetur breuiter, quod homo ſignificaret habens vtramque formā, genericam,& ſpecificam,ſicuti modo animal ſignificat habens animam, & formā corporis,cum dicitur, quod tunc homo non eſſet verè id,quod eſt animal, niſi ratione partis.dico,quod hoc eſt verum:neque enim homo dicit ſolum animal, ſed animal rationale,& ſic eſt animal ratione partis:quia animal eſt pars eius; Neque contradicit prædicationi directę primi modi,quia in illa prædicatum, vel dicit totam eſſentiam ſubiecti, vt cum definitio prædicatur de definito; vel dicit partem, vt cum pars definitionis prædicatur de definito, vt contingit in propoſito, & ita homo eſt animal, eſt in primo modo dicendi per ſe:quia animal, quod eſt prædicatum, clauditur in homine, vt pars in ſuo toto; Quæ omnia declarata ſunt in declaratione illorum modorum per ſe. *Solutio.*

Ad quartum reſpondetur, vt dictum eſt in declaratione huius propoſitionis: quòd generatio vnius totius,eſt corruptio alterius, *Ad 4.*

alterius, totius corrumpitur enim forma ſpecifica, vt anima, & ſic corrumpitur illud totum, & aliud totum per aliam formam, quę remanet, dat aliud eſſe ſpecificum quia eſt diuerſæ ſpeciei à priori corrupta.

Ad5. Ad quintum reſpondetur, quod in materia eſt duplex potentia; Vniuerſalis, & particularis, educuntur omnes formę de eadem potentia vniuerſali, non de eadem particulari: Auerroes autem loquitur de potentia particulari; ſimiliter, eadem particularis non poteſt perfici à pluribus formis: ſed vniuerſalis non eſt inconueniens; Et quod dicitur quod potentię diſtinguũtur per actus, intelligitur ſimiliter de potentijs particularibus; Auctoritas illa non fit ad propoſitum: quia Ariſt. loquitur ibi de potentijs animę, quæ ſunt facultates: non de potentia, quæ eſt idem cum priuatione realiter.

Loq. autẽ de potẽtijs. Vel dic, vt Scotus ibi quod educuntur ex diuerſis potentijs materiæ, quæ ibi ſunt cum ordine, quia ordinantur prius ad vnã, quam ad aliam, vt ad formam mixti, quam ad animam.

Ad6. Ad ſextum reſpondetur, quod totum in illa definitione accipitur coniunctim, non diſiunctim, adeo quod totum corrũpitur, & fit aliud totum per aliam formã vltimam, & completiuam, non tamen quælibet pars corrumpitur, vt dictum eſt: nullum autem ſenſibile remanet quod pertineat ad formam, quæ corrumpitur vt infrà cap. vltimo dicetur.

Ad7. Ad ſeptimum dico, quod caro viua, & mortua, eſt vniuoca: ſed non dicitur quãdoque vniuoca, quia caro viua, vltrà propriam formam mixti, habet animam, à qua perficitur magis, & ad quam ordinatur vt eius organum, & inſtrumentum, ideo corrupta anima, ipſa quoque perit, neque diu permanet; quod obijcit: quia tunc in carne eſſent duæ formæ completæ. Hoc negatur: dictum eſt enim quod prior forma ſe habet reſpectu poſterioris veluti materia.

Ad8. Ad octauum dicitur, quòd concluderet, ſi anima intellectiua eſſet extenſa per ſe: forma enim extenſa per ſe, educitur de potentia materiæ; immò hoc concludit contra eos: quia cum ipſi non ponant formam corporeitatis diuerſam ab intellectiua, intellectiua dabit eſſe per ſe extenſum, (oportet enim quod corpus aliqua forma formaliter habeat eſſe extenſum,) & ſic per ſe erit extenſa, & communiter educta de potentia materiæ.

Ad nonum dico, quod Ariſtoteles ait animam vegetalem eſſe materialem, diuiduam, & extenſam: non tamen ait, quod det corpori eſſe extenſum: ſed dat operari opera vitæ; & ſic de ſenſitiua, non tamen ſunt ita materiales, & extenſæ, quod poſſint dare eſſe corporeum, vt alibi dicam: anima enim, etiam vegetatiua, eſt tota, in toto, & tota, in qualibet parte: quod non eſt verum de forma mixti, non enim tota forma mixti eſt in capite, ſed pars, in parte, & ideò, licet anima vegetalis ſit diuidua, & extenſa ad extenſionem corporis, non tamen ipſa poteſt dare eſſe corporeum: quia tunc pars daret eſſe parti vni, & alia pars alij parti: at anima eſt tota in qualibet parte, & tota dat eſſe vni parti, & tota toto. Ad9.

Ad decimum Reſpondetur, negando vltimam conſequentiam. Ad probationem dico, quòd ideo vniuerſaliter valet conſequentia ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè: quia ſecundum curſum ordinarium naturæ, minus vniuerſalia præſupponunt magis vniuerſalia, & anima præſupponit formam corporeitatis in animali: at per te, in hoc caſu variatur hic ordo naturæ, & ideo non valet conſequentia. Eſt etiam caſus hic impoſſibilis, & includit repugnantiam: quia anima eſt actus corporis Phyſici; & ideo niſi corpus prius ſit Phyſicum, & organicum, anima non poteſt illud informare; vnde Deus non poteſt facere, quod lapis exiſtens lapis, informetur anima, & generet, quia ad generationem requiruntur organa debita, quæ non eſſent in lapide, & in materia prima, ſine forma corporeitatis. Ad 10.

Ad vndecimum Reſpondetur, quod hæc ratio non concludit contra nos, ſed contra Iandunum: quia non ſuſtinemus quodlibet genus conſtitui à propria forma: ſed aliqua; & ita reſpondetur, quod aliud eſt loqui de genere, quod eſt conceptus abſtractus, & communis pluribus ſpeciebus, & aliud loqui de hac forma particu- Ad 11.

particulari, quæ eſt in hoc compoſito, per quam comprehenditur ſub tali genere; verum eſt, quòd genus non poteſt eſſe ſine ſuis ſpeciebus, & differentijs: ſed hęc forma particularis, per quam comprehenditur ſub genere, poteſt eſſe abſque alijs formis illi adiunctis: quia non clauditur in illis, vti genus in ſpeciebus: ſępè enim euenit, quòd genus abſtrahatur à formis prioribus, & alijs pręcedentibus, & tunc genus poteſt eſſe ſine ſpeciebus ſubſequẽtibus, vt euenit in propoſito: nam hoc genus corpus, abſtrahitur à formis particularibus corporeis, & tales poſſunt eſſe ſine formis ſubſequentibus quæ dant illi corpori aliud eſſe ſpecificum: ſed quando genus ſumitur à realitatibus, realitas, à qua ſumitur genus, non poteſt manere abſque ſuis ſpeciebus: quia includitur in illis vt realitas, & pars earum.

De numero formarum ſubſtantialium in eodem compoſito, explicantur variæ opiniones, & reijciuntur; & ponitur opinio Scoti, & defenditur Cap. I V.

Iãdunus. OStenſum eſt plures eſſe formas ſubſtantiales in compoſito: de numero verò earum ſunt variæ opiniones. Iandunus 1. de Anima, q. 8. & 2. Metaph. q. 10. tenet in compoſito eſſe tot formas ſubſtãtiales, quot ſunt prædicata quidditatiua, & eſſentialia in primo modo dicendi per ſe, & ſic in homine vult aliam eſſe formã, qua eſt homo, aliam qua eſt animal, aliam, qua eſt corpus, &c. & pro ſe habet multas rationes.

1. rõ Primò. Philoſophus 7. Metaph. cap. de definitione, ait, quod definitio eſt ſermo habens partes, & quod partibus definitionis reſpondẽt partes rei, ergo alia eſt pars à qua homo eſt homo, & alia, à qua homo eſt animal.

2. rõ. Secundò. Philoſoph. 2. Metaph. volens probare, quod non datur proceſſus in infinitũ in cauſis formalibus, probat nõ eſſe proceſſum in prædicatis in quid, ergo vult, quod ſecundum diuerſitatem taliũ prædicatorum, ſint diſtinctæ formæ in eodem indiuiduo.

3. rõ. Tertiò. Idẽ nõ poteſt eſſe ſimile, & diſſimile alicui ſecundum eandem formã: ſed homo ſecundum quòd animal, eſt ſimilis equo, & ſecundum quod homo, eſt ei diſſimilis, ergo non eſt eadem forma, qua eſt animal, & qua eſt homo.

Quartò. Diuerſa quod quid eſt, ſunt diuerſæ formæ, quia quod quid eſt forma: ſed in quolibet exiſtente in genere ſunt diuerſa quod quid eſt, ergo diuerſæ formæ. Maior eſt euidens; Minor probatur: quia diuerſa obiecta intellectus, ſunt diuerſa quod quid eſt: ſed genus, & differẽtia ſunt diuerſa obiecta intellectus: quia vnum poteſt intelligi ſine alio, ergo ſunt diuerſa quod quid eſt, & communiter diuerſæ formæ. 4. rõ.

Quintò, Arguit ipſe Iãdunus ſic. Sequeretur tunc, quod riſibile ineſſet omnibus animalibus brutis; Conſequentia probatur: quia riſibile ineſt homini per formã hominis, ergo ſi eadem eſt forma, qua homo eſt homo, & qua eſt animal; riſibile inerit homini ſecũdum quod eſt animal: ſed quod ineſt animali ſecundum quod animal, ineſt omnibus animalibus, ergo riſibile ineſſet omnibus animalibus. 5. rõ.

Sextò. Conceptus animalis eſt diuerſus à conceptu hominis, ſecundum omnes; vel ergo ſumuntur à diuerſis formis, vel a diuerſis modis eſſendi: ſi primum, habetur intentum; ſecundum autem dici non poteſt: quia quo ad modos eſsendi differt animal à ſeipſo: alius enim eſt modus eſſendi animalis, vt animal, & alius eſt modus eſsendi animalis, vt ſentiens. 6. rõ.

Septimò. Illæ formæ ſunt diuerſæ realiter, quarum materia recipit vnum mediãte alia: ſed materia prima recipit prius formas vniuerſales: deinde minus vniuerſales, mediantibus vniuerſalibus, ex Comentatore 1. Metaph. textu 17. ergo. 7. rõ.

Verum hęc opinio non eſt admmittenda; licet enim quandoque diuerſa prædicata ſumantur à diuerſis formis, non tamen hoc ſemper verum eſt: quia ſępè ſumuntur diuerſa prædicata à diuerſis realitatibus, & gradibus formæ eiuſdem; quod probatur: quia ſi quodlibet prædicatum ſumeretur à propria forma, ſequeretur, quòd ignis eſset corpus valdè compoſitum, quia eſt ignis, eſt corpus, eſt inanimatus, eſt ſubſtãtia, &c. & tamen ab Ariſtotele appellatur corpus ſimplex. Similiter Reijcitur.

 liter

liter albedo nō eſſet forma ſimplex, quia eſt qualitas: eſt qualitas patibilis, eſt color, eſt accidens, ergo eſset valdè complexa; Idem de quattuor primis qualitatibus eſset dicendum: quę omnia ſunt abſurda. Alias rationes habes apud Thomiſtas in Metaphyſica, & apud Piccolomineum libro de Multitudine formarum in eodem compoſito, cap. 3.

Ad 1. Ad rationes in oppoſitum facilè reſpōdetur, quòd partibus definitionis reſpondent aliquando formæ diuerſæ; aliquando realitates diuerſę; vt declarat rectè Antonius Andræas, 7. Metaph. q. 14. & ago aliàs declarabo.

Ad 2. Ad ſecundum Reſpondetur, quod ibi arguit Ariſtoteles à maiori ad minus, & probat, quod ſi non datur proceſſus in infinitum in prædicatis quidditatiuis per ſe, quæ ſunt plura, multo minus dabitur proceſsus in infinitum in formis, quæ ſunt pauciores.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd homo differt ab equo, quia habet formam alterius ſpeciei ab anima equi: non tamen ſequitur, quòd in homine præter animam intellectiuam, ſit alia forma, qua ſit animal: quia anima intellectiua claudit in ſe virtualiter vegetatiuam, & ſenſitiuam, & ſic per eandem animam eſt animal, & homo, vt alias dicam in Theoremate an in homine ſint tres animæ.

Ad 4. Ad quartum ſimiliter patet, quod non omne quod quid eſt, eſt forma, ſed ſæpè eſt tantum realitas: quia de realitatibus formæ aſſignatur quoque quod quid eſt, & definitio.

Ad 5. Ad quintum, per idem patet, quia riſibile ineſt homini per formam, qua eſt homo, quæ tamen eadem eſt cum forma, qua eſt animal, quia continet eam virtualiter: neque tamen valet conſequentia, quod riſibilitas inſit alijs animalibus, quia animalia reliqua habent animam alterius ſpeciei, cui non competit riſibilitas.

Ad 6. Ad ſextum concedo, quòd ſunt diuerſi, & quòd ſumuntur quandoque à diuerſis formis, quandoque à diuerſis realitatib.

Ad 7. Ad ſeptimum concedo, quando in cōpoſito ſunt plures formæ, quòd vniuerſalior prius recipitur, quàm minus vniuerſalis, nego tamen, quod cuilibet prædicato eſſentiali reſpondeat propria forma, & quod quodlibet genus deſumatur à forma, ſæpe enim deſumitur à realitate, vt dictum eſt, vt color, in albedine, &c.

Eſt alia opinio Zabarellæ, & aliorum: *Opin. Zab.* qui dicunt in homine eſſe quattuor eſt formas ſubſtantiales, ſcilicet formam mixti, quæ reſultat ex multitudine formarum particularium mixti; ſecundo, animam vegetalem; tertio, animam ſentientem; quarto animam intellectiuam; volunt enim quod in homine iſtæ tres animę ſint realiter, & eſsentialiter diſtinctę; Sed de hac re habebimus propriā diſputationem, dum de rebus Animaſticis loquemur. *The. 72.* Alij vt Franciſcus Piccolomineus, *Opin. Picc.* ſecundum Ariſtotelem ponunt in homine tres formas, ſcilicet formam mixti; ſecundò animam, quę organis vtitur, vt ſenſitiuam, & vegetatiuam; tertia eſt intellectiua, quę extrinſecus aduenit, quę ab eo appellatur mens; Sed de hac re quoque loquemur in proprio loco, vbi oſtendam, quòd intellectus, & mens, eſt forma informans, & multiplicatur ad multiplicationem indiuiduorū; & quòd non diſtinguitur à vegetatiua, neque à ſenſitiua in homine, ſed illas in ſe virtualiter claudit. *The. 70. 72.* Vltimo loco eſt difficultas de partibus organicis, an in vnaquaque parte organica corporis, ſit vna forma diſtincta ſubſtantialis diuerſa ab alijs formis; *Diſp. de formis partium organicarū.* Quo ad hanc opinionem Thomiſtæ ſuſtinent partem negatiuam: arbitrantur enim, nullo modo formas multiplicari in aliquo compoſito. *Tho.* Alij verò vt Piccolomineus, & Zabarella, licet non faciant proprias diſputationes de hac re: tamen vt colligitur ex varijs eorum dictis tenent partem affirmatiuam.

Scot. Scotus de hac re videtur Problematicus, nam in tertio Sententiarum, diſtinctione quarta, in principio corporis quęſtionis; & in eodem libro diſtinctione 2. quæſtione 3. in corpore videtur Problematicus, in 4. etiam, vbi probat dari multitudinem formarum in eodem compoſito; videtur ſe reſtringere ad formam mixti tantùm, & animam; An verò forma corporis mixti conſtet ex pluribus formis particularibus ſpecie, & numero

diſtin-

diſtinctis,non loquitur; attamen,ego puto ipſum ſenſiſse partes organicas corporis habere varias formas ſpecie diſtinctas; huic enim parti magis accedere videtur Antonius Andræas, 7. Metaphyſices q.17.ſuſtinet quoque partem affirmatiuam:& re vera hæc eſt rationabilior. Et probatur ab Antonio Andreæ Primò ſic; Aliqua pars corporis animalis poteſt ſeparari ab animali,vt os,vel pes,& tunc illa pars manet, & tamen non manet in eſſe, neque habet entitatem ſuam à forma totius animalis: neque etiam generatur de nouo, vt ſenſu videmus, etiam in tam breui tempore inciſionis,nō videtur quomodo poſſit de nouo generari.

Ant. And. 1. rō.

Huic rationi Reſpondent Thomiſtæ, & aſſertores opinionis oppoſitæ, quod os illud habet eſſe per formam de nouo genitam. Ad improbationem huius dicunt: quod quantumcumque paruo tempore fiat illa inciſio,tamen fit alteratione,quæ vt præuia, ſufficit pro generatione nouæ formæ in parte inciſa, & Confirmatur: quia illa forma eſt forma cadaueris,quæ eſt vilis, & eſt via ad reſolutionem in elementa, ad cuius generationem, nec multum temporis, nec multæ diſpoſitiones requiruntur.

Tho. Reſp.

Sed hæc reſponſio ſuperius eſt confutata in primò capite: licet enim ſit vilis illa forma cadaueris, eſt tamen ſubſtantialis,& eſt habita per generationem per vos: at ſcimus,quod generatio prærequirit varias diſpoſitiones, & maximè generatio oſſis,prærequirit concoctionem humoris,quæ alterationes,neque vna hora, neque vno die perficiuntur, vt videmus in ordinaria generatione oſſis, ergo eſt impoſſibile, quod in tam breui tempore cum inciditur pes,vel manus, quod tempus eſt vix perceptibile,fiat generatio nouæ formæ,quæ requirit tam longam alterationem. Præterea, in membro abſciſo a corpore animalis, vt eſt pes, adeſt caro,& os,& neruus,quæ habent varia temperamenta, communiter requirunt varias diſpoſitiones: & tamē omnes eodem tempore generarentur, quod videtur abſurdum.

2. rō.

Secundò. Vna forma mixti nō videtur poſſe informare materiam diſpoſitam cō trarijs, & repugnantibus mixtionibus: ſed in corpore animalis ſunt tales mixtiones,ex 1.de Anima,quia cerebrum eſt frigidum,& cor calidum,&c.

Reſp.

Huic rationi reſpondent,quod duplex eſt forma; Vna quę eſt vnica eſsentia, & virtute: Alia,quæ eſt vnica eſsentia, ſed multiplex virtute: vera eſt Maior de forma primo modo,non ſecundo modo;Ratio autem currit de forma primo modo accepta: vnde ipſi volunt, quod forma mixti animati,æquipolleat in virtute formis quattuor elementorum.

Reijcitur.

Sed hæc reſponſio ſupra etiam 1.capite eſt excluſa: quia forma,qua corpus eſt corpus, eſt forma informans, & dat eſse informando, non dat eſse virtualiter, vti Sol virtualiter producit ranam; vnde forma quæ dat eſse mixto, nōn dat illi eſse virtualiter,ſed formaliter quoque: habet enim entitatem mixtam per formam informantem,ergo non ſufficit,quod æquipolleat anima in virtute formis elementorum: ſed opus eſt,quòd formaliter det eſse tale mixto, non tantum virtualiter, vt Sol dat eſse ranæ;anima autem non eſt talis,vel talis mixtionis,uel temperamenti: quia eſt forma ſimplex,ergo anima nō eſt forma illa dans eſse tale,uel tale,parti organicę mixtæ.

3. rō.

Tertio ex Ariſtotele in libro de Anima libus: Cor prius tempore generatur, quàm alię partes animalis, & hoc modo etiam poſsumus aſsignare multas mutationes completas, quarum una pręcedit aliam: ſed iſtę mutationes terminantur ad formam ſubſtantialem,ergo in corpore animalis ſunt plures formę ſubſtantiales.

Reſpōſio.

Hic reſpondet,quod Ariſt. ibi per generationem cordis intelligit ſolùm figurationem eius; non tamen eſt uerè, & eſsentialiter Cor,niſi in eo inſtanti,in quo introducitur anima, quæ informat totum,& ſingulas partes.

Reijcitur.

Contra, Tunc mutatio illa eſset mutatio accidentalis, non ſubſtantialis: & communiter, in mixti mutatione non eſsent plures mutationes ſubſtantiales, quòd tamen eſt contra ſenſum. Pręterea,tunc prius inhęreret accidens Cordi,ſcilicet illa figuratio,quam forma ſubſtantialis, & remaneret poſt aduentum formę ſubſtantialis, quorum vtrum-

vtrumque eſt contra ipſos, quia forma ſubſtantialis eſt, quę primo dat eſse contra Auerroem de Dimenſionibus interminatis; & accidentia quæ requiruntur pro diſpoſitionibus ad formam ſubſtantialem non manent adueniente forma ſubſtantiali. Pręterea, illa figuratio eſt terminatio quantitatis, vt patet: ſed hęc terminatio fit à forma ſubſtantiali, ſecundũ omnes, & ſecundum Thomiſtas ſubſequitur ad formam ſubſtantialem contra Auerroem in materia de dimenſionibus interminatis; ergo opus eſt, quòd antequam Cor figuretur, habeat propriam formam ſubſtantialem.

Contra Scot. Contra ſententiam Scoti ſunt omnes rationes ſuperius adductæ contra pluralitatem formarum in eodem compoſito, quę etiam ſolutę ſunt.

Soncinas. Sed pręter eos arguit Paulus Soncinas 8. Metaphyſ. q. 10. & 1. probat quod forma carnis eſt anima; & communiter idẽ erit dicendum de alijs.

1. rõ. Primò arguit ſic. Anima eſt terminus nutritionis; ſed terminus nutritionis per ſe, primo eſt forma carnis, ergo anima eſt forma carnis. Prima propoſitio probatur: quia nutriri conuenit tantum viuentibus, vt dicitnr 2. de Anima, ergo eis competit per animam, ergo anima eſt terminus nutritionis.

Soluitur. Hęc ratio ab ipſo ſatis confuſa fit; ſed ſolum concludit, quod anima eſt cauſa efficiens nutritionis, non terminus: & hoc eſt quod dicit Ariſtotel. in 2. de Anima, & hoc nos concedimus: ſed non ſequitur, quòd anima ſit terminus nutritionis: ſed caro, & os, & formæ particulares eorum; neque enim anima nutritur, vel augetur, ſed caro, & corpus per animam, & ideo ſolum animata nutriuntur.

2. rõ. Secundò. Caro eſt caro per animam: quia quidquid eſt in animali genitum ex ſemine, illud totum eſt tale per animam: ſed caro eſt generata in animali per virtutem ſeminis, ergo. Reſpondetur, quod hæc ratio concludit animam eſſe principium effectiuum corporis, & carnis, quod concedo: non autem ſequitur, quod anima ſit forma carnis, vt eſt pars organica corporis. *Soluitur.*

3. rõ. Tertiò. Si diuerſæ complexiones requirunt diuerſas formas ſubſtantiales, ſequitur quod diuerſæ potentiæ animæ requirunt in ſuis ſubſtantijs diuerſas animas: ſed hoc conſequens eſt falſum, ergo. Probatur Conſequentia: quia quæ ſunt magis intima, magis diſtinguuntur, ſed in animali ſunt magis intimæ potentiæ animæ, quam diuerſæ qualitates elementares, & complexiones, ergo ſi in animali diuerſæ complexiones requirunt diuerſas formas, multo magis hoc requirunt diuerſæ potentiæ animæ.

Ad hoc argumentum nego Conſequentiam. Ad probationem negatur Maior: concedo quidem, quod diſtinctio, quæ eſt per intimiora, ſit maior diſtinctione quæ non eſt per intimiora: ſed nego, quod potentiæ animæ diſtinguantur per intimiora, quam diuerſæ complexiones: diſtinguuntur enim formaliter tantum; ſed complexiones diſtinguuntur & realiter, & formaliter, & ideo diſtinguuntur per intimiora; quod autem non ponimus plures animas ſentientes licet videamus plura organa, & diuerſas operationes, euenit, quia non cogimur; nulla enim ſequitur contradictio, quod illi plures effectus prodire poſſunt ab eadem forma, quando habet illa organa diuerſa abſque contradictione; at dare eſſe formale tale, & tale mixto, videmus, quod non poteſt prodire ab eadem forma mixti; ſimiliter eadem pars mixti eſſet, & non eſſet, vt diximus in Prima ratione: quia eſſet, & tamen eſſet ſine propria forma, quod eſt impoſſibile. *Soluitur.*

Quartò. Si diuidatur animal annuloſum, conſtat, quòd partes diuiſę ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen cauda, & caput habent diuerſas complexiones. 4.

Reſpondeo. Quòd partes illæ habent animam eiuſdem ſpeciei, ſed per ſe non ſunt partes eiuſdem ſpeciei, ſed diuerſæ ſpecie, propter diuerſas formas mixti ſpecificas dantes illis eſſe. *Solu*

Quintò. Manus mortua non eſt manus niſi æquiuocè; ergo manus mortua non eſt manus per propriam formam, quia tunc eſſet manus vniuocè viua, & mortua, ergo ſignum eſt quod eſt manus ſolum per animam. Antecedens eſt Ariſt. in 7. Metaphyſices. 5.

Reſpon-

Reſpondet Antonius Andræas, quod manus duobus modis poteſt conſiderari; Vel ut manus velut organum officioſum, ſiue vt organum animæ. Secundo modo eſt manus æquiuocè, id eſt, inſtrumentum æquiuocè, quia non amplius inſeruit animæ; ſed primo modo eſt manus vniuocè, per hoc patet ad obiectionem Iauelli contra hoc, quod non ſtat ratio organi, licet maneat ratio ſubſtantialis manus.

Denique eſt alia opinio Auerroiſtarũ, quæ ponit in compoſito vltrà animam, & formam mixti formas elementorum in mixto: ſed hæc opinio iam ſuprà eſt confutata in materia de mixtione.

Eſt ergo dicendum, in quolibet animato compoſito eſſe vnicam animam, deinde formam mixti generalem, quæ dicitur forma corporis reſultans ex alijs formis mixti partialibus corporis. Sed contra, quia tunc animal non erit vnum numero.

Reſpondetur, quòd licet animal habeat plures formas, non propter hoc ſequitur, quòd non ſit vnum: ſed ſequitur, quod non eſt ſimplex: vnde compoſitum eſt verius vnum in genere, id eſt, perfectius vnum, ſed non indiuiſibilius vnum, & ideo ſufficit, quod partes iſtæ organicæ ſint in eadem materia ordinatæ ad formam mixti, reſpectu cuius ſunt partes integrales; vnde videmus corpus animalis eſſe congeriem quandam membrorum, & partium homogenearum, & heterogenearum; vniuntur ergo ſimul per formã vltimam mixti; aceruus autem lapidum nullam vnam formam communem habet, quæ faciat illos lapides vnum compoſitum numero. Alia argumenta habes apud Antonium Andræam, & eorum ſolutiones, vide eum; Quæ autem dicit Sueſſanus aduerſus hanc poſitionem ex dictis hic, & ſuprà facile reijci poſſunt.

An idem accidẽs numero, quod erat in corrupto permaneat in genito. Aliorum ſententiæ expenduntur, & reijciuntur, & opinio Scoti comprobatur. Cap. V.

AD perfectam cognitionem pluralitatis formarum in eodẽ ſubiecto, oportet videre, nunquid idem accidens numero, quod fuit in corrupto remaneat in genito: hoc enim erat vnum ex præcipuis fundamentis, quibus nitimur probare, quod forma mixti eſt forma diuerſa ab anima. In hac re duæ ſunt extremæ opiniones.

Aliqui dixerunt, quòd idem numero accidens, quod fuit in corrupto non poteſt manere in genito, quia ſi hoc eſſet verum, alterum horum duorum abſurdorum accideret; Vel enim accidens idem numero migrabit de ſubiecto in ſubiectum; Vel dicendum eſt, quòd omnia accidentia primò, & immediatè inhærent materiæ primæ.

Conſequentia probatur: quia ſi ſubiectum accidentis ſtatuitur compoſitum, cum corrumpitur compoſitum, corrumpitur ſubiectum accidentis, ſi ergo remanet accidens in alio compoſito, quòd de nouo generatur, patet, quod migrabit de compoſito in compoſitum, & de ſubiecto in ſubiectum, quòd ad omnibus Philoſophis impoſſibile eſſe cenſetur; Vel ſi volumus vitare migrationem de ſubiecto in ſubiectum, debemus dicere, quòd ſubiectum immediatum accidentium eſt materia prima, quia eadem ſemper manet ſub vtroque termino generationis: ſed hoc eſt contra Ariſtotelem 1. de generat. textu 24. vbi dicit, ſubiectum accidentiũ eſſe ſenſibile, & 8. Metaph. textu 8. ait materiam prius recipere formas ſubſtantiales, deinde accidentales; Ex quo patet, quòd ſubiectum accidentis eſt compoſitum, conſtans ex materia, & forma ſubſtantiali. Alij verò, vt Ludouicus Buccaferreus 1. de Generat. Marſilius, & Gregorius Ariminenſis 2. Sent. diſt. 12. quæſt. 2. artic. 2. tenent, quòd idem numero accidens, poteſt ſeruari in genito, quod fuit in corrupto; quam opinionem ſenſu ratione, & auctoritate Ariſtotelis probant; ſenſu: quia videmus in cadauere eandem cicatricem, quæ fuit in viuente, & hoc omnes homines fatentur. Ratione: quia ſi eſt alia cicatrix ab ea, quæ fuerat in viuente, quæro, à quonam agente ſit producta, oportet certè, quod in puncto temporis fuerit impreſſa cadaueri, quod nec immaginabile quidem eſt, cum nul-

 lum

lum appareat agens, à quo potuerit imprimi. Auctoritate, quia Ariſt. 1. de gener. tex. 24. affirmat in mutatione aquę in aerem ſeruari eandem perſpicuitatem, & humiditatem, & apertè fatetur, poſſe in genito aliquod accidens ſenſibile manere: ſed negat ſolum remanere poſſe, vt ſubiectum. Et in 2. de generatione textu 34. ait in elementis ſymbolam qualitatem habentibus, faciliorem eſſe mutationem: quia ſymbola qualitas eadem manet in genito, quæ fuit in corrupto. Zabarella libro de Communi rerum generat. cap. 8. hanc ſecundam ſententiam ſequitur, & nos quoque eandem ſuſtinere videmur cogi, cum maximè hoc argumento vſi ſimus ad probandum formam mixti eſſe diuerſam ab anima: quia eadem ſeruantur accidentia in cadauere, quę in viuente, vt dictum eſt de cicatrice.

Zab.

Tamen ex aduerſo Scotus 2. Sent. diſt. 3. quæſt. 4. reſpondendo ad ſecundam rationem pro opinione, apertè dicit, quod ſi corrumpitur forma corporeitatis, non manet vllum accidens in genito, quod præfuit in corrupto; quid ergo dicendũ? dico, quod vtrumque dicere poſſumus, & quod idem accidens numero manet, & quod non manet; primum patet per rationes adductas a Buccaferreo, & alijs, quæ ſenſibus patent; Non manet etiam, vt dicit prima opinio Pomponatij, & eius rationes oſtendunt; veritas autem patebit, ſi conſiderabimus ſolutiones quas afferunt aliqui rationi Pomponatij, Buccaferrei, & alij ad rationem illam concedunt accidentia inhærere materiæ primæ immediatè, & ſic volunt materiam primam eſſe immediatũ ſubiectum accidentium. Ad probationem contra hoc ex Ariſt. 1. de generat. diſtinguunt, quod ſubiectum eſt duplex, inhærentiæ, & denominationis; materia prima eſt ſubiectum inhærentię; compoſitum verò denominationis. Ad illud ex 7. Metaph. dicũt, quod ille eſt ordo recipiendorum, non recipientis, formæ enim ſunt, quę hunc ordinem poſtulant, vt prius ſubſtantialis, deinde accidentalis recipiatur; ſed materia quantum eſt ex ſeipſa, eſt apta recipere immediatam formam accidentalem, atque ſubſtantialem; Sed huiuſmodi reſponſiones iure confutat Zabarella loco ſuprà citato: prima enim diſtinctio non ſoluit argumentum: quia Ariſt. eo loco vult ponere diſcrimen inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, & ponit per hoc: quia forma ſubſtantialis non habet ſubiectum ſenſibile, ſed accidentalis; at ſtante hac reſponſione, ſubiectum formæ ſubſtantialis, & accidentalis eſt eiuſdem rationis, ſi quidem eſt materia prima, & ſic compoſitum erit ſubiectum denominationis reſpectu vtriuſque. Secunda reſponſio quoque eſt nulla, tum, quia eſt falſa, quia nihil eſt fruſtra in natura, neque datur receptibile, quin detur receptiuum, & ſic eſt maxima conſonantia: at ſtante hac reſponſione, daretur receptibile, ſcilicet ordo formarum, nec tamen daretur ordo receptiuæ potentiæ, immò conſentaneum eſt materiæ primæ, quod primo appetat formam ſubſtantialem, à qua perficitur; vnde dicebat Ariſtoteles 1. Phyſicorum, quod ſicut appetit femina marem, ita materia formã, quod intelligitur de forma ſubſtantiali; tum, quia non tollitur præſens difficultas: nam ſtante etiam hoc ordine formarum recipiendarum, ſequitur, quod formæ accidentales non poſſint inhærere materiæ primæ nudæ, ſed neceſſariò inhærent compoſito. Proinde ipſe Zabarella aliam ſolutionem excogitauit, quæ eſt; Primum ſtatuendum eſt præ omnibus poteſtatem patiendi eſſe propriam materiæ primæ, & omnibus alijs competere per ſeipſam, & ſic ipſa eſt ſubiectum receptiuum omnium formarum tam ſubſtantialium, quam accidentalium. Cæterum, etſi ipſa ſit tale ſubiectum, negari tamen non poteſt, ipſam eſſe aptam eas recipere ordine quodam, ita quod eo ordine perturbato, non reciperentur, & hic ordo eſt, quòd prius recipit ſubſtantiales, quàm accidentales, & inter ſubſtantiales prius recipit vnam, deinde aliam; tamen per huius ordinis conſtitutionem non ſtat, quin proprium ſit materiæ pati, & ipſa ſola ſit receptaculum omnium formarum, adeo quod ad omnem difficultatem tollendã cogimur dicere aliud eſſe ſubiectum receptiuum formarum, & aliud eſſe conditionem illi neceſſariam ad recipiendum for-

Solu.

mas,

mas, ſubiectum receptiuum materia prima, conditio recipiendi formas accidentales eſt forma ſubſtantialis: non tamen forma ſubſtantialis eſt ſubiectum receptiuum; ſicuti quantitas eſt conditio recipiẽdi qualitatem in ſubſtantia: non tamen quantitas eſt ſubiectum qualitatis, ſed ſolum conditio neceſſaria ad hoc, vt recipiatur in materia. Ex his reſpondet ad auctoritates Ariſt. quod quando Ariſtot. ait accidentia habere ſubiectum ſenſibile, & Auerroes dixit accidentia habere ſubiectum actu, non ſolum ſubiectum inhærẽtiæ reſpexerunt, ſed aggregatum ex eo, & conditione neceſſaria ad recipiendum: per hoc enim diſtinguuntur formæ accidentales à ſubſtantialibus, quia accidentales requirunt prius receptas ſubſtantiales, non econuerſo: & ideo dicuntur accidentia habere ſubiectum ſenſibile, & actu: ex hoc etiam patet, quod auctoritas Ariſt. ex 7. Metaph. non eſt contraria: ſed pro hac opinione: & ideo cum accidentia inhęreant materiæ primę, licet inhęreant mediante forma ſubſtantiali, quia tamen materia prima eſt eorum primum ſubiectum, patet, quod cum eadem materia maneat eadem in corrupto, & genito, quod accidentia illis inhęrentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum.

Reijcitur. Verum neque hęc reſponſio tollit argumentum: ex hac enim reſponſione habetur, quod licet accidens propriè inhęreat materię primę, tamen non poteſt inhęrere ei, niſi prius illa materia ſit informata forma ſubſtantiali, ergo luce clarius apparet, quod ſi deſtruitur forma ſubſtantialis, quę eſt conditio, & ratio propter quàm tale accidens inhęret materię, quod illud accidens amplius illi materię non inhęrebit; ergo dum corrumpitur compoſitum, accidentia in illa materia remanere non poſſunt: ablata enim cauſa per ſe, & proxima alicuius effectus, tollitur talis effectus, cauſa autem inhęrentię accidentis in materia prima per ſe eſt forma ſubſtantialis, ergo illa deſtructa per corruptionem, non poteſt in ea materia amplius remanere illud accidẽs: quòd ſi remaneret, ſequeretur, quòd forma ſubſtantialis non eſſet cauſa talis inhęrentię.

Propria ſolutio rationũ adu. Iudico itaque dicendum, quod accidentia inhæreant compoſito proprio: nã inhærere materiæ primæ mediante forma ſubſtantiali, eſt inhærere compoſito, cum materia prima cum forma ſubſtantiali ſi compoſitum ipſum: certum eſt autem, quod non quodlibet accidens inhæret cuilibet compoſito: ſicuti nec quodlibet fit a quolibet, ſed vnumquodque à cauſa determinata, ex Ariſt. 1. Phyſicorũ; Quòd ergo hoc accidens inhæreat huic ſubiecto, non prouenit ratione materiæ, cum ipſa indeterminatè ſit apta recipere quæcumque accidentia, ergo prouenit ratione formæ, quæ quia eſt talis, ad ipſam quoque conſequitur tale accidens. Cum ergo dictum ſit, quod in compoſito ſunt plures formæ ſubſtantiales, vt in animali anima, & forma mixti; in mixto quoque erunt accidentia varia: alia, quæ inſequuntur animam, alia, quæ inſequuntur formam mixti; Cum ergo corrumpitur in animali anima, & remanet forma mixti, corrumpũtur accidentia conſequẽtia animam, & remanent accidentia conſequentia formam mixti; propter hoc cicatrix eadem numero, quæ erat in viuente remanet in mortuo, quia cicatrix inſequitur formam mixti, non animam: & ita apparet quomodo poſſimus dicere, quod idem accidens numero, manet in genito, quod erat in corrupto, & quomodo non: nam corrumpitur accidens conſequens formam corruptam, non corrumpitur accidens conſequens formam remanentem; & ita cum dixit Scotus, quòd corrupta forma ſubſtantiali, corrumpitur accidens quoque, intelligit primo modo: cũ ait, quod idem accidens, quod erat in corrupto manet in genito, intelligit ſecundo modo. *Adi. & i. rõnẽ.*

Nota Et nota, quod quòdlibet accidens habet aliquam cauſam dantem illi eſſe, vel ſaltem conſeruantem, qua deſtructa ruit illud accidens, & illa eſt ſemper aliqua forma ſubſtantialis: nam ſi accidentia conſiſtunt in fieri, vt ambulatio, & locutio, pendent ab anima, & ideo illa deſtructa deſtruentur; vel eorum natura conſiſtit in facto eſſe, vt ſunt artificiata, & iſta vltra cauſam efficientem, quæ eſt artifex, habent etiam cauſam conſeruantem,

quæ

quæ reducitur quoque ad efficientem, quæ eſt forma dans eſſe materiæ, in qua producuntur, vt figura in ligno pendet ab artifice, & forma mixti ligni, tamquã à conſeruante: vnde licet poſſit talis figura eſſe ſine efficiente cauſa, non tamen poteſt eſſe ſine cauſa alia conſeruante: vnde ſi auferatur forma ligni à ligno, in quo eſt figura, figura quoque corrũpetur. Ecce, ergo quod omne accidens inhæret alicui compoſito ratione alicuius formæ, qua deſtructa, deſtruitur & illud.

Ex hoc etiam habetur, quod in corpore puro mixto, vbi eſt vnica forma mixti, cum corrumpitur illud mixtum, & fit aliud, accidens, quod erat in priori mixto, non remanet in mixto de nouo genito: quia nulla forma remanet eadem numero in genito, & corrupto; Idem dicendum de elementis, quæ ſunt corpora ſimplicia; cùm enim ex aere fit ignis, nullum accidens idem numero, quod erat in aere, remanet in igne, ſed ſolum idem ſpecie; & hoc modo intellexit Ariſt. quando dixit in 2. de gen. in elementis habentibus ſymbolam qualitatẽ, faciliorem eſſe mutationem, quia in mutatione aquæ in aerem ſeruatur eadem humiditas, intelligitur eadem non numero, ſed ſpecie, vt etiam pulchrè explicat Zab. lib. 2. de Qualitatibus elementalibus cap. 5. & 9.

Ad 3.

THEOREMA LXXIV.

Potentiæ animæ diſtinguuntur formaliter ab anima, & à ſe inuicem.

Exponitur, & comprobatur opinio Scoti. Cap. I.

Diſt. declaratiua Theo.

DE hac re loquitur Scotus 4. Sent. d. 44. q. 2. reſpondendo ad quæſtionem, & 2. diſt. 16. q. vnica, magis ex profeſſo; ex ambobus his locis poſſumus colligere vnam diſtinctionem, quæ eſt declaratiua Theorematis; Cum enim quæritur de potentijs animæ, an diſtinguantur ab inuicem, vel quæritur de iſtis præcisè, vt ſunt potentiæ animæ, vel, vt ſunt totius compoſiti potentiæ; primo modo potentia eſt illa pars animæ, quæ eſt principium operandi; ſecundo modo eſt totum coniunctum, ex illa parte animæ, & organo, non enim anima poteſt triſtari, vel gaudere per ſe, quia iſtæ formaliter ſunt operationes totius coniuncti, & ſic potentia viſiua poteſt accipi pro hoc coniuncto includente eſſentialiter illam perfectionem animæ, & aliam perfectionem corporis mixti ſibi correſpondentem: & ſic viſio eſt totius coniuncti primo: ita quod proximum receptiuum, & ratio ſuſcipiendi, non eſt anima, vel aliquid quod præcisè eſt in anima, nec forma mixtionis in organo, ſed forma totius compoſiti ex corpore mixto, & anima, & talis perfectio eſt ratio proxima recipiendi ſenſationem, & in hoc differt intellectus à ſenſu; quia intellectiua primo eſt ſuſceptiua intellectionis, non enim eſt organica: non totum: ſed ſenſitiua potentia non eſt primo receptiua ſenſationis, ſed totum coniunctum, vt dictum eſt. Propoſitũ Theorema intelligitur ſecundum primum ſenſum; in ſecundo verò ſenſu poſſumus dicere, quod potentiæ ſenſitiuæ diſtinguuntur realiter; Probatur: potentia hoc modo nil aliud eſt niſi compoſitum ex corpore illo mixto, & potentia animæ, vt potentia viſiua eſt quoddam totum eſſentialiter conſtans ex perfectione animæ ſenſitiuæ, qua animal videt, & ex perfectione illius corporis mixti, nempè oculi, qui quidem oculus eſt organum illius potentiæ. Ideò hoc modo conſideratæ potentiæ animæ quatenus ſunt illud totum coniunctum, dico, quod diſtinguuntur realiter ab ipſa anima, & probatur ſic. Illa quorum vnum poteſt eſſe ſine altero, abſque contradictione, diſtinguuntur realiter: at ſic eſt, quod anima ſenſitiua poteſt eſſe ſine potentia viſiua, quæ eſt illud cõiunctum, vt patet in cæco, ergo ſimiliter vna potentia poteſt eſſe ſine altera, vt auditus, ſine viſu: ergo diſtinguuntur realiter. Sed aliquis forſan dicet: hoc quidem concludit, quod iſtæ potentiæ diſtinguuntur ab inuicem realiter, ſed non concludit, quod diſtinguantur realiter ab anima tota, quia illæ potentiæ non poſſunt eſſe ſine eſſentia animæ, licet eſſentia poſſit eſſe ſine illo coniuncto; Reſpondetur, quod hoc prouenit, quia anima eſt quid prius eſſentialiter illo coniuncto, ideò illud con-

Dub.

Sol.

lud coniunctum non poteſt eſſe ſine anima, quia ab illa dependet: hoc autem non impedit diſtinctionem realem, vt dictum eſt declarando hanc diſtinctionem realem in Theoremate de eſſe, & eſſentia.

Conſiderando verò ipſas potētias, quatenus ſunt præciſè ipſius animę, & non totius coniuncti, apertè Scotus ſecundo Sent. diſtinct. 16. quęſtione vnica, ſuſtinet, quòd non diſtinguuntur ab anima, nec à ſe inuicem realiter, ſed ſolum formaliter contra D. Thomam, Henricum, & alios, adeo quod vegetatiua, ſenſitiua, & intellectus, vt ſunt potentiæ, & facultates præciſè ipſius animę intellectiuæ, non diſtinguuntur realiter, ſed formaliter ab eſſentia animæ, & inter ſe: ſimiliter potentiæ iſtæ, generatiua, nutritiua, & augmentatiua, vt ſunt potentiæ animæ vegetatiuæ; ſimiliter viſus, auditus, &c. vt ſunt præciſè potentię animę ſenſitiuæ, ſolum formaliter ab ipſa anima, & inter ſe diſtinguuntur.

Hęc eſt poſitio Scoti: Hanc ſuam ſententiam explicat Scotus in præcitato ſecundo Sent. diſt. 16. queſt. vnica, in corpore, hoc modo. Aſſumit, quòd illa, quæ continentur vnitiuè in aliquo, non ſunt omninò idem, quia quę ſunt omninò idem, non dicuntur vnitiuè contineri in aliquo: quia illa non vniuntur, vnitio enim connotat aliqualem diſtinctionem, qualem non poſſumus ponere in ijs, quæ ſunt omninò idem; illa etiam ſic vnita non manent diſtincta ea diſtinctione, qua prius diſtinguebantur antequam vnitiuè continerentur in illo, ſed remanent ſolum diſtincta formaliter, & fiunt idem realiter; hæc autem, quæ ſic vnitiuè continentur in aliquo, & ſunt idem realiter, & diſtincta formaliter, ſunt duplicis generis: quia quædam ſunt de natura continentis, vt quæcumque ſunt ſuperiora ad continēs; exempli gratia, ab eadem re accipitur ratio albedinis coloris qualitatis ſenſibilis, & qualitatis, & hæc ſunt ſuperiora ad hanc albedinem, & ideo omnia ſunt de eſſentia albedinis huius particularis, in qua vnitiuè continentur. Alia ſunt contenta in aliquo vnitiuè quaſi poſteriora, quia ſunt quaſi paſsiones continentis, nec ſunt res aliæ ab ipſo continente: hoc modo ens continet multas paſſiones, quæ nō ſunt aliæ res ab ipſo ente, vt probat Ariſtot. 4. Metaph. textu 4. & 5. ſed diſtinguuntur ab inuicem tantum formaliter, & quidditatiuè, & etiam ab ente, formalitate dico reali, & quidditatiua; aliter Metaphyſic. concludens tales paſſiones de ente, & illas conſiderans, non eſſet ſcientia realis.

Ad propoſitum, ſicuti hoc ſecundo modo ens vnitiuè continet rationem vnius veri, & boni & aliarum paſſionum; ſic anima continet potentias iſtas vnitiuè quā quam formaliter ſint diſtinctæ. Hanc ſententiam confirmat perſiſtendo in exemplo allato de ente, & ſuis paſſionibus, & accipit hanc propoſitionem ab eo poſitam, & probatam quęſtione prima Prologi art. 4. in Reportatis, iuxta principiū: quæcumque haberet aliquam diſtinctionem realem, ſi eſſent ſeparata realiter, illam diſtinctionem habent ſecundum rationem, vbi non ſunt diſtincta realiter; ſub hac Maiori adiungit hanc Minorem: at ens, & vnum, ſi eſſent ſeparata realiter, eſſent diſtincta diſtinctione quidditatiua, & reali, ergo & nunc quando ſunt vnitiuè contenta in ente, retinent illam diſtinctionem quidditatiuam, & formalem ſecundum rationem (intellige nōn ratiocinantem, ſed ratiocinatam, licet enim amplius non ſint duæ, vel plures res, habent tamen ſuos conceptus formales, & quidditates, quas prius habebant dum erant ſeparata) ſic in propoſito, poſſumus accipere de intellectu, & voluntate, quæ non ſunt partes eſſentiales animæ, ſed sūt vnitiuè contentæ in anima, quaſi paſſiones eius, propter quas anima eſt operatiua, nō quod ſint eſſentia eius formaliter, ſed diſtinctæ ſunt, idem tamen identicè, & vnitiuè, vt nos dicimus de attributis diuinis in eſſentia Dei; imaginandum eſt ergo, quod anima quaſi in primo inſtanti naturæ, eſt natura talis, in ſecundo eſt operatiua, ſiue potens operari ſecundum hanc operationem, vel illam, & potentię, quæ ſunt principiū iſtarum operationum vnitiuè continentur in eſſentia eius, & ſecundum iſtam viam poſſunt ſaluari omnes illæ auctoritates, quæ dicunt, quòd

iſtæ

iſtæ potentiæ egrediuntur ab eſſentia animæ,& ſunt quædam virtutes eius. Item quod ſunt mediæ inter formas ſubſtantiales, & accidentales, quia ſunt quaſi paſſiones animæ, & paſſio egreditur, & ebullit à ſubiecto, ſunt tamen idem eſſentiæ animæ realiter, vt dictum eſt, & poſſunt etiam dici partes ſecundum quod nulla dicit totam perfectionem eſſentiæ continentis, ſed quaſi perfectionem partialem. Similiter iſto modo facilè eſt concipere, quòd vna potentia non continet perfectiones omnium aliarum, nec totam perfectionem ipſius animæ, licet ſit eadem propter illam diſtinctionem formalem: vnde ſic contenta, non continent ſe mutuo, quia ſunt diſtincta formaliter, & inter ſe, & à continente, cui ſunt primo idem realiter.

Opin. Scoti. Hæc eſt poſitio Scoti ad verbum, quæ ſatis per ſeipſam eſt explicata; In hanc ſententiam Scotus deuenit, quia rationes Aduerſariorum non cogunt, & pluralitas ſine neceſſitate non eſt ponenda: Non eſt autem neceſſe ponere iſtas potentias diſtinctas ab anima, & à ſeipſis realiter, & multiplicare tot entitates, vt patebit ſoluendo rationes Aduerſariorũ; attamen in eadem quæſtione reſpondendo ad quæſitum in corpore, adducit nonnullas rationes, quæ ſatis firmiter hãc ſen-*1. ró.* tentiam comprobant, & ſunt iſtę. Primò, ſi potentiæ animæ realiter diſtinguuntur ab anima, ſequitur, quod anima non intelligit, nec vult, nec operatur per ſe, nec formaliter, ſed per accidens. Conſequens eſt falſum, & hæc falſitas probatur: quia dicere, quòd anima non habet propriam operationem, eſt aſſerere nobiliſſimum ens carere propria actione; Præterea, omne per accidens reducitur ad aliquid per ſe; debemus ergo adinuenire aliquod agens, quòd intelligat per ſe; ſentiat per ſe, &c. Illud non videtur poſſe poni aliud quàm anima, ergo anima non per accidens, ſed per ſe, intelligit, ſentit, &c. Conſequentia probatur: quia intelligere, eſt propriè intellectus, velle voluntatis, ſentire ſenſitiuæ, &c. & per has potentias, animæ intelligere, ſentire, operari dicitur. Accipio modo, quod intelligere, & ſentire, &c. eſt pati, & ideo, quod iſtæ operationes recipiuntur in his potentijs, alioquin non diceretur intellectus formaliter intelligere, nec ſenſus formaliter ſentire, & tunc ſic argumentor; Quandocumque aliqua operatio, vel actus recipitur in aliquo diſtincto realiter ab altero, nec poteſt recipi in illud alterum, niſi aliquo alio mediante, tunc illa operatio, vel actus dicitur recipi per accidens in illud alterum, in quo eſt mediante alio; vt exempli gratia: Color dicitur recipi per accidens, in ſubſtantia corporea, quia recipitur mediante ſuperficie; Ita in propoſito, ſi intelligere, ſentire, &c. recipiuntur in anima per potentias diſtinctas realiter ab anima, nec poſſibile eſt alio modo recipi, ſequitur, quod anima intelligit per accidens, vult per accidens, generat per accidens, &c. quia recipit has operationes per potentias, quæ ſunt accidẽtia, & ſunt quid realiter diuerſum ab anima. Nec eſt quòd aliquis dicat: Anima habet hanc oprationem dare eſſe, quia conſtituit in eſſe, animali, quoniam anima quatenus dat eſſe, eſt actus primus: vnde anima dicitur actus primus corporis Phyſici, ſed vltra actum primum, habet etiam actum ſecũdum, inquit enim Ariſt. Anima eſt actus corporis Phyſici organici potentia vitam habentis; vbi per potentia vitam habentis, Aduerſarij exponunt, id eſt potentis operari; ecce ergo, quod Ariſt. ait animã eſſe principium operandi, & exercere opera vitæ. Ex his colligitur, quod Anima, & ſuæ potentiæ ſunt idem realiter.

Secundò ſubſtantia generatur à ſubſtantia, non enim accidens generat ſub- *2.* ſtantiam; quod probatur; quia forma generantis, quæ eſt principium generationis, debet eſſe nobilior, vel ſaltem æqualiter nobilis cum re genita, tam in vniuoca quam in æquiuoca generatione. Hanc propoſitionem probaui diffusè in Theoremate proprio; ſed eſt impoſſibile formam accidentalem eſſe nobiliorem, & perfectiorem forma ſubſtantiali, ergo potentia ſi eſt accidens, non poteſt eſſe principium generandi immediatum, & principale. At per Ariſt. potentia vegetatiua eſt principium generandi, ergo vegetatiua, & cæterę potentiæ, non ſunt accidentia, ſed ſubſtantiæ, eędem, quod anima; Sed

ad hanc

ad hanc rationem reſpondent Aduerſarij, vt elicitur ex Caietano 1. parte quæſt. 54.art.3. quod verum eſt quòd anima ſecundum eſſentiam, eſt principium primum,& per ſe,operandi,ſed agit mediatè.nempè mediantibus formis accidentalibus tamquam inſtrumentis:ſed hæc reſponſio confirmat propoſitum noſtrum, quia principium primum, & per ſe operationis eſt potentia animæ, ſi ergo animæ eſſentia primo per ſe operatur,& operatio primo,& per ſe eſt a potentijs,ſequitur,quod potentię,& animæ eſſentia ſunt vnum,& idem realiter;Conſequentia eſt clara,quod autem operatio primo,& per ſe,ſit a potentijs, patet; quia Ariſt. dixit vegetatiuam eſſe principium alendi, nutriendi,& generandi,non dixit eſſe inſtrumentum,& accidens,quo anima generet, vt patet ex 2.de Anima, cap. de vegetatiua,circa text.34.42.& 48.& per totum illud caput; dixit etiam potẽtiam viſiuam eſſe principium vidẽdi,intellectus etiam eſt principium intelligendi, intellectus enim eſt qui formaliter intelligit, ergo ſi primò, & per ſe anima intelligit, & non per accidens, neceſſe eſt confiteri potentias animæ, & animam ipſam eſſe idem realiter.

3. Tertiò, Quanto aliquid ordinatum ad finem, attingit finem immediatius,tanto eſt maioris nobilitatis;Anima eſt nobiliſſima forma,ergo ſtatuendum eſt ipſam immediatè,& ſeipſa attingere finem.

4. Quartò,& fortius.Eadem ſunt principia eſſendi, & principia operandi, & ea forma, quæ dat eſſe, dat etiam operari, ſed anima eſt principium eſſendi, ergo eſt etiam principium operandi:at non eſt principium operandi niſi in ratione potentiæ, ergo potentiæ ſunt idem realiter cum anima. Ad hoc reſpondet Iauellus 2. de Anima, quæſtione 22. ex Caietano vbi ſuprà, quod anima eſt principium operandi mediatum, non immediatum: Hæc reſponſio confirmat id, quod intendit argumentum noſtrum; quia dum dicit quod anima eſt principium mediatũ operandi,fatetur animam, & potentiam eſſe idem re,quia anima dicitur eſſe principium operationis, non ſecundum eſſentiam: quia ſic eſt actus primus, ſed quatenus dicitur potentia dat actum ſecundum,& eſt principium operandi; Vnde Ariſtoteles tribuit operationes potentijs, ſcilicet, vegetatiuæ, ſenſitiuæ, intellectiuæ,&c. Anima ergo operans, eſt potentia operans, per aduerſarios anima eſt principium mediatum operans,ergo anima, & potentia ſunt eadem res.

Quintò,Aliqua forma inferior anima, poteſt eſse principium immediatum agẽdi; patet de calore, & qualitatibus actiuis,aliter eſset proceſsus in infinitũ; hoc etiam eſt nobilitatis,ergo hoc multo magis competere debet animæ intellectiuę, quæ eſt forma nobiliſſima. 5.

Pro hac eadem opinione noſtra,& contra ſententiam D. Thomæ, & Aegidij faciunt rationes nonnullæ Auerroiſtarum, tenentium in animato eſse plures animas: nam nos illas facilè ſoluere poſſumus, ſed ſecundum opinionem D. Thomæ nequaquam ſolui poſſunt, vt ſuo loco dicemus.

Variæ aliorum ſententiæ adducuntur cum ſuis rationibus,& reijciuntur. Cap. II.

VAriæ ſententiæ de hac materia fuerunt antiquitus;Alij enim videntur dicere, quòd potentiæ animæ ſint partes animæ realiter diſtinctæ ab inuicem;non tamen ab animæ eſsentia, & hæc aſcribitur à Marginiſtis Scoti, D.Bonauenturæ, & Ricardo, Pro hac opinione, ſunt variæ auctoritates; prima Ariſtot. 3. de Anima tex.1.ait *De parte autem animæ*,& intelligit de intellectu; Boetius in libro Diuiſionum,dicit: anima diuiditur in potentias, ſicut in partes virtuales;Sunt & aliæ plures auctoritates,& rationes.Hanc ſententiam Scotus confutat in prædicta quæſtione, ſed nos de hac opinione loquemur in particulari Theoremate,in quo diſputabimus,An vegetatiua,ſenſitiua,& intellectiua in homine ſint tres animæ, realiter ab inuicẽ diſtinctę,vt tenet Zabar. & alij.

Alij verò, & hæc tribuitur Henr. dixerunt, quod potentiæ animæ ſunt eędem eſſentiæ animæ, diſtinctæ tamen inter ſe realiter. Hæc opinio probatur: quia anima ſecundum ſe non dicit potẽtiam:nam potentia 9.Metaph.definitur per actum, & ècon- *Opin. Hẽr.*

& èconuerſo; anima autem ſecundum ſe conſiderata,non definitur per actum, ergo non eſt potentia:at eſſentia animæ ſub tali, & tali reſpectu dicitur talis, & talis potentia:ſecundum hoc igitur,quod anima ſecundum ſe, comparatur ad diuerſos actus,ſunt in anima diuerſi reſpectus, qui dicuntur diuerſæ potentiæ,& per huiuſmodi diuerſos reſpectus,anima determinatur ad diuerſos actus,quomodo autem determinetur ad diuerſos actus, declaratur: quia anima determinatur ad actus potentiarum organicarum,per organa ad intellectum agentem, & voluntatem,quæ ſunt potentiæ actiuæ ex comparatione ad obiectum; & hæc determinatio eſt ex natura potentiarum, quia habẽt determinatum agere: ad intellectum verò poſſibilem,determinetur ex comparatione ad obiectum:ſed per ſpecies receptas; quatenus ergo anima conſideratur vt eſt iuncta organo, eſt potentia organica;quatenus conſideratur vt poteſt deputare aliquod obiectum, & poteſt velle illud,eſt intellectus agens,& voluntas;quatenus recipit ſpecies, & intelligibiles, eſt intellectus poſſibilis;& ſic patet,quòd potentiæ nil aliud ſunt realiter, niſi ipſa animæ eſſentia, quæ per varios reſpectus diſtinguitur ratione, quorum reſpectuum potentiæ dicuntur realiter diſtingui.

Reijcitur. Hanc ſententiam reijcit Scotus pluribus rationibus. Primò, quia hæc poſitio non ſatisfacit quæſito cõmuni, quo quæritur,an potentiæ animæ diſtinguantur ab inuicem: quia in hoc quæſito non quærimus de potentia, vt dicit reſpectum ad actum, ſed quærimus de fundamento illius reſpectus,quaſi de potentia,quæ eſt, vel poteſt eſſe principium operationis actiuè,vel principium receptionis paſſiuè; quærimus ergo de proximo fundamento relationis principij ad principiatum, ſiue de principio immediato actionis,vel paſſionis,& in hoc sẽſu probat Scotus, quod opinio Henrici ſit falſa; Primò, quia impoſſibile eſt abſolutum cum relatione,facere principium per ſe vnum, ſed vnius operationis per ſe, eſt vnum principium per ſe,ergo impoſſibile eſt,quod in ratione principij vnius operationis per ſe, includatur per ſe relatio; ſed intelligere eſt actus per ſe vnus,& ſimiliter velle,&c.ergo impoſſibile eſt, quod eorum principium includat aliquid abſolutum, & reſpectiuum per ſe.

Secundò reſpectus non eſt de eſſentia potentiarum paſſiuarum, ergo nec actiuarum:conſequentia patet; quia eſt eadẽ ratio vtrinque, ſunt enim omnes potentiæ; Antecedens probatur: tum quia materia recipit formas per eſſentiam ſuam, non per relationem;tum etiam,quia ſi relatio eſſet de eſsentia materiæ, eſſet abſoluta, & eſſet pars abſoluti, & faceret per ſe vnum cum abſoluto, quod eſt euidenter falſum; Adducit alias rationes Scotus ad hominem,quas hic nõ refero:quia hæc opinio non habet his temporibus ſectatores magni nominis,pro re ipſa ſufficiunt rationes adductæ. Ad rationem pro hac opinione,dicitur,quòd anima formaliter non eſt potentia,ſed materialiter,vt declaratum eſt nunc,& cap. præcedenti, quia eſt principium actiuum ſuper quo fundantur reſpectiuæ potentiæ. *Ad rõnẽ p hac opin.*

Aliqui alij,vt D.Thomas,& Aegidius, dixerunt potentias animæ eſſe accidentia de ſecunda ſpecie qualitatis, & ideò diſtingui realiter ab eſſentia animæ, & à ſeipſis. Pro hac opinione multę rationes adducuntur a Thomiſtis,ſed duæ præſertim adducuntur à D. Thoma in prima parte,quæſtione 77.artic. 1.vbi hanc ſententiam ex profeſſo ſubſtinet. *Opin. D.T.*

Primò; Potentia, & actus pertinent ad idem genus, ſed actus potentiarum iſtarum,nempè intelligere, & velle, ſunt accidentia animæ,ergo & potentiæ. *1. rõ.*

Secundò, ſi potentiæ animæ eſſent eſſentia ipſiuſmet animę, ſequeretur quòd habens animam, ſemper actu operaretur; ſed anima non ſemper intelligit, neque ſemper operatur, ergo. Conſequentia probatur: quia ſicuti, quia anima eſt actus primus,habens animam ſemper viuit,ita ſi eſſet potentia,& principium immediatum actus ſecundi, habens animã, ſemper operaretur. *2. rõ.*

Tertiò, Arguunt alij ex principijs D. Thom. Eſse,& operari,in quolibet creato diſtinguuntur realiter; quia eſſe reductiuè eſt in genere Subſtantiæ;operari verò in genere Accidentis; Hæc propoſitio proba- *3. rõ.*

probatur: quia in ſolo Deo idem eſt actio, & eſſentia. Ex hac propoſitione inferunt; ergo eſsentia in rebus creatis, & potentia operatiua eius, diſtinguuntur realiter; Conſequentia deducitur: quia diuerſorum actuum, diuerſa ſunt principia: quoniam vnuſquiſque actus proportionatur ſuo principio; ſed eſſe, & operari, ſunt diuerſi actus: quia eſse, eſt Subſtātiæ, operari autem eſt Actus potentiæ operatiuæ, ergo principia eorum, quæ ſunt eſsentia rei, & potentia operatiua, ſunt diſtincta realiter.

rō. Quartum argumentum. Eſsentia animæ eſt actus primus corporis: ſed nō omnes potentiæ ſunt actus corporis, nec partes corporis: quoniam aliquę ſunt inorganicę, vt intellectus, ergo potentię nō ſunt eſſentia animę: & confirmatur: quia animę eſsentia eſt ſimplex, & ideò non poteſt eſse actus corporis, & ſeparata à corpore, niſi ſecundum diuerſa, & ita ſecundum eſsentiam eſt actus corporis, quò ad potentiam, ſcilicet intellectum, eſt ſeparata.

rō. Quintò, Si anima eſset idem realiter quod potentiæ ſuę, vna non moueret aliam: quod eſt falſum: vt patet in 3. de Anima, in quo Philoſophus dicit, phantaſiam mouere appetitum; Conſequentia probatur: quoniam Philoſophus 8. Phyſicorum probauit nihil mouere ſeipſum.

Aegidius. Aegidius Romanus adducit talem rationem. Accidens variabile, non ineſt ſubſtantiæ, niſi mediante accidente inuariabili: intelligere, & velle ſunt accidentia variabilia, & conueniunt animę mediante intellectu, & voluntate: ergo intellectus, & voluntas, ſunt accidentia. Maior probatur: quia maior diſtinctio non procedit ab vnitate, niſi mediante aliqua minori diſtinctione.

Heruæus. Heruæus arguit ſic. Nullum ſimplex poteſt eſse immediatum principium, & totale diuerſarum operationum; & hoc probat in illo Vbi magis videtur, nam materia vna, & ſimplex, non poteſt ſecundum ſe, eſse principium receptiuum diuerſarum formarum alterius rationis, niſi mediantibus diſpoſitionibus quibuſdā determinantibus ipſam ad diuerſas formas, aliàs enim quodlibet poſset fieri ex quolibet, quod eſt impoſsibile, 1. Phyſ. tex. 42. & inde, ergo vna eſsentia ſimplex, non poteſt eſse principium immediatum diuerſarum operationum, vt ſunt intelligere, & velle; ergo hoc erit per potentias realiter diſtinctas.

Zabarella. Iacobus Zabarella libro de Facultatibus Animæ, c. 3. alijs argumentis D. Tho. quæ efficaciora putat, eandem ſentētiam probat: & licet aliquatenus diſcrepet ab opinione D. Tho. tamen hanc ſententiā, quod potentiæ animæ diſtinguuntur realiter ab eſsentia animæ, & quod ſint accidentia de ſecunda ſpecie qualitatis, iudicat veriſſimam.

Prima ergo ratio eſt hæc; Potentia naturalis, ſiuè aptitudo ad operandum, ponitur ab Ariſt. in ſecunda ſpecie Prædicamenti Qualitatis: potentię animę ſunt aptitudines ad operandum, ergo ſunt accidentia de ſecunda ſpecie Qualitatis. 1. rō. Secundò. Si anima eſset idem quod ſua eſſentia, ipſe quoque potentiæ eſsent idem inter ſe; Conſequens eſt falſum apertè: quia tunc potentia viſiua erit idem quod potentia motiua, & potentia olfactiua, & etiam omnes concedunt potentias eſse plures, & non vnam; Conſequentia eſt euidens: quia quę ſunt idem alicui tertio, ſunt idem inter ſe. 2. rō. Tertiò, pro eadem opinione ita argumentatur. Potentia operandi, reſpicit actum ſecundum, & operationem ipſam, ſed ſemper perfectior, & nobilior eſt actus quàm potentia ipſam reſpiciens, ergo ſi potentia eſsentialiter, & ſecundum internam rationem eſset anima ipſa, operatio, quæ eſt accidens, eſſet perfectior quàm anima. 3. rō.

4. rō. Quartò, Ex dictis D. Thomæ; Sicuti ſe habet poſse ad eſse, ita potentia, ad eſsentiam: ſed in anima differt eſse, à poſse, ergo & potentia differt ab eſsentia; Quod eſse differat à poſse, probatur: quia anima cum ſit actus primus dat eſse: non tamen ſemper dat operari, vt contingit in oculo cæco: nam anima illi oculo dat eſſe, non tamen dat operari, vt patet: quia non videt cæcus.

Propter has rationes Zabarella conuenit cum opinione D. Thomæ, ſcilicet, quod potentiæ ſint accidentia de ſecunda ſpecie Qualitatis, & quòd ideò realiter di-

ter di-

ter diſtinguantur ab eſsentia animæ, & à ſeipſis: tamen diſcrepat ab opinione D. Tho.in alio, vt ait cap.4.quia D.Tho. & Ægidius, exiſtimarunt, quòd potentiæ ſint agentia media inter eſsentiam animæ,& ipſam operationem. Hoc iudicat Zabarella eſſe falſum, & ait Scoti argumenta eſſe efficacia contra hoc,& ideò ipſe vult, quòd iſtæ potentię ſint quædam accidentia, & aptitudines ad operandũ; vult etiam quod pręſupponant aliã priorem naturam, quę eſt eſsentia animæ, à qua proueniunt ipſę potentię, tamquam a cauſa efficiente, non per modum traſmutationis, ſed per modum emanationis: quæ prima cauſa eſt etiam immediatum principium operationis intelligendi,& volendi,&c. licet ergo iſtæ potentię ſint quodammodo mediæ inter eſsentiã animę, & operationem, non ſunt tamen cauſę medię: ſed eſsentia ipſiuſmet animę eſt immediatum principium operationis;& hęc colliguntur ex 2. 3. & 4.notando illius 4.cap.quibus declarat Zabarella hanc ſuam ſententiam.

Reijcitur. Verum hæc opinio non eſt ſuſtinenda, vt per rationes Scoti ſuperius adductas ſatis patet;ſed quoniam iſti dicunt, quod iſtæ potentię ſunt accidentia de ſecunda ſpecie Qualitatis,& in hoc faciunt maximam vim,& pręſertim Zabarella: ideò hoc eſt diligenter conſiderandum.Pro clara ergo notitia huius rei eſt notandum, quod potentia duobus modis poteſt capi; Vno modo pro ipſo principio, & vi, à quo aptitudo agendi, & patiendi emanat; Alio modo pro ipſamet aptitudine, & potentialitate agendi,& patiendi; mẽbra iſtius diuiſionis patent: quia aptitudo agendi,& patiendi, eſt accidens,principium verò à quo emanat hęc aptitudo, eſt forma ſubſtantialis compoſiti; Modo nos ponimus duas Concluſiones, ex quibus comprobatur ſententia Scoti,& opinio aduerſa reijcitur 1. Potentia primo modo accepta eſt ipſamet eſsentia formę ſubſtantialis 2. Potentia ſecundo modo accepta, eſt accidens de ſecunda ſpecie Qualitatis. Prima Concluſio probatur: quia ſecundum omnes,forma ſubſtantialis eſt actiua, & hoc aduerſarij fatentur vbique, & probatur; quia forma diſtinguitur à materia,quia materia eſt principium paſſiuum,forma verò actiuum. At non eſset actiua, niſi ſecundum eſsẽtiam eſset principium agendi:ſi enim hoc principium agendi eſset quid externum ipſi formę,iam forma non ageret per ſe, neque eſset principium per ſe, ſed per accidens;ſicut lignum ignitum calefacit, non per ſe, ſed per accidens; immò in ſe forma ſubſtantialis nullo modo poſset dici actiua: quia cui non competit ratio denominationis, neque ipſa denominatio ei competere poteſt; Ratio autem qua aliquid denominatur agẽs,eſt principiũ, & vis agendi,ergo ſi tale principium non competit formę ſubſtantiali,neque ei cõpetere poteſt denominatio iſta quidditatiuè. Pręterea formę ſubſtantiales diuerſę,conſtituunt diuerſa compoſita habentia diuerſas aptitudines agendi, & patiendi, ergo aptitudo non eſt primum principium, & vis agendi, ſed habet ante ſe aliud principium, à quo ipſa emanat, & quod eſt verum,& proprium principium agendi,& patiendi. Pręterea, ſi negemus omnem actiuitatem, & paſſiuitatem à formis ſubſtantialibus, erunt entia otioſa,& accidentia erunt nobiliora eis, & diuerſitas actionum in ſubſtantijs prouenit ex accidentibus, non ex ſubſtantijs, non habebimus viam cognoſcendi quomodo vna ſubſtantia ſit nobilior altera: quia via inueſtigãdi hoc,eſt ex effectibus, quæ ſunt accidentia, & operationes, vt patet, & denique tota philoſophia euertitur. Hoc etiam apertè admittit Zabarella in illo 4. capite, notando quarto,in quo dicit apertè,potentias non eſse cauſam mediam inter animam, & operationes: ſed animam ipſam eſse immediatum principium operationum in genere cauſę efficientis; & fatetur rationes Scoti in hoc firmiter concludere aduerſus Diuũ Thomam, qui vult, quod potentiæ ſint cauſę mediæ inter animam, & operationem in genere cauſæ efficientis.Et notandum eſt, quod forma nedum eſt principium actiuum aptitudinis agendi;ſed eſt principiũ paſſiuum, id eſt principium aptitudinis patiendi,vt declaraui in Theor. quod natura eſt principium paſſiuum tantũ: primum principium ergo determinatum agendi,

Margin notes: *Potentie animæ non ſunt de pręd[i]ctam qualitatis.* — *1. Concluſ.* — *2. Concluſ.* — *1. probatur* — *2. probatur* — *3. probatur* — *No[ta]* — *Th[eor.] 33.*

agendi, & patiendi eſt forma ſubſtantialis, & ſic patet prima Concluſio. Secunda Concluſio eſt clara, & de hac non eſt controuerſia: quia quælibet aptitudo, ſiue agendi, ſiue patiendi, quæ conſequitur eſſentiam formæ, fluit à forma, & ſic illa aptitudo non eſt ſubſtantia: quia in his ſubſtantijs corruptibilibus ſubſtantia nõ producitur niſi per motum, & mutationem, ergo erunt accidentia, quia accidentia fluunt per modum emanationis à Subſtantia, & ſic eſt inſeparabilis illa aptitudo à forma, & compoſito, cuius eſt, & illi ſoli competit, & ſemper dicitur accidens proprium, ſin minus, dicitur accidens commune; & ex hoc patet, quomodo propria paſſio diſtinguatur, & non diſtinguatur à ſubiecto. Si enim propria paſſio accipitur pro principio aptitudinis, eſt ſubſtantia, non accidens; Si verò accipiatur pro aptitudine emanante a forma, eſt accidens de Prædicamento Qualitatis.

His habitis, vlterius dico, quod potentia naturalis, & impotentia, quæ ponitur ab Ariſtot. in ſecunda ſpecie Qualitatis, eſt potentia ſecundo modo accepta. Probatur per rationes adductas nunc pro prima Concluſione: quia potẽtia primo modo accepta, eſt eſſentia, & natura ipſa formæ ſubſtantialis, & ideò eſt ipſamet ſubſtantia formæ ſubſtantialis; Probatur etiam ex textu Ariſt. in Prædicamentis cap. de Qualitate, non enim dicit Ariſtot. ibi, quod omnis potentia naturalis ſit Qualitas: ſed dicit, quòd potentia facilè aliquid faciendi, & facilè aliquid patiendi, eſt Qualitas, quia facilitas agendi, & patiendi ineſt rei propter illam qualitatem, quę pullulat à forma ſubſtantiali, & hoc confirmatur exemplis Ariſt. ibi, quibus ſe declarat: inquit enim, quod durum dicitur illud, quod habet potentiam ad non facilè ſecari, potentia ergo ad non facilè ſecari, eſt ſecunda ſpecies Qualitatis; non inquit igitur Ariſtot. quòd potentia abſolutè ad non ſecari, ſit ſpecies Qualitatis, ſed potentia non facilè ſecari. Ex hoc ergo manifeſtum eſt, quod vult ſecundam ſpeciem qualitatis eſse illam aptitudinem, & propenſionem, quæ inſequitur formam ſubſtantialem rei, propter quam res non eſt ſic potens, vel impotens abſolutè (quia hoc quòd ſit abſolutè potens, vel impotens eſt à forma ſubſtantiali) ſed propter quam res eſt facilè potens, vel non facilè potẽs agere, & pati, quod prouenit à Qualitate. Quod etiam declaratur exemplo de elementis: quòd enim ignis feratur ſurſum, non dicimus abſolutè prouenire à leuitate, ſed à forma ſubſtantiali ignis; ſed a leuitate prouenit facilitas aſcendendi ſurſum, & ideo leuitas eſt accidens, & iure dicimus ignem habere naturalem potentiam aſcendendi ſurſum, & naturalẽ potentiam aſcendendi ſurſum in igne eſſe leuitatem, & in terra tendendi deorſum grauitatem, &c. Quia ab his qualitatibus habent facilitatem ad ſuos motus naturales. Ex his etiam eſt notandum, quod iſtæ duæ potentiæ declaratæ, non cõueniunt in aliquo genere, quia potentia primo modo eſt ſubſtantia, ſecundo modo eſt accidens; ſubſtantia autem, & accidens in nullo genere conueniunt; potentia igitur in ſe eſt tranſcendens, & dicitur de forma, quæ eſt ſubſtantia, & actus primus, & de operatione, quæ eſt accidens, & actus ſecundus: ita potentia primo modo, dicitur de forma ipſa, potentia ſecundo modo dicitur de aptitudine fluente à forma, & eſt accidens; & hoc egregiè confirmatur ex Ariſt. 9. Metaph. tex. 2. vbi Ariſt. ex profeſso agens de potẽtia, poſtquã declarauit quid ſit potentia abſolutè, tã actiua, quam paſſiua, quæ continetur ſub primo membro à nobis declarato declarat deinde potentiam ſecundo modo dictam, his verbis: *Iterum autem hæ potentiæ dicuntur, aut ſolum faciendi, aut ſolum patiendi, aut ipſius bene, quare in harum rationibus inſunt aliqualiter rationes priorum potentiarum*, vbi not. eſt illud verbum (aliqualiter) dicit enim Ariſtot. quod potentia ſecundo modo dicta, ſcilicet, potentia bene, vel malè faciendi, includit quodammodo rationem potentiæ abſolutæ, quaſi dicat per quandam ſimilitudinem; non vult ergo, quod vtraque potentia contineatur ſub eodem genere: quia ſic ſimpliciter potentia ſecundo modo, includeret rationem potentiæ: ſed vult, quod includat ſolum aliqualiter ſcilicet per ſimilitudinem, & proportionem; Quod etiam confirmatur, quia

infra textu. 3. diuidit potentias in rationales, & irrationales; & potentias rationales dicit eſſe principia in animatis, potentias verò irrationales eſſe principia in inanimatis, & dicit omnes artes, & ſcientias factiuas eſſe potentias, ideſt principia efficientia artes mechanicas, & morales, eſſe potentias, ideſt principia productiua actus moralis. At quis dicet principia prima efficientia huiuſmodi artes eſſe accidentia? dicamus ergo, quod potentia propriè accipitur pro principio primo, quod eſt ſubſtantia, & eſſentia rei, à qua emanat actio ipſa, & aptitudo; ſecundario verò pro aptitudine, quæ conſequitur ipſam formam, & eſſentiam ſubſtantię, & hęc eſt accidens, & ſecunda ſpecies Qualitatis.

His declaratis patet, quod potentiæ animæ, non ſunt potentiæ ſecundo modo, ſed primo modo, & ſic non ſunt accidentia, ſed ſubſtantiæ. Hoc etiam per rationes Scoti probatum eſt, tamen vt res certior fiat, illud idem ex Ariſtot. comprobatur euidentiſſimè.

1. ro. cōtra adu. Ariſt. in 2. de Anima, textu 13. diuidit gradus vitę in quattuor ſpecies, ſcilicet, in vegetare, intelligere, ſentire, & moueri ſecundum locum; deinde in tex. 19. mouet duas quæſtiones Primæ. Vtrum vnuſquiſque horum graduum ſit Anima, vel pars Animæ. Secunda. Si ſit pars, vtrum ſit ſeparabilis ab alia loco, & ſubiecto, aut ratione ſolùm; & hæc ſunt verba Ariſtotel. *Vtrum autem vnumquodque horum eſt anima, aut pars animæ*, & ſi pars, vtrum ſit ſeparabilis ratione ſolum, aut etiam loco; deinde ſoluens ſecundã, quæ ait, quòd de quibuſdam eſt certum, quod nõ ſunt ſeparabiles ab inuicem, vt patet in Enthomis decisis, in quorum partibus decisis eſt ſenſus, fantaſia, deſiderium, vegetatiuum, appetitus, & motus ſecũdum locum; ſed de intellectu eſt dubiũ: quia videtur quibuſdam, quòd ſit ſeparabilis ab alijs, vt æternũ à corruptibili. Ex his locis deſumitur argumẽtũ clariſſimũ, quòd potẽtię animę quæ ſunt vegetatiua, ſenſitiua, & cætera, hos enim gradus vitæ appellat Ariſt. potentias tex. 27. eiuſdẽ ſecundi, vt dicimus, ſunt partes animæ: ſed cuius totũ eſt ſubſtantia, partes quoque ſunt ſubſtantiæ, at anima, quæ eſt totum, eſt ſubſtantia, ergo potentię, quę ſunt partes animæ, erunt ſubſtantiæ.

Præterea, quãdo dicit Ariſt. quod de intellectu eſt difficultas, an ſit ſeparabilis, certũ eſt, quòd nõ intelligit per intellectũ accidens, ſed animã intellectiuam, de hac enim lis erat apud antiquos, non de accidẽte aliquo, certũ eſt enim, quòd accidẽs non eſt ſeparabile, & maximè hoc cogit Thomiſtas, qui ex hoc loco deſumunt Ariſt. ſenſiſſe animam rationalẽ eſſe immortalem: at quando dicũt, intellectũ eſſe immortalem, certum eſt, eos per intellectum non intelligere aliquod accidens, ſed ſubſtãtiam, & eſſentiam animæ intellectiuæ; Si ergo intellect⁹ eſt ſubſtãtia, ita quoque vegetatiua, ſenſitiua, motiua ſecũdum locum, & omnes potentiæ, ſunt ſubſtantiæ, quia eadẽ eſt ratio de omnibus: cum omnes dicuntur potentiæ, & ſint. 2.

Pręterea, in textu 22. eiuſdem 2. de Anima determinat Ariſt. quòd iſtæ potentiæ omnes, non ſunt ſemper in eodem ſubiecto, ſed aliquando adeſt vna tantum, vt in plantis vegetatiua ſolum, in animalibus brutis vegetatiua, ſenſitiua, & motiua ſecundum locum, tandem in homine omnes. Tunc quæro de vegetatiua, quæ eſt in planta, an ſit Accidens, vel Subſtantia? certè dicendum eſt, quod eſt ſubſtantia: quia tunc non eſt pars animæ, ſed anima, vt ibi dicit D. Thomas in expoſitione. Tunc arguo: Sed quod eſt vni ſubſtantia, non poteſt alteri eſſe Accidens, vegetatiua eſt Subſtantia, & anima in planta, ergo in homine, & aĩali non eſt Accidens. 3.

Præterea, probatur quod iſtę potentię ſint anima ipſa, & actus primus. Illud quo primo viuimus, mouemur, intelligimus, & ſentimus, eſt anima, ſed intellectiua, ſenſitiua, vegetatiua, & motiua ſecundum locum, primo intelligimus, ſentimus, & mouemur, ergo iſtæ potentiæ ſenſitiua, intellectiua, & aliæ, ſunt ipſamet Anima; Maior eſt Ariſt. 2. de Anima, tex. 24. Minor eſt clara. 4.

Præterea, in 3. lib. adſunt innumeræ authoritates, oſtendentes intellectnm eſſe Subſtantiam, & animam ipſam intellectiuam, nam in primo tex. ait Philoſophus: *De parte autem animæ*; Si intellectus eſt 5.

pars

pars animę, ergo non Accidens; in 4. tex. ait, quod eſt immixtus intellectus ab obiecto: hoc non poteſt intelligi de accidente, vt per ſe patet: quia loquitur de eſſentia intellectus, quam oſtendit immixtam eſſe ab omnibus obiectis; in ſexto autem tex. ait, intellectum eſſe immixtum à corpore, & organo corporeo; hoc autem certum eſt dici de eſſentia intellectiua animæ, & maximè ſecundum D. Thomam in ſeptimo, ait, animam intellectiuam eſſe locum ſpecierum non totam, ſed intellectum; ergo intellectus eſt pars integralis animæ, & aliæ potentiæ, ſcilicet vegetatiua, & cęterę, ſunt partes etiam eius.

Alia multa loca adducit Zabarella, libro de Humana mente, cap. 14. in quibus oſtendit Ariſtot. loqui in 3. lib. contra Diuum Thomam, de intellectu ſecundũ ſuam ſubſtantiam, ex quibus aduerſus ipſum Zabarellam habemus validum argumentum: quia ſequitur, quòd intellectus non eſt Accidens, ſed Subſtantia, quod enim ſecundum ſe eſt accidens animę, non poteſt de eo tractari, vt eſt ſubſtātia, & eſſentia animę, ſed per te Ariſt. tractat in 3. de intellectu, vt eſt anima intellectiua, ergo intellectus ſecundum ſe, non eſt accidens, ſed ſubſtantia, & eſſentia animę intellectiuę.

Sed diceret forſan Zabarella, quod intellectus duobus modis accipi poteſt; Vno modo pro intellectiua anima, & ſic eſt Subſtantia; alio modo pro potentia, & ſic eſt accidens.

Contra, Hęc diſtinctio eſt falſa: nam intellectus propriè, qui eſt quartus gradus vitę, eſt potentia, & vt potentia, eſt pars animæ, & quartus gradus vitę; Vnde Ariſtot. 2. de Anima, tex. 27. habet hæc verba. *Potentiarum autem animæ, quæ dictæ ſunt, alijs quidem inſunt omnes, alijs verò quædam, quibuſdam verò vna ſola; potentias autem dicimus, vegetatiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, ſecundum locum motiuum, & intellectiuum*; Ecce quod appellat gradum vitæ intellectiuam potentiam; gradus autem vitæ intellectiuus eſt Anima intellectiua; non ergo aliud eſt intellectus acceptus pro potentia, & acceptus pro anima: ſed idem realiter, ideo dicitur pars, & potentia animæ, reſpectu aliarum potentiarum, illius ſcilicet ſenſitiuę, vegetatiuæ, &c. Ex his omnibus colligitur, quod potentię animę ſunt potentię Subſtantiales, non Accidentales, & ſic non pertinent ad ſecundam ſpeciem Qualitatis, ſed ad Subſtantiam.

Sententiam Scoti ſequuntur omnes ferè Philoſophi his temporibus, vt Franciſcus Piccolomineus, 1. libro de Materia, capite 10. Mercenarius in ſuis Dilucidationibus Ludouicus Buccaferreus Gregorius Ariminenſis, & multi alij, apud quos adſunt rationes non ſpernendę: & quod dictum eſt de vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, dicendum eſt de generatrice, altrice, & nutrice: ſicuti .n. illæ quattuor priores ſunt potentiæ animæ intellectiuæ, ita iſtæ ſunt potentiæ animæ vegetalis, quando anima vegetalis eſt ſola, vt in plātis: quando autem vegetalis eſt ſimul cũ ſenſitiua, & intellectiua, iſtæ tres facultates, generatiua, nutritiua, & cætera, ſunt potentiæ quoque animæ ſenſitiuæ, & intellectiuæ: differunt ſolum, quia illæ quattuor ſunt magis generales, iſtæ magis ſpeciales: ſed omnes ſunt potētiæ, & idē ſunt realiter animæ eſſētiæ, & diſtinctæ formaliter ab eadem; idem dicendum eſt de potentijs ſenſitiuis, vt viſiua, auditiua, &c.

Picc. *Mer.* *Bucc.* *Greg.*

Rationes Aduerſariorum ſoluuntur. Cap. III.

EX dictis patet ſolutio ad rationes in oppoſitum. Ad primam D. Thomæ reſpondet, & ſimul eam impugnat Scotus loco citato; Nam illa propoſitio actus, & potentia ſunt eiuſdem generis, includit æquiuocationem; Duobus enim modis poteſt accipi potentia; Vno modo, vt eſt principium operandi, & ſic diuiditur in potentiam actiuam, & paſſiuam 2. & 9. Metaph. vt ſupra vidimus; Alio modo accipitur potentia, vt contradiſtinguitur ab actu; propoſitio allata, eſt vera de potentia hoc ſecundo modo accepta immò hoc modo accipiendo potentiam, actus, & potentia ſunt nedum eiuſdem generis, ſed eiuſdem ſpeciei, & numero, quia idē indiuiduum, quod nunc eſt in actu, prius fuit in potentia: ſed de potētia in hoc ſen- *Ad 1.*

 ſu non

ſu non loquimur in præſenti(tertio modo etiam poteſt conſiderari actus, & potentia,vt ſunt paſſiones entis, & in hoc ſenſu patet,quòd non ſunt eiuſdē generis: quia in nullo prædicamento ſunt, ſed ſunt illimitata,vt eſt ens; & in hoc ſenſu quoque patet,quod eſt falſa allata propoſitio.)Accipiendo autem potentiam primo modo, falſa eſt illa propoſitio:quia potentia,quę eſt principium tranſmutationis,vt potentia actiua,& actus illi reſpondēs,non ſunt rei exiſtentis in eodem genere, neque in eadem ſpecie, neque in eodem numero; vniuerſaliter in eodem numero nūquam ſunt:quia nihil producit ſeipſum,in eadē ſpecie aliquando ſunt, quia homo generat hominem, qui ſunt eiuſdem ſpeciei: ſed etiam ſæpè ſunt in diuerſis ſpeciebus, & generibus, vt cū Subſtātia generat Accidēs,nā potentia actiua Subſtantiæ eſt in Subſtantia,actus illi reſpondens eſt Accidēs, Ecce quod differūt genere,& genere generaliſſimo:qđ autē Subſtantia producat Accidēs immediatè eſt ſentētia Ariſt. 7.Metaph.in fine,textu 32.& vltimo, vbi dicit, quòd Subſtantia non producitur in eſſe,niſi à Subſtantia,ſed quātū, vel quale producitur in eſſe nullo quanto,vel quali præſuppoſito in actu,ſed ſolum in potentia. Ex quo apparet, quòd Subſtantia eſt immediatè effectiua Accidentis;De potētia paſſiua idem patet: quia Accidens, qui eſt actus,immediatè recipitur in Subſtantia alioquin eſſet proceſſus in infinitum:quoniam Accidens ineſſet alteri, & illud alteri,& ſic in infinitum.

Potentia autem paſſiua Subſtantiæ, & actus,qui eſt Accidens, ſunt diuerſi generis.Item D.Tho.ponit in anima virtutem actiuam reſpectu iſtarum potentiarum: quia eas fluere ab eſſentia, attribuitur virtuti actiuæ eſſentiæ.

Item ipſemet in 3.Sent.ait,quod eſſentia animæ eſt immediatum principium, & proximum receptiuum iſtarum potentiarum, quantumcumque ſint Accidentia ſecundum ipſum, tamen ſecundum eundem, non ſunt in eodem genere cum eſsentia animæ: ergo receptiuum non eſt ſemper eiuſdem generis cum recepto.

Cai. Caiet.1.par.Summæ quæſt.77.artic.1. nititur defendere hanc rationem D.Thomæ, & pro ſolutione adducit hanc diſt. quòd tripliciter res ſe habent,quædam enim ſunt eſsentialiter in genere potentiarum; quædam verò ſunt eſsentialiter in genere actuum; quædam participant potentiam,& actum.

Ad propoſitum ait, quod allata propoſitio: Actus,& potentia ſunt in eodem genere,intelligitur de potentia eſsentialiter: (in propoſito enim ait eſse ſermonem ſolum de his,quæ ſunt eſsentialiter in genere potentiarum)ordinata ad actum, ſiue ſit receptiua,ſiue ſit actiua,vt patet in 12. Metaph.textu 26. Neque contra hoc adducitur aliqua inſtantia;& quod inſtantię adductæ à Scoto,nō militent contra hoc, ibi nititur oſtendere; Sed hæc reſponſio Caietani nihil obeſt probationibus allatis à Scoto;Etenim iſta potentia eſsentialiter ordinata ad actum,non poteſt eſse niſi potentia, quæ contradiſtinguitur ab actu; hæc potentia enim eſt eſsentialiter potentia:quia omninò ſecundum eſsentiam opponitur actui;At ratio Scoti dicebat,Propoſitionem illam eiuſdem generis eſse actum,& potentiam, in hoc ſenſu eſse veriſſimam: ſed non eſse ad propoſitum: quia hic non loquimur de potentia quæ eſsentialiter opponitur actui,ſed de potētia, quæ eſt principium tranſmutationis, quæ potentia non eſt eſſentialiter potentia,ſed neceſſariò actus,vt patet de potētia actiua: quod enim non eſt actu, non poteſt agere,etiam paſſiua;quod enim nō eſt,non poteſt tranſmutari;at quod rationes Scoti non militent contra Propoſitionem in hoc ſenſu concedimus: ſed rationes Scoti procedunt contra potentiam primo modo acceptā,ſcilicet,pro principio trāſmutationis, ſiue ſit actiuū, ſiue ſit paſſiuum: locus autē ille ex 12. Metaph. textu 26.nō rectè intelligitur à Caietano, vt etiā notauimus in Theor. de Philoſophiæ naturalis ſubiecto, dicit enim ibi Ariſt.quod omnium Prædicamentorū ſunt eadē principia,non abſolutè, ſed ſecundū proportionē:quia in omnib. eſt actus, & potentia, quæ ſunt principia illorum:ſed ait Ariſt. quod non eodem modo in omnib. ſe habet actus,& potentia,quia in alijs materia eſt potētia,& actus eſt forma: in alijs verò eſt potentia, & actus: quia *Re cit.*

ante-

antequam eſſent prius erant in potentia, & poſtea facta ſunt in actu; primo modo actus,& potentia, ſunt principia Subſtãtię, quę componitur ex materia, & forma;ſecundo modo omnia Accidentia cõſtant ex actu,& potentia,non quia quidẽ ſint compoſita, ita quod accidens conſtet ex aliquo,quod ſit potentia, & ex aliquo, quod ſit forma, vt arbitratur Caietanus: quia Accidentia ſunt formę ſimplices;ſed dicuntur conſtare ex potentia, & actu: quia prius erant potentia, & poſtea facta ſunt in actu, ſicut dicit Philoſophus 1. Phyſic. ex non domo fieri domum.Sed illum locum Ariſt. diligenter expoſuimus in Theoremate de Subiecto philoſophiæ naturalis.

Sed dato,quod Ariſtot. diceret,vt vult Caietanus, quodquodlibet Prędicamentum conſtaret ex aliquo, quod ſit potentia,& ex aliquo, quod ſit actus, ita, quod Accidens,vt Quantitas,& Qualitas, &c. eſſet quoddam compoſitum, non eſt ad propoſitum: quia hęc potentia eſſentialiter ordinatur ad actum,vt cum illo componatur,& faciat compoſitum;at nos hic non loquimur de potentia, quę eſt pars compoſiti, ſed de ea, quę eſt principium operationis.

Pręterea, talis potentia ordinata ad actum,eſt ſemper paſſiua,vt patet:nos autem hic loquimur de potentijs, quę ſunt principium actiuum,& productiuum:nõ eſt ergo ad propoſitum hęc ratio, quę tali potentię innititur,& laborat in ęquiuoco. Reliqua quę dicit Caietanus ibi,quilibet ex dictis videre poteſt, quòd non ſunt ad propoſitum.

[...]au. Aliter reſpondet Iauellus in 2. de Anima q. 12. & tali modo videtur interpretari mentem Caietani: dicit enim, quod Propoſitio iſta,& actus, & potentia, ſunt eiuſdem generis: in doctrina Diui Thomę intelligitur de primo principio actiuo, vel paſſiuo, quod ex primo intento authoris ordinatur ad producendum, vel recipiendum aliquem actum primo, & per ſe,non ſecundario,& per accidens; modo anima non eſt ordinata primò ad producendum ſuas potentias, quę ſunt accidentia; ſed ad dandum eſſe ſubſtantiale,& conſtituere animatum, ſecundario verò ad producendum potentias; Potentię verò ex primo intento authoris,ordinatę ſunt ad actus ſuos producendos per ſe,& non per accidens: ideo potentię, & actus ſunt eiuſdem generis, & conſequenter cum actus ſint accidentia,potentię quoque ſunt accidentia.

Sed hęc interpretatio eſt falſa multipliciter; quia animam dare eſſe ſubſtantiale, & actum primum, eſt producere potentias; (vt vtar eius modo loquendi, qui tamen eſt improprius, & falſus) probo;quia quęro à Iauello,quid ſit animam dare eſse ſubſtantiale? certè eſt conſtituere viuens, & animal, at conſtituit viuens per potentiam vegetalem, & animal per ſenſitiuam,ergo animam dare actum primum,& producere potentias,idem ſunt: alioquin poſset anima dare eſse ſubſtantiale,& actum primum,& non dare viuere:neque eſse animal, quod eſt abſurdũ; Ex quo habemus duo contra Iauellum; Primum, quòd falſum eſt, animam per ſe producere actum primum,& per accidens potentias: quia hęc duo ſunt vnus, & idem actus; Secundum eſt. Quod anima, & potentię ſuę, ſunt eiuſdem generis: quia actus primus animæ, per ſe eſt productio potentiarum: quia non poteſt dare actum primum, niſi producendo potentias,& conſequenter contra ipſum infertur, potentias eſse ſubſtantias: ſiquidem ſunt eiuſdem generis cum anima. Inſuper,dato,quòd potentiæ ſint accidentia, falſum eſt,quod anima primo,& per ſe, non ſit ordinata ad producendum eas; quia vt probatum eſt ſuprà, nunc ſubſtãtia immediate producit accidens per ſe, alioquin accidens primum productum à ſubſtantia,non haberet cauſam productiuam per ſe,quod eſt abſurdum:quia omne ens non per ſe, habet cauſam per ſe; item accidens proprium, non poſſet demonſtrari de ſubiecto:quia in demonſtratione ponitur ſolum cauſa per ſe. *Reijcitur.*

Arguit etiam Iauellus contra id quod dicit Scotus;quod actus,& potentia ſunt eiuſdem generis;eſt verum de potentia, vt contradiſtinguitur ab actu: quia nedum eſt verum,quod ſint eiuſdem generis,ſed eiuſdẽ ſpeciei, & idẽ numero, per hoc qui ſunt termini incompoſſibiles, vt *Rõ Iauelli.*

potētia obiectiua roſæ, & actus entitatiu⁹ roſæ,ergo diſtinguuntur realiter;Dico primò,quòd ille, & Caietanus decipiuntur, dum interpretantur Scotum intelligere per potentiam,quæ contradiſtinguitur ab actu, potentiam obiectiuam: quia Scotus abſolutè intelligit quamcumque potentiam, quæ contradiſtinguitur ab actu,ſiue ſit obiectiua, ſiue ſit ſubiectiua.Secundò, ad rationem dico,quod Scotus ibi nō dicit quod potentiæ, & actus, ſint idem numero;ſed inquit, quod ſunt in eodem numero,ſcilicet in eodē indiuiduo : quia nedum ſunt in eodem genere, & in eadē ſpecie,ſed etiam in eodem numero.

Reſp.

Ad 2. rōnē princ. Ad ſecundam rationem reſpondet Scotus,& digreditur arguēdo cōtra eā, quòd aliàs videbimus;ſolutio rationis cōſiſtit in hoc;Negatur cōſequētia;Ratio negationis eſt: quia non valet ſimilitudo, de dare eſſe,& dare operari, anima enim dat eſſe corpori formaliter & in genere cauſę formalis;& ſic valet dicere: anima eſt actus corporis Phyſici,& cætera , ergo corpus Phyſicum, & cætera, ſemper eſt in actu, eſt verò cauſa operationis in genere cauſæ efficientis: nō eſt autem neceſſe,quòd cauſa efficiens ſemper agat;poteſt ergo anima eſſe actus primus, & forma corporis Phyſici, abſque eo, quòd efficiat operationem,vel poſſit efficere:quia iſta ſunt diuerſa genera cauſarum.

Inſtātia Cai. & Iau. Caitenus, & Iauellus ad hanc ſolutionem dicunt,quod ratio D. Thomæ concludit : quia quando dantur duo principia, quorum vnum non eſt expectatiuum ſui actus, aliud verò eſt expectatiuum ſui actus,illa ſunt diuerſa principia:ſed eſſentia animæ non eſt expectatiua ſui actus , quia ſemper dat eſſe,potentia verò eſt expectatiua , ergo ſunt diuerſa principia. *Reſp.* Sed hęc ratio nulla eſt : quia hoc concluderet,ſi eſſent principia in eodem genere cauſæ:ſed quia in propoſito ſunt in diuerſo genere cauſæ,non valet, vt dictnm eſt: quia anima,vt eſt eſſentia , eſt cauſa formalis;vt productiua operationis, eſt cauſa efficiens;primus actus qui eſt formalis, non poteſt abeſſe illi,ſed ſecūdus aliquādo.Caietanus verò ſic arguit. *Alia inſtātia* Ab actu,in quantum actus , non prouenit potentia : ſed anima eſt actus,ſi autem daret ſolum actum primum, & non operationem ab ea,vt eſt actus,proueniret potentia , ergo anima ſi eſt actus,etiam ſtatim operatur. *Caie tan.*

Reſp. Reſpondetur, quòd ab actu in quantum actus eſt non prouenit potentia in ſuo genere:ſed non inconuenit,quòd proueniat in alio genere : & ſic ab anima inquantū eſt actus formalis, non prouenit potentia in genere cauſæ formalis:ſed prouenit potentia in genere cauſæ efficientis.

Ad Ad tertiā negatur Cōſequētia;Ad probationem dico,quòd diuerſorū actuū, diuerſa ſunt principia, ſufficit quod ſint diuerſa formaliter,nō ſemper realiter,eſſentia autem animę,& eius potentiæ, ſunt diuerſæ formæ formaliter,nō realiter; Si verò formetur ratio,vt eā format Scotus:Sicut ſe habet eſſe,ad eſſētiā,ita operari,ad potentiā:tūc mutetur proportio, & dicamus:Sicut ſe habet eſſe,ad operari,ita eſſētia,ad potētiā:ſed eſſe, in omni creato diſtinguitur ab operari, ergo eſſentia diſtinguitur à potētia;Reſpōdet Scotus, qđ illa Propoſitio Maior:Sicut ſe habet eſſe,& cętera,eſt falſa:quia eſſe eſt idē,quod eſſētia realiter,nec differt ab illa:ſed operari differt realiter à potentia,& fluit ab illa.

Ad Ad quartam dico , quòd continet expreſſum mendacium, & contra ipſos eſt. Nam dicit,quod eſſentia animę eſt actus corporis, & ideò non eſt ſeparata ſecundum eſſentiam, ſed ſolum ſecundum intellectum;modo ex hac ratione ſequitur, quod anima intellectiua non ſit ſeparabilis à corpore, ſed accidens ipſius animæ, ſcilicet,intellectus,qui eſt potentia,& accidens ſecundum eos , & ſic ſolum accidens erit ſeparabile, & accidens ſolum erit immortale,non eſſentia animæ:quę in ſe quam ſint abſurda, & etiā contra eos, patet. Ad rationem tamen dico . Quod Minor eſt falſa. Ad probationem iam diximus in Theoremate de Informatione animę intellectiuæ, quod licet intellectus non ſit virtus organica , tamen eſt forma informans;& hoc ipſi quoque dicere debent, niſi ſibi contradicere velint; & ſic, hæc non ſunt incompoſſibilia , quod anima intellectiua ſit ſimplex, & inorganica, & tamen ſit actus informans .

Ad Ad quintū,iam declarauimus quomodo propoſitio illa de 8.Phyſicorum, nihil

mouet

mouet ſeipſum, intelligatur in Theoremate, quod elementa mouent ſeipſa. Opporteret etiam declarare, quomodo phātaſia moueat appetitum: ſed propter prolixitatem vitandam, dico, quòd non eſt inconueniens, ea, quæ formaliter diſtinguūtur, mouere ſeipſa ad actum ſecundum: ſicut non eſt inconueniens, quod idem realiter moueat ſeipſum hoc modo, licet nihil moueat ſe, quo ad actum primum.

Ad ne Æg. Ad rationem Aegidij. Scotus eam reflectit aduerſus Aegidium. Quæro enim vtrum potentia ſit variabilis, necne? ſi nō, cum anima ſit ita inuariabilis, ſicut potentia, ipſa anima poterit recipere actus variabiles ſicut potentia: ſi potentia eſt variabilis, non poteſt recipere per te variabile, niſi mediante aliquo inuariabili, non ergo poteſt eſſe medium, quo eſſentia recipiat actus variabiles. Ad illud Heruæi reſp. Scotus, negando illam propoſitionem: ſcilicet, quod idem ſimplex non poſſit eſſe principium diuerſarum operationum; eſt enim falſa: quia etiam ſecundū Aduerſarios, Subſtantia animæ tunc non poſſet eſſe receptiuum immediatum triū potentiarum; ſi quis dicat hoc verum eſſe æquè primo, tamen ordine quodam, ita vt vna recipiatur mediante alia, vel prius natura alia, non eſſe inconueniens, hoc impugnatur: quia vna forma in corporalibus, non eſt principium recipiendi aliam; vt raritas in igne, non eſt principiū recipiendi calorem: nec calor in igne, eſt ratio recipiendi leuitatem, etiam ſi prius natura recipiatur calor: quia tunc leuitas nuſquam reperiri poſſet, niſi vbi eſſet calor, ex quo calor eſſet per ſe ratio recipiendi leuitatem. Sic in propoſito, etiam ſi vna prius alia recipiatur, tamen immediatè intelligere, & velle, in eodem ſuſceptiuo recipiuntur, ſcilicet in eſſentia animæ. Quod dicit de materia, quæ non recipit diuerſas formas niſi vario modo determinata, confirmat propoſitum: quia materia immediatè recipit ſaltem illa abſoluta, quibus ipſa determinatur. Quod etiam dicit materiam mediantibus illis diſpoſitionibus recipere formas, falſum eſt: quia quod eſt receptiuum, vel ratio recipiendi formam ſubſtantialē per ſe, eſt de ſubſtantia compoſiti, ergo illud abſolutum quod ſic diſponit materiam, vel eſt forma ſubſtantialis, & tūc in compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, quod ille negat; vel eſſet ſimpliciter accidens, & ſic accidens eſſet de eſſentia compoſiti, quod eſt inconueniens; Ratio ergo nedum non concludit, ſed admittit multas abſurditates.

Ad primam Zabarellæ, patet ex dictis in 2. cap. quoniam potentiæ, quæ ſunt de ſecunda ſpecie Qualitatis, ſunt aptitudines ad faciliter operandum: ſed potentiæ animæ non ſunt aptitudines, ſed principia prima, à quibus aptitudines emanāt; iſtæ autem potentiæ, patet quod non differunt ſecundum magis, & minus, ſed ſecundum ſpeciem, & genus: & ſic eius rationes quas facit, 1. lib. de materia, cap. 9. nullæ ſunt. Cū enim dicit: Sicut ſe habet actus, ad actum, ita potentia, ad potētiā, actus autem currendi, & bene currendi, ſunt in Prędicamēto Qualitatis, ergo potentiæ currendi, & potentiæ bene currendi, ſunt in Prædicamento Qualitatis; Maior eſt falſa, & nititur illi Propoſitioni: eiuſdem generis ſunt actus, & potentiæ; quæ Propoſitio eſt falſa in ſenſu quo illā aſſumunt; vt declarauimus ſuprà in reſp. ad primum D. Thomæ. Cum etiam dicit, quod ſub potentia abſolutè cōtinetur potentia bene agendi, ex 9. Metaph. iam dictum eſt in 2. cap. quomodo ille locus intelligatur: neque enim illæ potentiæ ſunt ſpecies vnius generis, ſcilicet potentiæ in cōmuni, vt ille dicit, ſicut declarauimus: ſed differunt plus quam genere, & hæc potentia ſecundo modo dicta, quæ eſt accidens, continet aliqualiter, & per quandam ſimilitudinem potentiā primo modo dictam, non vniuocè. Ad 1. Zab.

Ad ſecundā reſp. quòd ſunt idem realiter, ſed differunt formaliter; Quod ſi quis arguat, vt Zabarella ibidē, rationes iſtæ formales, per quas potentiæ diſtinguuntur ab inuicem, vel ſunt aliquid, vel nihil; non nihil, quia nihil non eſt cauſa differentiæ, ergo aliquid, & tunc, vel Subſtantia, vel Accidens, nō Subſtantia, quia tunc erunt formæ ſubſtantiales, ergo relinquitur, quòd ſint Accidentia. Reſp. qđ argumentum contra nos nihil valet: quia Ad 2.

dicimus,quod illæ formalitates ſunt Subſtantia,nec tamen ſequitur,quod ſint diuerſæ formæ,ſicuti nec verum,bonum,& vnum,in ente,ſunt diuerſæ formæ, ſed diuerſæ formalitates, & realitates reales. Cum ſecundo arguit: Si potentiæ ſunt idem realiter,& ſecundum internam rationem,ſequeretur,quod potentia olfactiua, quatenus olfactiua,eſset potentia viſiua: quia hæc conditio,quatenus,eſt eſsentialior conditio,quæ inſit potentiæ. Reſpondetur negando conſequentiam:non enim dicimus, quod potentiæ illę ſint idem ſecundum rationes formales, immò hoc negamus, ſed ſolum dicimus,eas eſse idem realiter: quia ſunt vnamet res realiter cū eſsentia animæ, & cum ſeipſis: conditio autem illa, quatenus, infert identitatem ſecundum rationem formalem, vnde licet vnum,& bonum,à ſimili ſint idē realiter in ente,nō tamēvalet ex hoc inferri, ergo bonum, in quantum bonū, eſt vnū.

Ad 3. Ad tertiam reſpondetur per diſt.ſuperius allatā,quod duobus modis accipitur potentia;Vno modo,prout cōtradiſtinguitur ab actu, & ſic eſt vera Minor: ſed ſic non loquimur in propoſito;Secūdo modo accipitur pro principio trāſmutationis,& ſic falſa eſt Minor:quia potentia eſt nobilior actu illo ſecundo,ſcilicet operatione, & de hac loquimur in propoſito.

Ad 4. Ad quartum, patet ex dictis ad tertiā pro D.Thoma, falſa enim eſt illa Maior: Sicut ſe habet eſſe, ad operari,ita eſſentia ad potentiam, quia eſſe,fluit, nec diſtinguitur ab eſſentia, ſed eſt illi idem,operari verò,diſtinguitur à potentia, ideò non eſt ſimile.

THEOREMA LXXV.

Potentiæ intrinſecè & eſſentialiter diſtinguuntur à ſeipſis, ſed à poſteriori per actus,& per obiecta.

Exponitur Opinio Scoti,& aliorum opiniones,& rationes reijciuntur. Cap. vnicū.

EX dictis in duob.præcedētibus Theorematibus patet ſatis conſpicuè,quo modo potentiæ diſtinguantur ad inuicem,& per quid diſtinguantur; tamen, quia de hoc non conſentiunt omnes, res breuiter eſt explicanda. Tota difficultas oritur ex verbis Ariſt.2. de Anima, textu 22.& 23.in quibus locis dicere videtur, quòd potentiæ diſtinguantur per actus, actus per obiecta;ex hoc enim loco aliqui dicunt, quod eſſentialis diſtinctio potentiarum,& à priori,ſumitur ab actu, & ab obiecto. Alij verò dicunt, quod potentiæ diſtinguuntur ſeipſis formaliter,& à priori: per actus verò diſtinguuntur à poſteriori. Hæc ſecunda opinio mihi verior videtur:& ea expreſsè eſt Scoti, pluribus in locis: ſed ex dictis maximè elicitur:quia cum ipſæ potentiæ a ſe inuicem ſolum formaliter diſtinguantur, clarū eſt,quod ratio illas diſtinguens, eſt ratio formalis vniuſcuiuſque ipſarum potentiarum: ſed hoc expreſsè dicit,& probat Scotus,quod lib.quæſt.13. poſt H.H. ponit enim hanc diſtinctionem, per quam explicat allatā propoſitionem deſumptā ex Ariſt. quod potentias diſtingui per actus,poteſt intelligi duobus modis;Vel quod diſtinguantur per actus eſſentialiter, & à priori;vel quantum ad manifeſtationem,& à poſteriori;Primo modo ait eſſe falſum; neque eo modo intelligi debere Propoſitionem Ariſt. quia[quod eſt eſſentiale principiū, & ratio diſtinctiua alicuius ab aliquo, nō eſt poſterius diſtincto:ſed actus eſt poſterior potentia eſſentialiter,ergo actus non eſt ratio,nec principium diſtinctiuum potentiæ; Maior eſt euidens: quia principia eſſentialia diſtinguentia rem, ſunt etiam principia eſſentialia conſtituentia rem in eſſe,& ſic præcedunt, non ſubſequuntur; Minor quoque eſt euidens:quia actus eſt effectus proueniens à potentia; effectus autem eſt poſterior cauſa ſaltem natura; adeò,quod ratio eſt efficaciſſima. Hoc idem poteſt elici, & probari ex Scoto 2. Sent.diſt.1.q.6. in corpore enim quæſiti probans,quod Angelus, & Anima differunt ſpecie, & quod ratio iſtius diſtinctionis prouenit, quia anima eſt talis naturæ, & Angelus talis naturæ, accipit hanc Propoſitionē,& eam ibi probat; Omne potens agere, eſt aliquod ens habens actum primum,& in eo eſt prior actus primus ſecundum ſe,quàm in cōparatione ad actū ſecūdum,cuius poteſt eſſe principium;ita quòd

1. rō. Scoti pro ſua opin.

2. rō.

quòd licet illud, quo ẽs tale eſt principiũ actus ſecũdi, non ſit aliud à natura ſua, nõ tamen prima entitas ſua, eſt natura ſua, vt eſt principium actus ſecundi, ſed natura ſua, vt in ſe, eſt hęc; & ita prima diſtinctio entis, nõ eſt per naturam ſuam, inquantũ eſt talis operationis: ſed per natura ſuam, vt hæc natura, licet per identitatẽ ipſa ſit principiũ actus ſecundi. Ex hac ergo propoſitione declarata, & ꝓbata à Scoto, poſſumus arguere, quòd potẽtiæ primo, & eſſentialiter diſtinguantur per ſe, ſic omne ens, quod eſt principium alicuius actus ſecundi, primo eſt actus primus ſecundum naturam, & in ſe, poſtea eſt principium actus ſecundi: ſed potentiæ ſunt principia productiua actiuum ſecundorum, vt diximus in præcedentibus, ergo prius ſunt entia talia ſecundum ſe, & ſunt actus primi per ſe, deinde ſunt principia actuum ſecundorũ, ergo potentiæ animæ primo, per ſe, & eſſentialiter diſtinguuntur per ſeipſas, quã per actus, vel per relationẽ ad actus ſecũdos. Maior eſt euidens ex dictis: & adhuc probatur ratione, & exẽplo adductis ibi à Scoto: quia omne ens, quòd eſt principium alicuius operationis, ideo eſt principium talis operationis, quia eſt ens tale, & eſt talis naturæ; etiã exemplo confirmatur. Sol eſt principiũ generandi multa mixta in his inferioribus, ſi modo quæras primam diſtinctionẽ Solis à Planta non eſt illa potentia, vel principiũ producendi mixta: ſed eſt forma Solis, & forma Plantæ; Minor eſt probata ſatis in pręcedentibus, dum oſtendimus, quod potẽtiæ non ſunt accidẽtia: ſed quod ſunt ſubſtantiæ, & quod vnitiuè continentur in anima, & quòd manent diſtinctæ formaliter; hoc modo itaque dicendum eſt, potentias animæ diſtingui a priori.

Ad Ariſt. reſp. Ad Ariſt. autem dicimus, quod in præcitatis locis, quando dicit, quod potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta, intelligit quantum ad manifeſtationem, & à poſteriori; & confirmatur hoc: quia Ariſt. 2. de Anima, tex. 33. ait: quòd quia potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per obiecta, vult prius agere de obiectis, tamquam de notioribus, & præuijs ipſis actibus; deinde de actibus, & tãdem de potentijs. Clarum eſt ergo, quod quando dixit, actus diſtingui per obiecta, & potentias per operationes, locutus eſt ſecundum manifeſtationem, & à poſteriori: quia actus inducunt nos in cognitionẽ manifeſtam ipſarum potentiarum. Hanc ſentẽtiam optimè explicat, & tuetur Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, & Iandunus 2. de Anima q. 8. & Henricus in ſuis Quodlibetis, & multi alij.

Poſſumus etiam dicere, quòd potentię diſtinguuntur per actus, & per obiecta tã quam per principia extrinſeca, quæ ſunt finis, & agens: actus enim eſt finis potentiæ, & obiectum eſt cum cauſa productiua ſimul cum potentia actus, eſſentialiter tamen diſtinguuntur per ſe, vt dictum eſt, & hoc idem Scotus in quodlibetis citato loco dicit.

Opin D. T. D. Thomas p. p. q. 77. artic. 3. examinat cauſam iſtius diſtinctionis ex profeſſo, & apertè dicit, quòd potentiæ diſtinguuntur per actus; & rationem adducit: quia inquit, potentia ſecundum illud quod eſt potentia, ordinatur ad actum: vnde oportet rationem potentiæ accipi ex actu, ad quem ordinatur, & per conſequens oportet, quòd ratio potentiæ diuerſificetur, vt diuerſificatur ratio actus; Ex quibus verbis apertè patet, quod vult eſſentialem differentiam in potentia, pendere ab actu, ſicuti ratio, & eſſentia potentiæ includit habitudinem ad actum, ad quem ordinatur; quomodo autem obiectum diſtinguat actum, declarat ibi in reliquo corpore articuli. Hæc certè eſt opinio D. Thomæ, tamen Thomiſtæ, vt Caietanus, Iauellus, & alij, quoniam viderunt, quod hæc ſententia patitur maximas difficultates, quia actus eſt poſterior potentia, & ideo ratio, & differentia diſtinctiua eſſentialis, interna, & a priori, non poteſt ſumi ab actu, vario modo exponunt. Caietanus interpretatur huiuſmodi dictum in Commento, ſcilicet, quod hæc propoſitio. *Interpretatio Caieta. & Iau. 1. ſenſus.* Potentiæ diſtinguuntur per actus, poteſt habere quattuor ſenſus, quorũ tres adducemus, qui faciũt ad propoſitũ; primꝰ quòd quãdo dicimus, quòd potentię diſtinguũtur per actus ly, per, denotet differentiam diſtinctiuam, ita quod actus ſint principia, quib. formaliter vt proprijs differẽtijs potentię diſtinguãtur, & hoc eſt omninò impoſſi-

impoſſibile, quia differentia formalis eſt interna rei, & eſt illa eadem, per quam res eſt talis, cuiuſmodi non ſunt actus reſpectu potentiarum. Secundus ſenſus eſt, quòd ly, per, denotet principium declaratiuum tantùm, vt nos diximus; & hunc ſenſum impugnat Caietanus: quia inquit illum procedere ex ignorantia Philoſophię naturalis, & ex ignorantia diſtinctionis inter actus, vt effectus potentiarum ſunt, & vt ſunt finis earũ: vnde ait: ſi hanc diſtinctionem animaduertiſſent Aſſertores talis opinionis, & etiam notaſſent id, quod dicitur in 2. Phyſ. quòd rerum naturalium optima redditur ratio à priori, cum ex fine ſumitur, non dixiſſent hanc diſtinctionem potentiarum per actus, vt per finem eſſe a poſteriori, ſed a priori. Caietanus itaque reprehendit hunc ſenſum in eo, quod nos dicimus eſſe diſtinctionem à poſteriori, non à priori: ipſe verò vult, quod ſit à priori: quia eſt per cauſam finalem, per quam quando oſtendimus aliquid, dicimur oſtendere à priori, non à poſteriori. Tandem ponit ſenſum, in quem dicit loqui D. Thomam, & eſt ſatis implicatus (ſic enim euenit cum quis fictitia dicit,) & eſt quod ly(per) denotat principium definitiuum extrinſecum quidem à re, ſed intrinſecum definitioni rei, ita quod potentiæ diſtinguuntur per actus à priori, non tamquam per differentias, nec tamquam per cauſas omninò extrinſecas, ſed tamquam per cauſas incluſas neceſſariò in definitionibus primis earum: incluſas autem dico per additamentum eo modo, quo alterum corelatiuum cadit in definitione alterius. Hæc ſunt eius verba formalia, quibus declarat hunc vltimum ſenſum; quæ verba, quilibet vel parum eruditus conſiderans, cognoſcet continere contradictiones, & tandem nullum ſenſum facere, niſi repugnãtem. Sed accipiamus ea in potiori ſenſu, quem illis tribuere poſſumus, & vt ea interpretatur quoque Iauellus, ſenſus eſt: quod potentiæ diſtinguuntur à priori, & ex natura ſua per actus: non tamen actus ſunt principia diſtinctiua eſſentialia, neque omninò principia externa, ſed ab actibus ſumitur tale principium conſtitutiuum potẽtiæ, & diſtinctiuum illius ab alijs potentijs, ad differentiam entis abſoluti, quod habet principium diſtinctiuum eſſentiale intrinſecum, & ab intrinſeco ſumptũ, adeo quod dicunt potentias eſſe relatiua, & ſicut relatiua conſtituuntur in eſſe, & diſtinguuntur ab alijs per differentiã ſumptam ad ſuum correlatiuum, quæ eſt habitudo illa eſſentialis relatiui ad correlatiuum: quæ habitudo eſt interna relatiuo, ſed ſumpta extrinſecus, ſcilicet ex ſuo correlatiuo: ita potentiæ diſtinguuntur per habitudinẽ ad actus, quæ habitudo eſt interna illi potentiæ, ſed tamen ſumitur ab externo, ſcilicet ab actu, ad quẽ habet habitudinem. Verum hæc Opinio in hoc ſenſu à Thomiſtis his expreſsa, includit repugnantiam, & eſt falſa. Primũ quidem, ea, quæ dicit aduerſus ſenſum ſecundum huius Propoſitionis, quem nos diximus eſse verum, nullius momenti ſunt; & quod aſſumit, quod ea, quæ diſtinguuntur per cauſam finalem, diſtinguuntur à priori, & hoc dici expreſsè in 2. Phyſ. dico eſse falſum: neque haberi in illo ſecundo: debebat aſſignare locum, ſi ibi expreſsè habetur. Sed pro intelligentia eſt notandũ, vt omnes ſciunt, quod cauſa finalis non cauſat neque efficit, niſi metaphoricè, eſt enim prima in intentione, ſed vltima in executione, finis mouet efficiẽs, ſed non agit, nec producit realiter, ex quo patet, quod nec etiam finis conſtituit in eſse aliquid realiter; non ergo poteſt eſſe finis cauſa diſtinguens a priori, quia illa diſtinguunt à priori, quæ conſtituunt à priori, & dant eſse reale, vti forma, materia, & efficiens: ſed finis à poſteriori, & ratione termini diſtinguit, finis enim non habet rationem principij in productione reali, ſed habet rationem termini, & diſtinctio, quæ ſumitur à fine, ſumitur tãquam à termino, & ab effectu, & ſic à poſteriori, & ab effectu: quia vt cauſa, agit ſolum ſpiritualiter, & Metaphoricè, vt dictum eſt; cum ergo potentias per actus diſtingui dicimus, eſt diſtinctio à poſteriori, non à priori. Quo ad opinionem verò in ſe, ſecundum ſenſum expoſitum ab ipſis, repugnat eis: quia in præcedentibus dixerunt, quod potentiæ ſunt Accidentia, & ſunt Qualitates de ſecunda ſpecie Qualitatis, & ſic ſunt abſolutę, nunc verò ſa-

Marginalia (left): 2. ſenſus. — 3. ſenſus, quem ſequũtur Caie. & Iauell°.

Marginalia (right): Reiectio. — Quomodo cã finalis cauſet. — Opin. Caie. reycitur.

rò faciunt has potētias accidentia de Prędicamento Relationis; probatur: quia dicunt, quod ratio, & principium diſtinctiuum iſtarum potentiarum, ſumitur ab externo, ſcilicet, ab actu ad differentiam entis abſoluti; & Caietanus dicit, quod iſta principia diſtinctiua, ſunt incluſa in definitionibus potentiarum per additamentum, ſicut vnum correlatiuum includitur in ſui correlatiui definitione; & hoc eſt ex ſe clarum; quia ſi potentiæ in ſua definitione, & in ſua natura includant habitudinem ad aliquid extrinſecum, ita quod per illam habitudinem ab aliјs diſtinguantur, certum eſt quod ſunt relatiua: quia eſſentia relatiuorum eſt ad aliud ſe habere, non ergo erunt abſolutæ, & ſic ſibi contradicunt; & certe, ex hoc laqueo exire nequeunt; tamen Caietanus ibi in Commentario ad hoc argumentum euitandum confugit ad quandam diſtinctionem, qua ſæpè vtitur; & in libro de Ente, & eſsentia, in quæſtione, An inhærentia, ſit de eſsentia Accidentis, & quæſtione de indiuiduatione animę intellectiuæ; quæ diſtinctio eſt hæc: quod duplex eſt abſolutum, aliud à termino, & hoc eſt propriè abſolutum, vt ſubſtantia, qualitas, &c. hæc enim non habent vllum terminum, ad quem dicant habitudinem: reſpectiuum verò ad terminum eſt illud, quod reſpicit eſsentialiter aliquem terminum, vt patet, filius, &c. & hæc ſunt propriè Relatiua, & in genere relationis poſita; aliud eſt abſolutum, quod dicitur abſolutum ab actu, & ab obiecto, & eſt illud, quod non reſpicit actum, neque obiectum vllum; & relatiuum huic oppoſitum dicitur relatiuum ad actum, & ad obiectum, ſed non ad terminum, & ſic non eſt in Prædicamento Relationis, ſed eſt abſolutum. Verum hęc diſtinctio eſt voluntaria, eſt propoſitio ex Ariſt. in Prædicamentis, Omnia Relatiua, vel ſunt ſecundum eſse, vel ſecundum dici. Relatiua ſecundum dici, non ſunt verè relatiua: quia ſic etiam partes Subſtantię eſſent relatiua, vt inquit Ariſt. in cap. illo de Relatione; ergo vera Relatiua ſunt ſecundū eſse: ſed relatiua ſecundum eſse, ſic definiuntur ab Ariſt. Relatiua dicuntur, quorum eſse eſt, omninò ad aliud ſe habere: (illa enim particula, vel quocumque modo ad aliud ſe habere, pertinet ad relatiua ſecundum dici) vnde Philoſophus corrigendo illam definitionem Relatiuorū, illam partem abſcindit, & dicit hanc ſolam eſse veram definitionem. Relatiua dicuntur, quorum eſse, eſt omninò ad aliud ſe habere: & quorum vnius cognitione habita, non poteſt aliud non cognoſci; Stante hoc, ita argumentor. Iſta relatiua ad actum, & obiectum, et quocumque alio modo ſic ſe habet, quod eorum eſse eſt omnino ad aliud, ergo ſunt propriè relatiua, & debent poni in Prædicamento Relationis, & ſic tam relatiua ad actum, quàm relatiua ad terminum, vel obiectum, ſunt in Prędicamento Relationis; & conſequenter hęc diſtinctio eſt nulla. Conſequentia patet ex dictis: Antecedēs probatur: quia tu dicis, quòd in definitione potentię, ponitur habitudo ad actum, & ad obiectum, & Thom. ait, quòd potentia ſecundum illud, quod eſt potentia, id eſt potentia ſecundum propriam naturam, dicit ordinem ad actum, & ad obiectum, ergo potentia, vt potentia ſecundum ſe, eſt propriè relatiuum, quia ſecundum ſuam naturam reſpicit aliud, ſcilicet, actum, & obiectum. Quod ſi dicas potentiam non includere habitudinem ad actum ex natura ſua, ſed eſse additū, tibi contradicis, & D. Thomæ; quia tunc potentia ſecundum quod potentia, non dicit habitudinem ad actum (nam illa reduplicatiua, ſecundum quod, denotat eſſentiam formalem potentię, & hoc etiam in ſenſu tuo) ſed erit quid extrinſecum, & accidentale, & ſic non competet illi ſecundum quod potentia.

Reſp. Caie. *Reijcitur reſpōſio Caietani.*

Pręterea, actus, & obiectum, ſunt termini habitudinis potentię, & vniuerſaliter omne illud, ad quod aliquid ordinatur, dicitur terminus illius; Non eſt ergo vera iſta diſtinctio, quod detur aliquod relatiuum, & non ſit ad terminum: quia ſi dicit habitudinem ex natura ſua ad aliquid extra ſe, illud, ad quod ſic dicit habitudinem, eſt terminus illius, & per hoc diſtinguitur ab abſoluto: quia abſolutū non dicit habitudinem ad aliquid aliud extra ſe, ſed eſt omninò intra ſe: in præſenti autem, potentia dicit habitudinem *2. rō.*

ad actum,

ad actum, & ad obiectum per vos; quæ ſunt extra potentiam etiam ſecundum vos Aduerſarios, ergo potentiæ ſecundum hunc ſenſum ſunt propriè, & per ſe relatiua, & in Prædicamento Relationis. Eſt ergo dicendum cum Scoto, quòd potentiæ in ſe, & ſecundum ſuam naturam, ſunt abſolutæ: quia ſunt Subſtantiæ, & diſtinguuntur à ſeipſis, quibus poſtea aduenit relatio principij ad principiatum, & cauſæ ad cauſatum: & ſic extrinſecè, & ratione finis, & effectus diſtinguuntur à poſteriori, vltra diſtinctionem intrinſecam: omnis enim res prius eſt hæc, & habet actum primum, & poſtea, quia habet talem actum primum, eſt in potentia ad talem actum ſecundum.

Opinio Scoti.

Dubium.

Sed circa prædicta occurrit dubium non diſſimulandū. Dato enim quod Propoſitio intelligatur à poſteriori, vt nos diximus, videtur adhuc falſa: quia tunc neceſſe eſſet, quod quilibet actus diuerſus, prodiret à diuerſa potētia, & quod quodlibet obiectum diuerſum, conſideraretur à diuerſis potentijs; tamen hoc videmus eſſe falſum; & probatur de obiecto, quia obiectum viſus cadit ſub obiecto ſenſus communis, & obiectum ſenſus, cadit ſub obiecto intellectus; de actibus verò adſunt difficultates in Theologia; reſpondetur, in Philoſophia clarum eſt, quod actus diuerſi ſpecificè non proueniunt ab eadem potentia, niſi illa potentia ſit illimitata: ſed loquendo de potentijs limitatis, & adæquatis, quælibet habet propriū actum: & ſic potentiæ diſtinguuntur per actus à poſteriori, nam actus vegetandi, non producitur, ſenſitiua, nec actus viſiuæ producitur à tactu, nec actus intellectus producitur à voluntate: ideo iure dixit Ariſt. 2. de Anima, tex. 23. Potentiæ diſtiuguuntur per actus, & non vt aliqui dicunt, potentiæ diſtinguūtur per obiecta; ſed poſtea dixit actus diſtingui per obiecta, certum eſt enim quod ſi obiecta ſunt diuerſa ſpecie, actus qui ſiunt circa illam, erunt quoque diuerſæ ſpeciei, quia actus, & à potentia, & ab obiecto producūtur: licet ergo ratione potentiæ, & initiatiuè poſſent dici idem, tamen terminatiuè, & formaliter ſunt diuerſæ ſpeciei, quia diuerſitas in illis eſt ab obiecto: & ſic omnē diſtinctionem in actibus, habemus ex obiecto; ex potentia quandoque nullam, vt quando proueniunt ab eadem potentia; exempli gratia. Senſus viſus videt albedinem, & rubedinem, illæ duæ viſiones ſunt actus ſpecificè diuerſi, & hoc illi euenit non ratione potentiæ, & viſus, ſed ratione obiecti; Loquendo verò de obiectis ad ſoluendum dubium, vtendum eſt hac diſtinctione, quam Scotus multis in locis aſſignat, ſed præſertim primo Sent. d. 3. q. 3. art. 2. C. quòd potentiæ diſparatæ tripliciter ſe habent ad inuicem; aut ſunt omninò diſparatæ, & contradiſtinctæ; vel ſunt ſubordinatæ, & ſi ſunt ſubordinatæ, vel ſunt in eodem genere, vt cognitiua ſuperior, & inferior; Vel in alio genere potentiarum, ſicut cognitiua, & ſua potentia appetitiua. Primo modo potentiæ diſparatæ habent omninò obiecta diſparata, & diuerſa, quia nulla earum, ex quo ſunt diſparatæ, eſt per ſe operatiua circa obiectum, circa quod verſatur alia potentia, tales ſunt ſenſus exteriores inter ſe, vt viſus, auditus, &c. Secundo modo potentiæ diſparatæ habent obiecta prima ſubordinata, ita quod ſicut potentia ſuperior poteſt habere per ſe actum circa quodcumque, circa quod poteſt potentia inferior, ita obiectum primum potentiæ ſuperioris continet ſub ſe obiectum potentię inferioris: vnde primum obiectum viſus, ſecundum ſuam communitatem continetur vt inferius, ſub primo obiecto ſenſus communis. Tertio modo. Si potentia appetitiua adæquaretur cognitiuæ in operando circa quæcumque obiecta, idem eſſet obiectum primum vtriuſque, & ſub eadem ratione formali quantum eſt ex ratione obiecti, licet quo ad rationem potentiarum diſtingueretur; Si verò non adæquatur, obiectum appetitiuæ erit inferius ad obiectum cognitiuæ, ſed ſub eodem genere. Ex hoc patet, quomodo, ſit intelligenda illa propoſitio: Communes potentię diſtinguuntur per obiecta, eſt enim vera de potentijs diſparatis, non de ſubordinatis, & illę, potentię diſtinguuntur per actus, eſt vera de potentijs limitatis, non illimitatis: patet etiam quomodo ſit vera illa Propoſitio: Actus diſtinguuntur per obiecta; non enim eſt vera præciſè: quia

Solu.

ciſè: quia aliquando diſtinguuntur à potentijs, ſed eſt vera de aliquibus, & terminatiuè, ſiue ſpecificatiuè, quia quãdoque à potentia, & initiatiuè ſunt idem, terminatiuè, & ratione obiecti ſunt diuerſi.

THEOREMA LXXVI.

Non datur ſenſus agens diſtinctus realiter à paſſiuis.

Exponitur Opinio Scoti, & comprobatur, & aduerſa reijcitur. *Cap. I.*

DVo ſunt diſputanda in præſentis Theorematis cognitione; Primum, An detur ſenſus agens diſtinctus à paſſiuis. Secundum, quomodo ſenſus paſſiuus ſit actiuus; an ſcilicet ſit totalis cauſa ſenſationis; vel potius partialis, & obiectum alia cauſa partialis, minus tamen principalis. Quo ad Primum, licet Scotus ex profeſſo de hac re non ſit locutus: tamen ex ijs quæ dicit multis in locis, colligitur ipſum exiſtimaſse, non dari ſenſum agentem diſtinctum à patiente, ſed ſenſum ipſum paſſiuum, eſse actiuum, & paſſiuũ, diuerſa tamen ratione. Hanc eſse opinionem Scoti colligitur ex multis locis in lib. Sent. ſed præſertim 1. diſt. 3. q. 7. y. exponendo auctoritates adductas pro opinione D. Thomæ, & Aegidij; & in eadẽ quæſtione, ſoluendo primum principale; & 2. Sent. diſt. 2. quæſt. 10. in principio corporis quęſtionis: nam in his locis, præſertim primo, declarans quomodo intelligatur auctoritas illa Philoſophi: Intelligere, eſt pati, (& nota, quod licet Scotus in textu dicat) hic tamen non determinando (tamen quoniam alibi, vt in ſecundo loco citato, ſe remittit ad hunc locum, & inquit, vt determinatum eſt in primo, aſserendum eſt, hanc eſſe ſuam opinionem, licet de hoc eſſet aliqualis dubitatio apud eũ, quando ſcripſit illam quęſtionem in primo Sent.) habet hęc verba; Dico quod Philoſophus locutus eſt communiter de potentijs animæ, in quantum ſunt, quibus formaliter ſumus in actu ſecundo, puta de ſenſu, in quantum eſt, quo formaliter ſentimus; de intellectu, inquantum eſt, quo formaliter intelligimus? formaliter autem intelligimus intellectu, in quantum recipit intellectionem: quia etſi cauſet eam actiuè, non tamen dicor intelligere intellectu in quantum cauſat, ſed in quãtum habet intellectionem, vt forma, habere enim qualitatem, eſt eſſe quale, & ita intellectum habere intellectionem, ſiue recipere intellectionem, quod idem eſt, eſt ipſum eſſe intelligentem. Nos igitur intelligimus intellectum inquantum recipit intellectionem; ideo Philoſophus loquens ſic de intellectu, neceſſe habuit dicere eum eſſe paſſiuum, & quòd intelligere eſt quoddam pati: hoc eſt, quod intellectio inquantum eſt quoddam, quo formalliter intelligimus, eſt forma quędam recepta in intellectu, non autem intelligimus ea in quantum eſt quid cauſatum ab intellectu.

Hæc Scotus, & plura alia addit: ex quibus deduco ſuam ſententiam eſſe, quod ſenſus eſt actiuus, & paſſiuus, loquitur enim ſimul de intellectu, & ſenſu: ſed principaliter de intellectu; ita quòd iudicat eodem modo rem ſe habere, & de intellectu, & de ſenſu: & aſserit ſenſum, & intellectum pro tanto dici pati; quia recipiunt ſenſationem, & intellectionem; non autem quia ſint omnino paſſiui, ita quòd nullo modo producant ſenſationem, & intellectionem; hoc etiam expreſsè dicit reſpondendo ad primum principale.

Pro hac opinione non adducit Scotus vllas rationes: quia nulla erat dubitatio ſuis temporibus, an daretur ſenſus agens diſtinctus à paſſiuo; attamen poteſt hæc ſententia probari expreſſis auctoritatibus Ariſtot. vt dicemus infrà. Sed prius aduerſariorum ſententiam exponamus.

Gandauenſ. 2. de Anima, quæſtione 16. Apollinaris 2. quæſtione 13. licet in aliquibus differat à Sueſſano, & alij dicunt, quod præter ſenſum paſſiuum, datur ſenſus agens, realiter diſtinctus à paſſiuis; immò volunt, quod ſicuti ſunt quinque ſenſus paſſiui, ita quoque ſint quinque ſenſus actiui, & hanc ſententiam præcipuè duabus rationibus probant. *Opin. ad-uerſ.*

Prima

1. rō. Prima longo ſermone exponitur, & quattuor innititur fundamentis, vt videre eſt apud Gandauenſem: ſed breuiter eius vis conſiſtit in hoc. Si non daretur ſenſus agens, &c. ſequeretur quod ſenſatio nullum haberet principium actiuum. Conſequens eſt euidenter falſum. Conſequentia verò probatur: quoniam tūc hoc principium eſſet vel ſenſus paſſiuus, vel obiectum, vel aliquid aliud; ſed non eſt ſenſus paſſiuus, quia tunc idem eſſet principium actiuum, & paſſiuum, ſiuè receptiuum eiuſdem, quod eſt impoſſibile; neque principium per ſe actiuum illius ſenſationis poteſt eſſe ſpecies, vel obiectum: qua tunc obiectum eſſet ratio principalis, & cauſa ſenſationis, quod eſt inconueniens: quia tunc ſequeretur, quod obiectum, & ſpecies eſſet nobilior ſenſu, quod eſt abſurdum: quoniam ſenſus eſt forma ſubſtantialis, obiectum verò, & illa ſpecies, ſunt accidentia. Conſequentia probatur; illud eſt perfectius altero, cuius perfectiſſima operatio eſt nobilior perfectiſſima operatione alterius: nam operatio indicat eſſentiam rei; at tunc producere ſenſationem eſſet perfectiſſima operatio obiecti ſenſibilis, vel ſpeciei: perfectiſſima verò operatio ſenſus tunc eſſet recipere ſenſationem, ergo obiectum, & ſpecies abſolutè eſſent nobiliora ipſomet ſenſu.

2. rō. Secunda ratio principalis, Principium actiuum ſenſationis, vel eſt ſpecies ſenſibilis, vel ſenſus agens: neque enim aliud eſſe poſſe videtur, (nam non poteſt eſſe ſenſus paſſiuus, vt argumento allato probatum eſt,) ſed non poteſt eſſe ſpecies ſenſibilis; quia ſpecies ſenſibilis, vt ipſi dicunt, eſt principium receptiuum ſenſationis: nihil autem eſt principium actiuum, & receptiuum eiuſdem; relinquitur ergo, quod neceſſario detur ſenſus agens diſtinctus à paſſiuo realiter.

3. rō. Tertia, Sicut ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, ita intellectus ad intelligibilia; ſed ſic eſt, quod ad hoc, quod intellectus potentialis intelligat intelligibilia, neceſſe eſt vt detur intellectus agens diſtinctus à potentiali, ergo etiam in ſenſu, ad hoc, vt cognoſcat ſenſibilia, debet dari ſenſus agens diſtinctus realiter à paſſiuo.

Verum hęc opinio apertè aduerſatur Ariſtoteli, nam Ariſtoteles clarè docet ſenſus paſſiuos eſſe quoque actiuos, ideo vanum eſt multiplicare entia abſque neceſſitate; præſertim autem ſecundo de Anima tex. 127. declarat, quod ſenſus paſſiui nedum patiuntur à ſenſibili, ſed agūt quoque: mouet enim ibi dubitationem: quia ſi ſentire eſt pati, plantæ quoque ſentire videntur, quia patiuntur à tangibilibus qualitatibus, vt à caliditate, & frigiditate, & tamen plantæ non dicuntur ſentire. *citur.* 1. rō.

Reſpondet Ariſtoteles, quod hoc euenit: quia ibi non eſt vis ſenſitiua; vnde licet plantę patiantur ab illis qualitatibus, & aer patiatur ab odore, non tamen dicuntur ſentire: quia ſentire (inquit Ariſtoteles) eſt aliquid præter pati, ſcilicet, quia eſt agere; quod etiam declarat in fine illius textu 127. Item 2. de Anima, textu 37. aſſerit ſenſus eſse cauſas ſenſationis. 2. rō.
Item Ariſt. 9. Metaph. tex. 16. ait, ſentiendi, & videndi munus eſſe actiones immanentes, ergo ſenſatio, & intellectio manēt in eo, quod illas cauſat: vt ſenſatio manet in ſenſu paſſiuo, ergo cauſatur à sēſu paſſiuo. Neque valet ſi quis dicat Ariſt. per has auctoritates denotare dari ſenſum agentem, ſed non denotare hunc ſenſum agentem eſſe diſtinctum à paſſiuo, quoniam in præcitatis locis Ariſt. expreſsè loquitur de ſenſibus paſſiuis, vt patet, maximè prima, & ſecunda auctoritate adducta ex 2. de Anima, ratio etiam deducta ex 9. Metaph. concludit euidenter de ſenſibus paſſiuis.

Arguit etiam Zabarella: quærendum eſt enim; an ambo iſti ſenſus ſentiant, an ſolus patiens: ſi ambo, ergo alter ſuperuacaneus eſt. Præterea, ergo etiam ambo patiuntur; quia ex Ariſtot. ſentire eſt pati; ergo etiam ſenſus agens patitur, & ſic ab alio agente vſque in infinitum; ſi verò ſenſus agens non ſentiat, ſequitur aliud abſurdum, ſcilicet, non cognoſcentem, eſſe nobiliorem cognoſcente. Nec valet reſpōſio Gandauenſis, quòd agens quatenus agens, eſt nobilior paſſiuo: ſed paſſiuus eſt nobilior quatenus cognoſcens; quoniam ex perfectiori operatione infertur maior perfectio abſolutè: cum ergo ſenſus paſ- 3. rō.

ſus paſſiuus cognoſcat, erit abſolutè perfectior agente;& tamē ipſe ſuſtinet,quod agens eſt perfectior patiente, & ſuſtinere habet, quia ſemper agens eſt perfectius patiente,ex Ariſt. 3.de anima, cap. de intellectu agente.

Ad 1. ronē. Ad rationes Aduerſariorum. Reſpondetur ad primam, negando Conſequentiam.Ad probationē dicimus,quod principium actiuum partim eſt ſpecies, partim eſt ſenſus paſſiuus,vt probatum eſt; ſed ſpecies, & obiectum ſenſibile eſt minus principale agens,ſenſus verò eſt magis principale; ſicuti etiam dicemus loquendo de intellectu.

Ad probationem contra hoc:quia tunc idem ageret, & reciperet, ſiuè pateretur ab eodem. Reſpondetur,quod illa propoſitio, ſuper quam innititur hæc ratio, ſcilicet,quod idem non poteſt eſſe actiuum, & paſſiuum reſpectu eiuſdem, vera eſt in agentibus vniuocis: non in æquiuocis, vt declarauimus in Theoremate,quod elementa à proprijs formis mouentur; & *The. 61.* clarius dicemus in materia de cauſis producentibus intellectionem ex Scoto in 1. Sent.diſt.3.q.7.reſpondendo ad primum pro ſecunda opinione, vbi optimè explicat hanc propoſitionem; nunc breuiter dicimus, quod eſt vera allata propoſitio de agente vniuoco,quia hæc agentia agūt per formam,quam actu habent.Vnde tale agens non poteſt agere, & pati ſecundum eandem formam; quia ſequeretur, quod poſſet inducere in ſe formam,quam actu haberet, & per quā operatur, quod implicat contradictionem: ſed in agente æquiuoco non eſt vera: quia tale poteſt agere in ſeipſum, & pati, quia poteſt inducere in ſeipſum formam, qua caret per aliam,quam habet, & ita ſenſus per propriam formam poteſt agere, & inducere in ſe ſenſationem, quæ eſt alia forma accidentalis,qua carebat. Nec valet, quod aliqui dicunt, quia tunc obiectum erit principale agens:Non valet inquam;quia licet obiectum ſenſibile concurrat, tamē minus principaliter concurrit: quia ſolū excitat potentiam ſentientem, ei offerendo ſe,ſiue ſuam ſpeciem: ſed poſtea ſenſus ex illa ſpecie promit ſenſationem,quā poſtea ipſemet ſenſus recipit in ſeipſo.

Ad ſecundam rationem patet per idē: procedit enim ex illo falſo fundamento, quòd ſenſus paſſiuus non poſſit producere actiuè ſenſationem, eo quod nihil poteſt agere,& pati reſpectu eiuſdem,quod nunc quomodo intelligatur, declaratum eſt. *Ad 2.*

Ad tertium reſpondetur,quod illa propoſitio: Sicut ſe habet ſenſus ad ſenſibilia,ita intellectus ad intelligibilia:non eſt vera vniuerſaliter, ſicuti nulla comparatio vniuerſaliter eſt vera: ſed comparatio valet in hoc ſolum, quod ſicut ſenſus patitur à ſenſibili obiecto, ita intellectus ab intelligibili obiecto patitur; & ſicut ſenſus ſentiendo patitur paſſione perfectiua, ita intelligendo patitur,& perficitur paſſione perfectiua. *Ad 3.*

Exponitur quot cauſæ, & quæ concurrant ad generandum ſenſationem,& quomodo actus ſentiendi producatur. Cap. II.

EX dictis in præcedenti cap.& ex multis alijs rationibus, quæ apud Græcos, & alios auctores colligi poſſunt, qui eandem ſententiam ſuſtinent,ſatis apertè conſtat non dari ſenſum agentem,ſed paſſiuum producere,& recipere ſenſationē; Modo ſupereſt declarare modum productionis ſenſationis.Sed antequam hoc explicemus,conſiderandum eſt,quot cauſæ requirantur ad ſenſationem producendam. *Opin. Sueſ. & Bucc.*

Quidam dicunt, quod vltra obiectum ſenſibile, & ſenſum paſſiuum,requiritur aliud agens externum producēs ſpeciem ſenſibilem,quod verò illud ſit,diſcrepāt. Quidam, vt Sueſſanus dicunt, quod eſt Deus;quidam alij verò,vt Buccaferreus, dicunt,quod eſt Cælum,ſiue Cæleſtes intelligentiæ agentes per Cælum. Pro hac opinone ſunt duæ rationes præſertim.

Prima ratio eſt, Quoniam ſpecies ſenſibilis,quæ in medio, & in organo ſenſus producitur, eſt accidens ſpirituale: obiectum verò ſenſibile illius eſt materialis qualitas: at ſpirituale eſt nobilius materiali, ergo ſi ſolum obiectū ſenſibile produceret ſpeciem ſenſibilem, ignobilius produceret nobilius, quod eſt inconueniens;neceſſe eſt ergo ad euitandum hoc abſurdum, *1. rō.*

abſurdum, ponere aliud agens præter obiectum ſenſibile; Et confirmatur argumento ſumpto ab intellectu; quoniam Ariſtoteles vidit, quòd ſolum phantaſma non poteſt producere ſpeciem intelligibilem, adinuenit intellectum agentem, qui eſt agens nobilius intelligibili, ergo etiam in ſenſu hoc dicendum eſt: hoc autem externum agens nobilius ſpecie intelligibili, non videtur aliud eſſe, niſi Deus inquit Sueſſanus; ideo ponit Deum eſſe cauſam primam, & remotam, quæ per medium obiectum materiale tanquam per inſtrumentum producat ſpeciem ſenſibilem ſpiritualem.

2. rõ. Buccaferreus verò 2. de Anima lectione 78. videtur dicere, quòd huiuſmodi agens ſit Cælum, & Intelligentiæ per Cælum operantes.

Reijcitur. Verum iſtæ duæ ſententiæ, quæ in idẽ coincidunt, quatenus nolunt, quòd ſpecies ſenſibilis producatur ab obiecto materiali ſenſibili, ſed à Deo, ſunt reijciendæ, quoniam recurrere ad cauſas vniuerſales, ſine neceſſitate eſt vanum;
1. rõ. In propoſito autẽ poſſumus aſſignare cauſam particularem producentem illas ſpecies ſpirituales ſine vllo abſurdo, abſque eo, quod recurramus ad Deum, & ad agens
2. rõ. vniuerſale. Præterea, iſta opinio, & Sueſſani, & Buccaferrei, videtur aſſerere ſpecies ſenſibiles produci à Deo immediatè: nã cum natura obiecti ſenſibilis ſit materialis, non poteſt, neque per ſe, neque vt inſtrumentum, producere effectum ſpiritualem nobiliorem ſe; ergo Deus erit immediatè producens ſpeciem illam ſpiritualem, quod eſt abſurdum: quia tunc ſpecies non penderet ab obiecto vllo modo; Quod ſi intelligat Sueſſanus, ideo Deũ producere mediatè ſpeciem illam ſpiritualem, quia primo producit obiectum materiale ſenſibile, deinde per illud producit ſpeciem ſpiritualem, tunc aſſerit id, quod negat, quia tunc obiectum materiale immediatè producet ſpeciem ſpiritualem per propriam naturam, quod ipſe negat; Hoc eodem modo aduerſus Buccaferreum agere poſſumus: nam vel intelligentiæ immediatè per Cælum producũt has ſpecies ſpirituales, vel mediante obiecto materiali; Si primo, ergo nullo modo pendent tales ſpecies ab obiecto materiali; ſi ſecundo modo, ergo materiale producit ſpirituale, quod ipſe negabat. Si iſti dicunt Deus, & intelligentiæ ſunt cauſę vniuerſales, & principales, obiectũ materiale minus principalis. Contra hoc modo, Deus, & Intelligentiæ ſunt cauſæ omnium rerum, non ſolum ſpecierum ſenſibilium: at hic requirimus cauſam immediatam particularem, producentem illam ſpeciem ſpiritualem: omnis enim effectus particularis vltrà cauſam vniuerſalẽ ſemper habet cauſam particularem propriam.

Ad primam rationem reſpondetur, quod illa Propoſitio vniuerſalis, Omne ſpirituale eſt nobilius materiali, non eſt vniuerſaliter vera; ſed ſolum in ſubſtantijs, quia ſubſtantiæ immateriales ſunt nobiliores ſubſtantijs materialibus: ſed in accidentibus non valet, accidentia enim ſpiritualia, vt iſtę ſpecies ſenſibiles, ſunt ignobiliores ipſis accidentibus materialibus, ſunt enim effectus ipſorum obiectorum, & qualitatum ſenſibilium, ſed minoris entitatis, quàm illæ: ſicut enim in ſubſtantijs ſubſtantiæ abſtractæ ſunt cauſæ, ſed æquiuocè ſubſtantiarum materialium, & ideo ſubſtantiæ materiales defecerunt à perfectione ſubſtantiarum immaterialium, ita accidentia materialia, ſunt cauſæ accidentium ſpiritualium, ſed quodammodo æquiuocè, non enim iſta accidentia ſenſibilia ſpiritualia, ſunt adeo perfecta, vti ſunt ipſæ qualitates ſenſibiles illas producentes; nam ſpecies coloris, quæ recipitur in perſpicuo eſt ignobilior ipſo colore reali; Neque eſt inconueniens, quòd accidens ſpirituale producatur à reali, ſi enim non eſt inconueniẽs, quod vna qualitas producat realiter aliã qualitatem realem, vt caliditas caliditatem, multo minus erit mirum, quòd producat qualitatem ignobiliorem, vti eſt ſpecies ſpiritualis accidentalis. Ad 1.

Ad ſecundam negatur ſimilitudo: non enim in omnibus ſimiles ſunt ſenſus, & intellectus, vt declaratum eſt in præcedenti cap. ad tertium. Quo ad ſecundum determinato, quòd non datur ſenſus agẽs diſtinctus à paſſiuis; & quod ſpecies ſenſibilis producitur ab obiecto ſenſibili, requiritur, Ad 2. 1. pte.

quiritur, quòd cauſæ ſenſationis tantum modo duæ ſunt, ſcilicet, obiectum, ſiue ſpecies ſenſibilis, & ſenſus paſſiuus.

Opin. D.T. Videndum eſt modo, à quonam iſtorum actiuè producatur ipſa ſenſatio D. Thom. p. 1 q. 85. artic. 2. reſpondendo ad tertium, & 2. de Anima, textu 149. apertè negat omnem actiuitatẽ à ſenſu, & vult, quod ſenſatio actiuè producatur ab obiecto, & quod obiectum per immutationẽ ſenſus, producat ſenſationem; & hæc opinio tribuitur ei quoque à Scoti Marginiſtis; attamen Thomiſtæ volunt, quod ipſe, & Scotus concordent, vt patet ex Caietano in Commẽto illius Articuli, & ex Iauello 2. de Anima, q. 21. quidquid ſit de opinione D. Th. ſi primo modo ſuſtinet, eſt falſa, & multis rationibus poteſt improbari, quas adducit Scotus, probando, quod intellectio non producitur à ſola ſpecie intelligibili: (eadem enim eſt ratio de intellectu, & ſenſu, quo ad hoc.) *Impugnatur.*

Pro nunc hæc ratio ſufficit, nullus effectus productus à cauſa æquiuoca, eſt nobilior cauſa æquiuoca: ſed ſenſatio eſt accidens nobilius ipſa ſpecie ſenſibili, & productus æquiuocè ab illa, ergo ſenſatio non prouenit à ſpecie ſenſibili. Maior, & Minor ſunt euidentes, & conceſſæ.

Opin. Græc. et Zabarel. Græci, & Zabarella, libro de Senſu agente, cap. 9. dicunt, totam actionem eſſe aſcribendam animæ ſolæ, vnde capit. 8. refutat opinionem Scoti, qui dicit ſenſationem partim ab anima, partim ab obiecto produci; Aſſerunt ergo iſti eandem animam, ſiue facultatem ſenſibilem eſſe, quæ agat, & patiatur, tamen varijs rationibus: nam anima fungitur duobus muneribus; Primò informat organũ, & dat illi eſſe, & facit, vt organum ſit receptiuum. Secundò, vtitur organo à ſe informato ad operandum; Quo ad primum munus, dicitur anima, & ſenſus pati: quia recipit ſpeciem; Quo ad ſecundum, dicitur agere: quia ſpeciem receptam iudicat; & ita recipere eſt ſolius organi animati, iudicare eſt ſolius animæ, & ratione iudicij, anima dicitur agere, quia nil aliud eſt ſentire, quam iudicare.

Reiectio. Sed hæc opinio confutari poteſt omnibus illis rationibus, quibus probabimus, quod ſola anima intellectiua non eſt cauſa productiua intellectionis, ſed requiritur obiectum vt cauſa partialis; ſed pro nunc hac vnica ratione confutatur: quia apud Ariſt. ſentire eſt pati, dum ergo ſenſus formaliter ſentit, non agit, ſed patitur, alioquin ſi ſentiendo ageret, ſentire eſſet agere, & non pati.

Nec valet ſi dicat, quod ſentire dicitur pati, quia in ſenſatione ſenſus patitur ab obiecto, quoniam vt ipſe Zabarella dicit, ſenſum pati ab obiecto, non eſt ſentire; quia hæc eſt prior operatio, quam iudicare, quod quidem iudicare, ſecundum eum, eſt ſentire: & præterea tunc obiectũ eſſet cauſa productiua ſenſationis, quia in illo actu ſenſus tantum patitur, & obiectum ſolum agit, & ſic vera eſſet opinio D. Tho. quam ibi ipſemet Zabarella reijcit, quod ſentire eſſet ab obiecto ſolũ; Si ergo dicamus, quod ſentire eſt iudicare, ſentire non erit pati.

Vltimo loco Scotus, vt patet in præcitato loco ſuprà, eodem modo iudicat eſſe dicendum de intellectu, & ſenſu; & quoniam de intellectione aſſerit, quod producitur a duabus cauſis, ab intellectu tamquam à principali, & ab obiecto, tamquam a minus principali, idem eſt dicendum de ſenſatione, quod producatur ab obiecto, & a ſenſu actiuè, ſed ab obiecto minus principaliter, à ſenſu verò principaliter; quæ omnia quo modo intelligantur dictum eſt ſuprà in 1. cap. & melius declarabitur in Theor. de cauſis producentibus intellectionem; Probatio iſtius aſſertionis colligitur ex confutatione aliarum opinionum, contra quas Scotus probauit, quod nec ſolus intellectus, nec ſolum obiectum eſt cauſa actiua, & productiua intellectionis, ſed vtrumque requiritur: quæ probationes, vt dixi ſuo loco patebunt, ne idem ſæpius repetamus. *Opin. Scoti.*

Sed contra hanc opinionẽ Scoti arguit Zabarella eodem libro, cap. 8. & probat, quod nec obiectum ſenſibile, neque ſpecies, poſſit eſſe cauſa efficiens, nec primaria, nec ſecundaria ſenſationis, hac ratione. Senſatio eſt cognitio formaliter, & ſentire eſt iudicare: ſed neque ſpecies, neque obiectum iudicant, neque cognoſcunt, ſed ſola anima, ergo. *Contra Scot. arguit Zab.*

Solu. mod ſētiē-di qs ſit. Ad hoc patet ſolutio ex declaratione modi ſentiendi; modus autem eſt hic, vt poteſt colligi ex ſolutione primi argumenti principalis in præcedenti cap. deſumpta ex Scoto loco vbi ibi citauimus, & poſitione Scoti poſita in 1. capite huius Theorematis, obiectum ſenſibile primo producit ſpeciem ſenſibilem, & illam imprimit in organo, tunc ſenſitiua potentia excitata ab illa ſpecie ſenſibili illam apprehendit, & iudicat, ſiue producit actum ſentiendi, & poſtea hanc ſenſationem, & actum recipit in ſe; modo in productione illius actus ſenſationis, & cognitionis, concurrunt obiectum, & ſenſus, ita quòd ſicuti ſcientia patitur ex obiecto, & potentia cognoſcente, ita ſenſatio illa oritur ex obiecto, & ſenſu, alioquin ſi non penderet ſenſatio quoque ab obiecto, vna ſenſatio non diſtingueretur ab altera, neque ſenſatio perfectioris ſenſibilis eſſet perfectior ſenſatione imperfectioris ſenſibilis, & propter alias rationes, quas ſuo loco adducemus, dum loquemur de cauſis productiuis actus intelligendi: nec tamen obiectum dicitur ſentire, vel cognoſcere, quia non iudicat, nec cognoſcit, ſed eſt materia circa quam, ſiue ex qua promittitur iudicium, & cognitio, & ſic habet cauſalitatem propriam reſpectu actus ſentiendi, quæ reducitur ad efficientem, nam ſenſatio ipſa habet eſſe, & ab obiecto, & a ſenſu, vt diximus: habita hac productione, actus poſtea cum ſenſu, recipit in ſe iſtam ſenſationem, & dicitur propriè, & formaliter ſentire, quia ſentire eſt actio immanens, & ſic ſentire eſt pati, ſicut etiam intelligere eſt pati, vt declarauimus in principio primi cap. Ex his ad argumentum patet Primo, quod falſum eſt, quod actus ſentiendi non producatur & ab obiecto, & à ſenſu: nec tamen propter hoc ſequitur, quod obiectum iudicet, ſicut ſcientia prouenit ab obiecto, & ab intellectu, neque tamen ſequitur, quod obiectum intelligat.

Falſum eſt etiam, quod ſentire formaliter ſit iudicare, & ſenſatio ſit cognitio actiua, id eſt falſum eſt, quod ſenſatio ſit productio actus ſentiendi: quoniam licet ille actus prærequiratur, tamen formaliter ſentire eſt recipere in ſe actum ſentiendi, & ſic ſentire eſt pati, ideo recipere actum viſionis eſt videre, recipere actum olfactionis eſt olfacere, &c. ſicuti recipere actum ſciendi eſt ſcire; vnde ſi nos produceremus actum intelligendi, ſed illum non reciperemus in nobis, non diceremur ſcire, quia eſſe quale, eſt recipere qualitatem.

Franciſcus Piccolomineus negat ſpecies ſenſibiles producentes ſenſationem; ſed vult, quod ipſa ſenſatio ſit ipſamet ſpecies ſenſibilis, libro tertio de Humana mente, cap. ſeptimo. Sed de hoc in Theoremate de ſpeciebus intelligibilibus. *Picc.*

THEOREMA LXXVII.

Intellectus, & obiectum ſunt cauſa productiua intellectionis.

Ponuntur 7. & 8. q 1. ex 3. diſt. primi Sent. ad literam, quæ ſunt plenę mirabili doctrina.

SEcundo quęro de notitia genita quæ ſit cauſa gignens, vel ratio gignendi eam.

Et quæro, vtrum pars intellectiua propriè ſumpta, vel aliquid eius, ſit cauſa totalis gignens notitiam actualem, vel ratio gignendi.

Et arguitur, quod nō quia 2. de Anima, probat Philoſophus ſenſum eſſe paſſiuum, non actiuum, per hoc quod ſi eſſet actiuus, ſemper ageret, ſicut ſi combuſtibile eſſet combuſtiuum ſemper combureret; ita arguitur in propoſito, ſi pars intellectiua eſſet actiua reſpectu intellectionis, ſemper intelligeret, & ita ſine obiecto, quod eſt falſum.

Confirmatur ratio ex 2. de Anima: ſenſibilis, & ſenſus eſt vnus actus, puta ſonatio, & auditio eſt idem actus: ergo à ſimili, motio actiua obiecti, & motio paſſiua intellectus, quæ eſt intellectio, eſt idem actus, ergo intellectio eſt ab obiecto.

Secundo ſic 3. de Anima. Intellectus poſſibilis eſt, quo eſt omnia fieri, ſicut intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere, ergo intellectus poſſibilis ſaltem non erit cauſa actiua reſpectu cognitionis, ſicut potentia paſſiua non eſt actiua reſpectu actus.

Tertio ſic, Actiones diſtinguuntur penes diſtinctionem principiorum actiuorum; ſi

igitur

igitur intellectus, qui eſt indiſtinctus, ſit principium actiuum omnis intellectionis, tunc omnes intellectiones eſſent eiuſdẽ ſpeciei, & ſi omnes intellectiones, ergo, & omnes habitus, & ita conſequenter omnes ſcientiæ eſſent eiuſdem ſpeciei.

Ad oppoſitum Auic. 9. Metaph. cap. 13. Immaterialitas eſt ratio intellectus ſicut intelligibilis; igitur intellectus, ſiue pars de intellectiua ex immaterialitate ſua ex ſe ſola eſt actiua reſpectu intellectionis ſicut receptiua.

1. rõ. *Item ſi obiectum, vel aliquid eius eſſet ratio formalis agendi: ergo intellectiones obiectorum diuerſorum ſpecie eſſent diuerſæ ſpecie quod eſt falſum. Conſequentia probatur, quia actus differunt ſpecie, qui ſunt à cauſis diuerſis ſpecie, falſitas Conſequentis probatur, quia tunc de qualibet ſpecie ſpecialiſſima eſſet propria ſcientia, & ita de pluribus ſpeciebus ſpecialiſſimis, non poſſet eſſe vna ſcientia.* 2. de aïa text. 33.

3. rõ. *Probatur etiam idem per Philoſophum 1. Ethicor. cap. 9. vbi vult; quod intelligere eſt propria operatio hominis, ſecundum quod homo, vnius autem ſpeciei eſt operatio vna ſecundum ſpeciem.*

Hēr. quodlib 4. q. 7. & ppoſit. *In iſta quæſtione eſt vna opinio, quæ attribuit totam actiuitatem reſpectu intellectionis ipſi animæ. Et imponitur Auguſt. qui dicit 12. ſuper Geneſ. cap. 28. Quòd quia imago corporis eſt in ſpiritu, qui eſt præſtãtior corpore ideo eſt præſtantior imago corporis in ſpiritu, quam ipſum corpus in ſua ſubſtantia, & ſequitur, nec ſanè putandum eſt facere aliquod corpus in ſpiritum, tamquam ſpiritus corpori facienti materiæ vice ſubdatur. Omni enim modo præſtantior eſt res, quæ facit illa re, de qua facit, nec vllo modo præſtantius eſt corpus ſpiritu: immo ſpiritus corpore.*

Quamuis ergo incipiat imago corporis eſſe in ſpiritu, tamen eadem imagine, non corpus in ſpiritu, ſed ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili, & ſequitur. Cuius imago mox, vt oculis viſum fuerit in ſpiritu videnti ſine vllius puncti temporalis interpoſitione formatur.

Idem 10. de Trin. c. 5. Anima conuoluit, & rapit imagines corporum factas in ſemet ipſa: & de ſemetipſa: dat enim eis formandis quiddam ſubſtantiæ ſuæ: ſeruat autem aliquid, quo liberè de talium imaginum ſpecie iudicet: hoc eſt mens, id eſt rationalis intelligentia, quæ ſeruatur, vt iudicet. Nam illas animæ partes, quæ informantur corporum ſimilitudinibus etiam cum beſtijs communes nos habere ſentimus: igitur ipſa anima in ſe format imagines ipſorum cognitorum: vt dicit iſta auctoritas, & expreſſius prǽallegata.

Pro iſta opinione arguit per rationes ſic. Effectus non excedit cauſam in perfectione: melius eſt autem omne viuũ nõ viuente, ſecundum Aug. de Ciuit. ergo operatio vitalis non poteſt eſſe niſi à principio agendi vitali, vel viuo: iſtæ operationes cognoſcendi ſunt operationes vitales, ergo ſunt ab ipſa aĩa ſicut à ratione gignendi.

Secunda ſic. Quãto forma eſt perfectior, tanto eſt actualior, & per conſequens actiuior, quia actiuum eſſe, conuenit alicui in quantum eſt in actu, ſed anima intellectiua inter omnes formas eſt actualiſſima, ergo maximè actiua, igitur ſe habet in ratione actiui, & ſe ſola ſeipſam mouet in operatione ſua, cum etiam hoc poſſint formæ imperfectiores, ſicut patet de formis elementorum, & quorundam mixtorum.

Tertio ſic. Philoſ. 2. Phyſic. tex. 15. & 16. Ethic. cap. 5. & 9. Metaph. tex. 16. diſtinguit inter actionem, & factionem, & vult, quòd actio propriè dicta manet in agente, ſicut exemplificat ibi de ſpeculatione: intellectio igitur proprie eſt operatio manens in agente: manet autem in parte intellectiua, vt dicit Phil. 9. Metaph. ergo erit ab ea, vt ab agente.

Quarto, & eſt quaſi idem. Actio propriè dicta, vt diſtinguitur contra factionem; denominat agens: intelligere autem denominat hominem ſecundum partem intellectiuam, ergo eſt actiuè à parte intellectiua, vel ab homine ſecundum partem intellectiuam.

Contra iſtam opin. quòd non ſit intentio Aug. apparet 9. de Trinit. cap. vlt. & 30. de paruis. Liquido tenendum eſt, quòd omnis res, quam cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui, ab vtroque enim paritur notitia, à cognoſcente ſcilicet & cognito. Idem 2. de Trinit. cap 2. vel 5. Ex viſibili, & vidente gignitur viſio.

Item 15. de Trin. c. 10. & 24. vt prædi-

ctum eſt. Formata quippe cogitatio ab ipſa re, quam ſcimus: verbum eſt, ergo intendit attribuere aliquam cauſalitatem obiecto.

Hoc etiam arguitur ratione ſic. Quia tantum ſunt quattuor genera cauſarum per ſe, ſicut apparet ex 2. Phyſic. tex. 28. & 5. Metaph. tex. 2. ergo illis exiſtentibus in ſe perfectis, & non impeditis, & ſufficienter approximatis, ſequetur effectus ex illis, ſi ſint cauſæ naturales, vel poterit ſaltem eſſe, ſi ſint cauſæ liberè agentes, & quia forma habet eſſe aliquo modo per productionem, & finis ſequitur productionem rei in eſſe, aut ſi præcedit, hoc eſt, inquantum mouet efficiens ad agendum. Ideo quando duæ cauſæ priores ipſa re, ſcilicet, efficiens & materia, ſunt in ſe perfectæ, & approximatæ, & non impeditæ, ſequitur effectus, vel ſaltem poteſt ſequi: ergo ſi anima eſt totalis cauſa actiua notitiæ genitæ & ipſa eſt materia diſpoſita ſiue ſubiectum receptiuum, vel ſuſceptiuum reſpectu eiuſdem, & ipſa eſt ſemper actu præſens, cum ſit cauſa naturalis, ſemper erit actualis intellectio quæcũque in ea, cuius ipſa eſt cauſa, & cuius ipſa eſt cauſa de ſe, vel ſaltem aliqua, in quam potiſſima ipſa poteſt. Non enim poteſt opponi imperfectio alicuius cauſæ in ſe, retenta prima hypotheſi; nec non approximatio, nec impeditio, quia nihil videtur tunc impediens.

Inſtantia de cauſis accidentis comparatis ad ſubſtantiam, excluditur: quia ſubſtantia eſt materia in qua. De reſponſione etiam per impedimentum, quære vbi de virtutibus, ſi actiuæ. Fugere autem ad cauſam ſine qua non, quæ requiritur ad hoc, vt notitia gignatur, hoc eſt dicere, quod omnes per ſe cauſæ non ſunt ſufficientis cauſæ, ſed requiritur aliquid aliud, à quo res cauſanda dependet eſſentialiter: ergo non erunt tantum quattuor cauſæ, ſiue quattuor genera cauſarum, ſed plura, vel aliquid dependebit eſſentialiter ab aliquo, quod non eſt cauſa eius.

Item omnes cauſæ præter quattuor dictę ſunt accidentales rei, igitur non ſimpliciter res dependet ab eis, nec in eſſe, nec in fieri. Antecedens, dicit expreſſè Commen. 2. Phyſic. comm. 30. & 31. Item probat, quòd ſunt niſi quattuor cauſæ cuiuslibet rei, aliqua iſtarum, 2. Phyſic. cõm 68. 69. & 70. per demonſtratiuam ſufficientiam.

Pro hoc etiam improbantur diuerſi modi ponendi tenentium iſtam opinionem: ſiue enim ponatur obiectum neceſſarium in ratione cauſæ ſine qua non, vel in ratione termini, vel in ratione excitantis, ſi non detur ſibi aliqua per ſe cauſalitas, cum ipſe per ſe cauſæ ſint perfectę in ſe, & approximatæ, & omne impedimentum remotum, quomodo ſaluabit, quod ipſum neceſſariò requiratur, niſi ponendo quinque genera cauſarum?

Specialiter etiam illud de excitatione, non videtur valere. Quæro enim, quid ſit excitare? ſi aliquid cauſare in intellectiua potentia: ergo obiectum aliquid cauſat antequam intellectiua de ſe agat: ergo intellectiua non eſt tota cauſa prima reſpectu cuiuslibet in ſe cauſati, ſed etiam obiectũ. Si excitare non ſit aliquid cauſare in potẽtia intellectiua, non aliter ſe habet in ſe poſt excitationem, quàm ante, & ita non magis excitatur nunc, quam prius. Hæc tamen ratio concluderet ſimili modo, vt videtur, contra actionem voluntatis.

Unde ad ipſam reſponderi poteſt, quòd quando aliquę formę habent eſſentialem ordinem, ita quod vna recipitur mediante altera in eodem ſiue ſit natura, ſiue potentia, & hoc, ſiue ab eodem agente, ſiue ab alio.

Dato etiam, quòd neutra ſit ratio recipiendi alteram, nunquam ſecunda poteſt induci ab agente in ſuo receptiuo, niſi prima ſit prius inducta.

Exemplum de volitione, & delectatione, ponendo illa eſſe diuerſa realiter, nunquam ſecunda recipitur, niſi prius prima recipiatur, cum tamen ſecunda habet cauſam actiuam naturalem pręcedentem, etiam antequam ſit volitio, & in huiuſmodi ordinatis negatur Maior; ſimiliter de ſpecie intelligibili ad intellectionem, ponendo ſpeciem intelligibilem non eſſe cauſam effectiuam, nec receptiuam intellectionis. Similiter de lumine, & ſi non ſit actiuum, neque receptiuum reſpectu ſpeciei coloris.

Aliter dicitur, quòd quãdocumque aliquam formam recipi in ſuo potentiali de neceſſitate prȩexigit aliã formã recipi in ſuo receptiuo, falſa eſt illa Maior, agens perfectum approximatũ paſſo, & non impeditũ poteſt

poteſt agere, intelligendo de potentia proxima. Et hoc ſiue receptiuum formæ prioris ſit eadem potentia cum receptiuo formæ poſterioris. Exemplum, volitio, & delectatio in voluntate, ſiue ſint eadē realiter. Exemplum, in anima intellectio, & volitio, ponendo totaliter voluntatem actiuam reſpectu velle, ſiue in eodem ſuppoſito recipiantur, non in vna natura, nec potentia. Exemplum de phantaſmate, & intellectione: ſi negetur ſpecies intelligibilis, & actio tota detur intellectui, ſiue in alio, & alio ſuppoſito recipiatur forma prior, & poſterior. Exēplū, lumē in aere et ī aqua à Sole.

Nec hic ſaluatur propoſitio, quòd forma prior ſit actiua reſpectu poſterioris, vel ratio recipiendi ſicut lumen in medio reſpectu ſpeciei coloris: quia ſi talibus inſtetur, nihil valet inſtantia: quia ibi actiuum proximum deficeret, vel paſſiuum proximum.

In quattuor autem inſtantijs poſitis, neutra conditio accidit. Nam nec volitio eſt cauſa actiua delectationis: ſed obiectum, nec receptiua, ſed voluntas: ſic in alijs ſecundum illas opiniones.

Nec eſt dicendum, quòd Maior illa eſt vera, niſi ab eodem ſint duo effectus neceſſarij ſecundum ordinem producibiles, quia etiam non eſt vera, ſi neceſſariò eſt ordo inter formas à diuerſis agentibus inducibiles, ſicut patet in inſtātijs poſitis. Uniuerſaliter ergo quæcumque forma, ad hoc vt recipiatur in ſuo paſſiuo, requirit aliam prius recipi in quocumque. Nunquam actiuum formæ ſecundæ eſt in potentia accidentali ad agendum in receptiuum illius, niſi forma prior iam ſit inducta; ergo poteſt dici, quòd pro inſtanti, pro quo cauſabilis, dependet ab alijs: quia non eſt cauſabilis niſi naturaliter poſt aliam, quæ præexigitur. Igitur forma poſterior, quo ad fieri, dependet eſſentialiter ab alio, quàm à ſuis per ſe cauſis in fieri, quæ ſunt agens, & materia. Concedi poteſt igitur hæc concluſio, quòd prius eſſentialiter non tātum cōuenit eſſe, vt effectus ſit, ſed etiam poſterius. Patet in tractatu de Primo principio. Tamen non probabiliter negatur illa Maior, niſi oſtendatur prioritas alterius formæ veluti actiuę reſpectu ſecundæ, vel vt rationis recipiendi, vel vt effectus propinquioris cauſæ cōmuni, vel cauſæ neceſſario prius cauſati.

Alia eſt opinio, quę totaliter eſt in alio extremo, quę dicit: ſicut colligitur ex diuerſis locis ſic opinantis, quòd anima intellectiua, vt intellectiua eſt, nihil habet actiuitatis, vel cauſalitatis reſpectu intellectionis. Non enim habet talem cauſalitatem intellectus poſſibilis, ſiue informatus ſpecie intelligibili, quam ipſi negant, ſiue nudus quia ſecundum eos nihil idem poteſt agere in ſeipſum; quod probant: quia cum agens ſit tale in actu, quale paſſum eſt in potentia, vt apparet 3. Phyſ. Et primo de Generatione ſequitur tunc, quod idem eſſet in potentia, & in actu. Quod primo videtur eſſe oppoſitum primi principij Metaphyſ. noti per rationem actus, & potentię, & tunc etiam idem eſſet efficiens, & materia, quod videtur eſſe contra Philoſ. 2. Phyſ. Materia & efficiens non coincidunt. Tunc etiā idem referreretur ad ſe relatione reali, quod videtur impoſſibile, 5. Metaphyſ. Propter oppoſitionem talium relationum, tandē ad hæc deducunt, quod poneretur quodlibet in ſe agere, & mouere ſe, vtpote, quod aer ad præſentiam ſolis illuminaret ſe, & non Sol, & lignum ad pręſentiam ignis calefaceret ſe, & non ignis. Nec eſſet ratio, quare non eſſet aliquid naturaliter ſic cauſatiuum cuiuſcumque noui in ſe: quia non eſſet vnde probaretur, quin quodlibet eſſet cauſatiuum cuiuſcumque noui in ſe.

Gofr. q͂dli. 1. q. 19. q͂dli. 13. q. 2. — t. 14. — t. 30. — t. 70. t. 17. et 10.

Ex iſtis propoſitionibus dicunt, quod agens, & patiens diſtincta ſunt ſubiecto, & dicunt, quòd quæcumque difficultates accidunt in aliqua materia, non ſunt propter eas neganda iſta principia, quia tunc tollitur omnis inquiſitio veritatis per talia prīcipia negata, qua enim ratione negantur in vna materia, & in alia.

Propter idem dicunt, ꝙ intellectus agēs nō pōt aliquid cauſare effectiuè in intellectu poſſibili, quia nō diſtiguitur ab eo ſubiecto ſed quaſi formaliter ipſū lumine ſuo pfundendo, vel perficiendo huius illuſtrationē facit; ſicut cū producitur aliquod corpus luminoſum, in quo ſunt iſtæ duæ perfectiones, ſcilicet, diaphaneitas, & ipſa lux, dicitur, quòd lux hoc corpus perſpicuum facit luminoſum non tranſmutando ipſum à potentia præcedēte actū ad talem actum, ſed totum ſimul factum eſt ſecundum rationē cauſę efficientis ab agēte extrinſeco producente

cente corpus tale, aut tale, ad eſſe tale. Sed ideo dicitur lux facere illud corpus lumino ſum, quia eſt formaliter perficiens illud corpus. Ita eſt in propoſito, intellectus agens in ratione cauſe efficientis, nihil agit in intellectum poſſibilem, ſed qui creauit animam, per modum cauſæ efficientis, ipſe in ea hanc illuſtrationem fecit, iſtas potentias ſimul in eodem ſubiecto producendo.

Similiter ponunt, quòd intellectus agens nullam operationem habet reſpectu intellectionis, niſi quatenus habet actionem circa obiectum intelligibile, quatenus ſcilicet agit ad hoc, vt illud habeat rationem mouentis, & obiecti in actu, ergo ad ipſam intellectionem præter iſta duo intellectus agens nullam actionem immediatè habebit. Quid igitur cauſabit effectiuè itellectionē?

Reſpondent, quod obiectum idem ſecundum rem efficit intellectionem, & volitionem, & hoc inquantum relucet in phantaſmate illuſtrato ab intellectu agente, nō effectiuè, ſed quaſi formaliter concurrente, reſpectu intelligibilis.

Qualiter autem ſit poſſibile phantaſma mouere intellectum poſſibilem, cum tamen virtus phantaſtica, & intellectus poſſibilis ſint in eadem ſubſtantia animæ, & phantaſma non diſtinguitur ſubiecto ab intellectu poſſibili. Dicunt, quòd anima poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum potentias. Primo modo eſt totum in qualibet parte corporis, nec eſt principium alicuius operationis. Secundo modo, aliqua potētia determinat aliquā partem corporis, vt organica, aliqua nō: vt intellectiua: quia ipſa ſub ratione talis potentiæ non eſt in iſta parte corporis, nec in illa, quia in nulla eſt, quia per ſe nec in toto nec in aliqua parte, ſicut nec operationes, quæ per eam exercentur, ſicut ergo potētia, quæ eſſet in alia parte corporis, quam eſt phātaſia, poſſet immutari ab eo, quod eſt in phātaſia, ita potētia, quæ non eſt determinata ad partē, in qua eſt phantaſia, ſed extra illā, ſic quod non eſt ibi plus, quàm in pede, poterit immutari ab eo, quod eſt in phātaſia; ita eſt in propoſito: quia illæ potētiæ nō ſunt alligatæ, & īmerſæ materiæ ſicut alię.

Contra iſtam opinionē. Intellectus agens ſecundum eum, nihil cauſat: quod fit formaliter in phantaſmate, ſed ſolum fit remotio prohibentium per quendam contractū ſpiritualem huius lucis ad phantaſmata; qua remotione facta virtute intellectus agentis, fit informatio intellectus poſſibilis. Et ex hoc ſequitur, quod nihil, quod eſt in intellectiua parte, vt intellectiua, comprehendit intellectum agentem, & poſſibilem, habebit aliquam rationem actiui, ſiuè agentis, ſiuè vt rationis agendi reſpectu cuiuſcumque intellectionis, & ita tantum phantaſma effectiuè ſe habet ad intellectionē, vel ſi ſit ibi efficiētia aliqua, per quā effectiuè fiat irradiatio, vel illuſtratio ſuper phantaſmata, illa efficientia erit præciſe ipſius Dei qui creauit tale lumen in intellectu poſſibili. Vel ergo Deus agit immediatè ad intellectionem quamcumque, vel tantum phantaſma erit cauſa omnium actionum intellectiuæ partis, tam intellectionum, quam volitionum. Nihil ergo aliud à Deo ſe habet actiuè reſpectu intellectionis cuiuſcumque, niſi phantaſma ſolum. Hoc videtur valde inconueniens, quia vilificat valde naturam animæ. Nullam enim videtur perfectionē phantaſma cauſare poſſe in intellectu, quæ excedit nobilitatem eius, quia effectus æquiuocus non poteſt excedere cauſam ſuam, ſed deficit, igitur nihil cauſatum præciſè à phantaſmate, ſicut à tota cauſa actiua, ſicut ponit iſta opinio de intellectione, poteſt eſſe perfectius phantaſmate, ſed neceſſariò imperfectius: & ita nulla operatio ſiue intellectio erit in homine perfectior phantaſmate, quod eſt abſurdum.

Iuxta ſecundam rationem contra Goffredum, videtur contra ipſum, quomodo animal phantaſiatur abſque ſenſatione exteriori, quid enim ibi mouet organum ad actum? Nil certè videtur ibi diſtinctum ſubiecto, niſi ponat memoriam ſenſitiuam in alio organo à phantaſia, & illa moueret phantaſiam ad imaginandum.

Item ſecundo, ex iſta opinione ſequitur, quòd Angelus in quo non poteſt poni talis diſtinctio in ſubiecto, nullam intellectionē poſſet habere nouam: quantumcumque habeat obiecta multa præſentia, habitualiter, immò nullam poteſt habere effectiuè, niſi à Deo, quia oppoſito poſito, intellectus mouebitur à ſe, vel agens, & patiens erunt indiſtincta ſubiecto.

Hoc

Hoc videtur ipſe concedere, quia ponit, quòd Angelus poſſit habere nouam intellectionem, ſit mere creditum.

Hæc reſponſio non videtur Chriſtiani, ſed purè Philoſophi pagani, cum Angelus multa noua ſciat, & ſit beatus in operatione ſua.

Hoc etiam non euadit. Nullum enim creditum repugnat concluſioni ſequenti ex veris principijs. Ex iſto autem principio neceſſario, Agens, & patiens ſunt diſtincta ſubiecto, ſequitur, quòd intellectus non poteſt habere ex ſe aliquam intellectionem actiuè: ergo ſi oppoſitum huius Concluſionis eſt creditum, principium illud, ex quo ſequitur iſta Concluſio, eſt falſum: hoc magis patet de velle. Conſtat enim quòd primum velle malum Angelus immediatè non habuit à Deo: patet igitur, quòd ibi agens fuit indiſtinctum ſubiecto à paſſo.

1. rō. Tertiò ſequitur, quòd non oportet ponere aliquem habitum in intellectu, quia ad ordinatè intelligendum requiritur, & ſufficit, ſecundum iſtam opinionem quòd phãtaſmata ordinatè occurrant, qua occurrentia ordinatè mouent intellectum, ſed quod ipſa ordinata occurrant, non poteſt fieri per habitum in intellectu, quia nihil in paſſo dat mouenti ordinatè mouere, aut ſaltem per habitum in phantaſia poſſunt ordinatè occurrere, abſque omni habitu in intellectu, ergo &c.

Confirmatur: quia ideo ſecundum iſtos negatur habitus in voluntate quia ipſa faciliter mouetur conformiter intellectui, ergo à ſimili cum mouetur intellectus à phantaſmatibus; eo modo, quo occurrunt, ſufficit habitus in phantaſia ad hoc, quod ordinatè occurrant. Hæc tria argumenta pondero. Fiunt talia argumenta contra eos primo ſic.

Tertio ſi phantaſma cauſat omnem intellectionem effectiuè, & cauſa naturalis non agit niſi ſecundum naturam illam, qua eſt actu, phantaſma nunquam cauſabit aliquam intellectionem in intellectu niſi conformem phantaſmati. & ita nunquam cauſabit compoſitione falſam repugnantem rationi terminorum, quorum phantaſmata ſunt in virtute phantaſtica; aut ſi quodam modo poteſt, ſicut reſpondet, quòd per vnum oppoſitum cognitum poteſt ſuum oppoſitum cognoſci: hoc non eſt, niſi quia per vnam compoſitionem veram poteſt cognoſcere oppoſitam eſſe falſam. Sed nunquam idem phãtaſma cauſabit aliquã intellectionem falſam tãquam veram, vel econuerſo.

Et ſi dicas, quòd phantaſma falsè repræſentat obiectum, ideo cauſat intellectionẽ falſam in intellectu. Sequitur, quod idem phantaſma manens idem, nunquam poteſt cauſare aſſenſum oppoſitum, & ita non poterit intellectus eandem complexionem apprehendere, nunc vt veram, nunc vt falſam.

Item quando dicitur, quòd intellectio ſecundum Philoſophum eſt actio manens intra. 3. rō.

Reſpondent quòd intelligere, ſecundum modum ſignificandi Grammaticalem, ſignificat actiuè, & intelligi paſſiuè: tamen ſecundum rem, intelligere eſt paſſio, & quod intelligitur eſt agens: Intelligere enim nõ ſignificat aliquid, vt habet eſſe in ſubiecto in ſe, & abſolutè, ſed quaſi tendens in alterum, vt in obiectum, ſiue vt in terminum: & quia actionis eſt procedere ab agente, & tendere in paſſum, ideo tales perfectiones, quæ in re ſunt paſſiones, hoc eſt manentes in eo, quod denominatur ab eis per modum actionis, dicuntur eſſe actiones immanentes. Contra. Philoſophus diſtinguens actionem à factione 2. Phyſicorum, & 6. Etic cap. 5. & 9. Metaphyſ. aſſignat diuerſa principia propria actioni, & factioni, quod non oporteret, ſi intelligeret quòd illud ꝙ aſſignat eſſe actionem, eſſet paſſio: quia tũc non oporteret aſſignare ſibi principiũ actiuum proprium, non enim oporteret prudentiã eſſe actiuam, ſicut ars eſt habitus factiuus ſi actio nihil eſſet, niſi quædã forma recepta in alio, vt in eo, quod dicitur agens.

Item habitus non ponitur præcisè ad patiendum, & maximè in paſſiuo ſummè diſpoſito ad formam, non enim oportet illud facilitari ad recipiendũ, quod in ſe eſt ſummè diſpoſitum ad recipiendum, ſed intellectus eſt ſummè diſpoſitus ad quamcumque intellectionem, quia nihil habet contrarium, ergo non oporteret ponere aliquem habitum in intellectu, ſi præcisè eſſet paſſiuus reſpectu intellectionis. 4. rō.

Probatur prima propoſitio: quia habitus eſt, quo vtimur cũ volumus, & habitus habentem

bentem perficit, & opus eius bonum reddit ex ſecundo Ethicorum. Omnia iſta attribuunt aliquam actiuitatem habitui.

Item quomodo intellectus diſcurret ſyllogizando, vel argumentando, ſic phantaſma cauſat omnem intellectionem. Non enim videtur intelligibile quomodo phantaſmata diſcurrentia cauſant omnem diſcurſum.

Confirmatur: quia intellectus conuertẽs A. ad B. ſecundum talem habitudinẽ qualis eſt ipſorum ex natura rei, non cauſat relationes rationis. Puta quando comparat ea, vt differentia, vt contraria, vt totum & partem, & huiuſmodi; ergo ſola illa collatione cauſatur relatio rationis, quæ nec in eſſe, nec in cognoſci conſequitur extrema ex natura eorum; ergo extrema non ſunt cauſa illius actus collatiui.

Item, quomodo cauſabuntur intentiones Logicę, vel relationes rationis? Si enim phãtaſma cauſat omnem intellectionem, quæcumque cauſata ab eo erit realis, quia illa dicitur eſſe realis intellectio, quæ cauſatur immediatè à re, vel à ſpecie repræſentante rem in ſe, ergo nulla intellectio cauſabit intentiones logicas, vel relationes rationis: quia intellectus nullo actu ſuo poterit conferre obiectum ad aliud, quæ collatio cauſat relationem rationis, vel intentionem ſecundam in obiecto.

Item, quomodo reflectetur intellectus ſupra actum ſuum, & hoc quomodo erit in poteſtate potentiæ reflectentis. Si enim phantaſma cauſans aliquam intellectionem habet naturaliter cauſare reflexionem ſuper iſtam actionem: pari ratione, & reflexionẽ reflexionis, & ſic in infinitũ, vt dicit Aug. 15. de Trin. Si autem non habet cauſare reflexionem, ſed tantum actum abſolutum, & poſtea occurrat aliud phantaſma, non videtur poſſe aſſignari, quomodo poſſet eſſe aliqua reflexio ſuper aliquem actum.

Item, quomodo illud non vilificat animã quod omnem actionem ſuam naturalem, quæ eſt perfectio naturalis tam perfecti entis, effectiuè cauſet phantaſma. Nullam enim perfectionem videtur poſſe cauſare phantaſma in intellectu, quæ excedat nobilitatem eius, quia effectus æquiuocus non poteſt excedere cauſam æquiuocam, ſed deficit; igitur nihil pręcisè cauſatum à phantaſmate ſicuti à tota cauſa actiua, poteſt eſſe perfectiꝰ phãtaſmate, ſed imperfectiꝰ eo, & ita nulla perfectio erit in homine maior ipſo phantaſmate. ꝙ eſt abſurdiſſimũ, &c.

Iſtarum ſex rationum factarum contra opinionem Thomæ, & Gɛffredi.

Prima non cogit cõtra eos. Quærit enim difficultatem communem omni opinioni, ſiue enim phantaſma ponitur cauſa actiua intellectionis ſiue ſpecies intelligibilis, ſiue intellectus, cum quodcumque iſtorum ſit principium naturaliter agendi non liberè, ſemper æquè poteſt quæri, quomodo oppoſita poſſunt cauſare in intellectu, vt nunc opinio vera, vel ſcientia de aliquo nunc opinio falſa, vel error de eodem.

Secunda non cogit, quia prudentia ponitur principium actiuum propter actum alium, qui eſt actio, ad quã ſuus proprius extenditur, vt regula ad regulatum, ſicut proprius actus artis extenditur ad alium, qui eſt factio, licet tamen neuter habitus ſit propriè principium actiuum reſpectu ſui actus.

Item illud ſecundi Ethicorum. Habitus eſt, qui habentem perficit, &c. Debet intelligi non effectiuè, quia non ſic bonum reddit ſed tantum inclinatiuè.

Quarto cõcludit cum tertio põderato, ſcilicet, quomodo habitus diſcurrit, vt phantaſmata ordinatè in diſcurſu occurrant: niſi ponatur ille habitus in virtute phantaſtica, non in intellectu, quod forte concederet.

Sextum verò quærit, quomodo in poteſtate noſtra eſt, quam intellectionem habeamus poſt alteram: & per quid cognoſcitur actus, ſuper quem reflectimus. Primum quidem eſt propter voluntatem. Secundum eſt per veſtigium derelictum ab actu illo, igitur illo derelicto, poteſt haberi actus reflexus per illud elicitiuè, voluntate imperante, & poteſt non haberi, voluntate imperante aliam intellectionem.

Aliter poteſt dici, quòd cognoſcitur per phantaſmata, quòd primo oſtendit obiectũ ſecundo cauſatum ab obiecto. Tamen non erit neceſſe ipſum cauſare intellectionem intellectionis, niſi quãdo voluntas imperat.

Secundum videtur ponderandum. Si nulla comparatio eſt relatio rationis, quam extrema nata ſunt cauſare in intellectu. Si enim iſta propoſitio eſt vera, tunc licet intel-

lectiones

lectiones ſimplicium comparatorum cauſentur ab illis, non tamen comparatio illa, quę eſt in actu collatiuo, quo cauſatur in extremo relatio rationis.

Poſſet dici, quod aliqua habitudo conſequitur extrema in re, & illa cognitione cōſequitur extrema cognita, puta qualitas iſta eſt realis, alia non conſequitur extrema in re, nec neceſſariò in cognitione: poſſunt tamen ipſa extrema cauſare actum collatiuum elicitum, quia voluntas imperat, cauſato autem actu collatiuo ſecundum talem reſpectum, qui non conſequitur extrema in re, cauſatur relatio rationis.

Tertia opinio ponit, quòd intelligibile, vt ſimpliciter præſens intellectui, non per ſpeciem intelligibilem, ſed per phantaſma, vt illuſtratur ab intellectu agente, eſt in intellectu poſſibili, vt in memoria, vt autem immutat actum intelligendi, eſt in eo, vt in intelligentia, cuius notitia terminatur in ipſum obiectum.

Et quantum ad iſta duo, intellectus eſt paſſiuus, videlicet inquantum eſt memoria habens obiectum ſimpliciter præſens, & inquantum intelligentia eſt ab obiecto ſic præſente mota ad primum actum intelligendi.

Sed intellectus factus in actu primo, naturali acumine ſuo poteſt ſuffodere, & diſcurrere in vnoquoque quid ſit, componendo, diuidendo differentias conuenientes, cū diuiſo, & ratiocinādo, & ſic inquirere quod reſpectu intellectus ſimplicis, & propter quid ſit, reſpectu complexi, vt reſpectu concluſionis ſcibilis.

Et in iſto diſcurſu intellectus, inquantum diſcurrit, eſt actiuus, inquantum tamen concipit, eſt paſſiuus.

Iſte idem iſtam poſitionem de paſſione reſpectu notitiæ primæ ſimplicis, & confuſæ, & actione reſpectu notitiæ diſtinctæ inueſtigatæ, videtur retractare, & corrigere alibi, vbi inquirens de principio actiuo actionum vitalium, ſcilicet ſenſationis, & intellectionis, ponit, quòd illud principium eſt aliquid in ipſo animato, & non ſolum obiectum extra, ſicut & in ſenſu ponit ꝙ ſpecies impreſſa in organo tātum inclinat, & inclinando excitat potentiam, & quaſi euocat ipſam ad propriā operationem. Ita phantaſma in virtute phantaſtica inclinat intellectum, ita quòd intellectus inclinat' fit ī vltima diſpoſitione ad eliciēdum intellectionem, tamquam ſuam propriā operationē. Et pro iſta opinione adducūt ibi vnā rationē pro iſtis actionibus, quia ſunt vitales, & nulla actio tranſcendit perfectionē agētis, & aliā de actione manente in agēte, & iſtæ ſunt propriè actiones, & denominant propriè ipſum agens, ſicut lucere ſe habet ad ipſum lucens, non illuminare.

Ad hoc concordat ratio Auguſtini, quod anima format in ſe imagines cognitorum, quæ tres rationes adductæ fuerunt prius pro prima opinione.

Contra. Neutra iſtarum opinionum, nec retractata, nec retractans, videtur eſſe vera. Non retractata: quia aut intellectus factus in actu ſecundum notitiam primam confuſam, eſt actiuus virtute ſui reſpectu intellectionis ſecundæ, aut virtute illius notitiæ primæ confuſæ; Si virtute ſui, non videtur rationabile, quòd aliqua cauſa poſſit eſſe actiua reſpectu perfectioris in aliqua ſpecie, & nullo modo poſſit eſſe cauſa actiua reſpectu imperfectioris eiuſdem rōis.

Intellectio autem confuſa, & diſtincta, alibi videntur eſſe intellectiones eiuſdem rationis: quia eiuſdem obiecti, ergo videtur incoueniens, quod intellectus de ſe poſſit eſſe cauſatius reſpectu ſecundæ intellectionis, quæ eſt perfectior, & non reſpectu primæ. Si autem dicas, quòd reſpectu ſecundæ eſt actiuus virtute actus primi.

Contra, actus imperfectior non poteſt eſſe ratio formalis cauſandi actum perfectiorem, quia tunc non eſſet vnde poſſit probari Deum eſſe perfectiſſimum ens, ſi effectus poſſet excedere cauſam ſuam totalem in perfectione, cognitio autem diſtincta eſt nobilior cognitione confuſa. ergo illa confuſa non eſt formalis ratio eliciendi, vel cauſandi illam diſtinctam.

Opinio etiam retractans non videtur eſſe vera: quia quæro, quid intelligatur per inclinationem? aut aliqua forma, quæ ſit in intellectu, per quam inclinetur, aut nihil. Si nihil, non magis inclinatur nunc, quam prius inclinabatur: ſi aliqua forma, aut actus intelligendi, & tunc oppoſitum opin. eorum: quia obiectum cauſabit actum, aut aliquid prius actu intelligendi, vt ſpecies, quam ipſi negant.

Item

Item in cauſis eſſentialiter ordinatis inferior non inclinat ſuperiorem, ſed è conuerſo: reſpectu autem intellectionis pars intellectiua eſt cauſa ſuperior, quidm ſpecies alicuius obiecti, vt patebit in ſequenti quæſtione, ergo obiectum non inclinat intellectum.

Reſpondeo non eſt habitus, nec actus, nec ſpecies, ſed quoddam quartum.

Contra, quamuis hoc ſtatim videatur inconueniens: tamen arguitur ſic. Sit illud quartum A. tunc ſic. Aut ſine illo A. eſt in intellectu tota virtus actiua reſpectu intellectionis huius, aut non. Si ſic, ergo ſine illo poteſt intellectus in hanc intellectionem: & ita determinationem omnem requiſitam: quia hæc, vt hæc, eſt determinatiſſima: & ita A. propter nihil erit neceſſarium: Si non, ergo dat A virtutem actiuam, vel totam, vel partialem ipſi intellectui, & ita actio non erit ab intra, vt à totali principio actiuo.

D T. p p q 85 d. 2. *Quinta opinio ponit, quòd ſpecies obiecti in intellectu, vel ipſum obiectum in ſe præſens eſt gignens, vel eſt ratio gignendi notitiam actualem in intellectu. Et ipſe intellectus tantummodo ſe habet tamquam materiale, vel informatus illa ſpecie, vel per obiectum ſupplens vicem ſpeciei.*

Cõm. 18. et 8. et 2 de anima t 2. ex pſſius. te. 32 tex. 5 *Ad hoc arguitur ſic per Comment. 3. de Anima, Commen. 5. Intellectus ſe habet ad formas vniuerſales ſicut materia prima ad formas indiuiduales. Et alibi; anima noſtra eſt infimum in genere intelligibilium ſicut materia in genere entium. Et 3. de Anima, & 8. Phyſic. Intellectus ante habitum eſt in potentia eſſentiali, ſicut materia ante formam. Et 3. de Anima intellectus nihil eſt eorum, quæ ſunt ante intelligere. Ex omnibus iſtis concluditur, potentiam intellectiuam reſpectu intelligibilis eſſe purè potentialē; ſed quod eſt purè potentiale, non poteſt eſſe principium actiuum alicuius actus, niſi informatum aliqua forma: & tunc principium formale erit forma.*

Arguitur vlterius, quòd ipſa forma, quæ eſt principium agendi, ſit ſimilitudo obiecti: quia ſicut factio eſt formaliter per formam qua faciens aſſimilatur facto: ita actio videtur eſſe formaliter per illam formam, qua agens aſſimilatur obiecto: & ita illa ſimilitudo erit formalis ratio agendi.

Ad hoc etiam adducitur, quòd agens indeterminatum, non poteſt in actionem determinatam, vel circa obiectum determinatum: niſi determinetur: intellectus de ſe eſt indeterminatus ad omne intelligibile, & ad omnem intellectionem, ergo ad hoc quòd intelligat aliquid, requiritur determinatio aliqua: illa non eſt niſi per ſpeciem intelligibilem, igitur illa ſpecies intelligibilis requiritur, vt principium determinatiuum.

Sexta Opinio quæ redit in idem quantū ad cōcluſionem huius quintæ opinionis eſt, quod ipſa notitia actualis genita ſiue in ſenſu, ſiue in intellectu, eſt ſpecies. Aeg. qdl. 3 q. 12. & 13.

Et nunc ſicut ratio formalis gignendi ſpeciem actualem, quæ dicitur notitia actualis, eſt ratio obiecti, vel ſpecies obiecti in memoria: ita ſequitur quo ad propoſitum, quòd ratio formalis gignendi notitiā actualem, eſt primum obiectum, vel aliqua ſpecies in virtute obiecti.

Et hoc ita, quòd quando obiectum eſt in ſe præſens, ab eo egreditur, vel generatur ſpecies, quæ eſt intellectio: cum autem non eſt in ſe præſens, ſed per ſpeciem in memoria: tunc per illam ſpeciem, vel virtute illius ſpeciei gignetur alia ſpecies, quæ eſt intellectio.

Pro iſta opinione, quatenus dicit ſpeciem intelligibilem eſſe notitiam actualem, adducitur Aug. 2. de Trinit. cap 2. vel 4. vbi inquit: illa tamen informatio ſenſus, quæ viſio dicitur, à ſolo imprimitur corpore quod videtur: quod autem imprimitur, vel gignitur à ſolo corpore, eſt ſpecies, ergo illa ſpecies eſt viſio ſecundum Auguſtinum. Hoc idem ſecundo probatur per Philoſoph. 1. de Anima, qui vult, quòd idem ſit ſonatio, & auditio: quia idem eſt actus actiui & paſſiui, & per Philoſophum 3. Phyſicorum: ſed ſonatio in actu cauſat ſpeciem ſoni in aure, ergo illa ſpecies cauſata, eſt idem cum auditione: & ita ſpecies intelligibilis, & intellectio, idem ſunt. tex. 138.

Concluſio iſtarum duarum opin. vltimarum improbatur per quædam argumenta facta contra opinionem ſecundam. Nam effectus æquiuocus nō poteſt excedere in perfectione cauſam æquiuocam, ſed deſinit neceſſario ab ea. Intellectio eſſet effectus æ-

quiuo-

quiuocus ſpeciei intelligibilis: ſi ab ea ſola cauſaretur, & ita ſimpiliciter eſſet imperfectior ſpecie intelligibili: quod non eſt verum.

Iſta ratio, quæ fuit prima contra ſecundam opinionem, minus eſt euidens contra iſtas: quia ſpecies intelligibilis eſt nobilior phantaſmate.

Secunda etiam ratio, & tertia contra ſecundam opinionem, non ſunt contra iſtas. Aliæ ſex rationes, quas non ponderaui, poſſunt hic fieri. Nam primo habitus, &c.

Similiter habitus non videtur neceſſarius, ſicut argutum eſt ibi in quinta ratione. Similiter quomodo fieret diſcurſus. Similiter quomodo reflexio? quomodo cauſarentur relationes, rationis, ſiue intentiones Logicæ. Quomodo complexio falſa, cui aſſentiretur tamquam veræ, ſi ſola ſpecies intelligibilis genita à phantaſmate, eſſet ratio formalis omnis intellectionis.

Similiter tunc ſpecies eſſet magis potentia intellectiua, quam intellectus, & ita ipſa ſeparata haberet eundem actum, ſicut calor ſeparatus calefaceret. Similiter 2. ſic intelligere non videretur propria perfectio ipſius intellectus, quia nihil videtur eſſentialiter ordinari ad illam operationem, ad cuius principium ſe habet in potentia contradictionis, ſicut ad accidens per accidens, ſicut calefieri non videtur propria perfectio ligni, ex quo lignum ſe habet ad calorem ſicut ad accidens per accidens, ſed ita ſe haberet intellectus, ſecundum iſtam opinionem, ad ſpeciem intelligibilem, quæ eſſet principium intellectionis, igitur & cætera. Similiter, tertia tam in ſenſu quàm in intellectu poſito eodem repræſentante, maior attentio vel contactus facit actum perfectiorem.

Idem enim habens eandem ſpeciem intelligibilem, vel phantaſma, perfectius intelligit illud, ad cuius intellectionem magis conatur, & minus, quando minus. Ita etiam in ſenſu, eodem obiecto præſente, & in eodem lumine, & in eadem diſtantia, perfectius videtur aliquid per maiorem attentionem in vidēdo. Patet etiam ex hoc, quod magis quandoque læditur viſus propter maiorem attentionem, immo cæteris paribus, vnus oculus magis attentus poſſet multum offendi in viſione alicuius, in qua minus alius offenditur, ſicut patet per experientiam. Patet etiam ſecundum Auguſt. 2. de Trin. cap. 2. quòd in attento multum remanent ſpecies poſt viſionem, quæ non remanet in oculo non attendentis.

Ad iſta tria media poteſt reſponderi. Ad primum, quòd potentia intellectiua eſt, qua intelligimus, intelligimus autem ea, inquantum ipſa habet formaliter intellectionem, ſpecies autem non eſt nata habere eam, nec eſſe ratio habendi illam. Quod adducitur, quod etiam ſeparata haberet actum, ſi intelligatur habere ſubiectiuè: patet quod non, videlicet, ſi effectiuè. Reſponſio: non habet paſſum in quod agat, præcipuè ſi non eſt nata eſſe principium agendi in aliud, quia non eſt factionis principium, ſed tantum actionis immanentis in eodem ſubecto cum ipſa.

Ad ſecundum poteſt dici, quod maior illa, ſcilicet nihil videtur eſſentialiter ordinari, &c. Falſa eſt in his, quæ non poſſunt ex ſe conſequi finem ad quem ordinantur, ſed tantum actione extrinſeci dantis ſibi aliquod accidens per quod operatur, & attingat finem ſuum, ſic eſt hic.

Ad tertium, illa atteſtatio eſt voluntatis, qua vehementius applicat ſe ad obiectum, potentia cognitiua inferior vehementius patitur ab illo obiecto, & ideo perfectius cognoſcit, licet non agat ad illum ſecundum actum.

Sed contra ſecundam opinionem arguitur ſpecialiter, quòd ipſa ſit falſa, tam in ſenſu, quā in intellectu: in ſenſu, quia ſi ſpecies iſta, quæ eſt viſio, ſit eiuſdem rationis cum illa, quæ eſt in medio, illa in medio erit formaliter viſio, ergo medium formaliter habens eam, erit formaliter videns; Si autem præter hanc ſpeciem in viſu, quæ ponitur viſio, ſit alia alterius rationis ab ea, & alia eiuſdem rationis cum illa, quæ eſt in medio, habetur propoſitum, ſcilicet, quòd licet illud quod eſt viſio, dicatur ſpecies, tamen eſt aliquid aliud prius eo in oculo, & alterius rationis, & illud vt communiter dicitur, eſt ſpecies. Et ita ſpecies propriè dicta differret ab actione.

Si dicas, quòd ſpecies in medio differt à ſpecie in oculo, propter diuerſa recipientia, hoc nihil eſt: quia ſicut albedo eſt eiuſdem rationis in lapide, & equo, & ideo vtrumque eſt

que eſt formaliter albedo, ſecundum eandem rationem albi, ita ſi illa qualitas, quę dicitur ſpecies, ſit eiuſdem rationis in oculo, & in medio, ſi illa de ſe ſit viſio formaliter, viſio formaliter erit in vtroque, & in quocumque eſt formaliter viſio, illud formaliter eſt videns. Principale etiam propoſitum patet: quia in oculo cæco, manente tamen ſic mixto, vt prius, cauſatur ſpecies. Similiter in oculo dormientis, aliàs non excitaretur ab excellēti ſenſibili præſente. Nō ēt aliter aliquis excitaretur à ſono excellēti, niſi ſpecies eſſet in aure, tamen in iſtis nō eſt viſio. Ita etiā in oculo bene diſpoſito recipitur aliqua ſpecies eiuſdem rationis cū illa, quæ eſt in medio, ex hoc, quòd ipſum organū eſt ſimilis diſpoſitionis cū medio, propter perſpicuitatem vtriuſque & diaphaneitatem, ex ſecundo de Anima, & iſta nō erit formaliter viſio, ſed prior viſione.

Quod etiam hoc de intellectu ſit falſum, patet, coniungendo aliqua dicta ſic opinantis, poſuit enim nullam eſſe aliam ſpeciem ab eſſentia diuina in viſione beata, & beatitudinem eſſentialiter conſiſtere in ſola viſione. Coniunge iſtud dictum, quòd viſio formaliter eſt ſpecies, & ſequitur, ꝙ beatitudo noſtra erit formaliter eſſentia diuina. Probatio: beatitudo formaliter eſt viſio ſecundum eos, viſio formaliter eſt ſpecies ſecundum eos, ſpecies eſt formaliter eſſentia diuina, ergo eſſentia diuina eſt formaliter beatitudo noſtra. Sed hæc Cōcluſio eſt incōueniens; aut negēt iſtam præmiſſā, ꝙ viſio eſt ſpecies, aut ponant, quòd eſſentia diuina habet aliam ſpeciem à ſe, aut beatitudinem eſſentialiter in alio, quàm in actu viſionis.

tex. 11. & inde.

Si dicatur, vbi eſt ſpecies intelligibilis alia ab obiecto, illa eſt intellectio, ſed vbi non eſt alia ſpecies ab obiecto, ibi intellectio non eſt obiectum in beatitudine: igitur negarent ſpeciem aliam ab obiecto, & actu, ſed non negatur eſſe alia ab obiecto.

Contra. Nullius obiecti eſt alia ſpecies intelligibilis niſi ſola intellectio, ſecundum iſtos, igitur cuius obiecti eſt intellectio alia ab ipſo, eius eſt ſpecies intelligibilis: igitur ita debet concedi ſpecies in viſione Dei, ſicut in intellectione cuiuſcumque alterius obiecti.

Nota, quòd intellectionis ad obiectū inquantum eſt motiuum intellectus, ſiue magis propriè inquantum eſt cauſatiuum intellectionis, eſt relatio pertinens ad ſecundum modum relatiuorum, ſicut filij ad patrem, vel caloris geniti ad gignentem. Relatio etiam intellectus ad obiectum, vt mobilis ad motiuum, pertinet ad ſecundum modum, ſicut relatio calefactibilis ad calefactiuum, ſed præter iſtas relationes ſecundi modi. Eſt alia relatio intellectionis ad obiectum, vt terminati ad terminans. Non enim tantum intellectio eſt ab obiecto, vt a cauſa efficiente totali, vel partiali, ſed eſt ad ipſum, vt ad terminans, ſiue vt circa quòd ipſa eſt differentia iſtarum relationum. Patet: quia vtraque eſt ſine alia: Prima ſine ſecunda, in calore genito; ſecunda ſine prima in intellectione lapidis, ſi fieret immediatè à Deo in me.

Prima non eſt identica: quia idem abſolutum poſſet fieri ab alia cauſa. Secunda videtur identica: quia nullus actus natus eſſe circa obiectum, poſſet eſſe idem, & non terminari ad idem obiectum. Secunda non eſt ad aliquam cauſam, quia poſitis omnibus cauſis, præter hoc requiritur in tali actu aliquid terminās. Pater enim diuidendo, non eſt forma, nec efficiens. Patet. Non finis, quia obiectum, vt eſt primum circa quod eſt actus, non eſt propter quod amatum elicitur actus, nec eſt materia circa, ſiue in, ſiue ex qua.

Secunda poteſt poni tertij modi, non quia ſit relatio menſurati, ſed quia ſimilis illi, quia non mutua. Actus enim requirit eſſe circa quod ſit, non ecōuerſo: nec ſola relatio menſurati eſt tertij modi, ſed omnis ſimilis, ſcilicet non mutua qualis eſt terminati ad terminans modo prædicto; tamen & hic cōcurrit inter eadem abſoluta relatio menſurati ad menſuram, ſed poteſt poni formaliter alia ab iſta relatione terminati.

Contra ſecundum, & quartum quomodò eſt alicui identica relatio ad non cauſam, niſi dependeat eſſentialiter a non cauſa, & ita quattuor cauſæ nō ſufficient ad eſſe rei.

Item obiectum poteſt non eſſe actu exiſtente, quomodo tunc idētidem relatio, vel etiam realis, cum terminus non ſit.

Hæ duæ rationes videntur concludere ꝙ intellectio eſt ita forma abſoluta, ſicut albedo. Patet enim, quod ipſa eſt cauſabilis a Deo immediatè, ergo ab ipſo ſolo depen-

dēt

det eſſentialiter, quando etiam obiectum cauſat, non dependet identicè: quia poſſet eadem aliunde cauſari; frequenter etiam eſt circa nonens. Et ſi dicas, eſt ens in ſpecie, quod ſic ſit forma abſoluta, vel procedemus in infinitum, & ipſa non eſt obiectum terminans, ſed illud cuius eſt, quomodo ergo Philoſophus ſeptimo Phyſic. & alia dicta de habitibus procedunt.

Item differentia iſtarum relationum ponit, quia intellectus quandoque terminatur in intellegendo ad aliquid, à quo non mouetur, puta, Deus ad creaturam, vel ad relationes intrinſecas, vel attributa, cum tamē ſola eſſentia moueat ad intellectionem, alioquin quod eſſet eius obiectum primum?

Contra, tunc intellectio Dei haberet relationem realem ad Creaturam, vel ad aliud obiectum.

Item ſecundo, quare magis vnum motiuum, quàm terminans requiritur ad vnitatem actus.

Ad primum iſtorum duorum, quare non poteſt aliqua relatio tertij modi eſſe rationis tantum, ſicut & illa ſecundi, qua eſſentia diuina dicitur mouere ad intellectionē eius, & econuerſo, ſic quia non ſit differentia modorum Ariſtotelis penes eſſe rei, & rationis, ſed penes mutuum, & non mutuū, quia ſi mutuum penes quantum, & quale, ſubſtantiale, vel accidētale, in actu primo, vel ſecundo, ita quod quilibet modus poſſit eſſe quandoque realis, quandoque rationis.

Ad Quæſtionem reſpondeo, & dico, quod intellectio actualis eſt aliquid in nobis, non perpetuum: ſed habens eſſe, poſt non eſſe, ſicut experimur. Iſtius ergo oportet ponere aliquam cauſam actiuam, & aliquo modo in nobis, alioquin non eſſet in poteſtate noſtra intelligere, cum volumus, quod
55. eſt contra Philoſophum 2. de Anima; ap-
760. paret etiam hic, quòd oportet concurrere animam, & obiectum præſens, & hoc in ſpecie intelligibili, ſicut dictum eſt in præcedenti quæſtione: quia alio modo non eſt pręſens, vt actu intelligibile, loquendo de ſenſibili obiecto, & materiali. Dico ergo tunc, quòd iſtius intellectionis non eſt totalis cauſa actiua obiectum, nec in ſe, nec in ſua ſpecie: ſicut apparet per rationes contra ſecundam, quintam, & ſextam opinionem. Etiam, quia tunc non poſſet ſaluari imago in mente, vt mens eſt: quia nihil ipſius mentis haberet rationem parentis. Nec tota cauſa intellectionis eſt anima intellectiua, vel aliquid eius formaliter, propter rationes factas contra primam opinionem.

Quæ ratio explicat rationem Philoſophi in 2. de Anima, de qua tangitur arguendo ad principale ad primam partem, adduntur etiam alię probabilitates ad hoc, prima, quia tunc actus, &c.

Et etiam quia tunc actus non eſſet ſimilitudo obiecti, nec diſtingueretur eſſentialiter propter diſtinctionem obiecti, quia eſſentialis diſtinctio non eſt ab eo, quod non eſt cauſa: nec eſſet ſimpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis, poſito æquali conatu hinc inde ex parte intellectus. Probatio, quia poſita cauſa totali efficacius operante ſequitur perfectior actio, & ita ſi anima eſſet cauſa totalis, vbicumque ipſa ex parte ſui perfectius ageret: ex maiori conatu perfectiorem intellectionem produceret, & ita intellectio Dei non eſſet perfectior intellectione muſcæ, quod eſt contra Philoſophum 10. Ethic. 1. ponentem felicitatem in ſpeculatione obiecti perfectiſſimi. Videtur etiam, quod tunc eſſet infinita actiuitas in intellectu, inquantum eſt actiuus, reſpectu omnium intellectionum: quia ad vnam intellectionem vnius rationis, requiritur aliqua perfectio in cauſa illius intellectionis, & ad aliam intellectionem alterius rationis, requiritur tāta perfectio, vel maior; ergo habens hanc & illam, eſt perfectius, quàm habens illam tantum, & ita habens infinitas tales, vt totalis cauſa, eſt infinitum in perfectione.

Similiter, non videretur quomodo aliqua tota ſcientia contineatur virtualiter in obiecto, ſi ſola anima intellectiua haberet cauſalitatem reſpectu actus, & habitus.

Ex iſtis ſoluitur quomodo ſic. Si ergo, nec anima ſola, nec obiectum ſolum, ſit cauſa totalis intellectionis actualis, & iſta ſola videntur requiri ad intellectionem, ſequitur, quòd iſta duo ſunt vna cauſa integra reſpectu notitiæ genitæ.

Et iſta eſt ſententia Aug. 9. de Trin. c. vlt. ſicut allegatum fuit arguendo contra primam opin. Liquido tenendum eſt, &c.

Quali-

Qualiter autem hoc ſic intelligendum, diſtinguo de pluribus cauſis concurrentibus ad eundem effectum; Quædam enim ex æquo concurrunt, ſicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quædam verò nõ ex æquo: ſed habentes ordinem eſſentialem, & hoc dupliciter; vel ſic, quod ſuperior moueat inferiorem, ita quod inferior non agat, niſi quia mouetur à ſuperiore, & tunc inferior habet à ſuperiore virtutem illam, qua mouet.

Quandoque nõ, ſed formam ab alio, & à cauſa ſuperiori ſolam motionem virtualem ad producendum effectum.

Quandoque autem ſuperior non mouet inferiorem, nec dat ei virtutem, qua mouet, ſed ſuperior de ſe habet virtutem perfectiorem agendi, & inferior habet imperfectiorem virtutem agendi, nec tamen recipit virtutem iſtam imperfectiorem à ſuperiori, quæ eſt perfectioris virtutis. Exemplum primi membri huius ſecundæ diuiſionis, de potentia motiua, quæ eſt in manu, & baculo, & pila. Exemplum ſecundi membri, ſi mater ponatur virtutem actiuam habere in generatione prolis, illa & potentia actiua patris concurrunt, vt duæ cauſæ partiales ordinatę quidem, quia altera perfectior reliqua, non tamen imperfectior recipit ſuã cauſalitatem à cauſa perfectiore; nec tota illa cauſalitas eſt eminenter in cauſa perfectiori ſed aliquid addit cauſa imperfectior, intantum quod effectus non ſolum non poteſt eſſe perfectior à cauſa perfectiori, plus quam ab imperfectiori: immò non poteſt plus eſſe à perfectiori tantum, quam ab imperfectiori tantum.

Ad propoſitum, obiectum intelligibile præſens in ſe, vel in ſpecie intelligibilis, & pars intellectiua, non occurrunt vt cauſæ ex æquo ad intellectionem, quia tunc alterum haberet cauſalitatem talem imperfectam, & reliquum ſuppleret eam, & ſi alterum eſſet perfectum, poſſet habere in ſe vno exiſtente, totam cauſalitatem amborum, ſicut ſi virtus motiua vnius eſſet perfecta ſupplet virtutem alterius, & tunc ſpecies eſſet quaſi quidam gradus intellectualitatis ſupplens gradum intellectualitatis deficientem intellectui, & tunc ſi fieret perfectior intellectus, ſecundum gradum talem, poſſet ſine ſpecie, & ſine obiecto habere actum intelligendi, quod eſt falſum.

Concurrunt ergo iſta duo, vt habentia ordinem eſſentialem, non tamen primo modo: quia nec intellectus dat obiecto, vel ſpeciei rationem ſuæ cauſalitatis. Non enim obiectum natum eſt in ſe, vel in ſpecie ſui, facere intellectionem per aliquid, quod recipit ab intellectu, ſed ex natura ſua; nec intellectus recipit ſuam cauſalitatem ab obiecto, vel ſpecie obiecti, ſicut probatum eſt contra quintam, & ſextam opinionem in iſta quæſtione.

Sunt igitur cauſæ eſſentialiter ordinatæ vltimo modo, ſcilicet, quòd vna eſt ſimpliciter perfectior altera, ita tamen, quod vtraque in ſua partiali cauſalitate eſt perfecta, non dependens ab alia.

Si arguitur contra iſtud, quod in cauſis talibus eſſentialiter ordinatis neutra eſt perfectio alterius, ergo ſpecies intelligibilis non erit forma ipſius intellectus.

Similiter ad idem, ſi ſit perfectio intellectus, & totum hoc ſit ratio agendi, ergo vna operatio vtpote intellectio, non habebit, vnam formalem rationem agendi: ſed erit ab ente per accidens, quale eſt hoc totum, intellectus habens ſpeciem quod eſt inconueniens: quia quidquid non eſt per ſe ens, non per ſe eſt ratio formalis agendi.

Reſpõdeo ad primam. Accidit ſpeciei inquantum eſt cauſa partialis reſpectu actus intelligendi, cum intellectu, vt cum alia cauſa partiali, quod ipſa perficiat intellectum, quia etſi perficiat eum, non dat tamen intellectui aliquam actualitatem pertinentem ad cauſalitatem intellectus. Exemplum, potentia motiua manus poteſt vti cultello, inquantum acutum eſt, ad diuidendum aliquod corpus, iſta acuties, ſi eſſet in manu, vt in ſubiecto, poſſet manus vti ea ad eandem operationem, & tamen accideret manui, inquantum in ea eſt potentia motiua, quòd in ea acuties eſſet, & econuerſo: quia acuties nullam perfectionem daret manui, pertinentem ad potentiam motiuam, quod apparet: quia æquè perfecta eſt potentia motiua ſine tali acutie, & ita eodem modo vtitur ea, quando eſt in alio cõiũcto manui, vt cultello, ſicut vteretur ea ſi eſſet in manu. Ita in propoſito, ſi ſpecies poſſet eſſe inexiſtens intellectui abſque inhærentia per modum formæ, ſi iſto modo inexiſtens

xiſtens eſſet ſufficienter coniuncta intellectui, poſſent iſtæ duæ cauſæ partiales, intellectus & ſpecies, coniunctæ ſibi inuicem in eandem operationem, in quam modo poſſunt, quando ſpecies informant intellectum quod etiam apparet, ponendo aliquod intelligibile præſens ſine ſpecie, illud enim obiectum eſt cauſa partialis, & non informat intellectum qui eſt altera cauſa partialis: ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatæ abſque informatione alterius ab altera, per ſolam approximationem debitam, cauſant vnum effectum communem.

Per idem patet ad ſecundum, quia in vnoquoque ordine cauſæ oportet ponere reſpectu vnius effectus vnam per ſe cauſam, & vnam per ſe rationem cauſandi, ita intellectus in ſuo ordine cauſalitatis eſt vnus, & habet vnam formalem rationem cauſandi, & ſpecies, vel obiectum in ſuo ordine cauſandi eſt vna cauſa, & habet vnam rationem cauſandi: ſed non oportet talem cauſam, prout complectitur omnes cauſas partiales habere vnam rationem cauſandi, niſi vnitatem ordinis, quia ſi cum vnitate ordinis, concurrat vnitas per accidens, hoc accidit, ſed vnitas ordinis eſt per ſe. Exẽplum: Sol in ſuo ordine cauſandi habet vnam rationem cauſandi reſpectu prolis, & pater in ſuo ordine cauſandi eſt vna cauſa vnius rationis: ſed cauſa totalis, quæ complectitur patrem, & Solem, non habet aliquam vnã rationem formalem cauſandi, ſicut non eſt vna cauſa, niſi vnitate ordinis. Et ſi contingat cauſas ſic ordinatas præter vnitatẽ ordinis habere vnitatem per accidens, inquãtũ ſcilicet vna accidit alteri, hoc non cõuenit eis per ſe, inquantum cauſæ ſic ordinatę.

Hoc ſecundum ſi ponitur, non ſine cauſa ponitur forte impoſſibile eſt accidens, quod eſt principium immanentis, & non tranſeuntis, eſſe ſufficienter coniunctum paſſo, niſi ſit in illo ſubiectiuè; qualiter dicitur accidens. Nonne eſſentia diuina in intellectu beati, eſt principium intuitionis, quæ non immanet illi eſſentiæ, nec alicuius ipſa ſit forma? Sicut charitas in patria eſt principium intuitionis ſui, tamen nõ eſt, in intellectu intuente; igitur intellectio eſt actio immanens, accipiendo actionem pro operatione.

Contra. Sic non eſt aliqua actio immanens & aliqua tranſiens.

Reſpõdeo, tunc eſt diuiſio vocis in ſignificata: aliter actio de genere actionis immanet alteri cauſæ, ſcilicet intellectui, & reſpectu eius eſt immanens, non autem reſpectu reliquæ, ſcilicet obiecti &c.

Ad argumenta opinionũ per ordinẽ. Primo ad auctoritates Aug. dico, quòd imago, quæ ponitur ab eo eſſe in ſpiritu, oportet, ꝙ intelligatur eſſe in anima, vel in aliquo animę, vt in ſubiecto & non præciſè in corpore ſic mixto: aliter non concluderetur illã imaginẽ eſſe nobiliorem omni corpore, ſicut dicit ipſe 12. ſupra. Geneſ. quòd autem eſt in anima, vel in aliquo animæ, vt in ſubiecto, non eſt illa ſpecies, quæ communiter dicitur ſpecies: ſed illa recipitur in parte organi, quæ eſt corpus ſic mixtum: ſed illud quod recipitur in anima, vel potentia animæ, eſt actus cognoſcendi, ergo per imaginem intelligit ipſe talem actum. Iſta gloſſa arguitur ex dicto eius 11. de Trin. c. 2. et 5. vbi vult, quòd informatio ſenſus, quæ fit à ſolo corpore, viſio dicitur. Illa autem informatio eſt propria ſpecies, quæ recipitur in parte organi, ſ. in corpore ſic mixto. Hoc patet ex hoc, quod dicit, ꝙ gignitur à ſolo corpore quod videtur. Sicut ergo illud ꝙ eſt propriè imago, dicitur viſio; ita econuerſo, viſio põt dici imago, & multo verius, quia viſio, ſecundum veritatem eſt quædã qualitas, & talis qualitas eſt quædã ſimilitudo obiecti, & fortè perfectior, quàm illa ſimilitudo prior quæ dicitur vſitatè ſpecies.

Hoc intellecto, faciliter patet reſp. ad auctoritates ei⁹, cõcedo enim ꝙ iſtã imaginẽ, quæ eſt ſenſatio, nõ cauſat corp⁹ in ſpiritu, vt totalis cauſa, ſed aĩa cauſat in ſe mira celeritate, non tamẽ vt tota cauſa, ſed ipſa, & obiectum. Unde dicit ibid. 12. Geneſ. quod mox, vt viſũ fuerit, &c. Innuens, ꝙ præſentia obiecti requiritur in ratione viſibilis, vt anima faciat in ſe viſionem, & nõ requiritur, niſi vt aliquo modo cauſa partialis, ſicut ipſemet exprimit 11. de Trin. cap. 2. & 5. quòd à vidẽte, & viſibili gignitur viſio.

Iſtã cõluſionem ſic intellectam probat rõ ſua in auctoritate præallegata: quia illa propoſitio, ſcilicet, quòd agens eſt præſtantius patiente, non eſt immediata ſed dependet ex iſtis tribus, ſcilicet agens eſt præſtantius effectu, & effectus agentis eſt actus

ctus & forma patientis, & actus eſt nobilior potentia, ergo agens inducens huiuſmodi formam eſt nobilius patiente. Vbi igitur iſtę propoſitiones ſunt verę, ibi propoſitio Auguſt. quam accipit, eſt vera. Iſta autem, quòd agens eſt prętantius effectu, non eſt vera, niſi de cauſa ęquiuoca totali. Poteſt enim aliqua eſſe cauſa partialiter agens ad aliquem effectum nobiliorem ſe, ſicut elementum in virtute corporum cæleſtium poteſt agere ad generationem mixti quod eſt nobilius ipſo elemento agente, vt partiali cauſa. Per iſtud patet ad ſecundam auctoritatem Auguſt. 18. de Trin. c. 5. Format enim anima in ſe imaginē, hoc eſt ſenſationem, & de ſe, hoc eſt, ipſa eſt in potentia naturali ad ſenſationem, & non in potentia neutra, ſicut ſuperficies ad albedinem eſt in potentia neutra, & non naturali, & iſtam naturalitatem oſtendit, cum dicitur, de ſe. Et loquitur ibi tantum de ſenſationibus, vt apparet: quia dicit ibidem, quod illas partes animæ, quæ corporum ſimilitudinibus informantur, habemus communes cum beſtijs. Hoc verum eſt de illis, quæ informantur imaginibus, hoc eſt ſenſationib. extendendo nomen imaginis ad ſenſationē.

Ad rationem primam pro illa opinione dico, quod concludit pro me, quia cognitio cum ſit operatio vitalis, non eſt à non viuo, ſicut à totali cauſa, poteſt tamen non viuum eſſe cauſa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis, ſicut Sol non viuus, eſt cauſa partialis cum patre ad generandum filium viuum, & multo magis in propoſito eſt poſſibile: quia hic cauſa principalior eſt viua, ſicut patebit in ſequenti quæſtione.

Cum arguitur poſt de forma perfecta, hoc concludit, quod aliquam actiuitatem habeat reſpectu propriæ operationis.

Sed quia videtur concludere totalem cauſalitatem in ea reſpectu ſuæ propriæ operationis.

Reſponſio quòd iſta forma ex perfectione ſua ordinatur ad habendum aliquam operationem circa totum ens, vt dicitur tertia quæſtione huius diſtinctionis: quia verò non eſt ſimpliciter perfecta, quia non eſt infinita, ideo non poteſt in ſe habere totum ens: ex eius ergo perfectione cum ſua imperfectione concluditur, quod aliquam actiuitatem habeat, non tamen ſufficientem, quia non poſſet habere totalem cauſalitatem cognitionis reſpectu totius entis, niſi haberet in ſe totum ens: & ideo dico, quòd formæ imperfectiores bene poſſunt eſſe cauſæ totales reſpectu ſuarum operationum, quia operationes earum ſunt limitatæ ad res, reſpectu quarum habere totalem actiuitatem non concludit aliquam perfectionem actiuam niſi limitatam. Sed in iſta forma perfecta, quæ ordinatur ad totum ens, non poteſt poni totalis cauſalitas reſpectu cognitionis totius entis, tunc enim poneretur in ea virtus actiua illimitata: ſed tamen poteſt poni cauſalitas partialis in ea, & partialis in obiecto, vt ſic ipſa poſſit cooperari perfectioni ſuæ circa quodcumque obiectum, & obiectum etiam quodcumque cooperari ſibi, magnum obiectum ad magnam perfectionem eius, & paruum ad paruam.

Alia duo argumenta de actione, vt diſtinguitur contra factionem, & quòd actio denominat agens. Concedo, pono enim actum intelligendi verè manere in agente, non tantum in ſuppoſito agente, ita quod non tranſeat extra ſuppoſitum: ſed nec tranſit extra partem intellectiuam in ſenſitiuam, nec extra intellectiuam in appetitiuam, nec extra principium eius actiuum in aliam potentiam: ſed manet in parte intellectiua, quæ eſt cauſa partialis eius. Non autem oportet actionem propriè dictam manere in ſua totali: ſed ſufficit, quod maneat in ſua cauſa partiali.

Ad Argumentum pro ſecunda opinione quamuis poſſet ibi tangi, vtrum iſta cauſalitas, quæ attribuitur parti intellectiuæ, conueniat propriè intellectui agenti, vel poſſibili? tamen illam difficultatem dimitto vſque aliàs.

Cum probatur, quòd poſſibilis non poteſt habere illā cauſalitatem, quia nihil idē agit in ſe. Reſpōdeo, quod illa propoſitio nō eſt vera, niſi de aliquo agēte vniuoco: nec iſta probatio eius, quod tūc idē eſſet in actu, & in potētia, concludit, niſi quādo agēs agit vniuocè, hoc eſt inducit in paſſum formam eiuſdē rationis cum illa, per quā agit. Si enim aliquid ſic ageret in ſe, ſequeretur, quòd ſimul haberet formam eiuſdem rationis, ad quā mouetur, & dum moueretur ad illam careret illa, igitur ſimul haberet illā, & nō haberet. Saltē hoc ſequitur de duabus formis

eiuſdem

eiuſdem ſpeciei, vel de eadem. In agentib. aût æquiuocè, id eſt in illis agentibus, quæ nõ agunt per formã eiuſdẽ rationis cum illa, ad quam arguunt, propoſitio illa, quòd nihil mouet ſe, non habet neceſſitatem, nec probatio eius, quod aliquid ſit in potentia, & in actu reſpectu eiuſdem, aliquid concludit; non .n. ibi agens eſt formaliter in actu, quale paſſum eſt formaliter in potentia, ſed agens virtualiter eſt tale in actu, quale formaliter eſt in potentia patiens, & quod idem ſit virtualiter tale in actu, & formaliter tale potentia, nulla eſt contradictio. Iſta gl. de agentibus vniuocis, & æquiuocis neceſſaria eſt: quia philoſophus poſuit motum non tantum in genere Qualitatis, ſed Quantitatis; & Vbi. In Quantitate autem, & Vbi nullum eſt agens vniuocum: quia in genere Quantitatis, & Vbi nulla eſt forma, quæ ſit principium inducendi ſimilem formam, immò (vt generaliter dicatur) quicumque motus eſt ad formam non actiuam, non eſt ab agente vniuoco: quia ex quo forma talis terminans non eſt actiua, nulla eiuſdem rationis eſt principium agendi. Sunt igitur apud philoſophum multi motus ab agente non vniuoco, ſed æquiuoco, & ibi agens eſt virtualiter tale in actu, quale patiens formaliter in potentia.

ph. qu. ſe tet.

Si arguas, ergo in omnibus poßet idem eſſe in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem, & ſic quodlibet poteſt mouere ſe.

Reſponſio, quòd in iſta illatione eſt non cauſa, vt cauſa: Nam ex generali ratione actus virtualis, & potentiæ ad actum formalem, nulla eſt repugnãtia: quia ſi ex iſta ratione eſſet repugnantia, tunc, & in quolibet eſſet repugnantia, tamen in aliquo, cum actu virtuali concurrit aliquid aliud, propter quod repugnat ſibi quandoque eſſe in potentia, vel actu formaliter tale. Exẽplum: eßе calidum virtualiter in actu, & formaliter in potentia, de ſe non concludit contradictionem, vel repugnãtiam, & ideo in nullo ſubiecto includunt repugnantiam, quod propter hoc non poſſint eſſe ſimul, nec alterum eße ibi, quia alterum. Tandem Sol, qui eſt calidus virtualiter, non poteſt eße calidus formaliter: tamen hoc non eſt propter repugnantiam iſtorum. Probo: quia Saturnus eſt frigidus virtualiter, & tamen non poteſt eſſe calidus formaliter, ergo actus virtualis non erat in eo cauſa repugnantiæ, ſed aliquid aliud, quod eſt commune Soli, & Saturno, puta, quòd iſta ſunt corpora incorruptibilia. & caliditas eſt qualitas corporis corruptibilis.

Sed ſi obijcias, quod talia principia Metaphyſica, ex quo ſunt generalia, non debent negari propter aliquas difficultates ſpeciales.

Reſpondeo, quòd nulla ſunt principia Metaphyſica, quæ habent multa ſingularia falſa; intelligendo autem, quod nihil eſt in actu virtualiter, & in potẽtia ad actum formalem, & quod iſta repugnãtia accipiatur ex parte, vel ratione actus, & potentiæ. Nõ eſt principium Metaphyſicum, quia multa ſingularia ſatis patenter ſunt falſa; ex quo patet, quod illud non eſt principium Metaphyſicum, ſed quod nihil eſt in actu formali, & in potentia reſpectu eiuſdem actus formalis, verum eſt, quod hoc ſic nihil eſt in actu & in potentia.

Et ſi omninò contendas, quòd etiam loquendo de actu virtuali, & potentia ad formalem actum, ſit principium Metaphyſicũ: quomodo alij erant ita cæci, & iſte ſolus videns, vt rationem communium terminorum Metaphyſicorum non poſſent concipere, & ex eis apprehendere veritatem talis complexi, quod ipſe ponit principium Metaphyſicum? quod non tantum ab alijs non ponitur principium, immò in multis falſum, & nunquam neceſſarium in ratione terminorum.

Cum arguitur ſecundo, ex ſecundo Phyſicorum, de cauſa materiali, & efficiente, quod non coincidunt, verum eſt de materia, quæ eſt in potentia pura, ſed non de materia ſecundum quid, qualis eſt ſubiectum reſpectu accidentis. Neceſſe eſt enim aliquid idem quandoque eße materiam, & efficiens, reſpectu eiuſdem; quod apparet: quia aliàs paſſio non prædicaretur per ſe ſecundo modo de ſubiecto, quia ſi prædicetur per ſe ſecundo modo de eo, eſt eius cauſa materialis, ſicut materia eſt in accidentibus: quia ponitur in definitione eius, vt additum; Si etiam eſt prædicatio per ſe, igitur & neceßaria: ſed quod eſt ſola cauſa materialis reſpectu alicuius, non habet neceſſi-

t. 70.

9. me. t. 18.

neceſſitatem reſpectu eius, ergo oportet inter cauſalitatem materiæ ponere in ſubiecto cauſalitatem efficientis, ad ſaluandum neceſſitatem.

Quod arguitur poſtea de relationib. realibus oppoſitis. Dico quòd aliquæ relationes oppoſitæ ſunt incompoſſibiles in eadem natura, & in eodem ſuppoſito; aliquæ in eodem ſuppoſito, ſed non in eadem natura; aliquæ nec in eadem natura, nec in eodem ſuppoſito. Vnde ex ratione relationum realium in communi, non poteſt concludi repugnantia earum in eodem.

Exempla prædictorum, cauſa, & cauſatum in eadem natura ſiue ſuppoſito repugnat, quia ſi non, tunc idem dependeret à ſe, producens & productum non repugnant in eadem natura, quia natura poteſt communicari ſine diuiſione ſui, qualis eſt natura diuina, repugnat tamen in eodem ſuppoſito. Mouens autem, & motum in eadẽ natura, nec in eodem ſuppoſito repugnãt, quia hic non ponitur dependentia eſſentialis, qualem non ponunt relationes cauſæ, & cauſati; nec per idem ponitur, quod idẽ ſit ante quam ſit, quod ponere videtur ratio producti, & producentis: ſed tantum ponitur hic, ꝙ idem dependet à ſe, quãtum ad actum accidentalem, ſicut motum à mouente dependet quãtum ad actum accidentalem, quem recipit ab eo. Incompoſſibilitatẽ igitur aliquarũ relationem oportet reducere ad aliquã incompoſſibilitatem priorem, & vbi iſta prior non inuenitur, ibi nec illa incõpoſſibilitas relationũ oppoſitarum concludetur.

Hoc etiam amplius declarat: quia ſicut iſtæ relationes producẽtis, & producti, quæ ſunt repugnãtes in eodem ſuppoſito, poſſunt fundari in eadẽ natura illimitata, ſicut in eſſentia diuina: ita iſtæ relationes mouentis, & moti, quæ multo minorem habent repugnantiam, fundari poſſunt in eadem natura aliqualiter illimitata. Quidquid autẽ eſt in potentia ad aliquẽ actum formaliter, & cum hoc habet eãdem actualitatem virtualiter, ſicut cum idẽ mouet ſe, eſt aliqualiter illimitatũ. Ponitur.n.nõ tantum capax illius perfectionis, ſed vt cauſans eam: ibi igitur propter illimitationem aliqualem, benè cõpatiũtur ſe iſtæ relationes oppoſitæ.

Cõtra omnia relatiua ſunt eodẽ modo oppoſita, ergo eodem modo incompoſſibilia.

Ad Achillem eorum, quod quodlibet mouens ſe. Dico, quòd ſicut argutum eſt contra primam opinionem, in excludendo cauſam, ſine qua non, quod nihil eſt cauſa totalis, & perfecta, & naturalis effectiua alicuius, quin ipſum approximatum totali receptiuo, & non impeditum cauſet illud, lignum autem ſemper eſt approximatum ſibi ipſi, & ſufficienter, & non poteſt poni aliquod perpetuum impedimentum, quando ignis nõ eſt præſens ſibi, quia ſi ponatur hoc impediens, amoueatur illud, & non erit impeditum, ſi aliud, amoueatur illud. Et ſic diſcurrendo per ſingula, habebitur ſibi præſens lignum, & nullo modo impeditum; igitur ſi ipſum eſſet cauſa actiua totalis reſpectu caloris, & ipſum eſt etiam totalis cauſa receptiua; igitur ſemper eſſet calidum: non autem ſemper eſt calidum, ergo cum non poſſit poni non cauſalitas totalis propter impedimentum, nec propter non approximationem, nec propter receptiuum, concludetur, quòd in ligno non eſt cauſalitas actiua totalis, quod eſt propoſitum. Sic igitur non omnia mouebunt ſe, vt cauſæ totales, quia nullæ tales naturæ, quæ non habent ſemper actum, ſunt cauſæ naturales totales illius actus.

Sed dices, ſaltem dicam lignum eſſe cauſam partialem, vt præſente igne coagat ad calefactionem ſui in ratione effectiui, vel actiui partialis. Nec iſta cauillatio valet: quia cauſæ duæ partiales non ponuntur reſpectu eiuſdem effectus, quando altera præciſè habet totum effectum in virtute ſua vniuocè, vel æquiuocè. Probo: ſi enim altera haberet in virtute ſua totum effectum, ſequitur, quod totum poteſt producere, igitur alia cauſa partialis nihil poteſt producere, vel idem bis produceretur, ignis autem, qui ex præcedenti argumento, concluſus fuit habere actiuitatem reſpectu calefacere in ligno, habet in ſe virtualiter totum calorem ligni, ergo lignum hic nullam habet cauſalitatem partialem.

Ad propoſitum igitur, quia anima non ſemper eſt in actu reſpectu cuiuſcumque intellectionis, cum tamen ipſa ſit receptiua reſpectu cuiuſcumque intellectionis, & ipſa ſit ſibiipſi approximata, & non ſemper impeditur, concluditur ipſam non eſſe cauſam actiuam totalem, ſed aliquid aliud requiritur:

quiritur: illud autem aliud concluditur eſſe obiectum, quia eo præſente, ſequitur effectus, eo non præſente, non poteſt haberi effectus. Concluditur ergo primo, cauſalitas aliqualis in obiecto, nec totalis, quia obiectum propter ſui imperfectionem, non poteſt habere in virtute ſua totaliter intellectionem propter ſuam perfectionem. & ideo concluditur, quòd cum obiecto requiritur aliqua alia cauſa actiua partialis, non autem alia ab intellectiua, quia ipſa concurrente cum obiecto, ſequitur intellectio. Sic ergo concluditur, hic duas eſſe cauſas partiales actiuas, et in alijs multis, non quia nihil mouet ſe, nec totaliter, nec partialiter. Iſtud etiã (quod habetur pro Achillæ) non videtur multum efficax argumentum, hæc enim videtur eſſe cautela quædam diuertendo à parte opponentis ad partem reſpondentis, quia propter defectum argumentorum inducunt tales, formam reſpondentium, vt reſpondentes, faciant argumenta ad probandum vnum neceſſarium, ſcilicet, quod lignum non calefaciat ſe.

Ad reſponſionem Achillis, videtur ſequi, quòd lignum non calefaciet ſe, niſi præſente alio, ſine quo non, ſicut per ſe voluntas non volificat ſe, niſi præſente obiecto per cognitionem.

Si etiam dicas, quòd ſemper calefacit alterum, qui habet virtutem calefaciendi.

Reſpondetur, quod prius calefaciet ſe, quàm aliud, & hoc primum nõ eſt niſi præſente cauſa, ſine qua nõ. Vel fortè nunquã calefacit aliud, ſicut nec voluntas volificat aliam voluntatem. Nam conceſſo, quòd aliqua actio de genere actionis ſit immanẽs, dicetur quòd quælibet, vel qualiter nõ?

Aliter contra Achillem, quod præſentibus diuerſis lignis, ignibus ſimiliter diſpoſitis omnia calefiunt, præſente autem eodem obiecto diuerſis voluntatibus, non omnes ſimiliter volificantur, 12. Trinit. cap. 6. Aug. igitur hic agit ignis, et nõ ibi obiectũ: quia tunc æquè ageret ĩ omnes voluntates.

Contra hoc inſtatur: quia ſi voluntates nõ ſimiliter patiuntur præſente cauſa ſine qua nõ hoc eſt q̃a agent liberè, p̃ te, lignum præſente cauſa ſine qua non, agit naturaliter. Ita probatur hic, quòd ignis ſit cauſa hic, aliter quàm ſine qua non. Sed dicitur tãtũ lignum eſt naturale, volũtas verò nõ.

Tertio modo contra Achillem, quod quidquid patitur, ab aliquo patitur, vbi ergo aliquid non poteſt à ſe pati, oportet ponere, quod patiatur ab alio, & vbi non poteſt ab alio, oportet ponere, quòd à ſe.. Voluntas non poteſt pati ab alio, non loquendo de Deo: tum, quia tunc volitio non eſſet in poteſtate eius; tum, quia tunc aliquod aliud mouens eodem modo ſe habens, & reſpectu eiuſdem paſſi poſſet indifferenter in vtrumque oppoſitorum, quia voluntas poteſt velle, & nolle eodem modo præſentatum. Itaque neceſſarium eſt attribuere voluntati principaliter motionem ſui ad velle, quia ipſa ſola habet indifferentiam in agendo, proportionatam tali paſſo, ſed lignum non habet in agendo indifferentiam proportionatam ſibi in ratione paſſi. Eſt enim receptiuum qualitatum diſparatarum & contrariarum etiã quarũ aliqua intenſa facta corrumpit ipſum, nec habet principia tot vniuoca. Patet ẽt, quia nihil vniuocè mouet ſe, nec vnum principium vniuocum, quia quomodo eſſet ita illuminatũ, niſi dicẽdo quodlibet poſſe in omnes qualitates ſuſceptibiles in ipſo, etiam corruptiuas ſui: in voluntate autem quælibet, in quam poteſt, eſt operatio eius, & aliqualis perfectio.

Pro tertia, & quarta opinione non ſunt argumenta adducta, ad quæ oporteat reſpondere.

Qui vult credere de actu primo ſimplici, & de ſecundo diſtinctè cognoſcendi, vel illud dictum quartæ opinionis, quod ſpecies inclinat credat; non credenti tamen, non ſit articulus fidei, niſi per rationem oſtendatur.

Iſtæ tamen duæ opiniones, ſcilicet tertia, & quarta, quæ videntur inter ſe oppoſitæ, concordantur ad inuicem, & confirmãtur, & hoc ſic. Ad agendum requiritur ratio formalis agendi, & ratio agentis, agens eſt ſuppoſitum, ratio agendi eſt forma elicitiua actionis. In prima igitur actionis in intellectum poſſibilem agens eſt phantaſma, ſed quod quid eſt ſplendens in phantaſmate, eſt ratio agendi in ipſum, & hoc inquantũ illud, quod quid eſt ſtat in lumine intellectus agentis, & penetratur ab ipſo lumine, & ambitur ab ipſo agente: & hæc ratione agendi primum impreſſum in intellectum poſſibilem eſt inchoatio habitus ſcientialis,

Hẽr. ad q̃l. 4 qu. 8.

tialis, quæ inchoatio non eſt ſpecies intelligibilis, nec forma mouens ad actum intelligendi: quia obiectum eſt in ſe præſens quatenus relucet in phantaſmate, quia phantaſma præſens eſt intellectui, qui vbique eſt in corpore; igitur non requiritur aliqua alia ſpecies, per quam obiectum ſic ſit præſens, nec aliquid aliud tenens vicem obiecti, vel repræſentans ipſum, cum ipſa impreſſio prima habeat rationem, & quo, & quod, reſpectu intellectionis, quo, quia per ipſam eſt intellectus in potentia propinqua, & accidentali ad actum intelligendi, ſicut per grauitatem eſt corpus in potentia ad Vbi, & etiam eſt quo; quantum ad hoc, quod manet in intellectu impedito ab actuali intellectione eſt etiam quod, quia ſibi primo occurrit, ſicut ſecundũ Auic. Primum ſenſatum eſt ſpecies, nõ vt obiectum terminãs, ſed vt ꝙ, quaſi deducens, non per collationem, ſed per continuationem ducit in obiectum. Sic igitur concordantur prima opinio, & ſecunda, quo ad hoc, ꝙ prima negat ſpeciem, & ſecunda cõcedit inclinationem præcedentem actum. Quo ad hoc autem, quod prima opinio ponit intellectum eſſe paſſiuum reſpectu primi actus, & actiuum reſpectu ſecundi actus, & ſecunda opinio videtur ponere, quod anima ſeipſa eliciat actũ. Hoc concordatur ſic: quia facta tali impreſſione prima in intellectum poſſibilem, ipſe intellectus occurrit tali paſſioni, quia omne paſſum occurrit agenti, inquantum paſſum nititur ſaluare ſuum eſſe, hoc etiam vult Aug. 6. Muſicæ, vbi loquitur de illis numeris occurſorijs, & de alijs. In iſto occurſu intellectus, cauſam traſmitit ad intima ſua, & tunc recipit eam à ſe intimius, quàm poſſit eam recipere ab obiecto. Illi etiam impreſſioni ſic intimatæ occurrit intellectus ſecundo, & in illo ſecundo occurſu immergit ſe illi penetrando illam, & in hoc eſt diſtincta, & perfecta cognitio intellectus.

Quidquid ſit de opinionibus illis, quas iſte medius nititur exponere, arguitur, contra multa hic dicta. Quod primo ponit, ſcilicet quod quid eſt relucens in phantaſmate, eſſe rationem agendi formalem phantaſmati.

Contra, quomodo aliquid eſt ratio agendi alicui, in quo non eſt formaliter; Aut ſi quoquo modo, quod quid eſt, ponatur in phantaſmate, cum iſtud ſit eſſe eius ſecundum quid, quia ſecundum eſſe repræſentati, & non ſecundum aliquod eſſe exiſtentiæ, quomodo ipſum, quod quid eſt, ſecundum iſtud eſſe erit ratio formalis agendi aliquã actionem realem, & ita cum iſtud phantaſma, per quod conuenit iſtud eſſe, non ſit principalis cauſa agendi, ſecundum eos, nec quod quid eſt, ſecundum quid exiſtit in eo eſt principalis ratio agendi, quod eſt contra eos.

Præterea, præter hæc quæro, quid eſt q̃d quid eſt ſtare in lumine intellectus agentis: Si nihil aliud eſt niſi intellectum agentem eſſe in anima, & in phantaſia eiuſdem animæ eſſe phantaſma, ergo perpetuo, quando phantaſma eſt in virtute phantaſtica, ſit iſta penetratio, & ambitio, & ita erit in phrenetico, & dormiente, quod negat ille, cuius opinio exponitur, ſi aliquid aliud eſt quàm illa duo eſſe ſimul, & ſit aliqua actio noua; detur igitur eius terminus nouus, non erit in Phantaſmate, igitur erit in intellectu poſſibili, ergo quod quid eſt, non agit per aliquam penetrationem, quæ penetratio præcedit actionem, quod quid eſt, ſed tantummodo quod quid eſt, cum intellectu agente, coagit cauſando aliquam impreſſionem nouam in intellectu poſſibili. Hoc dicit opinio illa prima.

Si dices alia opin. ponit ſpeciem intelligibilem impreſſam, iſta non ponit ſpeciem talem, ſed inchoationẽ habitus ſcientialis.

Contra, iſta opin. ponit iſtam impreſſionem eſſe primum, quo intellectus eſt in potentia accidentali, cum tamen prius eſſet in potentia eſſentiali: ſed ſi per iſtam impreſſionum non eſt obiectum intelligibile præſens nunc magis quam prius, non magis eſt nunc in potentia accidentali, quàm pri⁹: ſi eſt præſens, aliquo modo nunc, quomodo non fuit prius præſens illud, quo nũc eſt præſens, eſt ſpecies intelligibilis. Hoc etiam magis apparet ex hoc, quòd primo ei occurrit tamquam oſtendenti obiectum propter naturalem continuationem ad ipſum, hoc non poſſet eſſe, niſi obiectum reluceret in eo, & ita haberet rationem ſpeciei.

Similiter hoc, quod dicitur, inchoationẽ habitus ſcientialis præcedere actum, non eſt verum: quia habitus propriè loquendo, vt Philoſophus loquitur ſecundo Ethicorum

c. p. et ſe qu.

rum generatur ex aliquo actu elicito, & ſicut vltimus gradus habitus, generatur ex vltimo actu, ita primus ex primo. Ita quòd quicumque gradus habitus, eſt poſterior aliquo actu, ergo illud, quod eſt ſimpliciter primum in intellectu poſſibili, non eſt aliquid ipſius habitus.

Hēr. dl. 5 .9. *Hoc confirmatur ſecundum opinionem illius Doctoris, qui exponitur: quia ponit iſtam inchoationem eſſe eſſentiam habitus totam.*

. & . de ni- na. *Quod vlterius dicitur de occurſu illo: ratio occurſus non bene aſſignatur: nec ad intentionem Auguſtini patiens enim occurens agenti nititur ſaluare ſe, & contra agere agenti corrumpenti ſe. Hic iſtud agens agit perfectionem, & ſalutem paſſi, ergo non occurrit ei propter illam rationem, vt ſalutet ſe; nec iſta eſt intentio Auguſt. vult enim, quòd anima occurrens paſsioni factæ ab aere in aure, vehementius agitat illum aerem, & cauſat magis auditionem, quam ſolus ſonus cauſaret, hoc igitur occurrere eſt ei coagere.*

Et tunc breuiter reſpondeo ad Auguſt. impreſsione ſpeciei ſenſibilis facta in organo, vel ſpeciei intelligibilis facta in intellectu, anima per potentiam talem occurrit, id eſt cum illa ſpecie impreſſa coagit ad actum aliquem perfectiorem, quàm poſſet illa ſpecies de ſe ſola cauſare.

Et cum vltrà additur de illo duplici occurſu, primo occurrit paſſioni quaſi coagenti, poſt, paſſioni imbibitæ; quæro, quid ſignificent iſta verba metaphorica: ſi ſignificēt, quod per ſecundum occurſum cauſatur aliquid perfectius quam per primum, & illud intimius perficit, ſicut dicitur materia intimius perfici à forma perfectiori, quæ magis actuat eam, ergo in ſecundo occurſu non tranſmittitur paſſio illa ad intima magis quàm prius, ſed anima coagens illi paſſioni, cauſat aliquid perfectius quod eſt intimius in anima quàm illa paſſio prius cauſata.

Opinio eſt, quod intellectus eſt principium intellectionis, quantum ad ſubſtantiam actus: ſed obiectum eſt principium quantum ad actus ſpecificationem ſeu modificationem.

Contra: Nihil, nullum eſt principium: intellectio circumſcripta modificatione ſeu ſpecificatione, nihil eſt, ergo, &c. Maior in-

telligitur de nihilo, quod includit contradictionem; Minor probatur: quia prius natura intellectum præciſè eſt aliquid poſſibile eſſe, ſed intellectio ſine hoc, quod in eodem inſtanti naturæ ſit alicuius obiecti, eſt contradictio, alioquin eſſet forma merè abſoluta.

Ad auctoritatem Philoſophi 3. de Anima, quod intelligere eſt pati, quæ adducitur pro quinta opin. Hic tamen non determinando, dico, quòd Philoſophus locutus eſt communiter de potentijs animæ, inquantum ſunt, quibus formaliter ſumus in actu ſecundo, puta de ſenſu inquantum eſt, quo formaliter ſentimus de intellectu inquantum eſt, quo formaliter intelligimus; formaliter autem intelligimus intellectu inquantum recipit intellectionem: quia ſi cauſet eam actiuè, non tamen dico intelligere intellectu in quantum cauſat, ſed inquãtum habet intellectionem vt formam, habere enim qualitatem, eſt eſſe quale, & ita intellectum habere intellectionem, ſiue recipere, quod idem eſt, eſt ipſum eſſe intelligentem, nos igitur intelligimus intellectu inquantum recipit intellectionem.

Ideo Philoſophus loquens ſic de intellectu, neceſſariò habuit dicere, eum eſſe paſſiuum, & quod intelligere eſt quoddam pati, hoc eſt, quod intellectio inquãtum eſt quoddam, quo formaliter intelligimus, eſt forma quædam recepta in intellectu, non autem intelligimus ea inquantum eſt quid cauſatum ab intellectu, ſi cauſatur ab eo. Nam ſi Deus eam cauſaret, & eam in intellectu noſtro imprimeret, non minus ea intelligeremus, ſicut dixi de intelligentia actualiter. Ita dico de ſcire habitualiter, ꝙ intellectus eſt, quo ſcimus habitualiter, inquãtũ recipit habitum, nõ inquãtum iſtum cauſat, ſi illum cauſat, Dico igitur, ꝙ omnes auctoritates quæ ſonãt paſſibilitatē intellectus poſſibilis poſſunt exponi de eo, inquantum eo cognoſcimus habitualiter, vel ĩquãtum cognoſcimus actualiter. Et iſto modo concedo, quod eſt paſſiuus, etſi ſit actiuus, nõ tamen ſecundum iſtam rationem ſed accidit ei, quod ſit actiuus ſecundum iſtam rationem, affirmant ergo iſtæ auctoritates de intellectu, quòd verum eſt, quòd ſit paſſiuus, non loquentes de intellectu ſub rõne actiui, ſed aſſerentes ipſum habere rationē

ceptiui, licet ipſum non dicant non eſſe actiuum; locus autem ab auctoritate non tenet negatiuè.

Et per idem reſpondetur ad illud de potentia accidentali, & eſſentiali, non enim intellectus eſt in potentia eſſentiali, quia deficiat ſibi aliqua ratio cauſalitatis, quantum eſt ex parte ſui, ſed intellectus eſt in potentia eſſentiali; quando alia cauſa partialis non eſt ſibi præſens, quam oportet eſſe præſentem, ad hoc quod ſequatur actio. Et quando illa cauſa partialis eſt approximata, eſt in potentia accidentali ſiue propinqua ad agendum.

Sed illa auctoritas, quæ dicit quod intellectus poſſibilis nihil eſt eorum, quæ ſunt ante intelligere, requirit aliam expoſitionem, quam intantum pertractant aliqui, vt dicant intellectum poſſibilem eſſe in pura potentia in genere intelligibilium, ſicut materiam primã in genere corporalium; quæ
Tho. p p. q. 81. art. 1. *non eſt intentio Philoſophi: quia potentia ad accidens nunquam fundatur niſi in ſubſtantia in actu: intellectio autem, ſiue ſpecies intelligibilis, non eſt forma ſubſtantialis, ſed accidentalis; igitur quod eſt immediatum receptiuum illius, eſt aliquid in actu ſubſtantiali, aut ſaltem, quod eſt mediatè receptiuum.*
Aeg. qdl. 1. qu. 3. et qd. 4. 2. q. 23. *Et tunc, quod immediatè recipit, erit aliquis actus accidentalis, ſicut ſe habet ſuperficies ad albedinem, intellectus igitur poſſibilis, ſecundum quod eſt illud in quo recipitur ſpecies intelligibilis, vel intellectio, vel illud ſecundum quod ſpecies recipitur in anima, non erit purum potentiale: ſed erit aliquid in actu primo, licet iſte reſpectus potentiæ, non ſit aliquid in actu. Cum enim loquor de potentia receptiua albedinis, nõ loquor de potentia, quæ dicit reſpectum ad albedinem: ille enim reſpectus non eſt aliquid in actu, ſicut nec albedo ad quam eſt, eſt aliquid in actu, ſed illud, in quo eſt iſta potentia eſt aliquid in actu, vt ſuperficies, quæ eſt receptiua albedinis. Ita hic, licet ante intellectionem potentia ante actum, quæ eſt reſpectus ad intellectionem, non ſit aliquid in actu, ſicut nec intellectio ad quam eſt, tamen illud in quo eſt iſta potentia, quod eſt fundamentum iſtius reſpectus, eſt aliquid in actu, & illud eſt intellectus poſſibilis.*

Non eſt igitur apud Philoſophum intellectus poſſibilis nihil in actu, ſicut iſti accipiunt: ſed oportet exponere illam auctoritatem hoc modo; naturaliter intelligimus primo illa, quæ primo occurrunt ex phantaſmatibus, ſicut dictum eſt in quæſtione ſecunda huius diſtinctionis. Nihil igitur poſſumus potentia propinqua intelligere ante intellectionem alicuius imaginabilis; ideo non poſſumus intelligere intellectum ante intelligere alterius intelligibilis, ergo nec intellectus poteſt intelligi à nobis ante intelligere alterius intelligibilis ergo non eſt intelligibilis ante intellectionem alicuius alterius: ſicut primum antecedens eſt verũ, ſic & conſequens: ideo ſic intelligendum eſt ipſum non eſſe aliquid eorum, quæ ſunt ante intelligere, ſcilicet intelligibilium: nõ quia antequam intelligat nihil ſit in actu: ſed quia non eſt aliquid, quod poſſit potẽtia propinqua intelligi à nobis, ante intelligere alterius, propter intellectionem noſtram naturalem incipientem à phantaſmatibus.

Et cum poſt arguitur de illa ſimilitudine, quòd ſit ratio tam faciendi, quàm agendi: Dico quòd in faciente, benè forma eſt ratio faciendi, in qua forma faciens aſſimilat ſibi factum: ſed in agente nihil eſt productum niſi ipſa actio. Actio enim eſt vltimus terminus, nec habet alium terminũ, q m t. 16
& ideo non oportet quòd in agente ratio agendi ſit aliquid in quo aſſimiletur agens & a bi.
alicui alteri producto. Sed dices ſaltem illa eſt ratio agendi, in qua agens aſſimilat ſibi productum, ſcilicet actionem ipſam: Benè concedo quòd ſpecies illa, quæ eſt ſimilitudo obiecti, & per quam intellectus aſſimilatur cognitioni productæ, eſt aliqua ratio agendi, ſed non totalis ratio: nec etiam ratio principalis, ſicut patebit in ſequenti quæſtione, ſed quando duæ cauſæ cocurrũt, ſufficit in propinquiore ſimilitudo formalis, & in remotiore virtualis ſiue ſimilitudo æquiuoca, & ita intellectus quaſi cauſa ſuperior æquiuocè, & virtualiter aſſimilatur cognitioni & intellectioni: ſpecies autem quaſi cauſa propinquior, quaſi vniuocè, & formaliter aſſimilatur ei.

Cum arguitur poſt de indeterminatione intellectus ad diuerſos actus & obiecta. Reſpondeo, quòd alia eſt indeterminatio materialis propter defectum actus, alia eſt indeterminatio agentis propter illuminationem

tionem virtutis actiuæ, ſicut Sol eſt indeterminatus ad multa generandum. Primo modo, indeterminatum, non agit niſi determinetur per aliquem actum, quia aliàs nõ eſt in actu ſufficiente, ſed in potentia. Secundo modo, indeterminatum nulla forma alia à ſe determinatur, ſed ex ſe determinatur ad producendum quemcumque effectum, ad quem ex ſe eſt indeterminatum. Et hoc præſente paſſo receptiuo, ſicut Sol præſente paſſo, generat quodlibet generabile, ex quo ipſum natum eſt generari: ita in propoſito, indeterminatio intellectus non eſt indeterminatio potentialitatis paſſiuæ in ordine cauſalitatis, ſed eſt indeterminatio actualitatis, quaſi illimitatæ, & ideo non determinatur per formam, quę ſibi ſit ratio determinatè agendi; ſed tantummodo per præſentiam obiecti, circa quod determinatum nata eſt eſſe determinata intellectio.

Vel aliter poſſet dici, quòd ſicut cauſa ſuperior determinatur ad agendum, concurrente aliqua particulari cauſa inferiori: ſicut Sol ad generandum hominem, concurrente homine agente, & bouem, concurrente boue: non autem per aliquam formam in ſe receptam: ita intellectus, qui eſt cauſa ſuperior, & cauſa illimitata, determinatur ad hoc obiectum concurrente cauſa particulari determinata: puta ad agendum circa hoc obiectum, concurrente hac ſpecie. Non enim iſtud determinans, determinat effectiuè cauſam indeterminatam ſuperiorem: neque formaliter ſicut ratio agendi, ſed ſic determinat, hoc eſt virtus actiua ſuperior indeterminata, poteſt indeterminatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente.

Ad argumenta principalia. Ad primũ dico, quòd argumentum Philoſophi 2. de Anima, bene concludit, quòd ſenſus non eſt cauſa totalis reſpectu ſenſationis: quod concedo; & ita argutum eſt ſupra contra primam opinionem, quòd anima non eſt cauſa totalis actiua ad intellectionem, & hoc cõcedo: ſed non concludit, quin ſit partialis cauſa, ſed non ſequitur ex hoc, quòd ſemper ſit in actu: niſi quando reliqua cauſa partialis concurrit.

Ad ſecundum, non tractando illam difficultatem: vtrum actiuitas illa competat intellectui agenti, vel poſſibili: dico, quòd intellectus poſſibilis, ſecundum quòd Philoſophus loquitur de eo, eſt illud, quo formaliter ſumus intelligentes, & eo modo præcisè eſt quo eſt omnia fieri: quia, vt dicebatur prius, ſumus eo formaliter intelligentes, inquantum recipit, non inquantum agit, licet agat: quia hoc accidit ſibi, inquantum eſt quo intelligimus.

Ad tertium, licet conſequentia non ſit neceſſaria: quia Sol poteſt eſſe cauſa multorum differentium ſpecie, propter diſtinctas virtutes in ipſo, quæ ſufficiunt in ratione cauſæ effectiuæ, ad diſtinguẽdum effectus: tamen ad propoſitum poteſt concedi conſequentia: concludit enim, quòd anima non eſt cauſa totalis omnium intellectionum, quod conceſſum eſt.

Ad primum in oppoſitum concedo, quòd anima, quia immaterialis eſt, eſt receptiua cuiuslibet intellectionis, ipſa etiam eſt actiua cuiuſcumque intellectionis obiecti alterius à ſe, vt cauſa partialis, & actiua intellectionis de ſe, vt totalis cauſa: quia vt cognoſcens, & vt cognita, ſecundum Aug. 9. de Trinit. cap. vltimo: ſed talem intellectionem non habemus pro ſtatu iſto: ſed ex immaterialitate eius non ſequitur, quòd ipſa ſit totalis cauſa cuiuſcumque intellectionis obiecti alterius ab ipſa.

Ad ſecundum concedo Concluſionem, quòd cognitiones diuerſarum ſpecierum propriæ, ſcilicet virtute ipſarum habitæ, differunt ſpecie. Quod probo: quia ad indiuidua eiuſdem ſpeciei non requiritur totalis cauſa diuerſa ſpecie, vel aliquid in totali cauſa, diuerſum ſpecie ab eo, quod eſt in totali cauſa alterius indiuidui: nunc autem ad intellectionem albi, & nigri, neceſſariò requiruntur aliqua diuerſa ſpecie: puta, album, & nigrum, vel aliqua includentia ipſa, ergo iſta duo magis differunt quàm indiuidua vnius ſpeciei, ergo differunt ſpecie.

Ad indiuidua eiuſdem ſpeciei non requiritur neceſſariò cauſa alterius ſpeciei; probatur: quia forma eſt principium agendi, & eſt formalis terminus actionis, igitur forma vnius rationis perfecta, eſt quo, eiuſdem rationis, reſpectu termini formalis eiuſdem rationis, igitur reſpectu talis termini non requiritur aliud quo.

Cum arguis vltrà, quòd tunc omnes habitus talium differrent ſpecie; cōcedo de habitibus qui habentur virtute propria talium obiectorum, & probatur hæc Concluſio, ſicut præcedens per cauſas.

Et cum dicis, quomodo tūc eßet vna ſciētia de pluribus ſpeciebus ſpecialiſſimis.

Reſpondeo, quòd vna ſpecies ſpecialiſſima poteſt includere multas alias ſpecies virtualiter, ſiue paſſiones earum, ſiue per modum cauſę, ſiue per alium ordinem eßentialem, & tunc habitus ille, qui eſt formaliter illius obiecti primi includentis alia, eſt virtualiter aliorum obiectorum, licet non formaliter & primo; eſt igitur ille habitus vnus ab vnitate primi obiecti virtualiter continentis omnia, quæ continentur in illo: non eſt autem proprius cuicumque virtualiter contento in primo obiecto, ſed qui eßent proprij illis, eßent diſtincti, ſicut illa ſunt diſtincta.

Hic quæri poteſt, an intellectus agens ſit principium actiuum reſpectu intellectionis, & ibi tangatur quomodo ſe habeat ad memoriam, propter quod ponitur tantum in Deo: & patebit quid ſit perfecta memoria: ſicut Auguſt. loquitur de ea.

Reſtant tamen duo alia difficilia hic & alibi determinanda, ſcilicet de conſeruatione ſpeciei poſt actum, contra Auicen. quæ difficultas bene poteſt tangi in vno argumento quæſt. præcedenti de ſpecie, & aliud difficile, de memoria propriè dicta reſpectu præteritorum, poteſt eſſe quæſtio per ſe, tam hic quàm in 4.

De cauſa principaliori notitiæ.

QVæro de comparatione iſtarum duarum cauſarum partialium; quæ cauſant notitiam genitam. Vtrum principalior cauſa notitiæ genitæ ſit obiectum in ſe, vel in ſpecie præſens, vel ipſa pars intellectiua animæ. Quòd obiectum, probo. Quia illud eſt principalius mouens, quod mouet non motum, quàm quod mouet motum, ſicut apparet in omnibus cauſis eſſentialiter ordinatis, obiectum autem mouet non motum, ſicut habetur à Philoſopho

t. 54. 3. de Anima: intellectus autem non mouet niſi motus. ergo &c.

Item agens aſſimilat ſibi effectum quantum poteſt, ergo illud eſt principalius agēs quod magis aſſimilat, vel cui magis aſſimilatur effectus: actus autem magis aſſimilatur obiectio quàm intellectui. ergo.

Item vnitas ſcientię aſſignatur penes vnitatem obiecti virtualiter continentis eam: non autem tribuitur intellectui talis continentia virtualis reſpectu habitus; cōtinere autem virtualiter conuenit cauſę actiuę: ergo principalior cauſa illius habitus erit obiectum quàm intellectus: & ſi cauſa habitus, igitur & actus.

Ad oppoſitum arguitur ſic. Quanto aliquid eſt actualius, tanto formalius & perfectius, tanto & actiuius, ergo anima, quę eſt forma actualior, multis alijs cauſis concurrentibus erit actiuior: & ita quando cōcurrit cum eis in agendo erit principalius agens, ſed in intellectione concurrit cum obiecto, tamquam cauſa partialis, igitur in intellectione erit cauſa principalior quam obiectum.

Item enti ſecundum quid, non conuenit actus ſimpliciter, ſed quando habet eße tale ſecundum quid, per aliud ſimpliciter ens, tunc principalius conuenit illi enti ſimpliciter ſi illud aliquo modo ſit actiuum reſpectu eiuſdem, obiectum autem à nobis modo naturaliter intellectum, habet eſſe ſecundum quid tantum, in intellectu noſtro, propter eſſe ſimpliciter ipſius partis intellectiuę: quia obiectum in ea eſt ſicut cognitum in cognoſcente, ergo illius actionis, ad quā iſta duo concurrunt, non erit obiectum habēs tale eße principalis cauſa, ſed pars intellectiua propter quā obiectū habet tale eſſe.

Reſpondeo, quòd pars intellectiua habet principaliorum cauſalitatem reſpectu cognitionum, modo nobis naturaliter conueniētium. Probo primo, quia quādo cauſarū ordinatarum altera eſt indeterminata ad multos effectus, & quaſi illuminata: altera autem quaſi ſecundum vltimum virtutis ſuę determinata ad certum effectum: illa quę eſt illuminatior vniuerſalior, videtur eſſe principalior & perfectior. Exēplū de Sole, & de particularib. generantibus, intellectus autē habet virtutē quaſi illimitatam et determinatā reſpectu omnium intellectionum, obiecta autem à nobis naturaliter cognita, habent virtutem determinatam reſpectu determinatarum intellectionum,

num,quæ ſunt ab ipſis,& hoc ſecundum vltimum ſuæ virtutis, ſicut quodlibet ad intellectionem ſui, ergo intellectus eſt cauſa vniuerſalior,& principalior intellectionis, quàm obiectum pro ſtatu iſto.

Secundo: quia illa eſt principalior cauſa,qua agente,alia cauſa coagit, & non econuerſo: intellectu autem noſtro agente ad intellectionẽ, obiectum in ſe, vel in ſua ſpecie,coagit. Eſt enim in poteſtate noſtra intelligere: quia intelligimus, eam volumus, tex. 5. et 0. *2. de Anima. Hoc autem non eſt propter ſpeciem principaliter, quæ eſt forma naturalis, ſed propter intellectum, quo vti poſſumus cum volumus. Principalem autem actionem intellectus, ſequitur actio ſpeciei, quæ nata eſt eſſe ſemper vniformis ex parte ſpeciei. Tamen aliquod obiectum excedens multum facultatem partis intellectiuæ: puta obiectum beatificum, vt claret viſum, poſſet poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorẽ, quàm pars intellectiua, & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectũ partis intellectiuæ. Sed de hoc in quarto libro.* dist. 49. et indè in q. lib. 14. et 15. et 13. d. 13. *De obiectis autẽ, quæ modo naturaliter cognoſcimus, prima pars ſolutionis videtur eſſe vera. Videtur enim intelligibilium naturaliter à nobis intellectorum ſpecies in intellectu eſſe, quaſi inſtrumentum ipſius intellectus, non motum ab intellectu, vt agat, quaſi ſcilicet, aliquid recipiat ab intellectu, ſed quo intellectus vtitur ad ſuã actionẽ, vt puta, quãdo intellectus agit, ſpecies illa, tamquam minus principale agẽs, coagit ad idem, vt ad effectum cõmunem.*

Contra, ita poſſumus vti ſpecie, ſaltem poſt primum actum, ſed non ante: ſic nec intellectus in primo, niſi ſicut fortius phantaſma mouet. Dico, quòd non ita immediatè, etiam intellectus eſt magis indeterminatus, vt oſtendit prima ratio. Vnde probatur, quòd magis ſit in poteſtate voluntatis, vti intellectu quàm ſpecie intelligibili, vtrumque enim ex ſe eſt naturale agẽs: & quare non vtrumque liberam per participationem? Reſpondeo nihil eſt participatione primo liberum, niſi quod eſt in eadem eſſentia cum voluntate.

Contra, potentiæ organicæ, & organa, et extrinſeca etiam ſunt participatione liberæ. Similiter in poteſtate noſtra non eſt aliquis actus vegetatiuæ, hoc medium eſt obſcurum: quia dubium eſt, quæ in nobis ſubſunt voluntati, & quæ non.

Ad primum argumentum dico, quòd duplex eſt actus intellectus reſpectu obiectorum, quæ non ſunt præſentia in ſe, qualia ſunt illa, quæ modo naturaliter intelligimus. Primus actus eſt ſpecies, qua obiectum eſt præſens, vt obiectum actu intelligibile. Secundus actus eſt ipſa intellectio actualis, & ad vtrumque agit intellectus, non motus ab eo, quod eſt cauſa partialis ſecum concurrens ad illam actionem, licet vnum actum intellectus præcedat motio eius ad alium actum.

Ad primum autem actum agit intellectus agens, cum phantaſmate, & ibi intellectus agens eſt principalior cauſa quam phantaſma, & ambo integrant vnam totalem cauſam reſpectu ſpeciei intelligibilis.

Ad ſecundum autem actum agit pars intellectiua: ſiue intellectus agens ſiue poſſibilis, non curo modo, & ſpecies intelligibilis, ſicut duæ partiales cauſæ, & ibi agit pars intellectiua nõ mota à ſpecie, ſed prius mouẽs, ſcilicet, agens vt ſpecies ſibi coagat. Cum igitur dicitur obiectum mouet non motum. Dico, quòd in vtraque motione obiectum eſt mouens ſecundarium, licet non ſit motum, id eſt aliquid recipiens in ſe à principali, ſiue priori mouente.

Cum dicis, quòd intellectus non mouet niſi motus. Dico, quòd non mouet ſecunda motione, niſi motus priori motione, hæc igitur eſt comparatio duarum motionum intellectus: non autem duarum cauſarum partialium concurrentium in vna motione. Si autem compares cauſas partiales in vtraque motione. Dico, quòd intellectus vtrobique mouet non motus à cauſa partiali concurrente in eadem motione.

Ad ſecundum argumentum dico, quòd effectus formaliter magis aſſimilatur cauſæ proximæ inferiori quàm remotæ & principali perfectiori ſicut apparet de filio reſpectu patris, & Solis. Vnde illud argumentum eſt ad oppoſitum: quia probat, quòd actus intelligendi fit ab obiecto, vt à cauſa proxima: quia magis ſibi aſſimilatur formaliter: ita iam ſpecies intelligibilis magis formaliter aſsimilatur phantaſmati quàm intellectui agenti, & tamen minus princi-

principaliter eſt à phantaſmate, quàm ab intellectu agente.

Contra. Cum agens intendat aſſimilare ſibi paßum, quomodo principale agens non magis aſſimilat ſibi formaliter?

Reſpondeo principalius agens communiter eſt æquiuocum, & eminentius habet in ſe perfectionem effectus quam cauſa vniuoca. & ideo non magis aſſimilatur ſibi formaliter: quia hoc eßet imperfectionis in cauſa, ſic aſſimilari effectui, ſed aſſimilat magis, hoc eſt dat magis formam effectui, per quam ſibi aſſimilat æquiuocè, quàm det agens particulare, & iſta aſſimilatio actiua eſt, ex perfectione cauſæ, licet non ſit magis aſſimilatio formaliter. Similiter cauſa perfectior magis aſſimilat effectum ei, cui eſt aſſimilabilis quam imperfectior. Magis enim cauſat effectum qualis eſt cauſabilis & aſſimilabilis. Aſſimilabilis autem eſt effectus formaliter cauſæ propinquæ: ideo ipſa cauſa remotior magis asſimilat effectiuè ipſum effectum cauſæ proximæ, quã ipſamet cauſa proxima ſibi.

Quòd enim formaliter filius eſt ſimilis patri, hoc magis eſt à cauſa remota aſſimilante filium patri effectiuè quàm ab iſta cauſa propinqua: quia quæ plus dat formã, qua asſimilatur, plus dat effectiuè asſimilationem.

Ad tertium dico, quòd vnitas ſcientiæ asſignatur penes obiectum, quia illud eſt penes quod ſcientiæ diſtinguuntur, non penes intellectum: quia intellectus vnus eſt reſpectu omnium ſcientiarum, & hoc modo diſtinguendo ſcientias, illa eſt vna quæ vt ait Ariſt. 8. Poſt tex. 43. eſt vnius ſubiecti primi, quatenus obiectum primum habet continere ſcientiam illam virtualiter, ſed hoc non eſt niſi vt cauſa partialis; Præter enim hæc, intellectus eſt alia cauſa partialis continens illam: non eſt igitur aliud, reducere ſcientiam ad obiectum primum, quàm in altera cauſa partiali habente in ſuo genere ordinem eſſentialem, reducere ad primum ibi ſimpliciter, & ab ipſo aſſignare vnitatem effectus in quantum effectus eſt ab eo, ſed cum hoc ſtat, quod multo perfectius contineatur in reliqua cauſa partiali.

Conſideratur opinio prima, aſſerens ſolum intellectum eſſe cauſam productiuam intellectionis. Cap. II.

EX ijs, quæ dicit Scotus in hac quæſtione, vnuſquiſque ſatis perſpicuè cognoſcere poteſt, quid ſit dicendum in hac materia de cauſalitate intellectionis; tamen quoniam nonnulli ex recentioribus aliquas iſtarum opinionum ſequuntur, ideò illæ, & dicta recentiorum aliqualiter, & breuiter conſideranda ſunt. Prima itaque opinio eſt Henrici, & Præpoſiti, vt notant Marginiſtæ, qui dicunt intellectum eſſe cauſam totalem intellectionis. Rationes, quibus innitũtur, patent ex ipſomet Scoto. Eandem ſententiam ſequuntur ex recentioribus Franciſcus Piccolomineus lib. 1. de Mente humana, cap. 7. & Iacobus Zabarella libro de Mente agente, cap. 7. & libro de Senſu agente, cap. 8. & licet hoc in loco loquatur ſolum de ſenſatione, tamen idem intelligit de intellectione, vt patet ex libro de Senſu agente, c. 7. circa finem, & ambo vtuntur hac ratione: quia intelligere eſt iudicare, & cognoſcere; Modo obiectum non poteſt cognoſcere, neque iudicare: quia non eſt vis cognoſcitiua: & vt inquit Piccolomineus, idẽ eſſet iudex ſuijpſius; ſolus ergo intellectus eſt cauſa producẽs actum intelligendi, ſiue ipſam intellectionem: obiectum autem ſolum aliquid ſubminiſtrat neceſſarium ad ipſam intellectionem; ſed ipſum obiectum nihil producit. Verum hæc opinio ſatis ſuperque reijcitur per rationes adductas à Scoto, tum in confutatione illius opinionis, tum in principio expoſitionis ſuæ opinionis R. & præſertim prima ratio habet maximã efficaciam: certum eſt enim quod ſunt tantum quattuor genera cauſarum per ſe, vt patet ex 2. Phyſ. & 5. Metaph. & nulla alia cauſa per ſe datur, quæ non reducatur ad alterum horum quattuor generum, cum ergo iſtæ cauſæ in ſe ſunt perfectæ, & non impeditæ, & ſunt ſufficiẽter approximatæ, neceſſariò ſequitur ex illis effectus, ſi ſint cauſæ naturales, quæ naturaliter agunt, & neceſſariò, & ſi ſint cauſæ liberæ, ſaltem poſſunt producere effectum

Opinio Piccolominei, & Zabarellæ rõ pro hac opin.

Reijcitur. 1. rõ.

-ctum ſi volunt; Hoc ſtante fundamento certiſſimo,ſic arguitur,actus intelligẽdi, ſiue ipſamet intellectio,eſt effectus, ergo debet prouenire ab aliqua cauſa iſtorum quattuor generum: non habet autem eſſe à fine realiter, quia finis ſequitur productionẽ rei quo ad eſſe,licet pręcedat in intentione;ſcilicet,inquantum mouet efficientem ad agẽdum;forma quoque habet eſſe per productionem efficientis, eſt enim terminus generationis,ideo iſtę duę cauſæ non præcedunt rem productã; ſed vel ſubſequuntur,vt finis,vel concomitãtur,vt forma;cauſæ ergo,quæ præcedunt rem quo ad eſſe, ſunt efficiens, & materia; tunc arguitur, quando iſtæ duæ cauſæ priores re,ſcilicet,materia,& efficiẽs, ſunt in ſe perfectæ,& approximatæ,& nõ impeditæ,ſequitur effectus,ergo ſi anima eſt totalis cauſa notitiæ genitæ, ſequitur quod ſemper in anima erit quæcumque actualis intellectio,quę in ipſa anima eſſe poteſt;probatur cõſequentia: quia ipſa anima eſt ſubiectum receptiuum,ſiue materia in qua recipitur tale accidens, ſcilicet intellectio,& eſt diſpoſitum,& nõ impeditum: quia eſt talis naturæ,& conditionis ſecundũ eſſentiam ſuam,& eſt ſubſtãtia, quæ non alteratur; etiam ipſamet anima,ſtãte opinione aduerſariorum, eſt totalis cauſa efficiẽs ipſius intellectionis, ergo clarè patet,quòd efficiẽs,& materia, quę ſunt cauſæ præcedẽtes ipsã intellectionẽ,& illi dãtes eſſe,ſunt cauſę perfectę,& non impeditæ,& ſunt approximatæ,quia anima eſt ſibi maximè intima, neque eſt impedimentum,quia nullum tale,neque fingere poſſumus, ergo ſemper in anima eſt quæcumque intellectio, quæ in ipſa eſſe poteſt: at conſequens eſt falſum, vt conſpicuè patet, ergo non eſt dicendum, quòd anima,& intellectus ſit totalis cauſa reſpectu productionis intellectionis.

reſpõſio tacita. Certè hæc ratio eſt efficaciſſima: ſed forſan aduerſarij dicerent,quod adeſt impedimentum: quia deficit obiectum; obiectum enim licet nullam habeat actionem reſpectu productionis notitiæ,tamẽ diſponit,& pręparat aliquid neceſſarium ad ipſam intellectionem,ſine qua ipſa notitia haberi non poteſt.

Sed hæc reſponſio optimè reijcitur ab eodem Scoto; Quæro enim de hoc obiecto,propter quid requiratur ad hanc notitiam,ita quod non poteſt haberi ſine ipſo hæc notitia,vel enim ſeruit vt cauſa ſine qua non, & tunc vt inquit Scotus, eſt dicere, quòd omnes quattuor cauſæ per ſe non ſunt ſufficientes cauſæ,ſed requiritur aliquod aliud,a quo res cauſanda dependet eſſentialiter, ergo & tunc non erunt tantum quattuor cauſæ: ſiue quattuor genera cauſarum,ſed plura. Vel illud dependebit eſſentialiter, & neceſſario ab aliquo, quod non eſt cauſa illius, quorũ Primum eſt cõtra vniuerſam Philoſophiam Peripateticam. Secundum implicat contradictionem.

Præterea, omnes cauſæ præter quattuor dictas,ſunt accidentales rei,ergo res non dependet ſimpliciter ab illis, nec in eſſe, nec in fieri, & conſequenter poteſt poni in eſſe ſine illis; Antecedens eſt Ariſtotelis,& omnes illud admittunt.Conſequentia eſt clara; quia cauſa accidentalis accidentaliter, & non neceſſariò concurrit ad productionem effectus: ex quo patet, quòd cauſa ſine qua non, non eſt verè cauſa per ſe,ſed cauſa accidentalis; & idem fatetur D. Thomas,4.Sent. diſt. 1.q.1.in prima parte illius quæſtionis, & hoc eſt de ſe euidens:cauſa enim, quæ nihil poteſt facere ad effectũ efficiendo,vel diſponẽdo, nihil cauſalitatis habet ſuper illam rem;vel dicerent aduerſarij,cõcurrere obiectum tãquam cauſam per ſe neceſſariò diſponentem ad intellectionem gignendam,ſine qua diſpoſitione ipſa intellectio haberi non poſſet, & tunc habemus intentum: quia iſte neceſſarius concurſus non eſt cõcurſus niſi cauſalitatis; alioquin effectus ſiuè notitia genita poſſet cauſari, & effici abſque concurrentia talis obiecti,vt dictum eſt;iſta verò cauſalitas debet reduci ad aliquod genus illorum quattuor;& videtur, quod ad nullũ aliud poſſit reduci,niſi ad genus cauſæ efficientis; adeo quod apertè colligitur ex hoc, quod obiectum habet cauſalitatem efficientem reſpectu actus intelligendi, ſiue notitiæ genitæ: quæ autem cauſalitas ſit iſta, & quomodo,infrà manifeſtabitur, dum explicabitur ſententia Scoti.

Ex hoc argumẽto impugnãtur diuerſi modi

modi ponendi, tenentium illā opinionē: ſiue enim ponatur obiectum neceſſarium in ratione cauſæ ſine qua non, ſiue in ratione termini, ſiue in ratione excitantis, ſemper quæritur ab iſtis, an obiectum habeat aliquam cauſalitatem per ſe, vel non: ſi per ſe dicatur, tunc vel datur ſecundum genus cauſæ per ſe, vel neceſſariò reducitur ad alterum illorū quattuor generum, nec videtur poſſe reduci niſi ad genus cauſæ efficientis, vt infrà patebit; Sed quidquid ſit de hoc, ſatis eſt quod pertinet ad vnum illorum quattuor; Si dicatur, quod non habet cauſalitatem per ſe, ſed per accidens, ergo ſequitur, quòd notitia, & actus intelligendi, accidentaliter pendet ab obiecto, & ab intelligibili, & tunc vlterius ſequitur, quòd actus intelligendi poſſet eſſe abſque obiecto, quod eſt abſurdum manifeſtum: vt ſupra oſtenſum eſt.

2. rō princ. Habes alias rationes in principio declarationis poſitionis Scoti ad R. quarū Prima eſt. Si anima, & intellectus eſſet totalis cauſa intellectionis, ſequeretur, quòd actus intelligendi, ſiue intellectio, non eſſet ſimilitudo obiecti; conſequens eſt falſum: quoniam intellectio eſt imago, & ſimilitudo rei exiſtens in intellectu; vnde qualis eſt res, talis debet eſſe ſcientia, & cum habemus notitiam alicuius rei, cognoſcimus, & habemus illam rem in intellectu, non materialiter, ſed per ſimilitudinem ſuam; ſed Conſequentis huius falſitas per ſe ſatis patet, & maximè conceditur ab aduerſarijs, qui dicunt, notitiam eſſe ſpeciem ipſam intelligibilem obiecti, vti re vera eſt, licet etiam concurrat ſpecies intelligibilis, quam ipſi negant, vt ſuo loco dicam. Conſequētia verò probatur: quia ſi obiectum nullam habet actiuitatē reſpectu productionis notitiæ genitæ, ſed eſt intellectus, qui illam notitiam de illo obiecto abſque cōcurſu illius obiecti producit, poterit intellectus ad libitum ſuū illam formare, & ſic ex homine inducere notitiam, quæ habet ſimilitudinem leonis, vel bouis, &c. Hæc Conſequentia probatur exemplo; Figulus poteſt formare ex creta vaſa alia pulchra, & in honorem, alia turpia, & in contemptum: iſta diuerſitas in iſtis vaſis, prouenit ex mera voluntate figuli, quia ſolus figulus eſt, qui producit vaſa ſine concurſu cretę, concurrit quidem creta ad generationem vaſis materialiter, ſed ad formationē hāc, vel illā, pulchram, vel turpem vaſis, nequaquam.

Ad propoſitum, ſi obiectum concurrit ſolum præparando materiam ad intellectionem, ſed in ipſa formatione, & productione intellectionis non concurrit obiectum, ſed ſolum intellectus: ſequitur, quod intellectus ad libitum poterit quācumque intellectionem formare ex illo obiecto, & non magis neceſſitabitur producere hanc notitiam, quam illam: ſicut nec figulus tenetur ex illa creta formare magis hoc vas, quam illud; ſed nō euenit ita in propoſito: immò intellectus reſtringitur ad producendum ex illo obiecto talem notitiam, quia ex tali obiecto, eſt apta nata naſci ſolum talis notitia, adeo quod illa notitia eſt in obiecto in virtute ſolum, actu autem exprimitur, & educitur ab intellectu, & ſic intellectus ex ſubiecto producit notitiam non quam vult, ſed quæ nata eſt ex obiecto generari, & educi; Aptum exemplum ad hoc declarandum poteſt eſſe hoc. Aromatarius ex cicorea extrahit ſuccum: quæro, quæ ſit cauſa efficiens illius ſucci; certè eſt aromatarius. Sed certè non poteſt negari quin etiam ad cauſandum illum ſuccum, concurrat etiam cicorea: ſiquidem ex ſuis viſceribus eductus eſt ille ſuccus ab aromatario: concurrunt ergo ambo, licet diuerſo modo; ita in propoſito, intellectus tam quàm aromatarius, extrahit ex obiecto eius notitiam, quæ notitia eſt propria illius obiecti: ſed cum hoc ſtat, quod etiam ipſum obiectum concurrat ad generationem illius notitiæ, cum ex ſuis viſceribus illa educatur, ſicuti ſuccus ex cicorea. Quod ſi quis dicat eſt intellectus ſolus, qui generat, & educit, ſed non poteſt educere niſi illam notitiam, quæ in illo obiecto reperitur, non tamen obiectum actiuè concurrit. Reſpondere hoc modo, eſt ſentire nobiſcum in re ipſa, quando enim datur aliquis effectus, qui prouenit ex duobus neceſſariò, & ille effectus diſtinctus eſt ab vtroque, ſi alterum illorum à quo producitur, non poteſt illum effectū ſuo modo producere, ſed neceſſariò eget

exemplum aliud Aromatarij.

altero,

alteró,ſignũ eſt,quod non eſt totalis cauſa illius effectus, ſed requiritur alterum illud,vt concauſans: at in propoſito notitia obiecti non poteſt produci ab intellectu ſolo ſine obiecti concurſu, neque poteſt illam notitiam determinare ſuo modo, ſed gignere illam, vti requirit obiectum, ergo obiectum quoque eſt cauſa productiua illius effectus, ſcilicet notitiæ genitæ,ſiue actus iutelligendi. Maior eſt euidens: quoniam niſi requireret, poſſet per ſe cauſare; Minor quoque patet ex dictis; quoniam notitia eſt ſimilitudo obiectus, neque ſine obiecto producitur: eſt ergo dicendum, quod non ſolum intellectus concurrit ad intellectionem, ſed etiam ipſummet obiectum ſuo modo, & ideo aſſimilat ſibi notitiam.

ratio breui er formatur. Aliter poteſt breuiter formari ſic iſta ratio;Notitia eſt imago,& ſimilitudo obiecti, at ſimilitudo naturalis, habet eſſe ab imaginato,& habet illud eſſe per modum emanationis, quia emanat, & prouenit ex re, cuius eſt ſimilitudo, ergo obiectum eſt cauſa effectiua intellectionis: quia ipſa intellectio eſt imago, & ſimilitudo ipſius obiecti.

3. rõ. princ. Tertiò principaliter ſequeretur, quod notitia, & actus intelligendi, non diſtinguerẽtur eſſentialiter,propter diſtinctionem obiecti,Conſequens eſt falſum:quia vna ſcientia diſtinguitur ab altera per obiectum, ſiuè per ſubiectum, & vnaquæque ſcientia,& notitia particularis,diſtinguitur ab altera ratione obiecti, vt notitia de homine, & notitia de luna diſtinguitur,quia homo, & luna ſunt diſtincta obiecta;Conſequentia probatur: quia eſſentialis diſtinctio non eſt ab eo, quod non eſt cauſa per ſe: ſi ergo notitia,& actus cognoſcendi non pendet ab obiecto eſſentialiter,& per ſe, neque propter obiectum diſtinguuntur ſcientiæ, quod ſi admittis aliquam pendentiam eſſentialem, illa non eſt, niſi cauſalitatis, & illa non eſt niſi cauſalitatis efficientiæ, ergo obiectum effectiuè concurrit ad generationem intellectionis.

4. rõ. Quartò,tunc ſequeretur, quod cognitio,& notitia entis perfectioris, non eſſet perfectior, quàm notitia entis imperfectioris, poſito æquali conatu intellectus hincinde;Conſequẽs eſt falſum: quia tũc intellectio Dei non eſſet perfectior intellectione muſcæ,poſito æquali conatu hincinde;Cõſequẽtia probatur:tũ,quia ſciẽtia reſpiceret obiectum accidẽtaliter,nec ab illo penderet eſſentialiter; tũ, quia perfectio actionis pẽdet ex maiori conatu cauſalitatis;ſi ergo anima ęquali conatu agat ad intellectionẽ Dei,& muſcæ,erunt notitiæ illæ æquè perfectæ,immò ſi maiori conatu ageret ad intellectionẽ muſcæ, quã Dei,eſset perfectior notitia muſcæ,quàm notitia Dei:quod eſt ex ſe falsũ, & contra Philoſophũ 10. [illegible].Ethicorũ ponẽtẽ felicitatẽ in ſpeculatione obiecti perfectiſſimi.

Quintò, Obiectum virtualiter cõtinet ſcientiã,cuius eſt obiectum, vt in proprio Theoremate diximus,ergo actiuè concurrit ad gignendum ſcientiam,& notitiam; 5. rõ. Ex his omnibus cõſpicuè patet,obiectum neceſſariò habere aliquam cauſalitatẽ reſpectu productionis, & actus intelligẽdi: quæ autẽ ſit hæc,patet ex dictis à Scoto, in declarando propriam ſententiam; & nunc infrà breuiter explicabitur.

Ad rõnẽ Zab. Ad obiectionem Piccolominei, & Zabarellæ patebit infrà, cum declarabimus quomodo generetur cognitio intellectiua in nobis:pro nunc reſpondetur, vt ſuprà dictum eſt de ſenſatione, quod in intellectione ſunt duo actus;Primus eſt productio intellectionis, & expreſſio ipſius; Secundus eſt receptio ipſius intellectionis in intellectu; Primus actus nõ dicitur intellectio, neque intelligere: ſed ſecundus:quia intelligere eſt pati,vt optimè declarat Scotus in præmiſſa quæſtione, reſpõdendo ad rationes pro quinta opinione.y. exponendo illam auctoritatẽ philoſophi ex 3.de Anima: intelligere eſt pati; ideo ad rationem iſtarum cũ dicunt,intelligere eſt iudicare,dico,quòd hæc propoſitio eſt falſa: quia intelligere formaliter eſt recipere intellectionẽ: ex illa enim intellectione recepta in ipſa anima, anima fit intelligẽs: ſicuti oculus per receptionẽ luminis dicitur videns, & ideo quia obiectum non recipit, ſed ſolus intellectus, ideo ſolus intellectus dicitur intelligere; & licet intellectus ſimul cum obiecto producant intellectionem, non propter hunc actum dicuntur intelligere, neque obie-

obiectum, neque intellectus, quia producere intellectionem, non eſt intelligere, ſed ſolum recipere intellectionem eſt intelligere formaliter, vt dictum eſt.

Ad hanc autem receptionem ſequitur iuditium, & ita cõſecutiuè intelligere eſt iudicare; Vnde iudicare eſt colligere Concluſionem alicuius diſcurſus facti, & connotat comparationem inter aliqua; Iudicare ergo non eſt intelligere formaliter, ſed eſt vna ſpecies intellectionis; Intelligere enim eſt ſimpliciter apprehendere intellectionem; & cum dicitur ab Ariſt. 9. Metaph. textu 16. & alibi, intelligere eſſe actionem immanentem, accipit ibi pro intelligere, producere intellectionẽ, quæ eſt actio intellectus agentis, & eſt imanẽs, vt in ſequenti Theoremate dicam: non autem accipit pro intelligere formaliter.

Aliæ rationes, quæ pro aduerſarijs adducuntur, vel adduci poſſunt, ſoluũtur à Scoto in præadducta quæſtione, reſpondendo ad argumenta pro iſta opinione, ideo non eſt neceſſe illa repetere.

Examinatur opinio D. Thomæ ſecundum varios ſenſus Thomiſtarum, & ſecundum omnes ſenſus reijcitur, & tandem breuiter declaratur mens Scoti. Cap. III.

QVæ ſit vera ſententia D. Th. eſt maxima difficultas inter Thomiſtas, & nos: ſed re vera eſt ea, quam ferè omnes illi tribuunt, ſcilicet, Scotus in hac quæſtione, Zimara, Zabarella in libro de Speciebus intelligibilibus, c. 2. & multi alij, & habetur clara ex prima parte q. 85. artic. 2. & 3. libro de Anima, textu 8. & eſt hæc. Quòd intellectus non eſt cauſa actiua, neque productiua intellectionis, ſed ſpecies intelligibilis eſt ratio gignendi notitiam actualem in intellectu: ipſe verò intellectus tantummodo ſe habet tamquam materiale, informatum illa ſpecie; adeo quòd ſpecies intelligibilis impreſſa intellectui, non habet rationem obiecti: ſed ſe habet loco formæ, & actus primi, dans eſſe intellectiuũ ipſi intellectui: quia intellectus ſine ipſa ſpecie non intelligeret: quia intellectus operatur per ipſam ſpeciem, vt ignis per ſuam formam. *Opin. D.T.*

Hæc ergo eſt opinio D. Thomæ, quod ſpecies intelligibilis eſt ratio formalis, per quam intellectus intelligit: intellectus verò de ſe, ſine ſpecie, non eſt intellectiuus actu, ſed potentia, ſed ſolum cum eſt informatus ſpecie, eſt intellectiuus actu; fit enim in actu primo per illam ſpeciem. Et hæc certè eſt opinio D. Thomæ quia in illa quæſt. 85. art. 2. in corpore articuli, habet hæc verba. (*Et ideo dicendum eſt, quod ſpecies intelligibilis ſe habet ad intellectum, vt quo intelligit intellectus.*) Deinde hoc declarat; ex quo loco apertè conſtat, ſecundum D. Thom. intellectum in ſe, abſque ſpecie intelligibili, non habere actiuitatem circa intellectionem, ſed totam actiuitatem eſſe in ſpecie. Hanc eandem ſententiam ſequitur Aegidius, vt patet ex dictis à Scoto.

Verum Caietanus 1. par. quæſt. 79. art. 2. negat hanc eſſe ſententiam D. Thom. quoniam videbat eam maximis difficultatibus vegeri, & aliam opinionem Diui Thomæ tribuit; ſed more ſuo ſatis perplexus eſt, & anceps, vt ſemper aliquod ſubterfugium inuenire poſſit: primo inquit ſtatuendum eſſe ex D. Thom. in quodlibet 8. q. 2. art. 1. quod intellectus in actu, ſe ſolo, primo concurrit ad intellectionẽ; & quia opinio recitata non tribuit intellectui vllam actiuitatem, ideo ait illam non eſſe ad mentem D. Thom. Dicit deinde, declarãdo D. Thom. quod intellectus ſecundum ſe, eſt in genere potentiæ paſſiuæ, & quòd ideo nõ habet ex ſe vllam rationem agendi: ſed quando poſtea intellectus recipit intelligibile in actu, ſcilicet, ſpeciem intelligibilem, intellectus fit ipſum intelligibile, & tunc accipit quãdam rationem agẽdi, ſcilicet, per illam formã, quam recipit; & quoniam anima non recipit illam formam, & ſpeciẽ, vt facit materia formã, ſed recipit hoc modo, quod intellectus tranſit in ipſum intelligibile, & ipſum intelligibile imbibitur quodam modo in ipſo intellectu, ſequitur, quod intellectus, & ſpecies, fiant vnum totum, ſiue vnus actus primus, & tunc poteſt intelligere, ſiue producere intellectionem actiuè: nõ ergo intellectus ſe habet merè paſſiuè, vt receptiuum actionis agendi, vt eſt materia, quæ recipit formam, quæ *Opin. Caie.*

eſt ra-

eſt ratio formalis agendi: quia aliter anima fit in actu ipſum cognoſcibile, & aliter materia reducitur in actū; materia enim eſt ſubiectum, ſed anima non eſt ſubiectum, ſed fit ipſa res intelligibilis actu, Concurrit ergo intellectus actiuè; ſed deinde concludit, quòd intellectus habet quod concurrat ad intellectionem, non ex partiali ratione, vt Scotus, qui vult, quod intellectus abſque ſpecie ſit per ſe partialiter productiuus intellectionis; neque habet præcisè ex ſpecie intelligibili, vt moderna ignorantia (ait ipſe) intelligit; *ſed ex hoc ipſo, quod animalis vis in actu eſt: ita quod ex hoc, quod eſt animalis vis, habet inchoatiuè, quòd facta in actu ſit actiua*. Hæc eſt concluſio, & ſententia Diui Thomæ, ſecundum Caietanum.

opin. Iau. Iauellus 3. de Anima, tenet, quod ſolus intellectus concurrat actiuè, non autem ſpecies, ſiue obiectum: ſed non vult tamen, quod ſolus intellectus nudus, ſed informatus ſpecie intelligibili, quæ tamen ſpecies non concurrit cum intellectu partialiter ad producendum intellectionem, quia ſolus intellectus habet hanc actiuitatem: ſed illa ſpecies, & obiectum concurrit tamquam terminus ſpecificans, & determinans intellectionem intellectus, qui intellectus eſt de ſe indifferens ad cognoſcendum hoc, vel illud obiectum.

opin. Capreol. Capreolus 1. Sent. diſtinct. 35. quæſt. 1. videtur ſentire, quòd opinio D. Thomę coincidat cū opinione Scoti, adeo, quod opinio D. Thom. vario modo à varijs refertur.

Sed quidquid fuerit de eius mente, iſtiusmodi poſitionis ſunt cōſiderandi; hic autem eſt notandum, quòd omnes conueniunt in hoc, pręter Capreolum, quod intellectus abſque ſpecie nullam habeat actiuitatem, & in hoc primo diſcrepant à Scoto, qui vult, quòd intellectus per ſe habeat ſuam actiuitatem, & magis principalem, quàm obiectum. Principalis ratio opinionis Thomiſtarum eſt: quia Intellectus nudus in ſe, abſque ſpecie intelligibili, eſt in pura potentia paſſiua, & eſſentiali, ex Ariſt. 3. de Anima, tex. 7. Præterea, apud Ariſtot. intellectus quo intelligimus, eſt potentia paſſiua ſimpliciter, & non ſecundum quid tantum, alioquin *Princip. rō Tho.* proceſſus Ariſtot. in 3. de Anima, tex 17. ad inueſtigandum intellectum agentem, eſſet vanus: quia fundatur ſuper hac paſſiuitate intellectus. Scotus etiam nunquam probauit, quod intellectus nudus, & de ſe, ſine ſpecie intelligibili ſit actiuus, quod tamen eſt falſum; ſuppoſuit etiam, quod intellectus nihil recipiat ab obiecto, & ſpecie intelligibili, ſed quod ſpecies intelligibilis concurrat ſolum in ratione obiecti, & tamē verum eſt, quòd concurrit quoque in ratione actus, & formæ, quia conſtituit intellectum in actu primo, & de potentia eſſentiali reducit ipſum intellectum ad actum primum.

Hæc opinio Diui Thomæ nullo modo videtur approbanda; nam ſi accipiatur in primo ſenſu, rationes Scoti, quas facit, contra eam, ſunt efficacisſimæ, & præſertim ea. Quia ſequeretur, quod ſpecies eſſet magis potentia intellectiua, quàm intellectus. Conſequens eſt falſum, & contra ſententiam omnium, omnes enim fatentur intellectum eſſe potentiam intellectiuam, non autem ſpeciem; Conſequentia verò probatur: quia denominatio debet fieri à nobiliori: at ſpecies eſt nobilior intellectu in ratione productionis intelligentiæ, ſecundum aduerſarios: quia ipſa eſt ratio formalis actuans intellectum, & productiua intellectionis: intellectus verò eſt vti materia. *reijc. 1. rō.*

Præterea ſequeretur, quod ipſa ſpecies ſeparata ab intellectu, produceret intellectionem; Conſequens eſt apertè falſum. Conſequentia probatur: quia ratio formalis, & totalis productiua alicuius actionis, ideò non producit per ſe abſque materia: quia non poteſt exiſtere abſque materia; at ſi poſſet exiſtere abſque materia, eandem actionem produceret: quia iam in productione illius actionis nullum auxilium accipit à ſubiecto: eſt enim totalis cauſa ipſa per ſe actionis; vnde ſi calor poſſet eſſe abſque ſubiecto, etiam calefaceret, quia ipſe calor eſt totalis cauſa productiua caliditatis. Vide alias rationes Scoti, quæ quia non tanguntur ab aduerſarijs, nihil eſt, vt circa illas laborem, ſunt enim efficaces, quia illa abſurda, quæ enumerat Scotus, euidenter ſequuntur *2 rō.* *aliæ rōnes effic.*

quuntur ad hanc opinionem, vt, quod non daretur diſcurſus, non poſſet fieri reflexio intellectus ſuper intelligibile, non poſſent cauſari ſæcundæ intentiones, &c.

aliæ rõnes effic. cõtra eãdẽ opin. Rationes etiam quas facit Scotus contra ſecundam opinionem, quæ aſcribitur Gotfredo, aſſerenti ſolum phantaſma eſſe principium productiuum intellectionis, valdè ſunt efficaces contra hanc ſententiam D. Thomæ: quia valdè vilificat naturam animæ, aſſerendo ipſam nullam habere actiuitatem reſpectu intellectionis.

opin. Cai. reijc. Si autem exponatur mens D. Th. quomodo exponit Caietanus in eadem abſurda incidit, & maiora.

1. rõ. cõtra opin. Cai. Primo enim Caietanus eſt perplexus, & ſibi contradicit; primo aſſerit, & aperto ore ſuſtinet animam nudam, & ſine ſpecie, nullam habere actiuitatem, & illud probat quia ex Ariſtot. intellectus eſt pura potentia paſſiua, &c. vt ſuprà diximus. Deinde in eodem Commento ait, quod intellectus ex eo, quòd eſt animalis vis, habet inchoatiuè, quòd factus in actu ſit actiuus; Tunc arguo. Si intellectus quatenus eſt vis animalis, inchoatiuè habet, vt ſit actiuus, quando eſt factus in actu, ergo quando eſt in actu, non eſt totaliter actiuus ratione ſpeciei intelligilis, ſed partialiter ex ſe, quatenus eſt vis animalis, quòd enim ſit vis animalis non habet à ſpecie, ſed ex ſe: at intellectus eſt actiuus quando factus eſt in actu inchoatiuè ex ſe, quatenus eſt vis animalis, non ex ſpecie, ergo habet aliquam actiuitatem partialem ex ſe, & non ex ſpecie.

Cõfirmat. Confirmatur: quia potentia, quæ de ſe eſt de genere potentiæ paſſiuæ, non poteſt in ſe eſſe inchoatiuè actiua, immò hoc ſibi repugnat, & implicat: eſſe enim inchoatiuè actiuum, eſt proprium potentiæ, quæ eſt de genere actiuorum, ſed eſt imperfecta, quæ poſtea facta perfecta, agit; eſt ergo contradictio, dicere, quòd intellectus ex ſe, vt eſt nudus, ſit potentia merè paſſiua, & tamen inchoatiuè habeat, vt factus in actu ſit actiuus; haberet enim inchoatiuè effectum ſibi repugnantem, vt exempli gratia, materia eſt de ſe in genere paſſiuorum, ideò nunquam quis dicet, quòd ipſa ex ſe habeat inchoatiuè, vt facta in actu, ſit actiua: hoc enim repugnat ſuæ naturæ, & nunquam eſt actiua ſiue in ſe, ſiue facta ſit in actu. Quòd ſi dicat animam eſſe alterius conſiderationis, quàm materia reſpectu formæ: licet hæc reſponſio in ſe ſit voluntaria, tamen rationem in ſe vitare non poteſt, quia implicat potentiam eſſe merè paſſiuam, & tamen inchoatiuè eſſe actiuam, vt dictum eſt.

Secundò. Hæc opinio explicata à Caietano, in idem redit cum opinione D. Thom. in ſenſu primo aſſignato, & aſcripto ab omnibus D. Thom. vel in ſe omninò eſt falſa; inquit enim Caietanus, quod intellectus eſt in potentia eſſentiali ad obiectum intelligibile, & ideo adueniente obiecto intelligibili, ſiue ſpecie, imbibitur quodammodo hoc intelligibile ab ipſo intellectu, ita quod intellectus fit actu ipſum intelligibile, & tunc hoc totum intellectus cum ſpecie eſt principium actiuum intellectionis. Tunc ſic arguo. Intellectus nudus abſque iſta imbibitione, (vt ſuis vocabulis vtar) non eſt actiuus, ſed ſolum fit actiuus per iſtam imbibitionem ſpeciei, ergo tota ratio productionis intellectionis eſt à ſpecie, non à toto aggregato, ſcilicet, intellectu, & ſpecie, etiam quando intellectus eſt in actu; Conſequentia probatur: quia, quod repugnat alicui per eſſentiam, ſemper illi repugnabit, niſi eſſentia eius mutetur, ſed intellectus antequam eſſet factus in actu a ſpecie, erat de genere paſſiuorum ſecundum eſſentiam, ex Caietano, & cum fit in actu à ſpecie, non mutatur ſecundum eſſentiam, ergo dum factus eſt in actu, etiam illi repugnabit eſſe actiuum, quia eſſe actiuum ex aduerſarijs repugnat intellectui eſſentiæ; Ex hoc ſequitur, quod ſola ſpecies ſit tota ratio actiuitatis, & productionis intellectionis: quia talis actiuitas repugnat intellectui in ſe; Et certè hæc ratio non poteſt ſolui à Caietano, niſi incidat in maius abſurdum, ſcilicet, dicẽdo eſſentiam intellectus corrũpi, & mutari in hac imbibitione ſpeciei, & tranſmutatione intellectus in in-

in intelligibile: vel ergo Caietanus habet fateri intellectum nudum,& ex ſua natura eſſe actiuum partialiter intellectionis, vel cogitur dicere, quod ſpecies eſt tota ratio productionis eo modo , quo diximus in primo ſenſu D.Thomæ.

Cõfirmat. Cõfirmatur. Quia illa vnio intellectus ad ſpeciem intelligibilẽ, eſt vnio accidentalis: quia ſpecies eſt accidens,quod recipitur in ipſo intellectu, ideò per iſtam vnionem non mutatur natura, & proprietas ipſius intellectus; & licet hoc ſit communiter conceſſum,tamen probatur propter proteruũ: quia ex 5. Phyſ. quattuor ſunt ſpecies motus, & in ſubſtantia ſolũ eſt generatio, & corruptio; ergo iſta mutatio ſi eſt ſubſtantialis, eſſet generatio, vel corruptio,non enim eſt auctio,neque latio,vt patet,neque eſt alteratio, quia in hac mutatione non alteratur aliqua qualitas intellectus; ergo hæc mutatio eſt tantum aggregatio, & vnio animæ, & ſpeciei, quæ eſt mutatio accidentalis; non ergo fit vnum totum per ſe, ſed fit vnum totum per accidens: non ergo mutatur eſſentia intellectus per illã receptionem ſpeciei.

3. rõ. Tertiò. Intellectus factus in actu ſic per ſpeciem, non poteſt habere vnam rationem per ſe agendi: quia non eſt vnum per ſe,ſed vnum per accidens: ſed ſicuti ſunt duo entia diſtincta, quorum vnum eſt ſubiectum, alterum eſt accidens, ità habent duas rationes agendi per ſe diſtinctas; & ſi negetur ſubſtantiam eſſe actiuam;(quod tamen eſſe falſum aliàs oſtendimus) ſequitur, quod ſola ſpecies, quæ eſt accidens, erit tota ratio agendi; & ſic ſequitur primus ſenſus opinionis D.Tho. qui ſuprà improbatus eſt. Ex quo patet eſſe falſum fundamentum illud Caietani, quod ex intellectu, & iſta ſpecie, fiat magis vnum,quàm ex materia,& forma, quia hæc vnio intellectus,& ſpeciei, facit vnum per accidens, non per ſe, ſed vnio materiæ, & formæ facit vnum per ſe.

Ad rõnẽ Cai. Ad auctoritatem autem Auer. 2. Cæli commen. 3. ſuper quam ſe fundat Caietanus, quæ eſt, quod ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum quam ex materia, & forma; Reſpondetur primò, quod illa propoſitio ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quàm ex materia, & forma, non habetur ibi in Auer. ſed habetur hæc. Ex orbe, & intelligentia fit magis vnum, quam ex materia, & forma: ſed aliqui eam deducunt, & hunc faciunt habere ſenſum, quod ex orbe, & intelligentia fit magis vnum indiuiſibile, quàm ex materia, & forma, quia vnum ex materia, & forma corrumpitur, & reſoluitur: ſed illud vnum, ſcilicet, Cælum, & Intelligentia, licet non ſit vnita, vt actus informans materiam, ſed vt actus aſſiſtens, eſt tamen maxima vnione vnum, quia eſt indiſſolubilis, & perpetua illa vnio, & ſic vera eſt hæc propoſitio, ex intellectu, ideſt ex intelligentia, & intelligibili, ſcilicet orbe, fit vnum magis indiſſolubile, quàm ex materia, & forma. Vel dicamus, quod hæc propoſitio. Ex intellectu,& intelligibili fit magis vnum, quam ex materia, & forma, eſt vera in abſtractis à materia, in quibus intellectus intelligẽs,& intelligibile,ſunt idem: & de his loquitur ibi Auer. vt optime docet Mercenarius: ſed in nobis eſt omninò falſa,vt patet ex dictis, quia ex ſpecie, & intellectu fit vnum per accidens, non per ſe,vt dictum eſt.

Quartò. Nullum accidens perficit eſſentialiter ſubſtantiam, ſed ſpecies eſt accidens, ergo non perficit eſſentialiter intellectum: ergo ſpecies iſta non conſtituit intellectum in actu eſſentiali; vt inquit Caietanus. Minor eſt clara, Maior probatur: quia, tunc accidens eſſet eſſentia ſubſtantiæ, ſicuti forma eſt eſſentia, & quod quid eſt compoſiti, & hoc maximè valet contra Thomiſtas, qui dicunt quòd ſola forma eſt, quod quid eſt, & eſſentia rei; modo ſi intellectus nudus, & in potentia eſſentiali per ſpeciem intelligibilem conſtitueretur in actu primo eſſentiali, ſpecies eſſet eſſentia, & quod quid eſt illius totius intellectus in actu primo eſſentiali, quæ omnia abſurda maxima ſunt, tum quia illud totum eſt vnum per accidens, tum quia accidens eſset eſsentia;& quod quid eſt ſubſtantiæ, quæ ſunt euidentia abſurda. *4. rõ.*

Opinio Iauelli trahit opinionem *Opin.*

Iau. reijc. D.Th. ad opinionem Henrici nunc adductam in cap.antecedenti, & refutatam: ſi enim obiectum nullam habet actiuitate, ſed ſolum requiritur, vt terminus ſpecificatiuus intellectionis, ſequitur, quod non requiritur neceſſariò: vel non ſunt ſufficiétia illa quattuor genera cauſarum per ſe; denique rationes ibi adductæ hanc eãdem ſententiam infringunt; eſt etiam ipſe Iauellus perplexus; Primo dicit, quòd intellectus ſolus abſque obiecto, eſt cauſa effectiua intellectionis; Deinde dicit, quod intellectus nudus non eſt cauſa, ſed actuatus ſpecie intelligibili; Deinde dicit, quod obiectum nihil aliud faciat in intellectione, niſi quòd ſpecificat, & determinat operationem intellectus. Ecce contradictio, quia ſi intellectus nudus non eſt actiuus, ſed poſtea factus in actu per ſpeciem eſt actiuus, ergo ſpecies eſt ratio producendi intellectionem, & conſequenter non concurrit ſpecies ſolum, vt ſpecificatiua, vel ſi concurrit ſolum, vt terminus, & ſpecificans operationem, intellectus ipſe per ſe erit actiuus, vt eſt nudus: non enim per te tunc recipit aliquid à ſpecie. Ex his omnibus patet, quòd iſtæ expoſitiones redeunt in primam expoſitionem ſententiæ Diui Thomæ, & tunc ſunt falſæ propter rationes Scoti adductas; vel ſi diſſenſerunt, in ſe ſunt falſæ, propter rationes proprias factas.

Quod autem dicunt Caietanus, & Iauellus, quòd Scotus non probauit intellectũm concurrere actiuè, miror: quia dum aduerſus ſecundam opinionem Gotfredi, & Diui Thomæ probat ſpeciem non eſſe totam rationem intellectionis, probat euidenter intellectum eſſe actiuum, ſcilicet per illas rationes: quia intellectus format ſecundas intentiones, diſcurritq. eſt intellectiuus, &c. & poſtea ex deſtructione illarum opinionum ſequitur probatio opinionis Scoti. *Fũd. Tho.* Fundamentum verò eorum, quod intellectus ſit in potentia eſſentiali, eſt falſum, vt infra *Solu* ſuo loco patebit. Pro nunc dico, vt inquit Scotus, quòd quando intellectus eſt denudatus à ſpecie intelligibili, non dicitur eſſe in potentia eſſentiali ad producendum intellectionem; quia ſibi deficiat aliqua ratio actiuitatis, ex parte ſui: ſed quia ſibi deficit alia cauſa partialis concurrens ſecum ad producendum intellectionem, quæ eſt ſpecies; quando autem illa acceſſit, & eſt preſens, tunc eſt in actu primo: quia ex illis duobus integratur vnum totale principium productiuum intellectionis, ſed vtrumque producit ſuo modo, vt nunc declarabo. Ex his patet veram eſſe ſententiam Scoti: *Opin. Scoti* cum enim intellectus non ſit totalis cauſa intellectionis, nec obiectum ſolum ſimiliter ſit totalis cauſa intellectionis, & tamen iſta duo ſola requiri videantur ad intellectionem, ſequitur, quòd iſta duo ſint vna integra cauſa intellectionis actualis. Attamen breuiter conſiſtit in hoc; quòd intellectus, & obiectum ſunt duæ cauſæ partiales, & integrant vnam cauſam totalem, & concurrunt non ex æquo, ſed vt habentes ordinem eſſentialem, non tamen ordinem talem eſſentialem habent, quod in cauſando vna cauſa dependeat ex altera: ſed vnaquæque habet ſuam cauſalitatem propriam, ſed habent ordinem eſſentialem: quia vna cauſa eſt perfectior altera, vt exempli gratia. Si mater ponatur virtutem actiuam habere in generatione prolis, illa, & potentia patris concurrunt vt duæ cauſæ partiales ordinatæ quidem, quia altera eſt perfectior reliqua, non tamen imperfectior recipit ſuam cauſalitatem à cauſa perfectiori, nec tota illa cauſalitas eſt eminenter in cauſa perfectiori, ſed aliquid addit cauſa imperfectior, in tantum, quod effectus non ſolum non poteſt eſſe perfectior a cauſa pfectiori plus quam ab imperfectiori, ſed abſolutè non poteſt plus recipere eſſe à cauſa perfectiori ſola, quàm ab imperfectiori ſola; ita in propoſito, vtraque cauſa eſt perfecta in ſuo genere, licet abſolutè vna ſit perfectior altera, intellectus enim eſt cauſa perfectior, quàm obiectum, attamen obiectum non dependet in ſua cauſalitate ab intellectu, ſed illam habet ex ſe, ſicuti nec mater in ſua actiuitate pendet à patre, & ita intellectio pendet ab obiecto, & ab intellectu ordinatè, quamquam à duabus cauſis partialibus, quarum vna eſt principalior, alia minus principalis: quæ autem iſtarum duarum ſit principalior, & declarat Scotus in quæſtione 8. illius

lius diſtinctionis, & declarat eſſe intellectum, vt eſt videre in tex. Notandum eſt autem hic, quòd non patet, quænam differentiæ intellectus ſit illa, quæ eſt productiua intellectionis, an ſcilicet ſit intellectus agens, vel poſſibilis, ſed hoc determinat Scotus in quodlibet quæſtione 15. & nos in Theoremate ſequenti de hac re agemus.

THEOREMA LXXVIII.

Munus intellectus agentis, eſt abſtrahere ſpeciem intelligibilem, & producere actiuè actum intelligendi.

Ponitur maxima pars tex. Scoti ex q. 15. quodlibet. ab illis verbis de 2. primi articuli principalis (vſque ad illa verba) de ſecundo articulo, dico, quòd beatus, &c. in quo loco Scotus repetit. & breuiter declarat ea, quę in præcedenti Theoremate dicta ſunt, ſcilicet, quomodo, & à quibus producatur actus intelligendi; deinde egregiè explicat munera intellectus agentis, & poſſibilis. Cap. I.

De ſecundo primi articuli principalis certum eſt, quòd ad actualem intellectionem cauſandam concurrunt aliquid ipſius animæ intellectiuæ, & obiectum aliquo modo præſens, ſcilicet, vel in ſe, vel in aliquo repræſentante: ſed quòd iſtorum debeat poni per ſe actiuum, reſpectu intellectionis, auctoritates videntur variè loqui. Auguſt. 12. ſuper Geneſ. cap 29. Non putandum, inquit, eſt corpus aliquod agere in ſpiritum quaſi ſpiritus corpori facienti, materiæ vice ſubdatur. Omni enim modo præſtantior eſt res, quæ facit illa, de qua facit, nec vllo modo corpus præſtantius ſpiritu: immo ſpiritus præſtantior corpore. Quamuis igitur imago eſſe incipiat in ſpiritu, tamen eandem imaginem non corpus in ſpiritu, ſed ſpiritus in ſeipſo facit celeritate mirabili.

Item idem 10. *de Trinit. cap. 5. anima conuoluit & rapit imagines corporum.*

Pro actiuitate tamen obiecti videtur dicere 15. de Trinit. 10. vel 24. formata cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt quod in corde dicimus. Et ibidem. Ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcitur verbum. Et cap. 12. vel 30. Verbum eſt ſimilitudo rei notæ, de qua gignitur, & imago eius.

Philoſophus autem videtur loqui pro actiuitate obiecti: quia illud videtur eſſe principium actiuum, per quod aliquid reducitur de potentia eſſentiali ad accidentalem. Hoc autem eſt aliquid ex parte obiecti: quia illud per quod obiectum eſt præſens, ſub ratione actus intelligibilis, eſt ſpecies cauſata ab obiecto.

Pro hoc eſt illud 2. de Anima, quod prius eſt adductum, ſcilicet: vniuerſalia quodammodo ſunt in anima. Vnde intelligere in ipſa quidem eſt cum velit, ac ſi diceret quòd quia obiecta intelligibilia ſunt præſentia animæ, ideo ipſa eſt in potentia accidentali potens intelligere cum velit.

Sed pro actiuitate potentiæ videtur aliquibus eſſe illud 9. Metaphyſ. quòd ſpeculatio eſt actio immanens. Si autem intellectio non eſt ab intellectu, ſed tantum ab obiecto: non eſſet ibi actio immanens, ſed tantum tranſiens. tex. 16.

De iſto articulo poteſt dici quòd vtrumque concurrit in ratione principij actiui, reſpectu intellectionis: aliquid, ſcilicet ipſius animę, & ipſum obiectum, vel aliquid ex parte obiecti. Et hoc videtur haberi ab Auguſtino 9. de Trinit. cap. vlt. Liquido, inquit, tenendum eſt, quod omnis res, quam cumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui.

Ab vtroque enim paritur notitia, ſcilicet, à cognoſcente, & cognito. Ex 2. de Trinitate cap. 2. vel 5. ex viſibili & vidente, gignitur viſio.

Et licet ibi ſubdat, informatio ſenſus, quæ viſio dicitur, à ſolo imprimitur corpore quod videtur.

Hoc non eſt contra illud: quia ęquiuocè accipitur hoc nomen, viſio.

Primo pro actu videndi; ſecundo, pro ipſa ſimilitudine rei viſæ, & illa à ſolo corpore cauſatur.

Et iſta ęquiuocatio poteſt colligi ex multis verbis illius capituli.

Pro hac Concluſione videtur eſſe ratio: quoniam quando obiectum intelligibile eſt actu pręſens intellectui, poteſt haberi intellectio actualis illius obiecti: ſed nō poteſt

haberi ſine principio perfectè actiuo: igitur vel alterum illorum tantũ eſt perfectè principium actiuum, vel ambo integrãt vnum principium perfectè actiuum: ita quod vtrũque ſit partiale actiuum. Quod autem neutrum ſit pfectè principiũ actiuũ probatur.

Primo de obiectio: quia aliquod obiectum non eſt nobilius ipſa intellectione, ſicut accidens ſenſibile: & principium actiuum perfectum, quando eſt æquiuocum, neceſſariò eſt perfectius forma cauſata.

Secundò probatur idem: quia obiecto exiſtente æquè præſente intellectui, ſi maior eſt conatus & maior intentio ad intelligendum, perfectior poteſt haberi intellectio, & hic videtur, quia perfectius veſtigium derelinquitur, igitur maior intentio voluntatis cauſat aliquo modo perfectiorẽ intellectionem, quod non videretur probabile, ſi ſolum obiectum eſſet cauſa actiua eius: quia illud videretur sẽper agere ſecũdum vltimum potẽtię, cum ſit agens naturale, nõ liberum per eſſentiã. Patet, ſed nec liberum per participationem videtur, cum non ſit in eadem natura cum voluntate.

Tertio oſtenditur idem ſic. Operatio illa non eſt per ſe perfectio agentis, quàm ipſum elicit præciſè mediante aliquo ſuo accidente per accidens, Exẽplum calefacere vel etiã calere, non eſt p ſe perfectio ligni calidi: quia nõ cõpetit ſibi niſi per calorem, qui eſt accidẽs eius: illud autẽ, à quo obiectum aliud ab omnia, eſt præſẽs intellectui, eſt eius accidens per accidens: quia quandoque cõtingenter ineſt, quãdoque non: igitur ſi ſolum illud eſt principium actiuũ reſpectu intellectionis: intellectio non eſſet propria perfectio intellectus, vel hominis.

Item ſecundo probatur, quòd nec totalis actiuitas conueniat intellectui: quia actus videtur propria ſimilitudo obiecti. Videtur etiam ſortiri ſpeciem ab obiecto, licet non ſicut à principio formali intrinſeco: tamen ſicut à per ſe principio extrinſeco; Videtur etiam eſſentialiter dependere ab obiecto, propter quod refertur ad ipſam in tertio modo Relatiuorum. Hoc autem non videretur verũ, ſi obiectum eſſet tantum cauſa per accidens, vel cauſa, ſine qua non.

Concedo igitur auctoritates prius adductas ad quaſcumque affirmatiuas, ſiue de intellectu, ſiue de obiecto. Verum quidem eſt quod vtrumque iſtorum aliquo modo eſt actiuum ad intellectionem, ſed actiuum partiale: ambo autem integrant vnum actiuum totale.

Sed hic ſunt duo dubia. Primum, quomodo iſta conſtituant vnum perfectum principium. Secundum, de quibuſdam auctoritatibus adductis, puta de illa Auguſt. Ex ipſa ſcientia naſcitur verbum, quomodo iſta facit pro obiecto; & ſimiliter illa Ariſtotelis 2. de Anima, Scientia autem vniuerſalium eſt. tex. 60.

Ad primum dico, quòd cauſæ concurrentes quandoque ſunt eiuſdem rationis & ordinis, vt plures trahentes nauem; quandoque verò ſunt alterius rationis & ordinis. Et hoc dupliciter: quandoque poſterior habet virtutem ſuam à priore. Exemplum, Sol & pater in generatione hominis; Quãdoque poſterior non habet virtutem ſuam à priore: nec dependet in habendo ſuam virtutem ab ea, ſed tantum dependet ab ea in agendo ſecundum ſuam virtutem: ita ꝙ ſuperior principalius agit, & inferior minꝰ principaliter agit. Exẽplũ fortè de patre et matre in generatione prolis: vt enim videtur haberi ex 16. de Animalib. Mater aliquo modo ſe habet actiuè, quod videtur rationabile: cũ formã eiuſdẽ ſpeciei cõſequatur virtꝰ eiuſdem ſpeciei. Mas autem & femina nõ differunt ſpecificè ſecundum Philoſoph. 10. Metaph. Mater autem virtutem ſuam actiuam non habet à patre, nec in habendo ipſam ab illo dependet, ſed dependet ab ipſo in agendo ſecundum ipſam virtutem, & agit minus principaliter. tex. 25.

Ad propoſitum, intellectꝰ & obiectum non cõcurrunt primo modo: quia ille cõcurſus non eſt neceſſarius ex ratione cõcurrentium, ſed tãtum ex defectu virtutis in vno: quia ſi duplicaretur virtus vnius, ipſum ſolum ſufficeret, non ſic hic: quia quantumcũque ſit obiectum perfectum, vel intellectꝰ perfectus, neutrum tamen cauſaret actum ſine alio; nec concurrunt ſecundo modo: qa intellectus non habet virtutem ſuam actiuã ab obiecto, nec è conuerſo. Tertio igitur modo poſſunt dici cõcurrere. Quod autẽ eorum ſit principalius, non oportet diſcutere.

Ad ſecundum dico, quòd iſta tria accipit Aug. pro eodem, verbum gigni de memoria, & verbũ gigni de ſcientia in memoria: & ver-

& verbum gigni de re nota: quia per ſcientiam intelligit actum primum, per quem anima eſt in actu ſufficienti ad actum intelligendi, & in virtute illius primi actus gignitur verbum, & in alio actu primo relucet obiectum: & pro tanto dicitur gigni de obiecto, igitur de ſcientia gignitur, vt de principio formali gignendi: de obiecto autem relucente in illo principio, de memoria verò vt continente illud principium, ita, quod omnes tales auctoritates Auguſtini ſecundum intentionem illius loquuntur pro auctoritate obiecti.

tex. 50. tex. 3. Conſimiliter & illæ auctoritates Ariſtotelis, quæ dicunt, quòd per ſcientiam poſſumus intelligere cum volumus, & in 2. de Anima, ſcientia eſt vniuerſalium, & in 3. de Anima. Cum autem vnaquaque fiat, vt habetur ſuprà.

Et eſt intelligendnm, quòd tam Auguſtinus quàm Ariſt. accipit ſcientiam non pro habitu illo acquiſito ex actibus frequentatis, & facilitante ad ſimiles actus, ſed pro illo, per quod obiectum eſt præſens, vt actu intelligibile, ſiue ponatur ſpecies intelligibilis, ſiue aliquid aliud. Scientia enim eſt illud ſecundum Ariſtotelē, ſecundum quod anima educitur de potentia ad accidentalem. Hoc autem præcedit omnem actualem ītellectionem; qa illa eſt terminus potentiæ accidentalis: Scientia enim acquiſita ex actibus & facilitans ad conſiderandum nō præcedit omnem actum intelligendi.

2. de aïa t. 2. & 5. & 3. me. tex. 8. & 8. phyſ. tex. 32.

Similiter apud Auguſtinum Scientia eſt formalis ratio, ſecundum quam memoria eſt pariens, ſiue gignes. Iſta autem ſcientia acquiſita ex multis conſiderationibus, non eſt formalis ratio gignendi quamcumque intellectionem; immò gignitur ex multis præcedentibus.

Si dicas, quòd illa auctoritas 12. ſuper Geneſ. non affirmat tantum de anima: ſed etiam negat obiectum agere in animam.

2. & 3. de aïa. Similiter Ariſt. non tantum concedit obiectum agere, ſed videtur negare intellectum agere: quia videtur ponere, quod intelligere ſit pati quoddam.

Ad primum poſſet dici, quòd Aug. negat ibi obiectum agere in animā immediatè, ſecundum eſſe materiale, quod habet extra animam.

Ad ſecundum Ariſt. videtur frequentius loqui pro actiuitate obiecti, & paſſibilitate potentiæ: cuius rō eſt: quia communiter locutus eſt de potentijs animæ in quantum ſunt illa in quibus formaliter poſſumus operari, puta de ſenſu inquantum eſt, quo poſſumus formaliter ſentire, & de intellectu quo intelligere: ſicut loquitur de anima vt eſt illud quo formaliter viuim⁹: nunc autem licet intellectus actiuè cauſet intellectionem, non tamen dicitur intelligere in quantum cauſat: quia ſi Deus cauſaret illam eandem intellectionem, non tamen dicitur intelligere illa intellectione: ſed intellectus ille, in quo cauſatur intellectio, igitur & modo intellectus dicitur intelligere, non quia cauſat, ſed quia recipit intellectionem. 2. de aïa. tex. 24.

Et ſic verū, eſt quòd intelligere eſt quoddam pati: quia intellectum intelligere non eſt niſi ipſum recipere intellectionem. q. 13.

Iſta autem auctoritates 9. Metaph. ſi faciat pro actiuitate obiecti, vel nō, patet ex quæſtione de actu cognoſcendi, & appetēdi.

De tertio primi articuli principalis. Videndum eſt, an illud in parte intellectiua, quod eſt actiuum ad intellectionem, ſit intellectus agens, vel poſſibilis.

Videtur, quòd agens: quia intellectus poſſibilis recipit intellectionem: ſi igitur cum hoc ſit actiuus reſpectu intellectionis, pari ratione poſſet dici, quòd reſpectu ſpeciei intelligibilis, quam recipit, eſſet actiuus, & ita non requireretur intellectus agens ad aliquem actum in intellectu.

Confirmatur illud: quia actiuum & paſſiuum diſtinguunt potentias in anima.

Secundo ad idem ſic. Philoſophus 3. de Anima, diſtinguens intellectum agentem à poſſibili ſic ait. 3. de aïa tex. 18.

Eſt enim intellectus hic quidem talis, quo eſt omnia fieri, & de agente: ille autem, quo eſt omnia facere. Ex hoc videtur ſequi, quòd intellectus agens adæquatur poſſibili in ratione actiui & paſſiui.

Eſt igitur actiuus ad omne illud, cuius poſſibilis eſt receptiuus, & per conſequens ad intellectionem. 3. de aïa t. 37. et 38.

Præterea, ibidem ſequitur de intellectu agente. Eſt ſicut habitus quidam, & vt lumen: lumen autem intellectuale videtur eſſe principium actiuum cognoſcendi veritates intelligibiles, ſecundum illud 12. de Trinit.

de Trinit. 15. Mens rebus intelligibilibus naturali ordine, diſponente conditore, ſub-iecta, ſic iſta videt in quadam luce ſui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadiacent.

tex. 19. Præterea ibidem ſequitur: ſemper nobilius eſt agens patiente, & principium, materia, & ſubdit de intellectu agente: igitur ĩpaſſibilis eſt ſubſtãtia in actu: igitur vult, ꝙ intellect⁹ agens eſt nobilior poſſibili, vel ſaltem nõ minus nobilis: nunc autem imago conſiſtit in eo quod optimũ eſt in noſtra natura, vt probatur in primo articulo per Aug. igitur intellectus agens pertinet ad imaginẽ, ſed nõ põt pertinere niſi ad memoriã, patet: ſed cum memoria habeat conſeruare obiectum, vel ſpeciẽ obiecti, & exprimere, vel gignere notitiam actualem eius, patet, quòd intellectui agenti non poteſt cõpetere primum: quia non eſt virtus receptiua, nec conſeruatiua: igitur competit ſibi ſecundum ſcilicet, exprimere notitiam.

tex. 19. Sed pro alia parte, ſcilicet, intellectu poſſibili, arguitur primo per illud Ariſt. quòd intellectus agens eſt ſicut lumen. Comment. vult ibi, quòd ſicut lumen facit quodãmodo potentia colorem, actu colorem ſic intellectus agens, facit de potentia intelligibili, actu intelligibile: igitur actus eius terminatur ad obiectum actu intelligibile, & hoc præcedit intellectionem.

ad finem. Confirmatur per illud 3. de Anima, Comment. 18. vbi vult Commentator, quòd ſi res haberent eſſe eo modo, quo poſuit Plato, non oporteret ponere intellectum agentem: igitur non ponitur, niſi vt per ipſum fiat obiectum actu vniuerſale, ſed hoc præcedit actualem intellectionem.

com. 19. & ſeq. Præterea, ſecundo, ſecundum Commentatorem, intellectus agens ponitur, vt per ipſum transferatur obiectum de ordine in ordinem, quod ſic intelligi poteſt.

De ordine ſenſibilium, ad ordinem intelligibilium, & per conſequens de ordine corporalium, ad ordinem ſpiritualium: & quare requiritur ibi aliquod transferens proprium, ratio videtur eſſe: quia agens quod habet eſſe corporale, non habet rationem agentis niſi in paſſum corporale propter hoc, quòd tale agens requirit paſſum approximatum ſibi localiter, quia ſi non eſſet localiter præſens, eſſet tali agenti quaſi non præſens: igitur nunquã aliquod corporale poteſt eſſe ratio immediatè cauſandi aliquod ſpirituale, nec per conſequens transferendi ab illo ordine ad alium ordinem.

Et iſta videtur eſſe ratio Auguſt. 12. ſuper Geneſ. Sed quando obiectum ſit de actu intelligibili actu intellectum non transfertur ſic de ordine ad ordinem: igitur non requiritur ibi intellectus agens.

Confirmatur: quia ad hoc quòd intellectum actu volitum, non ponitur talis tranſlatio ab ordine in ordinem, & hoc ideo eſt: quia actu intellectum, eſt ſufficienter proportionatum voluntati.

Cum igitur actu intelligibile habeat eſſe in memoria intellectiua, ſit æquè ſufficienter proportionatum intelligibile, ad hoc, ſcilicet, vt ſit actu intellectum, ſequitur, quòd ibi non requiritur virtus transferens de ordine ad ordinem.

Præterea, tertiò: Si intellectus agens eſſet per ſe actiuus ad intellectionem actualem, pari ratione vbicumque poneretur potentiam eſſe actiuam ad propriam operationem, & cum hoc etiam potentiam receptiuam talis operationis, ibi eſſet diſtinguere potentiam agentem, & poſſibilem: vtpote voluntatem agentem, & voluntatem poſſibilem, ſecũdum cõmunem opinionẽ, quæ ponit voluntatẽ actiuã, & etiam receptiuam volitionis: & ſimiliter, ſi ſenſus ponatur actiuus propter hoc fortè, ꝙ ſenſatio videtur nobilior ipſo obiecto sẽſibili extra, eſſet diſtinguendum de ſenſu agente, & poſſibili.

Cum igitur Philoſophus iſtam diſtinctionem de agente, & poſſibili, nuſquam ponat ibi, niſi in intellectu, ſequitur, quòd iſta differentia non eſt propter illa, quæ communiter inueniuntur in alijs potentijs, & ita non propter agere & recipere actionem.

Præterea, quarto: videtur eſſe contra illud idem 9. de Trin. & vlt. à cognoſcente, & cognito pariter notitia, intellectus autem agens non eſt cognoſcens. ſed ſolum poſſibilis: igitur ab illo patitur intellectio, & per conſequens actiuè ſe habet reſpectu intellectionis.

De iſto articulo, ſi prima via tenetur, poſſet dici, quòd intellectus agens habet duas actiones ordinatas. Prima eſt, facere de potentia

tentia

tentia intelligibili, actu intelligibile; vel de potentia vniuerſali, actu vniuerſale. Secunda eſt, facere de potentia intellecto, actu intellectum. Primum intelligitur ſic: quòd virtute intellectus agentis de phantaſmate in phantaſia gignitur ſpecies intelligibilis in intellectu.

Vel aliqua ratio, in qua actu relucet intelligibile, quæ, breuiter loquendo, dicatur ſpecies intelligibilis, & iſtam gignitionem realem repræſentatiui de repræſentatiuo, dicitur concomitari quædam gignitio metaphoricè obiecti de obiecto, ſcilicet intelligibilis de imaginabili: quod ideo rationabiliter dicitur, quia tale eſſe obiectiuum, habet obiectum in repræſentari, quale habet repræſentatiuum correſpondens, & ideo tranſlatione reali facta in repræſentatiuo, quādo de corporali gignitur ſpirituale, ſcilicet de repræſentatiuo ſingulari gignitur repræſentatiuum vniuerſale, conſimilis dicitur; vel intelligitur traslatio in obiectis de corporali ad ſpirituale, vel de ſingulari ad vniuerſale.

Secunda actio poneretur, per quam de potentia intellecto, fieret actu intellectum: vbi ſimiliter intelligitur factio metaphorica ex parte obiectorum correſpondens factioni reali ex parte eorum, quibus tenditur in obiecta: quia realiter ſpeciem intelligibilem ſequitur actualis intellectio, & ſicut prima traslatio de potentia ad actum. Sic etiam ſecunda diceretur fieri per intellectum agentem, tā ex parte obiectorum, et hoc metaphoricè, quā ex parte illorū, in quibus relucēt obiecta, et hoc realiter, pro tāto ſ. quòd virtute intellectus agent de phātaſmate gigneretur ſpecies ītelligibilis, & ſic metaphoricè de potētia ītelligibili gigneretur actu ītelligibile. Et ſecundo, virtute ſpeciei ītelligibilis, gigneretur actualis intellectio, & ſic metaphoricè loquēdo, in obiectis de potentia intellecto, fieret actu intellectū.

Cōſimiliter poſſet poni duplex paſſio ordinata in intellectu poſſibili correſpōdens iſti duplici actioni intellectus agentis, quarum prima eſſet receptio ſpeciei intelligibilis à phantaſmate, per primam actionem intellectus agentis: & ſecunda eſſet receptio intellectionis à ſpecie intelligibili, per ſecundā actionem intellectus agentis. Et ſecundum hoc diceretur, quod ad memoriam intellecti uam pertinent intellectus agens & poſſibilis. Agens quidem, non quantum ad primam actionem, quæ eſt facere de potentia intelligibili actu intelligibile: immò illius actionis terminus eſt memoria in actu, quia per illam actionem eſt intellectus habens obiectum actu ītelligibile ſibi præſens. Sed quantum ad ſecundam actionem quia cum memoriæ ſit exprimere actualem notitiam vel intellectionem: & intellectus agentis ſecunda actio ſit agere ad iſtam actionem, intellectus agens, quantum ad ſecundam eius actionem, includeretur in memoria. Intellectus autem poſſibilis, quantum ad primā eius receptionem, qua ſ. recipit actu intelligibile ſibi præſens dicitur memoria. Et quātum ad ſecundam receptionem, ſcilicet, actualis intellectionis dicitur intelligētia.

Et ſecundum hoc reſponderi poſſet ad illa, quæ videntur adducta in contrarium, per hoc, quòd actio abſtrahendi, quæ eſt prima actio intellectus agentis, eſt magis propria ſibi, quàm ſecunda, quæ eſt cauſare intellectionem: quia illa poteſt competere alijs potentijs, nulla autem alia transfert obiectum ſuum de ordine ad ordinem, ſic intelligendo de ordine corporalium, ad ordinem ſpiritualium: immò voluntas licet cauſando actum ſuum, ſecundum aliquos, per hoc metaphoricè trāſferat obiectum ſuum de ordine intelligibilium ad ordinem appetibilium, tamen iſta translatio non requirit voluntatem agentem, ſic intelligendo, hoc eſt præparantem obiectum ſuum, vt ſit actu volibile: ſicut intellectus agens præparat obiectum ſuum, vt ſit actu intellectum, eſt actu volibile. Non igitur requiritur aliqua actio præparans obiectum voluntati. Illæ igitur auctoritates affirmant, quòd verum eſt de primo actu intellectus agentis; & ſi quandoque dicatur, quòd propter illum ſolum ponitur intellectus agens, verum eſt, vt talis virtus eſt propria intellectui: quia eſt ibi tantum potentia præparās obiectum: præter ſecundum enim actum, non eſt propriè in intellectu talis virtus agens: nam aliæ Potentiæ poſſunt agere ad operationem, præſuppoſito obiecto.

Si verò teneretur alia via, ſcilicet, quod illud animę, quod eſt actiuum ad ītellectionem eſt intellectus poſſibilis, & quod intellectus agens, habet tātum actionem abſtrahendi

bendi obiectum, tunc eſſet dicendum quòd intellectus agens, non pertinet ad memoriam: ſed actio eius terminatur ad memoriam: & hoc reſpectu ſenſibilium, quia terminatur ad illam formam, per quam obiectũ actu intelligibile relucet intellectui: & illa eſt forma conſtituens perfectam memoriam. Reſpectu autẽ merè intellegibilium, putà ſpiritualium, nullam actionem omnino haberet, & hoc ſi talia intelligentur nõ per ſpeciem, vel ſi per ſpeciem, tamen poſſunt eam cauſare virtute propria. Intellectus autem poſſibilis ſecundum hoc, poneretur pertinere ad memoriam, non tamen vt retinens omne repræſentatiuum obiecti actu intelligibilis, ſed etiam vt exprimens actiuè notitiam actualem.

Et tunc ad illa, quæ ſunt adducta contra hoc poſſet reſponderi.

Ad primum, quod potentia operatiua non eſt actiua ſui obiecti, licet ſit actiua ſui actus circa obiectum, & ideo non pari ratione poteſt intellectus poſſibilis cauſare ſpeciem intelligibilem: ſicut poteſt cauſare intellectionem illam.

Ad cõfirmationem illã diceretur; Quod loquendo de potentia, vt dicit reſpectum, bene diſtinguitur in actiuum, & paſſiuum; ſed loquendo de illo, quod ſubeſt reſpectui, quod communiter intelligimus, cum dicimus potentia, quemadmodum dicimus, quòd calor eſt potentia calefactiua. Sic nõ oportet, quòd actiuum, & paſſiuum diſtinguant ipſam: quia tunc voluntas eſſet duæ potentiæ.

Ad aliud cum arguitur ſecundum Ariſtotelem, quòd intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere: intelligendum eſt ſic, facere omnia actu intelligibilia.

Et hoc habetur ex eo, quòd ſequitur, quod lumen facit quodammodo potentia colores, actu colores: quia facit eos actu viſibiles. Sic intelligendo, quod licet natura abſoluta coloris, quæ eſt in genere qualitatis, maneat eadem in tenebris: tamen vt ſic, non eſt viſibilis, intelligendo de potentia propinqua: quia quãdo oportet duas cauſas concurrere ad agendum, vna earum ſcilicet, ſecunda, nõ eſt ĩ potentia propinqua, niſi alia, ſ. prima cõcurrat. Ad hoc aũt, quòd color agat in viſum, requiritur alia cauſa cõcurrens ad agẽdum, ſ. lumen: ideo tunc ſolũ eſt color viſibilis in potentia propinqua, quando eſt actu illuminatus. Hoc modo phantaſma non poteſt gignere ſpeciem intelligibilem: niſi cõcurrente actione intellectus agentis.

Ille igitur intellectus facit omnia actu intelligibilia, & hoc in potentia propinqua: quia relucentia in ſpeciebus intelligibilibus, quæ prius fuerunt in potentia remota, quia tantum relucentia in repræſentatiuo materiali, & repræſentante ea ſub ratione ſingulari, non autem quod agens eſt, quo eſt omnia facere actu intellecta.

Cum igitur concluditur adæquatio eſt intellectus agentis in agẽdo ad poſſibilem in recipiendo, debet inferri vniformiter, de actione, & receptione actu intelligibilis, nõ de actione, & receptione actu intellecti.

Ad tertium veritas principij videtur in rationib. terminorum, illæ autem rationes terminorum vt actu intelligibiles, & vniuerſales, relucent intellectui per actionem lucis intellectus agentis. Sic igitur videt veritatẽ principiorum ĩ luce intellectus agentis, nõ tãquã immediatè cauſante illã viſionẽ, ſed mediatè, ſ. cauſando rõnes terminorum in eſſe intelligibili, per quas poſtea cauſatur act⁹ vidẽdi veritatẽ principiorũ.

Ad quartum diceretur, quod agens eſt nobilius poſſibili, præciſè, vt reſpicit obiecta ſenſibilia: quia præciſè reſpectu illorum eſt agens in intellectum poſſibilem.

De iſto articulo hoc tenendum videtur, quod illam diſtinctionem Aug. 10. de Trinit. cap. 2. memoria, intelligentia, & voluntas, comparando ad aliam Ariſt. in intellectum agentem, & poſſibilem, ſic ſibi inuicem correſpondent quòd ſolus poſſibilis eſt intelligentia, quia ſolus recipit actum intelligendi, & ſic etiam communiter Ariſtot. loquitur de intellectu: vt eſt quo intelligimus, ſiue quo recipimus intellectionem, etiam poſſibilis, pertinet ad memoriam inquantum memoriæ eſt recipere notitiam habitualem, ſecundum illud 15. de Trinit. 10. Scientia, quam memoria tenemus, & ſic loquitur Ariſt. quandoque de intellectu poſſibili, vt eſt quo ſcimus: ſiue vt eſt quo habemus ſcientiam, per quam reducitur de potentia eſſentiali ad accidentalem.

Sed quo ad alium actum memoriæ, qui eſt gignere notitiam actualem, patet, quod hoc competit adhuc intellectui poſſibili per accidens:

accidens: quia quando forma actiua eſt alicui ſubiecto, actio ſecundum illam formam per accidens competit eidem, ſicut lignum per accidens calefacit, nunc autem illud, quo obiectum actiuè ſe habet ad gignendum intellectionem, eſt forma intellectus poſſibilis, igitur intellectus poſſibilis ſaltem per accidens gignit.

Sed ſi vltrà hoc quæras, an conueniat actus gignendi notitiam per ſe, ipſi parti intellectiuæ, poteſt teneri ſecundum prædicata, vel competere præcisè intellectui agenti, vel præcisè intellectui paſſibili: & ſecundum hoc iſte, vel iſte, diceretur pertinere ad memoriam.

Vel poſſet poni tertio modo actus gignendi vtrique competere, ſed agenti tamquam principaliori, & poſſibili tamquam minus principali. Nec ſequitur, ſi ſint vna natura, igitur non poſſunt habere reſpectu eiuſdem cauſalitatem principaliorem, & minus principalem. Patet enim inſtantia de intellectu, & voluntate: quarum vna ſecundum multos eſt actiua principalior, & alia ſubordinata in aliqua actione, tamen ſunt vna natura.

Sed iſta inſtantia ſecundum aliquos nõ eſt ſimilis: quia non vtraque potentia immediatè attingit idem, vt cauſatim: ſed vna per operationem ſuam cauſatam, mouet aliam ad ſuam operationem.

Breuiter, ſi non teneretur diſtinctio potentiarum, nec re abſoluta, nec relatione reali, ſed tantum, quod idem abſolutum quodammodo illimitatum, eſt principium immediatum multorum actuum, & ſic reſpectu alterius, & alterius diceretur alia, & alia potentia, tunc prima via probabilis videtur.

Exponitur breuiter opinio Scoti de munere intellectus agentis, & poſſibilis, & comprobatur. Cap. II.

DEterminatum eſt ſuperius ex Scoto in 1. diſt. 3. q. 7. & 8. quod intellectus ſimul cũ obiecto cõcurrunt ad productionem actus intelligendi: ſed nondum patuit quinam intellectus ſit iſte, qui cõcurrit ad intellectionem generandam, an, ſcilicet agens, vel poſſibilis. In quodlib. autem q. 15. poſtquam confirmauit intellectum ſimul cum obiecto concurrere ad productionem intellectionis, inquirit an illud, quòd eſt actiuum intellectionis in parte intellectiua ſit intellectus agẽs, vel poſſibilis & in hac re, vt patet in textu eius quem in præcedenti cap. præmiſimus, eſt problematicus, & aſſerit poſſe ſuſtineri, quod intellectus poſſibilis ſit ille, qui eſt productiuus intellectionis; & ſimiliter poſse ſuſtineri, quòd ſit intellectus agens; vt patet ex textu euidenter: attamen videtur magis declinare ad ſecundam partem; ideo breuiter opus eſt colligere mentem Scoti: deinde, quid alij ſentiant conſiderabimus. Loquendo de muneribus intellectus agentis, poſſumus ſuſtinere duas vias; Prima eſt, quòd intellectus agẽs habet duas actiones ordinatas; *1. via* Prima eſt, facere de potentia intelligibili, actu intelligibile, vel de potentia vniuerſali, actu vniuerſale; Secunda actio eſt, facere de potentia intellecto, actu intellectum: in prima actione intellectus agens format ex phantaſmate ſpeciem intelligibilem: ſed quomodo eam formet, nunc infrà diligenter explicabitur, quia eſt res magni momenti. Pro nunc ſufficit ſcire, *Dec. 1 actio intel. agẽt.* quod dum obiectum per phantaſma eſt in phantaſia, offertur intellectui agẽti per illud phantaſma, intellectus autem agẽs, circa illud phantaſma verſans ex eo producit quandam rationem repræſentantem actu obiectum, ſed vt actu intelligibile, antea enim cum erat obiectum in phantaſmate, non erat actu intelligibile, ſed ſolum potentia intelligibile: ſed habita hac prima actione intellectus agentis circa illud phantaſma, & deducta hac ſpecie, & ratione, in qua obiectum relucet, vt actu intelligibile, tunc obiectum dicitur actu intelligibile, illa ratio actu repręſentans obiectũ intelligibile, dicitur ſpecies intelligibilis. Notandum eſt autem hic, quòd hæc actio intellectus agentis, eſt realis: quia terminatur ad terminum realem, qui eſt illa ſpecies intelligibilis: ſed hanc actionem realem concomitatur quædam actio metaphorica ex parte obiecti, quia ſicuti obiectum reale gignit phantaſma, ita phantaſma, quod eſt ſingulare, & ſolum immaginabile actu, potentia verò intelligibile, metapho-

metaphoricè concurrit ad gignitionem iſtius ſpeciei intelligibilis, quæ eſt vniuerſalis, & intelligibilis actu, ita, quod illa ſpecies intelligibilis pendet, & ab intellectu agente, & à phantaſmate: ab intellectu agente pendet, & prouenit actione reali à phantaſmate, per actionem metaphoricam: dicitur autem actio metaphorica, quia eſt emanatio quædam, non propriè motus; ſed actio intellectus eſt verè motus, quia tranſmutat obiectum de vno ordine in alium effectiuè, licet ſit motus ſpiritualis.

2. rō. decl. Secunda actio fit hoc modo; producta in eſſe ſpecie intelligibili, intellectus agēs contemplatur illam ſpeciem, quæ eſt obiectum intelligibile actu, & ſic producit notitiam illius: ſed ad productionem illius notitiæ, concurrit etiam ipſamet ſpecies agendo metaphoricè, ſicuti & phantaſma concurrebat ad producendum ſpeciem intelligibilē agendo metaphoricè; & ita patet quomodo intellectio actualis producatur effectiuè ab intellectu, & ab obiecto, ab intellectu realiter, ab obiecto metaphoricè, ſiue per emanationē, & patet quomodo intellectus agens faciat de potētia intellecto, actu intellectum; nam per primam actionem intellectus, obiectum de potentia intelligibili, factum eſt actu intelligibile, quia in illa producitur ſpecies, per quam obiectum eſt actu intelligibile: ſed tamen tunc non eſt actu intellecta illa ſpecies, & conſequenter neque obiectum: at per ſecundam operationem intellectus agentis, illa ſpecies actu fit intellecta, quia intellectus agens format ex illa ſpecie, ipſamet ſpecie metaphoricè agente quoque ipſam intellectionem, qua intellectione actualiter recepta in intellectu poſſibili, ipſa ſpecies fit actu intellecta. Ponendo has duas actiones competere intellectui agenti, debemus quoque ponere alias duas paſſiones ordinatas in intellectu poſſibili, correſpondentes iſtis duabus actionibus intellectus agētis, quarum prima eſt receptio ſpeciei intelligibilis productæ ex phantaſmate, & è phantaſmate, & ab intellectu agente in prima actione; Secunda eſt receptio intellectionis productæ ab intellectu agente, & a ſpecie intelligibili in ſecunda actione.

Hæc eſt prima via declarandi actiones, & munera intellectus agentis: & puto, quod hæc ſit vera, & quod ad hanc partem magis declinauerit Scotus, licet alia quoque ſit probabilis, & Scotus dicat vtrumque poſſe ſuſtineri. Pro hac via Scotus adducit has rationes dimiſſis Theologicis.

Prima eſt. Intellectus poſſibilis recipit intellectionem: ſi ergo etiam eſſet productiuus intellectionis, pari ratione poſſet dici, quod poſſibili, quoque eſſet productiuus ſpeciei intelligibilis, quàm recipit: non enim eſt maior ratio de vno, quam de altero; & ita non requireretur intellectus agens ad vllum actum. 1. rō.

Secunda, actiuum, & paſſiuum diſtinguuntur potentias in anima, vt patet ex Ariſt. 3. de Anima textu 17. nam propter paſſionem ait requiri intellectum poſſibilem; propter actiuitatem probat requiri dari intellectum agentem; non ergo intellectus poſſibilis poteſt eſſe actiuus. 2.

Tertia. Philoſophus 3. de Anima, tex. 18. diſtinguens intellectum agentem à poſſibili, ſic ait, eſt enim intellectus hic quidem, quo eſt omnia fieri, & de agente ait, ille autem, quo eſt omnia facere; ex qua auctoritate videtur accipi, quod intellectus agens, adæquatur poſſibili in ratione actiui; & poſſibilis adæquatur agenti in ratione paſſibili, & ſic cum poſſibilis ſit receptiuus intellectionis, ſequitur, quòd agens erit productiuus intellectionis. 3.

Quarta. Sequitur ibidem Philoſophus, loquendo de intellectu agente (eſt ſicut habitus quidam, & vt lumen) lumen autem videtur eſſe principium actiuum cognitionis colorum. 4.

Quinta. Ibidem ſequitur Philoſ. Semper nobilius eſt agens, patiente, & principium, materia; Deinde loquens de intellectu agente: igitur impaſſibilis eſt ſubſtātia actu; ex quo patet, quod vult, quod agens ſit nobilior poſſibili, & conſequenter, quòd ſit actiuus, & poſſibilis paſſiuus; ex hoc ſequitur, quod agens erit productiuus, & effectiuus intellectionis, ſicut paſſiuus eſt receptiuus eiuſdem intellectionis. 5.

Secunda via eſt hæc. Poſſumus dicere, quod intellectus agens, habet vnicam actionem

actionem tantum: ſcilicet, primam, quæ eſt productio ſpeciei intelligibilis de phã taſmate, & transferre obiectum de ordine in ordinem, ſcilicet de ordine ſenſibilium, ad ordinem intelligibilium, & facere obiectum de potentia intelligibile, actu intelligibile, & tunc in intellectu poſſibili ponerentur duæ paſſiones, & vna actio; prima paſſio eſt receptio ſpeciei intelligibilis: ſecunda paſſio eſt receptio ipſius intellectionis; Actio verò erit productio intellectionis; Adeo, quod hic erit ordo in noſtra intellectione; primò intellectus agens ex phãtaſmate producit ſpeciem intelligibilem, eo modo, quo nunc ſupra explicauimus primam actionem intellectus agentis: deinde recipitur hæc ſpecies in intellectu poſsibili: deinde intellectus poſſibilis ſimul cum ſpecie producit intellectionem actualem concurrente ſpecie in actione Metaphorica, vt ſuprà diximus; Deinde vltimò recipitur intellectio ipſa in ipſomet intellectu poſſibili.

[Rati]ones [...] hac [...] 2. uia Rationes pro hac via, quas adducit Scotus, nunc infra adducentur, cum adducã omnes rationes aduerſariorũ contra primam viam, quàm puto eſſe Scoti.

Ad rationes autem pro prima via reſpondet Scotus, & illa ſoluit; & re vera non cogunt, ſicuti nec cogunt rationes, quas pro hac ſecunda via adducit, vnde illas ſoluit, tamen prima via eſt probabilior: quia cum Ariſt. tribuat actiuitatem intellectui agenti, & paſſiuitatem poſsibili, ſi nulla abſurditas ſequitur, videtur quoque attribuendum eſse ei actiuitatẽ, & productionem intellectionis; Quod autem Scotus magis ad hanc partem declinet, quam ad ſecundam viam, patet ex verbis vltimis iſtius tex. adducti, quæ sũt (*Breuiter ſi non tenetur diſtinctio potentiarum nec re abſoluta, nec relatione reali: ſed tantum, quòd idem abſolutum quodam modo illimitatum eſt principium immediatum multorum actuum, & ſic reſpectu alterius, & alterius, dicetur alia, & alia potentia tunc prima via probabilis videtur.*) Hæc ſunt verba Scoti, quibus apertè dicit, primam viam eſſe probabilem, ſcilicet, quæ tribuit intellectui agenti duplicem actionẽ illam, qua diximus, ſi ſuſtineatur potentias animæ non diſtingui realiter abſolutè, nec re relatiua; At Scotus ſuſtinet potentias diſtingui ſolum formaliter, non realiter abſolutè, neque re relatiua, vt diximus in proprio Theoremate de diſtinctione potentiarum, ergo ſecundum Scotum, prima via eſt magis probabilis. Oſtendam etiam infrà, quod intellectus agens, & poſſibilis diſtinguuntur ſolum formaliter ab inuicem, vt aliæ potentiæ, non realiter; ſuſtinendum eſt ergo, primam viam eſſe probabiliorem. Sed illa eſt adhuc magis declaranda, vt veritas magis innoteſcat, & præſertim declaranda eſt prima actio intellectus agentis, quia illa rectè cognita, multæ dubitationes diluentur. *The. 74.*

Declaratur 1. actio intellect⁹ agentis. Eſt ergo notandum, quod phantaſma exiſtens in phantaſia, eſt ſingulare, & ideo eſt ſolum ſenſibile, & imaginabile, ſiue phantaſiabile, non autem intelligibile, id eſt tunc non poteſt cognoſci ab intellectu, ſed ſolum cognoſcitur à phantaſia, tunc hoc phantaſma proponitur à phantaſia ipſi intellectui, intellectus autem vellet illud phantaſma intelligere, ſed quia eſt ſibi improportionatum, quia eſt ſolum ſenſibile, tunc, & non intelligibile, ipſe intellectus laborat circa illud phantaſma, & abſtrahit rationem aliquam ab eo, ſub qua eſt intelligibile, quæ ratio poſtea dicitur ſpecies intelligibilis, & intellectus ab hac actione dicitur agens (nam intellectus agens, & poſſibilis, ſunt vnus intellectus realiter, ſolum differunt formaliter, vt ſuo loco dicam) hæc ratio ſub qua obiectum, & phantaſma fit intelligibile actu, quæ dicitur ſpecies intelligibilis, non eſt ipſa intellectio, ſed eſt ſpecies, & imago, ſiue idolum obiecti, & phantaſmatis non amplius in eſſe ſingulari, & ſenſibili, ſed in eſſe vniuerſali, & intelligibili, quæ præcedit actum ipſum intellectionis, & ſimul cum intellectu agente in ſecunda operatione producit metaphoricè ipſum actum intelligendi, vt probabo in Theoremate quod datur ſpecies intelligibilis ante ipſam intellectionem, & vt vno verbo dicam, ſpecies eſt conceptus vniuerſalis illius phantaſmatis, adeo quod quot ſunt conceptus vniuerſales illius phantaſmatis, tot ſunt *quid ſit ſpecies intelligibilis.* *The. 79.*

ſunt ſpecies intelligibiles illius phantaſmatis, & obiecti. Seruat autem hunc ordinem intellectus agens in formando illas ſpecies. Primo format ſpeciem, & conceptum minus vniuerſalis, ex illo enim phantaſmate Socratis primo abſtrahit, ſiue format ſpeciem intelligibilem ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſcilicet, conceptum hominis, deinde generis proximi, ſcilicet animalis, & ſic deinceps; & notandum, quòd non abſtrahit primo omnes ſpecies, deinde producit intellectiones: ſed facta abſtractione vnius ſpeciei, vt puta ſpecialiſſimæ, ſtatim intellectus agens ſimul cum illa ſpecie, quæ metaphoricè coagit, vt diximus, producit notitiam actualem illius in intellectu poſſibili: & ideò diximus ſpeciem ſpecialiſſimam eſſe primum cognitum abſolutè in Theoremate de primo cognito, habita cognitione ſpeciei ſpecialiſſimæ abſtrahit ſpeciem vniuerſaliorem ſibi propinquioris, qua habita, ſtatim producit iterum ſimul ipſa ſpecie coagente actione metaphorica, actualem eius intellectionem in intellectu poſſibili, vt dictum eſt, & ſic deinceps. Species ergo intelligibilis eſt conceptus vniuerſalis, ſiue ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſiue generis, qui formatur ab intellectu agente in prima actione, & imprimitur in intellectu poſſibili, qui conceptus non eſt actualis intellectio, ſed generat actualem intellectionem ſimul cum intellectu agente; actualis enim intellectio, ſiue actus intelligendi; non eſt conceptus ipſe, ſed conſideratio, & cognitio, ſiue receptio conceptus, quæ partim oritur ex ipſo conceptu illam exprimente, partim ex intellectu agente; & ideo patet ex hoc, quod neceſſe eſt, quod ſpecies illa intelligibilis præcedat actum intelligendi, quia eſt obiectum intelligibile, ſine quo non poteſt fieri intellectio actualis.

Ordo noſtræ cognitionis

Not. Notandum eſt etiam, quod productio, & formatio illius conceptus, & ſpeciei, non eſt intelligere formaliter: neque ſimiliter productio actualis notitiæ, & conſiderationis illius conceptus, & ſpeciei, eſt intelligere formaliter, ſed receptio illius intellectionis eſt actualis notitia: quia intelligere ſecundum Ariſtotelē formaliter, eſt pati, vt diximus in præcedenti Theoremate reſpondendo ad rationem Zabarellæ, & Piccolominei. Ex his patet, in quodnam agat intellectus agens, & quomodo agat, agit enim per primam actionem in phantaſma, dum ab illo educit ſpeciem intelligibilem, hoc enim eſt depurare phantaſma a conditionibus materialibus, & indiuiduantibus, hoc eſt transferre obiectum, de ordine ſenſibilium in ordinem intelligibiliū, hoc eſt illuſtrare phantaſma, hoc eſt facere abſtractionem: hæc enim omnia idem ſignificant, agit quoque in intellectum poſſibilem, dum imprimit illum conceptum, & ſpeciem in eo; in ſecunda actione agit etiam in intellectum poſſibilem, dum producit intellectionem in intellectu poſſibili, & illum perficit; & ſic eſt dicendum, quòd intellectus agens, agit in phantaſma, & in intellectum poſſibilem: non ergo agit ſolum in phātaſma, vt aliqui volunt, vel ſolum in intellectum poſſibilem, vt alij, quorum opiniones infra adducemus, & reijciemus: ſed agit in vtrumque. Hæc opinio fuit Auerrois, & Scotus ex eo illam deſumpſit; nam licet Auerroes ſit varius in ſuis dictis, patet tamen eum hanc duplicē actionem tribuiſſe intellectui agenti, motus authoritatibus Ariſt. nam Ariſtot. 3. de Anima textu 18. declarans officium intellectus agentis, ait ipſum eſſe ſicut lumen, nam ſicut lumen facit potentia colores, actu colores, ita intellectus agens, facit potentia intelligibilia, actu intelligibilia: in decimoſeptimo verò textu, ex eo, quod datur intellectus poſſibilis, probat dari intellectum agentem, hac ratione: quia omni patienti reſpondet aliquod agens; ex quo patet Ariſtotelem velle, quod detur intellectus agens, vt agat in intellectum poſſibilem; ſed quidquid ſit de Auerroe, ſatis eſt quod hæc opinio eſt probabilior alijs. Hanc eandem ſententiam ſequitur Piccolomin. libro primo de Humana mēte, cap. 7. ductus præſertim ea ratione, quòd Ariſtoteles comparat intellectum agentem, arti, habitui, naturæ, ſed iſta verè agunt id, quod principale eſt, hoc autem eſt intelligere, ergo agens producit intelligere.

Auerrois opin.

Allata opinio probatur ex Ariſt. 1. locus.

Ex his

uo … t bu io. Ex his etiam patet ſolutio alterius dubitationis, quæ eſt: In quo loco intellectus agens facit hanc depurationem phantaſmatis, an ſcilicet in phantaſia, vel potius in intellectu poſſibili. Ex dictis enim patet, vt notat apertè Scotus in præadducta quęſtione, quodlibet. ad N. quòd intellecţus agens, facit hanc depurationem circa phantaſma, dum eſt in phantaſia: quia phantaſia eſt locus phantaſmatum, non autem intellectus poſſibilis, vnde id, quod recipitur in intellectu poſſibili, non eſt phantaſma, ſed quidditas, & ſpecies intelligibilis, ſiue conceptus ille vniuerſalis formatus ab intellectu agente, & phãtaſmate, per quem obiectum & phantaſma fit intelligibile actu, vt dictum eſt, & ideo phantaſma non recipitur in intellectu, & ideò in intellectu poſſibili non poteſt fieri depuratio iſta, ſed fit, vt dictum eſt, in phantaſia.

Ratio es p ac o in. Hæc eſt verior ſentẽtia de munere intellectus agentis, quæ ex ſolutione obiectionum in contrarium, & ex confutatione aliarum opinionum, quæ ab ea diſcrepant, comprobabitur, & ex dicendis, magis manifeſtabitur; Pro prima quidem actione intellectus agentis, faciunt omnes rationes, quibus probatur dari ſpecies intelligibiles impreſſas, de quibus infrà ſuo loco tractabimus; pro ſecũda operatione verò faciunt rationes, quas ſuprà pro hac ſententia adduximus.

Adducuntur rationes in contrarium, & ſoluuntur. Cap. III.

Ratio nes cõ trar. opera tionẽ intel lectus agen tis. Contra ea quæ dicta ſunt in præcedenti cap. de operationibus intellectus agentis, ſunt variæ difficultates: ſed ea quæ adducuntur contra primã actionem, examinabuntur in Theoremate, quod datur ſpecies intelligibilis impreſſa; Contra ſecundam operationem quoque non deſunt obiectiones: plurimi enim ſunt, qui exiſtimant producere intellectionem, eſſe munus intellectus poſſibilis, non autem intellectus agentis.

1. rõ. Primò, Scotus arguit ſic. Si intellectus agens eſt qui producit intellectionem, ſequitur quod in quacumque potẽtia, quæ ponitur agere, & recipere propriam operationem, oportebit dari potentiam agentem diſtinctam à poſſibili: quod tamen eſt falſum, vt patet in ſenſitiua potentia; quia non datur ſenſus agens diſtinctus à patiente. Similiter oportebit diſtinguere voluntatem in agentẽ, & patientẽ: quia voluntas producit volitionem ſuam, & illam recipit, quod conſequens tamen eſt abſurdum.

Secundò, ex Ariſtotele 3. de Anima, tex. decimonono, vbi ait, quod intellectus agens eſt ſicut lumen, vbi vult Commentator, quod ſicut lumen facit quodammodo potentia colorem, actu colorem: ſic intellectus agens, facit de potentia intelligibili, actu intelligibile; ex hoc habetur, quod actio intellectus agentis, terminatur ad obiectum actu intelligibile, ſcilicet ad primam actionem, qua abſtrahit ſpeciem: non ergo habet ſecundam actionem, quæ eſt productio intellectionis. 2.

Confirmatur ex 3. de Anima, tex. 18. vbi vult Commentator, quod ſi res haberent eſſe eo modo, quo poſuit Plato, non oporteret ponere intellectum agentem. Ex hoc deducitur, ergo non ponitur intellectus agens, niſi vt per ipſum obiectum, quod eſt ſenſibile, & potentia vniuerſale, fiat actu vniuerſale; hæc autem actio præcedit productionem actualis intellectionis, ergo non ponitur intellectus agẽs propter ſecundam actionem, ſed ſolum propter primam. Confirm.

Tertiò. Secundum Commentatorem, intellectus agens ponitur, vt per ipſum transferatur obiectum de ordine in ordinem, ſcilicet, de ordine ſenſibilium, in ordinem intelligibilium; hoc fit in prima actione, ergo, Secunda actio non competit intellectui agenti. 3.

Quarto arguit Mercenarius in ſuis Dilucidationibus. Si intellectus agens eſſet productiuus intellectionis, intellectio non eſſet actio immanens, quod eſt contra Philoſophum nono Metaphyſic. textu 16. Conſequentia probatur: quia vt ait Philoſophus in loco citato: actio immanens eſt, quæ non tranſit in aliud, ſed manet in agente: & in hoc diſtinguitur ab actione tranſeunte: Iam verò, ſi intelligere producitur ab intellectu agente, 4. Mercen.

agente, & recipitur in intellectu poſſibili, ergo erit tranſiens, non immanens.

5. Zab. Zabarella libro de Mente agente, capite, 7. ita arguit; Intellectio eſt iudicatio obiecti, ſicut intelligere eſt iudicare: ſed intellectus agens non iudicat, ſed ſolum iungitur phantaſmati, & illud illuminat, ac reddit aptum ad producendam ſpeciem in intellectum poſſibilem, vt dicemus, dum opinionem Zabarellæ recenſebimus; intellectus autem poſſibilis eſt, qui iudicat, ergo intellectus agens non producit intellectionem, & ſic definit ei ſecunda actio.

Picc. Quo in loco eſt notandum, quòd Piccolomineus libro primo de Humana mẽte, cap. 7. non refert rectè opinionem Scoti, patet enim ex dictis, quòd quo ad productionem intellectionis, Scotus eſt problematicus, & ait poſſe ſuſtineri tam intellectum agentem, quàm poſſibilem illam producere, magis autem declinat ad primam partem, vt oſtendimus, non ergo dicit Scotus, quòd intellectus agens præſtantiori modo concurrat ad intellectionem, quàm poſſibilis: ſed ait, ſolum agentem illam intellectionem producere cũ ſpecie intelligibili; Rationes quas ibi adducit contra ſententiam Scoti, non pertinent ad hunc locum, ſed ſuo loco examinabuntur.

Ad tres primas rõnes Scot᷒ reſp. Ad illas tres primas rationes reſpondet Scotus vnica reſponſione; omnes enim concludunt, intellectum agentem dari propter primam operationem, quod eſt verum, quoniam enim intellectus nõ habet obiectum ſibi de ſe proportionatũ, oportuit, quòd natura tribueret animæ intellectiuæ vim quandam, qua ſibi prępararet obiectum, ideo, propter primam operationem neceſſe fuit ponere intellectum agentem in anima intellectiua: & quoniam omnis alia potentia habet obiectum proprium, neque opus eſt quòd ſibi illud formet, ideò nõ eſt neceſſe quòd alię potentiæ, vt ſenſus, & voluntas, habeant ſenſum agentem, vel voluntatem agentem diſtinctam à paſſiua potentia, quia illæ habent obiectum proportionatum à natura; propter ſecundam operationem autem, non datur præcipuè intellectus agens, quia potentia paſſiua poteſt illum habere, tamen cum natura dederit animæ rationali intellectum agentem diſtinctum a poſſibili, & Ariſtoteles tribuat omnem actiuitatem intellectui agenti, vt oſtendimus per rationes adductas, cum etiam hoc ſit valde probabile, dicimus ſecundam actionem competere quoque ipſi intellectui. Ad quartam, quæ eſt Mercenarij, reſpondetur, quòd contra nos non concludit, qui ſuſtinemus, quod intellectus agens, & poſſibilis, ſunt vnamet ſubſtantia, & quod ſolum diſtinguuntur formaliter: ideo intellectio licet producatur ab intellectu agente, & recipiatur in poſſibili, non tamen propter hoc tranſit in aliud: quia intellectus poſſibilis, non eſt aliud ſubiectum ab agente, ſed idem realiter, ſolum diſtinctum formaliter. Ad quintam iam ſæpius ſuprà dictum eſt, quòd falſa eſt illa propoſitio: quòd intelligere ſit iudicare, loquendo formaliter, ſuper quam fundatur tota ratio. Neque Ariſt. in 9. Metaph. tex. 16. dicit, quòd intelligere ſit actio, & iuditium, vt volunt Mercenarius, & alij, ſolum ait, quod intelligere eſt actio immanens; & ponit diſcrimen inter actionem immanentem, & trãſeuntem. Quando deinde dicit, intellectum agẽtem nil aliud efficere, niſi quod iungitur phantaſmati, ut lumen; Primo dico, quod falſum eſt, quod intellectus agens, habeat ſolum illam actionem, illud enim pertinet ad primam actionem: nos autem dicimus, quòd vltra illam primam actionem habet hanc ſecundam. Secundo dico, quòd falſum eſt, quod intellectus agens, iungatur phantaſmati eo modo, quo dicit Zabarella, vt nunc infrà patebit, dum eiuſdem Zabarellæ opinionem conſiderabimus.

Ad [4.]

Ad [5.]

Exponuntur aliorum opiniones de muneribus intellectus agentis, & reijciuntur. Cap. IV.

DE propoſito munere intellectus agẽtis variæ ſunt ſententiæ, & vario modo explicatæ, ita, vt longum ſit, omnium, & ſingulorum opiniones explicare: tamẽ vt videtur, ad quattuor capita reduci poſſunt. Aliqui dicunt, quòd agit in phantaſma ſolum; alij, in intellectum poſſibilem ſolum;

4. c[apita] opin[ionum]

ſolum;alij,in vtrumque;alij dicunt,intellectum agentem intelligere formaliter. In primo capite ſunt multi modi dicendi. Ioann. Bacchonus in prologo 1. Sent. quæſt.2.art.2.& 3.tenet,quòd intellectus agens requiratur ſolum propter phantaſma, & quòd eius munus ſit ſolum illuminare phantaſma, & nullo modo vult, quod requiratur propter intellectum poſſibilem, & conſequenter, quòd non agat in illum. Modus autē eius poſitionis eſt: non vult quòd intellectus agens, in hac operatione quam habet circa phantaſma,abſtrahat ſpeciem intelligibilem impreſſam diſtinctam ab intellectione, hāc enim penitus negat: ſed vult,quod tātum ſua præſentia faciat phantaſma intelligibile:nam ſecundum eum, phantaſma eſt intelligibile in ſe,per propriam quidditatem: quia claudit in ſe quidditatem rei materialis,ſed quia eſt inuoluta conditionibus materialibus, non poteſt intelligi ab intellectu poſſibili:adueniente autem lumine intellectus agentis, denudatur illis conditionibus materialibus, & remanet clara quidditas rei materialis, & ſic phātaſma per ſeipſum,& per propriā formam,abſque vllo alio auxilio intelligitur ab intellectu poſſibili;quod declarat exēplo. Color eſt per ſe,& per propriam formam viſibilis,ſed dum eſt in tenebris, nō poteſt videri actu, adueniente autem lumine actu videtur color, & videtur quidem per propriam formam: quia color per ſe eſt viſibilis; ita phantaſma per ſe eſt propriè intelligibile, tamen cum eſt inuolutum conditionibus materialibus, actu intelligi non poteſt, adueniente autem lumine intellectus agentis,illuminatur, & tunc intelligibile eſt per propriam formam,& quidditatem abſque vlla ſpecie intelligibili.

Opin. Caie. Thom. Caiet. p.p.q.79.art. 3.in Commentario, tenet intellectum agentem requiri, & propter phantaſma, & propter intellectum poſſibilem: tamen in eadem p.p.q.85.art.1.ad quartum, declarando quomodo intellectus agens agat in phantaſma, ſequitur ſententiam Bacchoni, licet in reliquis poſtea diſcrepet,& quò ad modum agendi in phantaſma.Hi omnes volunt, quod intellectus agens, agat in phantaſma, non actione poſitiua, neque actione negatiua: quia nihil imprimit, & nihil remouet à phantaſmate,ſed ſola aſſiſtentia illuminat phantaſma.

Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, tenet intellectum agentem requiri præcisè propter obiectum, vt illud transferat de ordine in ordinem; ſed tamen quo ad modum explicandi,diſcrepat,vt infra patebit. *Opin. Mercen.*

2. opinio. Quidam alij Latini his proximè accedunt,qui dicunt,operationem intellectus agentis, eſſe agere,& operari circa phantaſmata, non actione poſitiua, ſed priuatiua, non aliud poſitiuum imprimendo eis, ſed ſolum ſecernendo ab eis quidditates,& ſpecies, & relinquendo conditiones materiales, & indiuiduantes; & addunt intellectum agentem poſtea offerre illam ſpeciem intellectui poſſibili, qui illam recipit,& cum ea intellectionem producit.

3. opinio. Tertio loco ſunt multi Alexandrei,qui dicunt, intellectum agentem agere in phantaſmata, & illis imprimere aliquid poſitiuum,nempè,formam quandam ſpiritualem,qua poſſint illa phantaſmata agere in intellectum poſſibilem;Quàm opinionem aſcribit Franc. Piccolom. Alexand. lib.5.de Humana mente, cap. 6. & huic opinioni proximè accedit Zabar. libro de Mente,cap.4. Etenim, licet enixè tueatur intellectum agentem non agere in phantaſmata,ſed in intellectum poſſibilem, attamen dicit eo in loco, intellectum agentem iungi phantaſmatibus vt forma conſtituens obiectum motiuum intellectus patibilis; & declarando magis ſuam poſitionem,ait,quod intellectus agens, agit vt eſt habitus, & forma phantaſmatum,ita,quod ex intellectu agente, & phantaſmate,conſtituitur vnum obiectum potens producere in intellectū poſſibilem,intellectionem ipſam, quam ipſe appellat ſpeciem intelligibilem. Ex his patet, quod ſecundum Zabarellam, intellectus agens operatur quoque circa phantaſma aliquid imprimendo ei:ſi quidem facit ipſum phantaſma actu intelligibile,inhærendo ei,vt habitus,& forma. Inſuper etiam dicit, ipſum intellectum agentem agere in patibilem,quia eſt forma phan-

ma phantaſmatis,quod mouet intellectũ patibilem,qui poſtea motus ab hoc obiecto, facit abſtractionem, & intelligit actu: non vult autem, quod intellectus agens,neque hoc totum,producat intellectionem,ſed vult,quod ſit intellectus poſſibilis.

Reijciun-tur. 1. ca, opin. Verum iſtæ opiniones nullo modo sũt ſuſtinendæ. Quo ad illud quòd dicunt intellectum agentem agere in phantaſma,dicunt verum: & hoc probatur per rationes,quas illi adducunt:ſed ſunt poſtea falſæ,quia negant intellectum agentem agere in intellectum poſſibilem, ſcilicet producere intellectionem in intellectum posſibilem, ſunt etiam falſæ, quo ad modum explicandi operationem intellectus agentis; & prima quidem opinio, quæ eſt Bacchoni, Caietani, & aliorum, deficit. *1. rõ.* Primò, quia vt inquit Mercenarius, quod aliquid ſit verè agens, & nihil agat,animo conſequi minimè poteſt,implicat enim cõtradictionem, agens enim ab actione denominatur: quod ſi non agit, non video quomodo verè agens dici poſſit: & dicere, eſt agens, ſed non agit, perinde eſt, ac ſi dicamus, agens, non eſt agens. 2. Secundò,nihil poteſt extrahere aliquid de potentia ad actum,niſi mediante actione, nam iſtud facere de potentia intelligibili,actu intelligibile,eſt agere,& ſic illa factio obiecti in eſſe intelligibili, eſt actio, & conſequenter intellectus agens, eſt vere agens actione illa, & actio illa eſt in phantaſmata. Tertiò, iſta illu- 3. ſtratio penitus fictitia videtur: quomodo enim intellectus agens, ſua præſentia illuminet phantaſmata nihil agendo,non eſt intelligibile,neque enim intellectus agens, eſt quædam lucerna in anima noſtra, quæ illuminet phantaſmata, vt lumen coloris,vt iſti imaginari videntur: ſi enim eſſet tale lumen, cum ſit agens naturale, eodem modo, & in omnibus ætatibus illuminaret, & ſic tam puer, quàm vir ſapiens poſſet facere abſtractionem: at videmus, quod non niſi ſapientes ſciũt facere huiuſmodi abſtractiones, ergo intellectus agens eſt virtus actiua, quæ quotidiè agendo perficitur, & magis fit apta abſtrahere quotidie per ſtudium; & licet Ariſt. dixerit, intellectum agentem eſſe vti lumen,& lumen nihil poſitiui producat in coloribus ſecundum eſſentiam, non tamen propter hoc ſequitur, quòd velit aſſerere, quòd intellectus agens nihil agat in phantaſma, quia lumen quoque agi aliquid ſpirituale circa colores, quia iungitur illis, vt actus, & forma, & ſic illos colores facit viſibiles actu, qui prius erant viſibiles ſolum potentia;lumẽ etiam agit in medium, repellendo tenebras;agit ergo lumen circa colores aliquo modo. Præterea,comparauit intellectum agentem nedum lumini,ſed arti, naturæ, & habitui; modo iſta ſunt actiua, & efficiunt verè;ergo & intellectus agens comparatur lumini: quia ſicut lumen efficit colores potentia viſibiles, actu viſibiles, ita intellectus agens,facit phantaſma potentia viſibile, actu viſibile; exempla autem nunquam currũt quattuor pedibus, quia tunc non eſſent exempla, ſed res eadem.

Secunda opinio,quæ dicit intellectum *2. opin. reijc.* agentem agere in phantaſma,ſed actione negatiua, ſcilicet, ſecernendo quidditatem à conditionibus materialibus,nõ eſt approbanda:quia vt optimè inquit Mer- *1. rõ.* cenarius,hæc non ſatisfacit quęſtioni propoſitæ de modo operandi intellectus agẽtis: nam tunc adhuc quærimus, quomodo intellectus agens ſecernat quidditatẽ à conditionibus materialibus, de hoc enim eſt tota quæſtio. Præterea, errant,di- *2. rõ.* cendo intellectum agentem agere ſolum actione priuatiua,non poſitiua: quia omnis actio priuatiua, præſupponit poſitiuam; priuatio enim ſemper ſupponit poſitiuum;& hæc propoſitio alibi eſt probata. Præterea,in materia de ſpeciebus intel- *3.* ligibilibus probatur intellectum eſſe agẽtem actione poſitiua,& ex dictis ſuperius quoque patet,quia intellectus agens non eſſet verè agens, niſi haberet aliquam actionem poſitiuam.

Tertia opinio, quæ eſt Zabarellæ, eſt quoque falſa. Primò, quia concedit qui- *3. opinio reijc.* dem intellectum agere in phantaſma, licet in verbis diſcrepet,agit enim iungendo ſe illi phantaſmati, vt actus, & forma, vti ille dicebat: ſed modus iſte eſt impoſſibilis, ideo ſic arguo: Intellectus agens ſi *1. rõ.* iungitur phantaſmati, vt actus, & forma,vel.

ma, vel iungitur illi ſecundum ſubſtantiam, vel iungitur ſecundum accidens, id eſt, per aliquam qualitatem productam in phantaſma: non ſecundum, quia tunc intellectus agẽs, faceret phantaſma intelligibile actu, non per ſe, ſed per accidens: ſicuti candela illuminans cameram per lumen ſuum dicitur illuminare camerã per accidens, non per ſe: ita ſi ſubſtantia intellectus agentis non eſt actus, & forma phantaſmatis, per quam phantaſma eſt actu intelligibile; ſed pro tanto dicitur intellectus agens eſſe actus, & forma phantaſmatis, quia producit qualitatem in phantaſma, per quàm phantaſma eſt actu intelligibile, ſequitur clarè, quod intellectus agens, erit cauſa per accidens, quòd phantaſma actu ſit intelligibile. Si verò dicatur, quòd intellectus agens ſit actus, & forma phantaſmatis per ſubſtãtiam ſuam, eſt impoſſibile: quia intellectus agens ſecundum iſtos, eſt Deus, & prima intelligentia, quæ nullius rei mortalis poteſt eſſe actus, & forma; eſt enim certum, quòd actus immaterialis ſecundum ſubſtantiam, non poteſt eſse actus rei materialis, & maximè prima ſubſtantia, quæ eſt Deus. Præterea vult, quod ex phantaſmate, & intellectu agente, conſtituatur vnum obiectum per ſe intelligibile: at ex ſubſtantia ęterna, & mortali, non poteſt conſtitui vnũ per ſe, quia ſubſtantia æterna nulli eſt componibilis, vt patet de ſe.

alior. Alexãd. opin. reijcitur

Opinio etiam aliorum Alexandræorũ, qui dicunt intellectum agẽtem imprimere virtutem quandam in phantaſma, reijcitur optimè à Mercenario: quia ſi intellectus agens imprimit aliquid in phantaſma, vel illud eſt aliquid materiale, vel aliquid immateriale: ſi eſt materiale, ergo per illud non poterit phantaſma eleuari ad gradum immaterialem, & fieri actu intelligibile: ſi eſt immateriale, ergo in phantaſmate materiali eſſet aliquod immateriale, quòd dici non poteſt: quia materiale non eſt ſubiectum immaterialis, & abſtracti.

Præterea, & fortius quæro, quomodo intellectus agens producat hãc virtutem poſitiuam in phantaſma, vel enim illam producit per motum, & mutationem; & hoc eſt inconueniens, quia Deus, qui ſecundum iſtos eſt intellectus agens, non agit hoc modo, ſed per ſolam emanationem; Sed neque poteſt agere, & producere iſtam virtutem in phantaſma per emanationem, quia Deus non agit in res mortales immediatè, ſed ſolum per cauſas ſecundas: oporteret ergo, quod intellectus agens produceret in phantaſma hanc virtutem mediantibus alijs cauſis, quod eſt falſum: quia hæc actio, & illuminatio, tribuitur illi immediatè, & ſibijpſi, non alijs cum eo.

Iſtæ rationes valent quoque cõtra Zabarellam, ſi dicat intellectum agentem eſse actum phantaſmatis, non ſecũdum ſubſtãtiam ſuam, ſed ſecundum aliquam qualitatem productam.

2. ca. opin.

Secundum caput opinionum, eſt eorũ, qui dicunt intellectum agentem requiri ſolum propter intellectum poſſibilem: & eius munus eſſe ſolum agere in intellectum poſsibilem, producendo in eo intellectionem ipſam; non vult autem, quòd intellectus agens agat in phantaſma abſtrahẽdo ſpeciem intellegibilem ex eo, ſiuè illud illuminando, vt alij dicunt, ſed dicunt, quòd phantaſma de ſe eſt ſufficiens ad producendum ſpeciem intelligibilem abſque intellectu agente; & hanc ſententiam ſequitur expreſsè Gandauenſis tertio de Anima, quæſtione 23. & 24. *Gãd. reijc.*

Conſiderando ſolum hoc, quod dicit operationem intellectus agentis eſſe producere actum intelligendi, dico, quòd eſt vera: ſed eſt falſa in eo, quod negat intellectum agentem operari in phantaſma, vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus, & probatur adhuc: quia dixit Ariſtoteles textu 18. 3. de Anima, intellectum agentem facere potentia intelligibilia, actu intelligibilia, ſicuti lumen facit colores potentia viſibiles; actu viſibiles; Rationes, quæ pro hac opinione adducuntur, concludunt, quòd intellectus agens agit in intellectum paſſibilem, ſed non negatur, ipſum agere quoque in phantaſma. *1. rõ.*

3. ca. opin.

Tertium cap. opinionum, eſt eorũ, qui dicunt intellectum agentem agere in phantaſma, & in intellectum paſſibilem,

& hanc ſententiam ſequuntur Auerroes, D.Thom.Scotus,& alij,ſed differunt po‑ſtea ab inuicem.

D.T. D.Thom.prima parte,quæſt.79.art.3. & 4.& in Quæſtionibus diſputatis,de ſpiritualibus creaturis,art.16. & de Anima art.4.& 5. quibus in locis de hac re fuſiſſime loquitur, aſſerit intellectus agentis neceſſitatem eſſe ex parte obiecti, quia cum apud Ariſt. formæ rerum materialium per ſe non ſubſiſtant, ſed ſolum in materia exiſtant,& quòd exiſtit in materia,non ſit per ſe intelligibile actu,ſed ſolum potentia, nos non poſſemus intelligere formas rerum ſenſibilium, & materialium, niſi ex parte intellectus daretur aliqua virtus, quæ faceret intelligibilia potentia intelligibilia in actu, per abſtractionem ſpecierum à conditionibus materialibus.Ex qua opinione videtur,quòd mens D. Thomæ fuerit,quòd intellectus agens agat ſolum in phantaſma; & ideo hanc opinionem tribuit D. Thomæ Zabarella libro de Mente agente, cap. 2.tamen veritas eſt, quod D. Thomas voluit quoque intellectum agentem agere in intellectum poſſibilem; nam, vt patet, vult, quòd munus intellectus agentis, propter quod neceſſe eſt eum dari, ſit abſtrahere ſpeciem intelligibilem: modo, dum abſtrahit ſpeciem intelligibilem, etiam illam imprimit intellectui poſſibili, per quam ſit in actu, & potens producere intellectionem ſecundum eum; adeo quòd intellectus agens ſecundum D.Th. agit in phantaſma,ex illo abſtrahẽdo ſpeciem intelligibilem: agit verò in intellectum poſſibilem, imprimendo in eo ſpeciem; Et hæc eſt mens omnium Thomiſtarum,vt videre eſt apud Iauellum in 3. de Anima, in tract. de intellect. agen.

Cai. Thom.Caiet.etiam in 1.parte,quæſt. 79. artic.3.in Comm. ait contra Durandum, intellectum agentem eſſe neceſſarium,& propter phantaſma, & propter intellectum poſſibilem.

Diſc. inter D.T. & Scot. Hæc opinio ſolum à noſtra opinione Scotica diſcrepat: quia ponit,quòd ſpecies intelligibilis ſit actus intellectus poſſibilis, de quo diſputauimus in Theoremate De Cauſis producentibus intellectionem;& illam reiecimus: diſcrepat etiam: quia negat intellectum agentẽ producere intellectionem,ſed vult poſſibilem: circa quod in præcedenti cap. oſtẽdimus Scotum eſſe problematicum, tamen magis declinare ad eam partẽ,quòd intellectus agens ſit ille,qui producat intellectionem;& hanc ſententiam ſatis cõfirmauimus.

Auer. Auerroes varius videtur in hac re, tamen videtur aſſeruiſſe intellectum agentem agere, & in phantaſma, & in intellectum poſſibilem: in phantaſma,quia ipſum transfert de ordine in ordinem; in intellectum poſſibilem, quia ait, quòd intellectus agens eſt forma, & actus intellectus poſſibilis, & propterea vult, quod ſit neceſſarius propter perfectionem intellectus poſſibilis,quæ opinio Auerrois in eo eſt falſa, quòd iudicauit intellectum agentem, & intellectum poſſibilem differre realiter; in quo eius opinioné reiecimus in Theoremate proprio, quòd intellectus agens, & poſſibilis ſint differentiæ animæ noſtræ. Scotus verò,vt ſuprà retulimus, ſuſtinet intellectum agentem habere duas actiones; Prima eſt in phantaſma,abſtrahendo ſpeciem; Secũda eſt in intellectum poſſibilem, producendo in eum intellectionem, quæ abundè ſuperius probata eſt.

4. ca. opin. Quartum Caput opinionum, eſt eorũ, qui putant intellectum agentem formaliter intelligere, vt ſunt Mercenarius, in ſuis Dilucidationibus loquendo de munere intellectus agẽtis; & Piccolomineus, libro 1. de Humana mente,cap. 8. iſti tenent, intellectum agentem,& poſſibilem eſſe vnum, & idem eſſentia, & realiter, ſolum differre ratione, & quatenus agit, dicitur agens, quatenus patitur, dicitur poſſibilis; dicunt ergo, quòd intellectus agens agit in phantaſma actione immanente,ſcilicet iudicando phantaſma,quę actio in phantaſma, nil aliud eſt, niſi apprehenſio quidditatis in phãtaſmate derelictis conditionibus materialibus; Phantaſia enim offeret phantaſma ipſi intellectui, quod quidem includit quidditatẽ, ſed inuolutam conditionibus materialibus,intellectus autem apprehendit quidditatem non apprehendendo illas conditiones materiales: & hoc modo intellectus agens, dicitur abſtrahere à conditionibus materialibus formã, & quiddita-

tem:

tem: abſtractio enim mentalis eſt intelligere vnum ſine alio, vt docet Ariſtot. 11. Metaph. c.3.vbi ait Mathematicum derelictis alijs, ſolum conſiderare quantum; Sicuti enim ſenſus videns lac, apprehendit albedinem, quæ ſui iuris eſt, derelinquendo dulcedinem, quæ non eſt ſui iuris: ita intellectus contemplando phantaſma, cognoſcit quidditatem, quæ ſui iuris eſt, & derelinquit conditiones materiales, quæ non ſunt ſui iuris; & hoc modo dicitur intellectus agens, facere de potentia intelligibili, actu intelligibile; ſic dicitur illuminare phantaſma, & transferre phantaſma de ordine, in ordinem. Ex hoc deducunt, quod intellectus poſſibilis, & agens, ſunt vnuſmet intellectus quo ad eſſentiam, & quo ad fundamentum, ſed differunt ratione: ſecundum enim quòd diuerſa munera ſubit, diuerſa quoque nomina ſortitur: Quatenus intellectus eſt rudis, & denudatus ab omni intelligibili, dicitur poſſibilis, & quatenus patitur ab obiecto, dicitur etiam poſſibilis, quatenus recipit intellectionem: ſed quatenus intelligit in phantaſmate quidditatem, & formam, non intelligendo conditiones materiales, dicitur intellectus agens; Et hinc etiam deducitur, quòd intellectus agens eſt qui intelligit, non autem poſſibilis: quia abſtrahere vnum ab altero, & intelligere quidditatem ſine materialibus conditionibus, eſt producere actum intelligendi, & intelligere formaliter; & licet dicat Ariſt. 3. de Anima, tex. 2. quòd intelligere eſt pati, dicunt hoc non eſſe intelligendum formaliter, ſed debet intelligi concomitanter, quoniam cum intellectus intelligit, patitur ab obiecto, & perficitur.

Reijc. Zim. Hinc reijciunt diſtinctionem Zimaræ Theoremate 99. dicentis duas eſſe abſtractiones; Vnam intellectus agentis abſtrahentis ſpeciem intelligibilem, & hanc eſſe ſine cognitione; Alterā intellectus poſſibilis, quæ eſt cum cognitione, & reijciūt ſic; Omnis abſtractio eſt apprehenſio vnius, alio derelicto, quę non poteſt fieri ſine cognitione. Cum ergo hæc abſtractio fiat ab intellectu agente, & ſit cum cognitione, dicendum eſt quòd intellectus agētis munus eſt intelligere, non poſſibilis. *Picc. & Mer.* Hæc opinio eſt Mercenarij in ſuis Dilucidationibus, & Piccolominei lib. 1. de Mēte humana, cap. 7. & 8. Pro hac opinione *Rōnes ꝓ hac opin.* faciunt omnes rationes quas ſuprà adduximus ad probandum intellectum agentem eſſe verè actiuum, & faciunt quò ad illud, quod hæc opinio tribuit intellectui agenti actionem circa phantaſma, & circa intellectum poſſibilem, & quo ad hoc admittitur: quò ad modum autem, quo declarat hanc actionem, facit illa ratio, quòd abſtractio omnis mentalis eſt, intelligere vnum ſine altero, vt probatur ex Ariſt. 11. Metaph. cap. 3. & alibi; Cum ergo intellectus agens faciat abſtractionē, quia illuminat, & facit potentia intelligibile, actu intelligibile, ſecundum omnes, ſequitur, quòd munus intellectus agentis ſit intelligere, & producere actum intelligēdi; quatenus autem patitur ab obiecto, & recipit intellectionem ipſam, dicitur poſſibilis, & pati, quæ paſſio eſt concomitans actū intelligendi, non autem intelligere formaliter: Confirmatur: quia intelligere eſt iudicare; ſed dum intellectus agens abſtrahit a phantaſmate, iudiçat illud; quia dicere, quod abſtrahit quidditatem, & illam non intelligat, neque intelligat ſe intelligere, eſt figmentum, non enim eſt intelligere, quod aliqua virtus cognoſcitiua agat, & non cognoſcat ſe agere.

Hæc opinio in tribus deficit. Primò, *Reijcitur.* quia negat intellectum agentem producere ſpecies intelligibiles impreſſas, quas tamen dari ſuo loco probabimus; Deficit ſecundò, declarando modum abſtrahen- *reijc. quo ad modum 1. rō.* di, & operandi intellectus agentis, nam intellectus agens dum ſpeculatur phantaſma, non ſeparat quidditatem à conditionibus materialibus, vt iſti dicunt: non enim ante operationem intellectus agentis in phantaſmate, eſt quidditas vniuerſalis, ſed eſt ſolum ſingulare, & quidditas particularis: quidditas enim vniuerſalis eſt in pluribus, non in vno ſolo; humanitas ergo, quæ eſt in Socrate nō eſt quidditas vniuerſalis, ſed particularis; quod *2. rō.* confirmatur: quia vniuerſalis fit ab intellectu, vt etiam ipſi fatentur; non ergo in phantaſmate reperiuntur quidditas, & ſingularitas, quaſi duæ res diuerſę, ita, quòd intellectus dum contemplatur phātaſma, poſſit vnum intelligere, & aliud

 relin-

relinquere; ſed omne, quod eſt in phantaſmate eſt ſingulare, & in hoc communiter decepti ſunt ſectatores iſtius opinionis, & multi alij; Sed intellectus agens eſt, qui format conceptum, & ſpeciem correſpondentem quidditati, & naturæ vniuerſali ſpecificæ, & genericæ, vt diximus in materia de primo cognito, & ſuperius in 2.c.huius Theorematis, & ideo intellectus formando cōceptum ſpecificum ex illo phantaſmate, intelligit poſtea illummet conceptum, & illud ſingulare ſub illo conceptu, & ſpecie, & ſic illud phantaſma, quod prius erat ſolum potentia intelligibile, fit actu intelligibile, per illum cōceptum, & ſpeciē formatā ab intellectu.

The. 83.

Errat tertio iſta opinio; quia aſſerit intelligere formaliter, eſſe agere, quòd tamē eſt cōtra Ariſt. 3. de Anima, tex. 2. vbi pertè ait, quòd intelligere eſt pati; Nec valet reſponſio Mercenarij, quod hoc intelligitur non formaliter, ſed concomitanter: quoniam Ariſt. ibi declarat quid ſit intelligere: & dicit, quòd eſt ſicut ſentire, & quod communiter eſt pati, vel aliquod huiuſmodi, nullibi autem dicit Ariſt. quòd intelligere ſit agere; & confirmatur: quia text. 12. eiuſdem 3. de Anima, mouet dubitationem contra determinata ſuperius, & dubitatio eſt hæc. Dictum eſt, quod intellectus eſt ſimplex, & immixtus rebus materialibus, & quod eſt impaſſibilis: quia nō corrumpitur ab intelligibili; Dictum eſt etiam, quòd intelligere eſt pati aliquid, quomodo ergo poterit intellectus intelligere ſi eſt impaſſibilis? & reſpondet tex. 14. quòd paſſio eſt duplex, alia corruptiua, alia perfectiua; & ait, quod intelligere eſt paſſio perfectiua, non corruptiua, & quod ideo intellectus poteſt intelligere; ecce, quod Ariſtotel. apertè ait, intellectionem eſſe paſſionem, non actionem.

Qđ intelligere nō ſit agere reſp. Mercenarij. 1. rō.

2. rō. Præterea tex. 3. 4. 6. & denique, vſque ad 17. tex. Ariſt. apertè dicit, intellectum poſſibilem eſſe eum, qui intelligit, non agentem; de agente verò loquens, dicit, quòd eius munus eſt perficere intellectū poſſibilem, & illuminare phantaſmata, non ait autem, quod eius munus ſit intelligere; Nec valet dicere, quod intellectus agens, & poſſibilis, ſit ſub vna ſubſtantia, quæ intelligit, quæ ſecundum diuerſa munera dicitur agens, & poſſibilis: quoniam licet hoc eſſet verum, (nam, vt infra dicemus, diſtinguuntur formaliter) tamen Ariſtoteles aſſerit intellectum intelligere, non vt eſt agens, ſed vt eſt patiens, & intelligere ait eſſe pati, non agere; non ergo dicere debemus, quod intellectus intelligat vt agens, & non vt poſſibilis. Ex his omnibus patet, quòd licet ad intelligere concurrat actio, & productio intellectionis: tamen ipſa actio, & productio intellectionis, non eſt intelligere formaliter, ſed vt ita dicam cauſatiuè: ipſa verò paſſio, & receptio intellectionis eſt intelligere formaliter. Ratio etiam huius ſuperius ſæpe expoſita eſt, quia qualitas, & forma denominat ſubiectum cui inhæret, vt paries dicitur albus, quia recipit albedinem: artifex autem producens albedinem non dicitur albus, ita producens actum intelligendi, ſed non recipiens, non denominatur ab eo, nec dicitur intelligens: ſed recipiens intellectionem, dicitur intelligens, & ideo cum intellectus poſſibilis recipiat intellectionem, dicitur intelligere, non autem agens, qui illam producit ſolum. Ad rationem illam deſumptam ex abſtractione, quæ pro hac opinione adducitur, dico, quòd verum eſt, quod abſtractio eſt apprehenſio vnius, alio derelicto; & propter hoc dico, quòd intellectus agens, dum operatur circa phantaſma, dicitur abſtractionem facere: quia dum ex phantaſmate format conceptum vniuerſalem, ſiue ſpeciem intelligibilem, & non format conceptum particularem, producit vnum, derelinquendo aliud, & ſic dicitur abſtrahere: neque enim abſtrahere eſt propoſito opus intellectus, ſed voluntatis quoque: quia volo hoc, & non illud, & ſic abſtraho; etiam ars facit abſtractionem, & tamen iſta non intelligunt. Abſtrahere ergo eſt ſumere vnum, non ſumendo aliud. Quòd ſi quis quærat, an intellectus agens, in formando hunc conceptum, intelligat, an non? Reſp. quòd non intelligit formaliter: quia cauſare ſpeciem, non eſt intelligere, ſed præparare ea quæ neceſſaria ſunt ad intelligere: vnde ſtatim formata illa ſpecie, ſimul cum ea

Ad rōnē ſūptā ex abſtrac.

obiec. & argueb.

cum ea producit actum intelligendi in intellectum poſſibilem, & tunc fit intellectio in intellectu poſſibili. Sed dices, At virtus cognoſcitiua dum operatur cognoſcit. Reſpondeo, quòd non ſemper dum operatur cognoſcit formaliter, ſed aliquãdo diſponit ſe, vel ea, quæ ſunt neceſſaria ad intelligere, & poſtea intelligit; ita anima prius per intellectum agentem præparat obiectum intelligibile, & poſtea intelligit. Poſſumus etiam dicere, quòd intellectus agens, non eſt virtus cognoſcitiua, ſed ſolum poſſibilis, ſed eſt præparatiua obiecti, vt patet ex dictis, & dicendis modo in materia de ſpeciebus intelligibilibus.

THEOREMA LXXIX.

Dantur ſpecies ſenſibiles, & ſpecies intelligibiles.

Ponitur ſexta quæſtio Scoti ex primo Sententiarum, diſtinct. 3. quæ ſolum de hac re pertractat, & eſt plena ſubtiliſſima doctrina. Cap. I.

Circa tertiam partem diſtinctionis, in qua Magiſter agit de imagine, quæro primo de memoria; Vtrũ in parte intellectiua propriè ſumpta, ſit memoria: propriè, id eſt intellectus habens ſpeciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi.

Et videtur quod non: quia omnis ſpecies impreſſa ab obiecto, repræſentat illud ſub illa ſua ratione, qua imprimitur ab eo, & ſi imprimitur ab alio, adhuc repræſentat ſub eadem ratione, ſub qua repræſentaret ſi imprimeretur ab obiecto, alioquin non eſſet vera ſpecies eius: ſed ſpecies, quando imprimitur ab obiecto, imprimitur ab eo, vt ſingulare eſt: quia actio eſt ſingularis, ergo ſpecies impreſſa à quocumque non poteſt repræſentare vniuerſale, quale repræſentatur intellectui: ergo nulla ſpecies impreſſa repræſentat intelligibile ſub ratione intelligibilis, vel vniuerſalis.

Secundò ſic. Præſentia obiecti eſt cauſa præſentiæ ſpeciei, & non è contra: non enim quia ſpecies eſt in oculo, ideo obiectum eſt præſens: ſed è conuerſo. Ergo prima repræſentatio obiecti, non eſt per ſpeciem: ergo ſuperfluè ponitur ſpecies propter præſentiam obiecti.

Tertio ſic. Quælibet ſpecies, ſi eſſet in intellectu, eſſet forma naturaliter agens ad intellectionem, ſed multæ poſſunt eſſe in intellectu ſimul, ſi vna ponitur: ergo omnes illæ naturaliter agerent ad intellectiones ſibi correſpondentes, ergo ſimul eſſent plures intellectiones in intellectu correſpondentes illis pluribus ſpeciebus. Si enim aliqua illarum ageret naturaliter, & tamen non eſſet intellectio ſecundum eam, ſequeretur quòd nunquam poſſet eſſe intellectio ſecundum eam: quia cauſa naturaliter agens, quando agit ſecundum vltimum potentiæ ſuæ: ſi tunc non poteſt habere effectum, nunquam habebit. Pluralitas autem iſta ſpecierum quæ ſequitur ex hypotheſi, improbatur per illam rationem Algazelis 4. Metaph. Quia ſicut vnum corpus non poteſt ſimul figurari diuerſis figuris; ita nõ videtur idem intellectus poſſe figurari ſimul diuerſis obiectis: ꝙ tamen ſequeretur, ponẽdo ſimul plures ſpecies intelligibiles. 1. Cæli, te. 116.

Quartò ſic. Quia tũc videtur ſequi, quod intellectus non patietur ab intelligibili, ſed tantum patietur paſſione reali, recipiendo quandam formam, quæ erit ſicut perfectio eius realis: recipit enim ſpeciem illam, vt ſubiectum recipit accidens reale, & ita non patitur intellectus inquantum intellectus ab intelligibile, & ex hoc ſequitur, quod intelligere non erit motus rei ad animam: immò omnis intellectio erit actio eius abſoluta: ſicut forma ſtans non habens aliquem terminum extra.

Item poſſet conſeruari ſpecies illa ſine actu: & ita non neceſſaria conuerſio ad phãtaſmata.

Item voluntas habet obiectum ſufficienter ſibi præſens, vt circa illud poſſit agere, licet nihil recipiat in ſe ab obiecto: igitur ita poteſt eſſe in propoſito, inquantum obiectum eſt terminatiuum actus.

Confirmatur: ſicut eſt præſens voluntati: quia in intellectu: quare non ita de intellectu, & phantaſmate?

Ad oppoſitum. Intellectus quãdoque eſt in potentia propinqua, & accidentali ad intelligendum, qui prius fuit in potentia eſſentiali, & remota: iſtud autem non eſt in intellectu, niſi per aliquam mutationem:

non obiecti. Patet, quia in obiecto tantum eſt relatio rationis, ergo ipſius intellectus. Igitur iſta mutatio, quæ fit ad talem potentiam propinquam, videtur eſſe ad aliquam formam, per quam obiectum intelligibile eſt præſens intellectui, quæ forma erit prior naturaliter actu intelligendi: quia prior eſt natura potentia propinqua, qua quis eſt potens intelligere, quàm ſit actus intelligendi; illa autem forma quæ per obiectum eſt ſic præſens, vocatur ſpecies, ergo in intellectu eſt ponere ſpeciem intelligibilem.

Aliter deducitur argumentum præcedens ſic. Quia aliter ſe habet intellectus quando eſt in potentia eſſentiali, ante addiſcere, & aliter quando ſe habet in potentia accidentali, ante intelligere. Obiectum autem ſe non habet aliter: ſed eodem modo; intellectus igitur ſe habet aliter per hoc, quòd eſt mutatus, ſed omnis mutatio terminatur ad aliquam formam, ergo aliqua forma præcedit actum intellectionis, iſtam non voco niſi ſpeciem.

Hen. qdl. 4. qu. 7. 8. & 21. & qdl 5. q. 14. *In iſta quæſtione negatur, omnis ſpecies intelligibilis præcedēs naturaliter actum intelligendi propter rationes poſitas ad primam partem quæſtionis.*

Modus autem ponendi eſt iſte. Habita impreſſione ſpeciei ſenſibilis in organum ſenſus, & toto illo progreſſu: vſque ad virtutem phantaſticam, intellectus agens abſtrahit ab ipſo obiecto in phantaſmate, & immutat intellectum poſſibilem ad ſimplicem apprehenſionem eſſentiæ, ita tamen, quòd intellectus poſſibilis nullam ſpeciem impreſſam recipit à phantaſmate: nec eſt obiectum præſens intellectui, niſi quia ſpecies præſens eſt in imaginatione. Et hoc probatur ex iſta deductione. Senſus enim recipit ſpeciem aliam ab actu, vel quia organum eſt eiuſdem rationis cum medio: vel quia ſpecies illa recepta, eſt diſpoſitio propinqua ad actum ſentiendi recipiendum: neutrum iſtorum concurrit in intellectu, eſt enim intellectus virtus non organica, & de ſe ſummè diſpoſita ad actum intelligendi: igitur intellectus nullam ſpeciem recipit priorem actu.

te. 6. *Hæc dicitur eſſe intentio Ariſt. 3. de Anima, vbi commendat antiquos, dicentes animam eſſe locum ſpecierum non totam, ſed intellectiuam, hæc autem diſtinctio Ariſt. non videtur eſſe bona intelligendo quòd aliæ partes non habent ſpecies: ſunt enim ſpecies in parte ſenſitiua, ſed quia aliæ partes non habent ſpecies, vt loca: ſed vt ſubiecta habent accidentia, intellectus autem habet eas vt locus: quia vt formam expreſſam non impreſſam.*

Hoc etiam accipitur ex eo quòd dicitur 3. de Anima, quod ſpeculamur quod quid eſt in phantaſmatibus, & quod phantaſma ta ſe habent ad intellectum ſicut ſenſibilia ad ſenſum, & quod nihil intelligimus ſine phantaſmate, & plura ſimilia dicit Philoſophus. te. 11. & 39. te. 30. & 39.

Ex his concludit, quod nullam ponit ſpeciem intelligibilem: quia ſi ipſa poneretur, intellectus non ſpecularetur quod quid eſt in phantaſmatibus, ſed in ſpecie intelligibili; ſimiliter non oportet intellectum conuerti ad phantaſmata; ſed ſufficeret ſpecies intelligibilis: in qua haberet obiectum præſens ad quam conuerteretur.

Sic arguitur contra hoc, quia per Philoſophum ibidem neceſſarium eſt, quod aut res ſint in anima, aut ſpecies earum, at res non ſunt, non ergo ſpecies. t. 38.

Dicit, quod ex parte intellectus eſt ſpecies impreſſa, quæ eſt habitus, vel actus, vel ſpecies expreſſa, quæ eſt ſpecies in phantaſmate, vel quidditas, quæ quidditas relucens in phantaſmate eſt ſpecies reſpectu ſingularis. Non enim hic lapis eſt in anima, ſed quidditas, quæ eſt ſpecies reſpectu huius lapidis.

Hæc etiam ponitur intentio Aug. Qui vult, quod Verbum gignitur non ex ſpecie intelligibili, ſed ex habitu. Dicit enim 15. de Trin. cap. 10. & 24. Quod ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcitur Verbum; & eodem lib. cap. 2. & 18. Gignitur Verbum de ſcientia, quæ manet in animo.

Item, ad quod aliquid per ſe, & primo eſt in potentia per ſe, illud & non aliud recipit ab agente proportionabili: ſed virtus apprehenſiua per ſe ſolum eſt in potentia ad cognitionem, Auguſt. 2. de Trinit. cap. 2. ipſa forma, quæ viſui imprimitur viſio vocatur.

Idem ponit Doctor quidam, negando ſpeciem intelligibilem, & pertractat illam rationem de organo, quæ tacta eſt in poſitione iſta. Goff. qdl 9. q. 19. & qd.

Ponit

Ponit etiam aliam rationẽ talem; quia quæcumque potentia eſt in potentia primo ordinata ad aliquem actum, primo perficitur ſecundum actum ab agente proportionato præſente: ſed potentia apprehenſiua eſt potentia primo ordinata ad hunc actum, ſcilicet apprehenſionem: ergo ab agente proportionato primo potentia perficitur ſecundum actum iſtum, qui eſt apprehendere, & per conſequens intellectus ab obiecto proportionato recipit cognitionem, & non ſpeciem.

3 de ſiā te 8. *Contra iſtam opinionem arguo ſic. Siue intelligatur ſingulare, ſiue non, non eſt cura ad propoſitum: certum eſt enim, quod vniuerſale poteſt ab intellectu intelligi, & magis ponitur à Philoſophis, quòd intellectus eſt potentia diſtincta à potentia ſenſitiua, propter intellectionem vniuerſalis & propter compoſitionem, & diuiſionem, & propter ſyllogizationem, quam propter cognitionem ſingularis, ſi poſſet intelligere ſingulare.*

Ex hoc igitur manifeſto, quòd intellectus poteſt intelligere vniuerſale, accipio hanc propoſitionem. Intellectus poteſt habere obiectum actu vniuerſale, perfectè ſibi præſens in ratione obiecti prius naturaliter quàm actu intelligat. Ex hoc ſequitur propoſitum, quòd in illo priori habet obiectum ſibi præſens in ſpecie intelligibili, & ita habet ſpeciem intelligibilem priorem actu. Antecedens aſſumptum videtur ſatis manifeſtum, quia obiectum in ratione obiecti, eſt prius naturaliter actu, igitur vniuerſalitas, quæ eſt propria conditio obiecti inquantum obiectum præcedit actum intelligendi, & ſub illa ratione oportet obiectum eſſe præſens: quia præſentia obiecti, præcedit naturaliter actum intelligendi. Conſequentiã probo Primò, ex parte vniuerſalitatis obiecti; Secundò ex parte præſentiæ, ex parte vniuerſalitatis obiecti arguo ſex vijs, quarum duæ primæ ſumuntur ex parte phantaſmatis, & repræſentantis, & duæ ex parte intellectus agentis, & duæ ex parte communioris & minus communis.

Primo arguo ſic. Species ex hoc, quòd talis ſpecies habet talem rationem repræſentandi, & hoc reſpectu obiecti, ſub tali ratione repræſentabilis: ergo eadem ſpecies manens, non habet duas rationes repræſentatiuas, nec eſt reſpectu duarum rationum repræſentabilium, ſed repræſentare obiectum ſub ratione vniuerſalis, & ſingularis, requirit duplicem rationem repræſentatiuam, & eſt reſpectu duplicis rationis repræſentabilis formaliter, igitur idem manens non repræſentat ſic, & ergo phantaſma, quod de ſe repræſentat obiectum ſub ratione ſingularis, non poteſt ipſum repræſentare ſub ratione vniuerſalis.

Vel poteſt ſic formari ratio. Eadem ſpecies & eiuſdem rationis, non eſt per ſe repræſentatiua obiecti ſub oppoſitis rationibus repræſentabilis: ratio ſingularis, & ratio vniuerſalis ſunt oppoſitæ rationes in cognoſcibili & repræſentabili, ergo nulla eadem ſpecies, & vnius rationis, poteſt eſſe repræſentatiua alicuius obiecti ſub ratione vniuerſalis, & ſingularis. Species in phantaſmate repræſentat ſingulare ſub ratione ſingularis: ergo non poteſt repræſentare ſub ratione vniuerſalis idem obiectum.

Maior probatur: quia ſpecies ſub illa ratione repræſentat obiectum, qua menſuratur ab obiecto: ſed idem non poteſt menſurari duabus menſuris oppoſitis, nec è conuerſo: tunc enim bis diceretur, ſecundum Philoſophum 5. Metaphyſ. ergo eadem ſpecies non poteſt repræſentare duo obiecta oppoſita: nec idem ſub diuerſis rationibus obiectiuis oppoſitis.

Reſpondetur, quod ſpecies eadem ſub alio, & alio lumine repræſentat obiectum ſub alia, & alia ratione, ſicut nocte lucentia in lumine diei repræſentant ſe ſub ratione colorationis coloratorum: in lumine autem noctis ſub ratione lucentium. Sic in propoſito per lumen intellectus, & phantaſiæ, eadem ſpecie poteſt repræſentare oppoſita in obiecto.

Contra. Repræſentatiuum prius naturaliter eſt aliquid in ſe, quàm in tali lumine, vel tali repræſentet: quia enim eſt talis ſpecies, ideo congruit ſibi lumen, in quo repræſentet vnum, & non aliud: alioquin poſſet poni, quòd eadem ſpecies repræſentaret colorem, & ſonum, quia ſpecies illa vt in aere tremulo, repræſentaret ſonum: quæ ſecundum quod concurrit medium extrinſecum medio connaturali coniungitur organo auditus: vt in aere illuminato, & perſpicuo, & ſecun-

& ſecundum, quòd eſt conueniens organo viſus repræſentaret colorem, & ita non poſſit oſtendi aliqua diſtinctio repræſentatiuorum; In illo igitur priori oportet intelligere vnitatem ſpeciei in ſe, quam conſequitur vnitas repræſentationis, & obiecti repræſentabilis per ipſam, inquantum per ipſam repræſentatur: & ita aliquid, quòd eſt idem in iſto priori non poteſt habere diuerſam rationem repræſentandi, nec poteſt repræſentare idem ſub alia, & alia ratione repræſentabilis.

Vel forma ſic rationem. Lumen non repræſentat: quia lumen in medio eſt eiuſdem rationis, ſiue videam nigrum: quid ergo diſtinguit eſſentialiter repræſentatiuum à repræſentatiuo? Altera eſt tamen ſpecies, & repræſentatiuum albi, & nigri: & per conſequens diſtinctio luminis non cauſat diſtinctam rationem repræſentandi, vel repræſentati: ſed manente eadem natura repræſentatiui, ſemper repræſentat idem repræſentabile, & eiuſdem rationis, non eſt ergo eadem ſub diuerſis rationibus.

Confirmatur ratio: quia repræſentatiuũ in lumine perfectiori nõ repræſentat aliud, ſed repræſentat idem, clarius tamen, vt patet in lumine Solis quàm Lunæ, ergo licet ſpecies in organo phantaſtico in lumine intellectus agentis clarius repræſentet ſingulare, vt intellectus poſſit melius illud intelligere quàm in lumine proprio, ſcilicet phãtaſmate, nunquam tamen repræſentabit obiectum vniuerſale ſub ratione vniuerſali, per quodcumque lumen. Exemplum eorum de nocte lucentibus, non valet, ſed concludit oppoſitum. Nam quæro, an eorum repræſentatiuo repræſentat illam diuerſimodè de die, & de nocte: an alio, & alio repræſentatiuo. Non eodem: quia illa tunc repræſentarentur de die, ſicut de nocte: quia repræſentatiuum prius eſt aliquid in ſe, quàm in tali, vel tali lumine repræſentet. Si in alio, & alio repræſentatiuo repræſentantur diuerſa in nocte lucentia, habetur propoſitum, ſiue idem ſit lumen, ſiue diuerſum.

Confirmatur: quia lumen non repræſentatur formaliter, nec eſt ratio formalis repræſentatiui: ſed tantum eſt illud, in quo aliquid repræſentatur. Videtur ergo, quod quanto lumen eſt perfectius tanto in ipſo præciſius, & diſtinctius relucèt illud, quod repræſentatiuum repræſentat.

Nec exemplum valet ad propoſitum, immò eſt ad oppoſitum: quia, vel duæ qualitates ſunt in tali corpore, vt lux, & color, quarum altera multiplicat ſe in lumine maiori præſente alia in minori, quando nihil aliud efficacius mouens mouet, vel vtraque multiplicat ſe ſimul in luce maiori: ſed efficacius mouens tantum percipitur, & minus efficaciter mouens non percipitur: ſicut ſtellæ de die multiplicant radios ſuos, ſed non videntur: quia aliud luminoſius efficacius mouet viſum.

Vel ſi vna eſt qualitas ſenſibilis in tali corpore, ipſa virtualiter continet duo repræſentatiua. Color enim quodammodo continet lucem, cum ſit lux in corpore terminato, & ideo in alio lumine cauſat diuerſa repræſentatiua; aliud, ſcilicet in maiore, & aliud in minore, & ita ſemper ſtat, quòd non ſit idem repræſentatiuum obiecti, ſub diuerſa ratione repræſentabilis, quantumcumque aliud lumen, & aliud concurrat.

Si reſpondeatur, quòd idem ſecundum eandem qualitatem poteſt eſſe ſimile diuerſis, ſicut vnum album, ſecundum eandem albedinem, eſt ſimile diuerſis albis. Hoc nihil eſt ad propoſitum: quia in relationibus ordinis eſſentialis, non poteſt eſſe alia, & alia dependentia in aliquo ad duo in eodem ordine, vt puta eiuſdem menſurati ad duas menſuras in eodem ordine, nec eiuſdem participantis ad duo participata, nec eiuſdem affectus ad duas cauſas totales in eodem ordine, ſicut probatum eſt in quæſtione de vnitate Dei, ergo in iſta relatione, vbi non eſt tantummodo ſimilitudo, ſed imitatio, & exemplatio paſſiua, impoſſibile eſt idem abſolutum referri ad diuerſa, & ita non poteſt eſſe eadem ſpecies in ratione repræſentatiui diuerſorum ſub ratione diuerſorum.

Secundo ad iſtud primum membrũ arguo ſic; quia repreſentatiuum ſecundum totam virtutem ſuam repræſentãs obiectũ aliquod ſub vna rõne, nõ põt ſimul repræſentare idẽ, vel aliud ſub alia ratione obiecti: ſed phãtaſma, in eodem inſtãti, in quo intelligitur vniuerſale, ſecundum totam virtutem ſuam repræſentat obiectum vt ſingulare,

virtuti

virtuti phantaſticæ, quia tunc eſt actualis imaginatio illius obiecti in ſingulari,& patet quod ſecundum totã virtutem phantaſmatis, quia aliàs virtus phantaſtica non poſſet habere per phantaſma ita perfectũ actum circa obiectum,ſicut obiectum natũ eſt repræſentari per illud phãtaſma: igitur tunc non poteſt repræſentare obiectum ſua alia ratione repræſentabilis.

Item quare non poterit in imaginatiua eſſe actio reſpectu obiecti actu vniuerſalis, ſi poteſt eſſe ibi reſpectu talis obiecti, cum actus ſit quædam ſpecies?

Ex alio membro arguitur ſic. Intellectus agens eſt potentia merè actiua ſecundum Philoſophos, quia eſt illud,quo eſt omnia facere,ſicut poſſibilis eſt, quo eſt omnia fieri, & ſecundum Philoſophum eſt ſicut ars ad materiam, id eſt,ita comparatur ad intellectum poſſibilem, ſicut ars ad materiã, omnis autẽ actio realis habet aliquem terminum realẽ, & vnum, ille autẽ terminus realis non eſt in phantaſmate, quia intellectus agens nihil cauſat in phantaſmatibus.

[.. de ..iã t. 18.]

Quia illud receptum eſſet extenſum, & ita intellectus agens nõ traſferret obiectũ ab ordine in ordinem, nec illud eſſet magis proportionatum intellectui poſſibili, quàm phantaſma. Ergo eſt in intellectu poſſibili: quia nihil recipitur in intellectu agente; illud autem primum cauſatum,non poteſt poni actus intelligendi:quia primus terminus actionis intellectus agentis, eſt vniuerſale in actu,vniuerſale autem in actu, præcedit actum intelligendi, ſicut prædictum eſt in antecedente:quia obiectum ſub ratione obiecti præcedit actum.

Non arguitur hic,quod phantaſma cum intellectu agente,non poſſit cauſare intellectionem,ſed non intentionem vniuerſalis, niſi prius ſpeciem,& in illa ſola eſt actu vniuerſale, & actu vniuerſale præcedit natura intellectionem ſui, & vniuerſale eſt primus terminus eius.

Et confirmatur ratio:quia intellectus agentis eſt facere de non vniuerſali vniuerſale,vel de intellectu in potentia, intellectum in actu, ſicut dicunt auctoritates Philoſophi,& Cõmen. Vnde Com. 3. de Anima,dicit, quòd ſi eſſentiæ rerum eſſent vniuerſales, ſicut poſuit Plato, non indigeremus ſecundum ipſum,intellectu agente, cũ autem vniuerſale inquantum vniuerſale, nihil ſit in exiſtentia, ſed tantum ſit in aliquo, vt repræſentante ipſum obiectum ſub tali ratione.

[com. 18.]

Iſta verba nullum intellectum habent, niſi quia intellectus agens facit aliquid repræſentiuum vniuerſalis de eo,quod fuit repræſentatiuum ſingularis quomodocumque illud,de,intelligatur materialiter,|vel virtualiter, hoc realiter eſt facere repræſentatiuum ſub ratione vniuerſalis,quia actio talis nõ terminatur niſi ad repræſentatiuum obiecti,ſub ratione vniuerſalis, ergo talis actio intellectus agentis,terminatur ad formam aliquam realem in exiſtentia, quæ formaliter repræſentat vniuerſale,in quantum vniuerſale, quia aliter non poſſet terminari actio eius ad vniuerſale ſub ratione vniuerſalis.

Dicetur, quòd terminus actionis intellectus agentis, eſt obiectum vniuerſale ſub ratione vniuerſalis,lucens in phantaſmate.

Contra. Vniuerſale obiectum ſub ratione vniuerſalis,lucens in phantaſmate,non habet niſi eſſe diminutum: quia eſſe repræſentatum in imagine: ſed ſi aliquod eſſe habet, hoc eſt inquantum in aliquo, vt in repręſentante ipſum ſub illa ratione vniuerſalis,ita ſcilicet, quòd intellectus agens ſicut dictum eſt,facere aliquod repręſentatiuum vniuerſalis de eo, quod fuit repręſentatiuum ſingularis, cum terminus actionis realis non ſit obiectum habens eſſe diminutum,vt eſſe cognitum, vel repręſentatum, ſed quid reale,ſequitur,quòd talis actio intellectus agentis, terminetur ad formam realem in exiſtentia,qua formaliter repręſentatur vniuerſale, vt vniuerſale, & quam formam realem concomitatur terminus intentionalis, vt obiectum vniuerſale ſecundum eſſe repręſentatum, quòd habet in ſpecie.

Item Secundo. Secundum iſtam viam ſic. Intellectus agens in ratione actiui, non excedit poſſibilem in ratione paſſiui, ergo quidquid cauſatur ab intellectu agente, recipitur in poſſibili,ergo primus terminus actionis intellectus agentis, recipitur in poſſibili,& ita cum prima actio intellectus agentis ſit ad vniuerſale in actu, iſtud vniuerſale,vel illud quod ipſum habet eſſe tale,recipietur in intellectu poſſibili.

Hic

Hic dicitur, quod actione intellectus agentis ſolummodo remouetur prohibens, ſequeſtrando quidditatem à ſingularitate & non in eſſendo, ſed in immutando; nec agit in phantaſma, nec in intellectum poſſibilem, ſed contingit phantaſma virtualiter, hoc ſi exponitur, in phantaſmate eſt, quid: & hoc, in lumine concreato poſſibili, ipſum autem quid, eſt motiuum poſſibilis ſic illuminatum, hoc non. Exemplum. Si Sol illuminaret album & dulce, album mouet medium illuminatum: dulce ſibi coniunctum, non, ergo lumen abſtrahit colorem à dulcedine, & ſequeſtrat, quantum ad immutare, & remouet prohibens non immutatiuum.

Contra, aut quid in phantaſmate habet ſufficientem virtutem actiuam immutandi poſſibilem ad intellectionem vniuerſalis, & ſequitur, quòd vniuerſale non eſt terminus actionis intellectus agentis, aut non, & requiritur aliud agens propriè agens eo modo, quo ipſi quid deeſt virtus actiua propriè.

Item hoc coniunctum quid, non prohibet, ſicut nec quid eſſe, ita nec eſſe motiuum intellectus.

Item remouens prohibens, habet actionem præuiam actioni illius, à quo prohibetur: Da illam, hic, & in quid, & ad quem terminum terminatur. Sed hoc ſoluitur per illud hoc ſic exponitur, quia arguit contra propriè remouens, non contra diſponens paſſum ad recipiendum.

Secundum tertiam viam, arguitur primo ſic. Habitus minus vniuerſalis, & magis vniuerſalis ſunt diſtincti habitus proprij, alioquin Metaphyſica, vt Metaphyſica, non eſſet habitus diſtinctus intellectus, quia eſſet de vniuerſaliſſimo obiecto ad omnia alia obiecta, habitu autem vniuerſaliori contingit vti non vtendo aliquo alio habitu minus vniuerſali, ergo contingit habere actum circa vniuerſalius, eo modo quo reſpicitur ab habitu illo vniuerſaliori non habendo actum circa minus vniuerſale, ſed non habetur actus intelligendi circa vniuerſalius, niſi ipſum ſub tali ratione ſit præſens intellectui ſub ratione præſentis: ſed non habetur actus intelligendi circa ipſum in ratione præſentis, niſi ſub ratione vniuerſalis, ergo vniuerſalius poteſt eſſe præſens intellectiui abſque præſentia alicuius minus vniuerſalis, ſed ſi præcisè intelligeretur obiectum in phantaſmate, nunquam eſſet maius vniuerſale præſens niſi in minus vniuerſali, quia nunquam niſi in ſingulari phantaſiabili, ergo eſt præſens in ſpecie intelligibili exiſtente in intellectu.

Item vltimò quo ad hanc viam arguo ſic. Vniuerſalius nunquam apprehenditur quantum ad ſuam indifferentiam totam, quando apprehenditur in ſuo inferiori, tota enim indifferentia vniuerſalioris eſt, ſecundum quòd ipſum, vt conceptum, eſt idem cuilibet inferiori, nunquam autem communius, vt conceptum tantum in inferiori aliquo, eſt idem cuilibet inferiori ſuo ſed præcisè illi, in quo concipitur, ergo quodcumque vniuerſale conceptum in ſingulari, vel communius in minus communi non concipitur ſecundum totam ſuam indifferentiam, poteſt autem intellectus concipere illud ſecundum totam ſuam indifferentiam.

Ergo non concipitur præcisè communius in minus communi, vel vniuerſale in ſingulari, & ita non præcisè concipitur vniuerſale in phantaſmate, phantaſma enim non eſt propriè niſi ipſius ſingularis, & hoc inquantum eſt ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ & hoc ſi phantaſma ſit ſibi impreſſum ab aliquo debitè propinquato.

De ſecundo membro, ſcilicet præſentia obiecti, probatur illa conſequentia prima, primò ſic. Aut intellectus poteſt habere obiectum ſibi præſens in ratione obiecti intelligibilis abſque hoc, quòd ſit præſens alicui potentiæ inferiori, aut non: Si non, igitur non poteſt habere aliquam operationem ſibi propriam ſine potentijs inferioribus: quia ſi non poteſt habere obiectum ſuum ſibi præſens ſine eis, non poteſt habere operationem ſine eis, igitur nec eſſe ſine eis ſecundum argumentum Philoſophi in primo libro de Anima. Vnde non contingeret intellectum ſeparari à corpore, ſicut perpetuum à corruptibili, niſi poſſet habere operationem propriam non dependentem à parte ſenſitiua. Si autem poteſt habere obiectum præſens abſque eius præſentia potentiæ inferiori, ergo habet. Hæc conſequentia probatur: quia agentia talis præſentiæ obiecti, ſcilicet phantaſma, & intellectus agens, ſunt ſufficienter appropinquata intellectui

2. de aña t. 12. & 15. & 21.

tellectui poſſibili, & agunt per modum naturæ & ita cauſant neceſſario in illo præſentiam cuius eſt receptiuus, modo obiectum non eſt preſens intellectui poſſibili in cognitione abſtractiua ante actum elicitum, niſi per aliquod repreſentatiuum, quod voco ſpeciem, & ſic habeo propoſitum.

Secundo ſic. Aliæ potentiæ cognitiuę habent obiectum preſens eis non ſolum præſentialitate ſecundaria, ſcilicet, quia illa ſunt præſentia alijs potentijs inferioribus, ſed propria præſentialitate, ſicut ſenſus cōmunis habet colorem ſibi præſentem, non tantum inquantum eſt præſens viſui, ſed quia habet ſpeciem eius preſentem in organo ſenſus communis, ergo cum hoc ſit perfectionis in potentia cognitiua ſcilicet poſſe habere obiectum ſibi præſens ſub ratione, qua eſt obiectum talis potentię, ſequitur, quòd intellectus non tantum poteſt habere obiectum ſibi præſens: quia præſens eſt virtuti phantaſticæ, ſed propria præſentialitate, inquantum ſcilicet relucet intellectui per aliquod, quod eſt in intellectu.

Item potentia non potens habere actum niſi circa obiectum ſibi præſens, ſi non poteſt habere illud præſens, niſi per aliquam aliam potentiam, cui coniungitur contingenter, dependet in operatione ſua à tali potentia ſibi contingenter coniuncta, & ita eſt imperfecta, intellectus certum eſt, quòd non poteſt habere operationem niſi circa obiectum ſibi præſens, & per te non poteſt habere obiectum præſens ſibi, niſi in virtute phantaſtica, virtus autem phantaſtica contingenter coniungitur intellectui, inquantum potentia eſt, igitur intellectus in operatione ſua dependet ab illa potentia, cui contingenter coniungitur, & ita hæc poſitio ponit in ea imperfectionem poten-
8. ph. tiæ cognitiuæ, nulla autem imperfectio eſt
t. 56. ponenda in aliqua natura, niſi neceſſitas
& 2. appareat in tali natura, ergo imperfectio
de ge talis non eſt ponenda in intellectu.
ner. Si obijcias, pluralitas non eſt ponenda,
t. 59. niſi vbi eſt neceſſitas. Hic autem non eſt neceſſitas, cum ita benè poſſit poni intellectum habere actum ſine ſpecie, ſicut cum ſpecie, ergo non eſt ponenda talis ſpecies. Reſpondeo, neceſſitas eſt, quando perfectio naturę hoc requirit; licet autem hoc ſuppoſitum, quod eſt homo, poſſet habere obiectum ſibi preſens in phantaſmate, quia homo eſt, tamen natura intellectualis hominis, vt intellectualis eſt, non habet obiectum ſufficienter ſibi præſens, ſi non habet ipſum, niſi præſentia mendicata à virtute phātaſtica. Hoc igitur multum vilificat naturam intellectiuam, vt intellectiua eſt: quia remouetur ab ea illud quod eſt perfectionis in potentia cognitiua, & inuenitur in potentia ſenſitiua, vt in virtute phantaſtica, ponitur igitur hæc pluralitas propter neceſſitatem, quia propter perfectionem naturæ perfectioris ſaluandam maiorem quā ſit naturę imperfectioris, vel ſaltem æqualem.

Ad quæſtionem ergo dico, quòd eſt neceſſe ponere in intellectu ſpeciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi propter rationes iam poſitas ex parte obiecti, inquantum vniuerſale, & inquantum præſens intellectui, quę duæ conditiones, vniuerſalitas, ſcilicet, & preſentia precedunt naturaliter intellectionem.

Hęc etiam videtur intentio Ariſt. qui 3. de Anima, volens quod anima ſit quo- t. 37.
dammodo omnia, quaſi probando exponit ſe quod eſt per ſenſus ſenſibilia, & per intellectum, vel ſcientiam ſcibilia: quod a- Hen.
liqui exponunt, quod non loquitur vnifor- & G.
miter hic, & ibi quia de ſenſu loquitur quantum ad ſpeciem impreſſam, de intellectu autem quantum ad habitum ſcientiæ.

Sed hæc expoſitio non videtur eſſe ſecun- 1. de
dum intentionem Philoſophi: quia ſicut aīa t.
antiqui poſuerunt animam eſſe omnia rea- 25. &
liter, vt omnia cognoſceret: ſic Philoſophus inde.
ponit eam eſſe omnia non realiter ſed per quandam ſimilitudinem. Si autem per ſenſus eſſet ſenſibilia propter ſimilitudines impreſſas, & per intellectum eſſet intelligibilia, aut hoc eſſet propter ſcientiam, quæ eſt in intellectu, & ita non eſſet ſcibilia propter ſimilitudinem, quia ſcientia de ſe nō eſt ſimilitudo intelligibilis circumſcripta omnia alia ſpecie obiectum repreſentante, aut propter aliquod phantaſma repreſentans obiectum intelligibile, & tunc non eſſet anima intelligibilia omnia per intellectum, ſed anima per phantaſma, nihil enim eſſet ibi repræſentās intelligibile niſi phan-

phantaſma tantum, ſecundum poſitionem iſtam.

t. 32. *Item Ariſt. 8. Phyſicorum ponit, quòd acquiſita ſcientia reducitur intellectus de potentia eſſentiali ad accidentalem; quæro, quid intelligat per ſcientiam? non habitum ſequentem actum, quia quando intellectus agit non fuit in potentia eſſentiali. Manifeſtum eſt igitur, quò ad formam præcedentem actum, ergo ſpeciem intelligibilem. Probatio: tum quia phantaſma non reducit intellectum de potentia eſſentiali ad potentiam accidentalem; tum quia omnis illa ſcientia, quæ dicitur habitus quidditatis primi obiecti, eſſet in phantaſia, ergo ibi eſſet omnis habitus de eodem: quia ſecundum Phil. 9. Metaph. idem habitus intellectus, & ſcientia.*

Expreſſius tamen eſt ad iſtud intentio Auguſt. Quod deduco ſic. Nihil enim ſufficienter natum eſt gignere notitiam actualem, niſi ipſum habeat obiectum prius naturaliter, quàm actum, præſens ſibi in ſe, vel in aliquo repræſentante ipſum: ſed negando ſpeciem intelligibilem, tota pars intellectiua non habet ante actum intelligendi, obiectum ſibi præſens in ſe, nec in aliquo repræſentante, ergo negando ſpeciem intelligibilem, nihil in intellectiua parte erit ſufficienter natum gignere actum intelligendi. Et ita nihil in parte intellectiua erit ſufficienter memoria reſpectu talium intellectionum, vel gignitionum, quod negat Auguſt. 12. de Trinit. cap. 14. Si reſpondeas, quòd memoria eſt in parte intellectiua propriè ſumpta, per hoc quòd intellectus factus eſt in actu primo intelligendi, & ſic eſt actiuus reſpectu ſecundi actus intelligendi, ita quod habens notitiam primam confuſam, actiuus eſt reſpectu notitiæ ſecundæ notitiæ.

Contra, hoc eſt contra opinionem iſtam, & contra Aug.

Contra opin. Quia ponit, quòd vniuerſale vt in phantaſmate, eſt ibi quaſi in memoria: vt autem mouens ad actum intelligendi, eſt ibi præſens quaſi in intelligentia, ergo per iſtam opinionem nullus actus intelligendi eſt memoriæ, ſed intelligentiæ.

Eſt etiã hoc contra Aug. Vt apparet de Trin. 15. c. 21. Memoriæ, inquit, tribuentes omne quod ſcimus, etſi non inde cogitemus. Intelligentiæ verò proprio modo quodam tribuentes cogitationis informationem, & lib. eodem 15. cap. 7. Nihil intelligimus niſi per intelligentiam. Similiter arguitur ratione: quia actus ille, quo memoria eſt in actu primo, aut eſt idem cum illo actu intelligentiæ, & tunc idem erit ratio gignendi ſe: aut erit alius, & tunc, vel erit ſimul cum actu intelligentiæ, & tunc duo actus erunt ſimul. Aut non, & tunc memoria formaliter gignet, quando non erit: eſt enim memoria formaliter per te per illud quod non eſt, quando gignitur actus ſecundus.

Si etiam dicas, quod memoria eſt memoria per habitum ſcientialem: hoc non ſtat cum opin. Quia dicit, quòd per habitum nõ eſt obiectum præſens niſi in phantaſmate, & ideo habentem habitum oportet recurrere ad phantaſma, ad hoc, vt actu intelligat, ergo non eſt obiectum præſens, per habitum ſcientialem præciſè, ſed per phantaſma, quòd non eſt in parte intellectiua; & hoc magis patebit reſpondendo ad auctoritates Aug. ponentis ſcientiam in memoria; & non ſpeciem impreſſam in intellectu, ſicut arguitur ex verbis eius.

Et confirmatur hoc: quia habitus ſcientiæ, per quem reducitur intellectus de potenia eſſentiali ad accidentalem reſpectu actuum, de quibus loquitur Philoſophus 2. de Anima, & 8. Phyſicorum. Præcedit actum intelligendi: ſed ſcientia, quæ eſt habitus, ſequitur actus: quia ex eis generatur, vnde illa ſcientia prima eſt ſpecies quædam, & habitus, quia nata radicari, & firmari in intellectu, non tamen omnis habitus eſt ſpecies. t. 15. & 55. t. 34.

Et ſecundum iſtos non videtur aliquis habitus ponendus in intellectu, ſed tantum in virtute phantaſtica, quia ſecundum quemcumque modum eſt obiectum in aliqua potentia, ſecundum eundem modum ſunt omnia, quæ virtualiter continentur in ſubiecto. Igitur ſi obiectum vniuerſale non ſit per ſuum repræſentatiuum in intellectu, ſed in virtute phantaſtica, omnia explicanda, & explicabilia de illo obiecto erunt ibidem, & ita non erit niſi habitus phantaſticus, maximè ſi phantaſmata ordinatè concurrant. Et erit explicans omnes veritates ſcibiles de illo obiecto, & omnis ſcientia erit ibi fundamentaliter, & perfe-

perfectio eius non erit perfectio intellectus, quod eſt contra Philoſophum, & cum illa ſpecies phantaſtica virtualiter contineat actum intellectus, ſequitur, quod actus ille erit in phantaſia.

Ad quæſtionem ergo dico, quòd oportet ponere in intellectu, vt habet rationem memoriæ ſpeciem intelligibilem repræſentantem vniuerſale priorem actu intelligendi naturaliter, & huius neceſſitas eſt duplex.

Vna ex conditione per ſe obiecti, quæ eſt vniuerſalitas, quæ vt per ſe ratio obiecti ſemper præcedit actum, quòd non eſſet niſi eſſet ſpecies impreſſa in intellectu.

Alia eſt conditio, & dignitas potentiæ ſuperioris, ne ipſa vilificetur. Quomodo autem vilificaretur, dictum eſt in præcedenti quæſtione.

Ad euidentiam ergo quæſtionis ſcientum, quod memoria poteſt accipi tripliciter, vel intellectus ſub ratione memoriæ.

Vno modo, vt eſt conſeruatiua ſpecierũ præteritorum: vt præterita ſunt, & iſto modo loquitur Philoſophus in de Memoria, & reminiſcentia. Alio modo, vt eſt conſeruatiua ſpecierum repræſentantium obiecta in ſe: ſiue ſint realiter, ſiue non.

Et hoc modo loquendo de memoria dico, quòd oportet ponere ſpeciem in intellectu, vt habet rationem memoriæ, tum propter vniuerſalitatem, tum propter dignitatem potentiæ.

Tertio modo accipitur prout habet aliquod principium eliciendi aliquam notitiã actualem, quod tamen non manet ſine actu ſecundo, quomodo poſuit Auicen. Speciem in intellectu noſtro, & de iſta dicetur in quæſtione ſequenti. Hæc, quæ ſupra probaui
tex. 37. videtur eſſe intentio Philoſophi 3. de Anima, vbi dicit, quòd anima eſt quodammodo omnia intelligibilia per intellectum, ſicut ſenſibilia per ſenſum, quod non poteſt intelligi per habitum, quia non eſt ſimilitudo repræſentatiua obiecti: quia ſequitur actum aliquem habitus omnis.

Et confirmatur hoc: quia habitus ſcientiæ, per quam reducitur intellectus de potentia eſſentiali ad potentiam accidentalem
tex. 25. et 55. t. 32. reſpectu actuum, de quo loquitur Philoſophus 2. de Anima; Et 8. Phyſic. neceſſario præcedit actum intelligendi: ſcientia autem, quæ habitus eſt, ſequitur actum, eo quòd generatur ex actibus.

Vnde iſta ſcientia, quæ reducit intellectum de potentia eſſentiali ad potentiam accidentalem, eſt ſpecies, quæ verè eſt habitus, quia nata radicari, & firmari in intellectu: ſed tamen non omnis habitus eſt ſpecies, quia habitus actualiter radicatus, & firmatus, non eſt ſpecies, quæ præcedit actum nata radicari, & firmari: quia iſta poſtea firmatur per actum.

Item ſecundum iſtos, non videtur aliquis habitus ponendus in intellectu noſtro, ſed tantum in virtute phantaſtica: quia ſecundum quemcumque modum eſſendi, eſt obiectum in aliqua potentia, ſecundum eundem modum eſſendi ſunt omnia, quæ continentur in ipſo obiecta virtualiter: igitur ſi obiectum non ſit per ſuum repræſentatiuum in intellectu, ſed in virtute phantaſtica, omnia explicanda, & explicabilia de illo obiecto, erunt ibidem, & ita non erit niſi habitus phantaſticus, præcipuè ſi phantaſmata ordinatè concurrant, explicant omnes veritates ſcibiles de illo obiecto, & omnis ſcientia erit in phantaſia, & perfectio eius, & non erit perfectio intellectus, contra Philoſophum; & ſic cum iſtæ ſpecies in phantaſia virtute ſua contineat actum intellectus, ergo actus ille erit in phantaſia.

Item Auguſt. 13. de Trin. c. 4. & 15. c. 3. inueſtigat Trinitatem, vbi dicit, quòd impoſſibile eſt accipere imaginem Trinitatis ex anima noſtra, vel in mente, niſi per hoc, quòd aliquid eſt in memoria, ex quo exprimitur aliud, tunc arguo ſic. Si in mente eſt aliquid exprimens verbum, oportet, quòd hoc ſit per aliquid intrinſecum, ſiue exiſtens in memoria, ſed non eſt exprimens verbum niſi memoria habens obiectum menti præſens intra ſe, aliàs non erit exprimens, ergo cum obiectum non ſit præſens in memoria quidditatiuè, & realiter, nec vt eſt in phantaſmate, neceſſariò erit præſens per ſpeciem intelligibilem.

Ad argumẽta in oppoſitũ principalia primo apparet, quòd illud argumentũ primũ non cogit: quia ſi valeret, concluderet contra omnem opinionem, quòd nullo modo poſſit intelligi vniuerſale, quidquid enim ſit illud per quod vniuerſale repræſentatur, ſimiliter

ſimiliter repræſentabit ſicut ſi eſſet impreſſum ab obiecto: ſed ſi imprimeretur ab obiecto, imprimeretur à ſingulari, quia actu eſt ſingularis, ſicut argumentum dicit. Ideo reſpondeo, quòd alia poteſt eſſe ratio agendi, & alia ratio agentis. Singularitas eſt conditio agentis, non ratio agendi: ſed ratio agendi eſt ipſa forma exiſtens in ſingulari, ſecundum quam ſingulare agit. Cum ergo accipitur, quòd quæcumque ſpecies gignitur ab aliquo, repræſentat ipſum ſecundum illam rationem, ſecundum quam gignitur ab eo, ſi intelligatur de ratione gignentis, falſa eſt; ſi de ratione gignendi, concedi poteſt, & tunc non ſequitur, quòd repræſentat eum ſub ratione ſingularis, ſed ſub ratione naturæ, quia ratio naturæ eſt ratio gignendi.

Sed iſta reſponſio non videtur ſufficere: quia ita videretur, quòd ſpecies in ſenſu repræſentaret vniuerſale, & non ſingulare, quia ratio gignendi ſpeciem in ſenſu, non eſt ſingularitas, ſed ratio naturæ.

Ideo generaliter reſpondeo, quòd quando ſpecies gignitur ab aliquo, ſicut à totali cauſa, repræſentat ipſum ſub illa ratione, ſub qua gignitur, loquendo de ratione gignendi, & etiam repræſentat ipſum concomitanter ſub ratione gignentis, aut ſaltem non ſub ratione oppoſita ratione gignentis, & ideo ſpecies in ſenſu non repręſentat obiectum ſub vna ratione vniuerſalis, quę eſt conditio oppoſita rationi gignentis ſingularis: ſed in propoſito obiectum non eſt cauſa totalis gignens reſpectu ſpeciei intelligibilis, quia cum ipſo agit intellectus agens ſicut partialis cauſa, & ideo genitum ab iſtis duabus cauſis poteſt repræſentare obiectum ſub oppoſita ratione ſingularitatis, quę eſt ratio gignentis.

Ad ſecundum de pręſentia iſta, dico, quòd obiectum reſpectu potentię habet primo pręſentiam realem, ſcilicet approximationem talem, vt poſſit gignere ſpeciem talem in intellectu, quę eſt forma intellectus.

Secundò, per iſtam ſpeciem genitam, quę eſt imago gignentis, eſt obiectum pręſens ſub ratione cognoſcibilis, ſiue repręſentati. Prima præſentia pręcedit naturaliter ſecundam, quia pręcedit naturaliter impreſſionem ſpeciei, per quam eſt formaliter ſecunda pręſentia: quando igitur accipitur quòd ſpecies in intellectu non eſt cauſa pręſentia obiecti, dico, quòd falſum eſt de pręſentia ſub ratione cognoſcibilis, ſaltem in cognitione abſtractiua, de qua modo loquimur. Et cum probatur, quia prius eſt obiectum pręſens, quam ſpecies ibi, hoc eſt verum de præſentia reali, qua agens eſt præſens paſſo, & intelligo ſic, quod in primo ſigno naturæ eſt obiectum in ſe, vel in phantaſmate præſens intellectui agenti: in ſecundo ſigno naturæ, in quo illa ſunt pręſentia intellectui poſſibili, vt agentia paſſo, gignitur ſpecies in intellectu poſſibili, & tunc in tertio per ſpeciem eſt obiectum præſens ſub ratione cognoſcibilis.

Ad tertium Auguſt. 6. de Trinit. ponit memoriam eſſe multorum ſimul cognitorum habitualiter, ſicut patet ibi de perito multarum diſciplinarum, ergo oporteret ſecundum omnem opinionem ponere multa cognita in memoria habitualiter, & illa vt ſunt ibi, ſunt aliquo modo cauſa notitiæ genitæ ſecundum Auguſt. Et non niſi cauſa naturaliter, quatenus præcedunt actum voluntatis, igitur ſi argumentum valet ſecundum omnem opinionem concluderet actualem cognitionem ſimiliter plurium. Idem 10. de Trin. c. 5. & 7. & 14. c. 6.

Ideo reſpondeo, ſicut dictum eſt de primo cognito, ſecunda quæſtione huius tertiæ diſtinct. Quia cuiuſcumque ſpeciei, ſingulare fortius primo mouet ſenſum, eius phantaſma efficacius imprimitur, & primo mouet intellectum, & quo ad iſtum primum actum non eſt in poteſtate noſtra, quin intelligamus ſecundum Auguſt. 3. de Libero arbitrio. Non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur.

Sed iſto poſito actu in poteſtate noſtra, eſt cognitio actualis cuiuslibet habitualiter noti. De hoc diſtinct. 6. dicetur. Cum igitur dicit, aut poteſt mouere iſta ſpecies ad intellectionem, aut non. Dico, quòd poteſt. Sed ſi alia ſpecies fortius mouet, iſta impeditur ne modo moueat: poteſt autem poſtea per imperium voluntatis imperantis mouere ad cognitionem iſtius, & cuiuslibet alterius obiecti habitualiter cogniti.

Ad Algazelem dico, quòd ſimilitudo nihil valet: quia hic tollitur illud quod eſt ibi ra-

ibi ratio impoſſibilitatis, quod probatur per Ariſtotelem, & Commentat. 7. Metaphyſices vbi volunt, quòd rationes oppoſitorum non ſunt oppoſitæ in intellectu.

Ad quartum dico, quòd non tantum intellectus patitur ab obiecto reali imprimente talem ſpeciem realem, ſed ab illo obiecto, vt in ſpecie intelligibili, patitur paſſione intentionali, & illa paſſio eſt receptio intellectionis, quæ eſt ab intelligibili, inquantum intelligibile eſt, relucens in ſpecie intelligibili, & iſtud pati, eſt intelligere, ſicut patebit in quæſtione proxima.

Cum vltrà deducis, quod tunc intellectio non eſt motus rei ad animam, non ſequitur, quia impreſſio ſpeciei eſt quidam motus rei ad animam, quatenus res habet eſſe in illa ſpecie, intellectio etiam ſequens ſpeciem impreſſam eſt motus rei ad animam, quatenus per intellectionem obiectum habet eſſe in anima actualiter cognitum, quod prius tantum habuit eſſe habitualiter cognitum, &c.

Ad rationes alterius opinionis; Cum primo arguitur in prima opinione, quòd recipere ſpeciem conuenit ſenſui præciſe, quia potentia eſt organica; dico quod hoc eſt falſum: quia illud nō eſt præciſa cauſa, ſed præciſa cauſa cuiuſcumque potentiæ habendi ſpeciem præſentem repræſentantem obiectum ſuum, eſt, quia ipſa eſt cognitiua, & natura dedit ſibi, vt poſſit habere obiectum prius naturaliter ſibi præſens, quàm cognoſcat. Sed potentię organicæ dedit, vt obiectum ſit præſens, non in potentia ipſa, ſed in organo, hoc eſt in parte corporis, quam perficit potentia organica, & illa præſentia ſufficit, quia totum cōpoſitum ex parte corporis ſic mixta, & ex potētia habet ſpeciē, & huic toti ſufficiēter obiectū eſt præſens, quando ſpecies eſt in illa parte corporis. Cū igitur intellectui nihil perfectionis auferatur, inquantum potentia cognitiua eſt: ex hoc, quòd non eſt organicus, immo magis additur ſibi perfectio, ſequitur, quod ſibi poſſit eſſe obiectum præſens ante actum, ſicut alijs potentijs: ſed illa præſentia non erit per aliquid impreſſum organo quia non habet organum, ergo erit aliquid impreſſum illi potentiæ, tale autem impreſſum repræſentans, præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi, voco ſpeciem intelligibilem. Breuiter igitur dico quòd ſenſus habet obiectum præſens in illa parte corporis, quæ dicitur organum illius ſenſus: ſed intellectus tam illam præſentiam priorem actu, quàm ipſum actum habet ratione eiuſdem receptiui, & ideo falſum accipitur, quòd ſpecies talis non eſt niſi pręcisè propter organum. Natura enim cauſat talem partem talis corporis, ſic mixtam, vt ſit perfectibilis à tali potentia animæ, & cōgruat operationi eius: quia materia eſt propter formam, & non è conuerſo, ex 2. Phyſic. Et Commentator primo de Anima. Membra leonis non differunt à membris cerui, niſi quia anima differt ab anima. Non igitur forma eſt propter materiam, ſed è conuerſo, & ideo talis pars facta eſt talis ſpeciei receptiua, vt per talem ſpeciem ſit obiectum pręſens toti compoſito, quod eſt totum organum, vnde prima cauſa præſentiæ obiecti in ſpecie non eſt talis diſpoſitio corporis, ſed prior cauſa eſt, vt potentia apprehenſiua habeat obiectum actu cognoſcibile ſibi præſens: vel in ſeipſa, vel in aliquo, quòd eſt pars ipſius organi in tali operatione. tex. 23. cō. 53.

Ad aliud de Philoſopho 3. de Anima, quòd intellectus eſt locus ſpecierum, poteſt exponi, quòd intellectus dicitur locus ſpecierum, quia ſaluans, ſicut dicitur, quòd ipſius loci eſt ſeruare locatum, & organa ſenſitiuæ potentiæ non ſunt loca, quia non ita ſaluant ſpecies receptas in eis: ſpecies quippè intelligibiles non videntur deleri, ſicut ſpecies ſenſibiles; ita eſt in organo, quod poteſt corrumpi per contrarium formaliter, vel per diſpoſitionem in ſuſceptiuo diſconuenientem tali potentiæ, ſicut patet per Philoſophum de Memoria, & reminiſcentia. Senes, & iuuenes, id eſt pueri, ſunt male reminiſcitiui propter abundātiam humorum nimiam, & etiam propter indiſpoſitionem, & læſionem organi; iſto vtroque modo non eſt ſpecies intelligibilis in intellectu, vt per ſe deleatur per aliquod contrarium ad ipſam, ſeu per indiſpoſitionem receptiui. Aliæ multæ congruentiæ poſſent aſſignari circa illud vocabulum, locus, circa quod non oportet multum immorari. 4. ph. & in Porph. Iſagogis. ca. 1.

Quod additur de Philoſopho, qđ ſpeculamur, quod quid eſt in phantaſmatibus, &c.

pro

pro omnibus talibus auctoritatibus dico, quod talis eſt connexio iſtarum potentiarum, ſcilicet, phantaſiæ, & intellectus, pro ſtatu iſto, quòd nihil intelligimus in vniuerſali, niſi cuius ſingulare phantaſiamur, nec eſt alia conuerſio ad phantaſmata, niſi quòd intelligens vniuerſale imaginatur ſingulare eius, nec intellect⁹ videt, quod quid eſt in phantaſmatibus, ſicut in ratione videndi, ſed intelligens quod quid eſt, relucens in ſpecie intelligibili, videt illud in ſuo ſingulari, viſo per virtutem phantaſticam in phantaſmate.

Quod adducitur de Auguſt. quòd non ponit ſpeciem intelligibilem in memoria ſed ſcientiam.

Reſpondendo dico, quòd vbi ponit ſcientiam, ſtatim ponit aliquid, quod includit ſpeciem intelligibilem, licet non vtatur iſto vocabulo, quia 15. de Trinit. capitulo 10. cum præmiſiſſet ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, gignitur verbum. Subdit, quòd formata cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt. Et idem de Trinit. 15. cap. 11. Cum præmiſiſſet, ſimillima eſt viſio cogitationis viſioni ſcientiæ, ſubdit. Quando ergo eſt in notitia, hoc eſt in verbo, tunc eſt verum verbum, & eodem capit. 12 Tūc enim eſt verbum ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius, quando de viſione ſcientiæ viſio cogitationis exoritur, ſubdit. Nec intereſt, quando id didicerit, qui quod ſcit loquitur. Similiter capite 22. Quando ad memoriam meam aciem cogitationis meæ aduerto, ac ſi in corde meo dico, quod ſcio, &c.

Item 15. de Trinit. 27. Quando loquitur de luce, in qua videntur vera ipſa, inquit, oſtendit verbum verum eſſe in te, quando de ſcientia tua gignitur, id eſt quando quod ſcimus dicimus. Hæc ille.

Ex iſtis omnibus apparet, quòd illud, quòd Aug. tribuit memoriæ ratione ſcientiæ, vt gignenti, exponit ſe ſemper de obiecto præſente in memoria. Non eſt autem obiectum præſens in memoria, vt memoria intellectiua eſt per ſcientiam, vt eſt habitus diſtinctus à ſpecie, ergo oportet, quòd illam præſentiam eſſe intelligentia per ſpeciem intelligibilem, & ſub illa ratione, ſub qua diſtinguitur ab habitu ſcientiæ propriè ſumptæ, & hoc modo etiam debet accipi illud verbum Philoſophi, 3. de Anima, qui cum præmiſiſſet, quod anima eſt quodammodo omnia: ſubdit quòd per ſenſum eſt ſenſibilia, & per ſcientiam ſcibilia. Scientia quippè ibi tam apud Philoſophum, quàm apud Auguſt. in locis prædictis accipitur pro ipſa præſentia habituali obiecti in memoria intellectiua, quæ præſentia habitualis eſt virtualiter ſcientia: quia in obiecto ſic præſente, concipitur virtualiter tota ſciētia de tali obiecto. tex. 37

Hæc ſpecies eſt illa ſcientia, quæ reducit intellectum de potentia eſſentiali ad accidentalem, ſecundum Ariſt. 8. Phyſicorum, & 2. de Anima, non autem illa, quæ propriè dicitur ſcientia, quæ eſt habilitas quædam derelicta ab actibus: nam ante iſtam, ad primum actum conſiderandi requiritur, quòd ſit iam reductus intellectus de potentia eſſentiali, ad accidentalem, alioquin non operaretur tunc magis, quàm prius: vnde in cognitione ſpecies, in qua relucet quidditas dicitur ſcientia, non tantum virtualiter: quia totam continet, ſed formaliter poteſt dici habitus cognitiuus, quia eſt qualitas manſiua in intellectu diſponens ipſum ad actum. tex. 31. t. 1. & 5

Et ex hoc habetur argumentum pro ſpecie intelligibili: quia non videtur quomodo aliqua ſcientia tota dici poſſit vna ratione primi obiecti, niſi quatenus illa ſcientia continetur virtualiter in illo primo obiecto intelligibili. non enim tota illa ſcientia dicitur vna ab obiecto, quatenus relucet in phantaſmate, quia illa non eſſet vnitas alicuius habitus intellectualis, ſed alicuius imaginabilis.

Quod arguitur poſtea in ſecunda opin. quod potentia, quæ eſt ad aliquem actum ordinata, actuatur primo per illum actum. Dico, quòd quælibet potentia apprehenſiua, vt apprehenſiua eſt, eſt in potentia ad apprehendere primò primitate perfectionis, licet non primo primitate via generationis, & quandoque primo primitate generationis: quando ſcilicet obiectum in ſe eſt præſens tali potentiæ, vt actu cognoſcibile ab ea, tunc enim non oportet ante actum in potentia aliquid aliud fieri, in quo ipſum obiectum ſit præſens, ſed primum, quod fit ab eo eſt actus: quando autem obiectum non eſt natum in ſe eſſe præſens

ſub

ſub ratione actus cognoſcibilis à tali potentia, tunc qualibet potentia apprehenſiua eſt in potentia ad apprehenſionem, & ad illud, in quo cognoſcibile erit præſens, & prius ordine originis eſt in potentia ad habendum iſtam præſentiam, quàm ad habendum actum, & ita eſt in propoſito. Senſibilia enim non ſunt nata in ſe eſſe præſentia intellectui ſub ratione actu intelligibilium, ſed tantum in ſpecie intelligibili poſſunt ſic eſſe præſentia, & hoc quantum ad intellectionem abſtractiuam, de qua eſt ſermo in propoſito, & ideo potentea appræhenſiua reſpectu talium eſt in potentia ad duplicem actum, & ab agente approximato prius ordine originis recipiet priorem actum, quam poſteriorem, nec tamen intelligo ita iſtos actus eſſe ordinatos, quòd prior ſit ratio recipiendi reſpectu poſterioris: ſicut, ſcilicet ſuperficies eſt ratio recipiendi albedinem: tunc enim intellectus reſpectu nullius intelligibilis recipere poſſet actum ſecundum, qui eſt intellectio, niſi prius haberet actum primum: vt ſpeciem eiuſdem obiecti: ſed intelligo, quòd intellectus de ſe eſt ratio immediata recipiendi vtrumque actum, ipſi actus tamen inter ſe ſunt ordinati, quando obiectum non eſt natum eſſe præſens in ſe: quia tunc oportet prius naturaliter eſſe illum actum, quo obiectum eſt præſens, vt intelligibile, quàm illum, qui elicitur circa obiectum intelligibile, vt præſens.

Si inſtetur contra iſtam ſolutionem: quia nunquam pluralitas eſt ponenda niſi propter neceſſitatem, primo Phyſicorum. tex. o. *Hic autem non videtur neceſſitas, quia obiectum videtur ſufficienter præſens in phãtaſmate, ergo non eſt ponenda iſta ſpecies in intellectu. Reſpondeo, quòd neceſſitas eſt ſemper dignificare naturam nobilem, quando non apparet aliquid manifeſtè repugnans: ſed magna vilificatio naturæ intellectiuæ, vt intellectiua eſt, videtur eſſe, quòd non poſſit habere obiectum ſuum ſibi præſens in ſe, abſque mendicata præſentia à potentijs inferioribus, cum quibus contingenter coniungitur in ratione potentiæ, & tamen, quòd potentiæ aliæ inferiores poſſint habere obiectum ſibi præſens vt in ſe, & ſi intellectus poſſit habere obiectum ſibi præſens in potentia inferiori, non tamen ſumma præſentialitate poſſibili præcedere actum intelligendi, & ſicut alijs potentijs cognitiuis, ita multo magis iſti potentiæ debet concedi obiectum eſſe ſummè præſens, quantum poteſt eſſe præſens, ante actum cognoſcendi, & hic non ſaluatur niſi in ſpecie intelligibili. Non etiam ponitur perfectio ſumma poſſibilis potentiæ cognitiuæ, niſi ponatur eam poſſe conſeruare ſpeciem intelligibilem præter actum, & ita habere obiectum ſuum præſens conſeruatum ſine actu, quia hoc conceditur ſenſitiuè, & perfectionis eſt in cognitiua, quòd non dependeat ab aliquo in cognitione ſua, ſed quòd poſſit habere obiectum præſens, ſine dependentia ad aliam potentiam.*

Diſputatur an dentur ſpecies ſenſibiles, & defenditur pars affirmatiua, quæ eſt Scoti. Cap. II.

LVdouicus Buccaferreus 3. de Anima, Franciſcus Piccolomineus l. 3. de Humana mente, cap. 8. & multi alij ſuſtinẽt, quòd non datur ſpecies ſenſibilis diſtincta ab actu ſentiendi; Hanc ſuam ſententiam probant multis rationibus.

Primo, Hæc ſpecies ſenſibilis diſtincta ab actu ſentiendi, eſt inutilis, ergo non eſt ponenda; Antecedens probatur: quia Ariſt. 2. de Anima, tex. 141. ait, eundem eſſe actum rei ſenſibilis, & ſenſitiui: at actus ſenſitiui eſt iudicium, ſiue actus ſentiendi, ergo actus etiam ſenſibilis erit aliquod non diſtinctum à iudicio, & actu ſentiendi. 1. ro.

Secundo, Si darẽtur hæ ſpecies diſtinctæ ab actu ſentiendi, tunc poſſent ſeruari per memoriam abſque eo, quod præno ſcerentur, quòd minimè accidit: nam experientia percipimus ſolum id memoria ſeruari, quòd prænouimus. 2.

Tertio apertè Ariſtotel. has ſpecies diſtinctas ab actu ſentiendi reijcit. in libro de ſenſu, & ſenſibili; vbi diſputans aduerſus Democritum, damnat ſentẽtiam eius de modo videndi: volebat enim Democritus viſionem fieri per ſpecies ex viſibilibus prodeuntes: ibi autem Ariſt. fatetur ſenſibilia agere: at negat dari ſpecies diſtinctas ab actu ſentiendi. 3.

Quarto, quidam ita argumẽtatur: Iſtę 4.

ſpecies ſenſibiles ſpirituales, & diſtinctæ ab actu ſentiendi, non ſunt neceſſariæ, ergo non ſunt ponendæ; Probatur antecedens; Obiecta ſenſuum, & maximè quattuor vltimorum, agunt immediatè in ſenſu materialiter, ergo non eſt neceſſaria aliqua ſpecies ſpiritualis, antecedens probatur in ſingulis illis quattuor ſenſibus: in tactu non fit ſenſatio niſi per tactibiles qualitates, niſi per corporeum materialem contactum, ergo neceſſariò agunt materialiter: corpus enim calidum non poteſt eſse contiguum corpori frigido, quin illud calefaciat: ecce, quod per actionem illam realem corpus frigidum ſi vim ſentiendi habet, ſe cognoſcit ſentire calorem; idem de guſtabili dicendum, non enim ſentitur niſi guſtabile tangat, & agat materialiter in linguam, & illam afficiat ſapore materiali. Sonus quoque eſt realis motus partium aeris: vnde flante vento vehementi, feruntur ad aures noſtras ſoni, quos non flante vento non ſentiremus; ventus verò aduerſus illos pellit à nobis; Idem de odoribus qui feruntur ad nos à ventis: at ſi eſſent ſpecies ſpirituales non ſic deferERētur, agunt ergo materialiter, & ſic nōn eſt neceſſe ponere has ſpecies ſpirituales, & diſtinctas ab actu ſentiendi. Propter has rationes dicunt non debere nos ponere ſpecies ſenſibiles, & aiunt ſufficere obiecta ſenſibilia, quæ per ſe agunt in ſenſus, emittendo quoſdam vapores in medium, quibus perceptis à ſenſibus, fit ſenſatio abſque vlla ſpecie ſenſibili præcedente ſenſationem.

Opin. Scoti probatur & refellitur opin. ſuperior recitata. Ex altera parte Auerroes, Scotus D. Thom. & omnes ferè alij philoſophi, ſuſtinent ſpeciem ſenſibilem dari, & illam eſſe diſtinctam ab actu ſentiendi, & præcedere actum ſentiendi; eſt enim idolum, & imago obiecti: cum enim obiectum ſenſibile materialiter non poſſit ſentiri, producit ſpeciem ſenſibilem, quæ ipſum repræſentat, & defert potentiæ ſenſitiuę, & proinde potentia ſentiens ſimul cum illa ſpecie tamquàm obiecto, producit ſenſationem, vt diximus in Theoremate de ſenſu agente, cap. 2. quod ergo detur ſpecies ſenſibilis diſtincta ab actu ſentiendi, probatur in primis à Scoto (licet breuiter: neque enim hæc dubitatio tunc temporis erat excitata, quia eſt nimis clara ſententia Ariſt. vt nunc oſtēdimus) in 1. Sentent. diſt. 3. q. 6. in corpore quæſtionis, vt videre eſt in cap. antecedenti, vbi illam quæſtionem adduximus totam ad litteram; probatur inquam auctoritate Ariſt. 3. de Anima, tex. 37. vbi ait Philoſophus, quod anima eſt quodammodo omnia, ſed diuerſo modo quàm antiqui aſsererent: dicebant enim antiqui, quod anima erat omnia materialiter: at Philoſophus ait, quod anima eſt omnia per ſimilitudinē, & declarat hoc modo ſuam ſententiam; Omnia, quæ ſunt, vel ſunt ſenſibilia, vel intelligibilia, & rurſus, in textu 38. magis hoc declarat: ait enim, quod intellectus quandoque eſt in actu, & quandoque in potentia: & ſimiliter ſenſus quandoque eſt in actu, & quandoque in potentia: quādo intellectus eſt in potentia, ita quod nō intelligat actu, tunc eſt res intelligibilis non actu, ſed potentia: quando autem actu illas res intelligit, fit illa res actu, & idem dicit de ſenſu; Modo conſtat, quod anima per ſenſum non fit res ſenſibiles materialiter: nam homo vidēdo leonem, non fit leo materialiter, & realiter, neque audiendo ſonum, fit ſonus materialiter, ergo ſequitur, quod fiat res ſenſibiles ſolum ſpiritualiter, & per ſimilitudinem, & ſic intellectus etiam fit res intelligibiles per ſimilitudinem, quia recipit in ſe ſpecies rerum intelligibilium; Hoc modo etiam differt ab antiquis, qui dicebant animam eſſe omnia materialiter; pro tanto ergo anima dicitur fieri res ſēſibiles, quia recipit in ſe ſpecies repręſentantes res ſenſibiles, & intellectus fit res intelligibiles, quia recipit in ſe ſpecies rerum intelligibilium. Secundo clariſſimè Ariſtot. voluiſſe dari has ſpecies ſenſibiles diſtinctas ab actu ſentiendi, elicitur ex 2. de Anima, textu 121. ibi enim apertè aſſerit, ſenſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum ſine materia: & exemplificat, vt cera annuli ſine ferro, & auro recipit ſignum; modo forma ſenſibilis ſine materia eſt ipſa imago ſpiritualis rei ſenſibilis, quam nos ſpeciem ſenſibilem dicimus; Neque aliquis poteſt cauillare, dicendo Ariſtot. ibi loqui de aliquo vno ſenſu ſolum, vt de viſu, quoniam ibi proteſtatur ſe loqui de omnibus ſēſibus:

1. ra 2. ra

ait

ſit enim (*Oportet autem vniuerſaliter de omni ſenſu accipere: quoniam quidem ſenſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia, &c.*) declarando magis hanc veritatem in illo textu in calce ait, quòd vnuſquiſque ſenſus patitur à proprio obiecto, vt viſus à colore, guſtus ab humore, auditus à ſono, &c. ſed non patitur ab his obiectis eo modo, quo ſunt obiecta, id eſt, à propria eorum ſubſtantia, & materialiter, ſed inquantum huiuſmodi obiecta re præſentantur per imaginem, & per quandam rationem ipſa repræſentantem; quẽ locum exponens optimè Auerroes, ait: Si ſenſus reciperet formas ſenſibiles cum materia, ſequeretur ſenſibilia habere idẽ eſſe in anima, & extra animam, quia vtrobique haberent eſſe materiale, quòd tamen eſt falſum: quia in anima ſunt intentionaliter, extra animam, materialiter. Neque valet ſi quis dicat, hanc ſpeciem de qua loquitur Ariſtot. eſſe eundem actum ſentiẽdi; eſt enim clarus text. quòd loquitur de imagine, & ſpecie repræſentãte, & mouente potentiam ſenſitiuam; ait enim, quòd ſenſus patitur ab obiecto ſenſibili nõ materialiter, ſed per imaginem, & ſimilitudinem eius; modo actus ſentiẽdi non mouet ſenſum, ſed eſt effectus motionis, & ſubſequitur motionem, vt patet. Præterea ait, quod ſenſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia, ſicuti cera eſt ſuſceptiua ſigni annuli: ſignum autem annuli non eſt actus impreſſionis factæ in cera, ſed pura imago annuli repræſentãs annulum. Item hęc forma ſenſibilium ſine materia, quam recipit ſenſus, eſt permanens, ſicuti ſignum annuli impreſſum cerę permanet; at actus ſentiendi tranſit, imago autem illa ſenſibilis, permanet. Sed hic locus eſt nimis clarus, ideo ad alia accedamus. Hoc etiam habetur expreſ-
3. ſè ex eodem 2. de Anima, textu 138. ibi enim Ariſt. repetit eandem ſententiam, quam habet textu 121. ſcilicet, quod ſenſus eſt ſuſceptiuus ſpeciei ſenſibilis ſine materia; & hoc probat, quia abeuntibus ſenſibilibus inſunt ſenſus phantaſiæ, quibus ſentiunt, id eſt, abeuntibus ſenſibilibus, etiam ſentimus, ſignum eſt ergo, quòd remanent quædam imagines ſpirituales in ſenſibus, & phantaſia, quæ repræſentant nobis ipſa ſenſibilia, quibus ſentimus; Modo iſta, quæ remanent abeuntibus ſenſibilibus non poſſunt eſſe actus ſentiendi, quia iſti actus non poſſunt manere, & eſſe ſine obiecto; ideò abeuntibus ſenſibilibus, quæ ſunt obiecta, non poſſunt manere actus. Præterea, actus ſentiendi non poteſt haberi niſi adſit obiectum, quod ſentiatur, actus etiam ipſe ſentiendi non poteſt inſeruire pro obiecto; tum, quia ipſe eget obiecto ad hoc vt ſit; tum, quia actus eſſet obiectum actus, quod eſt inconueniens; ergo ſi abeuntibus ſenſibilibus materialibus in phãtaſia fiunt ſenſationes, & actus ſentiendi eliciuntur, neceſſe eſt dicere, quod in phãtaſia remaneant imagines repræſentantes ſenſibilia, quæ ſint omninò diuerſa ab actu ſentiendi, & quas recipiente ſenſu, & mediante phantaſia fiant ſenſationes imaginariæ.

Quartò, fortiſſima ratio deſumitur ex dicto Ariſtot. communi, quòd ſenſibile 4.
poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem; ſed eſt neceſſe quod intercedat medium, tunc ita argumentor. In ſenſatione potentia ſenſitiua patitur à ſenſibili, quia ſentire eſt pati, & non niſi ab obiecto: at obiectum materiale non tangit ſenſum, quia poſitum ſupra ſenſum non fit ſenſatio, ergo eſt neceſſe, quod detur aliqua res ſpiritualis repræſentans ipſum ſenſibile, quæ per medium deferatur ad organum, & potentiam ſenſitiuam, à qua ſenſus patiatur, & ſic fiat ſenſatio. Quòd ſi quis dicat, ſenſibile quidem non poſſe poni ſupra ſenſum, quia non fieret ſenſatio, non tamẽ propter hoc recurrendum eſſe ad ſpeciem ſpiritualem, quoniam ſenſibile obiectum emittit quoſdam vapores, qui deferuntur ad organum ſenſus, & ſic fit ſenſatio. Contra: Si hoc eſſet verum, vt optimè notauit Zabarella, valeret ſolum in ſenſu olfactus, non enim in alijs ſenſibus ſenſatio fit per exhalationem humorum; ſed neque in hoc ſenſu valet: quia odor habet eſſe materiale tam in vapore exhalato, quàm in corpore à quo exhalatur vapor, & ideò eadem ratio eſt vtrinque: vnde ſi corpus à quo exhalatur vapor, poſitum ſupra organum, non ſentiri poteſt, neque vapor exhala-

tus poſitus ſupra organum poterit ſentiri, quia eſt ſenſibile materiale: neceſſe eſt ergo reperiri ſpeciem repræſentantem odorem, per quam fiat ſenſatio, & olfactio; & per hanc vltimam rationem impugnatur quoque modus, quo aduerſarij dicunt fieri ſenſationem. Iacobus Zabarella libro de Speciebus intelligibilibus, capite 5. tenet, quòd ſpecies nil aliud ſit, niſi ipſamet ſenſatio; in libro autem de Senſu agente, capite 8. & 9. tenet ſpeciem ſenſibilem diſtingui à ſenſatione, & præcedere ipſam ſenſationem, vt patet in toto illo libro, ſed præſertim confutando opinionem Scoti ait, quod obiectum non concurrit ad cauſandum ſenſationem, ſed ſolum ſubminiſtrat ſpeciem ſenſibilem, ſine qua fieri non poteſt ſenſatio; adeo quòd diſtinguit ſenſationem à ſpecie, & ſic eſt ſibi inconſtans: neque hæc eius inconſtantia poteſt ſaluari vllo modo, quia ipſe in libro de Senſu agente, capite 5. commendat opinionem Alberti, dicentis qualitates ſenſibiles producere, & multiplicare in medio ſpecies ſuas: tenet autem in eodem libro de Senſu agente, capite 8. & 9. quòd actus ſentiendi producitur non ab obiecto, neque à ſpecie ſenſibili, ſed à ſola anima: tenet enim, quod ſenſatio nil aliud ſit niſi iudicium factum ab anima de obiecto ſenſibili, ex quo patet apud eum nullo modo poſse eſse idem, ſpeciem ſenſibilem, & ſenſationem: quia hæc producitur ab anima ſolum; illa ab obiecto ſolum: ideo, vt ſibi apertè contradicens, dimittatur. Ideo ad rationes aduerſariorum eſt reſpondendum; ad primum facilis eſt reſponſio intuenti textũ illum 141. Ariſtotel. verum eſt quidem, quòd actus ſenſibilis, & ſenſitiui, eſt idem, & hoc dicit ibi Ariſtot. ſicuti enim actus agẽtis, & paſſi, mouentis, & moti, ſecundum ſubſtantiam eſt vnus, & idem, tamen eſt diuerſus ratione, vt in eodem tex. docet Ariſtot. & paulo ante in tex. 138. & 3. Phyſ. circa textũ 20. & inde, ita actus ſenſibilis, & ſenſitiui eſt vnus, & idem ſecundum ſubſtantiam, quia ſenſibile agit, & ſenſus patitur: ſecundum rationem verò differunt, quia, vt prouenit à ſenſibili, dicitur actio, vt recipitur in ſenſu, dicitur paſſio; attamen ex hoc non infringitur ſententia noſtra, ſed potius confirmatur: quia quæro, quodnam eſt illud ſenſibile, quod producit hunc actum ſimul cum ſenſu? certè non eſt ſenſibile materiale, quia illud poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, ergo eſt illa ſpecies ſenſibilis repræſentans obiectum reale, & materiale, non ergo ex hoc habetur quod iſtæ ſpecies ſenſibiles ſint redundantes.

Opin. Zab. *Ad rones Iacc.* *Ad 1.*

Ad 2. Ad ſecundum negatur conſequentia quam non probat: ſeruantur enim quidem in memoria, ſed prius prænoſcuntur, quia nihil eſt in memoria, quod non ſit præcognitum à ſenſibus externis, & internis: talis autem eius conſequentia, quod ſi tales ſpecies ſenſibiles dentur, poſſent ſeruari in memoria abſque eo, quod prænoſcantur, vnde deducatur, non video.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd Ariſt. ſenſit viſionem fieri per ſpecies ſenſibiles colorum; ad illud verò de ſenſu, & ſenſibili, Reſpondetur, quòd non reijcit Democritũ in hoc, quod poſuit ſpecies ex viſibilibus prodire, & recipi in medio, & tandem in oculo, quia etiam hoc admittit Ariſt. dum ſuſtinet, quòd viſio fit per receptionem, non per extramiſſionem: ſed reprehendit, quia Democritus putauit, quod viſio nil aliud ſit, niſi receptio ſpeciei in oculo, qui eſt organum potentiæ viſiuæ: quod eſt falſum: quia tunc ſequeretur, quod omne illud, in quo recipitur aliqua imago, videret, & ſic ſpeculum, in quo recipiuntur ſpecies rerum, videret, quod eſt abſurdum. Viſio ergo non eſt receptio ſpeciei in organo, ſed eſt receptio cognitionis ſpeciei, & iudicij de ſpecie in potentia viſiua, ſicuti vniuerſaliter eſt omnis ſenſatio, vt ſuo loco ſuprà diximus.

Ad 4. Ad quartum, dimiſſis multis quæ dici poſsẽt, breuiter conceditur obiecta illorũ quattuor ſẽſuũ agere materialiter in medium; hoc enim eſt neceſſariũ: vnde etiã color, qui eſt obiectum viſus, agit in medium perſpicuũ materialiter: ſed nõ propter hoc ſequitur, quod nõ agãt quoque ſpiritualiter, & producãt ſpecies ſpirituales ſenſibiles, alioquin non poſsẽt producere

cere ſenſationem, vt oſtendimus quia ſenſus recipit ſpecies ſine materia: iſta autem ſpecies neceſſariò debet recipi, vel in medio, vel in organo; & notandum eſt, quod iſtæ ſpecies dicuntur ſpirituales, non quia non ſint entia realia, quia ſi non eſſent entia realia, eſsent nihil, ſed ſunt quædam res tenues, & leuis entitatis admodum, & ſunt imagines, quibus aliæ res repræſentantur, & iſtæ habent varios gradus: aliæ enim magis, aliæ minus accedunt ad materialem naturam, & ſic moueri per medium poſsunt aliquæ magis, aliquæ minus, vt etiam notauit Zabarella libro de Senſu agente, cap. 6. Reſpondendo ad vltimum.

Exponitur opinio eorum qui negant dari ſpecies intelligibiles impreſſas.
Cap. III.

Non leuis eſt difficultas inter Philoſophos, nunquid dentur ſpecies intelligibiles, quas diximus in Theoremate de operatione intellectus agentis produci per primam operationem eiuſdem intellectus agentis. Duæ itaque ſunt omninò oppoſitæ ſententiæ. Altera eſt Scoti, & D. Thom. quos nonnulli alij ſequuntur, vt Gregorius Ariminenſis, 2. Sent. diſt. 7. q. 3. & 1. diſt. 3. q. 1. Zimara Theoremate 82. & multi alij, licet Scot. & D. Thom. poſtea differant quantum ad modum ponendi iſtarum ſpecierum; nam Scotus vult, quod gerant vicem obiecti, & inſeruiant pro repræſentatione ipſius obiecti realis, quod per ſe non poteſt eſſe præſens intellectui. D. Thom. verò vult, quod ſpecies ipſa ſit forma intellectus, mediante qua intellectus intelligat; De qua re diſputauimus in Theoremate de cauſis producentibus intellectionem: pro nunc ſufficit, quod conſentiunt, quod dantur ſpecies intelligibiles impreſsæ. Alij verò, vt Henricus de Gandauo. Ioan. Bacchonus 2. Senten. d. 6. q. 1. art. 3. Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, Franciſcus Piccolomineus lib. de Humana mente, cap. 7. Zabarella libro de Speciebus intelligibilibus, cap. 5. & per totum, Buccaferreus 3. de Anima, lectio. 22. & omnes ferè recentiores, negant dari ſpecies

Duæ oppoſitæ ſent. 1. eſt Scoti D T. & aliorũ.

opin. Hẽr. Bacc. Mer. Picc. & Zab.

impreſſas: ſed tamen inter ipſos eſt aliquod diſſidium. Sed pro intelligentia eſt ſciendum nunc craſſa Minerua, quid ſit ſpecies intelligibilis impreſſa; nam ex dicendis melius patebit, quid ipſa ſit; pro nunc ergo ſpecies intelligibilis impreſſa nil aliud eſt, niſi quædam imago, & quoddam idolum repræſentans obiectum intelligibile, quod quidem idolum, & imago, appellata ſpecies intelligibilis, formatur ab intellectu ex phantaſmate exiſtente in phantaſia; appellatur autem ſpecies impreſſa, quia imprimitur in ipſo intellectu ante intellectionem ipſam, & remanet etiam in ipſo intellectu poſt actum intelligendi: iſti ergo qui negant dari has ſpecies impreſſas, dicunt ſufficere phantaſma abſque illa ſpecie: nam phantaſma illuſtratum à lumine intellectus agentis, oſtendit, & repræſentat intellectui poſſibili obiectum intelligibile ſufficienter, ita, vt poſſit haberi intellectio abſque vlla alia ſpecie intelligibili: & ipſum phantaſma appellant ſpeciem expreſſam; appellant ſpeciem, quia illuminatum ab intellectu agente, repræſentat obiectum intelligibile; in eo enim relucet: appellatur verò expreſsa quia non imprimitur, neque remanet in intellectu, ſed tantum exprimit, & repræſentant obiectum intelligibile; omnes autem iſti, & maximè recentiores, dicunt, ipſam intellectionem actualem eſſe veram ſpeciem intelligibilem: quia ipſa eſt res intellecta in eſſe cognito, quæ tantum habet eſse in actu, dum fit, & producitur: ſed ceſſante operatione intellectus, ipſa quoque ceſſat, cum nil ſit præter ipſam actualem intellectionem; & hæc poteſt dici ſpecies impreſſa; quia re vera intellectio actualis imprimitur in ipſomet intellectu actualiter: nã intellectio eſt in intellectu tamquam in ſubiecto, quo ad hoc eſt poſtea aliquod paruum diſſidium, ſed parui momenti; Solum in hoc aliqui diſcrepant, quia negant hãc intellectionem eſſe aliquod ens reale, id eſt, eſſe qualitatem realem receptam in intellectu; ſed volunt eſſe tantum quãdam relationem; quæ diſputatio non pertinet ad præſentem locum. Redeundo ergo ad noſtrum propoſitum, illi qui

decl. qd ſit ſpec. intel ĩpreſ.

qui negant dari ſpecies impreſſas diſtinctas ab actu intelligendi, quæ præcedat actum ipſum intelligendi, & remaneant poſt ipſum, vtuntur his rationibus, ex Zabarella libro de Speciebus intelligibilibus, cap. 6.

1. rō. cōtra ſpec. impr. Primò, ſi ſpecies imprimeretur in intellectu, ſequeretur, quòd intellectus neceſſariò ſemper illam intelligeret, conſequens eſt manifeſtè falſum, vt patet; Conſequentia probatur: quia ſpecies non poteſt imprimi in intellectu niſi abiuncta à materia, & nudata conditionibus materialibus, ſecundum autem Ariſt. in Cont. 15. & 16. 3. de Anima, omne abiunctum à materia eſt actu intelligibile; immò intellectus, & intellectio ipſa; ſpecies ergo quæ imprimitur eſt intellectio; ergo nulla alia ſpecies datur, quæ ſit diſtincta ab intellectione, & præcedat intellectionem, & remaneat poſt eandem.
2. Secundo fortius arguit aduerſus ponentes ſpecies intelligibiles habere rationem obiecti, vti eſt Scotus; Sic ſequeretur neceſſario ſtante hac opinione, quod intellectus ſemper intelligeret; conſequens eſt apertè falſum; conſequentia probatur: quia intellectus eſt ſemper aptus ad intelligendũ, eſt enim potentia naturalis, habet obiectum actiuum, quod ſemper eſt præſens, ſcilicet iſtam ſpeciem impreſſam, ergo ſemper intelligeret.

3. Tertiò, Nulla forma ab agente producta in patiente, poteſt habere locum agentis, quia nulla forma agit in ſuam materiam, in qua eſt, ſed habet potius locum effecti, vt patet de forma ignis in ligno genita, non habet locum efficientis reſpectu illiuſmet materiæ ligni, ſed ſolum formæ effectæ, ergo fruſtra ponitur hæc ſpecies intelligibilis à Scoto, vt gerat vicem obiecti, & agat in intellectum, cũ
4. hoc munere fungi minimè poſſit. Quartò, ſi daretur ſpecies impreſſa præcedens, & manens poſt intellectionem, ſequeretur dari memoriam intellectiuam, conſequentia eſt clara, & conſequens eſt falſum: vt habetur ex Ariſt. lib. de Memoria, & reminiſcentia, vbi Ariſt. ſtatuit ſolam memoriam ſenſitiuam, non intelle-
5. ctiuam. Quintò, arguunt aliqui alij, vt refert Zabarella cap. 5. libri citati, ſic. Ariſtot. 3. de Anima, tex. 5. ait, intellectum nihil eſse actu eorum, quæ ſunt antequã intelligat: at ſi poneretur ſpecies intelligibilis in intellectu præcedens operationem intellectus, intellectus eſſet factus aliquid antequam intelligeret; Item textu 14. eiuſdem 3. de Anima, habet Ariſtot. quod intellectus noſter antequam intelligat, eſt tamquam tabula raſa, in qua nihil eſt depictum; non vult ergo Ariſt. aliquã ſpeciem in intellectu præcedere intellectionem. Huic rationi maximè innititur Bacchonus 2. Sentent. loco ſuprà citato.
Sextò, ſatis ſaluatur intellectio per ſpeciem expreſſa, id eſt, per ſolum phantaſma illuſtratum ab intellectu agente, ergo ſuperfluum eſt ponere ſpecies impreſſas diuerſas ab intellectione; conſequentia eſt clara: quia fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Antecedens patet: quoniam præſentia obiecti apti nati ad mouendum, poteſt ſine alicuius auxilio producere intellectionem, ſi nihil impediat. Septimò, forma non poteſt eſſe ſubiectum accidentium, intellectus eſt forma, ergo non poteſt eſſe ſubiectum ſpecierum, quæ ſunt accidentia. Octauo, ſubſtantia æterna non eſt capax accidentium variabilium, intellectus eſt ſubſtantia æterna, ſpecies verò ſunt accidentia labilia, ergo intellectus non poteſt recipere ſpecies. 6. 7. 8.

His rationibus vtitur ferè omnibus Fraciſcus Piccolomineus quoque in libro 3. de Humana mente, cap. 7. & inſuper addit has. Nonò, Superius non perficitur ab inferiori, vt à propria forma: at mens eſt ſuperior quidditate materiali, ergo intellectus non perficitur ab hac ſpecie. Decimò, Si ſpecies reciperetur in intellectu, & in illo ſeruarentur, habitus non eſſet neceſſe dum colligere volumus, aliquod phantaſma ſpeculari, at Ariſtot. voluit, quod numquam intelligere poſſumus niſi ſpeculando phantaſmata; iudicauit enim Ariſtot. quod non poſſit fieri intellectio ſine actione phantaſmatis, & hanc rationem multum exaggerat Zabarella, capite 8. lib. eiuſdem, de Speciebus intelligibilibus aduerſus Scotum. Vndecimò ex 7. Phyſ. argumentatur textu 20. vbi Philoſophus habet hæc verba. *(Vt igitur neque cum* Picc. 9. 10. 11.

que cum dormiens excitatur, aut ebrius eſſe deſinit, aut ægrotus conualeſcit, fit ſciēs, quamuis prius non valuerit vti, & agere ſecundum ſcientiam, ſed abeunte perturbatione, & ad tranquillitatem redacta mente, ineſt potentia ad ſcientiæ vſum, ita huiuſmodi aliquid fit in prima ſcientiæ adeptione; perturbationis enim quies quædam fit, & tranquillitas, &c.) & colligens inquit patet itaque quòd alteratio in ſenſibilibus, & in ſentiente animæ parte, in alia autem nulla niſi ex accidenti conſpicuè Philoſophus affirmat in mente nil recipi, ſed ſolum ex ea prodire iudicium; quod eo loci etiam confirmat Auerroes. Io. Bacchonus 2. Sent. pro hac ſententia arguit multipliciter, ſed maximè innititur ſecundæ rationi ſuperius adductæ, & multis auctoritatibus Auerrois; ſed præter eas ſic arguit; Si ponatur ſpecies impreſſa, ſequitur quod primus actus intellectus erit reflexus, & non rectus; conſequens eſt falſum, vt patet: conſequentia probatur: quia aſpectus intellectus ad illud, quod eſt formaliter, & ſubiectiuè in ipſomet intellectu, eſt aſpectus reflexus: at ſi ponitur ſpecies in quodam eſſe expreſſo, & obiectiuo, & non impreſſo, vt cōtingit ponendo hanc ſpeciem eſſe phantaſma illuminatum, actus primus intellectus erit rectus: quia actus primus intellectus eſt aſpectus obiecti extra ſe, & non in ſe impreſſi. Item aut intelligere eſt agere ipſius intellectus, & tunc non oportet ponere ſpeciem impreſſam: quia potentia actiua nata eſt ſe ipſa producere actū proprium præſente illo, quod cauſat, quod eſt ſpecies expreſſa nempè phantaſma ſine aliquo alio; Aut intelligere eſt pati, cauſatum ab obiecto, & tunc etiam nō oportet ponere ſpeciem præuiam: quia primum, quòd ponitur cauſari ab obiecto, eſt paſſio recepta in paſſo, quæ non eſt ſpecies. Vltimo, obiectum præexigitur potētiæ, quæ ad actum ſuum in quodam eſſe obiectiuo expreſſo, non impreſſo; Antecedens patet, quia hæc vnio eſt cognoſcentis, & cogniti, quæ nil aliud requirit, niſi quod cognoſcibile ſit præſens cognoſcenti in eſſe obiectiuo expreſſo. Pro hac opinione ſunt multæ aliæ rationes adductæ ab Henrico, quas quoniam Scotus in præadducta quæſtione adducit, & ſoluit, nolui repetere.

Allata opinio reijcitur, & ſententia Scoti probatur, & declaratur. Cap. IV.

Scotus 1. Sent. diſt. 3. q. 6. enixè hanc recitatam ſententiam, quam ipſe tribuit Henrico, funditus euertere conatur, & oppoſitam ſuſtinet eſſe veram, ſcilicet, quòd dantur ſpecies intelligibiles impreſſæ omninò diſtinctę ab ipſa intellectione, præcedentes actum intellectionis, & remanentes poſt ipſam intellectionem in intellectu; & hoc probat multis vijs, vt patet ex quæſtione eius nunc adducta in hoc Theoremate, quæ maxima doctrina plena eſt; Ego autem aliquas eius rationes breuius quo potero, adducam. Primò ſupponit Scotus vnū, quod ab omnibus conceditur, ſcilicet, quod intellectus cognoſcit vniuerſale, immò de vniuerſalibus ſolum ſunt ſcientiæ, non de particularibus; ex hoc ſuppoſito manifeſto, accipit hanc propoſitionem. Intellectus poteſt habere obiectum actu vniuerſale perfectè ſibi præſens in ratione obiecti prius naturaliter, quàm actu intelligat; Ex hac propoſitione, quòd eſt antecedens, ſequitur propoſitum, ſcilicet, quod in illo priori habet obiectum ſibi præſens in ſpecie intelligibili, & ita intellectus habet ſpeciem intelligibilem in ſe prius quam intelligat. Antecedens aſſumptum eſt manifeſtum: quia obiectum in ratione obiecti, præcedit actum potentiæ cuius eſt obiectum, ergo vniuerſalitas, quæ eſt propria conditio obiecti, inquantum obiectum intellectus, vt ſuppoſitum eſt, præcedere debet actū intelligendi, alioquin vniuerſale contradiſtinctum à ſingulari, non poſſet intelligi ab intellectu, vt obiectum ſuum. Hoc ergo eſt clarum, ſcilicet, quod vniuerſale ſub ratione vniuerſalis, cum ſit obiectum intellectus, præcedit actum intelligendi, qui prouenit & ab intellectu, & ab ipſo obiecto vniuerſali; conſequentia verò probatur à Scoto, Primò, ex parte vniuerſalitatis obiecti; Secundò, ex parte præſentiæ obiecti; Ex parte vniuerſalitatis obiecti arguit ſex vijs, & omnibus his probat, quòd obiectum illud

vniuerſale, quod eſt ſic præſens intellectui, eſt præſens per ſpeciem intelligibilem, & ſic probat quoque, quòd ſpecies intelligibilis præcedit actum intelligendi, (& nota, quod allatum ſuppoſitum neceſſariò habet concedi ab omnibus vijs, quamuis differãt in aſſignando modum operationis intellectus agentis, quia ſecũdum omnes, intellectus intelligit vniuerſale, & quod intelligitur, & cognoſcitur ab intellectu, habet rationem obiecti: obiectum autem neceſſariò præcedit actum potentiæ, cuius eſt obiectum: ratio enim formalis obiecti eſt, quod obijciatur potentiæ à qua poſtea dum circa illud verſatur, oritur actio, & operatio.)

1. rō. Primò arguit ſic. Certum eſt, quòd phãtaſma, ſiue ſpecies expreſſa eſt repræſentatiua ſingularis, quia eſt imago, & idolum ſingularis delati a ſenſibus externis, & traditũ phantaſiæ: tunc ſic, nulla eadem ſpecies eſt per ſe repræſentatiua obiecti ſub oppoſitis rationibus: ratio ſingularis, & ratio vniuerſalis ſunt oppoſitæ rationes, ergo phantaſma, ſiue ſpecies expreſſa, quæ eſt omnino eadem ſpecies nõ poteſt repræſentare obiectũ, & ſub ratione ſingularis, & ſub ratione vniuerſalis, at repræſentat obiectũ ſub ratione ſingularis, ergo non poteſt repræſentare ſub ratione vniuerſalis illud idem obiectum, ergo eſt neceſſe, quod detur aliqua alia ſpecies repræſentans obiectum vniuerſale. Maior patet: quia eius oppoſita implicat repugnantiam; Minor

reſp. adu. eſt clara. Reſpondetur ab aduerſarijs, quòd eadem ſpecies ſub alio, & alio lumine repræſentat obiectum ſub alia, & alia ratione, ideo phantaſma, & ſpecies expreſſa licet ſit eadem, tamen per lumen phantaſiæ repræſentat ſingulare, & per lumen intellectus agentis repræſentat vniuerſale; Supponunt enim omnes aduerſarij, quod phantaſma in ſe claudat naturam vniuerſalem cum conditionibus indiuiduantibus, & ſic aliqui dicunt, quòd intellectus agens illuminando phantaſma, oſtendit naturam vniuerſalem, & quidditatem, & ſic illam intelligit intellectus poſſibilis; illi verò qui dicunt intellectum agentem intelligere formaliter, & non poſſibilem, dicunt, quòd præſentato intellectui phantaſmate, intellectus percipit quidditatem derelinquendo conditiões materiales, & ſic dicitur agens, totum ergo fundamentum eſt, quòd in phantaſmate reperitur, & quidditas vniuerſalis, & ſingularitas; ideo diuerſo modo poteſt illud phantaſma repræſentare, & ſingulare, & vniuerſale ipſi intellectui. Sed pro intelligentia falſitatis huius reſponſionis, eſt notandum, quòd phantaſma eſt ſingulare, & nullo modo in ſe claudit naturam, & quidditatem vniuerſalem, vt iſti ſupponunt, ita quod intellectus in ipſo phantaſmate poſſit intueri, & naturam ſingularem, & vniuerſalem; & probatur hoc modo: phantaſma eſt imago naturalis repræſentans ſingulare, vt Socratem in phantaſia, eo modo, quo Socrates eſt, alioquin non eſſet vera imago: at Socrates, & vniuerſaliter ſingulare quodlibet repræſentatum in phantaſia per phantaſma, eſt ſingulare tantum, & non claudit in ſe naturam, neque quidditatem vniuerſalem, ergo neque phantaſma poteſt includere in ſe naturam, & quidditatem vniuerſalem. Maior eſt clara; Minor probatur: quia vniuerſale fit ab intellectu etiam ſecundum Aduerſarios, ergo vniuerſalitas non eſt in re ante operationem intellectus. Reÿc. Præterea, vniuerſale, & quidditas eſt, quæ eſt in pluribus, & prædicatur de pluribus; quidditas, quę eſt in Socrate, eſt communis vni ſoli, ſcilicet ipſi Socrati, & non pluribus, ergo quidditas Socratis, non eſt vniuerſalis. Præt.

Præterea, indiuiduum, & ſingulare, claudit naturam, & quidditatem in ſe, non abſolutè, & in ſua communitate: quia tunc tota natura humana eſſet in Socrate; ſed claudit naturam, & quidditatem contractam, adeo quod includit ſolum vnam portionem ſingularem (ſcimus enim, quòd natura humana, & vniuerſaliter quælibet natura materiata, communicatur pluribus cum ſui diuiſione) ſingulare, ergo non habere in ſe quidditatem vniuerſalem, ſed quidditatem particularem, & contractam: phantaſma ergo, quod repræſentat ſingulare, vt Socratem eo modo, quo eſt, non poteſt repræſentare naturam, & quidditatem vniuerſalem: quia illa in Socrate non eſt ex natura rei, ſed eſt poſtea intellectus noſter agens, Præt.

qui for-

qui format hos conceptus vniuerſales circa illud phantaſma, dum ſibi oblatum eſt à phantaſia, & laborat vt illud intelligat, vt diximus in Theoremate de Operatione intellectus agentis.

Conſtituta ergo hac veritate, quòd phantaſma eſt ſingulare, & quòd repræſentat ſolum ſingulare, ita contra reſponſionem allatam arguit Scotus. Repræſentatiuum prius naturaliter eſt aliquid in ſe, quàm repræſentet: quia enim phantaſma, ſiue ſpecies expreſſa (idem enim ſunt) eſt talis res, ideo eſt repræſentatiua talis rei: non ergo ſpecies, & phantaſma habet à lumine, quod ſit repræſentatiua, ſed ex propria natura: vndè quia eſt talis naturæ, poſtea congruit ei tale, & tale lumen, mediante quo repræſentat; & hoc totum probatur: quia alioquin idem phantaſma poſſet repræſentare, & ſonum, & colorem, quod eſt ridiculum. Ex hoc ita argumentatur; Phantaſma eſt res ſingularis, & repræſentans ſingulare naturaliter, ergo licet varietur lumen, non tamen propter hoc variabitur ratio eius in repræſentando: immò lumen non repræſentat: ſed eſt cauſa, vt repræſentatiuum clarius repræſentet: nam cum reperitur ſpecies albi, & nigri in medio, tamen non variat illas ſpecies, neque mutat illas, ſed facit, quòd clarius illæ ſpecies repræſententur. Secundò principaliter.

2. rō princ. Repræſentatiuum repræſentans ſecundum totam virtutem ſuam obiectum aliquod ſub vna ratione obiecti, non poteſt ſimul repræſentare illud ſub alia ratione obiecti: ſed phantaſma in eodem inſtanti, in quo intelligitur vniuerſale, ſecundum totam ſuam virtutem repræſentat obiectum vt ſingulare virtuti phãtaſticæ: quia tunc eſt imaginatio actualis illius obiecti in ſingulari, ergo in illo inſtanti phantaſma non poteſt repræſentare vniuerſale. Maior eſt clara; Minor probatur: quia aliàs virtus phantaſtica non poſſet habere per phantaſma ita perfectum actum circa obiectum, ſicut obiectum natum eſt repræſentare per illud phantaſma.

3. rō princ. Tertia ratio principalis eſt ex parte intellectus agentis; Intellectus agens ſecũdum omnes Philoſophos, eſt potẽtia actiua merè: quia eius eſt omnia facere, ſicut poſſibilis eſt omnia fieri, & eſt agens verum, & reale, non nomine ſolum, licet enim agat intentionaliter, & ſpiritualiter, tamen eſt agens verum, & reale, ſicuti etiam entia intentionalia, vt ſcientiæ ipſæ ſunt entia realia, & qualitates receptæ in anima; Hoc conſtituto, ſequitur, quòd terminus actionis intellectus agentis, eſt terminus realis, & vnus; (vnius enim actionis vnus terminus) ſubinfero amplius: ille terminus actionis intellectus agentis, non eſt in phantaſmate: quia quod recipitur in phantaſmate, eſt extenſum, cum ſit phantaſma quoque extenſum, & quantum: vndè tunc ille terminus actionis intellectus agentis eſſet extenſus, hoc autem dato, tunc intellectus agens non trãſferret obiectum de ordine in ordinem, & eſt contra naturam ipſius intellectus agentis: qui cum ſit virtus omninò immaterialis, non poteſt producere effectum extenſum, & quodammodo materiatum: ergo ille terminus recipitur in intellectu poſſibili: ſed ille terminus primus cauſatus ab intellectu agente, non poteſt eſſe actus intelligendi: quia vt ſuppoſuimus in principio, obiectum debet præcedere actum potentię, cuius eſt obiectum, vniuerſale autem eſt obiectum intellectus, (quia nunc loquimur de cognitione vniuerſalis,) ergo primus terminus intellectus agentis, eſt productio vniuerſalis obiecti: illud eſt ſpecies repræſentans vniuerſalem naturam, & quidditatem exiſtẽtem in rebus, ergo à primo ad vltimũ, terminus primus actionis intellectus agẽtis, eſt ſpecies intelligibilis præcedẽs actũ intelligendi, & recepta in intellectu poſſibili, ergo ſpecies intelligibilis impreſſa datur. Hic nota, quod aliqualiter diuerſo modo confeci hanc rationem, ac conficiat Scotus, vt tollam reſponſiones aduerſariorum. *Not.*

Quartò, dimiſſo alio argumento, ex operatione intellectus agẽtis ex tertia via ſic arguit; Habitus, & ſcientia magis vniuerſalis eſt diuerſus habitus ab habitu, & ſcientia minus vniuerſali, vt patet de Metaphyſica, quæ eſt habitus diuerſus à Phyſica, & Mathematica; Hoc ſuppoſito, ita argumentatur. Contingit vti *4. rō ſumptae x 3 via*

habitu

habitu magis vniuerſali, non vtendo aliquo habitu minus vniuerſali, ita quod quis habens habitum magis vniuerſalem, poteſt contemplari obiectum vniuerſalius, circa quod verſatur ille habitus, abſque eo quod contempletur obiectum minus vniuerſale, circa quod verſatur habitus minus vniuerſalis: ſed non habetur actus intelligendi circa vniuerſalius, niſi ſit præſens in ratione vniuerſalis, ergo vniuerſalius poteſt eſſe præſens intellectui abſque præſentia minus vniuerſalis; Subinfero: at ſi obiectum præcisè in phantaſmate intelligeretur, numquam eſſet magis vniuerſale præſens, niſi in minus vniuerſali, ſcilicet in ſingulari phantaſiabili, & ſic non poſſemus contemplari, & habere actum circa magis vniuerſale, quin etiam haberemus actum circa minus vniuerſale, quod eſſe falſum ex ſuppoſito eſt oſtenſum; ergo dicendum eſt, obiectum vniuerſale eſſe præſens, non in phantaſmate ſingulari, ſed in ſpecie intelligibili

5. exiſtente in intellectu. Quintò, ex hac eadem via certum eſt, quod intellectus poteſt concipere vniuerſale ſecundum totam ſuam indifferẽtiam ad inferiora, quę tota indifferentia eſt, quod vt eſt conceptum, ſit idem omnibus ſuis inferioribus, ſed vniuerſale conceptum in aliquo vno ſingulari tantum, non eſt idem cuilibet inferiori, ſed illi ſolum: dum enim concipio Socratem eſse hominem, non concipio humanitatem vt communem omnibus hominibus, ſed vt eſt in Socrate ſolum, vniuerſaliter ergo vniuerſale conceptum in ſingulari aliquo, non concipitur ſecundum totam ſuam indifferentiam, & conſequenter neque in phantaſmate, quòd eſt ſingulare alicuius ſpeciei ſpecialiſſimæ: neceſſe eſt ergo dari aliqd aliud repræſentatiuum vniuerſalis ſecundum totam ſuam indifferentiam, quod eſt ſpecies intelligibilis impreſſa in intellectu.

6. Sextò, ex præſentia obiecti ſic arguit; Aut intellectus poteſt habere obiectum ſibi præſens in ratione obiecti intelligibilis, abſque eo, quod ſit præſens alicui potentiæ inferiori, aut non: ſi non, ergo non poteſt habere aliquam operationẽ ſibi propriam ſine potentijs inferioribus, ergo neque poſset eſse ſine eis, ſecundum propoſitionem Philoſophi 1. de Anima, tex. 12. & 13. non enim poſset ſeparari, vt perpetuum à corruptibili, ſi non poſſet habere propriam operationem (Hoc argumentum valet contra tenentes Animam immortalem, & plurificatam in ſpecie, vt tenebat Henricus, & tenent Theologi) ſi autem poteſt habere obiectum ſibi præſens abſque eius præſentia ad potentiam inferiorem, ergo habet: quia agentia talis pręſentiæ, ſcilicet phantaſma, & intellectus agens ſunt ſufficienter approximata, & agunt per modum naturæ; modo obiectũ non eſt præſens intellectui ante actum elicitum in cognitione abſtractiua, niſi in aliquo repræſentatiuo; illud vocatur ſpecies intelligibilis, ergo habetur propoſitum.

Septimò, non ponendo hanc ſpeciem intelligibilem, vilificamus animam noſtram intellectiuam: ſi enim cæteræ potentiæ inferiores habent obiectum præſens ſibi propria præſentialitate, id eſt non in alijs potentijs, ſed in ſeipſis, vt ſenſus communis habet ſpeciem coloris ſibi præſentem, nedum in ſenſu exteriori viſus, ſed in organo ſenſus communis multo magis anima intellectiua, quæ eſt dignior, & nobilior. Octauò, & fortius, Ariſtot. 3. de Anima, tex. 37. volens, quod anima ſit quodam modo omnia, quaſi probando hoc, ait: quod eſt omnia ſenſibilia per ſenſum, & omnia intelligibilia per intellectum: hoc autem intelligitur aduerſus Antiquos, qui dicebãt animam eſſe omnia realiter: ipſe autem ait, quod eſt omnia per ſimilitudinem, modo prædicto, ſcilicet, per ſenſum ſenſibilia, per intellectum intelligibilia. 7. 8.

Sed huic rationi reſpondent Aduerſarij, quòd illæ ſimilitudines quæ ſunt in ſenſu, & intellectu, per quas anima ſenſitiua eſt ſenſibilia, & intellectus intelligibilia, non ſunt ſpecies intelligibiles diſtinctæ ab actu intelligendi, & à ſenſatione, & ſcientia, ſed ipſamet ſenſatio, & intellectio. Sed hanc reſponſionem infringit optimè Scotus quantum ad intellectum, de quo nunc loquimur, hac ratione. Certum eſt, quod Ariſt. vult, quòd anima ſit omnia, per ſimilitudinem, non materialiter; at ſcientia præcisè abſque ſpecie intelligi- *Reſp.* *Reie.*

telligibili,non eſt ſimilitudo rei intelligibilis, ergo anima non poteſt eſſe omnia intelligibilia per ſcientiam ipſam; Antecedens probatur ſecundum Aduerſarios, & maximè ſecundum Bacchonum,Piccolomineum,& Zabarellam; Actus intelligendi eſt iudicare,ſiue iudicium,quod facit intellectus de obiecto propoſito,at iudicare ſiue iudiciũ,non eſt ſimilitudo rei iudicatæ, ſed præſupponit rem iudicatã, & obiectum ſibi præſens: circumſcripto ergo obiecto illo, actus intelligendi non eſt ſimilitudo rei cognitæ;& quidem hæc ratio eſt ita euidens, vt cogat etiam obſtinatum: ſecundum autem veritatem, actus intelligendi eſt receptio intellectionis,& iudicij formati ab intellectu agente in intellectu poſſibili, vt diximus in Theoremate, de Cauſis producentibus intellectionem: modo actus ille recipiendi præciſè ſatis compertum eſt, quod nõ eſt ſimilitudo rei cognitæ, ſed præſupponit ſpeciem,& obiectum circa quod verſatur intellectus agens, & illud eſt, vera ſimilitudo obiecti, etiam ſumptum cum actu ipſo intelligẽdi, & hoc aggregatum eſt ſimilitudo rei cognitæ;ſed tunc eſt talis ſimilitudo non quatenus eſt ſcientia, ſed propter obiectum,& ſpeciem ſcitam, & contemplatam. Nono arguitur, & ex dictis hoc argumentum deſumitur:Intellectio eſt vnio intellectus cum intelligibili; & hoc patet: quia ſi intelligibile non ſit præſens ipſi potentiæ intellectiuæ,& illi obiecto potentia intellectiua non vniatur,non ſequitur actio. Ex hoc ſequitur, quod intelligibile ſpiritualiter imprimatur:nam quomodo erit vnio,ſi intelligibile maneat extra intellectum?

Reſp. Sed huic rationi reſpondent Aduerſarij,vt Zabarella,loco citato, quod per hoc argumẽtum probatur dari ſpeciem impreſſam, ſcilicet,eam,quæ eſt intellectio, non aliã ſpeciem intelligibilem, quæ ſit diſtincta ab intellectione, & præcedat actum intelligendi, & permaneat poſt intellectionẽ.

Reie. Sed hæc reſponſio non ſoluit argumentum:nam intellectio ipſa non eſt obiectũ, ſed præſupponit obiectum præſens ipſi intellectui ſpiritualiter, illud autem per quod obiectum eſt præſens ſpiritualiter, eſt ſpecies intelligibilis impreſſa ipſi intellectui poſſibili;probatur hoc:quia intellectio eſt vnio intellectus cum obiecto intelligibili,omnis vnio præſupponit extrema in eſſe, ergo intellectio actualis præſupponit obiectum in eſſe potentiali ad actualem vnionem in obiecto, ergo actualis intellectio pręſupponit obiectum exiſtẽs in eſſe ſpirituali in ipſo intellectu. Pręterea, actualis intellectio, vel eſt iudiciũ vt ipſi dicunt, vel receptio iudicij, vt nos dicimus, neutrum autem horum præciſè acceptum, eſt ſimilitudo rei, ſed præſupponit ipſam ſimilitudinem de qua fit iudicium,vt nunc ſupra dicebamus;Neque poſſunt dicere, quòd iudicium de phantaſmate quatenus includit actum intellectus,& ipſum phantaſma illuſtratum, ſit ſimilitudo obiecti intelligibilis, quia hæc ſimilitudo recipitur in intellectu:at phantaſma non recipitur in intellectu,ſed manet in phantaſia. Quod ſi quis dicat,quãdo eſt depuratum a conditionibus indiuiduantibus,manet in intellectu,& nos dicimus,quod tunc non eſt amplius phantaſma propriè, ſed ſpecies intelligibilis propriè:quia dicitur tantum phãtaſma,cum eſt in phantaſia,& eſt ſingulare; ſed cum fit vniuerſale per operationẽ intellectus agentis,fit ſpecie intelligibilis,& amplius non eſt phantaſma, quia eſt translatum de ordine in ordinem, ſcilicet de ordine ſenſibilium in ordinem intelligibilium.

opin. Scoti. Hæc argumenta probant ſpeciem intelligibilem impreſſam præcedere actum intelligendi:quod verò permaneat quoque poſt actum eundem,oſtẽdemus in Theoremate de Memoria intellectiua. Ex his omnibus rationibus colligitur veram eſſe ſententiam Scoti, ſcilicet, quòd datur ſpecies intelligibilis impreſſa intellectui, diſtincta ab actu intelligendi,quæ præcedit ipſum actum intelligendi,quę etiam remanet poſt ipſum actum,ita, quòd habentes eam,poſſunt exire in actum intelligendi quando volunt: quę quidem ſpecies intelligibilis impreſſa,nil aliud eſt,vt declarauimus fusè in Theoremate de Operatione intellectus agentis, niſi quoddam idolum, & imago obiecti realis extra animam exiſtentis,quæ imago,& idolum,verè nil aliud eſt,niſi conceptus vniuerſalis formatus ab intellectu agente ex

phantaſ-

phantaſmate in prima operatione ſua, vt loco citato fusè expoſuimus, quæ formatio conceptus non eſt intelligere formaliter, quia intelligere eſt pati, non agere, vt ſupra ibidem probauimus, ille autem conceptus formatus ab intellectu agente, recipitur in intellectu poſſibili, & illa eſt prima paſſio reſpondens primo actui intellectus agentis; deinde intellectus agẽs illum eundem conceptum, & ſpeciem ſpeculatur, & ſimul illam et ſpecie cõcurrente producit intellectionem: ſed actus iſte producendi intellectionem, non eſt intelligere, quia intelligere eſt pati, ſed intellectio poſtea recipitur in intellectu poſſibili, & tunc intellectus dicitur formaliter intelligere dũ recipit intellectionem, quia intelligere eſt pati, vnde ſicut qui recipit qualitatem, & non qui producit qualitatem eſt qualis, ita qui recipit hunc actum intelligendi, & intelligentiã, eſt intelligens, non qui producit: & propter hoc Ariſtot. tribuit intellectui poſſibili denominationem intelligentis, non agentis; Hæc eſt opinio Scoti, quam breuius quam potui, explicaui, & probaui, quæ magis dilucida erit, dum ſolutæ erũt rationes in oppoſitum, propter quas moderni, nec ipſam olfacere poſsũt, licet hoc ex eo eueuire ſemper iudicauerim, quod ipſam non rectè intellexerunt.

Ad 1. rõnẽ adu. Ad primam rationem contra ſententiam Scoti, quæ eſt Zabarellæ, nego conſequẽtiam; Ad probationem nego, quòd omne abiunctũ à materia ſit intellectus, & intellectio ipſa; Ad Ariſtotelem dico, quòd ibi loquitur de intelligibilibus abſtractis à materia penitus, vt ſunt intelligentiæ, in illis enim eſt idem intellectus, intelligibile, & intellectio ipſa, ſed in intelligibilibus materiatis, non eſt verum quod intelligibile, vt eſt abiunctum à materia, & habet eſse ſpirituale, in ſpecie ſit intellectio ipſa; loquimur autem nũc nos de intelligibili materiali, non de intelligentijs. Quod autem hic ſit vnus ſenſus illius textus, conſpicitur ex conſideratione illius textus, nam in textu 13. Ariſtoteles mouet hanc quæſtionem, quomodo intellectus ſeipſum intelligat: & arguit, quod non ſe intelligat: quia aut intelligit ſe quatenus eſt intellectus, aut quatenus eſt mixtus alicui alij rei, non hoc ſecundum, quia tunc intellectus non erit ſimplex, & impermixtus: ſi primum, videtur, quod omne intelligibile erit intellectus, quod eſt falſum. Hanc dubitationem ſoluit in textu decimoquinto, & ait intellectum eſſe intelligibilem quatenus eſt intellectus, quomodo etiam ſunt intelligibiles intelligentiæ, quæ ſunt verè intelligibilia: non tamen propter hoc ſequi, omnia intelligibilia eſſe intellectum, ſed illa ſolum, quæ ſunt merè intelligibilia, quia ſunt abſtracta à materia prorſus, & in eis idem eſt ſcitum, & ſcientia: ſed non ſequitur, intelligibilia materialia eſſe intellectum; Ecce ergo, quod quando dicit Ariſtoteles in ſeparatis à materia eſſe idem intellectum, & intelligibile, & intellectionem, loquitur de abſtractis à materia penitus, non de intelligibilibus materialibus, hæc enim per ſpecies intelligibiles intelliguntur, quæ ſunt quid diuerſum ab intellectu, & pro tanto ſolum dicitur intellectus fieri hęc intelligibilia, quia recipit has ſpecies in ſeipſo tamquam accidentia ſpiritualia.

Ad ſecundam rationem Zabarellæ Reſpondetur, quòd licet intellectus in ſe ſit potentia naturalis, tamen eſt liber per participationem voluntatis, quæ ei præcipit, vt contempletur hoc, vel illud, & quãdoque ceſſet à contemplatione, ex Scoto, 2. Sententiarum, diſtinctione 42. quæſtione 1. in corpore. *Ad 2.*

Ad tertiam multa eſsent dicenda, ſed breuiter dicimus, quod nos non ponimus ſpeciem intelligibilem agere in intellectum, ſed ponimus ſpeciem intelligibilẽ ſimul cum intellectu agere, & producere intellectionem, ita, quod effectus actionis ſpeciei eſt intellectio: intellectus enim habens ſpeciem intelligibilem præſentem, eſt in actu eſsentiali, & propinquo ad operandum, non quidem, quia de ſe ſecundum eſſentiam ante receptionem ſpeciei intelligibilis eſſet pura potentia in genere entis, & per ſpeciem ſit factus in actu, vt dicit D. Thomas, ſed quia licet intellectus in ſe ſit ens actuale, & perfectum, tamen, quia eſt cauſa partialis, nec per ſe ſolus ſine ſpecie intelligibili poteſt producere intellectionem, quando poſtea recipit ſpe- *Ad 3.*

pit ſpeciem, fit principium completum, & ideo tunc dicitur eſſe in actu eſſentiali, & in potentia proxima. Pro tãto autem intellectus patitur à ſpecie, quia recipit ſpeciem in ſe, non quia ſpecies, producat aliquid in intellectu ſe ſola, ſed ambo, ſcilicet intellectus, & ſpecies producunt intellectionem, quæ cum ſit actio immanens, remanet in intellectu. Preterea, cum dicit, forma non agit in ſubſtantiam, in quam recipitur; reſpondeo, quod forma eſt duplex; alia eſt quæ recipitur in ſubiecto dans illi eſſe, & actum primum, & hæc non agit in illam materiam in qua recipitur; alia eſt quæ recipitur per modum obiecti in potentia, & de hac nego, quod non agat in ſubiectum, & in materiam, in qua recipitur eo modo, quo agit obiectum in potentiam, qui eſt mouere, & excitare potentiam.

4 Ad quartũ infrà erit particulare Theorema de Memoria intellectiua: tamẽ pro nunc dico, quòd Memoria duobus modis conſiderari poteſt: Vno modo quatenus eſt conſeruatiua ſpecierum præteritorum, & eſt recordatio illorum; Alio modo, vt eſt conſeruatiua ſpecierum repræſentantium obiectum in ſe; primo modo loquitur Ariſtoteles in libro de Memoria, & reminiſcentia, & illa dicitur memoria propriè; Secundo modo non loquitur Ariſtoteles, ſed eſt modus loquendi Latinorum, & maximè Theologorum, qui appellant memoriam hoc totum, ſcilicet habentem obiectum præſens, & potens illud intelligere; vnde in Diuinis dicunt Patrem habere memoriam fœcundam, quia habet intellectum, & eſſentiã Diuinam, quæ eſt obiectum eius præſens. Dicunt etiam hanc memoriam eſſe principium productiuum, quia intellectus ſic habens obiectum preſens, poteſt intelligere, cum vult. Nunc ad argumentum reſpondeo, quòd vel in argumento loquitur de memoria primo modo, vel ſecundo modo: ſi loquitur primo modo, dico, quod argumentum non eſt ad propoſitum, & nego conſequentiam; ratio eſt: quia dato, quod non daretur ſpecies intelligibilis diſtincta ab actu intelligendi, tamen datur memoria intellectiua, loquendo de memoria, vt eſt conſeruatiua præteritorum, quia vt ſuo loco oſtendam, intellectus recordatur ſpeculationum, & intellectionum quarundam, quæ non cadunt ſub obiecto ſenſus, neque conſeruari poſſunt in phantaſia, neque in phantaſmate includuntur. Probabo etiam, quòd intellectus recordatur eorum omnium, de quibus recordatur ſenſus. Dico ergo, quòd etiam dato, quòd ſpecies intelligibilis diſtincta ab actu intelligendi, non detur, tamen eſt neceſſe ponere memoriam intellectiuam. Cum ergo dicunt in argumento: ſi datur ſpecies intelligibilis diſtincta, &c. ſequitur, quod datur memoria intellectiua, nego conſequentiam: quia non admiſſa hac ſpecie, nihilominus daretur memoria intellectiua præteritorum; poſſumus etiam admittere conſequentiam: quia intellectus non poteſt recordari multarũ ſpeculationum vniuerſalium, niſi conſeruarentur iſtæ ſpecies: ſicuti nec poſſumus habere illas ſpeculationes à principio, niſi mediantibus his ſpeciebus, vt diximus; in actu illo enim recordandi intellectionis præteritæ, includitur ſpecies obiecti, ſicuti concurrebat in prima intellectione, & tunc nego falſitatem conſequentis: & Ad Ariſtotelem patebit in proprio Theoremate de Memoria intellectiua quò modo neget memoriam in intellectu. Si verò accipiatur memoria ſecundo modo, vt nunc propriè loquimur, concedo conſequentiam, & nego falſitatem conſequentis. Ad Ariſtotelem dico, quod in libro de Memoria, & reminiſcentia, non loquitur Ariſtoteles de memoria hoc modo, ſed primo modo, vt diximus. Ex his patet Zabarellam lib. de Speciebus intelligibilibus, capite 6. non rectè intellixiſſe Scotum, quo ad hanc diſtinctionem de memoria; & obiectiones, quas ibi adducit contra Scotum, nullius eſse momenti: quia non ſunt ad propoſitum; Quòd probat Ariſtotelem in libro de Memoria, & reminiſcentia ſolum concedere memoriam ſenſitiuam, patebit infra in proprio Theoremate. Ad alteram verò rationem, qua probat has memorias non diſtinguit, patet, quod non eſt ad propoſitum: quia non rectè percepit hanc diſtinctionem. *Theo. 80.*

Ad

Ad5. Ad quintum in Theoremate quod intellectus agens,& poſſibilis ſunt differentiæ animæ noſtræ, dicetur quomodo illa auctoritas ex 3.de Anima,textu 5.intelligatur,& alibi: tamen prout adducitur in propoſito, ad illam, & ad auctoritatem ex textu 14.eiuſdem 3.de anima, reſpondeo, quod intelligere duobus modis poteſt accipi; Vno modo pro actu intelligendi formaliter tantum; Alio modo pro aggregato ex omnibus actibus intellectus agentis, & poſſibilis, concurrentibus ad intellectionem. Primo modo intelligere eſt ipſa receptio intellectionis,& contemplationis actualis obiecti in intellectu poſſibili, vt diximus in Theoremate de Munere intellectus agentis, & in hoc ſenſu non loquitur Philoſophus;alio modo accipiendo totum aggregatum, & in hoc ſenſu loquitur Philoſophus: antequam enim intellectus agens operatur,nihil recipitur in intellectu noſtro, & ipſe intellectus eſt tamquam tabula raſa: ſed cum intellectus agens incipit operari,& depurare phantaſmata, quod eſt producere ſpecies intelligibiles, tunc incipit intellectus pingi,& recipere ſimilitudines, quarum intellectionem, & cōtemplationem actualem cum recipit, dicitur poſtea formaliter intelligere;& ita patet,quòd hæc auctoritas, cui maximè innititur Bacchonus,nullius eſt momenti.

Ad6. Ad ſextum patet ex rationibus adductis à Scoto pro ſpecie intelligibili, quod ſolum phantaſma non ſufficit, tum pro repræſentatione obiecti, tum propter præſentiam obiecti, & multas alias cauſas.

Ad7. Ad ſeptimum ſi concluderet,probaret neque animam poſſe recipere intellectionem: quia & intellectio eſt accidens ſpirituale. Reſpondetur ergo, quod duplex eſt forma; Alia abiūcta à materia,vt ſunt intelligentiæ, & iſtæ non recipiunt accidentia; Alia eſt forma informans materiam, & hæc ſe ſola poteſt recipere accidentia ſpiritualia, vt ſunt iſtæ ſpecies intelligibiles, & intellectiones ipſe, tamen accidentia materialia non recipit ſine corpore.

Ad8. Ad octauum reſpondetur, dato, quod anima ſit immortalis ad mentem Ariſtotelis, vt ſuppoſuit argumentum (nam ſi quis teneat ipſam mortalem, vt Alexander in via Ariſtotelis, argumentum eſt nullū,quia minor eſt falſa) dicitur, quod duplex eſt forma, & ſubſtantia æterna; Quædam enim penitus abiuncta à materia, & ab ea nullo modo pendens, & de hac eſt verum,quod nullum accidens variabile recipit, vt eſt Deus, & Intelligentiæ; Alia eſt ſubſtantia æterna,quę eſt corpori mortali alligata per informationē, & ab eo pendet in ratione obiecti: pendet enim ex phantaſmatibus, vt dictum eſt,quæ ſunt materialia,& caduca,& hæc recipit accidentia.

Ad9. Ad nonum, ſuperius perfici ab inferiori,contingit duobus modis; Vel eſſentialiter; Vel accidentaliter;non eſt inconueniens,quod perficiatur accidentaliter, alioquin neque poſſet recipere intellectionem ipſam, & ſic eſſet contra ipſum Piccolomineum, eſset autem inconueniens, quod perficeretur perfectione eſſentiali.

Ad 10. Ad decimum reſpondet Scotus in hac quæſtione allata, ſoluendo rationem tertiam pro Opinione Herici, & in quodam extra, quod incipit. Ad quæſtionem igitur, &c. litera S. quòd duabus de cauſis oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; Prima, quia eſt talis connexio iſtarum potentiarum, ſcilicet phantaſiæ, & intellectus pro iſto ſtatu, quòd nihil intelligimus in vniuerſali, niſi cuius ſingulare phantaſiamur.

Pro tanto itaque dicitur intelligens cōuerti in intelligendo ad phātaſmata,quia dum intellectus conſiderat vniuerſale, phantaſia imaginatur ſingulare eius, ex quo accidit, quod impedita operatione phantaſiæ, impeditur intellectus, ſicut operatio ſenſus communis impeditur, impedita operatione ſenſuum exteriorum particularium.

Secunda cauſa cōuerſionis intellectus ad phantaſmata eſt: quia intellectus abſtrahit ſpeciem à phātaſmate, antequam ergo habeat ſpeciem,neceſſe eſt quod cōuertatur intellectus ad phātaſma, ex quo phantaſmate ſimul cum intellectu agente, intellectus poſſibilis recipit ſpeciem intelligibilem:recepta autem ſpecie,conuertitur ſolum propter connexionem illarum

ſtarum potentiarum, & dum conuertitur ad phantaſma, recipit intenſionem actus, quia clarius videt obiectum; Eſt ergo duplex neceſſitas conuerſionis ad phantaſmata. Prima eſt connexio neceſſaria iſtarum potentiarum. Secunda, vt recipiat ſpeciem intelligibilem. Zabarella libro de Speciebus intelligibilibus, capite 7. contra hanc expoſitionem Scoti inſurgit, & reijcit illam primam cauſam neceſſitatis, & ſolum ait Ariſtotelem admittere ſecundam: quia vult Ariſtoteles quod intellectus ſemper egeat phantaſia mouente, & ſubminiſtrante obiectum, & hęc eſt præciſa cauſa propter quam intellectus neceſsariò conuertitur ad phantaſmata, quod probat.

1. rō. Primò ſic, ait Ariſtoteles 3. de Anima, textu 39. Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari: at phantaſia non dicitur ſpeculari, ſed ſolum intellectus, ergo opus eſt, quòd intellectus, & non phantaſia ſpeculetur phantaſmata.

2. Secundò, Quando duo ita ſe habent, quod neutrum eſt cauſa alterius, nullius neceſſarius connexus poteſt eſſe inter illa, ſed iſtarum potentiarum actus ſic ſe habent per Scotum poſt habituum acquiſitionem, quia imaginatio non eſt cauſa intellectionis, nec contra; ergo iſti actus, & operationes poſsunt ſeparari. Neque poteſt dici, quòd hoc contingat propter propinquitatem: quia in alijs facultatibus propinquis non videmus hoc euenire; dum enim fit viſio, non eſt neceſſe, quòd fiat auditio; Neque poteſt dici, quod hoc fiat ſolum in ſubordinatis: quia videmus, quod non eſt neceſse, quod phātaſia imaginante, ſenſus exterior ſentiat; Neque valet ad propoſitum exemplum Scoti de Senſu Communi: quia ſenſus cōmunis eſt centrum ſenſuum externorū, neque ab illis re diſtinguitur, ideo non poteſt operari, niſi illis operantibus: at intellectus non ita ſe habet reſpectu phātaſiæ, ſed eſt facultas animæ ſeparata à phantaſia, & habet in ſe ſpecies impreſſas ſecundum Scotum, neque eget amplius phantaſia.

Ad 1. Verum iſtę obiectiones nullius ſunt momenti. Ad primam dico, quòd ſpeculari aliquid, contingit duobus modis; Vel immediatè; vel mediatè, intellectus ſpeculatur phātaſmata mediatè, ſcilicet mediante ſpecie intelligibili, in qua ſpecie relucent phantaſmata: intelligens etiam dicitur ſpeculari phantaſmata, quia dum phantaſia illa phātaſmata phantaſiatur, intellectus illa eadem in ſpecie intelligibili intelligit, & dum per ſpeciem intelligibilem illa intelligit, phantaſia phantaſiatur eadem, & ita propter hanc connexionem dicitur intelligentem phantaſmata ſpeculari, non quod intelligens intellectu conſideret phantaſmata, ſed quia intelligente intellectu ſpeciem, phantaſia conſiderat phantaſmata, & ſic neceſſe eſt, quod intelligens ſpeciem, phantaſmata ſpeculetur per phantaſiam: vnde ſpeculari in hoc loco non accipitur propriè, ſed largo modo pro cognoſcere per aliud.

Ad secundam rationem dico, quod hoc euenit propter propinquitatem, & ſubordinationem iſtarum potentiarum: quod autem hoc non contingat in alijs facultatibus propinquis, & ſubordinatis, eſt, quia non ſunt ita coniunctæ, & connexæ, vnde etiam ſtante Opinione Zabarellæ, hoc concedere debet: quia dato, quod intellectus contempletur phantaſma, & non detur ſpecies intelligibilis impreſsa, etiam phantaſia imaginatur illud phantaſma, & tamen ſunt diſtinctæ potentiæ, neque vna eget altera: quia phantaſma reponitur in memoria, quæ ſecundū Zabarellam eſt facultas diſtincta, & à phantaſia, & ab intellectu, quia illa non cognoſcit, intellectus autem, & phantaſia cognoſcunt, vt habetur dicto lib. c. 6. circa finem, quæ memoria etiam inſeruit ſecūdum ipſum, & phantaſiæ, & intellectui; quæro ergo, vnde proueniat hęc neceſſitas, quod intellectu conſiderante phantaſma, etiam phantaſia illud idem imaginatur, & tamen ſunt diſtinctę facultates, & vna ſine altera poteſt legere librum ſibi apertum, ſcilicet memoriam ſenſitiuā, certè aliundè non poteſt prouenire, niſi ex maxima propinquitate, & ſubordinatione iſtarum potentiarum. Ad Vndecimum dico, quod ex eo loco nil aliud elicitur, niſi quod perturbationes, & alterationes pertinent ſolum ad animam ſentientem, non ad aliam particulam animę, niſi Ad 11.

ex ac-

ex accidenti;hoc autem non facit ad propoſitum noſtrum: quia recipere ſpeciem intelligibilem,non eſt alterari propriè, & perturbari,ſed ſolum ex accidenti, vt ibi loquitur Ariſtot. alteratio enim propriè fit in qualitatibus paſſibilibus, quæ afficiunt animam ſentientem propriè.

Ad 12. Ad Duodecimum,quod eſt Bacchoni. Reſpondetur, negando conſequentiam; Ad probationem dico, quod ſuprà ſatis expoſuimus quomodo,&quo ordine generetur intellectio: diximus enim, quod præſentato phantaſmate à phantaſia intellectui agenti, intellectus agens illud inſpiciens, & conſiderans, format ſpeciẽ intelligibilem, hic eſt primus actus intellectus,qui eſt rectus, mox ipſam ſpeciem imprimit intellectui poſſibili, quam receptam iterum intellectus agens conſiderans, & iudicans, concurrente ipſamet ſpecie, exprimit intellectionem, quam intellectionem, & conſiderationem recipiens intellectus poſſibilis,dicitur formaliter intelligere; Primus ergo actus intellectus eſt rectus,ſcilicet formatio ſpeciei.

Ad 13. Ad decimumtertium dico,quod intellectio formatur & ab obiecto,& ab intellectu: ſed ab intellectu magis principaliter,ab obiecto verò minus principaliter; Quod autem ex parte obiecti non requiratur ſpecies impreſſa, negatur: quia ſuperius multis rationibus oſtenſum eſt, obiectum non poſse intelligi niſi per ſpeciem intelligibilem.

Ad 14. Ad decimumquartum concedo, quod obiectum præexigitur potentiæ, quo ad actum ſuum ineſſe obiecto ſed quod non poſſit eſſe præſens in eſſe impreſſo, negatur: quia imprimi in forma,non tollit rationem obiecti.Deinde nos dicimus obiectum,& ſpeciem recipi, & imprimi in intellectu poſſibili,intellectum agentem autem eſſe eum,qui contemplatur illud obiectum,& iudicat,& ſic intellectus agens non habet hanc ſpeciem impreſſam, ſed expreſſam: hoc autem iudicare, & contemplari, quod facit intellectus agens, non dicimus quod ſit intelligere formaliter, ſed receptio illius iudicij, & conſiderationis eſt intelligere formaliter:quia intelligere eſt pati, & propterea intellectus poſsibilis eſt, qui intelligit, non intellectus agens, vt ſuo loco oſtendimus abundè.

THEOREMA LXXX.

Datur Memoria Intellectiua.

Ponitur tota quæſtio Scoti,quæ habetur 1. Sent.diſtinct.3. poſt q.6.in extra; quæ eſt de Memoria intellectiua, quæ incipit. Cap. I.

SEcundo quæro, vtrum memoria intellectiua ſit conſeruatiua ſpeciei intelligibilis, ceſſante actu intelligendi. Videtur quod non.quia ſi conſeruaret vnam ſpeciẽ, pari ratione, & aliam ſpeciem alterius obiecti,& ſic multas ſimul;Conſequens eſt falſum, ergo & Antecedens. Probatio falſitatis conſequentis:quia ſpecies non eſt niſi quædam configuratio intelligibilis in intellectu, ſed in corporalibus eſt impoſſibile idem corpus figurari diuerſis figuris, ergo ſimiliter impoſſibile eſt intellectum ſimul ſic configurari diuerſis obiectis per diuerſas ſpecies,& hæc eſt ratio Algazelis.

Secundo ſic. Omnis qualitas diſponens intellectum ad operandum,vel ad operationem,& manſiua in eo, eſt habitus intellectualis,ſed ſpecies eſt qualitas quædam diſponens intellectum ad operationem.Igitur ſi eſt manſiua poſt actum intelligendi, ſequitur, quòd eſſet habitus intellectualis: ſed hoc eſt falſum:quia ſpecies intelligibilis præcedit actum naturaliter; & habitus ſequitur,nam generatur ex actibus, ergo.

Contra. Intellectus eſt in potentia accidentali, non niſi quando habet ſpeciem intelligibilem.Patet ex Philoſopho 2.de Anima,& 8.Phyſicorum.

Hic eſt vna opinio, quæ imponitur Auic.6.naturaliũ, parte 5.cap.6.vel 7.quòd ipſe ſenſerit ſpeciem intelligibilem non habere eſſe manſiuum in anima poſt actualem conſiderationem; & dicunt ipſum hoc probare per hoc,quòd in organo ſẽſus (quia non eſt virtus cognitiua) poteſt eſſe ſpecies repræſentatiua obiecti, hoc eſt, quia organum non eſt natum cognoſcere obiectum ſenſibiliter,ſed in intellectu,ex quo eſt virtus naturaliter cognitiua, non erit aliqua ſpecies repræſentans obiectum, niſi ipſum obiectum

obiectum ſit ibi intellectualiter, & ſecundum actualem conſiderationem, vel intellectionem. Hanc rationem dicunt ipſum innuere c. 3. poſt medium, cum dicit, impoſſibile eſt formam eſſe in anima in effectu perfectè, & non intelligi ab ea in effectu perfectè.

D.T. p.1.q. 79 art.6. Dicunt quidam, quòd hæc opinio fuit Auic. quòd nulla ſpecies manet in parte intellectiua poſt actum intelligendi, quod videtur: quia 6. Naturalium parte 3. cap. 6. dicit, quòd in organo ſenſus conſeruatur ſpecies poſt receſſum ſenſibilis, & hoc ſolum, quia organum non eſt natum cognoſcere obiectum, ſed intellectus non eſt potentia organica, & ideo de ſe eſt diſpoſitus ad recipiendum, non autem ad conſeruandum, quia in ipſo non poteſt fieri talis impreſſio aliqua, ſed tantum intellectualis immutatio.

Modus ſuus eſt, quòd poſuit ordinem in intelligentijs, & dixit, vltimam intelligentiam influere ſpeciem in intellectum noſtrum, ita, quòd ſicut Plato poſuit, quòd per conuerſionem intellectus noſtri ad ideam alicuius rei habeamus ſcientiam alicuius rei, ita Auicen. poſuit quòd per conuerſionem intellectus noſtri ad illam intelligentiam naturaliter influentem, habemus notitiam, & ſcientiam rei: quàm ad ſenſum eramus diſpoſiti cogitare.

Quod ſi contra eum tunc diceretur, quod ſecundum hoc nunquam haberemus habitum ſcientiæ, ex quo ſpecies non manebant in intellectu noſtro, niſi in actuali conſideratione, quod tantum erat in actuali conuerſione ad illam intelligentiam.

Reſpondebat (ſecundum quod ſibi imponitur) quod ex frequenti conuerſione ad illam intelligentiam, generatur quædam habilitas in homine, quæ habitus poteſt dici, per quam erat facilis, & habilis ad ſe conuertendum, & per conſequens ad actum conſiderandi ſecundum ſcientiam.

An hoc ſenſerit Auicen. an non, non curo, tamen poſſet bene excuſari: nam ipſe dicit ibidem, cap. 6. Quod aliquis de quæſtione ſibi propoſita poteſt habere certitudinem, quod ſcit eam ſoluere, & tamen non habet in promptu ſolutionem, quod non eſſet, niſi apud ſe haberet ſpeciem intelligibilem.

Item, cap. 5. vult, quòd ſingularia non faciunt aliquam diuerſitatem ad intelligendum. Unde vult, quod facta abſtractione quidditatis ab vno ſingulari, non oportet quòd fiat ab alijs eiuſdem ſpeciei concurrentibus: ipſe expreſsè ibi ponit abſtractionem ſpeciei à ſingulari.

Item parte 4. cap. 1. dicit, quod theſaurus intellectus eſt memoria, quod nihil eſt dictu, niſi ſpecies ibi conſeruarentur. Et 5. Metaph. dicit, quod ſpecies in intellectu reſpectu intellectus eſt ſingularis, ſed reſpectu obiecti eſt vniuerſalis.

Qui ergo vellet ſaluare Auicen. diceret, vt videtur eſſe eius intentio, quod duplex eſt ſpecies in intellectu; Una, quæ abſtrahitur à ſenſibilibus, & hæc manet, actu intellectus tranſeunte; Alia, quæ habetur ex influxu intelligentiæ ad quam conuertitur, & hæc non manet, actu intellectus non manente; nec eſt neceſſe, quod maneat illa: quia ſemper intelligentia illa naturaliter influit ſpecies in intellectum ad ſe conuerſum per modum, quo aliqui dicunt intellectum, ſeparatum intelligere ſed per influxum ſpecierum à Deo, nō ab Intelligentia.

Contra illam opinionem, quæ diceret, quod non manent ſpecies, ſicut imponitur Auic. ergo ſic. Intellectus habens habitum ſcientiæ & non conſiderans actu, eſt in potentia accidentali, ex 2. de Anima, ſed ſuppoſita hypoteſi, non conſiderans actu eſt in potentia eſſentiali reſpectu illius, & vocatur potentia eſſentialis, quando ad hoc, quod exeat in actum neceſſario præexigitur, quod acquirat aliquam formam per quam exeat in actum. Tho. vbi ſupra. t. 25. & 55.

Secundo ſic. Nihil præcedens actionem magis requirit actionem coexiſtentem, quam principium illius actionis, ex quo eſt prius actione, ſicut & principium agendi, ſed principium agendi non neceſſario requirit coexiſtentiam actionis, quia omnia principia naturalium poſſunt impediri ab actionibus ſuis, vt propter indiſpoſitionem ſubiecti, inſtrumenti, vel organi, & tamen ſtabunt principia, ergo cum ſpecies ſit naturaliter prior actione intelligendi, vt patet ex prædictis, non coexigit exiſtentiam actionis: & ſic tranſeunte, vel non exiſtente actu intellectionis, manebit ſpecies intelligibilis.

Tertio ſic. Prius natura poteſt eſſe ſine poſteriori, niſi in priori ſit neceſſitas reſpectu poſterioris, vt eſt in ſubiecto reſpectu proprij accidentis: ſed ſpecies eſt prior actu intelligendi, & non facit neceſſitatem reſpectu actus intelligendi, tum quia intellectio eſt voluntaria per participationem, quia intelligimus cum volumus: tertio de
t. 10. *Anima, tum, quia non obſtante, quòd intellectus habeat ſpeciem intelligibilem, poteſt impediri ab actione ſicut dictum eſt: ergo, &c.*

Quarto ſic. Quod eſt perfectionis in inferiori, eſt eminentius in ſuperiori eiuſdem rationis, & generis, ſed tranſeunte actu imaginationis ſiue ſenſitiuæ partis, retinere ſpecies eſt perfectionis, ergo eminentius hoc erit in parte intellectiua. Eſt enim intellectiua eiuſdem generis cum ſenſitiua, pro tanto, quia eſt cognitiua ſicut ſenſitiua, eminentior tamen. Minor probatur: nam in quolibet perfectionis eſt quanto minus indiget aliquo extrinſeco in ſua operatione, ſed cæteris paribus, retinendo ſpecies, ſenſus minus indiget extrinſecis in operatione ſua, ergo hoc eſt perfectionis in eo.

Probatur etiam ex alio: quia omne illud, quòd arguit independentia, eſt perfectionis: ſed habere ſpeciem, & non intueri, vel actu intelligere, arguit quòd intellectus non dependet ab actu intelligendi, ergo, &c.

Aliqui adducunt vnam rationem ad propoſitum, quæ magis congruentia eſt, quàm ratio, & eſt talis. Vnuſcuiuſque permanentia attenditur penes nobilitatem, vel ex parte nobilitatis illius, quod recipit, ſiue re-
1. *eſt.* *cipientis: nam omne quod recipitur, recipi-*
Tho. *tur per modum rei recipientis, non per mo-*
& *dum rei receptæ. Cum igitur ſpecies ſit res*
Au. *nobilis, & recipiatur in intellectu, qui eſt*
3. *de* *incorruptibilis, ergo ipſa manebit, actu non*
aïa *manente.*
co. 5. *Reſpondeo, non valet: nam actus eſt res nobilior, quàm ſpecies, & recipitur in intellectu, ergo manet in intellectu, ſeipſo non manente, non ſequitur.*

t. 18. & 37. & 38. & alibi ſæpè. *Ad quæſtionem igitur dicendum, quod manent ſpecies in memoria, actu intelligendi non manente; cuius ratio eſt, quia vt habetur tertio de Anima, intellectus inquantum intellectus, poteſt eſſe ſapiens de ſe, ſed de ſe nullo modo eſſet ſapiens de aliquo obiecto, niſi inquantum eſſet ſibi præſens in ratione cognoſcibilis: ſed hoc non contingit niſi per ſpeciem intelligibilem ergo.*

Sed tunc reſtat vna difficultas, cum ex quo habet ſpeciẽ in qua relucet obiectum, quare in actu intelligendi oportet intellectum conuerti ad phantaſmata, & quod oporteat conuerti dicit Philoſophus 3. de A- t. 12.
nima, dicit enim, quòd quidquid intelligi- 30 &
mus, neceſſe eſt ſimul phantaſmata ſpecula- 39.
ri. Hoc etiam oſtenditur experientia, aliàs læſo organo, phantaſia poſſet eſſe intellectus, in actu recto intelligendi, ex quo ſpecies habuiſſet, cuius contrarium videmus.

Ad hoc reſpondent quidam, quod pro tanto oportet fieri conuerſionem ad phantaſmata, quia proprium obiectum intellectus coniuncti, eſt quidditas rei materialis, quæ nõ eſt præciſè niſi exiſtẽs in hoc, vel in illo particulari, vel ſingulari: ſingulariũ autem eſt phantaſma, & ideo oportet, quòd ad hoc, quod intellectus intelligat obiectum ſuum, quòd conuertat ſe ad phantaſma, vt ſpeculetur naturam vniuerſalem exiſtentem in particulari. D T. vbi ſupra.

Sed hæc reſponſio nulla eſt: quia aut cognouit primo ſingulare, vel vniuerſale: nõ ſingulare, quia tantum cognouit ſingulare per reflexionem, ſecundum eos ſi vniuerſale, tunc arguo ſic. Nunquam ſecundum totam ſuam indifferentiam poteſt vniuerſale cognoſci in inferiori, nec tamquam in obiecto, nec tamquam in repræſentatiuo.

Præterea, dato quod verum eſſet, quòd quidditas rei materialis eſſet proprium obiectum intellectus coniuncti, quod tamen falſum eſt, vt ſupra eſt oſtenſum, tamen ratio ſua non eſt vera. Nam ſecundam ſuam diſt.
rationem, angelus cum cognoſcat perfectè præ-
quidditatem rei materialis, oportet quod ſenti
ipſam aſpiciat in phantaſmate, quod eſt fal- q. 3.
ſum. & 4.

Præterea. Species angeli ſiue quidditas angelica, non minus exiſtit in ſuppoſito ſuæ ſpeciei, quàm quidditas rei materialis in indiuiduo eius: ſi ergo angelus non abſtrahit, nullo modo intelligit quidditatem ſuæ ſpeciei ſub ratione vniuerſalis.

Licet ergo quidditas non exiſtat niſi in

ſuppoſito, vel ſingulari, poteſt tamen intelligi ab intellectu, non intelligendo, quod exiſtat in eo, & ſic falſum eſt: quòd aſſumit, ſcilicet, quòd non poſſit intelligi quidditas, niſi vt exiſtens in ſingulari intelligatur, non enim eſt de ratione quidditatis, vt quidditas eſt, quòd in ſingulari exiſtat, licet non niſi in eo exiſtat realiter.

Ideo dicendum, quòd duplex eſt neceſſitas conuerſionis intellectus ad phantaſmata. Vna eſt conformitas actionum potentiæ intellectiuæ, & phantaſiæ, quia quidquid intelligimus in vniuerſali, illud idem phantaſiamur in ſuo ſingulari, & ſimul neceſſariò, ex quo accidit, quòd impedita operatione phantaſiæ, impeditur intellectus; ſicut ſimul operatio ſenſus communis, & particularis, & impedita operatione ſenſus particularis, impeditur operatio ſenſus communis.

Quò ad cauſam ſecundam, vel neceſſitatem, eſt intelligendum, quòd ſpecies intelligibilis abſtrahitur à phantaſmate, vt actu per ipſum phantaſiatur obiectum particulare phantaſia. Antequam igitur intellectus habeat ſpeciem, neceſſariò oportet ipſum conuerti ad phantaſmata, ſicut proprium paſſiuum conuertitur ad ſuum proprium actiuum, à quo ſimul & ab intellectu agente recipit ſpeciem intelligibilē, & ſi eam habet, recipit intēſionem actus, quia clarius videt obiectum. Stante .n. voluntate ad hoc, & phantaſia non fatigata, quanto ipſa eſt magis in actu ordinato, intellectus intenſius videt obiectum ſuum proprium.

Sed dices, ſi actus eſt intenſior, quanto plus phantaſia eſt in actu, ergo videtur quòd non habeat terminum, cuius falſitas patet in patria.

Dicendum, quòd generaliter in his, quæ ſuſcipiunt magis, & minus, ſicut in habitibus, non quilibet actus auget habitum, vel ſaltem ille actus, qui non virtualiter continet ipſum generatum. Vnde aquam calidam non facit calidiorem modicus ignis, vel modicus calor, puta tepidum, ſed calor intenſior puta calor, qui virtute eſt talis. ſi autem formæ tales habent terminum, non amplius illi actus intendunt habitum, ita ex propoſito.

Ad argumentum primum dicendum, quòd ſunt ibi plures ſimul. Ad probationem dicendum, quòd ſecundum Philoſophum 7. Metaphyſ. & Commentatorem, ea, quæ oppoſitionem habent in re, non habent oppoſitionem in mente: nam ſpecies contrariorum ſimul ſunt in anima, cum tamen contraria ſimul eſſe non poſſint in eodem ſubiecto. poſſunt tamen aliqualiter eſſe idem in eſſe cognito: nam vnum eſt ratio cognoſcendi alterum, ſicut rectum eſt index ſui, & obliqui 1. de Anima. t. 23. t. 23.

Ad ſecundum dicitur, quòd illa ſpecies dicitur, & eſt, habitus, non tamen eiuſdem rationis cum illo qui per actus acquiritur: natura ex actibus non acquiritur niſi habilitas ad actus conſimiles, nunquam tamen per illam habilitatem fit obiectum in intellectu præſens, per habitum autem, qui eſt ſpecies, fit præſens.

Hæc Scotus.

VBi eſt notandum, quòd Memoria intellectiua apud Scotum, & communiter apud Latinos, & maximè Theologos, duobus modis accipitur; Vno modo vt eſt conſeruatiua ſpecierum repræſentantium obiecta in ſe, & memoria hoc modo accepta, nil aliud eſt, niſi intellectus habens ſpeciem intelligibilem præſentem ſibi, & impreſſam: & memoria hoc modo eſt principium productiuum perfectum intellectionis: & ad hanc memoriam non pertinet recordatio, & de hac memoria tractat Scotus in 1. diſt. 3. q. 6. & quæſtio, quæ nunc hic ſubnectitur, loquitur de hac memoria. *notandum.*

Memoria autem alio modo accipitur, & propriè, ſcilicet prout eſt conſeruatiua ſpecierum præteritorum, vt præteritorum, & hæc dicitur recordatio præteritorum, & hæc memoria eſt quoque in intellectu, quia intellectus recordatur præteritorum intelligibilium, & de hac loquitur Scotus in 4. Sentent. in quæſtione, quam ſubnectemus hic in 2. cap. & de illa eſt difficultas, an detur. Quia aliqui volunt, quòd in parte intellectiua non detur memoria, quę eſt recordatio præteritorum; Prima autem memoria pertinet ad tractationem de ſpecie intelligibili, de qua ſatis locuti ſumus in ſuperiori Theoremate, ideò de ea nunc non eſt ſermo: ſed ſolum

iam hanc quæſtionem hic adduximus ad vberiorem doctrinam, & ad tollendam ambiguitatem in his memorijs. Secūda Memoria expoſtulat particularem diſputationem, de qua nunc infra.

Ponitur tota quæſtio tertia Scoti ex 4. Sententiarum diſt. 45. qua Scotus longo ſermone, & ex profeſſo loquitur de Memoria tam ſenſitiua, quàm intellectiua. Caput ſecundum.

TErtio quæro. Vtrum anima ſeparata poſſit recordari præteritorum, quæ ipſa nouit coniuncta. Quòd non, Philoſophus in libro de Memoria, & reminiſcentia, ponit, quòd memoria eſt vis ſenſitiua. Damaſc. etiam lib. 2. c. de memoratiuo, ponit idem. Nulla autem ſenſitiua manet in anima ſeparata quantum ad poſſibilitatem habendi actum, ergo &c. Præterea, Obiectum intellectus eſt vniuerſale, vt habetur à Philoſopho 1. Phyſic. & 2. de Anima, ſed
t. 49. vniuerſale abſtrahit ab hoc, & nunc fuiſ-
t. 60. ſe, & fore, & huiuſmodi conditionibus reſpicientibus exiſtentiam.

Memoria autem reſpicit conditionem determinatam pertinentem ad exiſtentiā, vtpote, præteritionem, ergo memoria repugnat parti intellectiuæ, ergo non manet in anima ſeparata.

Præterea. Tunc ſequeretur, quòd pari ratione anima beata haberet recordationem omnium præteritorum, & per conſequens anima beata haberet recordationem peccati commiſſi.

Conſequens eſt falſum, tum quia Iſaia 65. Ecce ego creo cælum nouum, & ſequitur.

Obliuioni tradentur anguſtiæ priores. Et Greg. exponens illud, dicit eandem ſententiam: tum, quia beatus nullam patietur miſeriam.

Recordatio autem iſta eſſet cauſa magnę miſeriæ, quia magnæ diſplicentiæ.

Non enim poſſet beatus complacere in malo commiſſo, nec neutro modo ſe habere, id eſt nec complacendo nec diſplicēdo, quia non ſtaret hoc cum perfecta charitate, ergo habere diſplicentiam, & de aliquo irreuocabili, ergo triſtitiam.

Fili recordare quia recipiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, &c.

Idem vult Auguſt. ſuper illud Pſalmi 108. Fiant filij eius orphani, & idem 9. Confeſſ. quòd mortui habent memoriam noſtri.

Præterea. Si non haberent memoriam peccatorum commiſſorum in vita mortali, non haberent materiam gratias referendi Deo de eius miſericordia, & eſt argumentum Greg. fundantis ſe ſuper illud Pſalm. 88. Miſericordias Domini in æternum cātabo. Quomodo in æternum miſericordiam canit, qui miſeriæ non meminerit? 4. mōra. ad finē, ſuper illud Tob. 3. par uus, & magnus

Circa iſtam quæſtionem. Primò, inquirendum eſt an memoria propriè dicta, cuius ſcilicet eſt recordari præteriti, ſit in parte ſenſitiua.

Secundò, an ſit in parte intellectiua. Iſtis autem duobus ſupponitur quoddam certum vtrique parti commune, ſcilicet, quòd aliquis actus cognoſcendi præteritum, vt præteritum, eſt in nobis, hoc patet: eoquod aliàs deſineret nobis prima pars prudētiæ, quæ eſt ſecundum Tullium recordatio præteriti; Sequeretur etiam ſecundò, quòd virtuoſi non poſſent iuſtè cognoſcere ſe iuſtè præmiandos, nec vitioſi ſe iuſtè puniendos, quæ præmiatio, & punitio fit propter malum vel bonum præteritum: nec iſti, nec illi, ex hypotheſi cognoſcunt illud præteritum in ſeipſis, ergo nec iuſtitiam in præmiatione vel punitione. Hæc poſitio deſtruit omnem politiam, quia omnem coordinationem in præmiationem vel punitionem iuſtè ſecundum legem inferendam. Præterea, Præteritum plus habet de veritate, quam futurum. Cuius probatio eſt: quia veritas futurorum eſt contingens, præteritorum neceſſaria, iuxta illud Philoſophi 6. Ethic. hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt. Sed poſſumus habere aliquam cognitionem futurorum, vt futura ſunt, vt experimur. Alioquin non poſſemus nobis prouidere ad procurandum nobis commoda, vel ad vitandum incommoda, ergo multo magis poſſumus habere aliquam cognitionem de præteritis vt præterita ſunt, & ita recordationem.

Hoc ſuppoſito, tamquam certo, quòd poſſit nobis ineſſe actus cognoſcendi præteritum, inquantum præteritum, vt obiectum;

addo,

addo, quòd ille actus qui dicitur recordari, non eſt cuiuſcumque præteriti immediatè, ſed tantum alicuius actus præteriti, qui influit ipſi ſuppoſito recordanti. Et qui fuit in ipſo actu humano, ad excludendum actus vegetatiuæ, & cauſales, ſiue generaliter imperceptibiles. Non enim recordor eius quod eſt te ſediſſe, niſi, quia recordor me vidiſse, vel noſse. Unde licet cognoſcam me natum ſub ratione præteriti, vel mundum creatum, non tamen recordor iſtius, vel illius, quia non noui aliquem actum meum in præterito tranſeunte ſuper hoc, vel illud.

Ex hac ergo ratione nominis, recordatio eſt cognitio, ſeu cognitio actus alicuius præteriti, ipſius recordantis, & hoc in quãtum præteriti: ſequuntur quædam ex hoc, quod dicitur præteriti, quædam autem ex hoc quod talis obiecti. Ex hoc enim, quid præteriti, ſequuntur primo quattuor certa; quorum Primum eſt illud, quod potentia recordatiua habet actum poſt tempus, alioquin non eſset præteriti, vt præteriti. Et iſtud dictum Philoſoph. in illo libro, quòd memoria habet actum poſt tempus, debet intelligi per ſe, ita quod actus recordandi per ſe, ſuccedit recordato. Sunt autem hæc verba ſua (poſt tempus memoria omnis fit) Secundum, quod percipit fluxum temporis inter illud inſtans, vel tempus in quo fuit illud, quod eſt obiectum recordationis, & inſtãs præſentis perceptionis. Tertium quod obiectum recordationis quando obijcitur recordationi non eſt in ſe præſens: quia tunc non eſset recordatio eius, vt præteriti. Quartum cum opporteat obiectum aliquo modo eſse præſens ad actum, & non poteſt eſse in ſe præſens, oportet quod ſit præſens per ſpeciem. Et tunc potentia recordatiua erit conſeruatiua ſpeciei. Et hoc loquendo de totali potentia requiſita ad recordationem. Siue enim ſint duæ, quarum vna conſeruet ſpeciem, alia recordetur, ſiue ſit vna, habens vtrumque actum, non curo, ſaltem ad recordationem requiritur conſeruatio ſpeciei obiecti recordabilis. Ex recordatione autem illius obiecti ſpeciali, ſcilicet, actu præteriti ipſius recordantis, ſequuntur quattuor certa.

Primum quidem eſt, quòd recordatio erit duplicis obiecti, vnius remoti, vel vltimi, ſcilicet, alicuius circa quod recordans quandoque habuit actum humanum; & alterius vt proximi, ſcilicet, actus humani, & præteriti tendentis in obiectum illud.

Secundum, quod cum oporteat potentiã recordatiuã habere ſpeciem, & hoc loquendo de tota integra requiſita ad recordationem, & non poſſit iſta imprimi ab obiecto quando non eſt; vel quando non eſt in ſe præſens, neceſse eſt eam imprimi ab obiecto, quando eſt actus præſens, illud autem obiectum proximum eſt actus humanus prę teritus, ergo dum ille fuit, imprimebatur ſpecies neceſsaria.

Tertium, quòd nullus poteſt habere recordationem niſi de actu proprio, & hoc humano, quia per ſolum illum cognitum, vt obiectum proximum, cognoſcitur obiectum eius vt obiectum remotum, & per conſequens non poteſt recordari actus eiuſdem rationis in alio, cuius in ſeipſo recordatur.

Quartum, cum non poſſit imprimi actus humani præteriti ſpecies in aliam potentiam, niſi cuius ille actus eſt obiectum, ſequitur quòd oportet actum cognoſcendi præteritum eſſe obiectum potentiæ recordatiuæ. Iuxta hoc poteſt dubium inferri, & eſt, an recordatiua cognoſcat actum illum dum eſt, cuius vt præteriti eſt recordatio tamquam obiecti immediati.

Videtur enim, quòd ſi illum tunc non cognoſcat, nec poſtea recordabitur.

Sed non eſt probatio neceſſaria, quia ſenſus non videtur eſſe reflexiuus ſuper actum alterius ſenſus, & eſto, quod non percipiat actum alterius ſenſus, dum præſens eſt, non apparet demonſtratiuè, quare non poterit percipere illum vt pręteritum, poſtquam præterijt, ſaltem illis certis ſuppoſitis inquiratur concluſio illius articuli, videtur, quod recordatio non poſſit poni actus partis ſenſitiuæ, primo ex illa conditione, quę eſt percipere tempus; Tempus autem eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius, 4. Phyſ. hoc autem percipi non poteſt ſine collatione poſterioris ad prius, collationem autem nullus ſenſus habere poteſt, quia hoc eſt propriũ intellectiuę. Pręt. Dictũ eſt in ſexto illato, ꝙ oportet recordãtem percipere actũ dum eſt pręſens, ſed ſenſitiua non poteſt percipere actum ſentiendi, dum pręſens eſt, ſaltem non vniuerſaliter, tex. 101.

quia actus ſupremæ ſenſitiuæ non poteſt percipi ab aliquo ſenſu, nec ab inferiori nec à ſuperiori, patet: nec à ſeipſa, quia non eſt potentia illa ſuper ſe, nec ſuper actum ſuum conuerſiua, & tamen cuiuslibet ſenſationis in nobis poteſt eſſe recordatio, vt experimur, ergo non eſt illa recordatio generaliter alicuius ſenſitiuæ.

Sed quia hic arguitur ex quodam quod prius dictum fuit eſſe dubium, ideo arguitur ex 6. tamquam certo ſic. Senſitiua non percipit primo niſi qualitatem aliquam ſen-
t. 137 ſibilem, vt 2. de Anima Philoſophus, vt cõcedat viſionem aliquo modo eſſe perceptam à viſu, dicit illam eſſe aliquo modo coloratam: ſed nec recipit ſpeciem propriam, niſi alicuius talis qualitatis: ſed ſenſatio illa cuius eſt recordatio, non poteſt aliquo modo poni qualitas ſenſibilis, quia quæcumque ſenſatio, vt coloris, vel ſoni, vel ſaporis, æquè poteſt eſſe recordata, ergo illa ſpecies requiſita ad recordationem, non eſt ſenſus alicuius vt potentiæ receptiuæ; Præterea, nõ oportet ponere in parte ſenſitiua aliquã operationem ſenſitiuam, quæ nõ poteſt cõcludi eſſe in bruto; hoc probat: quia in aliquo bruto poteſt eſſe excellens ſenſitiua, quantum ad omnes actus ſenſitiuę, quos experimur in nobis: ſed iſta recordatio non poteſt concludi eſſe in bruto, ex eius actibus.

Probatio minoris; Videmus actus omnes brutorum, ex quibus magis poſſet concludi, vtpote, quia videtur actus prudentiæ, vel prouidentiæ, vt patet de formica recolligente grana ad eundem locum, & tempore determinato, ſcilicet, in æſtate. Similiter actus vindicandi vel quaſi, iuſtitiæ retributiuæ, puta obſequendi benefacientibus, & puniendi offendentes, videtur in brutis competere eis inquantum cognoſcunt præteritum vt tale.

Similiter tertio, de actibus pertinentibus ad conſeruationem ſpeciei, vtpote de nidificatione auium, & nutritione pullorum, & huiuſmodi, quæ non videntur poſſe compete rę eis naturaliter abſque cognitione præteriti, vt præteriti.

Et quanto aliqua ſunt diſciplinabilia, vt vult Philoſoph. de Memoria, & de reminiſcentia, & de Senſu, & ſenſato, quod non eſt ſine memoria præteriti, vt præteritum eſt. Hæc autem omnia poſſunt ſuſtineri ſine recordatione præteriti, vt præteriti, ergo nullus actus bruti concludit illum actum ineſſe bruto.

Minor iſtius probatur diſcurrendo per illos actus, de vniformitate enim quantum ad locum, & tempus, vt patet in formica, poteſt ſaluari per ſolam apprehenſionem, & retentionem ſpeciei eius, quo eſt delectabilis, ſine apprehenſione præteriti, vt præteritum: ſi enim delectabilis fuit huic formicæ hic reponere granum, & illa ſpecies delectabilis, quæ remanet in phantaſia mouebit appetitum ſenſitiuum ad quærendum illud tamquam delectabile, & ita de nouo adueniendum ad illum locum; quare autem in vno tempore recolligit, & in alio non, oportet dare rationem ex parte ſuæ complexionis, quare eſt ſibi delectabile ſic recolligere grana, & ſic non, ſiue hoc imponatur naturali induſtriæ, ſiue aliæ cauſæ, ſaltem illud de tempore non concludit recordationẽ: quia formica hoc anno genita, quę numquam prius eſt experta penuriam hiemalem, ita recolliget in ęſtate iſta grana, ſicut alia decem annorum ſi tantum poſſet viuere, ergo ex recordatione pręteritorum non habet illum actum pro tali tempore. Si autem frequentatio eiuſdem loci arguatur ex præterito.

Reſponſum eſt, quòd illa eſt ex delectabilibus apprehenſio abſque apprehenſione pręteriti, vt pręteriti.

Conſimiliter ad ſecundum de vindicta vel beneficiatione ab animali læſo vel placato, breuiter dico, quòd phantaſma delectabilis placentis, vel triſtabilis offendentis imprimitur, & ſemper impulſat appetitum ſenſitiuum ad motum conformem illi obiecto vindicandi, vel beneficiandi, quando ceſſat ſaltem aliud delectabile, vel triſtabile pręſens fortius mouens.

Et ideo ſi tempore intermedio ſuſpendatur iſta actio, per aliud pręſens in fine temporis, ſtatim illud phantaſma mouet, & ſequitur in appetitu ſenſitiuo motio proportionata iſti obiecto, quę prius non ſequebatur, quia erat impeditum ab alio obiecto fortius mouente: non eſt ergo hic apprehenſio pręteriti, vt pręteritum, ſed tantum eius, quod eſt pręteritum, cuius ſpecies manens mouet ad vindictam, vel gratiam, ceſſant fortius alio mouente.

Conſi-

Conſimiliter de tertio, quia delectabile ineſt brutis his vndecumque, ſaltem cauſam oportet conuincere intrinſecam ex complexione nunc taliter diſpoſita, vel alterata ad congregandum talia, & talia ligna ad faciendum nidum, vel ad ſic componendum, & illud non eſt aliàs delectabile, complexione tunc aliter ſe habente, & ex iſta delectatione, non autem apprehenſione prę teriti, vt præteritum, operantur. Cuius probatio eſt: quia ſi eſſet aliquod brutum propagatum in primo anno, ęquè prouideret ſibi neceſſaria ad nidificationem, ſicut ſi eſſet quotcumque annorum, ergo ex cognitione pręteriti, vt prętteritum, non eſt iſta nidificatio, & concurrit cum primo.

Quantum autem de diſciplinatione, facilius ſoluitur, & concurrit cum ſecunda. ſoluitur autem per hoc: quòd ex frequenti ſenſatione delectabilis, & triſtabilis coniunctorum, impreſſum eſt iſti animali phantaſma delectabiliter.

Et hoc modo, quòd quandocumque mouet vnum ſtatim ex coniunctione mouet aliud, ergo quando cibus pręſens mouet appetitum ad ſumendum, ſtatim phantaſma virgæ percutientis ſimul mouet, & per conſequens, vt triſtabile ad fugiendum, etſi ex magna frequentia imprimatur phantaſma huius, vt valde triſtabilis, magis retrahit à delectabili, quàm delectabile alliciat ad ſeipſum.

Suſtinendo tamen intentionem Ariſt. in illo libello, quòd memoria ſit in parte ſenſitiua. Poteſt reſponderi ad iſta, & quaſi ducendo ea ad oppoſitum. Primum enim de perceptione temporis, concedit ibi Ariſtoteles dicens, quòd primo ſenſitiuo quo percipimus magnitudinem, percipimus & tempus: nec obſtat quod eſt ſucceſſiuum, quia motus eſt ſucceſſiuus, tamen motus eſt per ſe ſenſibilis, ex ſecundo de Anima.
t. 63. Nec obſtat quod dicitur numerus, quia nu-
t. 64. merus eſt per ſe ſenſibilis ibidem, & in 4. Phyſic. capitulo de tempore comment. 11. vult Commentator, quod ſi percipiatur ſolus motus phantaſmatum, percipitur tempus: ſed iſtud poſſet exponi, quod talis motus percipitur ab intellectu, non à virtute phantaſtica.

Ad aliud poterit dici, quòd aliquis ſenſus poterit recipere ſpeciem actus ſentiendi, & ſpeciem illam retinere tranſeunte actu, & per conſequens per illam poteſt habere actum poſt tempus & ita recordari.

Et cum obijcitur de actu ſupremæ potentiæ ſenſitiuæ, poteſt concedi, quod recordatio actus eius non competit alicui ſenſui, ſicut nec ſenſui alij competit recordari proprij actus, vt accipitur ab Auguſt. 2. de Lib. arb tantum hoc competit ſuperiori reſpectu actus inferioris ſenſitiuæ.

Aliter poſſet dici ſecundum quod Philoſophus videtur ſentire 2. de Anima, quòd t. 137 & in
viſus aliquo modo ſentit ſe videre: quia vi dè.
ſio eſt aliquo modo colorata, & ita poſſet concedi, quòd ſenſatio ſupremæ ſenſitiuæ continetur quodammodo ſub obiecto ſupremo memoratiuæ.

Et ſi arguas reflexionem illius ſenſitiuæ ſupra ſe, non magis concludit hic, quàm concludat contra Ariſtotel. de viſu percipiente viſionem.

Ad vltimum, licet probabiliter poſſent actus brutorum ſaluari non ponendo memorationem propriè in eis, ſed ſolum imaginatiuam cognitiuam obiecti, quòd eſt præteritum, licet non vt præteritum, tamen ea, quæ videmus in actibus eorum, facilius ſoluuntur ponendo in eis memoriam.

De ſecundo Articulo principali videtur Ariſt. quædam dicere in illo libro, ex quibus concluditur memoria in parte intellectiua.

Dicit enim; Quorundam intelligibilium memoramur, vt quòd triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis &c. Hic quidem, qui didicit, & fuit ſpeculatus.

Reſpondetur ſecundum eum ibidem, quòd memoria intelligibilium non eſt ſine phantaſmate.

Contra; Non propter hoc negandum eſt memoriam eſſe in intellectu, ſicut non negatur intelligere in intellectu, & tamen ſecundum ipſum ibi, non intelligimus ſine phantaſmate. Aliter reſpondetur, quòd in telligibilium memoramur per accidens.

Vnde dicit ibi, loquens de illis, quare intellectus, id eſt partis intellectiuæ ſecundum accidēs erit ſupple memoria, & Dam. vbi prius intelligibilium, ſicut didicimus, memoramur, ſubſtantiæ autem ipſorum memoriam non habemus.

Contra; Quęcumque virtus cognoſcit actum, vt eſt obiecti, aliquo modo cognoſcit obiectum: ſed hoc obiectum, triangulum habere tres, vt eſt verum demonſtratum, vel ſcitum, poteſt intellectus ſolus cognoſcere, ita quod nullus ſenſus poteſt cognoſcere illum actum me ſpeculatum fuiſſe triangulum habere tres.

Pręterea Ariſtotel. concedit ibi, quod reminiſcētia ſoli homini ineſt, & hoc vult Auicen. vbi prius capitulo tertio, quia ibi eſt ſola ſyllogizatio; ex hoc arguitur dupliciter; Primo, quia cognitio propria ipſi homini videtur eſſe ipſius intellectus.

Secundo efficacius: quia cognitio per diſcurſum ſyllogiſticū pertinet ad ſolū intellectum, huiuſmodi eſt cognitio reminiſcentię. Nam reminiſcens diſcurrit à quibuſdam notis, ad illud, quod aliqualiter decidit, cuius vult recuperare recordationem, & licet non ſit ibi ſyllogiſmus, quia ſemper eſt ex præmiſſis ad concluſionem, proceditur enim ibi à contrarijs, vel à ſimilibus, vel à quibuſcumque habentibus ordinem aliquem in ſentiri ad illud, quod quęrimus: tamen nec talis collatio poteſt competere virtuti ſenſitiuæ, vt videtur eidem autem virtuti competit diſcurſus, & cognitio terminans diſcurſum: recordari autem terminat illum diſcurſum, ergo, &c. Contra iſtam rationem obijcit, Primò, quia Ariſtoteles dicit quoſdam bene reminiſcitiuos, quoſdam male, propter diuerſitatem organi, ergo reminiſcitiua attribuitur parti ſenſitiuæ. Pręterea. Quod reminiſcentia ſit impoſſibilis, adducitur argumentum, quod recitat Themiſtius 1. Poſter. de ſeruo fugitiuo, per quod probatur, quòd impoſſibile ſit aliquid addiſcere: quia aut illud fuit prius ſcitum, & ita non addiſcitur: aut non, & ita ſi occurrit intellectui, neſcit illud eſſe quod requirit. Hoc quidem argumentum ibi non habet euidentiam: quia quidquid neceſſariò infertur ex pręmiſſis neceſſarijs, ex hoc ipſo ſcitur. Nec oportet, quòd ſciam illud, quod quæſiui ſcire, niſi in generali, quia quæſiui ſcire quidquid potuit inferri ex illis notis, ſed in propoſito habet difficultatem.

Arguitur enim ſic; Aut ille perfectè oblitus eſt eius, quod eſt A. aut non, ſi ſic, ſi per reminiſcentiam poſſit redire ad memoriam eius, neſcit illud eſſe cuius recordationem quæſiuit, & per conſequens non reminiſcitur: quia reminiſcens recordatur alicuius de nouo, vt prius memorati, & poſt tempore intermedio obliti, ſi non eſt perfectè oblitus A. ergo non poteſt reminiſci A.

Confirmatur primum membrum per Auicennam vbi prius, cap. 3. Deſiderium recordandi in particulari nulli bruto ineſt, ſi enim non memorat memorari non deſiderat. 6 natural. parte 5.

Similiter Ariſtoteles libro 2. videtur ponere memoriam pertinere ad virtutem phantaſticam, cuius inquit Ariſtoteles, ſcilicet partis animæ memoria ſit manifeſtum eſt, quando, & cuius phantaſia eſt, illius etiam memoria eſt, & Damaſc. vbi prius, Memoria eſt imaginatio derelicta à ſenſu, ſecundum actum. lib. 2. c. 20.

Ad intellectum illarum auctoritatum dico, ſicut prius dictum eſt, quòd actus recordandi habet duplex obiectum, ſcilicet, proximum, & remotum. Præteritio autem quandoque requiritur in vtroque obiecto, vt obiectum eſt, quandoque in altero tantum: ſenſus autem, quia non cognoſcit obiectum ſuum, niſi ſecundum aliquam diſpoſitionem, quam habet dum ſentitur, iuxta illud ſeptimo Metaphyſices Abeuntibus ſenſibilibus à ſenſu, non eſt palam vtrum ſit an non, ideo non poteſt habere recordationem actus ſui, vt præteriti, quin etiam habeat obiecti ſenſati, vt præteriti, quia vt tantummodo ſic ſe habentis, ſicut ſentiebatur dum manſit actus ſentiendi, intellectus autem non requirit præteritionem in vtroque obiecto, ſed tantum in proximo, quia enim actus eius poteſt eſſe alicuius, vt eſt neceſſarium, ſicut ſpeculandi triangulum habere tres? ideo actus recordandi illum actum ſpeculandi, poteſt habere obiectum remotum, non vt præteritum, ſed vt ſemper vniformiter ſe habens; Quantum ergo ad iſtam conditionem, reſpicere obiectum præteritum, vt præteritum, tam ſcilicet remotum, quam propinquum, ita quòd vtrumque cognoſcatur præciſè, & neceſſariò, vt præteritum, memoria eſt neceſſariò ſenſitiuæ, non autem neceſſariò intellectiuæ, licet ſic poſſet eſſe eius, vt ſtatim dicetur in ſolutione. t. 55.

Ad

Ad aliud dico, quod memoria in parte ſenſitiua eſt ſufficiens ad operandum ſine intellectu, vt patet in brutis; ſed è conuerſo in memoria intellectiua non ſufficit ad operandum ſine memoria ſenſitiua, ſicut nec poſſumus ſine phantaſmate intelligere, ideo non diceret Ariſt. hominem benè, & malè memorari, inde, quia intellectus eius benè, vel malè conſeruet ſpeciem alicuius præintellecti: ſed quia memoria eius ſenſitiua, quæ concurrit cum intellectiua, etiam ad recordationem intellectiuam eſt benè, vel malè retentiua, fortè enim memoria intellectiua quamcumque ſemper conſeruat ſpeciem, ſed non poteſt in ſuum actum, quia ſpecies ſenſibilis deleta eſt à memoria ſenſitiua, ſine qua illa non ſufficit ad operandum.

Prat. 5. con cel pſ. 5. idē in cō. & Themiſt. 3. de aïa. — *Hoc probatur primo; quia receptum videtur eſſe in recipiente, per modum recipientis, & per conſequens cum intellectus ſit virtus immaterialis, & immutabilis ab his paſſionibus corporalibus, videtur, quod ſpecies eius maneat indelebiliter; propter hoc enim Ariſtoteles tantum aſſignat labilitatem ſpeciei in memoria ſenſitiua, quia organum, ſic vel ſic patitur, vel mouetur. Probatur idem ſecundo: quia quando aliquis reminiſcitur, oportet quod habeat aliquid apud ſe manens, per quod illud eſſe ſciat cuius prius meminit, & poſt oblitus eſt, vt argumentum procedit de ſeruo fugitiuo. Iſtud autem manens, non poteſt poni in parte ſenſitiua, quia illud eſt deletum, ſaltem non remanet perfectè, nec ſufficienter ad actum recordandi, ergo probabile eſt, quod illud ſit ſpecies in intellectu manens perfectè, & ſic recuperata ſpecie in memoria ſenſitiua, quæ aliqualiter decidit per collationem ad ſpeciem intelligibilem manentem, cognoſcitur illud obiectum recordatum eſſe illud, quod fuit prius memorialiter notum; Sic igitur quantum ad primitatem, vel radicem ſeu ſufficientiam ex ſe ad actum non ſolum eſt memoria in parte intellectiua, ſed in ſenſitiua etiam in nobis.*

Dico ergo, quantum ad iſtum articulum, quòd in intellectiua eſt memoria, & actus recordandi propriè dictus: ſuppoſito enim quòd intellectus non tantum cognoſcat vniuerſalia, quòd quidem verum eſt de intellectione abſtractiua, de qua loquitur Philoſophus: quia ſola illa eſt ſcientifica, ſed etiam intuitiuè cognoſcat illa, quæ ſenſus cognoſcit, quia perfectior, & ſuperior cognoſcitiua in eodem cognoſcit illud quòd inferior, & etiam, quòd cognoſcit ſenſationes, & vtrumque probatur per hoc, quod cognoſcit propoſitiones contingenter veras, & ex eis ſyllogizat: formare autem propoſitiones, & ſyllogizare, proprium eſt intellectui. Illarum autem veritas eſt de obiectis, vt intuitiuè cognitis ſub ratione ſcilicet exiſtentiæ, ſub qua cognoſcuntur à ſenſu, ſequitur, quod in intellectu poſſint inueniri omnes conditiones prius dictæ pertinentes ad recordari.

Percipere enim poteſt tempus, & habere actum poſt tempus, & ſic de cæteris, & poteſt breuiter recordari cuiuſcumque obiecti, cuius poteſt memoria ſenſitiua recordari, quia poteſt illum actum, qui eſt proximum obiectum intuitiuæ, cognoſcere quando eſt, & ita recordari poſtquam fuit.

Poteſt etiam recordari multorum obiectorum proximorum quorum non poteſt ſenſitiua recordari, vtpotè, omnis intellectionis, & volitionis præteritæ. Quod enim talium recordetur homo, probatur: quia aliàs non poſſet penitere de malis volitionibus, nec præteritam intellectionem, vt præteritam, conferre ad futuram, nec per conſequens ex eo, quod iſta ſpeculatus eſt, ordinare ſe ad ſpeculandum alia ſequentia ex iſtis, & breuiter omnia deſtruuntur ſi intellectionum, & volitionum præteritarum non recordamur.

Iſtarum autem non poteſt ſnſuaſ ſınbıjp recordari, quia non cadunt ſub obiecto alicuius ſenſus. ergo illa recordatio eſt propria intellectus, & hoc ratione obiecti proximi; eſt etiam alia propria non ſolum ratione obiecti proximi, ſed remoti, vt recordatio, quæ tendit in neceſſarium, vt neceſſarium, vt in obiectum remotum, cuiuſmodi eſt recordatio habens pro obiecto remoto triangulum habere tres. Nam obiectum proximum recordationis, ſcilicet, actus tendens in tale obiectum, non poteſt eſſe niſi actus partis intellectiuæ.

Sic ergo patet, quod aliqua rocordatio eſt propria intellectui ex ratione vtriuſque obiecti, actus ſcilicet, tam proximi, quàm remoti,

remoti, aliqua etiam ratione obiecti proximi eſt ita propria, quòd non poſſet competere ſenſui; aliqua ex ratione obiecti proximi competit intellectui, tamen poteſt competere ſenſui, vtpote ſi intellectus intuitiuè intellexit me videre album, poſtea intellectus recordatur me vidiſſe album.

Hoc quidem obiectum proximum, & remotum poſſet eſſe obiectum recordationis non ſolum ſenſitiuæ, ſed etiam poteſt eſſe obiectum recordationis intellectiuæ, & eſt, quandocumque fit collatio ex tali recordatione per diſcurſum ad aliud ſyllogiſticè concludendum, alicuius tamen ſenſitiuæ, vtpotè ſuprema, ſenſatio præterita nõ poteſt eſſe obiectum proximum, niſi tantum recordationis intellectiuæ, vt tactum eſt in articulo præcedenti. Nulla tamen recordatio pertinet ad intellectum, inquantum eſt præcisè abſtractiuè intelligens. Nulla etiam ex hoc, quòd pertinet ad intellectum requirit duplicem præteritionem, ſcilicet, in vtroque obiecto.

Nulla etiam pertinet ad intellectum tamquam primariè, & radicaliter ſufficientem ad recordandum, & propter has tres conditiones, vel aliquam earum, intelligendæ ſunt, vel expondæ omnes auctoritates Ariſtot. & aliorum negantium in parte intellectiua memoriam.

Quando enim obijcitur cõtra ſecundam rationem in illo articulo quæ procedit ex actu reminiſcendi, per hoc, quòd Philoſophus ponit reminiſcitiuos, & non reminiſcitiuos ex diſpoſitione organi, patet ex dictis, & ſpecialiter ex tertia conditione, & explicatum eſt ſatis ſupra. Ad illud de ſeruo fugitiuo eſt ſolutum, ſi verum eſt, quòd ſpecies intelligibilis ſemper manet, & ſenſitiua aliqualiter perdita per collationem quandam, vel vſum aliarum ſpecierum ſimilium, recuperatur perfectè tunc enim ſcitur iſtud nũc recordatum eſſe illud quòd prius, vel poſt fuit recordatum, & poſt oblitum, per ſpeciem quieſcentem in intellectu, ſicut ſi ſpecies Petri, niſi quieſcat in virtute phantaſtica, licet nunquam vtar illa, po-
6. idẽ ſtea tamen occurrente Petro viſui, ſta-
9. Tri tim cognoſco ipſum eſſe Petrum per colla-
nit. tionem ad hanc notitiam intrinſecam, ſe-
c. 6. cundum quòd docet Auguſt. 8. de Trinit. cap. 6.

Si autem nihil poneretur remanere in tali obliuione per collationem, ad quod poſſet ſciri illud eſſe, quod reminiſcendo quærebatur, non videtur, quòd in fine poſſet ſciri illud eſſe magis, quàm de ſeruo fugitiuo ignoto.

Ad aliud, quòd ponitur habitus phantaſiæ ſaltem non habetur ex hoc, niſi de memoria ſenſitiua, quòd enim præter illam ſit alia, quæ eſt firmitas intellectus, in illo libro patet, vbi dicit, ſcientiam, aut ſenſum cuius habitum dicimus eſſe memoriam, ſciẽtiam pro intellectu, ſenſum pro phantaſia, cuius prius dixit memoriam eſſe habitum. Iſta tamen auctoritas quæreret expoſitionem, ſi poneretur memoria ſenſitiua diſtincta potentia, ſed non eſt ad propoſitum hic de hoc diſcutere.

Quod adducitur de Damaſceno ſubſtantiæ ipſorum memoriam non habemus, verum eſt, vt obiectorum præteritorum, & ſic non eſt recordatio eorum, quæ requirit duplicem præteritionem.

Ad quæſtionem ergo patet, quòd cum in anima coniuncta ſit aliqua memoria intellectiua, illa remanet etiam in anima ſeparata, & per conſequens notitia habitualis omnium illorum, quæ vſque ad ſeparationem in ea manſerunt, & per conſequens poteſt vti illis remanentibus ad actum memorandi, ſicut poſſet vti coniuncta, (quia ſicut dictum eſt in præcedenti quæſtione) omnes formæ intellectuales, & operationes conſequentes, quæ poterant haberi à coniuncta poterunt haberi à ſeparata, memoria autẽ ſenſitiua loquendo de totali potentia non manet in anima ſeparata, ſicut nec aliqua potentia ſenſitiua.

Dixi autem totali: quia etſi anima ſit illud, quod eſt formale in potentia ſenſitiua, tamen potentia ſenſitiua formaliter includit formam quandam totius compoſiti ex corpore ſic mixto, & anima perficiente proportionaliter ad actum correſpondentem tali toti, & per conſequens cum recordari ſenſitiuæ ſit totius, illud non poteſt competere animæ ſeparatæ.

Breuiter ergo omnium eorum quorum recordatur coniuncta, poteſt recordari ſeparata: quia quorumcumque fuit memoria ſenſitiua, eorum fuit intellectiua, propter cognitionem intuitiuam, concomitantem

autem

autem omnem perfectam, ſenſitiuam perfectam, ſed non omni recordatione poteſt recordari ſeparata, quà potuit coniuncta.

Si obijcitur, ſola ſpecies in memoria intellectiua non ſufficiebat in anima coniuncta ad recordandum, ſine alia in memoria ſenſitiua, vt eſt dictum in ſecundo articulo, ergo nec modo ſufficiat: quia non eſt modo perfectior, quàm prius.

Reſponſum eſt in præcedenti quæſtione in ſimili: quia nec modo poſſumus vti ſpecie intelligibili ſine phantaſmate, tunc autem poterimus, non propter nouam perfectionem, ſed quia non eſt ibi ille ordo illarum potentiarum in operando, qui nunc non eſt.

Ad argumenta principalia. Ad primum, concedo in homine eſſe memoriam ſenſitiuam, ſed ex hoc non ſequitur, quòd nulla ſit in eo intellectiua.

Non enim debet negari ſuperiori cognitiuæ, quod eſt perfectionis in inferiori: vnde ſi Deus poſſet habere actum poſt tempus, nec haberet vnum actum ſtantem in æternitate, poſſet recordari, & ſic ſcriptura
c. 15. *concedit eum recordari, in Threnis. Recordare Domine quid acciderit nobis.*

Inquantum ſcilicet ille actus, qui in ſe non eſt poſt tempus, conſideratur vt coexiſtens priori tempori, & nunc iſti, & ſic quaſi poſt tempus. Angeli autem, quia non omnes intellectiones habent perpetuas, poſſunt abſolutè recordari. Fatuum eſt enim dicere, quòd Lucifer non recordatur ſe peccaſſe, nec boni Angeli recordantur tales actus intelligibiles habuiſſe, vel etiam aliquos exteriores circa corpus.

Ad ſecundum, illa auctoritas loquitur de intellectu, vt habet intellectionem ſcientificam, qualis eſt ſola ſciẽtia abſtractiua, & tamen ſi ſic non eſt præciſa ex natura intellectus, quia in illa intellectione abſtractiua, poteſt intelligi ſingulare, licet non modo à nobis, de hoc alibi.

Si obijcias, potentia non cognoſcens ſin-
in 3. dist. p. 1. in 2. diſ. 2. *gulare, vt ſingulare, non recordatur: quia recordans cognoſcit aliquid, vt hic, & hũc, quòd eſt proprium ſingulari.*

Reſpondeo, exiſtentia actualis primo conuenit naturæ: vnde hæc natura non exiſtẽs formaliter, quia hic, ſed per naturam, illam autem naturam, vt exiſtentem intuitiuè cognoſcit intellectus, & iſta cognitio exiſtentis, vt exiſtentis, ſufficit ad hoc, quòd eius poſſit eſſe recordatio. Cum ergo dicis, potentia recordatiua cognoſcit hoc, vt hoc, nego. Tu probas, cognoſcit aliquid, vt hic, & nunc: ſi intelligas per nunc exiſtens, & per hic, in ſe præ ens, concedo, quòd cognoſcit aliquid vt in ſe præſentialiter exiſtens, & ſic vltra hic, & nunc, ſunt propria ſingulari, ita quòd non poſſunt eſſe naturæ, non vt ſingulariter. Licet enim non ſint alicuius, niſi quòd eſt in ſingulari ſingularitate intrinſeca, vel adiuncta, tamen non includunt formaliter nec per ſe præſuppoſitiuè ſingularitatem tamquam præciſam rationem ſecundum quam illa inſunt.

Ad alterum dicitur vno modo, quod beati recordantur peccata commiſſa, nec tamen eſt eis ad pœnam, ſed gaudent de miſericordia diuina remittente, & de liberatione à pœna. Et probatur hoc per illud Pſalmi. Miſericordias Domini. Vbi Gregorius. Quomodo in æternum miſericordias Domini canunt, qui miſeriæ non meminerunt. Contra licet hoc, quòd eſt Deum remiſiſſe peccatum Petro, includat Petrum peccaſſe, tamen iſta ſunt ſimpliciter diſtincta intelligibilia, nec ſecundum includit primum in eſſe, patet, quando Petrus peccauit, nec per conſequens in intelligi, ergo poſſibile eſt intellectum Petri ſiſtere in ſic peccaſſe, abſque hoc, quòd cõſideret Deum remiſiſſe illa peccata; Et quamquam contendas, quòd nunquam ſit vnus actus ſine alio in Petro, tamen ſaltem ſunt duo obiecta, & diſtinctæ intellectiones, & etiam intellectio eius quod eſt Petrum peccaſſe, eſt prior natura. Quæro ergo, hanc recordationem qua ſe peccaſſe recordatur, quis actus voluntatis ſequitur? aut velle, ſiue complacere; aut nolle, ſiue diſplicere; aut nullus, nec placet, nec diſplicet, ſi primum, Petrus malus eſt: quia complacet in peccato quòd commiſit; ſi ſecundum, miſer eſt: quia nolitum eueniſſe, quòd ſcitur eueniſſe, cauſat triſtitiam, per Auguſt. de Ciuit. Dei 14. c. 15. Triſtitia eſt ex illis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt; ſi neque ſic, neque ſic, iterum malus: ſi enim viator non poteſt completa deliberatione recordari peccatum ſuum commiſſum, quin deteſtetur, vel diſpliceat, alioquin peccat ad minus omittendo.

tendo, quanto magis ad hoc tenetur beatus, ratio enim cõmunis magis ligat beatum, quàm viatorem, quæ eſt perfecta Dei dilectio, quæ ſemper impellit ad odiendum illud, quod eſt contra Deum, quando actu cognoſcitur, vel cogitatur.

Quod autem adducitur de Pſalmo, & ex hoc arguitur: miſericordiam non canit, qui miſeriæ non meminit. Reſpondeo in vniuerſali meminit miſeriæ, ſed non in particulari: quia ſcit iam ſe eſſe beatum.

Dico tamen, quòd poſſibile eſt totaliter deleri à memoria beati peccatum, quod ipſe commiſit, nec in hoc derogatur beato, immò videtur pertinere ad beatitudinem accidentalem eius.

Si enim innocens gaudebit de innocentia, ſpeciali gaudio, vt tactum eſt ſuprà di-
q. 6. *ſtinctione 1. licet ille non poſſit gaudere de innocentia: quia tunc eſſet eius falſum gaudium, tamen poteſt innocentia de eius memoria deleri, vt de illa non habeat aliquã materiam triſtitiæ. Poteſt etiam Deus ſtãte memoria habituali peccati commisſi, præſeruare beatum, ne vnquam exeat in actum conſiderandi ſe illud commiſiſſe, & hoc iterum ſufficeret ad excludendum occaſionem proximam triſtitiæ, licet non remotam, nec priuatio talis notitiæ habitualis, vel actualis, faceret eum in aliquo imperfectum: quia ſecundum Philoſophum, quo-*
in 3. *rundam obliuiſci turpium, melius eſt quã*
d.p.in *reminiſci, quòd maximè verum eſt, loquen-*
2.d.2 *do de illo, qui turpe commiſit cui pœnale eſt reminiſci; & ſcriptura dicit, Deum obliuiſci peccatorum, & ea eſſe tecta, quòd licet oporteat exponere propter infinitatem intellectionis diuinæ, quàm nullum cognoſcibile poſitiuum, vel priuatiuum poteſt ſubterfugere, tamen quod realiter ſint abſcondita, vel oblita illis, qui commiſerunt nullum inconueniens eſſet.*

Si hoc non placet, quia ſemper remanebit in eis memoria habitualis peccatorum, & quandocumque exibunt in actualem recordationem, tunc ad vitandum triſtitiam, dicendum eſt, vel quòd Deus ſuſpendat cauſalitatem illam, quam recordatio nata eſſet habere reſpectu triſtitiæ, & hoc quidem poſſibile eſt, ſicut ſuſpendit naturalem actionem ignis, reſpectu puerorum in camino, ſed tunc erit miraculum quoties recordantur, quod non triſtentur, vel ſi fugitur miraculum, oportet dicere, quòd cauſa naturalis poteſt impediri per contrarium excellens, ne cauſet effectum, & maximè quando contrarium totaliter replet capacitatem paſſi; ita in propoſito, gaudium de obiecto beatifico replet totaliter capacitatem beati, & ideo non eſt capax triſtitiæ, quæ nata eſſet conſequi illam recordationem.

Vincit enim illud obiectum in cauſando gaudium, virtutem illius recordationis in cauſando triſtitiam: quia ſecundum Ariſtotel. 7. Ethicor. delectatio vehemens excludit quamcumque triſtitiam, non ſolum contrariam, ſed etiam contingentem. Contra habet nolle reſpectu iſtius recordati, ergo non habet quidquid vult: igitur non eſt beatus, ex 13. de Trinit. cap. 5. Reſpondeo; Beatus habet quidquid vult de præſenti, vel de futuro, de præterito autem quidquid vult, hoc eſt velle non fuiſſe, non habet: nec hoc arguit miſeriam, quia impoſſibile eſt præteritum non fuiſſe.

Hæc Scotus.

Breuiter explicatur mens Scoti, & comprobatur, & rationes Aduerſariorum reijciuntur. Cap. III.

QVæ ſit mens Scoti circa materiam de Memoria, ex quæſtione recitata euidenter patet. Ipſe enim lucidiſſimè quidquid ad illam pertinet, conſiderat, & determinat; breuiter tamen cõſiſtit in hoc; primo ſupponit vnum certũ, ſcilicet, quòd aliquis actus cognoſcendi præteritum vt præteritum, eſt in nobis; hoc ex ſe patet, & Scotus probat in textu, & addit, quòd hic actus de quo recordamur fuiſſe, debet eſſe actus humanus, & debet infuiſſe ipſi recordanti; non enim actuum aliorum, de quibus nos non habuimus notitiam, recordamur, ſed ſolum actuum noſtrorũ, quos animaduertimus, & voluimus. Secũdò ſupponit, quòd hæc ſit cõmunis deſcriptio recordationis; Recordatio eſt cognitio, ſeu cogitatio actus alicuius præteriti, in quantũ præteriti. Ex hac deſcriptione ſequuntur octo certa, quattuor ex hoc, ꝙ dicitur præteriti, ĩ quãtum præteriti, & alia quattuor ex hoc, qđ

dicitur

dicitur actus; prima quattuor ſunt hæc; Primum eſt, quod potentia recordatiua habet actum poſt tempus, alioquin recor datio non eſſet præteriti, vt præteriti; Secundum, quod percipit fluxum temporis inter illud inſtans, vel tempus, in quo fuit actus de quo recordatur, & inſtans præſentis perceptionis illius actus. Tertium, quod obiectũ recordationis, quando obijcitur recordationi, non eſt in ſe præſens, quia non eſſet recordatio eius, vt pręteriti; Quartum, quod cum obiectum debet eſſe pręſens ad actum, & non poſſit eſſe in ſe præſens, neceſſe eſt, quod ſit præſens per ſpeciẽ; Alia quattuor ex parte actus, ſunt iſta, Primum. Recordatio eſt duplicis obiecti, vnius remoti, vel vltimi, ſcilicet, alicuius obiecti, circa quod recordans quandoque habuit actum humanum, & alterius proximi, ſcilicet, actus præteriti tendentis in illud obiectum, ſecundum quod ſpecies neceſſaria ad recordationẽ, imprimitur ab actu, qui actus dicitur obiectum proximum, quando eſt præſens. Tertium, quod nullus poteſt habere recordationem, niſi de proprio actu, & eo quidem humano; Quartum, actus cognoſcendi præteritum actum, eſt obiectum potentiæ recordatiuæ.

His octo tamquam certis, & veris ſuppoſitis, inquirenda eſt concluſio, ſcilicet, an recordatio præteriti, quæ eſt memoria propriè dicta, ſit in parte ſenſitiua, & intellectiua, Scotus quo ad memoriam in parte ſenſitiua, diſputat ad vtramque partem, ſcilicet, quod non ſit in parte ſenſitiua, & quod ſit in parte ſenſitiua: ſed tandem concludit cum Ariſt. quod Memoria propriè dicta, eſt ponenda in parte ſenſitiua, & ſoluit rationes factas in contrarium, vt patet in textu ipſius quæſtionis.

Quo verò ad partem intellectiuam eſt difficultas maxima, & de hac loquitur in artic. 2. quæſtionis allatæ, & in corpore quæſtionis, & breuiter ſententia Scoti conſiſtit in hoc, in parte intellectiua eſt *De mem. intel.* memoria propriè dicta, quæ eſt recordatio actus præteriti in quantum præteritum; probatur: quia in intellectu poſſunt reperiri illæ octo conditiones certæ, quas nunc ſupra enumerauimus, poteſt enim intellectus percipere tempus, & habere actum poſt tempus, &c. Immò intellectus poteſt recordari, & memorari eorum omnium de quibus recordatur, & memoratur memoria ſenſitiua, quoniam, vt dictum eſt aliàs, omnia quæ cognoſcuntur à ſenſibus, etiam cognoſcuntur ab intel- *1. rõ.* lectu, quia potentia ſuperior, cognoſcit omnia, quæ cognoſcit inferior, & nobiliori modo, & ideo poteſt intellectus cogitare actum præteritum, quem habuit circa aliquod ſingulare, & cognoſcere fluxum temporis, quod interfuit inter illam primam cognitionem, & hanc, quam modo habet, & poteſt habere ſpeciem illius obiecti remoti, quoniam cum illud obiectum ſit abſẽs, nec per ſe cognoſcatur, ſed per ſpeciem, ſpecies erit in intellectu, &c. Clarum eſt ergo quòd cum intellectus cognoſcat omnia, quæ cognoſcit ſenſus, quod poterit memorari omnium eorum de quibus memoratur ſenſus, ſed vlterius (quod magis probat dari memoriam intellectiuam) Intellectus de aliquibus *2. rõ.* memorari poteſt, de quibus nõ poteſt ſenſus, ergo præter memoriam ſenſitiuam datur intellectiua. Antecedens probatur: quia intellectus poteſt memorari multorum obiectorum proximorum, (id eſt actuum) quorum nõ poteſt ſenſitiua, vt puta omnis intellectionis & volitionis præteriæ: quod enim talium recordetur homo, probatur: quia aliàs non poſſet penitere de malis volitionibus, nec præteritam intellectionem, vt præteritam, conferre ad futuram, nec per conſequens ex eo, quod iſta ſpeculatus eſt ordinare ſe ad ſpeculandum alia ſequentia ex iſtis; & breuiter omnia deſtruuntur ſi intellectionis & volitionis non recordamur. Clarum eſt autem, quod iſtatum intellectionum non poteſt aliquis ſenſus recordari, quia non cadunt ſub obiecto alicuius ſenſus, ergo illa recordatio, & memoria eſt propria intellectui, etiam in parte intellectiua, eſt memoria propria, & recordatio ratione obiecti remoti, vt recordatio quæ tendit in neceſſarium, vt neceſſarium, cuiuſmodi eſt recordatio habens pro obiecto remoto Triangulum habentem tres: nam obiectum proximum recordationis, ſcilicet, actus tendens

dens

dens in tale obiectum, non poteſt eſſe niſi actus partis intellectiuæ: neque enim ſenſus poteſt cogitare, & cognoſcere omnem Triangulum neceſſariò habere tres angulos, ſed ſenſus cognoſcit hunc Triangulum habere tres; num verò illud ſit neceſſarium, vel contingens, non cognoſcit; Ex his ergo patet, quòd in intellectu eſt memoria, & recordatio præteriti, & hæc memoria eſt multiplex; Aliqua enim eſt memoria intellectiua eorum omnium, de quibus eſt ſenſitiua; Aliqua eſt de aliquibus actibus, & obiectis proximis, quæ non poteſt competere ſenſui. Ex his ergo concluditur, quòd datur memoria intellectiua propriè dicta, & diſtincta à ſenſitiua, & hoc maximè concluditur ex memoria, quam experimur habere in nobis ſecundi, & tertij generis, quæ nullo modo poſſunt competere ſenſui.

3. rõ. Ad hoc etiam videtur eſſe mens Ariſt. qui in illo libro de Memoria, & reminiſcentia, dicit, quorundam intelligibilium memoramur, vt quòd Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, &c. & infrà, & in hoc quidem, quia didicit, & ſpeculatus eſt; Ex hac auctoritate colligitur, quòd nos memoramur aliquarum intellectionum, quas non poſſumus ſenſibus percipere, neque cognoſcere; neceſſe eſt ergo, quod in intellectu ſit memoria. Nec valet reſponſio, quod memoria intelligibilium non eſt ſine Phantaſmate: quia non propter hoc eſt neganda memoria intellectiua ſicuti nec negatur intelligere in intellectu, licet intelligere non ſit ſine phantaſmate.

tacita reſponſ. reiec

alia reſp. Nec valet aliorum reſponſio, qui dicũt quòd memoramur intelligibilium per accidens.

reiec. Non valet inquam: quia quæcumque virtus cognoſcit aliquod obiectum, ita, quod ipſa ſola, & non alia, illud obiectũ cognoſcere poteſt, dicitur illud obiectum propriè, & per ſe, & non per accidens cognoſcere, & ſpeculari: & ſimiliter cum recordatur ſpeculaſſe tale obiectum, propriè, & per ſe recordari dicitur, alioquin nulla memoria eſſet per ſe: ſed hoc obiectum, Triangulum habere tres, vt eſt verum, demonſtratum, ſolus intellectus poteſt cognoſcere, non autem vllus ſenſus, ergo nullus ſenſus poteſt cognoſcere nec me ſpeculatum fuiſſe Triangulum habere tres, ergo recordatio, & memoria huius actus, eſt propria intellectui, & nõ alicui ſenſui. Quarto, clarũ eſt, quod manẽt 4. rõ. in nobis habitus ſcientiarum, & recordamur multarum concluſionum integrantium illum habitum, vt patet de eo, qui habet habitum Philoſophiæ naturalis, habet memoriam multarum concluſionum demonſtratarum in illa ſcientia: at iſti habitus, & notitia iſtarum concluſionum, non conſeruantur in phantaſia: quia non cadunt ſub obiecto ſenſus, ergo manent, & conſeruantur in intellectu. Ex hoc argumento concluditur, ſimul dari memoriam intellectiuam, quæ eſt propriè memoria, ſcilicet, recordatio præteriti, vt præteriti; & probatur dari etiam ſpeciem intelligibilem impreſſam diſtinctam à phãtaſmate, quæ ſimul cum intellectu facit memoriam fęcundam, & potentem producere intellectionem, de qua locuti fuimus ſuprà, ſoluendo quartum argumentum de memoria intellectiua; Ratio autem eſt: quia habitus ſcientialis non poteſt conſeruari niſi prius adſit ſpecies intelligibilis obiecti, circa quam, tamquam circa obiectum verſatur actus intelligendi, & ſciendi; Cum ergo ſeruatur in intellectu ſcientia iſta, Triangulus habet tres angulos pares duobus rectis æquales, ſeruatur etiam ſpecies Trianguli, & ſcientia illius Concluſionis, non quidem, quod actus cognoſcendi, & ſpeculandi illam cõcluſionem, ſeruetur: quia ille actus tranſit: ſed remanet ſpecies intelligibilis Concluſionis, quæ nil aliud eſt, niſi idolum, & conceptus Trianguli, cum conuenientia illius prædicati, habere tres, &c. (dictum eſt enim ſuprà, quòd ſpecies intelligibilis nil aliud eſt niſi conceptus formatus ab intellectu de re.) Cum ergo ſeruentur habitus ſpeculatiui in intellectu noſtro, vt experientia patet: ſequitur clarè, quod conſeruantur ſpecies intelligibiles obiectorum illorum, de quibus ſunt tales habitus, & ſcientiæ; ſequitur etiam, quod conſeruantur illæ ſpecies cum conuenientia, & relatione ad illa prædicata, quæ demonſtrantur de illis in illis habitibus, & ſic cum hæc neque in phantaſia, neque

in vllo

in vllo alio ſenſu recipi poſſint, ſequitur, quod ſeruentur in intellectu, & ità in intellectu datur memoria.

Quid ſit intellectus in habitu.

Sed oportet hic declarare, quomodo intellectus dicatur in habitu: nam intellectus in habitu & memoria intellectiua, ſunt idem, ſecundum Scotum, vndè in 1. diſtin. 2. quæſt. 6. in 2. quæſtione addita ex intellectu in habitu, concludit dari memoriam intellectiuam. Intellectus itaque in habitu tunc dicitur, quando recipit ſpeciem intelligibilem impreſſam in ſe, ſed actu illam non contemplatur, ſed illam ad ſuum libitum contemplari poteſt; & hoc modo loquitur Ariſtot. in 3. de Anima, textu 8. de intellectu in habitu. Sed hic eſt difficultas, quomodo tunc dicantur ſeruari habitus ſcientiarum in intellectu noſtro, non enim ſeruantur in intellectu noſtro ſolum ſpecies obiectorum, circa quas verſatur, & negotiatur intellectus, ſed ſeruatur ipſa ſcientia, & concluſio, vt patet de viris doctis, qui habēt plures concluſiones diuerſarum ſcientiarum in intellectu ſuo, alioquin non eſſent ſapiētiores ruſticis, & ijs, qui nihil vnquam didicerunt; Reſpondeo vt dixi in Theoremate de muneribus intellectus agentis, quod ſpecies intelligibilis, nil aliud eſt niſi conceptus rei formatus ab intellectu agente. Modò intellectus agens præſentato phantaſmate, laborat circa illud phantaſma, & format conceptum abſtrahendo, & etiam diſcurrendo, & ſic format idolum ſibi de illo phantaſmate, annuente tamen ipſo phantaſmate quoque. Iſtud autem idolum, nil aliud eſt niſi conceptus aggregatus ex diuerſis prædicatis, ſic fabricatus per diuerſos ſyllogiſmos, adeo quod in illo conceptu, & ſpecie, includuntur Concluſiones variæ; Cum ergo ſunt in intellectu poſſibili iſtæ ſpecies, & conceptus, tunc intellectus dicitur in habitu, quia habet tunc habitum, & ſcientiam rerum illarum, ſed non actu, ſed ſolum potentia proxima; Cum autem poſtea intellectus agens promit intellectionem ex his ſpeciebus, & conceptibus, id eſt, actu iſtos conceptus, & ſpecies ſpeculatur, & intellectus poſſibilis illam intellectionē actualem recipit, dicitur actu intelligens: tunc ergo intellectus eſt in habitu, & habet habitus ſcientiarum, quando habet ſpecies intelligibiles rerum, quæ ad illam ſcientiam ſpectant: tunc verò eſt in actu, quando actu recipit contemplationem actualem illorum conceptuum. (dictum eſt enim vbi ſuprà, quod intellectus agens, non dicitur intelligere, licet promat, & producat intellectionem: quia intelligere eſt pati.) Hinc patet, quomodo intellectus recordatur Concluſionem ſcitam prius: recordatur enim quia ſpecies, & cōceptus obiectorum de quibus ſunt, ſeruantur in intellectu, & intellectus poſtea actu quando vult, illaſmet Concluſiones ſpeculatur, & intelligit: & quod hoc modo re vera intellectus dicatur in habitu, probabitur modò contra Zabarellam.

Opin. Zab. quō intellectus dicatur in habitu.

Zabarella libro de Speciebus intelligibilibus, cap. 8. declarat quomodò intellectus dicatur in habitu, & inquit, quod intellectus ſit in habitu, non quia ſpecies intelligibilis ſeruetur in illo, ſed quia ex pluribus actibus, & intellectionibus factus eſt aptus ad intelligendum, dum cōuertitur ad phantaſmata, quod facere non poterat, antequam plures illos actus eliceret; Dat exemplum de manu ad ſcribendum, quæ in principio eſt in potentia valde remota ad ſcribēdum, ſed poſt plures actus eſt in potentia propinqua, & in habitu: ſic eſt intellectus, in principio eſt rudis, & in potentia valdè remota ad intelligendum, ſed poſtquam exercitatus eſt per multos actus, fit in potentia propinqua, & in habitu ad intelligendum faciliter, cum conuertitur ad phantaſmata, adeo, quod ſecundum ipſum, habitus intellectuales nil aliud ſunt, niſi quædam habilitates, & promptitudines ad intelligendum.

Hanc opinionem confirmat auctoritate Ariſtot. 2. de Anima, textu 59. vbi ait, quod ſenſus naturaliter eſt ſimilis intellectui in habitu: quod non intelligitur aliter, niſi quia ſenſus naſcitur cum potentia proxima operandi: ſed intellectus multum laborat antequam habeat promptitudinem ad operandum: ſignum eſt ergo, quod ſecundum Ariſt. intellectus in habitu, eſt intellectus, qui propter multas actiones factus eſt habilis ad promptè operandum.

Contra

Reie. Contra hanc ſententiam arguo: quia non eſt ad mentem Ariſtot. nam Philoſophus 3. de Anima, tex. 8. ait, quòd intellectus, cum eſt factus ſingula, tunc eſt in habitu, & eſt veluti ſciens, qui poteſt operari, quãdo vult; & ſubinfert in eodem tex. quòd tunc intellectus non eſt omninò in actu, ſed aliquo modo eſt in potentia, ſed proxima, non remota; Stante hac intentione Ariſt. ita argumentor; Tunc intellectus eſt in habitu, cum eſt factus ſingula, ſed non fit ſingula propter habilitatem ad operandum, ſed ſolum cum recipit ſpecies rerum, ergo intellectus eſt in habitu ſolum, quando habet in ſe actu ſpecies intelligibiles impreſſas. Maior eſt Ariſtot. Minor probatur: quia quando recipit ſpecies impreſſas, fit res illæ, quarum ſpecies recipit: ſed quando non recipit ſpecies, licet ſit habilis ad operandum, non eſt factus ſingula, ergo intellectus ſecundum Ariſt. non dicitur factus in habitu per ſolam habilitationẽ ad operandum. Ex hoc *reijc. Zab.* loco etiam reijcitur aſſertio Zabarellæ, quòd intellectio ſit ſpecies intelligibilis, & quòd intellectus fiat res per intellectionem: quoniam ait Ariſt. quod quando intellectus eſt factus ſingula, eſt aliquo modo in potentia, ſcilicet, proxima: quia eſt veluti ſciens, qui conſiderare poteſt, quando vult: at quando intellectus actu intelligit, & contemplauit, nullo modo eſt in potentia, ſed omnino in actu, ergo non poteſt dici, quod intellectus actu intelligens, per intellectionem fiat ſingulæ res, quia tunc non eſſet aliquo modo in potentia, ſed ſimpliciter in actu. Ariſt. autem dicit, quòd cum intellectus eſt factus ſingula, eſt aliquo modo in potentia. Preterea, intellectus cum eſt factus ſingula, ait Ariſt. quod eſt in habitu; at ſi intellectus ſit ſingula per intellectionem, intellectus ſingula factus, non erit intellectus in habitu, ſed intellectus in actu, quia ſolum tunc fieret ſingula, quãdo actu res cognoſceret, & contemplaretur. *Ad rõnẽ.* Ad rationem Zabarellæ dicitur, quod per illam probatur intellectum multum laborare antequam ſit in potentia proxima ad operandum, & hoc concedimus: attamen non ſequitur, quod fiat in potentia proxima ad operandum, per illam habilitatem ſolum, ſed fit in potẽtia proxima per productionem ſpeciei intelligibilis, circa cuius productionem multum laborat, vt viſum eſt ſuo loco.

1. rõ. cõtra Memor. intel. Sed quod non detur Memoria intellectiua, omnes ferè Antiqui, & Moderni Philoſophi probant hoc vno Argumẽto: quia Ariſt. in libro de Memoria, & reminiſcentia, negat memoriam intellectiuã, & ſtatuit memoriam ſenſitiuam tantum, quam vult inſeruire, & imaginatiuæ, & intellectiuæ; Ac primo quidem imaginatiuæ inſeruit, ſecundario verò, & per accidens, inſeruit intellectui. Secundò, Franci- *2. rõ.* ſcus Piccolomineus, libro de Senſibus internis, cap. 15. Arguit, & ipſe ſic. Nouas recipere formas, & tamquam ſubiectum illas ſeruare, non poteſt fieri ſine inſtrumento aliquo corporeo, ergo. Præterea *3. rõ.* Memoria eſt ſpecierum ſenſibilium complicatarum cum continuo tempore, quæ ſingulares ſunt. Intellectus autem eſt vniuerſalium, ergo. Præterea, Mens eſt æter- *4. rõ.* na, & ita non eſt obnoxia varietati, & alterationi, & ſic non poteſt eſſe ſubiectũ nouorum accidentium, & variabilium, vt etiã ſe habet de cæteris à materia ſolutis.

Solu. Not. Pro intelligentia clariori veritatis, & ſolutione iſtarum rationum, eſt notandum, quod re vera datur memoria intellectiua, vt patet per rationes adductas, attamen eſt conſiderandum, quod ſicuti dicebamus in præcedenti Theoremate, intellectus & phantaſia ſunt potentiæ adeò cõnexæ & coniunctæ, quod vna non poteſt intelligi ſine altera, neque enim intellectus poteſt intelligere aliquam ſpeciem, quin phantaſia verſetur circa phantaſma eiuſdem ſpeciei: ita euenit in recordatione, & memoria præteritorum: non enim intellectus alicuius ſpeciei recordari poteſt, quin phantaſia quoque phantaſmatis illius eiuſdem ſpeciei non recordetur, & cum phantaſia ſit radix, & origo intellectionis, conſequenter etiam eſt origo, & radix memoriæ intellectus: & hinc fit, quod intellectus dum recordatur alicuius rei intellectæ, vt alicuius ſpeciei intelligibilis, habet non ſolum cognitionem abſtractiuam, ſed etiam intuitiuam, id eſt, non ſpeculatur præciſè vniuerſale, ſed ſimul ſpeculatur, & intuetur ſingulare inuolu-

inſolutum conditionibus ſingularibus, quod eſt intuitiuè cognoſcere, vt alibi docuimus; & hinc eſt quod Scotus ait, quòd nulla recordatio pertinet ad intellectum, inquantum eſt præciſè abſtractiuè intelligens: nam eſt neceſſe, quòd in recordatione, dum intellectus ſpeculatur ſpeciē intelligibilem, intueatur quoque ſingulare materiale propter vicinitatem phantaſię, quæ quoque tunc imaginatur phātaſma ſingulare; & hæc eſt vna ex cauſis præcipuis, propter quam multi dicunt ſufficere ſenſitiuam memoriam: quia dum intellectus intelligit, & recordatur, phantaſia quoque recordatur, & phantaſia eſt prima, & principalis radix memoriæ, vnde intellectus non poſſet per ſe recordari ſine phantaſia, ſicuti nec poteſt intelligere niſi phantaſia conuertatur ad phantaſmata, propter connexionem iſtarum potentiarum pro hoc ſtatu, in quo ex ſenſibus mendicamus omnem noſtram cognitionem (in alio autem ſtatu ſecundū Theologos, erit alius modus intelligendi quàm per conuerſionem ad phantaſmata, & ſic alius modus memorandi,) & propter hoc Ariſt. dixit memoriam eſſe in parte ſenſitiua, & inſeruire quoque intellectui. Eſt etiam notandum, quod (vt dictum eſt) actus recordandi habet duplex obiectum, ſcilicet proximum, & remotum: obiectū proximum eſt actus prȩteritus, obiectum remotum eſt obiectum, in quod tēdebat ille actus: in memoria ſenſitiua eſt præteritio vtriuſque obiecti, adeo quod illud, de quo recordatur ſenſus, erat præteritum, & quo ad actum, & quo ad obiectum in quod tendebat actus, & ſic ſenſus non recordatur actus præteriti, quin recordetur etiam obiecti ſenſati, vt præteriti; Ratio eſt: quia obiectum ſenſus, ſentitur ab obiecto ſemper ſecundum aliquam diſpoſitionem, quæ poſtea tranſit, & ſic obiectū illud mutatur, & præterit: in intellectiuæ memoria non eſt præteritio neceſſariò vtriuſque obiecti, ſed ſolum obiecti proximi: ſed non eſt neceſſaria præteritio obiecti remoti, quia illud poteſt eſſe ens neceſſarium, & ſic vniformiter ſe habens ſemper, etiā poteſt intellectus recipere illud obiectum vt vniformiter ſe habens; aliquādo etiam obiectum remotum memoriæ intellectiuæ eſt præteritum, & recordatur illius vt eſt præteritum, vt cum recordatur ſingularium intuitiuè cognitorum, & modo quò à ſenſibus cognoſcuntur; vt diximus nunc ſupra, ſed non eſt ſemper neceſſarium; in hoc ergo diſcrepat memoria intellectiua à ſenſitiua, quia ſenſitiua requirit præteritionem in vtroque obiecto, intellectiua in altero tātum, Hac de cauſa ſēſitiua videtur habere maiorem rationem recordationis, quàm intellectiua, & propter hoc Ariſtotel. multum tribuit memoriæ ſenſitiuæ, & parum intellectiuæ.

Not. (margin, at "Eſt etiam notandum")

Ex his ad rationes in oppoſitum. Ad primam dico, quod Ariſtoteles in libro de Memoria, & reminiſcentia concedit in homine eſſe memoriam ſenſitiuam, quæ inſeruit intellectui: ſed ex hoc non ſequitur, quod in intellectu nulla ſit memoria; dixit autem memoriam ſenſitiuam inſeruire intellectui, quia eſt radix memoriæ intellectiuæ, & intellectus non poteſt recordari ſine ſenſu, ſed ſenſus poteſt recordari ſine intellectu, vt patet in brutis; & propter hoc multum tribuit memoriæ ſenſitiuæ. *Ad 1.*

Ad ſecundum, quæ eſt Piccolominei, Negatur antecedens, ſcilicet quod nouæ formę non poſſint recipi ſine inſtrumento corporeo: nam ſpecies intelligibiles in intellectu recipiuntur abſque vllo inſtrumento corporeo, requiſito pro ſubiecto. *Ad 2.*

Ad tertium concedo, quod aliqua memoria eſt ſenſibilium ſpecierum, &c. ſed nego quod intellectus non poſſit eorum quoque recordari: nam ſi cognoſcit quæcumque cognoſcit ſenſus, etiam eorum poteſt recordari, Negatur etiam, quod omnis memoria ſit ſpecierum ſenſibilium, oſtendimus enim nos quod datur quoque memoria ſpecierum intelligibilium, conſeruatiua, quæ eſt in intellectu. *Ad 3.*

Ad quartum dico, quod verum eſt, quod forma omnino abſtracta à materia, non eſt ſuſceptiua accidentium variabilium, vt ſunt Intelligentiæ abſtractæ? Sed forma, quæ eſt actus, & forma materiæ, vti eſt intellectus humanus, eſt capax accidentium variabilium. *Ad 4.*

Aliæ rationes,& earum ſolutiones, habentur apud Scotum,quæ quia ibi adducuntur, & ſoluuntur, & ex his facilè intelligi poſsunt,omittimus in præſenti.

THEOREMA LXXXI.

Intellectus agens eſt differentia animæ noſtræ.

Exponitur opinio Alexandri. Cap. I.

QVid ſit intellectus agens, variæ extant ſententiæ, ideo prius aliorum ſententias examinabimus: deinde quid de hoc ſenſerit Scotus manifeſtabimus,Putauit Alexãder Aphrodiſeus libro 1.de Anima,cap.de Intellectu agente, & eius ſectatores, quod intellectus agens ſit Deus, & prima cauſa:arbitratus eſt enim Alexander, quod intellectus agens ſit Mens, & forma abiuncta per eſſentiam à materia,& quod nõ ſit alia niſi omnium prima. Ratio eius fuit: quia cęterę Intelligentię ſunt virtutes particulares,& ad mouendos orbes proprios applicatæ,neque habent vim vniuerſalem,quę ad rerum omnium regimen extendatur. Sed prima Intelligentia habet vniuerſalem virtutem, quia prima non mouet ſolum primum orbem,ſed totum ſimul cęleſtem globum,immò & mũdum vniuerſum, & eſt omnium rerum prima cauſa, omnia gubernans,omnia perficiens, omnia conſeruans virtute ſua diffuſa per omnia. Modo cum hæc prima Intelligentia omnibus rebus adſit,illas regat, & gubernet ſecundum ſuas proprias naturas, & ideo licet omnibus rebus adſit, non tamẽ facit omnes res intelligere,ſed ſolum humanum intellectum, quia ſolus intellectus humanus, qui poſſibilis dicitur, aptus eſt recipere lumen diuini intellectus, & fieri intelligens:res verò alię, quia non habent talem naturam, ideò non intelligunt per operationem intellectus agẽtis; ſicuti etiã videmus lumen ſolis, cum idẽ ſit penetrare vitrum, non tamen penetrare lapidem propter diuerſas horum corporum naturas,ſic calor ſolis lutum indurat,ceram liquefacit:quoniam agens non agit niſi in patiens idoneum ad recipiendum,& quoniam in hoc mundo inferiori nulla eſt natura, quę ſit ſusceptiua intellectionis, niſi natura intellectus poſſibilis, qui eſt forma hominis, ideò intellectus agens, facit intelligere ſolum hominem, non alias naturas. Zabarella hanc ſententiam ſequitur, & maximè tuetur, libro de Humana mente,à c.10.vſque ad finem;& plures alij.Pro hac ſententia arguit Zabarella libro de Humana mente cap.9.& 10.& inde,his rationibus.

Alexander. (margin)

1. ro. (margin) Intellectus agẽs,& poſſibilis, ſunt duæ ſubſtantiæ eſſentialiter diſtinctæ,ergo intellectus agens,eſt prima forma abiuncta à materia,quæ eſt Deus.Antecedens probatur multis argumentis,quæ infrà capite 3. adducemus, dum declarabimus intellectum agentem, & poſſibilem, eſſe vnam ſubſtantiam,& eadem ſoluemus.Cõſequentia verò probatur rationibus deductis ex intellectu patiente,hoc modo.Intellectus poſſibilis,vel eſt forma ſeparata à materia,nec dans eſſe homini, vt exiſtimauit Auerroes:vel eſt forma informans materiam,& cõſtituens hominem, vt Alexander,& Latini omnes dicũt: ſi primo modo, ergo, multo magis intellectus agens,erit forma abiuncta a materia: cum intellectus agens ex Ariſtotele, ſit nobilior patiente.Si verò intellectus poſſibilis eſt forma informans materiam,& conſtituens hominem,agens, qui præſtãtior eſt patiente, non poteſt eſſe forma informãs materiam: quia ſi intellectus patibilis informat materiam, & eſt forma ſpecifica hominis,ergo quidquid aduenit illi in homine,& eſt excellentius ipſo intellectu patibili,excedit naturam humanam.Præterea,non poteſt agẽs eſſe forma informãs; quia nulla forma informans nobilior poteſt vltimę ac ſpecificę differentiæ ſuperuenire, ſed ita ſuperueniet, vt nauta naui iam conſtitutæ,& formatæ;ergo omnibus modis fateri neceſſe eſt, intellectum agentem non eſſe formam alicuius corporis,ſed eſſe ſubſtantiam penitus immaterialem: non poteſt autem eſſe alia, quã prima,quia cæterę ſunt agentia particularia, prima ſola eſt virtus vniuerſalis, vt nũc diximus ſuprà, ergo. Secundò, Ariſtotel.3.de Anima,tex. 19.dixit,agentem eſſe immixtum, ſeparatum, & impatibilem, & Præt. (margin) 2.

ſeq,& probauit,quod hæc prædicata cō-petant intellectui agenti,per hoc mediū: quia intellectus agens eſt ſecundum ſuā ſubſtantiam actio: tunc ſubinfert, ſed, quod eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam actio, eſt forma abiuncta à materia, ergo intellectus agēs eſt forma abiuncta à materia: non poteſt eſſe vlla alia,niſi prima, ergo intellectus agens eſt prima, quæ eſt Deus. Maiorem probat ex vi verborum Græcorum:non enim illa particula ſecundum ſubſtantiam actio,eſt quarta conditio, vt aliqui Græcę linguæ ignari exiſtimant, ſed eſt medium ad probandum illa tria prędicata ineſſe intellectui agenti. Minor eſt clara ex 12. Metaph.textu 39. vbi apertè ait Ariſtoteles in ſeparatis à materia, eſſe idem intellectum, intelligens,& intelligere.

3. Tertiò,Ariſt.2.de Anima,textu 20.ait, intellectum agentem eſſe ſemper intelligentem, & eſſe id, quod eſt, id eſt quod eſt actus purus,& ipſamet entitas. Modo hæc omnia ſunt prædicata, quæ competunt Menti abiunctæ à materia per eſſentiam,ergo intellectus agens eſt intelligentia ſeparata à materia per eſſentiam, non autem alia,quàm prima,vt ſuprà dictum eſt, ergo intellectus agens eſt Deus. His tribus rationibus probatur, quod intellectus agens eſt ſubſtantia à materia ſeparata; Alteram verò Conſequentiam, ſcilicet, quòd intellectus agens non ſit alia intelligentia, quàm prima, probat in ſequenti capite, ſic. Cum intellectus agens ſit forma abiuncta à materia, non poteſt eſſe vlla præter eas, quæ mouent Orbes, quoniam alia inferior non datur, ſecundum Ariſtotelem, qui nec Dæmones nouit, nec aliquam aliam formam à materia abiunctam, præter eas, quæ mouent Orbes; vnde in 12. Metaph. textu 43. & inde, ad numerum Orbium venatus eſt numerum Intelligentiarum: inter Mentes autem mouentes Orbes, ratio ſuadet, quod ſit prima: quia reliquæ ſunt particulares,& proprio Orbi applicatæ;ſed prima eſt vniuerſalis,& totum mundum gubernat, & ſic aſſiſtendo homini, facit illum intelligere, eo modo quo expoſuimus in principio huius capitis de mente Alexandri.

Quartò, adducit argumentum ipſius Alexandri lib. 1.de Anima, capite de Intellectu agente,quod putat inſolubile, & eſt hoc. In omni genere, in quo eſt aliquid per ſe,& prius tale,& aliqua ſecundariò talia,neceſſarium eſt quod illa,quę ſunt ſecundariò talia, habeant quod ſint talia ab illo primo,quod eſt per ſe:& primo tale. Hæc propoſitio probatur inductione à Zabarella:nam ſubſtantia eſt primum ens,& maximè ens,accidentia verò ſunt ſecundariò entia, ergo accidens eſt ens propter ſubſtantiam; ſic inter viſibilia primū viſibile eſt lux, & maximè omnium lux ſolis; ab hoc ergo alia viſibilia habent vt ſint viſibilia: ſic etiam omnia bona, dicuntur bona per primi boni participationem. Hæc propoſitio ſic probata, accipitur pro Maiori propoſitione, & ſub ea accipit hanc Minorem. Sed res poteſtate intelligibiles ſunt ſecūdariò intelligibiles, ergo non debent reddi intelligibiles, niſi ab eo, quod eſt maximè intelligibile,ſcilicet ab intelligibili per eſſentiam;Deus autē eſt maximè omniū intelligibilis, ergo intellectus agens eſt Deus. 4.

Quintò probatur hæc opinio ſic; Vis cognoſcens quo eſt præſtantior, eo eget externo aliquo præſtantiori; patet exemplo: quia oculus corporeus eget lumine externo ſolis corporei: at mens eſt vis cognoſcitiua præſtantior, quia eſt incorporea,& poteſt dici oculus incorporeus, ergo eget lumine eminentiori, ſcilicet ſolis incorporei, qui eſt Deus, ergo intellectus agens,qui illuminat intellectum noſtrum, & mentem patibilem, eſt Deus. Quam ſententiam confirmat verbis Ariſtotelis ex 3. de Anima, ſuperius adductis, textu 20. vbi Ariſtoteles ait, intellectum agentem eſſe id, quod eſt, quæ eſt propria cōditio Dei, in quo ſolo eſt idem eſſe,& eſſentia, in alijs enim rebus differt eſſe, ab eſſentia. 5.

Rationes in contrarium adducuntur. Cap. II.

Contra hanc ſententiam multi arguunt validiſſimis rationibus. Primò arguitur ſic.Ariſtoteles in 3. de Anima, textu 17. vocauit intellectum agentem, *Reijcitur.*

& intellectum poſſibilem, animæ noſtræ differentias:ergo voluit Ariſtoteles,quod vterque intellectus,ſcilicet agens, & poſſibilis, ſint aliquid humanum, & animæ noſtræ humanæ partes, ergo intellectus agens non eſt Deus. Huic rationi vario modo reſpondent Alexandræi, quorum multas adducit,& reijcit Piccolomineus, libro de Mente, capite 10. quas dimitto.

Reſp. Zab. Zabarella autem reſpondet ſic, libro de Mente agente,cap.16.Ariſtoteles loco citato non dicit intellectum agentem, & patientem, eſſe duas differentias animæ noſtræ,vt ſumitur in argumento: ſed ait eo loco, in anima noſtra eſſe has duas differentias, ſcilicet, agentis, & patientis, hoc eſt in anima dari agens, & patiens, verum eſt autem Deum eſse agens in anima noſtra, quia Deus vbique eſt, & eius lumen iungitur phantaſmatibus exiſtentibus in anima,vt perfectio,& ſic eſt agēs in anima; eſt ergo Deus vtique in anima noſtra,ſed non eſt animæ noſtræ pars,ſed extrinſecus adueniens, & hic eſt ſenſus, qui colligitur ex illo textu.

reiectio. Sed hęc reſponſio non tollit argumentum: nam certum eſt quod Ariſtoteles concludit in illo textu 17. debet reperiri in anima has duas differentias agentis,& patientis, non quo ad actum ſecundum, ſed quo ad actum primum,id eſt, non intendit ibi concludere quòd in anima ſit actio,& pasſio:ſed intelligit,quod in anima debet eſſe vis patiens, & vis agens; quod probatur: quia prius probauit in anima noſtra eſſe intellectum patibilem, quo ad actum primum, & ex eo concludit debere quoque in anima eſſe intellectum agentem, qui deducat poſsibilem ad actum, ea ratione, quia omni paſſiuo reſpondet ſuum actiuum proprium: at intellectus poſſibilis eſt in anima quo ad actum primum:eſt enim vis potens pati, ergo intellectus agens quoque debet eſse in anima quo ad actum primum, & eſse debet vis agens potens deducere poſſibilem ad actum; & hoc patet clarè ex verbis textus, ait enim Ariſtoteles, quod in omni genere eſt aliquid vt natura, & potentia, alterum verò vt cauſa, & factiuum: ecce vtitur his verbis, factiuum, & cauſa, quæ clarè denotant actum primum, non ſecundum. Hoc ergo iacto fundamento,tunc ſic arguo. Si differentia agens, quæ eſt in anima, eſt Deus, ergo Deus quo ad actum primum, ſcilicet, quo ad ſubſtantiam ſuam, erit differentia exiſtens in anima noſtra: ſed hoc eſt abſurdum maximum, quod ſubſtantia Dei exiſtat in anima noſtra, etiam vt aſſiſtens, nedum vt pars animæ noſtræ: quia ſecundum Philoſophum ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, ſecundum ſubſtantiam ſunt extra mundum, & extra omnem molem corpoream: quia illæ non ſunt in loco. Locus enim eſt paſſio corporis naturalis; illæ autem ſunt ſeiunctæ à corpore, ergo prima ſubſtantia immaterialis, non eſt in anima noſtra ſecundum ſubſtantiam. Prima etiam ſubſtantia ex Ariſtoteles 12.Metaphyſ. textu 38.44. & inde, aſſiſtit primo Orbi ſecundum ſubſtantiam ſolum,non autem alijs Orbibus vel alijs rebus, licet omnia gubernet mouendo illum primum Orbem; non ergo aſſiſtit ſecundum ſubſtantiam, neque inexiſtit ſecundum ſubſtantiam animæ noſtræ, ſicuti nec vlli alteri rei præterquam primo Orbi.Si dicat ineſse ſecūdum virtutem,contra: quia tunc in anima noſtra nō eſſet differentia agens ſecundū actum primum, ſed ſolum ſecundum actum ſecūdum;pro tanto enim Deus diceretur eſſe differentia animæ noſtræ,quia actio,& operatio Dei,eſset in anima noſtra,ſed ſecundum actum primum in anima noſtra nulla eſſet vis agens,quod eſt contra intētionem Ariſtot. vt vidimus in ſuppoſito. Præterea, Ariſtot. in illo tex. 17. concludit dari in anima aliquid agens particulare, & proprium, reſpondens intellectui poſſibili:ſed Deus non eſt agens particulare,& proprium,ſed vniuerſale,etiā in hac operatione intellectionis,ſecundum illos: vt patet ex dictis in expoſitione ſuæ opinionis;ergo non intelligit Ariſt.cōcludere hoc agēs eſſe Deum. Minor vt dictum eſt clara eſt & concęſsa; Maior probatur: quia tex. ſententia eſt hæc,vt omnes fatētur:quoniā in omni natura,in qua eſt aliquid vt materia,quod eſt potentia omnia illius generis, etiam alterum reperitur, quod

quod eſt cauſa, & factiuum omnium eorum illius generis, ergo neceſſe eſt in anima has eſſe differentias; & ſubinfert in textu 18. & eſt intellectus hic quidem in omnia fieri, ille verò in omnia facere. Hęc eſt ſententia textus: at clarum eſt, quòd in antecedente loquitur Philoſophus de agente proprio, & particulari, reſpondente illi paſſiuo in illa natura, & genere, nõ de agente vniuerſali: ait enim, quod in omni natura, in qua eſt aliquid vt materia, & eſt potentia omnia illius generis, reperitur agens quod illi reſpondet, & facit omnia illa, hoc non intelligitur de agente vniuerſali: quia præter illud dantur agentia propria, & proxima, & illa ſunt, quæ actiua, & agentia dicuntur in illo genere, & in illa natura. Et confirmatur: quia Ariſtoteles dicit, quòd in omni natura, in qua eſt aliquid vt materia, datur agens, quod eſt factiuum omnia illa, ergo agens, quod eſt factiuum omnia illa, debet quoque eſſe in natura illa, ſiuè pertinere ad naturam illam: non ergo debet eſſe agens vniuerſale, quia non eſt illius naturæ, nec generis; Et confirmatur per exemplum allatum ab eo: ait enim, vt ars ad materiam; modo principium actiuum artis faciens omnia, ad quæ eſt in potentia materia artis, non eſt agens vniuerſale, & Deus, ſed eſt agens proprium, pertinens ad artem; & licet materia, & illud agens, poſtea inter ſe differant, hoc nihil refert, ſatis eſt quòd illi materiæ reſpondet agens, quod eſt illi appropriatum, & non eſt agens vniuerſale.

Præt. Præterea, illud agens vniuerſale concurrit ad omnes res, ideo non erat neceſſe, quòd Ariſtoteles probaret in anima eſſe hoc agens, ſiquidem clarum eſt, quòd eſt in omnibus rebus; loquitur ergo de agente proprio, & particulari: & ita cum ex hoc antecedente, quod in omni natura eſt patiens, & agens proprium reſpondens illi patienti, Ariſtoteles infert, in anima eſſe has differentias, agens, & patiens, concludit in anima eſſe agens proprium, & particulare reſpondens illi patienti, non autem agens vniuerſale, vti ipſi dicũt; Et confirmatur: quia in omni natura vbi eſt aliquod patiens, datur aliquod agens proprium reſpondens illi, & illud perficiens, præter agens vniuerſale: vt elementa in natura ſunt patientia, Cælum eſt agens illis reſpondens. Similiter in animalibus, in quibus eſt principium paſſiuum, ſcilicet fęmina, eſt quoque proprium principium actiuum illi reſpondẽs præter agens vniuerſale, vt mas; & ſic in reliquis rebus, alioquin nõ poſſet aliquid generari, neque moueri. Si ergo in omni natura datur proprium agens particulare, ad quid volumus in actionibus animæ confugere ad agens vniuerſale, & negare proprium agens, & particulare eiuſdem naturæ? Per hæc eadem argumenta reijciuntur reſponſiones aliorum ſectatorum Alexandri, qui ad hoc argumentum reſpondentes, confugiunt ad hoc, quod aiunt in anima eſſe has differentias agentis, & patientis, quo ad actum ſecundum, quòd ſuperius confutatum eſt.

Secundò principaliter. Si intellectus agens eſſet Deus, intellectio non eſſet in noſtra poteſtate; conſequens eſt falſum: quia intelligimus dum volumus; Conſequentia probatur: quia illa actio dicitur eſſe in noſtra poteſtate, quæ pendet à principio noſtro formali: quæ verò pendet à principio externo, in poteſtate noſtra eſſe non poteſt, ſicut neque illud principiũ eſt in poteſtate noſtra: Deus autem eſt externum principium, ergo ſi ipſe eſſet intellectus agens, intellectio non eſſet poſita in noſtra poteſtate, & voluntate: ſed vel omnia ſemper intelligeremus, vel ea ſolum, & tunc ſolum, quæ, & quando Deus vellet. 2.

Huic rationi reſpondet Zabarella, negando conſequentiam; Ad probationem dicit, quod eſſet efficax, ſi Deus aliquando nobis ſuam operam recuſaret, nec ad nos ſemper effunderet lumen ſuum. Sed non ita res ſe habet, quia lumen ſuũ ſemper nobis adeſt: ſed ex parte noſtra quandoque prouenit defectus: quia vel non habemus habitum, vel organum phantaſiæ eſt indiſpoſitum. *Reſp. Zab.*

Sed hæc reſponſio impellit Zabarellam in aliud abſurdũ maius, nempè, quia tunc ſequeretur, quòd quando homo habet habitum, & organũ, & eſt diſpoſitus, neceſſariò ſemper intelligeret, & nedum ſemper intelligeret, ſed ea, quæ ſemel *Reijcitur.*

mel didicit, ſemper intelligeret, & cõtemplaretur; quod cõſequens eſt abſurdum: nam ſæpè quis eſt diſpoſitus, & habet habitum, & non vult intelligere, neque ſpeculari, nedum ea, quæ ſemel didicit, ſed nihil: ſed vult dormire, vel operationi ſenſitiuæ incumbere: Conſequentia verò probatur: quia Deus eſt agens neceſſarium, non liberum, de mente Ariſtot. & ideo ſemper agit, & eodem modo agit (non autem eſt agens liberum, vt ſupponit Zabarella; vnde trãſit ad Theologos, vt ſeruet hanc poſitionem, nos autem ſumus in via Ariſtot. nunc,) cum ergo ſemper illuminet phantaſma, & phantaſma agat in mente patibili, quæ ſimiliter ſunt agens, & patiens neceſſarium, ipſa mens non poterit non iudicare phantaſma, abſtrahere, & intelligere, & ſic homo diſpoſitus neceſſariò ſemper intelligat, & eadem intelliget; at ſi dicamus, intellectum agentem eſſe partem animæ noſtræ, in hoc abſurdum non incidimus: quia tunc erit ſub imperio voluntatis noſtræ, vt aliæ potentiæ naturales, & ſic intelligemus cum voluerimus.

3. ro. Tertiò principaliter arguo ipſe ratione; quam puto inſolubilem. Deus eſt ſua operatio per eſſentiam, ita quod operatio eius eſt eſſentia eius, quod eſt ex ſe verum, & conceditur à Zabarella eodem libro de Mente agente, c. 9. declarando verba tex. 19. 3. de Anima; ergo ſi intellectus agens eſt Deus, operatio intellectus agentis erit ſubſtantia Dei. Hoc totum patet: ſed falſum eſt quòd operatio intellectus agentis ſit ſubſtantia Dei, ergo falſum eſt quoque quod intellectus agens ſit Deus. Quod falſum ſit, quòd operatio intellectus agentis ſit ſubſtantia Dei, patet ex ſe: tamen probatur propter proteruum. Operatio intellectus agentis ſecundum Zabarellam, eſt agere in intellectum patibilem ſimul cum phantaſmate: at actio illa eſt accidens, non ſubſtãtia Dei; quod probatur: quia actio illa eſt motus quidam ſpiritualis, qui prouenit partim ab obiecto, & phantaſmate, partim ab intellectu agente, non enim intellectus agens, ſe ſolo agit in intellectum patibilem, ſed vt forma phantaſmatis, ex ipſo Zabarella: at ſubſtantia Dei non pendet, neque habet eſſe ab obiecto, & phantaſmate rerum mortalium, neque ponitur in eſſe poſt non eſſe, vt illa actio, ergo actio illa in intellectum patibilem, non eſt ſubſtantia Dei. Præterea, intellectio noſtra eſt operatio intellectus agentis, & paſſibilis, Pręt. ab vtroque enim pendet tamquam à cauſis neceſſariò concurrentibus, & agentibus: at intellectio noſtra non eſt ſubſtantia Dei, ſed accidens, alioquin intelligeremus nos per ſubſtantiam Dei formaliter, quia intellectione formaliter intelligimus, ergo intellectus agentis operatio, non eſt ſubſtantia Dei, & conſequenter intellectus agens non eſt Deus.

Quartò principaliter arguit Piccolomineus argumento Themiſtij: cum Ariſtot. 3. de Anima, tex. 20. dixiſſet, hoc ſolum immortale, & æternum, ſtatim addit, non reminiſcimur autem poſt mortem, indicans nos maximè eſſe mentem illam æternam, quæ quamuis ſeruetur, tamen non reminiſcimur: quare, ſi mens agens eſſet Deus, nos per eum ſupremè conſtituti, & intelligentes Dij eſſemus. 4.

Quinta ratio principalis eſt. Intellectus agens, & poſſibilis, ſunt vnam et ſubſtantia realiter: at intellectus poſſibilis nõ eſt Deus, ergo neque intellectus agens; Minor eſt clara; Maior probabitur infrà, dum declarabimus intellectum agentem, & poſſibilem, eſſe vnam ſubſtantiam realiter, ſed differre formaliter. Adducuntur aliæ variæ rationes ab Auerroiſtis, & alijs: ſed quia aliquo pacto euadere illas poſſent Alexandræi, illas miſſas facio. 5.

Ad rationes pro opinione Alexandri reſpondetur. Ad primam, negatur antecedens, ſcilicet, quod agens, & poſſibilis, ſint diuerſæ ſubſtantiæ realiter diſtinctæ, argumenta probantia illud infra cap. 3. ſoluentur. Ad 1. Alexandri.

Ad ſecundum, argumentum, diligenter eſt conſiderãdus ille tex. 19. quoniam in illo tex. Ariſt. explicat naturam intellectus agentis: concedo equidem, quod explicat naturam intellectus agentis per illa tria prædicata, dicens, quod intellectus agens, eſt ſeparatus, immixtus, & impatibilis; & probat hæc prædicata competere intellectui agenti per illam conditionem: quia intellectus agens eſt ſubſtantia Ad 2.

actus,

actus, ſiue operatio (nã ibi per actum intelligit, non actum primum, ſed actum ſecundum, vt verba Græca, & ſenſus textus indicant.) Sed eſt notandum, quòd cum dicit Ariſtot. quod intellectus agens, eſt ſubſtantia actu, non vult dicere, quòd intellectus agens ſit actio per eſſentiam, ita quòd actio, & eſsentia in ipſo ſint idem, ſicut euenit in ſubſtantijs abſtractis, vt exiſtimat Zabarella, quoniam operatio intellectus agentis eſt accidens, non ſubſtãtia ipſius intellectus agentis, ſed vult dicere Ariſt. quòd intellectus agens, eſt ſubſtantia ſemper actu operans, ita quod eius natura eſt operari, & agere, ſicuti natura intellectus poſſibilis eſt, eſſe potentia omnia, & fieri omnia; quæ expoſitio comprobatur: quia iam differunt de intellectu poſſibili, & dixit ipſum eſſe potentia omnia: quod nõ intellexit quo ad actum primum, cũ intellectus poſſibilis ſit actus primus, nõ potentia: ſed intellexit de actu ſecundo, adeò, quod voluit dicere, quòd natura intellectus poſſibilis, eſt recipere omnia intelligibilia, & fieri illa; dixit deinde debere dari agẽtem intellectum qui perficeret intellectum poſſibilem, agendo, & operando; & ideo tunc declarans naturam intellectus agentis, præcipuè notauit illud, in quo intellectus agens differt ab intellectu poſſibili, quod eſt, quia natura intellectus agentis eſt operari, & agere, & perficere intellectum poſſibilẽ; ſicuti natura intellectus poſſibilis eſt perfici, & reddi actu ab intellectu agente; Dum ergo Ariſtoteles ait, intellectus agẽs eſt ſubſtantia actio, non vult dicere, quòd intellectus agens ſit actio, & operatio per eſſentiam, vt accipit Zabarella, & communiter Alexãdræi: ſed vult dicere, quod intellectus agens eſt ſubſtantia operans, & agẽs, ſicut intellectus poſſibilis eſt ſubſtantia patiens. Et ſic habemus rationem in textu, quomodo per illam conditionẽ, quòd intellectus agens eſt ſubſtantia actio, probet intellectui agenti competere illa tria prædicata, ſcilicet, quòd eſt ſeparatus, immixtus, & impatibilis: nã ſuprà, loquendo de intellectu poſſibili, probauerat, illa prædicata ei competere, & tamẽ eius natura non eſt ita nobilis, ſicuti natura intellectus agẽtis: quia intellectus poſſibilis, eſt ſubſtantia potentialis: ſed agẽs eſt ſubſtantia actio operans. Infert ergo Philoſophus. Hic intellectus agens, eſt ſeparatus, impaſſibilis poſſibilitate, & immixtus, quoniam eſt ſubſtantia actio, qua ſi dicat. Si intellectus poſſibilis eſt perpetuus, immixtus, & impatibilis, multo magis intellectus agens eſt dicendus ſeparatus, immixtus, & perpetuus; quia eſt nobilior, quoniam eſt ſubſtantia non patiens, ſed agens, & operans; vnde hanc rationẽ ſubinfert poſtea in ſequentibus verbis textus: ſemper enim honorabilius eſt agens, patiente, & principium materia; non ergo ex hoc textu habetur, quod intellectus agens ſit ſua operatio per eſſentiam, & conſequenter neque habetur, quod intellectus agens ſit forma ſeparata, & Deus. Sed potius colligitur, quod eſt eadẽ ſubſtantia, quod intellectus poſſibilis: quia habet eadem prædicata, & quòd ſolum differunt formaliter ab inuicem, quia intellectus poſſibilis eſſe potentialis, agens verò, eſt ſubſtantia operans; Et hæc expoſitio nullam vim infert verbis textus.

Ad tertium reſpondetur, quod Ariſt. in textu 20. 3. de Anima, loquitur de intellectu in actu, qui ſecundum ſubſtantiam eſt idẽ, quod intellectus poſſibilis: quando enim poſſibilis per agentem deductus eſt ad actum, dicitur in actu; Modo Ariſt. loquitur ibi de hoc intellectu, etiam ſecundum Alexandrum, & de eo tria dicit; Primò, quod eſt idem, quod res ſcita; Secundum, quod hic intellectus in actu eſt quodammodo poſterior ipſo intellectu poſſibili; Tertium, quod hic eſt ſeparatus à corpore hoc ſolum, quod eſt; de hoc intellectu verificatur illud prædicatũ, quod actu ſemper intelligit; Quod verò ait Zabarella Ariſt. ibi dicere, intellectum hunc, qui ſemper intelligit, eſſe id, quod eſt, non eſt verum: ſed Ariſtot. habet hæc verba: *Separatus eſt autem ſolum hoc, quòd verè eſt, & hoc ſolum immortale, & incorruptibile*; quæ verba faciunt hunc ſenſum, quod intellectus actu eſt ſeparatus, ſed non abſolutè, ſed ſolum quo ad id quod eſt, id eſt, eſt ſeparatus ſolum quo ad quidditatem, & eſſentiam, non quo ad alia, ſcilicet, quo ad intelligere, & reliqua: quia intelligere corrumpitur, li-

tur, licet eſſentia remaneat: vnde ſubinfert, quòd non reminiſcimur poſt mortem: quia phantaſia corrumpitur, ſine qua intellectus actu nihil intelligit; Ex quibus verbis etiam patet, quod ille intellectus de quo loquitur ibi Ariſtot. non poteſt dici, quod ſit Deus: quia ſubinfert, quod licet ille intellectus ſit ſeparatus, immortalis, & æternus, tamen non recordamur poſt mortem; Signum eſt ergo, quod ille intellectus, de quo ibi loquitur Ariſt. eſt ille intellectus, quo nos modo formaliter intelligimus mediantibus phantaſmatibus: vnde, ſi phantaſia remaneret poſt mortem, ſicut intellectus ille manet, nos recordaremur; Ex hoc infero: at nos non intelligimus modo formaliter Deo, ſed intellectu, qui eſt pars animæ noſtræ, ergo intellectus ille non eſt Deus, ſed pars animæ noſtræ; Et confirmatur: quia falſum eſt, quod Deus non intelligat corrupta phantaſia, ſed bene verum eſt de intellectu, qui eſt pars animæ noſtræ, ergo ſequitur, quod ibi non intelligit Ariſtoteles de intellectu, qui eſt Deus, ſed de intellectu, qui eſt pars hominis.

Ad 4. Ad quartum, quod eſt argumentum Alexandri, reſpondet Franciſcus Piccolomineus lib. 1. de Humana mente, cap. 10. tripliciter; ſed illæ ſunt ſatis conciſæ, & obſcuræ reſponſiones: ideo reſpondendum eſt, quod illa Maior Alexandri, non eſt vniuerſaliter vera, ſed ſolum eſt vera quando coincidit cum illa propoſitione maxima: Omne ens per participationem reducitur ad ens per eſſentiam, quæ eſt veriſſima; & tunc hic eſt ſenſus illius Maioris, quoniam in aliquo genere eſt aliquid, quod eſt primò, & per ſe tale; & aliud eſt ſecundariò tale, id eſt tale per participationem illius, quod eſt primò, & per ſe tale; illud quod eſt ſecundariò tale, habet ab illo primo, quod ſit tale: & in hoc ſenſu eſt vera Maior: ſed abſolutè ſumpta, eſt falſa; quod probo inductione in exemplo allato à Zabarella. Inter omnia viſibilia primum viſibile eſt lux, & maximè omnium lux Solis, & tamē non eſt verum, quod omnia alia viſibilia habeant à luce ſolis, quod ſint viſibilia: nam lux ignis non eſt viſibilis propter lumen ſolis; & lux lapidis pretioſi, non eſt viſibilis per lumen ſolis; Idem euenit in corporibus perſpicuis; ecce ergo, quod non eſt vera vniuerſaliter: at ſi lux ignis, & lapidis pretioſi, eſſent viſibiles per participationem lucis ſolis, eſſent quidem viſibiles per lucem ſolis, ſed quia lux ignis, & lux lapidis, ſunt per ſe viſibiles, & illa viſibilitas non ineſt illis per aliud viſibile, quod ipſę participent, hinc eſt, quod ſunt per ſe viſibiles, licet ſint ſecundariò viſibiles; eſt ergo vera Maior propoſitio ſolum tunc, quando illud, quod eſt ſecundariò tale, eſt tale per participationem illius, quod eſt per ſe primo tale: ſed ſi ſit tale ſecundariò, quia ſcilicet non eſt ita excellens tale in illo genere, vti illud primum, tunc non eſt vera illa Maior; accepta ergo Maiori in ſenſu, quo eſt vera, tunc Minor eſt falſa: non enim reliqua entia ſunt intelligibilia, quia participent Deum, qui eſt primum intelligibile; ſed ipſa per ſe ſunt intelligibilia, quia ſunt entia per ſe diſtincta à Deo: quia alia eſt entitas Dei, & alia eſt entitas creaturarum, licet creaturæ non ſint ita eccellentia intelligibilia, vti eſt Deus; Cum ergo dicit in Minori: ſed Deus eſt primum, & per ſe intelligibile, concedo, quod eſt primum, id eſt excellentiſſimum intelligibile, reliqua verò ſunt ſecundariò intelligibilia, id eſt, non ita excellentia intelligibilia, ſed ſi intelligit in Minori, Deus eſt per ſe, & primo intelligibile, id eſt cauſa, & radix intelligibilitatis, & reliqua ſunt intelligibilia per parcipationem Dei, eſt falſa: quia ipſa ſunt per ſe intelligibilia, licet effectiuè quo ad entitatem ſint à Deo. Quod ſi quis dicat, entia sūt effectiuè entia à Deo, ergo ſunt intelligibilia per ipſum Deum; reſpondeo, harmonia, & ſonus eſt ab artifice ſonante effectiuè, ergo harmonia, & ſonus eſt delectabilis per artificem: non valet, loquendo formaliter: ſed eſt verum ſolum effectiuè; Ità creaturæ ſunt entia per Deum, & conſequenter intelligibilia per Deum, eſt verum effectiuè, non formaliter; at in propoſito, loquimur formaliter, non effectiuè; omnia enim à Deo ſunt effectiuè, & conſequenter ſunt talis naturæ, & conditionis effectiuè per Deū, tamen formaliter quælibet eſt talis per

ſe, &

ſe, & per ſuam naturam. Dum ergo dicitur: Omnia entia ſunt intelligibilia ſecundariò, id eſt, per participationem Dei, eſt falſum: quia illa ſunt primò, & per ſe intelligibilia formaliter, licet non ſint excellentiſſima intelligibilia, & hoc modo ſunt ſecundario, intelligibilia.

Ad 5. Ad quintum, Opus præſtantius eget lumine præſtantiori, reſpondetur, quod eget lumine præſtantiori, ſed proprio, non vniuerſali, huiuſmodi autem eſt mẽs hominis, quæ eſt præſtantior ſenſu; Vel dicamus, & melius, quod frequẽter quo facultas eſt præſtantior, eo eget pauciorібus extrinſecus, & ſic maior eſt falſa. Ad auctoritatem ex 3. de Anima textu 20. iam reſponſum eſt nunc, ſoluendo tertium principale, quomodo intelligatur ille textus.

Exponitur, & reijcitur opinio eorum, qui dicunt intellectum agentem, & poſſibilem, eſſe duas partes realiter diſtinctas, componentes animam intellectiuam, & eorum qui dicunt ſolum ratione illos differre. *Cap.* III.

Auer. & Zim. AVerroes è conuerſo, & multi ſui ſectatores, & præſertim Zimara, Theoremate 41. & 21. Metaph. tex. 17. tenent, quod intellectus agens, eſt pars eſſentialis animæ intellectiuæ, volunt enim, quòd anima rationalis componatur ex duabus partibus ſubſtantialibus, tamquã ex materia, & forma; & quòd intellectus poſſibilis, habeat rationem materiæ, & intellectus agens, habeat rationem formæ. Pro hac opinione variæ rationes, & 1. rō. auctoritates adducuntur. Primò adducitur auctoritas Ariſtotelis 3. de Anima, textu 1. vbi Ariſtot. ait. *De parte autem animæ*, &c. quo in loco patet, quod Philoſophus appellat intellectum partem animæ: ſed intellectus non poteſt eſſe pars animæ intellectiuæ, niſi anima intellectiua conſtet ex partibus, quarum vna, & materialis ſit poſſibilis, altera, & forma- 2. rō. lis ſit intellectus agens. Secundo tex. 17. eiuſdem 3. de Anima ait Ariſt. *Neceſſe eſt in anima has eſſe differentias, ſcilicet, intellectum agentem, & patientem*: at non diceretur hos duos intellectus eſſe animæ differentias, niſi eſſent duæ partes animæ eſſentiales. Adſunt deinde variæ auctoritates Commentatoris, quem fuiſſe huius opinionis, clarum eſt ex ijs quæ ſcribit in Commentarijs 3. de Anima, tex. 4. 5. 13. 20. & alibi ſæpè. Tertiò, quod cau- 3. rō. ſatur ex duobus, quorum vnum eſt pura potentia, & aliud eſt purus actus, eſt compoſitum ex illis tamquàm ex partibus eſſentialibus; ſed anima rationalis conſtat ex intellectu poſſibili, qui eſt potentia pura, & ex intellectu agente, qui eſt purus actus, ergo anima rationalis eſt compoſita ex illis tamquam ex partibus eſſentialibus. Secunda pars Minoris probatur: ſcilicet, quod intellectus poſſibilis, ſit pura potentia, & intellectus agens, ſit purus actus; nam de intellectu poſſibili Ariſt. loquens 3. de Anima, textu 5. ait, quod intellectus nullam naturã habet, niſi quod eſt poſſibilis, & quod nihil eſt actu eorum, quæ ſunt ante intelligere; de intellectu vero agente ait eodem 3. de Anima textu 19. quod eſt ſubſtantia actus. Cum ergo anima rationalis conſtet ex his, patet quod eſt compoſita ex partibus eſſentialibus. Quarto, intellectus poſſibilis de 4. rō. ſe non eſt actus, neque in actu, ſed pura potentia, ergo eſt neceſſe, quod fiat in actu ab aliquo actu: nihil aliud autem aſſignari poteſt, quod facia actu ipſum intellectum, niſi intellectus agens, ergo anima rationalis componitur ex intellectu poſſibili, & agente, tamquam ex duabus partibus eſſentialibus; Antecedens primũ probatur: quia quod eſt actus, vel in actu, actiuè concurrit ad aliquam operationem: ſed intellectus poſſibilis, non concurrit actiuè ad vllam operationem antequam ſit factus in actu ab intellectu agente, ergo intellectus poſſibllis, eſt merè potentialis pars animæ. Quintò, Si a- 5. rō. nima rationalis eſſet ſimplex, & non compoſita ex actu & potentia reali, intelligeret ſeipſam per ſuam eſſentiam, ſicuti ſubſtantiæ ſeparate, in quibus eſt idem intellectus, intelligens, & intellectio; ſed hoc eſt falſum: quia anima rationalis non intelligit, niſi per cognitionem aliorum à ſe. Sexto Zimara Theoremate 6 rō. 41. ſic arguit. Sicuti innoteſcit nobis multitudo intellectuum abſtractorum per

per diuerſitatè ſuarum actionum, ita innoteſcit nobis diuerſitas intellectus agentis, ab intellectu poſsibili, ex eorum actionibus diuerſis: ſed actiones diuerſæ abſtractorum indicant diuerſa abſtracta ſecundum eſſentiam, ergo & diuerſitas actionum intellectus agentis, & poſſibilis, indicant nobis diuerſitatem ſecũdum eſſentiam intellectus agentis, & poſſibilis.

7. rõ. Septimò, Ariſtoteles voluit, quod in anima eſſent agens, & patiẽs, vti ſunt in qualibet natura: ſed in omni natura agens, & patiens, ſunt diuerſa realiter, quia nihil agit in ſeipſum, ergo intellectus agens, & poſſibilis, differunt realiter, & ſunt eſsentiæ diuerſæ. Pro hac opinione aliquo modo faciũt rationes Zabarellæ, quibus probat hos duos intellectus non eſſe per ſe vnam, & eandem ſubſtantiam, quæ infrà adducam poſtquam opinionem Scoti recitauero, & ſoluam.

Reÿcitur. Hæc opinio nullo modo eſt ſuſtinẽda, & contra eam valent rationes, quas facit Scotus 2. Sent. diſt. 16. Et confutando opinionem Henrici, qui dicebat, potentias animæ eſſe partes animæ realiter diſtinctas inter ſe, non tamẽ ab eſſentia animæ; nam & iſta opinio dicit, quod intellectus agens, & poſſibilis, ſunt duæ partes animæ, ex quibus anima ipſa componitur; poſſent ergo adduci omnes rationes, quibus probauimus, potentias animæ diſtingui ſolum formaliter. Sed pro nunc ex Scoto adduco præcipuè illas rationes, quę de directo hanc ſententiam infringunt.

1. rõ. Prima ratio eſt hęc, Loco citato, dimiſſis Theologicis, pars in eſſe naturali præcedit ſuum totum origine: ſed intellectus agens, & poſsibilis, & quæcumque alia potentia, ſequuntur eſsentiam animæ, ergo iſtæ potentiæ non ſunt partes animæ. Maior eſt clara experientia; Minor quoque patet: quoniam intellectus poſsibilis, non præcedit origine eſsentiam animæ, alioquin poſſet eſſe intellectus poſſibilis in homine, & tamen ille homo non haberet animam rationalem, quoniam anima rationalis ſolum habet eſse, ſtante hac opinione, ab intellectu agente, qui eſt actus poſſibilis: manifeſtum eſt autem, quod in quolibet compoſito, materia præcedit cõpoſitum, nedum origine, ſed tempore: nõ ergo intellectus poſſibilis eſt pars eſſentialis animæ rationalis.

2. rõ. Secunda ratio. Si intellectus poſſibilis eſset materia intellectiua agentis, ſequeretur, quòd intellectus non poſſet informare hominem, conſequẽs eſt apertè falſum, conſequentia probatur: quia, quod eſt potentia, non poteſt eſſe actus, & forma, ſibi enim repugnat, ſed ſtante hac opinione, anima rationalis eſſet potentialis partialiter, ergo non poteſt informare, & actuare corpus; Minor eſt conceſſa: Maior probatur: quia potentia receptiua, & perfectibilis ab alia potentia, non poteſt eſſe minus dependens quàm materia ignis, vel alterius corporis: quia vbique eſt compoſitio realis ex potentia, & actu: ſed materia ignis, ſiuè ignis ipſe, nõ poteſt ineſſe alicui, ipſum informando, ergo neque anima poteſt eſſe forma, vel actus primus alicuius corporis, qui ſuæ parti eſſentiali, ſcilicet potentię repugnat informare, & actuare, cum ipſa ſit potentia, ergo tota anima rationalis nõ poteſt eſſe forma informans alicuius corporis.

3. Tertiò. Pluralitas eſt fugienda, niſi adſit neceſſitas: ſed dicere iſtos duos intellectus differre realiter, eſt admittere pluralitatem abſque neceſſitate, quoniam omnia rectè ſaluare poſſumus, dicendo, illos diſtingui ſolum formaliter, ergo non eſt ponendum illos diſtingui realiter.

4. Quartò. Sequeretur quod anima eſſet ſubſtantia compoſita, quod eſt falſum: Conſequentia patet; Conſequentis falſitas probatur: quia Ariſt. in principio 2. de Anima, tex. 2. diuidit ſubſtantiam in tres partes, ſcilicet, in ſubſtãtiam, quæ eſt materia, in ſubſtantiam, quæ eſt forma, & in compoſitum; Deinde in quarto textu concludit, & probat, quòd anima non eſt ſubſtantia, quę eſt materia, neque eſt compoſitum, ſed quod eſt ſubſtantia, quæ eſt forma, & actus, & hæc ſunt verba eius. *Neceſſe eſt ergo animam ſubſtantiam eſſe ſicut ſpeciem corporis Phyſici potentia vitam habentis.*

5. Quinto. Potentia ad accidens non fundatur, niſi in ſubſtantia actu: ſed in intellectu poſſibili fundatur potentia ad recipiendum ſpecies, & intellectiones, ergo intellectus poſſibilis eſt ſubſtantia actu, non pu-

non pura potentia. Hæc ratio deſumitur ex Scoto 1. Sententiarum diſtinctione 3. quæſtione 7. Reſpondetur, quod poſſibilis non recipit intellectiones, niſi mediante intellectu agente, qui actuat intellectum poſſibilem, & tunc intelligit.

Contra; Sequeretur tunc, quod intellectus agens quoque eſſet potentia; probatur Conſequentia: quia actus, & forma eſt, quæ dat eſſe rei, adeo quod qualis eſt actus, talis eſt res, & natura eius; materia enim nihil agit, ſed ſolum patitur: at per vos intellectus agens eſt actus poſſibilis, ita quòd intellectus poſſibilis habet eſſe ab agente (de ſe enim eſt pura potentia) ſed intellectus poſſibilis eſt receptiuus, & poſſibilis, ergo intellectus agens quoque eſt receptiuus, & poſſibilis, quoniam dat eſſe per informationem intellectui poſſibili; at talis eſt intellectus poſſibilis, qualis eſt eius forma dans illi eſſe; ſicuti diaphanum eſt receptiuum luminis, & non alia de cauſa, niſi quia forma diaphani eſt receptiua luminis, & aqua eſt calefactibilis, non alia de cauſa, niſi quia forma aquæ eſt receptiua caliditatis.

6. Sexto; Intellectus poſſibilis eſt actus corporis humani: quoniam anima eſt actus corporis humani, & hoc verificatur de tota anima, non de aliqua eius parte; alioquin anima eſſet actus, & non actus corporis humani; ergo non eſt potentia; Conſequentia patet, ſiue dicatur quòd intellectus poſſibilis eſt actus informans, ſiue aſſiſtens.

7. Septimo. Anima intellectiua eſt ſimplicior quàm forma naturalis; ſed forma naturalis, vt forma lapidis, non integratur ex duabus ſubſtantijs, ergo à fortiori, neque anima intellectiua; Maior, & Minor communiter conceduntur.

Alias rationes habes apud Mercenarium, Piccolomineũ, & alios; pauci enim hodie ſequuntur illam Opinionem. Rationes adductæ pro illa Opinione infra ſoluentur, poſtquam Opinionem Scoti expoſuerimus.

D. T. opin. Diuus Thomas, & ſui ſectatores, vt patet ex Iauello, 3. de Anima, quæſt. 2. de intellectu poſſibili, ſuſtinent, quòd intellectus poſſibilis, non eſt pura potentia in genere entium, ſed ſolum in genere intelligibilium, vt diximus in Theoremate de cauſis producentibus intellectionem; tamen cum hoc ſimul dicunt, quòd intellectus poſſibilis, eſt potentia animæ intellectiuæ, & quod eſt accidens, ſcilicet, qualitas de ſecunda ſpecie: & hoc idem dicunt de intellectu agente, quia ſuſtinent illum quoque eſſe potentiam animæ, & ipſi cõmuniter ſuſtinent, quòd potentiæ animæ ſint accidentia, & ſic realiter diſtinguuntur, neque ex eis fit vnũ, ſed diſtincti manent. Ab eis diſcrepat Caiet. in Materia de intellectu agente, in qua ſequitur Alexand. Aphrod. Opinionem, quòd ſit Deus; eius rationes infra cum rationibus Zabarellæ ſoluam, ſcilicet, in cap. ſequenti. *The. 77.*

Reÿcitur. Non opus eſt immorari circa confutationem Opinionis Diui Thomæ; quia ſufficiunt ea, quæ diximus in Theoremate de potentijs animæ. Opinio verò Caietani reijcitur per ea, quæ diximus contra Opinionem Alexandri.

Reÿcitur Piccolominei & Mercenarÿ opinio. Alij vero ex oppoſito, vt Piccolomineus lib. primo de Humana mente, cap. 12. & Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, & alij nonnulli dicunt, quòd intellectus poſſibilis, & agens, non ſunt duæ partes realiter diſtinctæ, componentes animam intellectiuam, ſed eſt vna eſſentia vtriuſque mentis, & quòd ſolum ratione diſtinguũtur, quatenus enim mens eſt nudata formis, & eſt in potentia ad recipiendum ſpecies intelligibiles, ſiue intellectiones, & patitur, ſiue excitatur à phantaſmatibus, dicitur mens potentia, ſiue intellectus poſſibilis, quatenus verò iudicat, abſtrahit, ratiocinatur, & componit, dicitur agens.

rõnes Abãt. opin. Pro hac Opin. faciunt rationes, quibus recta eſt ſententia illorum, qui dicebant hos duos intellectus, eſſe duas partes animæ realiter diſtinctas; cum enim falſum ſit, quod iſti intellectus ſint diuerſi realiter, ſequitur quòd realiter ſint vnum, & idem, & ſola ratione diſtinguantur.

Reÿcitur. Verum hæc Opinio, etſi proximius ad veritatem accedat, quàm aliæ, tamen abſolutè non eſt vera: poteſt enim habere duplicem ſenſum: Primus eſt, quòd intellectus poſſibilis, & agens, diſtinguantur ratione tantum, id eſt ratione ratiocinante, & ſolum per meram operationem intellectus noſtri, ſed ex natura rei nullam

admit-

admittant diſtinctionem: & in hoc ſenſu non eſt ſuſtinenda hæc Opinio; Ratio eſt: quia Ariſtoteles appellat hos duos intellectus differentias animæ: at ſi ex parte rei nullo modo differrent, ſed ſolum per operationem noſtri intellectus, non poſſent dici differentiæ animæ: non enim in anima ex propria natura eſſent, ſed eſſent imaginationes intellectus noſtri. Præterea, Ariſtoteles 3. de Anima, tex. 17. oſtendit dari intellectum agentem in anima, eo quod in eadē anima datur intellectus poſſibilis: at ſi idem ſunt penitus intellectus poſſibilis, & agens, ex parte rei, & ſola ratione diſtinguuntur, probaret dari idem ex eo, quod idem datur, & ſic eſſet petitio principij.

1. ra. (margin at "non eſt ſuſtinenda"); 2. (margin at "rea, Ariſtoteles")

3. Denique neceſſe eſt ponere aliquam diſtinctionem ex parte rei in iſtis intellectibus, ad ſaluandum aliquas auctoritates Ariſtotelis, qui ſæpè hos intellectus appellat partes animæ, & illis competere diuerſa munera; dat etiam eis diuerſas definitiones: quia dicit 3. de Anima, textu 19. quod intellectus agens, eſt ſubſtantia operatio, & textu 5. eiuſdem ait, quòd intellectus poſſibilis natura eſt eſſe omnia potentia.

Alius ſenſus iſtius Opinionis eſt, quod intellectus poſſibilis, & agens, ſunt vnamet ſubſtantia, & eſſentia realiter, tamen diſtinguuntur ratione, id eſt ratione ratiocinata, quod eſt dicere, differunt formaliter, & ex natura rei; & in hoc ſenſu eſt approbanda, & coincidit cum Opinione Scoti, vt patebit ex capite ſequenti, & in hoc ſenſu loqui videtur Mercenarius: quia hos intellectus appellat gradus, & differentias animæ, ex qua appellatione videtur, quod non vult illos differre purè per operationem intellectus, ſed aliquo modo ex parte rei.

Exponitur opinio Scoti, & rationes in oppoſitum ſoluuntur. Cap. IV.

EXpoſitis aliorum Opinionibus, reliquum eſt, vt ſententiam Scoti explicemus, quæ habetur ab eo in Quodlibetis, quæſtione 15. id eſt in calce primi artic. principalis: ibi enim loquendo de intellectu agente, & poſſibili, habet hæc verba. [*Si non tenetur diſtinctio potentiarum, nec re abſoluta, nec relatiua: ſed tantum, quòd idem abſolutum quodãmodo illimitatum eſt principium immediatum multorum actuum, & ſic reſpectu alterius, & alterius actus, dicetur alia, & alia potentia; tunc prima via eſt probabilis.*] ergo Signum eſt, quòd de mente Scoti intellectus poſſibilis, & agens, ſunt duæ potentiæ animæ: appellat enim eos potentias intellectiuas; at potentiæ animæ diſtinguuntur ſolum formaliter, non realiter, vt declarauimus in proprio Theoremate, ergo hoc eodem modo dicendum eſt, quòd intellectus poſſibilis, & agens diſtinguuntur formaliter, non realiter, vel ratione ratiocinante ſolum: & ita, quæ dicta ſunt de potentijs animæ, dicenda ſunt de his duobus intellectibus: & rationes, quæ adductæ ſunt pro comprobanda illa ſententia Scoti, & quæ dicta ſunt pro defenſione illius, eadem dicenda ſunt pro hac poſitione comprobanda, & defendēda. Probatur autem præſertim hæc Opinio Scoti per rationes adductas in præcedenti capite; Cum enim iſti duo intellectus non diſtinguantur realiter, vt probatum eſt contra Auerroem, neque diſtinguantur ratione ſolum, vt probatum eſt contra Piccolomineum, & Mercenarium, ſequitur, quod diſtinguantur ſolum formaliter, ita quod iſti duo intellectus ſunt duæ virtutes, & realitates exiſtentes in anima eadem, quæ ſunt principia illarum actionum, quas ſupra retulimus, dum de eorum muneribus loqueremur; & propter hoc Ariſtoteles appellat illas differentias in anima, & illis diuerſas definitiones aſſignat, nec tamen ſequitur, quod anima intellectiua ſit compoſita, vt diximus in materia de potētijs, quia pluralitas realitatum non arguit compoſitionem in re, ſed diſtinctionem formalem ſolum.

Theor. 74. — *Fundamentum opin. Scoti.* (margin)

Sed contra hanc ſententiam Scoti ſunt rationes multæ. In primis arguit Zabarel la, libro de Mente agente, cap. 10. quod iſti duo intellectus nō poſſint eſſe vna, & eadem ſubſtantia, ex Ariſt. 7. & 8. Phyſ. habetur hæc propoſitio certa: quod nullum ſimplex mouet ſeipſum, ſed quidquid mouet, ab alio mouetur, & hoc verificari 1. *ra in oppoſitum.*

[...]cati particulariter de ipſa anima, do- [...]cet Ariſtot. in 1. libro de Anima, quando confutat Opinionem illorum, qui dicebant animam mouere ſeipſam: at Ariſtoteles in 3. de Anima, textu 17. adinuenit intellectum agentem, vt agat in intellectum poſſibilem, ergo intellectus agens, & poſſibilis, non ſunt vna met ſubſtantia, & eadem, ſed diuerſa: quia tunc idem ageret in ſemetipſum, quod eſt impoſſibi-
[2.] rō. le, vt vidimus. Secundò, exempla quæ adducit Ariſtoteles in 3. de Anima textu 17. hoc idem oſtendunt: nam in tota natura agens, & patiens, ſunt diſtincta ſecũdum ſubſtantiam, & omnis ars eſt diſtincta à materia, in quam agit: at Ariſtoteles ait intellectum agentem eſſe, vt ars reſpectu patientis, ergo voluit, quòd intellectus agens, & poſſibilis, ſint diſtincta realiter.
3. rō. Tertiò, hoc idem ſignificat exemplum luminis, nam lumen eſt eſſentialiter diſtinctum à colore, cui iungitur, & à viſu, in quem agit: at voluit Ariſtoteles quòd eum locum haberet agens in intellectiua anima, quem habet lumen in viſione, er-
4. rō. go voluit, quòd agens eſſet ſubſtantia diſtincta à poſſibili. Quartò Ratio Ariſtotelis, qua oſtendit dari intellectum agentem, hoc idem probat: nam Ariſtoteles oſtẽdit dari intellectum agentem, eo quod datur intellectus poſſibilis; at ſi intellectus agens eſſet idem realiter quòd poſſibilis, non deberet Ariſtoteles oſtendere, quòd intellectus agens datur, quia poſſibilis datur: ſed ſolum deberet oſtendere, quòd poſſibilis agit, & habet vim actiuam, cuius ratione dicitur quoque agens.
5. rō. Quintò, hoc idem apertè manifeſtare videntur verba Ariſtoteles in 3. de Anima, textu 19. & 20. in quibus locis ait, quòd agens eſt honorabilius patiente, & quòd agens eſt ſecundum ſubſtantiam actio; ait etiam quod eſt idipſum quod eſt, ſcilicet, pura quidditas, purus actus; De intellectu verò poſſibili, eodem 3. de Anima textu 5. dixit, quod eſt pura potentia; ecce, quod habent diuerſas naturas, & eſſentias. Inſuper, dixit intellectum agentem eſſe ſemper intelligentem: de poſſibili verò dixit, quod non intelligit ſemper: at eadem ſubſtantia non poteſt dici ſemper intelligens, & non ſemper intelligens, ergo iſti duo intellectus diſtinguuntur realiter, & ſunt duæ diuer-
ſæ ſubſtantiæ. Thomas Caietanus 3. de Anima, textu 18. ſuſtinet & ipſe, quod intellectus agens, ſit ſubſtantia diuerſa ab intellectu poſſibili: quia arbitratur illum eſſe Deum, vt Alexander Aphrodiſæus. Pro ſe habet primam rationem nunc adductam ex Zabarella: & inſuper ita argumentatur. Loquens Ariſtoteles de intellectu agente, textu 19. ait quòd eſt ſubſtantia actu ens: ſed natura, intellectualis actu non eſt potentia animæ, quia tunc potentia animæ eſſet perfectiori modo intellectualis, quam ipſa ſubſtantia animæ, quæ eſt potentialis intellectualis in genere intellectualium; cum ergo agens non ſit potentia animæ, & intellectus poſſibilis ſit potentia animę, dicendum eſt, quòd intellectus poſſibilis, & agens, ſunt diuerſæ naturæ. Præ- 6. rō. Caie. 7. rō.
terea dicit eodem loco, quòd intellectus agens ſemper intelligit, & quòd eſt idem quod res ſcita: ſed iſtæ conditiones non poſſunt verificari de potentia animæ: non enim intellectus humanus eſt idem, quod res ſcita, nec datur intellectus in nobis, qui ſemper intelligat, ergo ex his dictis patet, quod intellectus agens, non eſt potentia animæ: & ita differt realiter, & eſt diuerſa ſubſtantia ab intellectu poſſibili.

Verum iſtæ rationes non cogunt; & ad primam reſpondeo, quod ſæpius expoſitum eſt, quomodo illa propoſitio, nihil agit in ſeipſum, intelligatur, & præſertim in Theoremate, quod elementa mouentur à ſeipſis, & ibi declarata eſt intentio Ariſtotelis in 7. & 8. Phyſ. ideo nunc breuiter dico, quod valet in agente vniuoco, non in agente æquiuoco, id eſt valet in illo agente, qui agit per formam, quæ eſt omninò eiuſdem rationis cum forma, quam inducit in paſſum: nam ſi tale agens poſſet agere in ſeipſum, induceret in ſeipſo formam, quam iam actu haberet, & per quam operatur, quòd implicat contradictionem; ſed non valet de agente æquiuoco, id eſt de illo agente, quod inducit formam in paſſum alterius rationis ab ea, per quam ipſum agens operatur: quia non eſt inconueniens, Ad 1.

quod

quod aliquid ſit in actu, & potentia reſpectu diuerſorum: poteſt enim aliquid eſſe actu frigidum, & potentia calidum, & ſic per motum poteſt inducere actu in ſe caliditatem, quam habebat ſolum potentia.

Ad illud ex 1. de Anima, quod anima non mouet ſeipſam, dico, quod intelligitur tota illa diſputatio, ſicuti etiam intelligitur eadem, quam habet in 8. Phyſ. textu 3. de eadem anima: vnde concedo, quod anima, vt eſt agens vniuocum, non poteſt agere in ſeipſam, ſed vt eſt agens æquiuocum, poteſt; dum verò producit in ſeipſam intellectionem concurrente ſpecie intelligibili, eſt agens æquiuocum.

Præterea, hoc argumentum concludit ſolum diſtinctionem formalem, non realem propriè, quam intendunt, quæ eſt inter rem, & rem: ſufficit enim quod agẽs, & patiens, diſtinguantur ex natura rei. Alij dicunt, quod illa maior eſt vera ſolum in motu corporali, & materiali, non in motu ſpirituali, vti eſt motus animæ in intelligendo; ſed prima reſponſio eſt realior, quam fusè declarauimus, & tutati ſumus contra Zabarellam Theoremate de motu elementorum à ſeipſis, capite primo, & vltimo.

Ad 2. & 3. Ad ſecundum, & tertium reſpõdetur, quòd illa ſimilitudo, & illa exempla, non debent accipi ſecundum omnimodam ſimilitudinẽ; quia ſemper ſimilitudo claudicat, ſed debent omnes ſimilitudines, & exempla ſumi, quo ad illud ſolum, quod intendit author. Modo Ariſtoteles, quando dixit intellectum agentem eſſe, vt ars, & vt lumen, non voluit propter hoc inferre, quod ſicut ars, & materia ſunt diſtincta realiter, ſimiliter lumen, & viſus, ita intellectus agens, & poſſibilis ſint diſtincta realiter: ſed ſimilitudo conſiſtit tantum in hoc, quod ſicuti in generando cõpoſito artificiali, requiritur aliquod agẽs, vt ars, quod deducat de potentia ad actum, & aliquid patiens, vt materia, ita in generatione intellectionis ſequitur aliquid, quod habeat rationem agentis, vt ars in artificiatis, & aliquid quòd habeat rationem patientis, vt materia: & ita concludit, quod debet dari intellectus agẽs, et poſſibilis, quorũ prim⁹ agit, alter patitur.

Ad quartum reſpondetur, quòd probat hos duos intellectus differre formaliter, non realiter; non enim dicimus nos, quod differant ratione tantum, ſicuti argumentum aſsumit; ſed dicimus, quod differunt formaliter, & ex natura rei, licet non differant realiter, quia non ſunt duæ res ſeparatæ, vt lignum, & lapis: etenim anima eſt vna res numero, in qua ſunt iſtæ duæ virtutes diuerſæ formaliter, & ex natura rei; vndè Ariſtoteles appellat hos duos intellectus differentias, non res diuerſas. *Ad 4.*

Ad 5. Ad quintum, dictum eſt ſupra ſoluendo rationes Alexandri, quomodo illi textus exponendi ſunt, & intelligendi: nam in tex. 19. loquitur de intellectu agente, in textu 20. de intellectu in actu, in 19. autem habetur, quòd differunt formaliter, & quidditatiuè ſolum: quia habent diuerſas definitiones, & diuerſas quidditates, non autem concluditur, quod ſint diuerſæ res realiter ſeiunctæ, vt dictum eſt ſuprà.

Ad primam pro Opinione eorum, qui dicunt hos duos intellectus eſſe partes eſſentiales animæ.

Ad 1. Ad primam, quæ eſt auctoritas Ariſtotelis ex primo tex. 3. de Anima, reſpondetur, quòd mos Ariſtotelis eſt appellare potentias animæ partes, non quia ſint reuera partes eſſentiales diſtinctæ realiter, ſed quia ſunt differentiæ, & realitates animæ diſtinctę formaliter, vt declarauimus ſupra, & etiam diximus in Theoremate de Potentijs animæ.

Ad 2. Ad ſecundam auctoritatem ex dictis patet: quia per illam egregiè explicat Ariſtoteles hos duos intellectus eſſe duas realitates formaliter tantum diſtinctas, & non realiter.

Ad 3. Ad tertium negatur Minor; Ad probationem dico, quod quando Ariſtot. dixit 3. de Anima, tex. 5. quod intellectus poſſibilis nihil eſt actu eorum, quæ ſunt ante intelligere, ſed eſt potentia, vt aliàs ſępiùs dictum eſt, non loquitur de potentia eſſentiali quo ad eſſe, vt ipſi arbitrantur: quia intellectus poſſibilis eſt actus; ſed ſenſus Ariſt. eſt, quòd intellectus poſſibilis antequam aliquid intelligat, non eſt cõmixtus cum intelligibilibus ſed eſt vère in po-

in potentia ad recipiendum illa intelligibilia, & ſic quo ad actum ſecundum eſt in potentia,non quo ad actum primum: eſt enim ſubſtantia, & actus potens recipere intelligibilia per ſuas ſpecies,& intellectiones eorum,ſed non eſt actu recipiēs ante intellectionem,ſed ſolum poſt intellectionem, ſiue in intellectione ipſa,adeo quòd intellectus poſſibilis natura,eſt eſse potentia receptiuum obiectorum intelligibilium,quæ potentia,vt patet, pertinet ad actum ſecundum,ſcilicet ad recipere, non ad actum primum.

Ad illam auctoritatem autem ex 3. de Anima, tex. 19. diximus ſupra ſoluendo argumenta pro Alexandro; Vel dicamus ad auctoritatem illam ex 5.textu 3. de Anima,vt inquit Scotus 1.Sent.d.3.q.7. Z.

Ad 4. Ad quartum negatur primum Antecedēs; Ad probationem dico, quod aliquid eſse puram potentiam, poteſt intelligi duobus modis, vel reſpectu intelligibilium;vel in genere entis; Primo modo verum eſt,quod intellectus poſſibilis eſt pura potentia,quia non eſt actu aliquod intelligibile, ſed ſolum eſt aptum recipere, & recipit intelligibilia; Sed Secundo modo eſt actus, & non potentia, & hoc modo loquimur in propoſito.

Ad 5. Ad quintum negatur cōſequentia;Ad probationem dico, quòd licet anima rationalis ſit ſubſtantia ſimplex:non tamen propter hoc poteſt intelligere ſe per ſuā eſsentiam,vti intelligētiæ abſtractæ, quia ipſa eſt forma informans corpus, & eſt colligata ſenſibus,ſine quibus nihil intelligere poteſt; ſubſtantiæ autem ſeparatæ non ſunt formæ alicuius corporis,ſed omninò abſtractæ,ideo intelligūt ſe per ſuas eſsentias.

Ad 6. Ad ſextum reſpondetur, quòd diuerſitas realis effectuum,non arguit diuerſitatem realem cauſarum, & principiorū: quia non opus eſt tantum eſſe diſtinctionem in principijs, quantum in principiatis, vnde vegetare, nutrire, & generare, ſunt effectus omninò diuerſi realiter, & tamen non arguunt diuerſitatem realem in iſtis potentijs,ſed ſolum formalem, vt ſuo loco dictum eſt.

Ad 7. Ad ſeptimum ſuperius reſpondendo ad ſecundum Zabarellæ,dictum eſt quo modo illa ſimilitudo Ariſtot.intelligatur. Ad illas duas rationes Caietani, patet ex dictis in ſolutione rationum pro Alexandro, ibi enim expoſuimus quomodo illi text. intelligantur: nam verum eſt quidē quod in textu 19. loquitur Ariſt. de intellectu agente, & dicit quòd eſt ſubſtantia actu,ſed ibi intelligit de actu ſecundo,nō de primo,ita quod eſt,ac ſi dicat,eſt ſubſtantia operans: ſicut è conuerſo, intellectus poſſibilis eſt potentia recipiens, & patiens, in textu vero 20. loquitur de intellectu in actu, qui ſecundum ſubſtantiam eſt idem quod poſsibilis,& ideo profert illa prædicata, quæ intelliguntur eo modo,quo ſupra expoſuimus.

THEOREMA LXXXII.

Anima eſt tota in toto,& tota in qualibet parte corporis.

Explicatur intellectus propoſiti Theorematis;& Aduerſæ obiectiones reijciuntur. Cap. vnicum.

SCotus non loquitur neque tractat ex profeſso diſputationem hanc de partibilitate animæ,tamen varijs in locis declarat ſuam intentionem, & ſententiam circa hoc,præſertim autem in 4. Sent.diſtinct.1.quæſtione 5.in corpore, reijciendo opinionem D.Thomæ, quo ad ſecundam quæſt. ibi motam, ſtatim in principio;& in eodem 4. diſtinct. 43. quæſt. 2. G.nam in his duobus locis, præſertim aſſerit ſolam animam intellectiuam eſse totam in toto, & totam in qualibet parte: quia ipſa ſola inter omnes formas informantes, & perficientes materiam, eſt inextenſa, (ſedem autem eius eſse in corde primo,ait 1.d.18.q.3. H.) ſenſitiua verò, & vegetatiua, ſunt extenſæ, & ſic ſenſitiua quidem eſt tota in toto,ſed non eſt tota in qualibet parte,ſed pars in parte; idē de vegetatiua dicendum eſt;ad hoc autē nullam adducit rationem, ſed ſupponit eam eſse veram;attamen circa hoc, ſunt variæ dubitationes, ideò vt diſtinctè procedamus,primo loquemur de Intellectiua, ſecundo de alijs Animabus, & formis. Verum eſt notandum ante omnia, quod

Not. quod hoc Theorema, poteſt accipi in tribus ſenſibus, vt omnes communiter loquentes de hac re, aſſerunt; cum enim omnis Anima habeat eſſentiam quantitatem, (licet per accidens, cum ad corporis extenſionem extenſa eſſe videatur,) & potentias, propoſitum Theorema poteſt cõſiderari ſecundum omnes tres ſenſus, & videri, an Anima ſecũdum eſſentiam primo ſit tota in toto, & tota in qualibet parte; Secundo, an Anima ſecundum quantitatem ſit tota in toto, & tota in qualibet parte; & denique an Anima ſecũdum potentias, ſit tota in toto, & tota in qualibet parte; vel ſecundum aliquam potentiam ſit in vna parte, ſecundum aliam in alia parte. Quo ad primam cõſiderationem, propoſitum Theorema eſt verum de omni anima: nam omnis anima quò ad eſſentiam eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, & eius intellectus eſt hic, quod anima non habet partes eſſentiales, ita quod vna pars eius ſit vnius rationis, & altera pars alterius rationis; ſic enim eſset quidem tota in toto, ſed nõ eſset tota in qualibet parte: nam vna pars non eſset in alia, quoniam eſſent tunc diſtinctæ, & alterius rationis, & hoc proprium eſt cuiuſlibet formæ ſimplicis, in qua omnes partes ſunt eiuſdem rationis, & hoc dico de Anima, & forma in ſe abſque conſideratione corporis; poteſt etiam anima, quo ad eſsentiam comparari corpori, & ſic dico etiam, quod tota anima, id eſt, tota eſſentia, eſt in toto corpore, & in qualibet parte corporis, ita quod eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, non autem tota in toto, ſed pars in parte, vt exiſtimauit Plato, qui arbitrabatur animam habere varias partes, & illis reſpondere in corpore varios locos; quę opinio reijcitur ab Ariſtot. in 2. de Anima, textu 20. argumento deſumpto ab animalibus illis imperfectis, quæ inciſa in partes, adhuc viuunt, vt ſunt lacertæ: nam cum in cauda lacertæ deciſa appareant omnes partes animæ, vt vis motiua, ſenſitiua, habet enim tactum, & phantaſma, &c. vt ibi docet Ariſtot. ſignum eſt quòd tota anima, id eſt, omnes partes animæ ſunt in qualibet parte illius animalis, non vna pars, in vna parte corporis, & alia pars in alia; ſicuti ergo anima in ſe eſt eſsentia ſimplex, & eſt tota in toto, & in qualibet parte, neceſſe eſt etiam, quod ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, & non pars in parte.

Exp. The. quo ad ſeſũ.

Sed hic eſt dubium: quia licet anima ſit impartibilis quoad eſsentiam, tamen nõ videtur quod ſecundum eſsentiam inſit omnibus partibus corporis, vnde non parua controuerſia eſt de ſede animæ in corpore ſecundum eſsentiam. Albertus quidem dixit Animam ſecundum eſsẽtiam, nõ ineſse omnibus partibus corporis, ſed ſolum ineſse membro præcipuo, ſecundum eſsentiam & ſubſtantiam, in alijs verò animalis partibus eſse ſecundum potentias, quas eſse accidentia putat; pro hac opinione arguitur. *q̃ ſit ſedes aĩæ ĩ corp.*

Primò, quia ſi ſubſtantia animæ eſset in parte corporis, vt in oculo, ibi eſſet tota ſubſtantia animæ, quia ſubſtantia, & eſsẽtia animæ eſt impartibilis; hoc autem admiſso, vlterius ſequeretur, quòd auulſo oculo, animal moreretur; & ita in reliquo corpore non remaneret anima. Secundò, ſi Anima ſecundum eſsentiam eſſet in qualibet parte corporis, ergo manus abſciſa deberet aliquamdiu viuere, quia ſi ibi eſt forma ſubſtantialis, illa non interit, niſi præuijs diſpoſitionibus, ſed illæ nõ fiunt niſi in tempore, ergo. Tertio. Tunc quælibet pars animalis eſset animal: conſequens eſt falſum, Conſequentia probatur: quia vbi eſt anima, ibi eſt perfecta, & integra anima; vbi eſt perfecta, & integra anima, ibi eſt perfectum animal. *1. rõ.* *2.* *3.*

Sed hæc opinio reijcitur ab omnibus ferè, & aduerſa ſuſtinetur, nempè, vt diximus, quod eſsentia animæ eſt in toto corpore, & in qualibet parte corporis, hac ratione prẹſertim: quia ſi eſsentia animæ non eſſet in qualibet parte corporis, ſequeretur, quod totum corpus non eſset animatum, & ſic totum animal non eſset animatum; ſed ſi vellet intelligere, quod potentiæ illę, quæ ſunt in alijs partibus, ſunt ſubſtantia ipſiuſmet animæ, tunc eſt vera eius opinio, & redit in opinionem noſtrã, quod anima ſit in qualibet parte corporis; Si vero dicat eſse accidentia, illa non poſſunt animare, & tunc totum corpus *reijcit.* *1.*

non

non eſſet animatum. Secundo Anima ſecundum Ariſt. eſt actus corporis organici: at totum corpus animatum eſt organicum, ergo anima eſt actus nedum vnius partis, ſed totius corporis, cum totum ſit organicum; Eſt ergo dicendum, quòd ſubſtantia quidem animæ eſt in toto corpore, & in qualibet parte: ſed tamen præcipuè, & principaliori modo eſt in vna parte, quàm in alia, ſcilicet, in membro præcipuo, quod eſt veluti radix eius, vt in animalibus ſanguineis, in corde; Hinc
Ad 1. ad argumenta pro Alberto, Ad primum, neganda eſt ſecunda conſequentia. Ad probationem dico, quòd licet anima ſit in oculo tota, ſecundum eſſentiam, quia eſt indiuiſibilis, non tamen definit animal viuere auulſo oculo, quia nedum eſt in illo membro, ſed in alijs partibus, ideò illud viuere poteſt illo membro ſublato.
Ad 2. Ad ſecundum; Aliquis dicere poſſet aliquando membra diuiſa aliquantulum viuere, vt aliqui dicunt de capite abſciſo: tamen dicere melius poſſumus, quòd hoc euenit, quia in illis membris, non eſt anima radicaliter ſecundum eſſentiam, ſed deriuatiuè. Ad probationem, quia ibi eſt tota anima, quæ non corrumpitur niſi præuijs diſpoſitionibus. Reſpondetur, quòd hoc eſt verum de forma reſpectu totius compoſiti, quod eſt perfectibile adæquatum, & reſpectu membri præcipui, non reſpectu cuiuslibet partis, ſed aliquis dicet: partes animalium imperfectorum inciſæ viuunt, vt patet de entomis, & etiam de plantis. Ad hoc reſpondetur, quod hoc euenit, quia in illis membrum præcipuum eſt quidam humor aqueus per totam longitudinem animalis, & plantæ diffuſus, & homogeneus, quod recipit diuiſionem, & ſic cum partes deciſæ habeant partem membri præcipui. Hinc fit, quod illæ partes inciſæ, aliquãdiu viuunt.
Ad 3. Ad tertium negatur Conſequentia: quia ad hoc, vt aliquid ſit animal, opus eſt, quòd habeat corpus integrũ, & organicum, vt poſſit varias operationes edere, ideo non ſatis eſt, quòd habeat eſſentiã animæ, & ſic reliqua mẽbra, licet habeant eſſentiã animæ, tamen propter hoc non ſunt, nec debent dici aĩalia.
Expl. Conſiderando autẽ animam ſecundũ quantitatem, ſenſus Theorematis eſt, quòd anima eſt tota in toto, & tota in parte qualibet corporis, id eſt anima, non eſt extenſa nec diuidua, neque habet partem extra partem, ſed eſt indiuiſibilis, & in hoc ſenſu, propriè loquitur Scotus, & tunc propoſitum Theorema eſt verum ſolum de anima intellectiua; non de cæteris animabus: ſed illæ ſunt extenſæ, ita quòd anima eſt tota in toto, ſed non tota in qualibet parte, ſed pars in parte, cum enim ſint materiales, & quantæ, & extenſæ, pars animæ, quæ ſe extendit ad caput, non eſt in pede, & ideò animæ illæ ſcindi, & diuidi poſſunt ad diuiſionem corporum, vt patet in animalibus imperfectis, & plantis, nam in qualibet parte plantæ eſt tota anima ſecundum eſſentiam, vt dictum eſt, ſed non eſt ibi tota ſecundum extenſionem, ſed ſolum vna pars, quia hoc modo habet partem extrà partem, vt dictum eſt. Hæc ſententia Scoti poteſt probari quo ad animam rationalem, quia anima rationalis eſt immaterialis, & inorganica, vt diximus in Theoremate de immortalitate animæ, & ideò cũ ſit immixta corpori, & organo corporeo, nec ſit qualis, neque etiã per ſe eſt quanta, tamẽ non eſt inconueniens ſi dicamus per accidens eſse quantã: quia cum informet corpus, & totum corpus, eſt quodammodo, extenſa per accidens, quia informat totũ corpus, quod eſt quantum, tamẽ per ſe, vt dictum eſt, eſt inextẽſa, & hac ratione eſt indiuiſibilis, neque vna pars eius ſeparari, & ſeiũgi poteſt ab altera: cæteræ verò animæ, vt vegetatiua, & ſenſitiua, ſunt extenſę, & quãtę, & ideo ſunt diuiſibiles per ſe, vt patet in plantis, & in entomis inciſis, in quibus partes ſeparatæ viuunt, & ſentiũt ſaltem aliquantulum.

The. quo ad ſẽſũ. *The. 68.* *D. T. opin.*

Sed contra hoc ſunt dubia ex duabus partibus, primo enim Diuus Tho. prima parte, quæſt. 76. artic. 8. tenet, quòd nedum anima intellectiua, ſed etiam animæ animalium perfectorum ſunt inextenſæ, & non quantę. Secundo, quod dicimus nos rationalem eſſe extenſam per accidens, ipſe negat: quia dicit, quod eſt indiuiſibilis per ſe, & per accidens; De hoc ſecundo dubio non eſt diſcrepantia inter D. Tho. & nos, quia ipſe dicit, quòd quan- *opin. D.T.*

titas id eſt diuiſibilitas non competit animæ,neque per ſe, id eſt ſecundum eſſentiam, neque per accidens, id eſt ratione quantitatis,quæ ſibi inſit per ſe,(nam ſubſtantia per ſe non eſt diuiſibilis,ſed quantitas, ergo ſubſtantia eſt diuiſibilis per accidens,ſcilicet ratione quantitatis,quæ eſt ſibi iuncta, non per ſe; ideo ipſe dicit animam eſſe indiuiſibilem per ſe, quia eſt ſubſtantia, & per accidens, quia non habet quantitatem ſibi iunctam, vt aliæ ſubſtantiæ per quam ſit diuiſibilis per accidens.)nos etiam idem dicimus,ſcilicet, quod anima eſt indiuiſibilis,& inextenſa, tum ratione eſſentiæ,quod ſuprà determinauimus declarando ſenſum priorem Theorematis,tum etiam abſolutè, quia illi non ineſt quantitas per quam poſſit dici extenſa,& diuiſibilis: nos autem appellamus diuiſibile per ſe, quod habet quantitatem annexam eſſentialiter, diuiſibile verò per accidens, quod non habet quantitatem ſibi annexam eſſentialiter; ſed iungitur alicui alteri,quod habet quãtitatem annexam eſſentialiter, & ideò dicimus animam eſſe extenſam per accidens,quia informat corpus,quod eſt quãtum per ſe, neque hoc ipſe D. Thom. negaret,ſed quò ad primam partem dubij, ſcilicet, an cæteræ animalium perfectorum animæ, ab intellectiua ſint diuiſibiles,& extenſæ, eſt alicuius momenti, D. Tho. nullam adducit rationem ad oſtendendum illas animas eſſe inextenſas, ſed Caietanus in Commentario illud probare nititur,primo ex ratione, quæ adducitur a D.Tho. ſic;Illa forma, quæ habet diuerſam habitudinem ad totum, & partes,eſt indiuiſibilis, ſed anima animaliũ perfectorum diuerſo modo reſpicit totum,& partẽ,ergo; probatur Minor,quia anima animalium reſpicit totum, vt proportionatum perfectibile,partem verò,vt improportionatum perfectibile: forma verò diuiſibilis extenſa reſpicit æquè totum,& partem,vt proportionatum perfectibile,quia æquè perficit totum, & partem,& ideò manet in parte diuiſa: vt patet de anima plantæ,& alijs partibus formarum partialium, & confirmatur hęc ratio forma extenſa cum eſt diuiſa in partes, illa pars deciſa retinet eandem ſpeciem,& fit alia forma numero, à deſtructione conſequentis,ergo illa forma, cuius partes deciſæ,& ſeparatæ à toto,ſeorſum manere non poſſunt, & eandem ſpeciem non retinẽt,non eſt extenſa, vt ſunt animæ animalium, ergo non ſunt extenſæ. Secundo principaliter, forma extenſa in maiori quanto eſt maior, in minori quanto eſt minor:at nos experientia videmus ſæpè, quod animalia magni corporis ſunt debiliora alijs animalibus minoris corporis eiuſdem ſpeciei, ergo forma illa animalium non eſt extenſa.

1. ro Cai. & D. Tho.

Verum hæc ſententia non eſt ſuſtinenda ratione prius allata, quia cæteræ animæ ab anima intellectiua ſunt materiales,& mortales, & ipſi corpori commixtæ,etiam ſecundum Diuum Thomam,ergo neceſſario ſunt quantæ, & extenſæ, & hoc eſt clarum,vt diximus de ſenſitiua,& vegetatiua in enthomis deciſis, at vegetatiua,& ſenſitiua enthomorum,& animalium perfectorum,ſunt eiuſdem generis, & differunt ſecundum magis, & minus in perfectione, quæ non variat ſpeciem, & multo minus genus,ideo ſi ſenſitiua enthomorum eſt diuiſibils,& quanta,etiam ſenſitiua,& vegetatiua animalium perfectorum.Dicendum eſt ergo,quod ſenſitiua,& vegetatiua in animalibus perfectis, actu diuiditur ad diuiſionem corporis,ſicuti etiam diuiditur anima animalium imperfectorum,ſed non remanent partes ſeparatæ, propter rationem nunc ſuperius adductam:anima enim requirit corpus organicum,& membrum præcipuũ, in quo principaliter reſidet; & quia in parte deciſa non eſt tale membrum perfectum,vel præcipuum;hinc fit,quod ſeparatæ non manent, & quia quo anima eſt perfectior,eo corpus magis organicum, & nobiliori modo diſpoſitũ habet; hinc fit,quod partes animæ talis diuiſæ, citius pereunt, quia ſtatim deſtruitur eius ſedes,& corrumpitur,qua ablata,ipſa quoque quod pereat neceſſe eſt.Ad primam rationem Caietani reſpondetur, quod illa Maior eſt inſufficiens,& cõſequẽter abſolutè prolata eſt falſa, nam anima animaliũ imperfectorum, vt lacertæ, habet habitudinem diuerſam ad totum,& partes,quia reſpicit totum, vt adæquatũ, &

Reijcitur. hac opin.

Ad 1. Caie.

pro-

proportionatum, reſpicit vero partes, vt inadæquatum, & improportionatum perfectibile, & tamen eſt extenſa, & quanta, & diuiditur, vt patet. Per hoc patet ad cõfirmationem, quia antecedens, & conſequens ſunt falſa, non enim omnes formæ extenſæ ſunt huius conditionis, quod eorum partes ſeparatæ manere poſſint; poteſt enim eſſe extenſa, licet eius partes ſeparatæ non maneant, ac eandem ſpeciem non retineant, vt dictum eſt de animalibus imperfectis. Ideo formando argumẽtum in forma ſic. Si anima eſt extenſa, eius pars ſeparata manebit, & eandem ſpeciem retinebit: ſed partes animæ animalium perfectorum non manent ſeparatæ, &c. ergo animæ tales non ſunt extenſæ. Maior eſt falſa propter rationem adductam.

Id. Secunda ratio principalis facit pro nobis: quia regulariter videmus, quod animalia eiuſdem ſpeciei, cæteris paribus, quæ ſunt maioris molis, ſunt fortiora: fortior enim eſt bos, quàm vitulus, & equus magnus quàm paruus, & ſimiliter bos magnus quàm paruus. Ad argumentum ergo dicendum eſt, quod illud euenit aliquando propter aliquam indiſpoſitionẽ, ſed cæteris paribus, oppoſitum eſt verũ, adeo quod ex hoc argumento concludimus oppoſitum.

Dubi atur Sed hic eſt dubium, quia nos diximus ſupra, quod in homine eſt vnica anima, & illa eſt intellectiua, quæ in ſe continet vegetalem, & ſenſitiuam tãquam potentias; modo vel in homine intellectiua eſt extenſa, vel dicendum eſt, quod vegetatiua, & ſenſitiua animalium perfectorum non eſt extenſa. Ad hoc dubium breuiter

reſp. eſt reſpondendum, quod intellectiua cõtinet in ſe vnitiuè eſſentiam vegetalis, & ſenſitiuæ, vt ſuprà diximus: ſed illas continet modo inextenſo; & licet ſenſitiua per ſe ſit organo commixta, & ſimiliter vegetatiua, tamen vt eſt in intellectiua nequaquam: attamen quia informat corpus iã habens formam mixti, & corporeitatis, fungitur munere eodem, quo anima ipſa ſenſitiua, & vegetalis, ſi per ſe adeſſent: eſt enim tantæ virtutis illa forma intellectiua, quod licet non ſit commixta materiæ, tamen illi intimè inexiſtit, ſicuti ſi eſſet illi commixta, ſicuti & ipſe intellectus, licet non ſit commixtus organo corporeo, tamen intimè ineſt illi corpori per informationem, ita quod dat illi vitam, & eſſe operari.

Ex alia parte principali, ſunt dubia ex Zabarella, libro de Partitione animæ, capite vndecimo. Qui ſuſtinet, quod omnis forma informans, eſt extenſa, & quanta, ita quod pars quę ineſt vni parti corporis, non ineſt alteri parti corporis, & hoc etiam intelligit de intellectiua. *opin. Zab. & eiꝰ rões.*

Prima ratio, per hoc diſtinguitur forma informans ab aſſiſtente, quia aſſiſtens non eſt alligata materiæ, ſed forma conſtituens compoſitum in ſpecie, & informans corpus, eſt alligata corpori, ergo ad diuiſionem corporis, conſequenter diuiditur. *1. rō.*

Secundo arguitur ex Ariſtotele tertio de Cęlo textu ſeptimo, vbi dicit, nullum diuiſibile eſſe in indiuiſibili aliquo, quare neque indiuiſibile in aliquo toto diuiſibili inerit. *2.*

Tertio ex Ariſtotele octauo Phyſicorum, textu 78. vbi Ariſtoteles volens probare primum motorem eſſe formam abiunctam à materia, hoc fundamentum ſtatuit, quod forma materialis diuiditur ad diuiſionem materię, & corporis, ita, vt in parte materię ſit pars formę, non forma tota; at ſi daretur forma aliqua informans materiam, quę in ſingulis partibus materię ineſſet indiuiſibiliter, & tota, illud fundamentum Ariſtotelis euerteretur. *3.*

Quarto arguitur ex Ariſtotele ſecundo de Anima, textu nono, vbi ab oculo ad totum animal argumentatur, & probat ita ſe habere partem animæ ad totam animam, ſicut ſe habet pars animalis ad animal totum; Putat ergo Ariſtoteles Animam habere partes ſecundum extenſionem, & in parte corporis partem animæ eſſe, totam verò animam, in toto animali. *4.*

Hæc opinio eſt reijcienda, quoniam, vt diximus, anima rationalis eſt incorporea, immaterialis, & inextenſa, vt etiam ipſemet Zabarella concedit, reſpondendo ad auctoritates eorum, qui probant animam rationalem eſſe formam aſſiſten-

tem, in libro de Humana mente; Cum ergo anima rationalis ſit inextenſa;& incorporea,non poſſumus dicere,quod illa ſit diuiſibilis, & quanta, nedum enim anima rationalis ſecundum eſſentiam nõ eſt extenſa, quia ſit nulla ſubſtantia, eſt extenſa quo ad ſubſtantiam,quia ſubſtantia per ſe eſt impatibilis,& præcedit ratione quantitatem:ſed etiam dico,quòd abſolutè eſt ſubſtantia inextenſa:quia illi nõ aduenit quantitas per quam fiat extenſa, vt aliæ ſubſtantiæ, & in hoc differt à formis materialibus, & corporeis: non ergo eſt pars in parte, ita quod pars animæ, quæ eſt in capite, non ſit in pede: quia in anima non poſſumus reperire huiuſmodi partes ſecundum quantitatem, & ideò ſicuti eſſentia animæ, quæ eſt in capite, eadem eſt in pede, ita eadem pars ſecundum quantitatem, quæ eſt in capite, eſt in pede quantum eſt ex parte animæ, quæ eſt indiuiſibilis,tamen per accidens dici poteſt extenſa, quatenus ſcilicet informat,& dat eſſe corpori, quod eſt quantum; & hoc eſt quod nos decipit, quia enim videmus corpus quantum,non poſſumus imaginari, quòd anima quoque non ſit extenſa. Sed hoc non debet nos turbare: quia anima non dat corpori eſſe extenſum, ſed forma mixtionis; ipſa anima verò, tantummodo dat corpori vitam, & quia dat vitam omnibus partibus, eſt in omnibus partibus ſecundum eſſentiam, & etiam in ſe eſt indiuiſibilis:ſed poteſt dici quanta,habita ratione corporis,quod eſt quantum, & habet eſſe ab ea, ſed hoc eſt illam eſse quantam per accidens. Et ſi hoc modo intelligeret Zabarella, eſset nobiſcum; ſed ipſe videtur velle, quòd anima ſit extenſa ſecundum ſe,ita quod ipſa ſit quanta vt cæteræ formæ naturales, licet eius eſſentia ſit non quanta; neque hoc, quod nos dicimus mirum eſt, ſicuti enim dicimus, quòd eſsentia animæ eſt impartibilis,& tamen eſt tota in qualibet parte,ita abſolutè dicere poſsumus, animam non eſse quantam ex ſe vllò modo, ſed ſolum in ratione ad corpus, quod ab illa recipit vitam;non eſt autem inconueniens, quòd aliquod indiuiſibile,det vitam, & eſse vitale alicui corpori, cum illud eſse, etiam ſit indiuiſibile per ſe: ſed eſset inconueniens, quod indiuiſibile daret eſſe diuiſibile;Nos dicimus primo modo, ſcilicet, dare eſse indiuiſibiliter: Aduerſarij putant animam dare eſse ſecundo modo, ſcilicet diuiſibiliter.

Ideo ad rationes Zabarellæ, Reſpondetur. Ad primum dico, quòd illud non eſt diſcrimen formæ informantis, à forma non informante, & aſſiſtente, ſed hoc quod forma informans dat eſse ſpecificum ſiue eſsentiale compoſito, & facit vnum per ſe, ſed aſſiſtens facit vnum per accidens, neque dat eſse ſpecificum, & eſsentiale: ſola ergo illa forma informans dat eſſe extenſum, quæ in ſe eſt quanta,& extenſa,& materialis, quantitas enim inſequitur materiam,forma verò,quæ non eſt materialis,neque extenſa, non dat eſse extenſum, Anima rationalis eſt huiuſmodi ſecundum Ariſtotelem, & ideo non dat corpori eſſe extenſum,ſed illud præcedit in corpore per formam mixtionis aduentum animæ. Ad 1.

Ad ſecundã rationem dico, quòd Ariſtoteles ibi dicit, quod diuiſibile non recipitur in indiuiſibili: non autem propter hoc ſequitur, quod indiuiſibile non poſſit recipi in indiuiſibili ſecundum quantitatem; vndè non valet conſequentia:nam ſecundum Zabarellam, forma ſubſtantialis quælibet, eſt indiuiſibilis ſecundum eſsentiam, & tamen recipitur in materia quanta, apud ipſum, qui ſuſtinet dimenſiones interminatas, quæ ſunt de prædicamento quantitatis, præcedere in materia prima formam ſubſtantialem. Ad 2.

Ad tertium dico, quod ibi probat virtutem infinitã non poſse eſse in magnitudine finita: quia illa tandem conſumeretur per ablationem partium,ſed hoc non eſt contra nos: quia nos concedimus formam exiſtentem in magnitudine, & quæ eſt materialis,eſse extenſam, & diuiduã, & ideo illam per ablationem partium cõſumari, & ita iure concludit Ariſtoteles primum motorem non habere magnitudinem, neque eſse formam materialem, quia mouet per infinitum tempus, non tamen propter hoc ſequitur fieri nõ poſse, quod aliqua forma immaterialis Ad 3.

infor-

informet materiam extenſam, abſque eo quòd ipſa ſit extenſa, & quanta in ſe: quoniam Ariſtoteles ibi intendit probare ſolum, quod primus motor nõ eſt virtus in magnitudine, & materialis: & illud per rationem illam obtinet; hoc autem non intendit probare de quacumque forma obiuncta: quia de aliqua fuit dubius. Nos autem dicimus, animam rationalẽ eſſe formam immaterialem, & incorpoream, nullam molem in ſe habentem, & ſolum ea ratione poſſe dici materialem, quia eſt actus materiæ, tamen in ſe eſt immaterialis, & inextenſa, de qua dubium eſt, an ſit mortalis, vel immortalis apud Ariſtotelem, vt ſuo loco diximus.

Ad 4. Ad quartum reſpondetur, quod ibi Ariſtoteles appellat viſum partem animæ, quia viſus eſt potentia animæ, potentiæ autem, quia vnitiuè continentur in anima, & formaliter diſtinguuntur ab ea, ideò quodammodo partes ipſius dicuntur, vt diximus in Theoremate de Potentijs animæ.

Explicatur The. in 3. ſẽſu. Conſiderando tãdem Theorema quo ad tertium ſenſum, ſcilicet, an anima ſit in qualibet parte ſecundum potẽtias; Dico, quòd eſt reſpondendum affirmatiuè: quia cum potentiæ animæ ſint ipſamet ſubſtantia animæ, & ipſa ſubſtantia animæ ſit in omnibus, & ſingulis partibus corporis, neceſſe eſt, quod potentiæ quoque ſint in illis, non tamen operatur in omnibus locis, & partibus, quia in illis non habet organa neceſſaria. Dicere itaque poſſumus, potentias eſse in omnibus partibus quo ad ſubſtantiam, non quo ad operationem, &c.

THEOREMA LXXXIII.

Primũ cognitũ eſt ſpecies ſpecialiſsima.

Declaratur ſenſus Theorematis. Cap. I.

PRO clara notitia huius Theorematis ſciendum eſt, quòd ſecundum omnes, qui tractant hanc materiam, hic non quærimus primum cognitum in qualibet cognitione: quia in diuerſis cognitionibus, diuerſa quoque ſunt prima cognita: cum ergo plures dentur cognitiones, de qua ſit ſermo, videndum eſt; Vna eſt cognitio ſenſitiua, quæ communis eſt nobis cum brutis, de hac non loquimur; Alia eſt intellectiua, & de hac loquimur, & aſſerimus, primum cognitum apud intellectum eſſe ſpeciem ſpecialiſſimam, & inter ſpecies ſpecialiſsimas, illam, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum, in intellectu verò triplicem cognitionem poſsumus ponere; Vel ſecundum ordinem originis, vel perfectionis, vel cauſalitatis pręcisè, nam ſicuti res in ſe habent triplicem ordinem, ita in cognitione noſtra triplicem ordinem habere poſsunt, quandoque enim ordinantur res ſecũdum viam generationis, vt illa ſint prima, quæ habent prius eſſe in generatione; aliquando illa prima ſunt, quæ ſunt perfectiora; aliquando illa ſunt prima, quæ ſunt cauſa adæquata ſui effectus; in præſenti non loquimur de ordine ſecundo, nec de tertio, ſed ſolum conſideramus ordinem generationis, & aſserimus in cognitione intellectiua, quo ad ordinem originis primũ cognitum eſse ſpeciem ſpecialiſſimam, ita quòd cum quærimus quodnam ſit illud, cuius cognitio prius generatur in intellectu? Reſpondemus, eſse ſpeciem ſpecialiſsimam. Stando autem in hoc ordine originis, adhuc poteſt eſse triplex cognitio noſtra, ſcilicet, actualis, habitualis, & virtualis: Hic non loquimur de cognitione ſecundo modo; Nec tertio modo, ſed de cognitione primo modo, quæ eſt actualis; ita, quòd cum quærimus, quodnam ſit illud, cuius cognitio actualis primo generatur in nobis? reſpondemus, eſſe ſpeciem ſpecialiſsimam. Hæc autem cognitio actualis rurſus duplex eſt; Confuſa, & Diſtincta, loquimur de cognitione confuſa, non de diſtincta. Sed hic notandum eſt, quòd aliud eſt cognoſcere confuſum, & aliud eſt confuſè cognoſcere rem; quia cognoſcere confuſè, eſt cognoſcere, quo ad quid nominis, & non ſecundum propriam quidditatem, & eſſentiam; cognoſcere confuſum, eſt cognoſcere rem confuſam, confuſum enim eſt, quod indiſtinctum eſt, & quod in ſe indiſtinctè multa continet; & hoc cõfuſum eſt duplex, ſcilicet, actuale, & potentiale, actuale, vt ſingulare poten- *Notãdum.*

potentiale, vt vniuerſale, non loquimur de cognitione confuſi, ſed de cognitione confuſa rei; eſt ergo nunc ſermo, & quæſitio noſtra, quid ſit illud, quod primo cognoſcitur cognitione indiſtincta, & confuſa; quærere autem quid ſit primum cognitum hoc modo, eſt quærere quodnam ſit primo, & abſolutè cognitum ab intellectu noſtro, quando eſt omnino ignorãs, & vt tabula raſa: quia cognitio confuſa abſolutè præcedit cognitionem diſtinctam: quia nos primo cognoſcimus confuſo modo res, mox diſtinctè, illud ergo, quòd erit primum cognitum cognitione confuſa via originis, erit primum cognitum ab intellectu abſolutè, & ſic cum Scotus ſuſtineat, quòd ſpecies ſpecialiſſima ſit primum cognitum via originis cognitione confuſa, ſpecies ſpecialiſſima abſolutè erit primum cognitum ſecundum Scotum, quidquid dicat Franciſcus Piccolomineus, lib. 3. de Mente humana cap. 12. vt infra patebit, & inter ſpecies ſpecialiſſimas, illa, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum.

Opinio Scoti. Cap. II.

SCotus 1. Sententiarum, diſtinctione 3. quæſtione 2. litera K. tenet, quòd primum cognitum ordine confuſo actuali cognitione ſit ſpecies ſpecialiſſima, vt dictum eſt, & inter ſpecies ſpecialiſſimas, illa, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum, & eam multis rationibus comprobat.

1. rō. Primò ſic, omnis cauſa naturalis non impedita agit ad effectum ſuum ſecundum vltimum potentiæ ſuæ, & ſic effectum nobiliorem producit, quem producere valeat: at intellectus, & aliæ cauſæ, quæ concurrunt ad intellectionem, ſunt cauſæ naturales, & non impeditæ, ergo producunt nobiliorem effectum, quem poſſunt producere: at ille effectus non poteſt eſſe conceptus alicuius communioris, quia quanto quid eſt communius, tãto eſt imperfectius, ergo minus communis; ſed hic eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, ergo primum cognitum non erit ens, neque magis vniuerſale, vt D. Thomas, & alij volunt, ſed minus vniuerſale, vt eſt ſpecies ſpecialiſſima; Maior propoſitio clara eſt, nam omnis cauſa naturalis cum ſine ratione, & natura agat, ſi non impediatur, tota vi agit, & propterea nobiliorem effectum producit, quem poteſt; Minor quoque patet: quia cauſæ, quæ concurrunt ad intellectionem, ſunt ſolum phantaſma, intellectus agens, & poſſibilis, vt ego oſtendam in diſputatione de Officio intellectus agentis at omnia iſta ſunt agentia naturalia, quia præcedũt omnem actum voluntatis, ergo.

Secundò ſic, Metaphyſica eſt vltima ordine doctrinæ, ergo ordine doctrinæ 2. rō.
multæ ſcientiæ præcedunt, & maximè Philoſophia naturalis, ergo principia harum ſcientiarum, & termini illorum principiorum, cognoſcuntur prius, quàm principia Metaphyſices cognoſcantur, at illi termini ſcientiarum præcedentium Metaphyſicam ſunt minus communes, & minus vniuerſales termini, & Metaphyſicæ ſunt vniuerſaliores, ergo prius cognoſcuntur termini minus vniuerſaliores, quàm magis vniuerſales, ergo conceptus termini minus vniuerſalis eſt prius cognitus, & ſic conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt primum cognitum.

Tertiò arguit Scotus. Si prius cognoſce- 3.
rentur vniuerſaliora, ſequeretur quòd intellectus præſentato ſibi à ſenſu ſingulari, intercederet multum tempus antequam cognoſceret illud ſingulare, quia tunc primo intellectus pertranſiret per totam lineam Prædicamentalem à ſupremo genere antequam deueniret ad hoc ſingulare: at hoc videmus eſſe falſum, quia cito intellectus cognoſcit illud ſingulare illa cognitione confuſa, ſcit ſtatim illud diſtinguere ab alio, ſub illa ratione confuſa, ergo primum cognitum eſt minus vniuerſale.

Quartò ex verbis Scoti, quę habet in ſo- 4.
lutione cuiuſdam argumenti poteſt formari hæc ratio. Illud eſt primo cognitum, quod facilius abſtrahitur à ſingularibus intellectui agenti obiectis: ſed minus vniuerſale facilius abſtrahitur, quam magis vniuerſale, ergo; Probatur Minor, quia magis vniuerſale, eſt magis inſenſibile, & magis remotum à ſenſibus, ideò eſt maior labor abſtrahere conceptum il-

lum

tum remotiorem, quam illum, qui eſt propinquior ſingularibus, & certè hæc ratio habet maximam euidentiam; & confirmatur: nam dixit Ariſtot. 1. Poſter. textu 12. ea, quæ ſunt propinquiora ſenſibus noſtris, eſſe notiora nobis; quod declaratur: quia cum phantaſma ſingulare offertur intellectui agenti, offertur ſub accidentibus particularibus, & conditionibus indiuidualibus, cum ipſum phantaſma ſit ſingulare: hęc omnia ſtatim mouent intellectum; intellectus autem debet abſtrahere ab hoc ſingulari phantaſmate cum omnibus his conditionibus conceptum magis conuenientem, & magis proximũ illi phantaſmati inuoluto illis accidentibus; at hic non poteſt eſſe conceptus ſingularis, quia ſingulare non cognoſcitur; nec magis vniuerſalis, quia ille conceptus eſt valdè remotus ab illo ſingulari phantaſmate, & ab illis conditionibus ſingularibus illud conſequentibus: ſed ex his omnibus neceſſariò debet formare in mente ſua idolũ, & conceptũ, cui cõpetant hæc omnia, quæ inuoluta ſunt in illo phantaſmate; Hic nõ poteſt eſſe niſi cõceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ: quia huic ſoli omnia illa cõpetunt; Cõceptibus verò magis vniuerſalibus illæ conditiones competere nõ poſſunt, & quo magis aſcenditur, minus competũt, vt patet; quia magis vniuerſalia magis diſtant à ſingularibus.

Sed quis dicet: Si intellectus primo intelligeret has omnes conditiones in phantaſmate, ſequeretur, quod cognoſceret diſtinctè primo ſingulare illud, dico, quod hoc non ſequitur: quia hæc omnia tantum confuſo modo generant conceptum ſpeciei in illa prima præſentatione phantaſmatis: quomodo poſtea intellectus diſtinctè cognoſcant ſpeciem, & ſingulare, infra patebit.

Adducuntur obiectiones Aduerſariorum contra primam rationem Scoti, & ſoluuntur. Cap. III.

CONtra primã rationem multi multis inſurgunt. Primo inſurgunt Caiet. lib. de Ente, & eſſentia, & quidam Moderni, cum illo, & Zab. lib. de Ordine intelligendi, & primò contra Maiorem primi argumenti. Vel enim (dicũt ipſi) eſt falſa, vel nihil concludit: nam vel Scotus intelligit, quod cauſæ naturales primo producũt perfectiorem effectum, quem pro tunc poſſunt: vel abſolutè effectum perfectiorem, quem poſſunt; ſi Scotus intelligit modo ſecũdo, eſt falſa: quia nulla cauſa naturalis primo producit effectum nobiliſſimum, quem abſolutè poteſt, quia natura progreditur ab imperfectis ad perfecta; vt ignis non producit primo calorem in ſummo, ſed paulatim; ſi intelligit primo modo, nihil concludit: quia dicet Thomiſta, quod nobilior effectus, quem cauſæ concurrentes ad intellectionem primo poſſunt producere, eſt conceptus magis vniuerſalis, hoc enim requirit ordo naturæ, quò ad imperfectiora; & ſic retorquet rationem Scoti contra Scotum. eodem modo reſpondet Franciſcus Piccol. Zab. ſimiliter ſic inſurgit: Si Maior Scoti eſt abſolutè vera, ergo concludit, quòd conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ erit primum cognitum cognitione diſtincta; quia hic eſt perfectior conceptus quam conceptus confuſè cognitus ſpeciei ſpecialiſſimæ, Eſt ergo dicendum (ait Zab.) quòd hæc propoſitio ſumpta abſolutè, id eſt ſecundo modo, eſt falſa: quia cauſa naturalis non poteſt producere effectum nobiliſſimum, niſi ſit diſpoſita, vt patet de materia prima, quæ licet omnes formas recipere poſſit, non tamen illas recipit primo, quia non eſt diſpoſita: licet ergo cauſæ producentes intellectionem ſint naturales, non tamen in prima cognitione intellectus ſunt ita diſpoſitæ, vt poſſint perfectiſſimum effectum, & conceptum producere; alioquin producerent conceptum diſtinctum ſpeciei ſpecialiſſimæ, quod eſt contra Scotum, ſuſtinet enim Scotus, quod conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, eſt primum cognitum cognitione confuſa, nõ diſtincta. Ocham dicit, quod ratio Scoti concludit pro ſe, quia cõcedit maiorem, & totum primum ſyllogiſmũ; ſed cum infertur, quòd conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, eſt conceptus nobiliſſimus, negat hoc, & ſubinfert ipſe Minorem, quod ſingulare eſt nobilius ſpecie ſpecialiſſima, & propterea Ariſtot. in Prædicamentis, cap. de Subſtantia, dicebat, Ochã

quod primæ ſubſtantiæ ſunt nobiliſſimę, ergo; & ſic omnes ferè Philoſophi hanc rationem Scoti contra Scotum, & pro ſeipſis valere dicunt. Hę obiectiones videntur habere maximam euidentiam: ſed hoc euenit, quia hęc optima ratio Scoti à paucis eſt intellecta; Reſpondeamus ergo ad has omnes obiectiones, & patebit efficacia rationis Scoti.

Ad primum Caietani, & Pererij, dico, quod Scotus intelligit in ſua Maiori ſecundum ſenſum, ita quod hic eſt ſenſus. Cauſę naturales non impeditę, agunt ſecundum vltimum ſuę potentię, & propterea producunt effectum nobiliſſimum abſolutè, quem poſſunt, ideo cauſę producentes intellectionem, cum ſint naturales producunt conceptum ſpeciei ſpecialiſſimę, quia eſt nobiliſſimus; cum impugnatur, quia natura procedit ab imperfecto ad perfectum, & per exemplum de igne, quia paulatim inducit calorem. Reſpondeo, quod hę obiectiones nihil obſunt, propoſitioni Scoti: quia hoc prouenit, quia corpus, in quod inducitur ignis, non eſt rectè diſpoſitum, & propterea nō ſtatim inducit perfectum colorem, & hac eadem cauſa natura procedit ab imperfecto ad perfectū, quia agens naturale, vt plurimū reperit reſiſtentiam ex parte paſſi; at vbi nulla eſt indiſpoſitio, neque reſiſtentia, nulla poteſt asſignari ratio propter quàm agēs naturale primo non producat effectū nobiliorem, quē poteſt abſolutè. Scoti autē Maior propoſitio dicit, quod cauſæ naturales naturaliter agentes, & nō impeditę, primo producunt effectum nobiliorē, quem poſsūt abſolutè, adeo quod Maior ita circūſtātionata, proculdubio eſt vera. Item, quare in fine producunt nobiliorem effectū? quia ſunt optimè diſpoſitæ, & nullum eſt impedimentū, ergo ēt in prima intellectione ſi ſunt diſpoſitæ optimè, effectū nobiliorē producēt. Tota difficultas itaque eſt in Minori, & tūc augētur difficultates: q̄a accipiēdo Maiorē propoſitionē rationis Scoti in ſenſu pręexpoſito, tunc Aduerſarij negāt Minorē, ſcilicet, quod intellectus ſit diſpoſitus, & non impeditus, oportet ergo probare Minorem, quam ita probo. Si in intellectu in prima intellectione eſt aliqua indiſpoſitio, vel hæc eſt poſitiua, vel priuatiua; me declaro, vel hæc indiſpoſitio prouenit, eo quia deficit aliquid intellectui, quod ei eſt neceſſariū ad intellectionē, & propter defectum iſtius rei, non poteſt toto impetu agere, & hæc erit indiſpoſitio priuatiua; vel hæc indiſpoſitio prouenit ex aliquo impedimento poſitiuo exiſtente in ipſo intellectu, quod impediat ipſum intellectum, & debilitet, ſiue retardet, ita quod non poſſit toto impetu agere; ſed neutrum iſtorū eſt dicendum, ergo neque etiam eſt dicendum, intellectum in prima intellectione eſſe indiſpoſitum, Maior huius rationis eſt euidens per ſufficientem diuiſionē: neceſſe eſt enim, quòd quælibet indiſpoſitio contineatur ſub altero illorum membrorū; Minor probatur: & primo, quod nihil deficiat, quod requiratur ad intellectionem; etenim ſolum intellectus agens, & poſſibilis phantaſma, & ſpecies intelligibiles requiruntur ad intellectionem, & præter hæc nihil amplius: & hoc conceditur ab Aduerſarijs, & ego aliàs oſtendam in quæſtione de Officio intellectus agentis; licet enim aliqui iſtorum ſpeciem intelligibilem negent, tamen nemo alia plura requiri ad intellectionem aſſerit, modo hæc omnia in quacūque intellectione neceſſariò requiruntur, quia deficiēte altero iſtorum, nulla prorſus intellectio haberi poteſt, ergo etiā in prima intellectione hæc omnia adeſſe debent, alioquin, neque illa prima intellectio haberi poteſt, ergo nulla adeſt indiſpoſitio priuatiua, id eſt, in prima intellectione nihil neceſſarium ei deficit, quòd verò nulla adſit indiſpoſitio impediens, ſiue, quòd nullum adſit impedimentum debilitās, vel retardans, vel prohibens intellectum, quod nos dicimus indiſpoſitionem poſitiuam, probatur: quia iſtud impedimentum, vel eſſet ex parte intellectus agentis, vel intellectus poſſibilis, vel ex parte phantaſmatis, non eſt dicendū quòd ſit ex parte intellectus agentis, vel poſſibilis, ſecundum Latinos, quia tenent, quòd intellectus agens, & poſſibilis, realiter ſint vnus intellectus, & vna eſſentia, quæ eſt in actu primo perfectè, & ſic nullam habet indiſpoſitionem, & neque ſecundum Zabarellā, qui ſuſtinet, quod intelle-

intellectus agens eſt Deus, & intellectus poſſibilis eſt potentia pura paſſiua, dans eſſe ſubſtantiale homini, quia Deus eſt perfectiſſimus,& intellectus poſſibilis eſt in actu primo perfectè, & eſt capax oĩum intellectionum; & tandem omnes hoc cõcedere coguntur, q̃a intellectus eſt forma ſubſtantialis habẽs omnẽ perfectionẽ ſubſtantialẽ ſibi requiſitã,neque ſuſcipit magis,vel minus indies, ſolum recipit perfectionem accidentalem,cum res intelligit; Quãtum eſt ergo ex parte intellectus nulla eſt indiſpoſitio,& ſic tã in prima intellectione,quã in alijs,præſentato ſibi obiecto,totis viribus agere poteſt,cum quãtũ eſt ex ſe,ſit ita perfectus in prima intellectione,quam in alijs:ſed neque adeſt impedimẽtũ ex parte phãtaſmatis:quia phãtaſma exiſtẽs præsẽs intellectui,repræſentat quidquid in ſe continet, & eſt repræſentatiuum naturale,ergo nihil impedit, quin intellectus agens, vel ſecũdum alios poſſibilis, verſans circa huiuſmodi phantaſmata,non agat totis viribus,& ſic producat conceptum nobiliorem,quem producere poteſt ex illo phantaſmate. Quod ſi quis dicat,quòd intellectus eſt agẽs naturale, & agentia naturalia ſunt talis conditionis,quòd incipiunt ab imperfectis, & tẽdunt ad perfecta,& ſic intellectus prius producit notitiam cõceptus imperfectioris,quàm magis perfecti, contra hoc iam dictũ eſt, quòd ſi agens naturale ſit perfectum,& abſolutũ,clarum eſt, quòd totis viribus agit,quantum eſt ex ſe;vnde ſi agentia quædam naturalia reperiuntur, quæ incipiant à minus perfectis, & tendant ad magis perfecta;veluti,contingit, vt plurimum,hoc prouenit, quia non ſtatim ſunt agentia perfecta, ſed paulatim perficiuntur, vt ignis in principio non producit perfectisſimum calorem, quia non eſt ita perfectus, ſicuti eſt in fine, & confirmatur hæc ratio Scoti.

Si intellectus non poſſet producere in prima intellectione cum alijs cauſis conceptum nobiliorem,quem poteſt,nõ poſſet amplius illum producere, quia in hac prima intellectione,cum ſit agens naturale, & ſimiliter aliæ cauſæ ad intellectionem conuenientes,ſint naturales, agunt totis viribus; effectum ergo, quem tunc producere non poſſunt,nunquam produ cere poterunt,niſi perfectiores ſint,quòd illis repugnare oſtendimus: quia non ſuſcipiunt magis nec minus, & per hoc impugnatur reſponſio Caietani,dicit enim, quod intellectus nobiliorem conceptum paulatim producet:nam ſic ſunt agentia naturalia, quod prius producunt effectũ imperfectiorem, & poſtea magis perfectum, vt Leo producit Leonem, non tamen in principio generationis producit Leonem,ita intellectus producit prius cognitionem conceptus minus perfecti, vt entis, deinde magis perfecti, & tandem ſpeciei ſpecialisſimæ, qui eſt in alijs perfectior. Hæc reſponſio inquam non valet: quia ad productionem Leonis, concurrunt multa alia agentia præter Leonem, vt Influentiæ Cæleſtes, & Deus, vt aliàs ego in hac materia dicam: immò leo, ſicut & animalia alia perfectius,quòd efficere poteſt in generatione Leonis,eſt productio ſeminis, quo emiſso, Leo nil amplius agit,ſed leena fouet, & aliæ virtutes cæleſtes coadiuuant,& perficiunt fœtum; & denique quando cauſæ naturales ſic paulatim procedunt ad producendum effectum nobiliorẽ,ſemper euenit, quia aliquid neceſſarium eis deeſt, vel aliquid impedit,vt ſuprà diximus, quoniam penitus eſt irrationabile dicere, cauſa eſt naturalis,& naturaliter agit, & non eſt impedita,& tamen prius producit effectum ignobiliorem,deinde nobiliorem, hoc ergo non poteſt euenire in intellectione: quia ad eam nil aliud concurrit, niſi intellectus,& phantaſma, quòd ſi intellectus cum phantaſmate non poteſt producere primo effectum nobiliorem, nunquam illum producet: quia nulla alia virtus ad hanc intellectionem concurrit, neque ipſe intellectus,vel phantaſma ſuſciperent perfectionem maiorem, quã habeant in principio, quia vtrumque eſt in actu primo perfectè,& completè, tam in prima intellectione, quàm in alijs. Neque ſimiliter valet, quòd ait Zabarella, ſcilicet, quod intellectus poſſibilis ſe habeat veluti materia prima, reſpectu formarum, quæ prius recipit formas imperfectas, deinde perfectiores; non valet inquam: quia hoc prouenit in mate-

materia, quia agentia naturalia ſunt imperfecta, & impedita, & ideo non poſſunt primo inducere in materiam primo formam perfectiorem; at ſi eſſet agens perfectum, vt Deus, poſſet ſtatim inducere in materiam primam formam nobiliſſimã. In propoſito autem intellectus eſt agens perfectiſſimum in ſuo genere, & habet totam perfectionem quam habere poteſt, & eſt ita potens in principio, quàm in fine, loquendo de perfectione eſſentiali, quæ eſt cauſa intellectionis. Neque etiam valet illud, quod inquit Caietanus, ſcilicet quòd intellectus noſter non poteſt cognoſcere ſpeciem, niſi prius cognoſcat conceptus magis vniuerſales, propter coordinationem Prædicamentalem, quoniam hoc quidem verum eſt in cognitione diſtincta, in qua vnus conceptus cognoſcitur diſtinctus ab alio, vt nunc infra dicam: ſed in cognitione confuſa non valet, quia in hac non requiritur cognitio diſtincta partium, vt cognoſcamus totũ, ſat eſt cognitio quædam rudis, & craſſa de illa re, quæ nobis offertur per phantaſma, & ſecundum totum, & ſecundum partes ſimul.

Ad rõnes cõtra mino. rem, quas magni faciunt recentiores.

Ad obiectionem Zabarellæ, & aliorũ, cum impugnãt Minorem huius rationis, dicẽtes, quòd ſi intellectus eſſet perfectè diſpoſitus, produceret cognitionem diſtinctam ſpeciei ſpecialiſſimæ, quia hic eſt perfectior conceptus.

Reſpondeo, & pro reſponſione notandum eſt, quod cognitio confuſa requiritur tamquam medium ad habendam diſtinctam cognitionem rei, eſt enim impoſſibile, quod cognoſcamus aliquã diſtinctè, niſi præceſſerit in nobis aliqua cognitio confuſa, & hoc annuit Scotus in illis verbis, quæ legunt poſt hanc primam rationem ibi (ordo in generationibus, hic reſpondeo, per imperfectum, vt medium) eſt enim hic ſenſus, quod ſicut in generatione rerum eſt ordo, ita in cognitione quoque noſtra eſt ordo: ſed ordo imperfectus reſpondet hic vt medium, quia in hac cognitione noſtra ordo imperfectus, & confuſus, inſeruit nobis pro medio ad habendam perfectam, & diſtinctam cognitionem rerũ; vnde niſi egeremus hoc ordine confuſo pro medio in cognitione diſtincta, intellectus noſter prima intellectione cognoſceret obiectum definitiuè; ſed hoc efficere non poteſt; quia ad cognitionem diſtinctã requiritur cognitio multarum partium, quas prius cognoſcimus cognitione confuſa, deinde paulatim diſtinctè, & ſic poſtea cognoſcimus res definitiuè, & diſtinctè.

Ad argumentum ergo patet, quod intellectus in prima intellectione non poteſt cognoſcere ſpeciem ſpecialiſſimam diſtinctè: ſed hoc non prouenit ex parte cauſarum producentium intellectionem, ſed ex parte effectus, ſcilicet, notitiæ diſtinctæ, quæ nõ poteſt poni in eſſe, niſi pręcedat cognitio confuſa. Exemplum, vt aliquis alloquatur Regem, neceſſe eſt, quod primo alloquatur miniſtros, qui illum inducant ad Regem, modo quod iſte non alloquatur primo Regem, non prouenit ex defectu ſuo, vel impotentia, ſed ex conditione curiæ Regis, ita, quod intellectus noſter non intelligat primo conceptum diſtinctum ſpeciei, non eſt ex defectu intellectus, vel phantaſmatis, ſed ex conditione cognitionis diſtinctæ ſpeciei, quæ prærequirit cognitionem confuſam, ideò intellectus primò habet cognitionem cõfuſam, & in illa producit effectum nobiliſſimum. Sed quis dicet, ergo in ordine diſtinctè cognoſcendi via originis primũ cognitum erit ſpecies ſpecialiſſima, propter eandem rationem: quia ſunt eædem cauſæ naturales, & non impeditæ, ergo in illo ordine diſtinctæ cognitionis producent quoque nobiliſſimum effectum primo quem poſſunt; & tamen hoc eſt contra Scotum, qui ſuſtinet, quòd magis vniuerſale eſt primum cognitum in cognitione diſtincta. *Obiectio.* Reſpondetur, quòd hoc non ſequitur in cognitione diſtincta, quia in diſtincta cognitione ſpeciei ſpecialiſſimæ requiritur cognitio diſtincta plurium partium ipſam conſtituentium; ideò oportet, quòd intellectus prius illas cognoſcat diſtinctè, deinde cognoſcet ſpeciem ſpecialiſſimam. *Solu.*

Vndè ad tollendum hoc effugium, poteſt ſic formari ratio, Cauſæ naturales, & naturaliter agentes, & non impeditæ, primò producunt effectum nobiliorem, quẽ abſolutè poſſunt in illo ordine effectuum,

quem

quæ prius naturaliter natæ ſunt habere, quando natæ ſunt habere varios ordines naturaliter ordinatos: ſed ſic eſt: quòd cauſæ producentes intellectionem, ſunt naturales,& naturaliter agunt,& nō ſunt impeditæ,& naturaliter natæ ſunt producere prius ordinem cognitionis confuſæ, quàm diſtinctæ, ergo iſtæ primo producunt effectum nobiliorem, quem abſolutè poſsunt in illo ordine, at ille conceptus eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, ergo ſpecies ſpecialiſſima eſt primū cognitū.

Reſponſiones recentiorum ad alia argumenta Scoti, non egent noua confutatione, ſunt enim illæmet, quæ ibi reijciuntur.

Ad rōnē Ocha. Ad Ocham: qui dicebat, quod hæc ratio probat, quòd ſingulare eſt primum cognitum,& quòd ideo hæc ratio facit pro eo: pro nunc reſpondeo, quod hæc ratio probat illud eſſe primum cognitum ab intellectu, quod ab eodem intellectu intelligi poteſt:ſed ſingulare non poteſt cognoſci ab intellectu, pro hoc ſtatu, vt in proprio quæſito oſtendam, ideò nihil habet Ocham aduerſus Scotum, & pro ſe, ex hac ratione.

Adducuntur obiectiones contra alias rationes Scoti,& reijciuntur. Cap. IV.

Reſp. Caie. AD ſecundam rationem Reſpondet Caietanus, quod ipſi non dicunt, quòd primum cognitū ſint termini Metaphyſicales, qui ſunt cōmuniſſimi, quia iſti fiunt per maximam abſtractionem; ſed inquiunt, quod ſignificatum entis cōcreti, id eſt, quidditatis ſenſibilis particularis, eſt primum cognitum. Hęc ſunt verba eius: Puto quòd velit dicere, quod illud concretum particulare, & quidditas particularis, includit in ſe ens:& quòd ille conceptus entis in illo particulari incluſus, eſt primum cognitum, non vt eſt abſtractum, ſed vt eſt in illo concreto. *Obiectio.* Sed optimè hoc confutat Lichetus: nam quæro de illo conceptu entis? vel eſt abſtractus ab illo particulari, & tunc eſt ille, qui eſt conceptus Metaphyſicalis; vel eſt conceptus particularis, vt contradiſtinguitur ab illo vniuerſali,& tunc ſingulare erit primo cognitum, non magis vniuerſale, & hoc eſt per ſe euidens; manet enim in ſuo robore ratio Scoti.

Reſp. Zab. Alij reſpondent aliter, inquit Zabarella, quæro à te Scote, an ſcientiæ debeant ordinari ſecundum cognitionem diſtinctam, vel confuſam? ſi dicas, quod ſecundum cognitionem diſtinctam, vt dicendum eſt, ergo Metaphyſica debet poni in primo loco; quia ſecundum ſe, Metaphyſica eſt prima cognitione diſtincta, & ſic argumentum eſt contra te; Si verò dicas, ſecundum cognitionem confuſam debere ordinari ſcientias, ergo minus communes deberent præcedere,& ſic libri de Cęlo,& Mundo,& libri de Anima, deberent præcedere libros Phyſicorū, quod eſt manifeſtè falſum; & ſic argumentum habet maxima abſurda: quia ſi ordine doctrinæ illud eſt vltimum, quod eſt de vniuerſalioribus, ergo illud erit primum, quod eſt de minus vniuerſalibus, ergo libri de Animalibus, & cæteri, eſſent priores libris de Phyſico auditu, quod eſt abſurdum.

Reijcitur. Hæc obiectio Zabarellæ nulla eſt: quia procedit ex falſo fundamento, ſcilicet, quod ſcientiæ ſemper debeant ordinari ordine compoſitiuo, quod eſt falſum, vt diximus in quæſtione de ordine doctrinæ in Logicis Theorematibus: nam ordo doctrinæ non reſpicit noſtram cognitionem diſtinctam, vel confuſam. Vnde Ariſtot. 5. Metaphyſices, tex. 1. dixit, quod ordine doctrinæ illud eſt primum, vnde quis facilius addiſcit, nō appoſuit diſtinctius, & ideò videmus Ariſtot. aliquando præponere minus vniuerſalia magis vniuerſalibus, vt fecit in primo Phyſicorū, vbi prius egit de principijs corporis generabilis, quàm de principijs corporis naturalis, & tamen principia corporis naturalis ſunt magis vniuerſalia; hoc autem fecit propter noſtram faciliorem cognitionem, vt fatetur ipſemet Zabarella in libro de Cōſtitutione philoſophiæ naturalis; non ergo eſt de eſsentia ordinis doctrinæ, vt incipiat ſemper à magis vniuerſalibus, & notioribus nobis cognitione diſtincta, ſed quandoque ab vniuerſalibus, quādoque à minus vniuerſalibus, & notis nobis cognitione confuſa, prout nos facilius res addiſcere poſsumus. Hinc eſt, quod Ariſtoteles in ordinandis ſcientijs præpoſuit Phyſi-

Phyſicam Metaphyſicæ; quia eſt de rebus facilioribus cognitu nobis, vnde his cognitis, facilius res Metaphyſicales addiſcimus: præpoſuit deinde in philoſophia naturali libros de Phyſico auditu libris de Animalibus, quia hoc noſtra facilior cognitio expoſtulat; è conuerſo, præpoſuit libros de Animalibus, plantis, quæ ſunt vniuerſaliores, quia hoc expoſtulabat noſtra facilior cognitio. Argumentum ergo Scoti habet maximam vim, quia ex eo, quod Ariſt. primo loco poſuit ſcientias minus vniuerſales, quia eius termini ſunt faciliores cognitu, elicitur, quod minus vniuerſale priori loco cognoſcitur, & ſic minus vniuerſale eſt primo cognitum, non magis vniuerſale.

Ad 3. Ad tertium. Caietanus reſpondet dupliciter; Primò, quod ſufficit, quod primo cognoſcat, quod eſt ens: quia in hoc continentur virtualiter omnes conceptus, ideò hoc habito, ſtatim cognoſcit ſingulare.

Præterea inquit, quod inter hos conceptus non datur ordo eſſentialis, ideò non eſt opus quod ſingulos concipiat.

Reijcitur. Sed profecto eſt ridiculum hoc: quia ratio Caietani adducta contra primam ratioñe Scoti, dicebat, quod natura procedit ab imperfectioribus ad perfecta, & quod magis vniuerſalia erant imperfectiora, ergo neceſſario debet gradatim procedere à cognitione magis confuſi ad minus confuſum, & ſic vſque ad ſpeciem ſpecialiſſimam, quam ſine his medijs cognoſcere non poteſt; immò ſoluendo rationem primam Scoti, dicebat, quod non poteſt intellectus primo cognoſcere ſpeciem, quia requiritur cognitio generum, & ſpecierum, quæ præcedunt in Prædicamento, ergo debet ordinatim procedere, ergo ſibimet contradicit, nec ſoluit rationem.

Reſp. Zab. Ideò Zabarella, & alij reſpondẽt, quod argumentum hoc eſt cõtra Scotum: quia ſic dicet Thomiſta, ergo maxima diſtantia temporis erit ab intelligentia ſpeciei ad cognitionem vniuerſalis, quod tamen cognoſcimus cito. *Reijcitur.* Contra, concedo, quod non ita cito cognoſcimus magis vniuerſale ſicut ſingulare, quia cum video ſingulare aliquod, quod ſit in debita diſpoſitione, ſtatim cognoſco, & diſtinguo illud ab alijs ſingularibus antequam faciã illas abſtractiones de diuerſis conceptibus magis vniuerſalibus: Ex hoc autem ſequitur, quod prius cognoſco ſingulare ſub conceptu minus vniuerſali, quam magis vniuerſali, ergo ſi ſolum cognoſcerem, quod eſt ens, neſcirem diſtinguere illud ſtatim ab alijs rebus ſingularibus; quia hic conceptus entis non eſt diſtinctiuus, ſed cauſa conuenientiæ, & ſic aufero totam illam longam verboſitatem, qua laborant retorquere argumentum contra Scotum, quem dicere aiunt, quòd non eſt neceſſe, quod in aſcendendo à ſpecie ad magis vniuerſale, cognoſcamus omnia intermedia, quod tamen Scotus non dicit; immò ſecundum Scotum intellectus percepta cognitione confuſa ſpeciei, paulatim abſtrahit conceptus vniuerſales propinquiores ei, & tãdem peruenit ad ens, deinde retrocedit in cognitione diſtincta, & à magis vniuerſali ad minus vniuerſale, & tandem ad ſpeciem ſpecialiſſimam deſcendit.

Ad 4. Reſp. Caie. Pererij, & Zab. Ad quartum Reſpondent Caietanus, Pererius, & Zabarella, quod falſum eſt, quòd facilior ſit abſtractio ſpeciei, quàm magis vniuerſalis; & licet diuerſis verbis vtantur, tamen in hunc ſenſum conueniunt, quia licet ordine Prædicamentali ſpecies ſpecialiſsima ſit proximior sẽſui, tamen hoc non ſic ſe habet reſpectu cognitionis, ſed ſpecies generum communiorum ſunt propinquiores ſenſibus, vt ſpecies corporis, & animalis, nam corpus vt genus eſt, verum eſt, quod eſt longius: ſed vt indiuiduum, & vt hoc corpus, eſt in rebus, & eſt ſingulare, & hoc modo magis mouet ſenſum, & ſic intellectus facilius poteſt abſtrahere conceptum corporis, quàm hominis. Similiter Zabarella in hoc coincidit; quia inquit, ille ordo Categoriarum non ſeruatur neceſſariò in ordine intelligendi, quia non ſemper à ſpecie ſpecialiſſima, ſed ab indiuiduis generum, vt nũc dixi, incipimus, & ſic fit prius abſtractio magis vniuerſalis, quam ſpeciei ſpecialiſſimę. *Reijcitur.* Sed falſitas huius reſpõſionis conuincitur multis; Primò falſum eſt, quod indiuiduũ generis moueat per ſe ſolum: quia vt habetur 1. Metaph. in proęmio, natura ſpecifica ſola eſt quæ

mouet

mouet ſenſum, vt ego in proprio quæſito dicam, non genus, neque ſingularitas. Sed hoc omiſſo, patet falſitas etiam huius reſponſionis, ex his quæ dicta ſunt in ratione: quoniam nunquam offertur ſenſui noſtro indiuiduum generis ſine indiuiduo ſpeciei: immò ſi offertur indiuiduum generis, offeruntur mediante indiuiduo ſpeciei: & hoc eſt clarius, quàm quod probare valeam: certum eſt enim, quòd ſenſus noſter ſolum intuetur ſingularia ſenſibilia: eſt autem impoſſibile, quod detur aliquod ſingulare ſenſibile, quod non ſit alicuius determinati generis, & non alicuius determinatæ ſpeciei: quomodo poterit præſentari ergo ſenſui noſtro indiuiduum generis ſine indiuiduo ſpeciei, & conſequenter intellectui, ſi non datur indiuiduum generis denudatum ab indiuiduo ſpeciei? indiuiduum ergo ſenſibile, quòd offertur ſenſui, eſt alicuius determinatæ ſpeciei, & ſic in ſe continet ſpeciem, & conſequenter omnia genera ſuperiora: ſed illa natura ſpecifica eſt propinquior ſingularitati, & conſequēter ſenſui, quàm natura generis, nedū in arbore Prædicamentali, ſed ſecundum rem ipſam, ergo. Conſtat etiam, quod arbor Prædicamentalis eſt ordinata ſecundum ordinem naturalem conceptuum, alioquin Porphyr. & Ariſt. malè Prædicamenta ordinaſſent; & certè negare, quod indiuiduum generis, non magis diſtet à ſingulari ſenſibili, quàm indiuiduum ſpeciei, non eſt ingenui Philoſophi. Quæ ergo ratio perſuadere poterit, quod ſenſus moueatur à conceptu minus ſenſibili, & non à magis ſenſibili, & minus abſtracto. Præterea, cum offertur ſingulare phantaſma ſenſui, & conſequenter intellectui, in ſeipſo claudit omnes conceptus, tam magis vniuerſales, quam minus vniuerſales: quia exempli gratia, Socrates eſt homo, eſt animal, eſt ſubſtantia, & eſt ens, omnes iſti conceptus ſunt naturaliter intelligibiles, & ſic aggregati in illo indiuiduo mouent omnes ſimul intellectum, quia hic motus eſt naturalis, & ſic colligati ſimul, cum omnes moueant, omnes percipiuntur ab intellectu, (qui quoque naturaliter agit) eo modo quo poteſt, non enim tunc diſcernit hoc, ab alio, quia hoc facit poſtea in cognitione diſtincta potius per imperium voluntatis: omnes autem iſti conceptus ſimul congregati, ſunt conceptus integri ſpeciei ſpecialiſſimæ: quia illa claudit in ſe omnia ſuperiora, ergo conceptus ſpeciei ſic confuſus, eſt primum cognitum; quòd ſi dicas non omnes mouent ſimul, ſed magis vnus, quàm alter, hoc eſt falſum: quia cum naturaliter agant, omnes quoque mouent, licet poſtea vnus magis, quàm alius; hoc nihil refert: tamen admiſſo illo, dico quòd ille cōceptus magis mouebit, quia erit magis ſenſibilis; ſed ille eſt magis ſenſibilis, quia magis appropinquat ſingularitati, ex Ariſt. primo Poſt. tex. 12. hic autem eſt cōceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, ergo non cōceptus generis magis remoti, ſed cōcept⁹ ſpeciei ſpecialiſſimæ eſt primū cognitū.

Recentiores verò quidam reſpondent, hoc argumentum cōcludere de cognitione abſtractiua, & habituali, nō de ſimplici apprehenſione, & originaria, de qua dicūt ſe intelligere propoſitam quæſtionē: quia inquiunt, pueri cū primò cōcipiunt animal, non abſtrahunt illud à boue, leone, &c. ſed ſimpliciter illud apprehēdūt. Contra, Omnis cognitio vniuerſalium eſt abſtractiua, ergo cognitio, quā habet puer de animali, eſt abſtractiua. Præterea, animalis conceptus differt à conceptu ſingularis indiuidui: ergo dum puer concipit animal, neceſſariò abſtrahit à ſingulari, quia eſt diuerſus à conceptu ſingularis. Præterea, puer cū primo apprehendit animal, non videt animal ſeiunctum à ſpecieb⁹, nec videt ſimul multas ſpecies, ſed vnā, nec plura indiuidua ſimul, ſed vnū, in quo apprehendit ſimul conceptum animalis, & hominis, & huius hominis: at cōceptus animalis cum aggregatione conceptus ſpeciei, & ſingularis vagi, eſt conceptus confuſus ſpeciei, vt patet, non generis tantum, ergo prima apprehenſione puer originaliter apprehendit ſpeciem ſpecialiſſimam, vt ſupra arguebamus.

Adducitur opinio Gregorij Ocham, Durādi, Piccolominei, Zabarellæ, & multorū aliorum, cum ſuis fundamentis. Cap. V.

NVnc aliorum opiniones examinādæ ſunt: rationes enim pro comprobatione

tione aliarum opinionum, militant aduerſus hanc opinionem Scoti, ideò videndum eſt, quid roboris in ſe contineat. Notandum eſt, quod aliqui ita diſtinguunt in præſenti materia: poſſumus comparare ſingulare ad vniuerſale, & tunc multi dicunt, quod ſingulare eſt prius cognitum; Vel poſſumus facere comparationem inter magis vniuerſale, & minus vniuerſale, & tunc aliqui dicunt, quòd minus vniuerſale eſt primo cognitum; Aliqui verò dicunt, quod primo cognitum eſt magis vniuerſale: nos autem primo adducemus opinionem exiſtimantium ſingulare eſſe primo cognitum, deinde opinionem eorum, qui dicunt eſſe magis vniuerſale, & aliorum, ſi qui adderunt.

Prima opin. Prima opinio eſt Gregorij Arimin. Ocham, Durādi, Frācifci Piccolominei lib. 1. de Humana mente, cap. 15. Zabarellæ, Pererij, Burlæi, & multorum aliorum, hi omnes dicunt, quòd primum cognitum ab intellectu noſtro eſt ſingulare.

1. rō. Prima ratio eſt Gregorij 1. Sent. d. 3. q. 3. artic. 2. & Zabarellæ lib. 30. ſuæ Philoſophiæ, qui inſcribitur de Ordine intelligendi, cap. 5. quæ etiam adducitur ab omnibus ſectatoribus huius opinionis. Potentia abſtrahens aliquem conceptum ab aliquo, neceſſariò prius cognoſcit illud, a quo abſtrahit, quàm abſtractum; ſed ſic eſt, quòd intellectus abſtrahit à ſingularibus vniuerſale, ergo prius cognoſcit ſingulare, quàm vniuerſale; Maior patet ex ſe; quia quomodo poterit intellectus abſtrahere aliquem conceptum ab aliquo, niſi illud prius cognoſcat? nam tunc ab aſino ſingulari poſſet quis abſtrahere conceptum leonis, niſi cognoſceret ſingulare; Minor probatur ex communi omnium ſententia; & ex dictis ipſius Ariſtotelis pluribus in locis, & maximè in 2. Poſt. cap. vltimo, vbi dicit, quòd ex multis experimentis generatur Ars, & ſcientia; at experientia eſt circa ſingularia: præterea omnes concedunt, quod intellectus comparando pluria ſingularia ad inuicem, ex illis abſtrahit communem conceptum, & facit vniuerſale.

2. Secundò Ariſtot. docet, omnem noſtram ſcientiam pendere ex cognitione principiorum, & principia ex cognitione ſingularium, per inductionem, ergo prius ab intellectu cognoſcitur ſingulare.

Tertiò, Illud prius cognoſcitur ab intellectu, quod facilius cognoſcitur, ſed ſingulare facilius cognoſcitur, ergo. Minor probatur: quia ſingulare eſt quodam modo confuſum, & confuſum facilius cognoſcitur, 1. Phyſicorum, textu 3. ab intellectu, tum, quia videmus, quòd non niſi viri docti cognoſcunt vniuerſalia, & niſi per cognitionem maximam ſingularium; tum quia ſingulare eſt propinquum ſenſibus, hæc autem ex Ariſtot. 1. Poſt. c. 2. ſunt notiora, ergo. 3.

Quartò, Hoc ſignificatur Ariſt. in 10. textu 3. de Anima, dum dixit, intellectum cognoſcere carnem, & ſingulare per ſolam motionem à ſenſu factam; quidditatem verò, & vniuerſale non niſi ope intellectus agentis illuſtrantis phantaſma, & hoc atteſtatur, quòd ſubiungit de linea recta, & flexa, quā manifeſtum eſt legentibus eum locum, cognitionem ſingularis comparari cum linea recta, & vniuerſalis cum flexa: quia ſingulare recta linea fertur à phantaſia ad intellectum; ſed vniuerſale linea flexa, ſcilicet, per reflexionem luminis intellectus agentis illuſtrantis phantaſma; dum enim à phantaſia, in quam proijcitur, reflectitur illud lumen ad intellectum, intellectus cognoſcit vniuerſale. 4.

Quintò. Hoc probatur ex ordine facultatum animæ, quia ibi deſinit inferior potentia, vbi incipit ſuperior: at ſenſus exterior deſinit in ſingulari præſente, phantaſia verò verſatur circa ſingulare præſens, deinde abſens, intellectus autem mouetur à phantaſia imaginante actu ſingulare, ergo intellectus primo cognoſcit ſingulare. 5.

Sextò, Intellectus eſt potentia paſſiua, & non actiua, ergo primum obiectum, quod intelligit, non poteſt ab ipſo intellectu fingi, nec fabricari, ergo intellectus primo res extra animam intelligit: at ſolum ſingularia, & non vniuerſalia ſunt extra animam, ergo prius ſingularia, quàm vniuerſalia intelligit. 6.

Septimò, Ocham ſic arguit; Certum eſt

quòd

quòd ſingulare cognoſcitur ab intellectu, ſi ergo non primo cognoſcitur, hoc erit, quia non poteſt cognoſci per ſe, ſed ſolum per conceptum ſpeciei ſpecialiſſimę, vel vniuerſalis:ſed hoc eſt falsũ: quia ſingulare non poteſt diſtinctè concipi per cõceptum ſpeciei, & vniuerſalis:quia illa indifferenter ſe habent ad omnia ſingularia,& ſic confusè, & non diſtinctè continet quodlibet ſingulare.

8. Octauo, Si vniuerſale eſt primo cognitum,aut prima notitia illius eſſet,qua cognoſceretur,vt ſignum rerum extra, aut qua cognoſceretur,vt quædam res ſecundum ſe:ſed primum eſt impoſsibile: quia ſignum eſt alicuius rei ſignum,& ſic notitia ſigni,præſupponit notitiam ſignati; ſi dicatur ſecundum,tunc, cum vniuerſale ſit quædã res particularis,licet ſignificet, vt vniuerſale;& plura,ſequitur,quòd ſingulare erit primum cognitum.

9. Nonò,Ponentes vniuerſale eſſe primo cognitum,hoc faciunt, vt per vniuerſale cognoſcamus ſingularia : ſed hoc nihil prodeſt,quia per vniuerſale nõ poſſumus cognoſcere ſingulare, quia vniuerſale repræſentat omnia indiſtinctè ſingularia,ſicut eſt etiam indifferens ad omnia ſingularia,ſed diſtinctè nullum, non ergo per conceptum vniuerſalis poſſumus cognoſcere ſingulare.

10. Decimò, Prius cognoſcitur ſingulare mere intelligibile, vt intellectio, & volitio,quàm vniuerſale illi commune, ergo. Antecedens patet:quia quilibet groſsus, & rudis nouit per proprium intellectum ſuam volitionem determinatè, qua vult aliquam rem ſingularem, & tamen conſtat quod talis non habet aliquẽ conceptum vniuerſalem ſpecificum proprium illi:quia hoc eſt ſolum virorum ſapientũ; Conſequentia probatur : quia ſingulare ſenſibile eſt intelligibile ab intellectu,ergo eſt eadem ratio de illo, quæ eſt de alijs ſingularibus:ſed ſingulare intelligibile prius cognoſcitur, quàm vniuerſale ſibi commune,ergo.

11. Vndecimò, Quidam alij ſic arguunt. Prior eſt cognitio directa, quàm reflexa: ſed intellectus cognoſcit ſingulare,& quę ſunt extra animam directè, ea verò,quæ ſunt in anima,reflexè, ergo ſingulare eſt primum cognitum.

Duodecimo,Intellectus imponit nomina rebus:at nomina imponuntur prius ſingularibus quàm vniuerſalibus,ergo. 12.

Decimotertiò,Ariſtot.in 1. de Anima, ait,quòd vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius eſt:cum ergo vniuerſale, & ordine naturæ, & ſecundum nos, poſterius quid ſit,non eſt inconueniens, quòd etiam ſit poſterius cognitum, & ſic ſingulare erit primum cognitum. 13.

Decimoquartò . Tandem intellectus practicus ſecundum nos eſt prior ſpeculatiuo, quia neceſſitas, vel etiam voluptas rerum,quæ pertinent ad humanæ vitæ, & ciuilis ſocietatis conuerſationem, cogunt nos prius occupare mentem noſtrã in actionibus,quàm in ſpeculationibus : ſed hic eſt, quod actiones practicæ ſunt circa ſingularia,non vniuerſalia,ergo his rationibus moti, quidã dicunt, quod ſingulare magis ſenſatum,vt accidentia corporis,ſcilicet,figura,qualitas,&c.ſunt primo cognita, habes alias rationes infra in Theoremate, quod ſingulare non cognoſcitur ſub proprio conceptu ſingularitatis pro hoc ſtatu. 14. *Pererius.*

Prædicta opinio impugnatur, & rationes pro ea ſoluuntur. Cap. VI.

VErum hic eſt notandum, quod ſingulare cognoſci à nobis pro hoc ſtatu, qui ſolus notus fuit Ariſtoteli, poteſt intelligi duobus modis; Vel cognitione intuitiua,vel abſtractiua; ſi Aduerſarij intelligerent de cognitione intuitiua, eſsent cũ Scoto, quia vt in ſequenti Theoremate manifeſtabitur, Scotus ſuſtinet, quod intellectus cognoſcit ſingulare intuitiua cognitione, & hæc eſt prima cognitione intellectus: ſed ſi intelligant de cognitione abſtractiua, eſt falſa: & quia in hoc ſenſu loquuntur iſti,eorum opinio non eſt ſuſtinenda:quia, vt oſtendam in ſequenti Theoremate,ſingulare licet per ſe, & ſub conceptu ſingulari ſit cognoſcibile cognitione abſtractiua, non tamen pro hoc ſtatu poteſt cognoſci ſub proprio conceptu ſingulari : ſed cognoſcitur ſolum ſub conceptu vniuerſalis, & determinatio; conceptus, quem poſſimus pro *Notãdum.*

hoc ſtatu habere de ſingulari; eſt conceptus ſpeciei cum ſigno particulari; vt determinatior conceptus, quem poſſim habere de Socrate, eſt, quod eſt hic homo: ſed proprius conceptus ſingularis Socratis nõ poteſt haberi, vt puta non poſſum cognoſcere differentiam ſubſtantialem indiuidualem, qua differt Socrates à Platone, & à Socrate, veluti facio in homine, quia cognoſco hominem ſub proprio conceptu ſuo, quo diſtinguitur ab alijs ſpeciebus, vt à boue, aſino, &c. ſed de Frãciſco non poſſum ſcire magis proprium conceptum, quàm conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſcilicet, quòd eſt animal rationale; modo conceptus, Hic, eſt conceptus ſpeciei, id eſt hominis, dum ergo cognoſco, quod Socrates eſt animal rationale, ſiue homo, non cognoſco Socratem ſub conceptu ſingulari, ſed ſub conceptu ſpeciei, & ſic ſingulare eſt primum cognitum, non eſt autem primum cognitum ſub conceptu ſingulari, ſed ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſsimæ, adeo, quod primus conceptus, qui recipitur in intellectu de aliquo ſingulari, non eſt conceptus ſingularis vt ſingulare, ſed eſt conceptus ſpeciei, & ſic iure Scotus dixit, primum cognitum eſſe conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ, ſiue ſpeciem ſpecialiſsimam, quod idem eſt, quia ſpecies ſpecialiſsima, & conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ idem ſunt: Hoc autem diligentius in ſequenti Theoremate declarabitur, & probabitur.

Ex hoc fundamento patet falſitas huius opinionis; & ex eodem patet ſolutio ad omnes rationes. Formemus ergo hanc diſtinctionem pro reſponſione formali ad argumenta. Singulare duobus modis cognoſci poteſt; Vel ſub proprio conceptu ſingularitatis; vel ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimæ; Primo modo non poteſt cognoſci, & conſequenter ſingulare propriè non poteſt eſſe primum cognitum. Secundo modo concedo, quod cognoſcitur, & quod eſt primum cognitum; ſed hoc dicere, eſt dicere ſpeciem ſpecialiſſimam, vel conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ eſſe primum cognitum, vt declarauimus: quia conceptus, quem percipit intellectus de ſingulari, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, non ſingularis.

Ad primum argumentum. Ad primum argumentum, pro nunc dico ad Maiorem, quod potentia abſtrahens aliquem cõceptum ab aliquo, prior illud cognoſcit, &c. eſt vera hac conditione, ſcilicet, eo modo, quo poteſt: nõ enim eſt vera abſolutè, quod potentia abſtrahens aliquem conceptum ab aliqua re perfectè, & ſecundum propriam quidditatem rem illam, à qua abſtrahit conceptum, cognoſcat: & ſic dico, quod intellectus dum abſtrahit à ſingulari vniuerſalem conceptum, cognoſcit ſingulare, ſed eo modo quo poteſt: at patet ſolum illud intelligere ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimę, ideò argumentum eſt pro me.

Ad 2. Ad ſecundum. Per eandem reſponſionem ſatisfacio; quia intellectus quidem cognoſcit ſingulare, ſed ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt dictum eſt.

Ad 3. Ad tertium. Dico, quod immò ſingulare eſt difficilimum cognitu, vt oſtendemus: quia non poteſt cognoſci ſub proprio conceptu ſingulari, ſed ſolum cognoſcitur ſub conceptu vniuerſali: facilior autem conceptus cognitu, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ: ideò cum dicitur ſingulare eſſe facile cognitu, intelligitur eo modo, quo poteſt intelligi, & per hoc patet ad illas tres ſuas probationes.

Ad 4. Ad quartum Zabarellæ dico, quod Ariſt. ait in illo 10. textu 3. de Anima, quod intellectus cognoſcit ſingulare adminiculo ſenſus, & vniuerſale ſeipſo: ſed non dicit, quòd cognoſcat illud ſub ratione ſingularis; Ad id de linea flexa dico, quod Ariſt. ait, quod intellectus in intelligendo ſingulare, ſe habet veluti linea flexa: in intelligendo vniuerſale, ſe habet veluti linea recta; & quod hoc ſit verum, hæc ſunt verba textu. [*Senſitiuo, quidem igitur calidum, & frigidum indicat, & quorum ratio, quædam caro, alio autem aut ſeparato, aut ſicut circumflexa linea ſe habet ad ipſam cum extenſa ſit, carnis eſſe diſcernit.*] Ex his verbis clarum eſt quod ait, intellectum ſenſitiuo cognoſcere calidum, & frigidum, & quorum ratio quędam caro eſt, id eſt ſingulare, & deinde ſubinfert; alio autem aut ſeparato, aut ſe ipſo habente ſicut circumflexa linea ad ſeipſum cũ extenſa ſit, carnis eſſe cognoſcit, clarum

eſt, quòd

eſt,quòd ait intellectum cognoſcere quidditatem,& eſſe carnis aliqua facultate ſeparata vel ſeipſo, ſed in hac cognitione ſe habere ad ſeipſum,vti linea circumflexa, quando eſt extenſa:ecce, quod ait,quod intellectus ſe habet in cognitione vniuerſalis,vt linea flexa, ſed non quatenus eſt flexa,ſed quatenus eſt exenſa, ergo vult, quod intellectus cognoſcat vniuerſale, linea recta,& non flexa. & ex hoc patet verus intellectus illius textus; comparat enim Ariſtotel.cognitionem intellectus de ſingulari lineę flexæ, quia in prima intellęctione, cum ſingulare offertur à phantaſia intellectui, mouet ipſum intellectũ, & tunc intellectus reflexit ſe ſupra ſingulare, vt illud cognoſcat, & ſic in illo cognoſcendo ſe habet vt linea flexa: in cognitione vero vniuerſalis ſe habeat, vt linea recta,quia facta hac reflexione,redit ad cognoſcendum vniuerſale, & ſic quaſi,vt linea, quæ prius erat flexa, extenditur, & de directo poſtea intelligit vniuerſale,& ideo ait, quòd intellectus ſe habet in intellectione vniuerſalis, veluti linea circumflexa, cum fuerit extenſa, in illla autem reflexione, quæ fit in cognitione ſingularis,eget ſenſu, & laborat, vt cognoſcat ſingulare ſub proprio conceptu, & cum non poſſit, cognoſcit, & apprehendit ſub propinquiore conceptu, quẽ poteſt, vt eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ. *Alia reſp.* Vel dicas,quod ibi concludit intellectum cognoſcere ſingulare adminiculo ſenſus cognitione intuitiua, non abſtractiua, & hæc expoſitio eſt magis conſona textui.

Ad 5. Ad quintum. Concedo, quòd intellectus incipit à ſingulari in cognitione, ſed tamen nego, quòd ipſum cognoſcat ſub proprio conceptu ſingularitatis.

Ad 6. Ad ſextum. Nego, quòd intellectus ſit tantum potentia paſſiua,vt in proprio loco declarabitur: adeſt enim intellectus agens, cuius eſt omnia facere,hic facit vniuerſale, quod poſtea percipitur ab intellectu poſſibili.

Ad 7. Ad ſeptimum. Iam dictum eſt, quòd ſingulare non poteſt diſtinctè cognoſci ſub proprio conceptu ſingulari, ſed ſolum modo cognoſcitur ſub conceptu vniuerſali, ideò quod habet ipſe pro abſurdo, non eſt re vera abſurdum, vt ipſe ſupponit; Cum verò ait, intellectus nõ poterit diſtinguere vnum ſingulare ab altero, patebit Theoremate 86.

Ad 8. Ad octauum reſpondeo,& dico, quod hoc argumentum nil aliud concludit,niſi quod intellectus primo ſimul non poteſt intelligere plura, ſed vnum ſolum,& conſequenter intelligit vniuerſale, non vt eſt plura, vel ſignum plurium, ſed vt eſt vnum,& dicit vnum conceptum, & hoc nos concedimus; dicimus enim, quod cum ſingulare offertur intellectu,intellectus in ſeipſo primo cognoſcit conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ, qui eſt vnus, ſed vnus conceptus communis pluribus, ex hoc autem non ſequitur, vt cognoſcat illud ſecundum quod eſt res ſingularis.

Ad 9. A nonum, Dictum eſt,quomodo ſub conceptu vniuerſalis cognoſcimus ſingulare,& clarius infrà dicetur: non enim vniuerſale cognoſcitur ſub vna ſpecie, in ſingulari ſub alia ſpecie, vt iſti ſupponunt: ſed offertur phãtaſma ſingulare in tellectui; intellectus autem in illo primo intelligit conceptum, quem habere poteſt, non poteſt autem habere conceptum ſingularem, & particularem, ideò percipit, & intelligit eum conceptum vniuerſalem, quem habere poteſt: hic eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ, circa quem minus laborat. *Ad 10.* Ad Decimum. Similiter concedo,quòd intellectus primo percipit ſingulare, ſed nego, quod Illud cognoſcat,& percipiat ſub conceptu ſingulari. Vnde ſi quęratur à ruſtico, quid ſit illa volitio, non ſciet adducere conceptum ſingularem, ſed aſſignabit conceptum vniuerſalem,vt puta quod eſt quoddam deſiderium, & appetitus; ecce, quod non cognoſcit primo ſingularem conceptum, immo nunquam aliquis pro hoc ſtatu hunc conceptum particularem cognoſcet. *Ad 11.* Ad vndecimum, Dictum eſt quomodo ſingulare directè, vel reflexè cognoſcatur ſupra ad quartum.

Ad 12. Ad duodecimum. Dico,quod hoc facit,quia cognoſcit ſigulare, non ſub conceptu ſingulari,ſed vniuerſali; Vnde videmus, quod præter ſingularia ſpeciei huma-

humanæ, ſingularia aliarum ſpecierum non habent nomen impoſitum particulare, ſed ſolum habent nomina ſpecierum, & indiuiduis humanæ ſpeciei imponimus nomina particularia, non quia cognoſcamus conceptum particularem huius, vel illius, ſed quia cognoſcimus conceptũ ſpeciei in illo particulari, vt quòd hoc particulare eſt animal rationale, & vltra cognoſcimus, quaſdam differentias accidentales, ex indiuiduatione particulari prouenientes, vt eſt figura, forma, patria, Pater, &c. & propter has huic particulari imponimus hoc nomen particulare Antonius, &c. quod denotant nobis hunc hominem particularem habentem humanitatem, & illa accidentia propria: attamen non cognoſcimus particu-

Ad 13. larem eſſentiam eius, vt eſt ſingulare. Ad decimumtertium dicò, quod vniuerſale eſt poſterius, quia formatur, & fit ab intellectu agente, vt dicam in Theoremate de munere intellectus agentis, & poſt quam eſt formatum, intelligitur, & ante ipſius formationem nihil intelligitur, nec ſingu-

Ad 14. lare, nec vniuerſale. Ad decimum quartum dico, quòd praxis, & operatio practica re vera eſt circa particularia, immo ſolum circa particularia, & ſic cognitio practica ſe extendit ad ſingularia, non tamen ſequitur, quod cognoſcat ſingularia ſub proprio conceptu ſingulari, ſed ſufficit ſi cognoſcat eo modo quo poteſt: non poteſt autem niſi ſub conceptu vniuerſalis, & cum accidentibus illis particularibus proprijs, quæ gerunt vicem proprij conceptus particularis: & ita ratio nihil concludit. Iſta autem diſtinctio, ſuper qua innititur ſolutio omnium ferè iſtorũ rationum, in Theoremate ſequenti magis confirmabitur.

Exponitur opinio D. Th. & aliquorũ aliorum cum ſuis fundamentis. Cap. VII.

Opin. Thomiſtarum. POſitio eſt D. Thomæ prima parte Sũmæ, q. 85. artic. 3. & in Proœmio Phyſicæ auſcultationis, & in libro de Ente, & eſſentia, & Caietani libro de Ente, & eſſentia, quæſtione 1. & omnium Thomiſtarum, qui dicunt omnes, quòd primum

1. rõ. cognitum eſt magis vniuerſale, vt ens. Pro D. Thoma ſic arguit Caietanus. Conceptus imperfectiſſimus omnium eſt primus via originis, ſed conceptus entis eſt imperfectiſſimus omnium, ergo. Maior probatur ex Ariſtot. 9. Metaph. vbi dicit, quod imperfectiora ſunt priora via generationis, & perfectiora ſunt poſteriora origine; Minor probatur: quia omnis alius cõceptus addit aliquid ſupra ipſum ens: at quod addit alicui, ſe habet vt totum reſpectu illius, & illud aliud, vt pars, ergo conceptus alius reſpectu entis ſe habet, vt totum, & ens vt pars; ergo alius conceptus eſt perfectior. Secunda ratio, Co- 2. rõ.
gnitio primorum principiorum eſt prima cognitio complexa, ergo cognitio terminorum primorum principiorum, eſt prima cognitio incomplexa: Antecedens patet: quia notitia principiorum præſupponitur apud omnes, & omnes prima principia concedunt, & ſunt nota per ſe; Conſequentia probatur: quia termini debent eſſe noti, ſi velimus cognoſcere prima principia, quia terminus cognitis cognoſcuntur principia; at inter terminos ex quibus principium primum conflatur, eſt ens, ergo in cognitione incomplexa primum cognitum eſt ens.

Tertia, Arguunt alij ex Ariſt. 1. Phyſi- 3.
corum, tex. 3. ſunt nobis notiora confuſa magis: at confuſiora ſunt magis vniuerſalia, quia plura continent, quàm ſingularia, & continent in potentia, & non in actu, quæ eſt cauſa maioris confuſionis, ergo ens eſt primum cognitum.

Quarta. Per exemplum illius, qui à lon- 4.
ge conſpicitur, quia primo videtur ens, poſtea corpus, poſtea animal, poſtea tale animal.

Cum D. Thomæ eſt Auerroes, & Iandunus, & etiã multi Auerroiſtæ quoque videntur conſentire, & Græci omnes, & Zabarella acriter hanc ſententiam contra Scotum tuetur, vltimo lib. ſuæ Philoſophiæ, de ordine intelligendi: tenet enim, quòd comparando vniuerſale ad ſingulare, ſingulare ſit primum cognitũ, & in hoc eſt cum Gregorio, & alijs, quos ſuprà citauimus: ſed faciendo comparationem inter magis vniuerſale, & minus vniuerſale, tenet quod magis vniuerſale
ſit primum cognitum. Primum argumẽ- 1. rõ.
tum

Zab. tum ſumitur ex auctoritate Ariſt. quòd ab vniuerſalibus tamquam à notioribus nobis ad ſingularia procedere oportet, & hoc probat: quia totum notius eſt nobis ſuis partibus, & nomen circuli, quàm definitio circuli, ergo. Si quis dicat, quòd Ariſt. loquitur ibi de cognitione diſtincta, dicit, quòd ille ita reſpondens non intelligit artificium Ariſt. vnde dicit, quòd verum eſt, quod quando Ariſt. dicit ab vniuerſalioribus ad ſingularia procedendum eſſe, loquitur de cognitione diſtincta, quam cognitionem diſtinctam debet ipſe Ariſt. tradere in illis libris, quam dicit incipere ab vniuerſalibus, & tamen ad hoc probandum aſſumit hanc propoſitionem: quod vniuerſalia ſunt nobis notiora cognitione confuſa, vt patet per illas tres probationes: nam totum eſt notius ſenſu ſuis partibus, non cognitione diſtincta, ſed confuſa: nomen circuli eſt notius quàm definitio circuli cognitione confuſa: & cum pueri primo appellant omnes homines Patres, & feminas Matres, eſt cognitio confuſa, ita, quod vult, quod hoc ſit artificium Ariſtot. quod ex ordine cognitionis confuſę probet ordinem cognitionis diſtinctæ: ſicut enim nobis naturali cognitione, quæ eſt confuſa, ſunt notiora magis vniuerſalia, ſic vult, quod diſtincta cognitio incipiat ab vniuerſalioribus, & ita ars imitetur naturam, ergo ex ſententia Ariſtot. vniuerſalia ſunt nobis notiora cognitione confuſa. Secundo ex dictis Scoti ſumit argumentum, quod putat validiſſimum; Scotus dixit in quæſtione ſua ſoluendo argumentum (vt dicam) quod vniuerſalia magis, non poſſunt eſſe primum cognitum, quia ſunt difficilioris abſtractionis: accipit hoc dictum, & ſubinfert Minorem contra Scotum ſic; Illud eſt primum cognitum, quod eſt facilioris abſtractionis, ſed magis vniuerſale eſt facilioris abſtractionis, quam minus vniuerſale, ergo. Probatur Minor: quia abſtrahere eſt vnum intelligere, & relinquere alterum: at hoc eſt facilius in magis vniuerſalibus, quàm in minus vniuerſalibus, Probatur: quia minus vniuerſalia habent plures differentias actuales, quàm magis vniuerſalia, & propterea difficilius intellectus abſtrahit omnes differentias minus vniuerſales, quam illas paucas, quas habet vniuerſale magis, ergo magis vniuerſale eſt primum cognitum.

3. Tertio ſenſus oſtendunt nobis faclius ſingularia ſenſibilia magis vniuerſalium, quàm minus vniuerſalium, ergo prius à nobis cognoſcuntur magis vniuerſalia. Antecedens probatur: nam accidens corporis ſæpius offertur, quàm animalis, vt quantitas, & cum ex multis motionibus cauſetur conceptus, ſequitur, quòd prius cauſabitur conceptus de magis vniuerſalibus, quàm de minus vniuerſalibus.

Picc. Vltimò arguit Franciſcus Piccolomineus ſic. Scotus primo Metaph. quæſt. vlt. & 7. Metaph. quęſt. 15. ait, quòd primum quod percipitur, eſt ſingulare vagum, & inſuper 1. Sent. d. 3. q. 2. ait mentem in ſui cognitione ſequi ſenſum; ex his conceſſis à Scoto ita arguitur; Vt ſingulare vagum ſe habet ad diſtinctum, ita magis vagum, ad minus vagum: at ſingulare vagum cognoſcitur prius diſtinctè ſingulari, ergo magis vagum prius cognoſcitur minus vago: ſed ſingulare magis vagum, repræſentat id quòd eſt magis vniuerſale, ergo magis vniuerſale eſt aptum prius noſci, quam minus vniuerſale. Sed notandum, quòd Piccolom. quo ad hoc parum diſtat à Scoto: quia tenet, quòd ante abſtractionem, minus vniuerſale eſt primum cognitum, poſt abſtractionem verò magis vniuerſale: nos autem loquimur ſolum ante abſtractionem.

Soluuntur rationes pro Diuo Thoma, & alijs ſuperius adductis. Cap. VIII.

FAlſitas illius opinionis patet ex argumentis adductis pro opinione Scoti, & magis manifeſtatur ex ſolutione argumentorum, quæ adducta ſunt pro ea.

Ad 1. 1. reſponſio. Ad primum Caietani negatur Maior, ſcilicet, quod conceptus imperfectiſſimus ſit primus in cognitione via generationis.

Ad probationem ex Ariſt. 9. Metaph.

poſſunt eſſe variæ reſponſiones; Primo dico, quòd verum eſt, quando cauſæ ſunt impeditæ: & quia cauſæ naturales ordinariæ requirunt multas diſpoſitiones, & cõceſsas, quas ſtatim habere non poſſunt, hinc eſt quòd non ſtatim perfectiorem effectum, ſed ignobiliorem producunt: at hoc non eſt verum de cauſis, quæ concurrunt ad intellectionem, quia illæ ponuntur non impeditæ, ſed diſpoſitæ optimè, vt ſuperius diſcurſum eſt.

2. reſponſio. Secundo dico, quòd illud verum eſt in productione perfecta: & propterea ſi in propoſito concludit, concludit in ordine cognitionis diſtinctę, in qua eſt perfecta generatio, & ideo in eo ordine prius producuntur imperfectiora: & hoc pacto cõcedo, quia non eſt contra nos, ſed pro nobis: ſed in ordine cognitionis confuſæ, non valet: quia hæc eſt productio imperfecta.

Ad 2. Ad ſecundum argumentum, Reſpondeo, quòd cognitio principiorum eſt prima, ſed non abſolutè prima, ſed eſt prima in ordine diſtinctè cognoſcendi: ex quo enim homo confuſam quandam cognitionem rerum omnium habet, facit illas propoſitiones vniuerſaliſſimas, & illis aſſentitur, non autem euenit aliundè hoc, niſi quia exercitatus eſt in huiuſmodi cognitione confuſa rerum, & ita ex hac concludit, quod termini illorum principiorum ſunt primo cogniti cognitione diſtincta, non confuſa. Præterea, non valet arguere à cognitione illorum principiorum, quæ eſt complexa, ad cognitionem incomplexam, quia non ſunt ſimiles: antequàm enim habeatur cognitio complexa principiorũ, opus eſt multos terminos ſimplices cognoſcere, quoniam ex primis terminis ſimplicibus apprehenſis, non innoteſcunt principia, ſed poſt multum examen terminorum multorum: in apprehendendo autem terminos ſimplices, & conceptus ſimplices, non eſt neceſſe prius cognoſcere alios terminos, ſed hię qui ſunt ſenſibiliores, primo innoteſcunt, vt dictum eſt.

Ad 3. Ad tertium Reſpondet Scotus in ſolutione obiectionum, quas contra ſe facit, & dicit, quòd Ariſt. ibi per confuſa magis, intelligit, non vniuerſale, ſed ſingulare: nam duplex eſt confuſum; aliud actuale, vt ſingulare; aliud potentiale, vt vniuerſale. Ariſt. ibi intelligit de confuſo actuali, quod eſt ſingulare, ſiuè totum eſſentiale, quod idem eſt; & quod hoc ſit verum, confirmatur ex eo, quod habetur 1. Poſter. c. 2. textu 12. quod aliqua ſunt notiora nobis, & aliqua natura; notiora nobis, ait eſſe, quæ ſunt propinquiora ſenſibus, & notiora natura, quæ ſunt remotiora à ſenſibus: & dat exemplum de remotis à ſenſibus, vt ſunt vniuerſalia, & de propinquioribus ſenſibus, vt ſingularia; qui locus Poſteriorum declarat illum locum primi Phyſ. vt egregiè ibi docet Vicomercatus; intelligit ergo per confuſa magis, ſingularia, & hæc ſunt notiora nobis, à quibus innata eſt via nobis, vt incipiamus. At dicent, ergo Scotus ſibi contradicit: quia tunc ſequitur quòd primũ cognitum non erit ſpecies ſpecialiſſima; ſed ſingulare, quod nos negamus.

Reſpondeo, quòd iam dictum eſt, quod ſingulare cognoſcitur, ſed non cognoſcitur ſub proprio conceptu, ſed ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimæ, & quòd primus conceptus, qui offertur intellectui noſtro, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ. Cum ergo Ariſtotel. dicit, quod confuſa magis, ideſt ipſa ſingularia, ſunt notiora nobis, (intellige tu eo modo, quo poſſunt cognoſci) at cognoſcuntur ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimæ, & ſic ſingulare erit primum cognitum, & ſpecies ſpecialiſſia primum cognitum, ſed ſpecies per ſe primo, ſingulare non per ſe primo, ſed per ſpeciem, hæc eſt vera expoſitio illius loci: dicant quidquid velint alij; & cum probatur, quod vniuerſaliora ſunt magis confuſa, quia continent, non actu, ſed potentia, & ſic eſt maior confuſio. Reſpondeo, quòd duplex eſt confuſio; Altera, quæ prouenit ex multitudine rerum, quæ in vno continentur; Alia quæ prouenit ex potentialitate, & hæc opponitur intelligibilitati ſecundum quod dicere ſolemus, quod illud eſt magis intelligibile, quod magis participat de actu, & illud minus intelligibile, quod minus participat de actu, & magis de potentia; Ad propoſitum, quando ait Ariſtot. quòd magis confuſa ſunt nobis notiora, intelligit de confuſione,

quæ

quæ prouenit ex multitudine rerum in vno, & quod ſic plura continet, eſt magis confuſum, & nobis notius, non autem de confuſione, quæ prouenit ex potentialitate, quia hæc opponitur intelligibilitati, ideo cum vniuerſaliora contineant plura, ſed in potentia, illa non ſunt notiora, ſed ignotiora: at ſingularia cum plura contineant in actu, ſunt magis confuſa, etſi notiora nobis.

Ad 4. Ad quartum, de exemplo de illo, qui videt aliquem à longe. Reſpondet Scotus egregiè, quòd hoc eſt per accidens, nam prouenit quia illud obiectum non eſt in debita diſpoſitione, & proximitate ad ſenſum, & propter hoc obiectum illud non mouet ſenſum ad cognoſcendum ſe ſub propria ratione perfectiſſima, ſed ſub ratione imperfecta, & tunc intellectus, qui ſequitur ſenſum, apprehendit illud ſub ratione non propria, ſed imperfecta: nam Antonius à longe, non manifeſtat viſui ſua particularia accidentia, per quæ innoteſceret, vt Antonius, ſed ſolum ſe illi offert, vt eſt res, vel lapis, vel vt arbor, denique ſub conceptu imperfecto, & ideo ſenſus exterior defert Antonium ad ſenſum communem, & phantaſiã ſub illo conceptu, quo illi oblatus eſt: & hinc fit, quod intellectus ſequens ſenſum, decipitur, & non cognoſcit primo Antoniũ ſub conceptu minus vniuerſali, ſed vt eſt res, & ens: at ſi ſenſus ſit in debita diſpoſitione, & proximitate, ita quòd percipiat obiectum ſub perfectiſſima ratione, vt Antonium, tunc nõ eſt dubium, quod deferret idolum Antonij ad phantaſiam, & intellectus tunc primo illum cognoſcet ſub conceptu ſpeciei: intellectus enim ſequitur ſenſum. Scotus autem tenet, quòd ſpecies ſpecialiſſima ſit primum cognitum, ſupponendo, quòd ſenſus ſit in debita proximitate.

Contra hanc reſponſionem arguit Pererius ſic. Illud agens, quod remotius manens fortius agit aliquo agente, quod propinquius eſt, ſi illud eſſet proximum ſicut illud aliud agens, etiam fortius ageret.

Hanc Maiorẽ probat à ſimili; de duobus ignibus, quorum vnus ſit paruus, & alius maior, ille, qui eſt maior, in maiori diſtantia magis calefaciet, quàm minor, ergo ſi ille ignis maior propinquius fieret ſicut ille ignis minor, proculdubio fortius ageret, quam ille paruus, ergo eſt vera Maior; Subinfert Minorem: ſed ſic eſt, quòd ſingularia, & indiuidua magis vniuerſalis, vt corpus, & figura, magis mouent etiam ſi remotiora exiſtent, quam ſingularia ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt videmus in exemplo nunc adducto, quia Antonius à longe non cognoſcitur, vt homo, neque, vt animal primo, ſed prius ſub ratione figuræ, & corporis: ergo & in proportionata diſtantia magis mouebit ſingulare corporis, quam ſpeciei ſpecialiſſimæ, ergo prius cognoſcitur ſingulare corporis, & magis vniuerſalis, quàm minus vniuerſalis, & ipſius ſpeciei. Eodem medio Zabarella eandem reſponſionem impugnat: quià ſi magis vniuerſale magis mouet à longè, ſignum eſt, quòd eſt fortius, ergo magis mouebit cum erit in proxima diſtantia, & ſic erit primum cognitum. Sed hæc ratio nihil concludit: quia, vt ait Scotus, ratio generis non eſt ratio mouendi, quando obiectum diſtat, vt Aduerſarij putant, & male: ſed eſt ratio ſpeciei, quia eſt perfectior, & quod eſt perfectius, magis agit à longe, & magis mouet, quàm minus perfectum; ſed vndè eſt, quòd mouet, vt ſpecies, nec cognoſcitur, vt ſpecies, ſed potius ſub rationis imperfecta, & magis vniuerſalis? Reſpondet Scotus: quia diſtantia impedit aſſimilationem, non enim ſpecies poteſt aſſimilare ſibi ſpeciem ſenſibilem in medio, dum diſtat nimis, ſicut facit quando eſt in debita diſtantia; licet ergo ſpecies ſpecialiſſima moueat, non tamen perfectè cognoſcit illam ſenſus: quia ratio ſpeciei non poteſt aſſimilare ſibi perfectiſſimo modo ſpeciem ſenſibilem: & ſic ad argumẽtum nego, quòd ratio generis, ſiue magis vniuerſalis, magis moueat, quã ratio ſpeciei à longe; nam eſt ratio ſpeciei, quę mouet: quia eſt perfectior: & quod dicit Piccolomineus contra hoc, quod accidentia generis magis mouent, negatur: immò dicimus, accidentia ſpeciei magis mouere: quia ſunt perfectiora. Exemplum de igne nõ eſt ad propoſitum, quia maior Solu.

maior ignis non agit per formam diuerſam à forma ignis parui, ſed per eandem formam ſpecificè, differt ſolum, quia forma ignis maioris eſt intenſior forma ignis minoris: in propoſito autem, forma generis eſt diuerſa à forma ſpeciei; immò facit pro nobis: quia in illo exemplo habetur, quod forma intẽſior, & perfectior, magis mouet: at ratio ſpeciei eſt intenſior in virtute, quia eſt perfectior, ergo ipſa magis mouet etiam à longe, quàm forma generis, & magis vniuerſalis.

Ad 5. Ad quintum Zabarellæ Reſpondeo, dimiſſis innumeris alijs reſponſionibus, quod Ariſt. in illo 4. textu loquitur de ordine, quem vult ſeruare in tractando de quæſtionibus principiorum, & ait ſe velle incipere à magis vniuerſalibus, quia vniuerſaliora ſunt notiora nobis, & concedo, quod ibi intelligit de cognitione confuſa, & probationes illæ verè concludũt, quod vniuerſalia ſunt nobis notiora cognitione confuſa, neque tamen propter hoc ſequitur, quod Ariſtoteles velit aſſerere vniuerſaliora, ſecundum quod ſunt vniuerſalia, eſſe nobis notiora cognitione confuſa minus vniuerſalibus, ideo eſt annotanda doctiſſima diſtinctio, quam adducit Franciſcus Viccomercatus in expoſitione illius textus, quod vniuerſale duobus modis poteſt conſiderari; Vel vt pars; Vel vt totũ. Cõſiderare vniuerſale, vt pars, eſt conſiderare illud ſub propria ratione: quia re vera vniuerſalia ſunt partes minus vniuerſalium, nam animal eſt pars hominis, &c. Conſiderare vniuerſale, vt totum, eſt conſiderare illud ſub extranea, ac accidentali ratione: quia ſolũ pro tanto dicitur totum, quia potentia inferiora continet, ſicuti inferius continet actu ſuperiora. Ad propoſitum ſi vniuerſale conſideretur vt totum, habet quandam ſimilitudinem cum ſingulari: eſt enim quodammodo confuſum, quia plura habet in ſe potentia, ſicuti ſingulare, & compoſitum actu, & ideo ſecundum hãc conſiderationem, quodammodo dici poteſt notius nobis, quam ſingulare: quia vniuerſale habet rationem totius, & confuſi, minus vniuerſale, & ſingulare habet rationem partis; Vnde Ariſt. volens hoc innuere, protulit hæc verba in eo textu *Totum enim ſecundum ſenſum notius eſt,* vniuerſale autem totum quoddam eſt, multa enim comprehendit vniuerſale, vt partes ſecundum ergo hanc conſiderationem, non eſt inconueniens quod vniuerſale dicatur notum cognitione confuſa: attamen ſi conſideretur vt pars, quæ eſt propria eius conſideratio, eſt enim re vera pars, non totum, quia actu includitur in toto ſingulari, vt pars, dicemus, quod eſt notius nobis cognitione diſtincta, ad eam enim habendam prius debemus diſtinctè cognoſcere partes, deinde totum diſtinctè cognoſcimus; nos autem in præſenti loquimur de vniuerſali, & minus vniuerſali ſecundum propriam conſiderationem, non ſecundum ſimilitudinariã, & accidentalem. Ariſtoteles autem accipit ibi vniuerſale, prout eſt quoddam totum confuſum, & ſecundum ſignificationem accidentalem: quia propoſuit agere in tractando de principijs prius de quæſtionibus principiorum magis vniuerſalibus, quia diuidentibus illis, notæ poſtea fiunt quæſtiones minus vniuerſales, & ſic vult incipere ab vniuerſalibus, quatenus ſunt magis confuſa: ſunt autem magis cõfuſa, vt habent ſimilitudinem totius, non ſecundum propriam naturam, ſed accidentaliter, ſcilicet, ratione continentiæ potentialis, ſicut ſingulare compoſitum eſt verè totum, & confuſum ratione continentiæ actualis, & hic eſt verus intellectus illius loci, vt optimè legi poteſt apud Viccomercatum.

Ad ſextum negatur Minor. Ad comprobationem dico, quod difficultas abſtractionis, non prouenit ab abſtractione multorum, vel paucorum, ſed prouenit ex vicinitate, vel longinquitate conceptuum à ſenſu, & ideo cum magis vniuerſalia ſint remotiora, fit, quòd difficiliori modo intellectus intelligit conceptus remotos illorum; Ratio huius dicta eſt ſupra ſæpius: quia ordo noſtrę cognitionis eſt incipere à propinquioribus ſenſibus noſtris, quia noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, & ſic conceptus qui ſunt propinquiores ſenſibus, ſunt faciliores cognitu, vt dictum eſt ſuprà in probatione opinionis Scoti, & dicam tractando de Munere intellectus agentis. Præterea, eſt etiam Ad 6.

falſum,

falſum, quòd conceptus inferior ſit plures conceptus, quoniam eſt tantum vnus, ſed eſt perfectus, continens actu ſuperiores,& hæc continentia actualis, eſt cauſa quod eſt facilius intelligibile: quia eſt minus abſtractus,& ſeparatus à ſenſibus. Falſum eſt etiam, quod abſtrahere, ſit intelligere vnum ſine alio, vt ſuo loco dicam; Vide Theorema de Munere intellectus agentis.

Ad 7. Ad ſeptimum dico, quòd quando ſenſus, eſt in debita diſpoſitione, tunc nobis oſtendit ſemper ſenſibilia minus vniuerſalis: quia quidquid offertur ſenſui, eſt ſingulare, & ſic eſt determinatę ſpeciei; quòd autem quando non eſt in debita diſpoſitione, oſtendat illud ſenſibile ſub ſpecie magis vniuerſalis, hoc eſt propter diſtantiam improportionatam,& hoc eſt per accidens, vt dictum eſt.

Nunc ad quartum, quod conſpitur ex hoc, ſi quis offerat mihi aliquod corpus, & ignorem cuiusnam generis ſit, ſciam tamen quod non eſt animal tantum, neque figura tantum, &c. ſed ſciam quod eſt aliquid determinatæ ſpeciei, licet illā non cognoſcam diſtinctè, cognoſcam etiam, quòd non eſt huius ſpeciei, neque huius, &c. hoc autem eſt cognoſcere propriam ſpeciem illius, & conceptum minus vniuerſalem, ſed confuſo modo.

Ad vltimum Picc. Ad vltimum Piccolominei patebit ex dicendis in ſequentibus Theorematibus, in quibus declarabitur, quomodo ſingulare cognoſcatur ab intellectu; Pro nunc ad argumentum dico, quod Scotus concedit ſingulare vagum cognoſci primo ab intellectu, ſed non dicit, quòd cognoſcatur prius, quàm ſingula determinatum, & ſignatum, ſiue diſtinctum, vt ipſe Piccolomineus dicit, quia ſecundum Scotū iſtud non cognoſcitur ſub proprio conceptu particulari: cognoſcere autem ſingulare vagum eſt cognoſcere ſpeciem ſpecialiſſimam, vt infrà patebit: & tunc concedimus, quod hic conceptus eſt primus, qui habetur ab intellectu noſtro in cognitione confuſa: ſed hoc magis patebit ex ſequentibus.

Ponitur opinio Zimaræ, & Achillini, & reijcitur. Cap. IX.

Opin. Zim. et Achil. Zimara, & Achillinus volunt, quod quandoque magis vniuerſale, quandoque minus vniuerſale ſit primum cognitum; quod probant: quia ſæpè videmus, quod cum alicui offertur herba, cognoſcit quod eſt herba, ſed quæ ſpecies herbæ, non cognoſcit: ecce, quòd magis vniuerſale tunc prius cognoſcitur; quandoque cognoſcit ſpeciem, vt cum alicui offertur equus, cognoſcit prius quòd eſt equus, quàm ipſius genus equi: quia in multis ignorantur media genera, vt quòd ſit proximum genus, equi, & muli: tunc ergo cognoſcit prius, minus vniuerſale, ſcilicet ſpeciem, quàm magis vniuerſale, ſcilicet genus.

Falſitas huius opinionis quo ad id, quod ait, aliquando prius cognoſci magis vniuerſale, patet ex dictis nunc ſuprà: ideo ad argumentum Zimaræ per illud exemplum de herba, dico, quòd prima facie, etiam ruſticus cognoſcit ſpeciem herbæ, ſed confuſo modo, & hoc eſſe verum probo; ſi quis interroget eum, an illa herba ſit lactucā, aut cicorea, vel aliqua alia ſpecies herbę nota, dicet, quòd non: ſed ſolum dicet, eſt herba habens talem figuram, talem colorem, talem ſaporem; Sicuti etiam ſi quis peteret à ruſtico, quid eſt homo, reſponderet ruſticus eſt res habens duos oculos in fronte, manus,& pedes,&c. neſciret enim dicere eſt animal rationale; Hæc cognitio, eſſet cognitio confuſa conceptus ſpeciei, non autem generis: quod ſi ſolum haberet conceptum generis, neſciret illam herbam diſtinguere ab alijs herbis, quia conceptus generis non notificat ſpecies diſtinctas: hic autem cognoſcit, quòd non eſt huius, vel illius ſpeciei, ſignum ergo eſt, quod aliquam cognitionem de ſpecie eius habet, ſed non habet illam diſtinctè. Reijcitur.

Quid ſit primum cognitum cognitione diſtincta. Cap. X.

Quid ſit pri. Loquendo verò de cognitione actuali diſtincta, aſſerit Scotus rem è con-

 uerſo

mum cogni tũ cognitione diſtincta. uerſo ſe habere: quia primum diſtinctè conceptum & communiſſimum, & quæ ſunt ei propinquiora, ſunt prius nota in ordine cognitionis diſtinctæ, & quæ ſunt remotiora in tali cognitione, ſunt poſteriora in tali cognitione. Hanc ſententiam ſic probat. Nihil concipitur diſtinctè, niſi

1. rõ. quando concipiuntur omnia, quę includuntur in ratione eius eſſentiali: at ens includitur quidditatiuè in omnibus conceptibus quidditatiuis inferioribus, ergo nullus conceptus inferior concipitur diſtinctè, niſi concepto ente: ens autem non poteſt concipi, niſi diſtinctè: quia habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, id eſt, non habet conceptum ſuprà ſe, per quem poſſit definiri, vel explicari, vt eſt ſimpliciſſimus; ideò vel totus ſcitur, vel totus ignoratur: ergo poteſt concipi diſtinctè ſine alijs, & alij non ſine eo, ergo ens eſt primus conceptus diſtinctè conceptibilis.

2. Præterea, cognitio diſtincta habetur per definitionem; ſed definitio inquiritur per diuiſionem, ex Ariſt. 2. Poſt. c. 13. & 14. & inde: ſed diuiſio incipit ab ente, & à magis vniuerſalibus, vt ibidem docet Ariſt. vſque quo peruenerimus ad conceptum proprium definiti, ergo magis vniuerſalia ſunt nobis notiora in cognitione diſtincta.

3. Præterea, probat idem principaliter: quia Metaph. eſt prima ſecundum ordinem diſtinctè cognoſcendi, ipſa enim habet certificare principia aliarum ſcientiarum, ergo termini eius, & eius cognoſcibilia, ſunt primò diſtinctè cognoſcibilia.

Obiectio. Sed contra hanc rationem obijcitur: quia tunc Scotus ſibi contradicit: quia ſuperius in Theoremate iſto dixit, quod Metaph. eſt vltima ordine doctrinæ: at ſi ipſa eſt prima in ordine diſtinctè cognoſcendi, ergo videtur quòd etiam ſit prima in ordine doctrinæ.

Solu. Reſpondet Scotus ipſe, quod in his dictis quæ fuerunt Auicennæ prius, non eſt repugnantia: quia ſcientiæ inferiores Metaphyſ. conſtant ex terminis ſenſibilioribus, de quibus intellectus habet quandã cognitionem confuſam, quæ ſufficit ad cognoſcendum complexionem illorum terminorum ad inuicem, eſſe veram, ex quibus complexionibus fiunt principia illarum ſcientiarum, & ideo illę ſcientiæ nobis ſunt faciliores: non tamen propter hoc repugnat, quòd poſtea procedentes ab illis ſcientijs ſpecialibus ad vniuerſaliores, & ad Metaph. quæ docet diſtinctè principia aliarum omnium, illos terminos poſtea diſtinctè cognoſcamus, & ſic Metaph. eſt vltima in ordine doctrinę: qa eſt de difficilioribus, & minus ſẽſibilibus: ſed eſt prima in ordine diſtinctę cognitionis, quia eſt de magis vniuerſalib. quorũ cognitio requiritur ad diſtinctam cognitionem inferiorum. His habitis, concludit Scotus, quòd comparando totum ordinẽ confuſè concipiendi, ad totum ordinem diſtinctè concipiendi, totus ordo confuſè concipiendi, eſt prior, & ideo, primum in illo ordine eſt ſimpliciter primum; adeò, quòd cum queritur abſolutè, quodnam eſt primum cognitum? Reſpondendũ eſt, quòd eſt ſpecies ſpecialiſſima, & inter illas ſpecies ea, quæ fortius mouet ſenſum: cum autem ſolum accidens moueat ſenſum, ſpecies accidentis magis ſenſibilis, erit primum cognitum abſolutè, ab intellectu noſtro via originis. Concluſio opin. Scoti.

Quid ſit primum cognitum cognitione habituali, & virtuali via originis; & quid ſit primum cognitum primitate perfectionis, & adæquationis. Caput vlt.

Diximus in primo capite cum Scoto, quæſtionem hanc de primo cognito, poſſe tractari tribus modis; Primò de primo cognito primitate originis, & perfectionis; Secundo, de primo cognito primitate perfectionis; Tertio, de primo cognito primitate adæquationis. Loquendò autem de primo cognito primitate originis, & perfectionis, adhuc tribus modis quæſtio tractari poterat; Primò, de primo cognito cognitione actuali; Secundo, de primo cognito cognitione habituali, & virtuali; Huc vſque egimus de primo cognito cognitione actuali, tam confuſa, quàm diſtincta: ſequitur vt agamus de primo cognito cognitione habituali, & virtuali, vt ſciamus, quid ſit primum cognitum via originis quacũque cognitione: deinde videamus quid ſit primo cognitum, primitate perfectionis, & primitate adæquationis.

Vtau-

Vt autem intelligamus,quid ſit primo cognitum cognitione habituali,& virtuali,declarandum eſt, quid ſit cognitio habitualis, & cognitio virtualis, prout Scotus hos terminos intelligit, & communiter intelliguntur. Illa ergo eſt cognitio habitualis, quam natus eſt habere intellectus de obiecto iam actualiter cognito, dum ſibi eſt præſens in ratione intelligibilis actus. Quod hæc ſit cognitio habitualis, deſumitur ex Ariſtot.3.de Anima, textu,8. qui ibi deſcribens intellectum in habitu, ait illum eſſe talem, cum factus eſt ſinngula,id eſt,cum recepit ſpecies intelligibiles, quod fit per actualem cognitionem,& poteſt exire in actum contemplandi cum vult. Quod etiam hæc ſit intentio Scoti patet ex verbis ſuis, quæ ſunt hæc. *Habitualem notitiam voco, quando obiectum ſic eſt præſens intellectui, in ratione intelligibilis actu, vt intellectus ſtatim poſſit habere actum circa illud obiectum.* Ecce non dicit habitualem cognitionem eſſe illam, qua obiectum eſt in potentia ad intelligi actu, ab intellectu prima intellectione, vel quam intellectus eſt aptus natus habere de obiecto prima intellectione,quæ poſtea reducatur ad actum, cum actu intellectus intelligit primò,quæ eſt cognitio potentialis ſimpliciter,vt malè Zabarella libro de Ordine intelligendi cap. 9. & quidam recentiores intellexerunt: quia non inquit cognitionem habitualem eſſe quando obiectum eſt præſens intellectui,in ratione intelligibilis,potentia, ſed ait in ratione intelligibilis actu:vult ergo Scotus,quòd cum intellectus primo actualiter cognoſcit aliquod obiectum, actu recipiat ſpeciem, & fiat in habitu, & deinde factus in habitu, iterum illud obiectum ſpeculari poſſit cum vult, & tunc illa ſecunda cognitio, quam habere poteſt, dicitur cognitio habitualis, & ad illam intellectus eſt in potentia, & reſpectu illius dicitur potentialis, non ſimpliciter, ſicuti antequam actu illud obiectum aliquo modo intellexiſſet: ſed dicitur potentialis ſecundum quid, ſiue in potentia proxima, non remota. Ex hoc ſequitur Scotum non errare(hic enim erat ſecundus error, quem Zabarella,& recentiores Scoto tribuebant) ſed verè contraria dicta de cognitione actuali confuſa,& habituali,protulit,vt videbimus: quia iſtæ ſunt diſtinctæ cognitiones,vt diximus, & ipſi fatentur; quod amplius manifeſtum erit eſt explicatione, quid ſit primo cognitum cognitione habituali, & virtuali ſecundum Scotum. Cognitio virtualis paulò obſcurè explicatur à Scoto; ſed breuiter, eſt ea, quam habet intellectus de his, quæ veluti partes continentur in obiecto, quod primo,& totaliter terminat intellectionem intellectus e. g. Cum intellectus intelligit hominem, intelligit quoque animal, corpus, & reliqua, quæ in homine, tamquam partes eius continenter, non tamen ſunt primum, & totale inlellectum, cognitio iſtorum dicitur virtualis: quia intellectus cognoſcendo primum obiectum, vt hominem, virtute eius cognoſcit quoque virtualiter corpus, &c. ſatis enim propriè illud dicitur virtualiter cognitum, quod non cognoſcitur propria cognitione, ſed cognitione alterius, licet alijs modis accipiatur quoque. Verba autem Scoti ſunt hæc. *Voco autem virtualem cognitionem, quando aliquid intelligitur in aliquo, vt pars intellecti primi, non autem, vt primum intellectum, ſiue vt totale terminans intellectionem: ſicut cum intelligitur homo,intelligitur animal in homine, vt pars intellecti, non vt intellectum primum,ſiuè totale, terminans intellectionem.* Ex quibus verbis patet colligi ſenſum, quem præmiſimus.

Poſita declaratione terminorum ponit Scotus concluſionem vnicam de vtraque cognitione,tam habituali, quàm actuali, quæ eſt. In cognitione habituali, & virtuali communiora ſunt prius nota via originis, & generationis. Eam probat ſic. Conceptus communiores, & imperfectiores, via originis prius concipiuntur, quàm minus communes, ſi ſeorſum, & per ſe ab intellectu intelligantur: at idem ordo ſeruatur in conceptibus intelligendis, quando virtualiter illi in vno vnico continentur, & virtute illius recipiuntur in intellectu,qui ſeruaretur ſi ſeorſum manerent, & vnuſ-

Quid ſit cognitio habitualis.

Cognitio virtualis quid.

Concluſio Scoti.

& vnuſquiſque reciperetur per ſemetipſum in intellectu, ergo in cognitione habituali, & virtuali, in qua virtute obiecti præſentis intellectui, & actu intelligibilis, generatur in intellectu cognitio conceptuum, qui virtualiter in illo obiecto continentur: prius cognoſcuntur conceptus vniuerſaliores, & communiores, deinde minus vniuerſales. Maior propoſitio ſupponitur vt tota ex dictis ſuprà de cognitione diſtincta, oſtendi enim non poſſe cognoſci aliquem conceptum diſtinctè, niſi concipiantur omnes conceptus incluſi in illo, & quia vniuerſaliores conceptus continentur in inferioribus, & minus communibus, hinc ſequitur, eſſe neceſſarium vt prius cognoſcantur magis vniuerſales, deinde minus vniuerſales; verum eſt ergo, quod conceptus magis vniuerſales via originis prius cognoſcuntur, ergo in cognitione habituali, & confuſa, prius cognoſcuntur, quàm minus vniuerſales. Minor verò probatur à ſimili: quia ſicut diuerſæ formæ perficientes idem perfectibile, ordine quodam natæ ſunt mediatius, & immediatius informare, vel perficere illud, ita ſi eadem forma contineat in ſe virtualiter perfectionem illarum formarum ordinatarum, quaſi conſimili ordine naturæ perficiet illud perfectibile, e. g. Si forma Subſtantiæ per ſe eſſet, & forma Corporis, per ſe eſſet, & ſic de reliquis, prius forma Subſtantiæ informaret ſubiectum, quàm forma Corporis, & ſemper in illa via generationis imperfectius erit prius, quia proceditur a potentia ad actum: ità, ſi vna forma includat virtualiter omnes illas, ipſa quaſi prius perficiet materiam ſub ratione Subſtantiæ, quàm Corporis, & ſemper in illa via generationis imperfectius erit prius; ita in propoſito, ſi obiectum ſit præſens intellectui, qui continet in ſe virtualiter omnes conceptus vniuerſaliores, & minus vniuerſales, perficiet intellectum prius ſub ratione conceptus vniuerſalioris, quàm ſub ratione conceptus minus vniuerſalis.

Obiectio. Verum hic eſt obiectio grauis: quia hic ordo videtur eſſe ſeruandus quoque in cognitione actuali confuſa: nam ordo naturalis, & aptus natus competere intellectui, & rebus intelligendis, debet ſeruari in actuali intellectione, alioquin fruſtra daretur talis ordo in illis, ergo male Scotus ſuprà dixit, in actuali cognitione confuſa, primum cognitum eſſe minus vniuerſale; immò hæc aſſertio videtur contraria illi: quia ordo naturalis, & potentialis debet ſeruari in actuali cognitione rerum, non contrarius.

Solutio. Reſpondetur, vt ſuprà diximus, aliud eſſe loqui de prima cognitione actuali cō fuſa, & aliud loqui de cognitione habituali, quæ præſupponit iam cognitionem actualem confuſam acquiſitam ab intellectu: nam in prima cognitione offertur obiectum intellectui implicitum in phantaſmate, cum omnibus conceptibus communibus, & minus communibus, & ſingularibus, ideo tunc intellectus primò eum apprehendit ſub conceptu illo confuſo, qui ſibi eſt poſſibilis in illo ordine cognitionis confuſæ, qui eſt conceptus minus vniuerſalis, ſcilicet, ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt diximus: at in cognitione habituali offertur illudmet obiectum, ſed iam cognitum confusè, quò ad omnes conceptus, tam vniuerſales, quàm minus vniuerſales, & tunc intellectus incipit denuo intelligere illud obiectum ſic actu intelligibile ſecundum conceptus, quos habet in ſe, & vult producere cognitionem diſtinctam, quæ requirit, vt prius vniuerſaliores, & imperfectiores cognoſcantur, quàm perfectiores, ideo ab vniuerſalioribus incipit: quia hic ordo naturaliter competit cognitioni diſtinctæ. Vnde ſupponit Scotus, quòd omnis cognitio habitualis, ſit diſtincta, & quod verſetur circa obiectum non omnino ignotum, & potentia intelligibile tantum: ſed circa obiectum cognitum cognitione confuſa, totaliter, & cognoſcibile cognitione diſtincta, vnde ſequitur, cognitionem habitualem mediare inter cognitionem confuſam actualem, & cognitionem diſtinctam actualem. Idem dicendum eſt de cognitione virtuali: nam primum cognitum, vt pars alterius principaliter cogniti (quod eſt eſſe primum cognitum virtualiter) eſt ille conceptus, qui eſt pars vniuerſalior illius principaliter concepti: vt ſi homo ſit totale, & primum intelle-

ctum

ctum cognitione habituali, ens ſiue ſubſtantia eſt primum cognitum virtualiter: quia ordine originis, & cognitione diſtincta, primus conceptus, qui natus ſit concipi, vt pars hominis, eſt Ens, deinde Subſtantia, & ſic de reliquis.

Quid ſit primum cogn. primitate pfect. Loquendo deinde de primo cognito primitate perfectionis, nulla eſt difficultas: quia certum eſt illud eſſe id, quod eſt perfectius intelligibile: perfectius autem intelligibile, à nobis poteſt dupliciter intelligi; Aut ſimpliciter; Aut ſecundum proportionem; Perfectius intelligibile ſimpliciter, eſt illud, quod ſecundum ſe eſt perfectius intelligibile, licet in ordine ad intellectum non perfectè cognoſcatur. Perfectius cognoſcibile ſecundum proportionem, eſt, quod perfectius ab intellectu cognoſcitur, vt viſio candelæ eſt perfectior quo ad nos, quàm viſio Solis: quia nos perfectius videmus candelam, quàm Solem, & candelæ lumen eſt perfectius viſibile nobis, quàm viſio ſolis Aquilæ: quia nos perfectius apprehendimus lumen candelæ, quam faciat Aquila lumen Solis: licet Solis lumen ſimpliciter ſit nobilius candelę lumine. Ad propoſitum, loquendo de primo cognito primitate perfectionis ſimpliciter, illud eſt Deus, etiam naturaliter loquendo; Vnde Ariſt. 10. Ethicorum cap. 10. poſuit felicitatem in ſpeculatione Subſtantiarum abſtractarum; deinde eſt ſpecies ſpecialiſſima perfectior in vniuerſo; deinde ſpecies proxima illi, & ſic vſque ad vltimam ſpeciem; & poſt omnes ſpecies ſpecialiſſimas, primum cognitum eſt genus proximum abſtrahibile à ſpecie perfectiſſima, & ſic ſemper reſoluendo; Et ratio omnium iſtorum eſt: quia illa eſt cognitio perfectior ſimpliciter, quæ attingit obiectum actualius, & perfectius: nam talis cognitio habet perfectionem eandem ex parte potentiæ, quam habent cæteræ intellectiones, & cognitiones, vel ſaltem non minorem; habet deinde multo maiorem perfectionem ex parte obiecti, quàm aliæ cognitiones. Ex his duabus autem partibus, ſcilicet ex parte potentiæ, & ex parte obiecti, oritur nobilitas ſcientiæ ex Ariſt. 1. de Anima, textu 1.

Felicitas in quo ſita ſit ſecundum Ariſ.

Cæterum, ex parte potentiæ eſſet difficultas, an ſit æqualis cognitio Dei, & aliarum rerum ſenſibilium; poſſet dici, quod cognitio Dei habet ſpecialem difficultatem: quia intellectus noſter magis attingit hæc inferiora, quam abſtracta à materia. Vnde Ariſtot. 11. de Animalibus, & primo de partibus animalium, capite 5. vult, quod de immaterialibus habeamus minima cognitionem, tamen vult illam eſſe deſiderabiliorem alijs: at de alijs ſpeciebus, & entibus enumeratis, non eſt difficultas.

Loquendo verò de primo cognito primitate perfectionis ſecundum proportionem, inquit illa eſſe primo cognita, & perfectiora cognoſcibilia, quæ efficacius mouent ſenſum; Ratio eſt: quia intellectus noſter plus attingit ad illa ſecundum gradus cognoſcibilitatis eorum, quam ad perfectiſſima obiecta ſecundum ſe: & hac ratione, ſcilicet, ſecundum proportionem, cognitio abſtractorum dicitur minima reſpectu cognitionis horum ſenſibilium materialium. *Primo cognito primitate perfectionis ſecundum proportionem.*

Quid ſit primo cogn. primitate adæquationis Loquendo de primo cognito primitate adęquationis, dicendum eſt illud eſſe Ens, vt Ens eſt, hoc enim eſt obiectum adæquatum intellectus, de quo loquuti ſumus ſuo loco.

THEOREMA LXXXIV.

Singulare eſt per ſe cognoſcibile.

Exponitur opinio Scoti, & D. Thomæ cum ſuis fundamentis. Cap. I.

Quattuor quæ ſunt examinanda de ſing. CIrca cognitionẽ Singularis ſunt quattuor examinanda, Primum; An Singulare ſit per ſe intelligibile; Secundum, An intelligatur ab intellectu noſtro, & quomodo. Tertium, An intellectus noſter pro hoc ſtatu cognoſcat Singulare ſub ratione, & conceptu Singularitatis. Quartum, An ſenſus cognoſcat Singulare. Nunc primum, & ſecundum diſcutiamus. Pro intelligentia eſt notandum, quòd Singulare duobus modis poteſt cõſiderari; Vno modo, vt abſtrahit ab exiſtentia, & ab omnibus accidentibus, vt hic, & nunc, &c. & tale Singulare nihil includit niſi naturam ſpecificam, & differen-

ferentiam indiuidualem, per quàm eſt hoc; neque eſt impoſſibilis hæc abſtractio: quia exiſtentia non eſt propria paſſio Singularis, ſed cuiuslibet entis realis, vt dixi in Theoremate de Actu entitatiuo materiæ; & in proprio Theoremate de Eſſe, & exiſtentia. Secundo modo conſideratur cum exiſtentia, & alijs accidentibus conſequentibus, vt cum Quantitate, Qualitate; Tempore, Loco, &c. & ſic Singulare eſt vnum totum aggregatum per accidēs; & hoc eſt Singulare, quod à Thomiſtis appellatur Singulare materiale, Senſibile, & Signatum, & de hoc erit controuerſia inter D. Thom. & Scotum. Sciēdum eſt etiam, quòd duplex eſt cognitio intellectus noſtri circa Singulare, ſcilicet, abſtractiua, & intuitiua; Quæ diſtinctio infrà cap. 2. declaratur. His præmiſſis, nunc videamus quid dicat Scotus.

Scoti opin. Scotus in Quodlib. quæſtione 13. art. 2. ad R. & 3. Sent. d. 3. quæſtione 11. confutando ſecundam opinionem ad D. & 2. d. 9. quæſtione 2. de locutione Angelorum cōfutando primam opinionem, quo ad primum articulum, & 4. Sent. d. 45. quæſtione 3. in corpore quæſiti, in principio, & multis alijs in locis, loquitur de cognitione Singularis; ex quibus habetur quidquid ſcire poſſumus de cognitione Singularium. Ex omnibus iſtis locis colligitur in primis hæc concluſio.

1. Cōcluſ. Singulare quouis modo acceptum eſt per ſe, & ſecundum propriam naturam ſingularem cognoſcibile ab intellectu noſtro, etiam cognitione abſtractiua. Ex eiſdem locis poſſumus colligere has rationes pro hac Cōcluſione ex 2. Sent. diſtin. 3. quæſtione 11. ex ſolutione primi argumenti pro Henrico poſſumus colligere hanc rationem, quæ etiam adducitur ab Antonio Andræa pro hac Concluſione.

1. rō. Omnis entitas realis, eſt verè per ſe intelligibilis; Probatur: quia intelligibilitas ſequitur entitatem, ens enim eſt adæquatum obiectum intellectus; Minor probatur: quia Singulare addit ſuper vniuerſale differentiam indiuidualem, quæ eſt entitas poſitiua, vt patebit ex quæſtione de indiuiduatione, etiam exiſtentia eſt entitas realis, & tempus, & locus, & alia accidentia, quæ conſtituunt Singulare materiale, & ſenſibile, ſunt entia realia, vt patet ex ſe, ergo ſingulare materiale, & vniuerſaliter ſingulare, quocumque modo acceptum, eſt per ſe intelligibile. Ex eodem loco in reſponſione ad ſecundum quo ad Thomiſtas Theologos poſſumus ſic arguere. Si repugnaret Singulari materiali, & ſenſibili intelligibilitas ſecundum propriam naturam, & per ſe, ſequeretur, quòd neque Deus poſſet illud cognoſcere: at Deus illud cognoſcit, vt concedunt Theologi, ergo. Maior eſt euidens: quia Deus non poteſt ea, quæ implicant contradictionem; at ſi ſingulari per ſe repugnaret intelligibilitas, implicaret dicere, quòd Deus illud intelligeret.

Secunda Concluſio pro Scoto. Intellectus cognoſcit Singulare ſecundum naturam ſingularem cognitione intuitiua. Hæc habetur 4. Sent. diſtinct. 45. quæſtione 3. litera I. Prima ratio. *1. rō.* Quidquid poteſt potentia inferior cognoſcitiua, illud idem poteſt potentia ſuperior cognoſcitiua, & nobiliori modo, ſed ſenſus cognoſcit ſingulare ſub propria exiſtentia cum alijs accidentibus, vt tempore, loco, &c. quod eſt cognoſcere obiectum intuitiuè, & præſentialiter, ergo intellectus qui eſt potentia cognoſcitiua ſuperior, nobiliori modo poteſt illud cognoſcere, ergo intellectus cognoſcit ſingulare intuitiuè. Eandem rationem in virtute habet quæſtione 13. quodlibetali, vt ſuprà dixi. *2.* Secundò. Intellectus cognoſcit propoſitiones contingenter veras, & ex eis ſyllogizat: formare autem propoſitiones, & ſyllogizare, pertinet ad intellectum; quia hoc eſt componere, & diſcurrere, quæ ſunt operationes intellectus; at propoſitiones contingentes conſtant ex ſingularibus ſenſibilibus cum illis accidentibus, hic, & nunc, &c. vt ſi dicam Socrates nūc venit, ergo intellectus cognoſcit ſingulare ſenſibile, & materiale; ſic autem ſingulare habet rationem obiecti, vt intuitiuè cogniti. *3.* Tertio. Diſtincta memoria eſt ex diſtincta apprehenſione rei cognitæ: at intellectus habet diſtinctam memoriam de ſingularibus cum his accidentibus, ergo. Antecedens probatur in quæſtione, An detur memoria intellectiua; &

patet

patet experientia. Alias rationes quære in Antonio Andræa in hoc quæſito. Hanc opinionem Scoti multi ſequuntur ex Antiquis, & Moderni, ſed præcipuè his temporibus Zabarella, lib. de Ordine cognoſcendi; & has duas rationes valdè exaggerat & Excellẽtiſſimus Piccolomineus; libro 1. de Mente humana, omnes enim eorum rationes concludunt intellectum cognoſcere ſingulare intuitiuè, ſed non concludunt, quod cognoſcat illud abſtractiuè ſub proprio conceptu ſingularitatis, vt infra declarabitur Theoremate ſequenti.

Zab. Pic.

D.T. Oppoſitam ſententiam tenet D. Thomæ. Nam prima parte Summæ, quæſt. 86. art. 1. reſpondendo ad tertium, tenet, quod ſingulare immateriale, vt intellectus, ſit per ſe intelligibile: ſed loquendo de ſingulari materiali, vt eſt Socrates, ait, quod hoc per ſe non eſt intelligibile; ponit tamen quod eſt intelligibile indirectè, & per reflexionem: quia poſtquam intellectus agens abſtraxit ſpecies intelligibiles per quas intelligit vniuerſalia, non poteſt intelligere ſecundum eas ſpecies, ipſamet vniuerſalia, niſi conuertat ſe ad phantaſmata, in quibus intelligit ſpecies intelligibiles vniuerſalium, & tunc quodam modo dicitur intelligere phantaſmata ſingularis, ſcilicet, indirectè: quia intelligit ſpecies intelligibiles vniuerſalium in ipſis ſingularibus, & tunc format huiuſmodi propoſitiones. Socrates eſt homo, adeo, quod D. Thom. & Scotus in vno conueniunt, & diſcordant in duobus; Conueniunt in hoc, quod ſingulare immateriale, eſt per ſe intelligibile: nam Scotus tenet vniuerſaliter, quod omne ſingulare, tam materiale, quàm immateriale, eſt intelligibile per ſe, & ſic conſequenter concedit ſingulare immateriale eſſe per ſe intelligibile; D. Thom. verò ſolum cõcedit ſingulare immateriale eſſe per ſe intelligibile: differunt verò in duobus; Primo, quia ait Scotus, quod ſingulare materiale, & ſenſibile, cum omnibus conditionibus ſuis, eſt intelligibile per ſe; D. Thom. verò negat. Secundo differunt: quia dicit Scotus, quod ſingulare materiale, nedum eſt per ſe intelligibile, ſed de facto intellectus noſter illud intelligit intuitiuè, licet non cognoſcat illud abſtractiuè, ſub proprio conceptu ſingularitatis; D. Thomas vero ait, quod ſingulare non intelligitur vllo modo in ſe, ab intellectu: ſed ſolum indirectè, & per ſpeciem vniuerſalis; vult enim vt ait, reſpondendo ad quartum, quòd pro tanto ſingulare intelligitur, pro quanto intelligitur Vniuerſale ſingularis: ſed ſingulare in ſe neque intelligitur, neque eſt intelligibile.

Pro prima Concluſione in qua differunt D. Thom. & Scotus adducit D. Th. hanc rationem pro ſe, contra opinionem Scoti: quia in tantum aliquid eſt intelligibile, inquantum eſt immateriale: ſed ſingulare materiale non eſt ſine materia, immò conſtituitur in eſſe ſingulari per materiam: quia in rebus materialibus, principium ſingularitatis eſt materia indiuidualis, ergo ſingulare materiale, non eſt per ſe intelligibile; Minor eſt probata; Maior probatur ab eodem: quia intellectus noſter intelligit ſolum abſtrahendo ſpeciem intelligibilem ab huiuſmodi materia, quæ ergo tali materiæ ſunt complicata, non poſſunt intelligi ab intellectu noſtro, & ſic non ſunt intelligibilia per ſe, & directè. 1. ra.

Pro hac Concluſione D. Th. arguunt alij. Ariſt. 3. de Anima, textu 13. & 16. ait, Omne actu intelligibile, eſſe ſine materia: materiale vero non eſſe actu intelligibile, ſed poteſtate ſolum: ſingulare ergo materiale, non eſt actu intelligibile apud Ariſtot. ſed ſolum Vniuerſale, quod eſt ſine materia, & abiunctum à ſingularibus, Præterea, Ariſt. in tex. 37. diuidit ea, quæ ſunt, alia, in intelligibilia, & alia, in ſenſibilia, ergo ſignũ eſt, quod non vult, quod ea, quæ ſunt ſenſibilia, ſint intelligibilia; Communiter autem dicit Ariſtot. quod ſingularia ſunt ſenſibilia: immo ſi ipſa eſſent intelligibilia, nulla entia darentur, quæ eſſent ſenſibilia, & ſic fruſtra eſſet illa diuiſio Ariſt. ergo ſingulare non eſt per ſe intelligibile. 3.

Quarto. Si ſingulare eſſet per ſe intelligibile, non eſſet neceſſe ponere intellectum agentem, quia hic ponitur, ad hoc, vt faciat res potentia intelligibiles, actu intelligibiles. 4.

Quintò. Ariſtoteles 1. Phyſ. textu 49. ait, quòd Vniuerſale ſecundum rationem eſt notum: Singulare verò ſecundum ſenſum, ergo intellectus non cognoſcit Singulare materiale, & ſenſibile.

6. Pro hac opinione arguunt quidam Auerroiſtæ. Quidquid recipitur, recipitur per modum recipientis: ſed intellectus eſt immaterialis, quia eſt forma ſeparata à materia, ergo quidquid recipitur in ipſo, debet eſſe immateriale: ſed Singulare eſt materiale, & conditionibus materialibus alligatum, vt ſunt hic, & nunc,

7. &c. ergo intellectus non poteſt intelligere Singulare. Præterea, Intellectus in intelligendo non vtitur organo corporeo, & ſic in operatione ſua eſt immaterialis, ergo non poteſt intelligere, neque recipere materiale quale eſt Singulare.

8. Octauò, ſequeretur, quòd intellectus non diſtingueretur à ſenſu; Conſequens eſt falſum; Conſequentia probatur: quia potentiæ diſtinguuntur per obiecta: ſi ergo intellectus, & ſenſus, habent idem obiectum, iſtæ potentiæ non diſtinguuntur.

9. Nonò. Ariſtoteles multis in locis, ſed præſertim 2. Poſterior. cap. vltimo, & 2. de Anima, textu 60. ponit differentiam inter ſenſum, & intellectum, per hoc, quod intellectus eſt Vniuerſalium, ſenſus vero Singularium; Ecce quòd Ariſtoteles negat intellectum cognoſcere ſingularia. Dicendum eſt ergo, quod intellectus non poteſt cognoſcere Singularia.

2. Cõcluſ. Pro ſecunda Concluſione ſic arguit D. Thom. Intellectus non poteſt intelligere actu ſecundum ſpecies intelligibiles, niſi per conuerſionem ad phantaſmata, in quibus ſunt illæ ſpecies, ideo eſt neceſſe, quod quodammodo etiã intelligat phantaſmata intelligendo ſpecies vniuerſales in illis: at hoc eſt intelligere non directè, ſed cognoſcere Singulare in Vniuerſali, vel ſub ſpecie Vniuerſalis, idem enim eſt: ergo intellectus non cognoſcit Singulare, vt eſt Singulare materiale, & ſenſibile, ſed ſub ſpecie Vniuerſalis.

Confutatio Opinionis D. Thomæ. Cap. II.

VErum hæc opinio non eſt admittenda, propter rationes factas pro opinione Scoti. Oſtenditur quo ad primam Concluſionem. Nam omne ens, & quod eſt ens, eſt intelligibile ſecundum propriam naturam: at Singulare materiale, & ſenſibile, eſt ens, ergo eſt per ſe, & ſecundum propriam naturam intelligibile; Maior probatur ex Theoremate de Obiecto intellectus; nam ibi oſtenditur, quòd ens eſt obiectum adæquatum intellectus. Tunc ſic, Quando ſtatuitur aliquod commune pro obiecto adæquato alicuius potentiæ, quidquid per ſe continetur ſub illo obiecto, etiam mouet per ſe illam potentiam; Hæc propoſitio probatur inductione. In obiectis aliarum potentiarum, color pro nunc eſt obiectum viſus, & ideo albedo, rubedo, & cæteræ ſpecies coloris, ſunt per ſe viſibiles. Item audibile, ſiuè ſonus, eſt obiectum auditus, ideo quilibet ſonus per ſe eſt audibilis, & ſic de alijs; Minor quoque eſt clara: certum eſt enim, quòd Singulare materiale, id eſt Singulare cum illis conditionibus indiuiduantibus, vt eſt differentia indiuidualis, quæ ſecundum Aduerſarios eſt materia ſignata, eſt ens reale, & alia accidentia, vt Quãtitas, Locus, Tempus, &c. sũt entia realia, ergo omne quod eſt in Singulari ſenſibili, eſt intelligibile, cum ſit ens. 1. Cõcluſ.

Præterea, quod eſt in actu, eſt per ſe intelligibile: ſed ſingulare eſt maximè actu inter res materiales, ergo eſt maximè intelligibile; Maior eſt clara, quia actus eſt cauſa cognoſcibilitatis, maximè ſecundũ Aduerſarios, ſicuti potentia impedit cognoſcibilitatem; Minor non eget probatione. 2. rõ.

Præterea, contra fundamentum eorũ arguo ſic. Cum dicunt, quòd materia eſt impedimentum, propter quod Singulari repugnat intelligibilitas, quæro, de qua materia intelligunt. Vel intelligunt de materia, quæ eſt pars compoſiti; Vel de differentia indiuiduali: & de vtraque videtur intelligere D. Thom. at materia, quæ eſt 3. rõ.

quæ eſt pars compoſiti, non poteſt eſſe: quia tunc nulla res naturalis eſſet per ſe intelligibilis; quia quælibet eſt compoſita ex materia; immò nec vniuerſalia ipſa: quia & ipſa conſtant ex materia, & forma, vt ſunt omnes ſpecies: & per hanc compoſitionem differunt ab intelligentijs; Neque poteſt eſſe materia ſignata, ſiue differentia conſtituens indiuiduum, quæcumque illa ſit pro nunc: quia tunc Angelus, qui eſt vnus numero, non eſſet intelligibilis, ſuſtinendo quòd Angeli differant numero, vt ad mentem Scoti ſuſtineo in Diſputationibus Theologicis Deo dante; Sed Philoſophicè ſic illud probo. Quanto aliquid eſt cõſtitutiuum rei magis actualis, tanto eſt magis actuale; ſed ſic eſt, quòd differentia indiuidualis conſtituit rem maximè in actu, quia facit vnum numero, ergo differentia indiuidualis eſt maximè actualis: ſed quod eſt maximè actuale, eſt maximè per ſe intelligibile, ergo differentia indiuidualis, nedum erit per ſe intelligibilis, ſed maximè intelligibilis.

2. Cõcl. Quod verò intellectus intuitiuè cognoſcat Singulare, vt Singulare eſt, patet ex rationibus adductis à Scoto pro hac ſua ſecunda Concluſione; probant enim illæ, quod intellectus noſter cognoſcit Singulare ſub conditionibus materialibus, & ſenſibilibus, & eædem ſunt efficaciſſimæ: ſed quia duabus primis rationibus reſpõdet D. Thom. & Caietanus in Comentario loco citato, reſponſiones bonas eſſe affirmat: ideo Primò oſtendam reſponſiones illas nullas eſſe; Secundò, alias rationes eiuſdem Scoti pro eadem Concluſione validiſſimas adducam.

Reſp. D. T. ad 1. rõnẽ Scoti. Ad primam rationem reſpondet D. Thom. (quæ ratio ab ipſo D. Thom. 4. loco adducitur) ſic. Quòd virtus ſuperior poteſt illud, quod virtus inferior, ſed eminentiori modo; Vnde in propoſito concedit, quòd intellectus cognoſcat Singulare, ſed inquit, quod illud cognoſcit eminentiori modo, quàm ſenſus; nam ſenſus cognoſcit Singulare materialiter, & concretiuè, ſed intellectus cognoſcit illud immaterialiter, & abſtractè, quòd eſt cognoſcere in vniuerſali. Ex hac reſponſione elicitur, quod intellectus non poteſt intueri Singulare ſenſibile, ſiuè complicatum accidentibus materialibus, hic, & nunc: quia talis cognitio ei repugnat, ſed pro tanto cognoſcit Singulare, quia cognoſcit Vniuerſale, quòd nihil aliud eſt, quàm Singulare abſtractum à materialitate, & conditionibus illis accidentalibus; cognoſcit ergo virtus ſuperior, ſcilicet intellectus, id, quod cognoſcit virtus inferior, ſcilicet, ſenſus: nempe, Singulare: ſed Singulare, vt intelligitur ab ipſo intellectu, non eſt amplius Singulare, ſed Vniuerſale. Per hoc idem reſpondet ad ſecundam rationem, & dicit, quòd pro tanto ſcit formare intellectus hanc propoſitionem. Socrates eſt homo, quia cognoſcit Vniuerſale per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt in Phantaſmatibus Singularium, non intelligit quidem Phantaſmata, ſed ſolum Vniuerſalia in illis, & pro tanto intelligit Singularia, quia intelligit Vniuerſalia Singularium, & ſic cognoſcit hãc propoſitionem, Socrates eſt homo: quia cognoſcit Vniuerſale Socratis. Adeo quod elicitur apertè ex his, quod D. Thomas non vult, quod intellectus intueatur ſingulare ſenſibile in ſe, ſed in alio, quod eſt cognoſcere illud ſolum abſtractiuè, & ſub conceptu, & ſpecie vniuerſalis, & vt inquit Caietanus, non cognoſcit ſingulare in proprio conceptu, & ſub propria notitia, ſed ſolum arguitiuè ex notitia vniuerſalis, & ſic negat cognitionem intuitiuam ſingularis materialis. *reſp. ad 2. rõnẽ Scoti.*

Pro confutatione harum reſpõſionum hic eſt animaduertendum, quòd ad rationes pro prima Concluſione nihil dicunt, ſcilicet, quod ſingulare, vt ſingulare, ſit per ſe cognoſcibile cognitione abſtractiua: quia ſunt per ſe euidentes: ſolum reſpondent ad rationes pro ſecunda Concluſione. *Reijcitur.*

Ideò, vt hæc res dilucida fiat, notandum eſt, quod de ſingulari duplex eſt cognitio; Vna intuitiua; Alia abſtractiua; Intuitiua eſt cognoſcere ſingulare, vt exiſtens eſt cum illis accidentibus, vt Tempore, Loco, Quantitate, &c. Abſtractiua eſt, cognoſcere ſingulare ſub proprio conceptu ſingularitatis, vt præſcindit ab exiſtentia hic, & nunc, &c. vt puta cognoſcere Socratem, non vt exiſtit, neque vt eſt hic, *Cogn. dupl. intuitiua, & abſtrac. & qd vnaquæque.*

hic, & nunc, &c. ſed cognoſcere propriū conceptum eſſentialem ſingularitatis Socratis, quo ex intrinſeco Socrates differt numero ab alijs indiuiduis; & differunt iſtæ duæ cognitiones: quia prima non includit ſecundam, nec ſecunda primam; nam contingere poteſt, quod ego intuear aliquod ſingulare, vt puta, video aliquod ſingulare exiſtens in tali loco nunc, ſed quid illud ſit, an lapis, an lignum, vel quid aliud, ignoro; tunc habeo cognitionem intuitiuam illius ſingularis, ſed non abſtractiuam: quia non cognoſco conceptum eius, & ignoro quid ſit: Aliquando non video aliquod ſingulare exiſtere, ſed ex diſcurſu intellectus mei, & ex alijs rebus & idolis cognitis, venio in cognitionem quid illud ſit, vt cognoſco intelligentiam Saturni, neque illam vidi. Modo D. Thomas de ſingulari negat primam cognitionem, ſcilicet intuitiuam: quia inquit, quòd talis repugnat intellectui noſtro: concedit ſolum ſecundam, ſcilicet abſtractiuam, Scotus verò vtramque concedit, & quo ad cognitionem abſtractiuam ſingularis, pro hoc ſtatu erunt concordes, vt oſtendam in ſequenti quæſito, vbi oſtēdam, quod intellectus noſter pro hoc ſtatu non cognoſcit ſingulare ſub cōceptu ſingularitatis, licet ipſum in ſe, vt dictum eſt, ſit per ſe cognoſcibile; ſed ſolum illud cognoſcit ſub conceptu Vniuerſalis; ſed quò ad cognitionem intuitiuam diſcrepat Scotus à D. Thoma, & rationes Scoti nunc adductæ, probant neceſſariò nunc, & pro hoc ſtatu dari cognitionem intuitiuam in intellectu, reſpectu ſingularis: nempè, quod intellectus cognoſcat, & intueatur ſingulare ſenſibile, & materiale. Sed nota, quod cognitio intuitiua eſt duplex; Alia enim eſt cognitio rei exiſtentis in ſe, quæ excludit omnem ſpeciem, qualis eſt apud Theologos cognitio Beatorum in Patria, reſpectu Dei, qua Deum in ſeipſo vident, abſque vlla ſpecie ipſum repræſentante, & qualis eſſet cognitio oculi, ſi poſſet intueri obiectum ſenſibile, vt parietem ſine ſpecie ſenſibili delata per medium aeris: ſic enim eſſet cognitio intuitiua proprijſſimè dicta. Alia eſt cognitio intuitiua, quæ eſt per ſpeciem, ſed per ſpeciem ſenſibilem repræſentantem obiectum ſub exiſtentia, & illis conditionibus, quæ omninò in illo obiecto ſunt, vt in ſeipſo eſt, & exiſtit, vti eſt cognitio, quam habet viſus de pariete: licet enim non intueatur parietem in ſe, ſed illum cognoſcat per ſpeciem ſenſibilem, quia tamen illa ſpecies repræſentat parietem cum exiſtentia, & conditionibus ſingularibus, ideò illa dicitur cognitio intuitiua.

Huic ſimilis eſt cognitio intuitiua intellectus: ſic enim intellectus intuetur ſingulare per ſpeciem ſenſibilem poſitam in phantaſia; quia enim hæc ſpecies repræſentat ſingulare cum ſua exiſtentia, & conditionibus conſequentibus, ideo dicitur intuitiua, & contradiſtinguitur ab abſtractiua eiuſdem intellectus, quæ eſt cognitio rei per ſpeciem repræſentantem quidditatem tantum, non vt exiſtit, neque vt habet conditiones indiuiduantes, & ſingularitates illas conſequentes.

Modo quod reſponſiones allatæ ad rationes Scoti non ſoluant, probo; non ſoluit primam rationem: quia maior Scoti eſt. Quidquid poteſt virtus inferior, illud idem poteſt & ſuperior. Reſpondet D. Thomas quòd eſt vera cum hac limitatione, ſed non eodem modo: quia virtus ſuperior cognoſcit eminentiori modo, adeo quod concedit omne illud, quod cognoſcit ſenſus, illud etiam cognoſcere intellectum, ſed non eodem modo. *1. reſponſ. reijc.*

Tunc ſic arguo. Omnis virtus ſuperior cognoſcens quidquid cognoſcit virtus inferior, cognoſcit quodlibet obiectum, quod cognoſcitur à virtute inferiori: ſed ſenſus per te, & re vera cognoſcit obiectum ſingulare ſenſibile, ergo hoc obiectum neceſsariò debet cognoſci ab intellectu, qui eſt virtus ſuperior. Sed dices, illud cognoſcit modo eminentiori, ſcilicet, in vniuerſali; Contra. Nihil poteſt intelligi in alio, quod in illo alio non continetur: ſed entitas ſingularis ſenſibilis, non continetur in Vniuerſali: quia ſingulare ſenſibile repugnat Vniuerſali, ergo ſingulare ſenſibile non poteſt cognoſci ſub Vniuerſali ab intellectu. Nec valet dicere, quòd ſingulare nil aliud eſt niſi Vniuerſale, & quod Vniuerſale eſt idem, quòd ſingulare, ſed ſine materialitate, & *1. rō.*

conditio-

conditionibus indiuiduantibus:quia hoc eſt falſum: nam ſecundum veritatem Singulare addit ſuper Vniuerſale differentiam indiuidualem, quæ eſt quid poſitiuum,etiam ſecundum D.Thomam quodcumque illud ſit.

Præterea, illæ conditiones materiales,vt Locus,Tempus, Quando, &c.ſunt entia realia ſenſibilia, quæ non clauduntur in Vniuerſali. ergo differt Singulare ab Vniuerſali:& ideò licet intellectus cognoſcat Vniuerſale, non propter hoc cognoſceret Singulare: quia eſt res diuerſa omnino ab Vniuerſali. *reſp. ad ſm̃ obiec.* Similiter nec reſponſio ad ſecundum valet,quia dum cognoſco Vniuerſaie,non poſſum cognoſcere per illud Vniuerſale Singulare ſenſibile:quia eſt obiectum omninò diuerſum, immò repugnans Vniuerſali, & ſic non poteſt contineri ſub Vniuerſali. Cum ergo ſit certum, quòd intellectus cognoſcit hanc propoſitionem, Socrates eſt homo, vbi Socrates eſt ſingulare ſenſibile, ſignũ eſt,quòd intellectus cognoſcit hoc ſingulare,Socratem ſecundum ſe,vt eſt ſenſibile,& materiale, non autem in vniuerſali; immò dicere, intellectus intelligit ſingulare in vniuerſali, eſt dicere,intellectus cognoſcit ſingulare, ſed quo ad conceptus vniuerſales,non quo ad ſingulares:ſed ſic cognoſcere ſingulare, non eſt cognoſcere ſingulare,ſed vniuerſale, ſicuti cognoſcere de Socrate, quod eſt Subſtantia corporea tantum, non eſt cognoſcere ipſum eſſe hominem, neque eſſe Socratem.

2. Præterea,arguit Scotus 2.Sent. diſt.9. quæſtione 1.quòd ſingulare non poſſit cognoſci per ſpeciem vniuerſalis,ſiue in vniuerſali ſic. Sicuti ſe habet res ad eſſe,ita ad cognoſci:ſed ſic eſt,quod ſingulare addit entitatem poſitiuam ſuper ſe vniuerſale,vt dictum eſt in quæſtione de Indiuiduatione,ergo vniuerſale cognitum, non poteſt eſſe ratio perfectè cognoſcendi ſingulare ſecundum totam ſuam cognoſcibilitatem; Vide alias rationes Scoti in eodem loco, quæ quia fiunt circa cognitionem Angelorum,illas non adducam.

3. Præterea, arguitur ab alijs.Species vniuerſalis eſt indifferens,ad hoc,& ad illud ſingulare, ergo per ſpeciem vniuerſalis non poſſum magis intelligere Socratem, quàm Antonium,ergo non eſt dicendũ, quod ſingulare cognoſcatur per ſpeciem vniuerſalis. Habes alias rationes pro hac Concluſione apud Antonium Andręam 7.Metaphyſices,quęſtione 15.Concluſione prima Animaſtica, apud Franciſcum Piccolomineum,Zabarellam,& alios.

Iauellus 7. Metaphyſices, quæſt. 16. *Reſp. Iau.* vnica diſtinctione reſpondet ad omnia argumenta: quòd intellectum cognoſcere Singulare,poteſt intelligi duobus modis; Vel per ſe ſolum;Vel adiutus cogitatiua. Per ſe ſolum,non intelligit ſingulare, ſed ſolum mediante cogitatiua; immò dicit, quod eſt cognitiua], quæ cognoſcit ſingulare,non autem intellectus. Sed hæc diſtinctio impugnatur:quia non videtur ad mentem D.Tho.vult enim D.Tho.quòd intellectus intelligat ſingulare, licet alio modo,quàm ſenſus;Sed ſic dicere, vt Iauellus dicit,eſt omninò negare intellectũ cognoſcere ſingulare. Sed quidquid ſit de hoc, argumenta facta impugnant de directò hanc reſponſionem, vt patet de primo,& ſecundo:quia probant,quod intellectus per ſe intuetur ſingulare, vt ſingulare. Etiam tertia ratio adducta pro opinione Scoti eandem validiſſimè impugnat,recordamur enim ſingularium intelligibilium, quando facimus hanc propoſitionem,Socrates eſt homo,non eſt cogitatiua, quæ faciat illam, ſed intellectus, quia diſcurrere,& componere, eſt operatio propria intellectus,non ſenſus: dicere autem, quod intellectus facit hanc complexionem, & quod non cognoſcat hoc extremum,& ſciat eſſe veram complexionem, eſt dicere apertum mendacium, quomodo enim vnquam quis cognoſcet aliquod prædicatum ineſſe alicui ſubiecto, ſi ſubiectum ipſum in ſe non cognoſcat, cognitio enim complexa præſupponit incomplexam.

Solutio rationum Aduerſariorum. Cap. III.

AD rationes Aduerſariorum.Ad primã rationẽ pro prima Cõcluſione negatur Maior,quam eſſe falſam arguendo contra eam oſtendimus.Ad probationem,

nem, nego quòd intellectus noſter intelligat ſolum abſtrahendo ſpeciem vniuerſalem à ſingularibus;dixi enim, quòd datur duplex cognitio intellectiua, ſcilicet abſtractiua,& intuitiua:verum eſt, quòd cognitione abſtractiua non cognoſcit ſingulare,ſed cognitione intuitiua maximè.

Ad 2. Ad ſecundam dico, quod re vera ibi Ariſtoteles quando dicit actu intelligibile eſse ſine materia, vult intelligibile debere eſse vniuerſale:nam vniuerſale eſt ſine materia indiuiduali, & conditionibus illam conſequentibus, & ſic hoc eſt actu intelligibile;Singulare autem, quia eſt cũ conditionibus indiuidualibus, non eſt actu intelligibile,ſed potentia; & quòd hic ſit ſenſus illius loci,probatur:quia ſi intelligeret ibi de materia, quæ eſt pars compoſiti, nulla quidditas materialis eſſet intelligibilis,& ſic de rebus naturalibus nulla eſſet ſcientia. Inſuper,ſpecies ſenſibilis eſſet per ſe intelligibilis,vt hæc ſpecies albedinis: quia eſt ſine materia,quod tamẽ non intendit ibi Ariſtoteles; Tamen hoc argumentum non concludit: quia ibi Ariſtoteles loquitur de cognitione abſtractiua,non de intuitiua: nam vt dicam in ſequenti, pro hoc ſtatu quem ſolum nouit Ariſt.intellectus noſter non cognoſcit ſingularia cognitione abſtractiua, ſub proprio conceptu,ſed ſolum ſub conceptu vniuerſalis:& quia cognitio abſtractiua eſt propria, & vera cognitio intellectus,ex qua ſcientiam conficit; Hinc ſæpè dicit Ariſt. quod intellectus non cognoſcit ſingularia,non tamen negat,quin cognoſcat ea cognitione intuiua: & ſic concedo, quòd ſingulare cognitione abſtractiua pro hoc ſtatu, non eſt cognoſcibile actu, ſcilicet ſub proprio conceptu, ſed potentia,ſcilicet in vniuerſali, quod quidem vniuerſale ſic ſolum eſt per ſe intelligibile.

Ad 3. Ad tertiam dico, quòd entia alia ſunt ſolum intelligibilia, & non ſenſibilia, alia vero ſunt intelligibilia,& ſenſibilia:& hoc voluit innuere ibi Ariſtot. non enim negauit,quòd ſenſibilia ſint intelligibilia; Vel dicamus,vt ſuprà, quod illa diſtinctio veritatem habet de cognitione abſtractiua,de qua ibi Ariſtoteles loquitur, non de intuitiua; Vnde cõcedo, quod alia ſunt, quæ ſunt intelligibilia ab intellectu cognitione abſtractiua,& illa nõ ſunt ſenſibilia;& alia,quæ ſunt ſenſibilia, & hæc non ſunt cognoſcibilia tali cognitione abſtractiua:illa ſunt vniuerſalia, hæc particularia.

Ad quartum dico, quòd intellectus agens ponitur propter cognitionẽ abractiuam,non propter intuitiuam: eſt autem valde neceſſaria cognitio abſtractiua, quia hæc eſt ſcientialis: ſed intuitiua eſt ſatis imperfecta pro hoc ſtatu. Ad 4.

Ad quintum dico,quod Ariſt. in eo loco,& in alijs,tribuit cognitionem vniuerſalis intellectui:quia vniuerſale ſolum cognoſcitur ab intellectu,non a ſenſu, & ideo dicit Ariſt. quod ſiugulare cognoſcitur à ſenſu,ſed non ob hoc negat, quin intellectus idem ſingulare intelligat. Ad 5.

Ad ſextam,pro nunc quocumque modo intelligatur illa propoſitio; Ad argumentum dico, quod ſingulare recipitur prius per proprium phantaſma in phantaſia,phantaſma autem illud non eſt materiale,ſed ſpirituale,vt patet,& tunc ſingulare,vt in phantaſia exiſtens, obijcitur intellectui agenti,qui de illo pro hoc ſtatu non producit cognitionem abſtractiuam ſub ratione propria ſingularitatis, ſed ſolum ſub ratione vniuerſalis: producit verò de illo,vt eſt ſingulare, intuitionem,ſiue cognitionem iuruitiuam, quę recipitur in intellectu poſſibili, & tunc formaliter ſingulare cognoſcitur ab intellectu poſſibili, & ſic patet quomodo ſingulare recipitur in intellectu per modum recipientis. Ad 6.

Ad ſeptimam per eandem reſponſionem ſatisfieri poteſt. Ad 7.

Ad octauam dico,quòd differentia potentiarum per obiecta, eſt à poſteriori, & ideo non eſt prima, & ſic licet haberẽt idem obiectum, non tamen propter hoc ſequeretur, quòd ipſæ potentiæ non eſsẽt per ſe diſtinctę: tamen dico, quòd etiam per obiecta diſtinguuntur,non quidem, quòd vna ſit circa vnum obiectum, & alia circa aliud: ſed quia vna eſt circa vnã partem obiecti,vt ſẽſus eſt tãtũ circa vnũ obiectũ,ſcilicet,circa ſingulare;altera verò,ſ.intellectus,eſt circa totũ obiectũ, ſcilicet ſingulare,& etiam circa vniuerſale. Ad 8.

Ad no-

Ad 9. Ad nonam ex dictis patet, non enim Ariſt. ponit intellectum differre à ſenſu, quia ſenſus ſit ſingularium, & intellectus ſolum vniuerſalium: ſed quia ſenſus eſt ſolum ſingularium, intellectus verò, & vniuerſalium & ſingularium.

THEOREMA LXXXV.

Obiectum intellectus adæquatũ, eſt ens ex natura potentiæ, ſed pro hoc ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis.

Exponitur Opinio Scoti, & comprobatur. Cap. I.

SCotus q. 14. quodlibetali art. 2. principali, ad N. & 1. Sent. d. 3. q. 3. ad A, & multis alijs in locis, apertè ſuſtinet, quod obiectum adæquatum intellectus ex natura potentiæ, non eſt quidditas rei materialis: ſed eſt ens, quod eſt commune Vniuocum Deo, & Creaturæ, Subſtantiæ, & Accidenti. Pro hac ſententia varias rationes adducit; Sed eſt animaduertendum, quòd hæc aſſertio pertractatur, & in via Theologorum, & in via Philoſophorum; & in via Theologorum quidem non poteſt negari; Principaliter autem Scotus illam pertractat in via Theologorum, & ideò illam examinabo in Theorematibus Theologicis Deo dante; nunc in via Philoſophorum illam pertracto. Scotus ergo ponit duas Concluſiones. Primã. Obiectum adæquatum intellectus ex natura potentiæ eſt ens in communi. Secundã. Obiectum intellectus adęquatum pro ſtatu iſto, eſt quidditas rei ſenſibilis.

Pro prima Concluſione arguit Scotus multis rationibus; pręcipua eſt hęc in via Philoſophica, quę ſimul impugnant opinionem D. Thomę, aſſerentem, ex natura potentię eſſe quidditatem rei materialis.

1. ro. Primò. Nulla potẽtia fertur in aliquid, quod ſit extra obiectum ſuum adęquatũ. Hęc patet ex ſe: illud enim eſt obiectum adęquatum potentiæ, quod adæquat totam virtutem potentię, ita quòd potentia illa non poteſt in aliud, quàm in tale obiectum, alioquin non eſſet obiectum adęquatum. Hoc etiam patet experientia: quia potentia viſiua, non poteſt in aliud, quàm in colorem, ſiue in viſibile; neque poteſt cognoſcere aliquid ſub communiori ratione, quàm ſit color, vel viſibile. Idem patet de alijs potentijs, in reſpectu ad obiecta adęquata. Minor. Sed ſic eſt, quòd intellectus noſter fertur in aliquid, & illud cognoſcit, quod tamen nõ continetur ſub quidditate rei materialis, ſed ſolum ſub ente in cõmuni, ergo quidditas rei materialis non eſt obiectum adęquatum intellectus, ſed ens in communi. Minor probatur: quia intellectus noſter cognoſcit Metaphyſicalia, & tamen illa non continentur ſub quidditate rei materialis, quia ſeparata ſunt à materia, ſed ſolum ſub ente. Minor itaque eſt vera: & ſic ſequitur Concluſio, quod obiectum intellectus eſt ens.

Secundò. Nullum deſiderium naturale eſt ad impoſſibile: quia tunc tale deſiderium eſſet fruſtra; nihil tale autem facit natura: at intellectus habet naturale deſiderium cognoſcendi entia immaterialia, quę non continentur ſub quidditate materiali, ſed ſolum ſub ente, ergo tale deſiderium non eſt fruſtra, neque ad impoſſibile, ergo poteſt illas ſubſtantias intelligere, ergo obiectum intellectus noſtri adæquatum, non eſt quidditas rei materialis, ſed ens. Minor probatur: quia intellectus videns effectum, deſiderat cognoſcerę cauſam, & cognita cauſa in vniuerſali, deſiderat eam cognoſcere in particulari: entia autem immaterialia, ſunt cauſę horum effectuum materialium, & ex hoc apparet Minorem eſſe veram, & conſequenter quod obiectum adęquatum intellectus, non eſt quidditas rei materialis, ſed ens in communi. 2.

Tertiò, & concludit, quaſi cum prima ratione. Quidquid cognoſcitur per ſe, à potentia cognitiua, vel eſt eius obiectum primum, vel continetur ſub illo obiecto: ens autem vt eſt communius re ſenſibili, & quidditati materiali, per ſe intelligitur à Metaph. ergo ens, & non quidditas rei materialis, eſt obiectum adęquatum potẽtię intellectiuæ. Maior patet ex dictis in prima ratione. Minor quoque patet: alioquin Metaphyſica non eſſet ſcientia diſtincta à Phyſica. Hęc quo ad obiectum intellectus ex natura potentię. 3.

2. Cõcluſio Si verò conſideremus potentiam intellectus quo ad hunc ſtatum, & accipiamus pro obiecto non quodcũque, quod intellectus intelligere poteſt, ſed ſolum id, quod poteſt mouere intellectum, ponit aliam concluſionem, quæ eſt, quod obiectum motiuum intellectus, pro hoc ſtatu, eſt quidditas rei ſenſibilis. Ex hoc patet quòd Franciſcus Piccolomineus non rectè protulit mentem Scoti primo libro de humana mente, c.8. Hæc concluſio habetur à Scoto 1. Sententiarum, diſt. 3. q. 3. in calce quæſtionis, an verum ſit obiectum intellectus, ſoluendo vnum dubiũ litera F, & quodlibetis, q. 14. loco citato ſupra. Ad hanc Concluſionem habemus duo fundamenta; vnum ſecundum Theologos; aliud ſecundum Philoſophos. Secũdum Theologos diceremus, quod hoc prouenit ratione legum Diuinæ Sapientiæ, quibus ſtabilitum eſt, quòd pro hoc ſtatu ſolum illa intelligamus, quorum ſpecies in phantaſmate relucent, & vlterior ratio talis ordinationis poteſt adduci pęna peccati originalis: nam ait Auguſt. de Trinitate, lib. 15. cap. vltimo, vt refert Scotus 2. Sentent. diſt. 3. q. 8. ſoluendo primum principale, quòd cauſa cur acie fixa non poſſumus videre ipſam lucem, ſcilicet ęternam, eſt infirmitas: & hanc infirmitatem nos contraxiſſe propter iniquitatem, ibidem teſtatur. Sed dimiſſo fundamento Theologorum, cum Philoſopho dicimus, quòd cauſa eſt ordo, & concordia potentiarum naturalium animæ in operando, ſic enim diſpoſitę ſunt, quòd omnes operantur circa idem: vnde, tam ſenſus exteriores, quam interiores, & intellectus, verſantur circa idem: illud enim quod defertur à ſenſibus externis ad ſenſus internos, eſt, quod à ſenſibus internis cognoſcitur; & illud idem phantaſma eſt circa quod ſpeculatur intellectus. Cum ergo omnes iſtæ potentiæ concordes ſunt in operando, & circa idem, licet diuerſo modo, & excellentiori modo vna, quàm altera, ſequitur, quod nihil poſſit mouere intellectum noſtrum, niſi quòd mouet ſenſum: id autem quod mouet ſenſum, eſt ſolum quidditas rei ſenſibilis, vt dictum eſt in proprio quęſito: ideo iure ſtatuitur à Scoto quidditas rei ſenſibilis pro obiecto adæquato intellectus noſtri pro hoc ſtatu; & nota, quod per quidditatem ſenſibilem rei, non intelligit ſolum puram quidditatem ſenſibilem: ſed quidquid includitur virtualiter, vel eſſentialiter, vel cauſaliter in illa quidditate ſenſibili: & hac de cauſa intellectus poteſt cognoſcere Subſtantias abſtractas, & multa alia, quæ non ſunt propriè ſenſibilia per quidditatem ſenſibilem cognitam; ita quod pro hac Concluſione poſſumus ſic arguere; Illud obiectum adæquatum intellectus, quod eſt aptum mouere potentiam intellectiuam, & illam reducere ad actum: ſed ſic eſt, quòd ſolum illud eſt quidditas rei ſenſibilis, ergo quidditas rei ſenſibilis eſt obiectum adæquatũ intellectus. Minor probata eſt: quia omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu, & ex dictis in ordine intelligendi patet. Maior quoque eſt clara ex ratione obiecti adæquati; id enim ſolum eſt obiectum adæquatum, quod mouet aliquam potentiam, & eam ſolam, & illa potentia non poteſt in aliquid aliud præterquam in illud obiectum, vt ſuprà dictum eſt.

Picc. Hinc patet, quòd Franciſcus Piccolomineus lib. 1. de Mente humana, cap. 20. coincidit cum opinione Scoti, licet ipſe arbitretur aliud ſentire Scotum: nam in eod. c. ait ipſemet, quod obiectũ propriũ duob. modis accipi poteſt; Vel pro omni eo, ꝙ eſt aptũ natũ intelligi ab intellectu quouis modo, & ſic omnis eſſentia eſt obiectũ mẽtis. Ecce quod coincidit cum prima Concl. Scoti, quæ eſt, ꝙ ens eſt obiectũ adæquatum potentiæ ex natura potentiæ. Dicit deinde, quod accipiendo obiectum proprium adæquatum, pro eo quod eſt aptum natum mouere mentem, vel per ſuum phantaſma, vel per phantaſmata propriorum accidentium exiſtentium in eo, eſt quidditas rei materialis. Ecce, quod hæc Concluſio coincidit cũ ſecunda Concluſione Scoti, quæ eſt, quòd obiectũ adæquatum pro hoc ſtatu, ſcilicet obiectum motuum, eſt quidditas rei ſenſibilis: nã, ꝙ ipſe intelligit per quidditatẽ materialẽ, idem nos intelligimus per quidditatem ſenſibilem: quia oẽs intelligimus illud, quod poteſt mouere intellectum noſtrum ad cognoſcendum. Sed tamen eſt

hoc

hoc notandũ;quod melius, & magis propriè loquitur Scotus, quia quidditas rei materialis nõ mouet intellectum noſtrũ: nam vt ſupra patuit, Subſtantia non mouet intellectum, neque illum immutat ad ſui intellectionem, ſed eſt Accidens; quidditas autem rei materialis ſignificat propriè quidditatem ſubſtantiæ materialis: quia materia eſt Subſtantia, & pars Subſtantiæ materialis: ideo non poſsumus iure, & propriè loquendo, dicere, quod quidditas rei materialis moueat intellectum, ſed eſt Accidens quòd eſt propriè ſenſibile, & ſic quidditas accidentiũ eſt, quæ mouet intellectum, & Subſtantia dicitur mouere intellectum, pro tanto, quia mouet intellectum, non per ſe, ſed mediantibus accidentibus exiſtentibus in ipſamet ſubſtantia, & ideo dicẽdo, quod obiectum motiuum adæquatum intellectus eſt quidditas rei ſenſibilis magis propriè loquimur; & confirmatur: quia dum dicimus quidditatem rei materialis eſse obiectum, videmur cõprehendere quidditatem accidentis, quę primo mouet intellectum, quia accidens non eſt propriè loquendo, materiale, quia non conſtat ex materia, ex qua, ſed ſolum in qua, vt longo ſermone docet Ariſt. 12. Metaph. ante textũ 26. ſed ſolum dicuntur materialia: quia inſunt ſubſtantiæ materiali, ideo rectius dicimus obiectum motiuum adæquatum, eſse quidditatem rei ſenſibilis, quia ſic explicitè, & propriè exprimimus obiectum motiuum intellectus. Rationes autem ibi adductæ pro quidditate materiali, concludunt (quæ concludunt) pro quidditate ſenſibili, cum pro vno, & eodem accipiantur.

Exponitur opinio D. Th. cum ſuis fundamentis, & reijcitur. Cap. 11.

Circa primam Concluſionem eſt diſſenſio inter Scotum, & D.Th. nam
D.T. D.Th. prima parte Sũ. q. 12. art. 4 in corpore, apertè ſuſtinet, quod quidditas rei materialis eſt obiectũ adæquatum intellectus noſtri, ex natura potentiæ, quærit enim ibi, an intellectus noſter proprijs viribus naturalibus poſſit videre eſſentiam diuinam? & reſpondet negatiuè; adducẽs autem rationem dicit, quòd obiectum debet proportionari potentiæ in modo eſsendi; Vnde ſi modus eſsendi rei cognitę, excedat modum eſsendi potentiæ cognoſcẽtis, neceſse eſt etiam quòd cognitio illius rei cognitæ ſit ſupra naturam rei cognoſcentis: adeo, quòd ſecundum D. Thom. omnis potentia cognoſcens, ex natura ſua habet, quod cognoſcat ſolum ea, quæ habent eundem modum eſsendi, quem habet ipſa potentia, & natura cognoſcens; quod ſi habent diuerſum modum eſsendi à re cognita, ipſa res cognita eſt improportionata tali naturæ cognoſcenti, & ſi illam rem cognoſcat, hoc eſt per modum ſupernaturalem; non autem naturalem; Ratio huius fundamenti deducitur vlterius ex alio fundamento, nempè, quia cognitio contingit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente, cognitum autem eſt in cognoſcente, per modum cognoſcentis, vnde ſi modus eſsendi rei cognitæ ſit diuerſus à modo eſsendi naturæ cognoſcentis, non poteſt recipi in cognoſcente, & ſic non poteſt ab illa natura cognoſci: quia pro tanto res cognoſcitur, pro quanto eſt in cognoſcente. Hoc habito fundamento, facit diſtinctionem: triplex eſt potentia cognoſcitiua; Alia eſt omnino coniuncta materiæ in eſsendo, & operando, vt ſenſus, qui vtitur organo in operando; Alia eſt omnino ſeparata à materia, & in eſsendo, & in operando, vt intellectus abſtractorum; Alia autem eſt coniuncta materiæ in eſsendo ſolum: ſed non in operando, vt intellectus noſter: quia non vtitur organo; ea igitur, quæ nõ habent eſse, niſi in materia indiuiduali, & ſignata, cognoſcere eſt nobis connaturale, eo quod anima noſtra, per quã cognoſcimus, eſt forma alicuius materiæ, & tũc habent eundem modum eſsendi res cognita, & potẽtia cognoſcens; hæc autem, quæ ſunt in materia ſignata, habẽt duplicem modum eſsendi in illa; Alia enim sũt omninò in illa, & quo ad eſse, & quo ad cognoſci, vt ſingularia, & hæc cognoſcit mediãte ſenſu, quia eſt potentia cõiuncta materię, & quo ad eſse, & quo ad operari; alia sũt ſeparata à materia quo ad cognoſci, ſed non quo ad eſse, vt ſunt vniuerſalia, quæ quidẽ ſunt in ſingularibus, ſed nõ in-

intelliguntur, vt in ſingularibus, ſed vt abſtrahuntur, hæc cognoſcit intellectus, qui eſt potentia cognoſcitiua coniuncta materiæ, quo ad eſſe, quia eſt forma materiæ, ſed non quo ad operari, quia operatur ſine organo: illa verò, quæ ſunt ſeparata à materia quo ad eſſe, & quo ad cognoſci, vt intelligentiæ, cognoſcuntur ab intellectu ſeparato à materia quoque, quo ad eſſe, & quo ad operari, & ſic concludit, quod intellectus noſter ex natura potentiæ non poteſt cognoſcere eſſentiã Dei quia eſt ſeparata à materia, quo ad eſſe, & quo ad cognoſci, & ſic habet diuerſum modum eſſendi, à modo eſſendi intellecrus, adeo, quod ſolum anima noſtra ex natura potentiæ poteſt intelligere quidditatem rei materialis, ſenſus quidẽ res ſingulares, intellectus verò quidditatem rerum ſingularium, & materialium: & ſic relinquitur, quòd de mente D. Thomæ obiectum adæquatum intellectus noſtri, ex natura potentiæ eſt quidditas rei materialis. Hæc eſt opinio D. Thomæ cum ſuis fundamentis, vt videre eſt in præcitato loco, & alibi ſæpè.

Reijcitur. Contra hanc opinionem ſunt rationes adductæ nunc ſupra pro opinione Scoti, ſecundum Theologos, quod ſit falſa oſtendo in 4. diſp. 42. c. 2. quod vero ſit falſa ſecundum Philoſophos, nunc probatur per rationes adductas pro opinione Scoti:
1. rō. probant enim quod nihil minus commune enti, poteſt eſſe obiectum adę quatum intellectus, quidditas autem rei materialis eſt multo minus communis, quàm ens, ſequeretur enim quod non poſſemus habere cognitionem de rebus Metaphyſicalibus, neque de intelligentijs, quia non cadunt ſub quidditate rei
2. materialis, quod tamen eſt falſum. Contra hanc eandem opinionem militant rationes, quas facit Antonius Andręas, 2. Metaphyſices, quæſtione 3. Præterea, fundamentum, quo hæc opinio innititur, eſt falſum, & contra ipſum ſic arguit Scotus. Verum eſt quidem, quod obiectum debet eſſe proportionatum potentiæ, ſed hæc proportio non eſt in modo eſſendi, ſed eſt proportio mouentis, & mobilis, obiectum enim mouet potentiam ad operandum. Tunc ſic arguo. Proportio motiui, & mobilis requirit diſſimilitudinem in modo eſſendi; at proportio obiecti, & potentiæ cognoſcitiuæ eſt proportio motiui, & mobilis, ergo requirit diſſimilitudinem in modo eſſendi circa motiuum, & mobile; falſum eſt ergo, quod proportio obiecti, & potentiæ debeat eſſe in modo eſſendi, quod erat fundamentum opinionis D. Tho. Maior probatur à ſimili in omnibus, nam actus, & potentia, cauſa, & effectus, & alia proportionata in actione patet, quod habent diſſimilem modum eſſendi; vnde oculus videt Cælum, & tamen non habet motum eſſendi ſimilem Cælo: quia Cælum eſt incorruptibile, viſus autem corruptibilis; Minor eſt ex ſe euidens, & conceſſa etiam ab alijs.

Defenſio pro D. Thoma, & confutatio eiuſdem. Cap. 111.

IAuellus 3. libro de Anima, quæſtione de obiecto intellectus poſſibilis, aperte ait, Scotum, & alios decipi, quia mentem D. Thomæ non perceperunt; vnde ait, D. Thomam aſſerere quoque obiectũ adæquatum intellectus ex natura potentiæ, eſſe ens; & hoc probat in quæſtione prima de obiecto intellectus; quando autem D. Thomas dixit quidditatem rei materialis eſſe obiectum intellectus, loquitur de obiecto adæquato pro hoc ſtatu, ſiue de obiecto motiuo intellectus pro hoc ſtatu: manifeſtum eſt autem, quod hoc eſt quidditas rei materialis, & ideo fruſtra arguunt Scotus, & alij contra D. Thomam. Si hæc ſit mens D. Thomæ, patet quod Scotus, & ipſe concordes ſunt, ſed re vera hæc non eſt mens D. Thomæ, vt patet inſpicienti opinionẽ eius, quàm retulimus: clarum eſt enim, quod loquitur D. Thomas de obiecto adæquato intellectus ex natura potentiæ, vnde aſſignans rationem, propter quam quidditas rei materialis eſt obiectum intellectus, ſumpſit fundamentum à natura potentiarum cognitiuarum, non à ſtatu, & dixit animam noſtram ex eo, quod eſt forma materiæ, non poſſe cognoſcere niſi ea, quæ ſunt materialia: modo, quod anima ſit forma materiæ, competit ei ex propria natura, & per hoc diſtinguitur ab intel- *Iau.*

intelligentijs;ergo cum dixit obiectum intellectus eſſe quidditatem rei materialis, locutus eſt de intellectu ſecundum naturam potentiæ, non pro hoc ſtatu tantũ: immò loquendo de cognitione eſſentiæ Diuinæ, quam ſecundum Theologos habebit anima noſtra in alio ſtatu,ait, quòd illam non habebit ex virtute potentiæ propriæ intellectus,ſed per lumen gloriæ, & ſupernaturaliter: quia ex propria virtute ſolum obiecta naturalia intelligere poteſt, ergo loquitur ex natura potentiæ in quocumque ſtatu.

nie. Ideo Caietanus in expoſitione articuli quarti illius,quæſtione 12.multa dicit,vt tueatur D.Thomam,& quorum maxima pars pertinet ad Theologos:tamen prout ſufficit ad præſentis quæſtionis dilucidationem, pauca quædam adducam, licet difficile admodum ſit colligere,quæ ſit eius ſententia;difficultatibus enim preſſus modo in hanc partem, modo in aliam ſe vertit. Aliter igitur reſpondet pro D.Th. quam Iauellus, & concedit mentem D. Thomæ eſſe quòd quidditas rei materialis eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri ex natura potentiæ, vt patet ex ijs, quæ dicit in corpore illius expoſitionis,& reſpondendo ad argumenta, & maximè ad quartum,vbi habet hæc verba.Concedo,quòd intellectus ex natura ſua non poteſt quidditatiuè cognoſcere altius quid quam ſit natura animæ noſtræ; cum quo tamen ſtat,quod poteſt per gratiam eleuari ad cognoſcendum quidditatiuè,etiam Deum:non enim inconuenit, potentiam eleuari ad cognoſcendum aliquid quidditatiuè,quod eſt extra obiectum quidditatiuè cognoſcibile à ſe naturaliter.Ex his verbis apparet,quòd ſecũdum eum obiectũ adæquatũ intellectus ex natura potẽtię cognoſcibile, quidditatiuè ab ipſo eſt eiuſdẽ ordinis,& generis, cuiꝰ eſt anima, neque aliud ens altioris generis, vel ordinis poteſt intelligi, & percipi ab anima quidditatiuè ex natura animæ:anima aũt eſt quidditas materialis, quia eſt forma materiæ, & ſic obiectum eius materialiter,& quidditatiuè cognitum, eſt quidditas rei materialis, quia eſt eiuſdem ordinis cum anima, Si verò loquamur ſecundum gratiam Dei, poteſt quidem etiam intellectus noſter Deum intelligere, & hoc eſt, quod dicit quidditatem rei materialis eſſe obiectum intellectus adæquatum intenſiuè ſolum, non extenſiuè,quia obiectum intellectus extenſiuè eſt omne ens, nam anima ex propria natura non poteſt intendere plus quam in quidditatem rei materialis:ſed ex gratia poteſt extendere ſe ad cognitionem cuiuſuis entis, etiam extra quidditatem rei materialis, & quia Scotus impugnauit fundamentũ D.Thomæ, ex quo hæc Concluſio deducitur,quod erat hoc.Potentia cognoſcẽs, & obiectum cognitum, debent eſſe proportionata in modo eſſendi; ex quo poſtea deducebatur, quod cum anima ſit forma in materia, obiectum eius eſt ſolùm quidditas materialis; Illud fundamentum nititur declarare, & corroborare,ſed circa hoc multa dicit,quæ quomodo vera ſint,ſtudioſus lector diſcutere poterit(neque enim omnia eius dicta,& Aduerſariorum non vera impugnare decreui, ſed ſolum vbi doctrinam Scoti impugnare, & debilitare conantur) quantum tamen pertinet ad præſens negotium, inquit,quod Scotus imponit literæ D. Thomæ falſum,nempè, quòd dicat D. Thomas, debere eſſe æqualitatem, ſeu ſimilitudinem inter cognitum,& naturam cognoſcitiuam ſecundum ſe, (neque enim ait ipſe hoc ſomniauimus)declarat deinde ſenſum literæ, & fundamentum D. Thomæ ſatis perplexè, tamen habet hæc verba(litera hic docuit,quod inter cognitum, & naturam cognoſcitiuam ſecundum ſe exigitur non exceſſus ex parte cogniti,& ſermo eſt de non exceſſu in modo eſſendi generico,& cognito quidditatiuè, ac naturaliter)quæ verba perſpectis antecedentibus, ſunt implicata ſatis: tamen videntur inferre ſecundum Caietanũ fundamentũ D.Thomæ eſſe hoc. Debet eſse proportio inter cognitum,& potentiã cognoſcitiuam,ſic,quod cognitio quidditatiua obiecti, non debet excedere modum cognoſcendi potentiæ, & inſuper debet habere eundem modum eſſendi, non quidem ſpecificè,ſed genericè, ita quod debent eſſe eiuſdem ordinis,& generis, non autem cognitum debet eſſe altioris ordinis, ita quod modus eſſendi obiecti cogniti,

gniti, excedat modum eſſendi potentiæ cognoſcitiuæ,quia cognitio huiuſmodi cogniti,excedit vires naturæ inferioris. Scotus autem arbitratur D.Thomam voluiſſe,quòd potentia cognoſcitiua,& obiectũ cognitum ſint æqualia & ſimilia in modo eſſendi ſpecifico: ſiue quod debeant habere naturam eiuſdem ſpeciei; vnde arguebat.Oculus videt Cælum, nec tamen habet eundem modum eſſendi, quia Cælũ eſt incorruptibile,viſus corruptibilis; Ecce quòd non habent eundem modũ eſſendi in natura ſpecifica, quia ſunt diuerſarum ſpecierum; Sed non valet argumentum,inquit Caietanus,quia ſunt eiuſdem
t 55. generis in modo eſſendi, quia Cælum in quantum eſt viſibile,eſt mixtum,& ſic cognitum, nempè Cælum non excedit modum eſſendi oculi. Argumenta autem Scoti concludunt, quòd non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei ſecundum ſe, & ſecundũ eſſe reale, & ſic non ſunt contra D. Thomam. Et hoc fundamento reſpondet ad obiectiones Scoti,contra fundamentũ ab eo adductas,quæ omnes ferè sũt Theologicæ.Ad eam vero rationẽ, quam ego ex oculo ſupra adduxi,inquit,patet,quòd ꝓcedit ex falſo intellectu fundamenti D. Thomæ,concludit enim quod obiectũ,& potentia cognoſcens,nõ poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei,& ordinis ſecundum eſſe naturæ,quod non negatur à D.Thoma. Ad rationes contra Concluſionem non reſpõdet,neque illas adducit, forſan quia putauit,quod eſſent extra propoſitum; Verum
Reÿcitur. quòd hæc defenſio Caietani nulla ſit, facilè cõſpicitur ex rationibus adductis à Scoto;Primò,ipſa Cõcluſio eſt falſa, ſcilicet, quod quidditas rei materialis ſit obiectũ adæquatum ex natura potẽtiæ, vt probãt rationes ibi adductæ, & præſertim illæ. Contra reſponſionẽ ad rationes cõtra Cõcluſionem Nulla enim potentia poteſt vllo modo attingere obiectũ ſibi improportionatum:ſed ſic eſt quod Subſtantiæ immateriales per Aduerſarios ſunt obiectũ improportionatum, & etiam entia metaphyſicalia intellectni noſtro,ergo intellectus noſter nullo modo poteſt illas attingere,neque perfecto modo,neque imperfecto, quod tamen eſt falſum; maior patet ex ratione obiecti adæquati,quæ ſuperius toties dicta eſt,patet etiam à ſimili in alijs potentijs cognitiuis, nam viſus non poteſt videre aliquid,quod non ſit coloratum,neque enim perfecto, neque imperfecto modo poteſt videre ſonum,vel ſaporem, quia hæc ſunt extra ſuum obiectum adæquatum.

Præterea,deſiderium noſtrum naturale, non eſt ad cognoſcendum illas Subſtantias imperfecto modo: ſed deſiderat illas cognoſcere quidditatiuè,ergo ex natura potentię eſt inclinatio ad illas cognoſcendas;hoc deſiderium non eſt fruſtra, ergo dicendum eſt, quòd intellectus noſter non eſt reſtrictus ad quidditates materiales cognoſcendum ex natura potentiæ,ſed vltrà ſe extendit, ſcilicet ad omne ens.Ad ſunt aliæ rationes, quas non oportet recenſere.

Quod etiam fundamentum,de quo eſt *Con-* lis,ſit falſum, probatur, quia vt videtur *tra* gloſſa hæc Caietani poteſt habere quat- *fund.* tuor ſenſus ad ſummum; Primus eſt, quòd obiectum ſecundum cognitionem quidditatiuam naturalem, non debet excedere modum cognoſcendi potentię cognoſcentis.Secundus, quod obiectum cognoſcens,& potentia cognoſcitiua,debent eſse ęqualia in modo eſsendi generico: ſcilicet, debent eſse entitatis eiuſdem generis;Tertius ſenſus eſt, quod obiectum, & potentia cognoſcitiua, licet non ſint eiuſdem generis, tamen conueniãt in modo eſsendi genericè,vt puta,quia vtrumque eſt mixtum. Quartus, quòd obiectũ, & potentia, debent conuenire in modo eſsendi cognito generico,ſcilicet,obiecto, & potentię debet competere idem genus cognoſcibilitatis,vel cognitionis.Sed pro clara cognitione iſtius Theorematis, & pro perſpiciendis erroribus Caietani, eſt notandum,quòd verum eſt quidẽ, quòd cognitum recipitur in cognoſcente per modum cognoſcentis,ſcilicet, quidquid intelligitur ab anima, intelligitur eo modo, quo ipſa anima eſt apta nata res intelligere: anima autem eſt apta nata intelligere res ſolum per abſtractionem, & per ſpecies intelligibiles, & per phantaſmata ſenſibilia,ideo quidquid intelligit, hoc modo intelligit, & ſic lapis cognitus eſt in cognoſcente per modum cognoſcẽtis,

tis,quia recipitur in cognoſcente per ſpeciem ſuam, & mediantibus phantaſmatibus.

1. ſenſus. Ex hoc fundamento ſequitur falſitas primi ſenſus: non enim ex hoc ſequitur, quod obiectum adęquatum potentię noſtræ intellectiuę, ſecundum quidditatiuã, & naturalem cognitionem, non debeat excedere modum cognoſcendi potentiæ ipſius intellectiuę: quia tunc nullum erit obiectum adęquatum intellectus, quia quodlibet ens imperfectiſſimum, excedit hunc modum cognoſcendi intellectus noſtri, ſecundum naturalem ſuam cognitionem quidditatiuam: quoniam ſecundum ſuam naturam eſt cognoſcibile intuitiuè, & abſque ſpecie, & abſque phantaſmatibus, & abſque ſenſuum adminiculo, & lucidiori modo, quàm pro hoc ſtatu cognoſcatur; propter enim hanc colligantiam potentiarum ſenſitiuam cum intellectu, non poteſt intellectus cognoſcere res perfectiori modo: at in alio ſtatu lucidiori, & excellentiori modo cognoſcemus res, & illa erit cognitio quidditatiua, & naturalis rebus ipſis, non ſupra vires illarum rerum; & hæc ratio apud Theologos vim habet; Pręterea, quodlibet ens eſt cognoſcibile, & in facto cognoſcitur quidditatiuè ab Angelo: quia cognitio quidditatiua rei eſt perfectior, quàm poſſit haberi de illa re; Angelus autem perfectiſſimo modo cognoſcit quodlibet ens, etiam imperfectiſſimum; & hęc non repugnat rebus, immo maximè competit. Angelus autem habet alium modum cognoſcendi diuerſum ab anima, vt patet; ergo quodlibet ens, excedit ſecundum propriam cognitionem naturalem, & quidditatiuam modum cognoſcendi potentię noſtrę intellectiuę; & hę duę rationes vitari non poſſunt à Theologo.

1. rō. Sed Philoſophicè ex hac propoſitione deſumitur argumentatio pro nobis. Quia tunc omne ens erit obiectum adęquatum intellectus noſtri, & nullum ens excedet modum cognoſcendi potentię intellectiuę, quod ipſi negant; probatur: Quidquid intelligitur; intelligitur eo modo, quo eſt aptum natum intelligi ab anima; Probatur: nam intellectus poſſibilis eſt omnia fieri, quia hoc modo ſibi competit, ſcilicet, per abſtractionem intelligere omnia, & intellectus agentis eſt omnia facere, vt patet ex 3. de Anima, & confirmatur, quia intellectus intelligit omnia materialia, & immaterialia eodem modo, vt patet de entibus Metaphyſicalibus, & illa eſt cognitio quidditatiua, alioquin in lib. 12. Metaphyſices, in quo agitur de ſubſtantijs abſtractis, non haberemus prædicata quidditatiua de Deo, & Intelligentijs; quãdo autem de aliquo ſubiecto habemus prædicata quidditatiua, illud quidditatiuè cognoſcimus; Cum ergo omne ens recipiatur in intellectu noſtro ſecundum modum intellectus noſtri, & ſecundum quidditatiuam, & naturalem ſuam cognitionem, omne ens erit obiectum intellectus noſtri, & ſic ens in communi erit obiectum adæquatum.

Præterea, ex hoc admiſso ſecundum eorũ intellectum, non poteſt concludi, quòd quidditas rei materialis ſit obiectum adæquatum intellectus: quia quidditas rei ſpiritualis, vt ſpecies intelligibilis & ſpecies ſenſibilis ſecundum quidditatiuam eſsentiam ſuam non excedunt modum cognoſcendi intellectus noſtri: at ipſæ non ſunt quidditates materiales, ſed ſpirituales, vt per ſe patet, & nos declarauim⁹ in Theoremate de lumine, ergo obiectum adæquatum non eſt quidditas rei materialis, ſed quidditas rei ſenſibilis, vt dixit Scotus in ſecunda Concluſione, quæ quidẽ Concluſio non eſt vera, conſiderãdo capacitatem potentiæ ex natura potentiæ, ſed pro hoc ſtatu. Quod ſi Caietanus velit intelligere de obiecto intellectus pro hoc ſtatu aliquo modo poſset conciliari, vt dictum eſt capite 2. ſed ipſe intelligit de obiecto adæquato potentiæ ex natura potentiæ. 2. rō.

Præterea, inquit Caietanus in eodem Cõmento, quod radix cognitionis eſt, vt virt⁹ cognoſcitiua fiat res cognita: & hęc fundatur ſuper hoc, quod cognitũ eſt in cognoſcẽte per modum cognoſcentis; ex quo deducit, quod ſi natura cognoſcentis eſt inferioris ordinis, quàm natura cogniti, non poterit cognoſcere illud ex proprijs viribus quidditatiuè, quia non põt fieri illud, niſi modo ꝓprio ipſi virtuti cognoſcenti, quod eſt, non eſse illud, niſi diminuta quadã participatione, quę ad viſionem, 1. rō.

ſionem, id eſt ad cognitionem perfectam non ſufficit. Hoc fundamentum Caiet. eſt falſum: quia verum eſt quidem, quòd cognitio fit, quia intellectus fit res cognita: dum enim intellectus intelligit lapidem, fit lapis per ſimilitudinem, quia recipit lapidis ſpeciem; ſed dum inquit ſequi ex hoc, quod anima noſtra non poteſt intelligere ſubſtãtias abſtractas quidditatiuè, quia nõ poteſt fieri illas, niſi proprio modo, ſcilicet, per ſpeciem, quod eſt fieri illas diminuitè, conſequentia eſt falſa: quia ſi hæc eſſet ratio propter quàm intellectus non poteſt intelligere ſubſtantias abſtractas quidditatiuè, ſequeretur quod anima noſtra intellectiua non poſſet intelligere res materiales quidditatiuè, neque ſeipſam, non res materiales, quia illas intelligit per ſuas ſpecies intelligibiles, & ſic fit res materiales diminutè: neque enim anima intelligendo lapidem, fit lapis ſecundum eſſe lapidis perfecti, ſed ſecundum eſſe diminutum, & per ſimilitudinem; neque ſeipſam: quia intelligit ſe per ſpecies aliarum rerum materialium, & euadendo aliæ res diminutiuè, in illis intelligit ſeipſam. Hęc ergo ratio eſt vaniſſima.

2. ſẽſ. Secundus ſenſus, nempè quòd inter obiectum, & potentiam cognoſcitiuam requiratur proportio in modo eſſendi generico id eſt quod ſint entitatis eiuſdem generis (propter hoc enim D. Thom. ponit quidditatem rei materialis eſſe obiectum adæquatum intellectus: quia anima quoque eſt quidditas materialis, & ſic ſunt eiuſdem generis in entitate) quoque eſt falſus: quia intellectus noſter intelligit plãtas, lapides, & mineralia, & tamen non ſunt eiuſdem generis cum anima, quia anima continetur ſub animali, illa verò nequaquam. Dices, licet non conueniant in hoc genere proximo animali, conueniunt in remoto, ſcilicet, in ſubſtantia corporea. Contra à pari ergo intellectus noſter poterit cognoſcere ex natura potentiæ ſubſtantias abſtractas, quod tu negas, quia illæ quoque conueniunt in genere remoto cum anima noſtra: quia continentur ſub Subſtantia, & ſunt in Prædicamento Subſtantiæ, vt etiã ipſemet D. Thom. fatetur; Sed dices,

(reijc. 1. rã.)

conueniunt quidem in genere remoto, & Subſtantia, ſed differunt poſtea: quia hęc eſt forma materiæ, illæ ſine materia. Contra, ſufficit mihi quod conueniant in genere vniuoco, quia tunc ſunt eiuſdem ordinis, licet per aliquas differentias poſtea diſcrepent, nam etiam homo, & leo ſunt ſub eodem genere, & tamen per aliquas differentias differunt; vel ergo quando dicis cognitum, & virtus cognoſcitiua, debent conuenire in modo eſſendi generico, intelligis de modo eſſendi generico proximo, vel remoto: ſi de proximo, ergo anima ex natura potentiæ non poterit cognoſcere lapides, neque ligna, quia non ſunt ſub eodem genere proximo; Si intelligis de remoto, ergo poterit ex natura potentiæ intelligere ſubſtantias abſtractas, quia conueniunt ſub genere remoto, ſcilicet ſubſtantia, & hoc, licet negarent Auerroiſtæ, tamen Thomiſtæ hoc admittunt: quia ſecundum eos oportet quod æternum, & corruptibile conueniant in genere Metaphyſico, licet non Phyſico. Præterea, tunc non poſſet intelligere ea, 1. rã.
quæ ſunt in genere proximo, quia eſſet extra obiectum adæquatum. Præterea, anima eſt Subſtantia, Quantitas, & Relatio ſunt Accidentia; Accidens, & Subſtantia in nullo genere conueniunt, & ſic differunt in modo eſſendi generico, & tamen anima cognoſcit accidentia quidditatiuè. 2. rã.

Præterea, proportio obiecti ad potentiam cognitiuam eſt proportio motus ad mobile, hoc patet de obiectis aliarum potentiarum cognitarum, vt de obiecto ſenſuum: tunc enim ſunt proportionata, cũ mouere poſſunt potentiam, & talis proportio non requirit ſimilitudinem in modo eſsendi, ſed potius diſſimilitudinem, vt patet in obiectis aliarum potẽtiarum: nam alius eſt modus eſsendi viſibilis, alius oculi, ſiue viſus. 3. rã.

Nec tertius ſenſus eſt verus, ſcilicet, dicere, quod conueniunt in modo eſsendi generico, quia ambo ſunt mixta: quia ſi ſimilitudo modi eſsendi eſset ratio cur obiectum poſset mouere potentiam cognitiuam, quanto obiectum eſset ſimilius in modo eſsendi potentiæ, tanto facilius cognoſceretur ab illa potentia, & ſic illa, 3. ſẽſ. reijc.

quæ

quæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum potentia cognoſcitiua,& in proximiori genere,facilius,clarius, & diſtinctius cognoſcerentur: at videmus oppoſitum, quia intellectus facilius cognoſcit accidentia, quàm ſubſtantias,& inter ſubſtantias illas,quæ magis diſtant ab homine, quàm hominem, vt lapides, plantas, &c. ex horum enim cognitione venit in cognitionem hominis.

4.ſeſ. reyc. Si quis autem aſſerat Caiet. loqui in quarto ſenſu, ſcilicet, quod inter obiectum,& potentiam cognoſcitiuam requiratur proportio in modo eſsendi, cogniti,ſcilicet, quod obiectum, & potentia ſint eiuſdem cognitionis generis, improbatur.Cognitum,& potentia cognoſcens, non poſſunt conuenire in modo eſſendi cognito, niſi quantum ad entitatem conueniat, quia cognitio, & modus cognoſcendi ſequitur rem, & qualis eſt res, talis eſt eius cognitio,ſiue modus cognoſcédi eum: ſi enim obiectum cognitum habeat entitatem nobiliorem potentia cognoſcente, excedit proculdubio potentiã cognoſcentem in modo eſsendi cognito, vnde eſt alius, & nobilior modus eſsendi cognitioni,quæ competit Angelo, quàm animæ, ergo proportio in modo eſsendi cognito,reducitur ad modum eſsendi ſecũdum entitatem,ergo ſi inter obiectum, & potentiam per ſe requiritur modus idem eſsendi genericè cognitum, requiritur quoque modus eſsendi idem ſecundum entitatem: quia hic eſt radix illius, & tunc ſequuntur argumenta Scoti, vt prius. Vel alio modo formetur ratio. Dicere obiectum cognitum quidditatiuè, non debet excedere potentiam cognoſcétem in modo eſſendi, cognito generico (loquendo in hoc ſenſu)eſt idem,quod dicere obiectum cognitum quidditatiuè, debet eſſe cognoſcibile eiuſdem generis cognitionis,cuius eſt potentia cognoſcẽs; at quod competat huic obiecto, & huic tale genus,vel tale cognitionis genus,oritur ex entitate talis obiecti: quia cognitio ſequitur rem,& illa eſt vera cognitio, quæ competit rei, ſicuti eſt; non eſt ergo modus cognoſcendi,qui determinet rem cognoſcibilem, ſed entitas rei cognoſcibilis, ſiuè modus eſsendi rei cognoſcibilis eſt,qui determinat genus cognitionis. Ex hoc colligitur, quòd ſi inter obiectum cognitum requiritur proportio modi cogniti,quod hoc prouenit,quia obiectum, & potentia cognoſcens, habent eandem entitatem in genere, & eundem modum eſſendi in genere; hoc enim eſt fundamentum identitatis generis cognitionis. Si ergo inter obiectum non requiratur proportio entitatis in genere, neque etiã requiritur proportio modi eſſendi cogniti generici,ſiue non requiretur, quod ſint eiuſdem generis cognitionis:at per argumenta Scoti probatur, quod inter obiectum, & potentiam cognoſcentem, non requiritur proportio entitatis, ſiue modi eſſendi, ergo neque requiritur proportio in modo cognoſcendi generico,& ſic ruit defenſio Caietani.

Et quod reſpondet ad exemplum Oculi, & Cæli, quod Cælum habet eundem modum eſsendi viſibilẽ cum oculo, non eſt ad propoſitum:quia Scotus ſolum adduxit illud exemplum ad probandum, quod non requiritur inter obiectum, & potentiam proportio in entitate,& in modo eſſendi reali, & hoc concludit per illud exemplum, quod Oculus, & Cælum ſunt diuerſæ entitatis, & habent diuerſum modum eſſendi,& tamen Oculus videt Cælum. Præterea,dum dicit Caietanus, quod inter obiectum, & potentiam cognoſcentem, requiritur idem modus cognitionis in genere:vel intelligit, quod requiritur idem modus cognitionis in genere proximo, vel remoto: ſi primo modo, ergo anima non poterit cognoſcere aliquam aliam rem naturalem à ſe diſtinctam.Conſequens eſt apertè falſum. Conſequentia vero probatur: quia modus cognoſcendi aliarum rerum naturalium, eſt per proprias ſpecies: ſed animæ modus cognoſcẽdi eſt non per propriam ſpeciem,ſed per ſpecies aliorum, vt ipſemet D. Thom. & omnes fatentur, ergo modus eſſendi cogniti animæ,& aliarum rerum materialium, eſt diuerſus genere proximo. Item, alius eſt modus cognoſcendi Subſtantiæ, & alius Accidentis, vt in ſequenti Theoremate patebit: quia Subſtantia cognoſcitur mediantibus Accidentibus:ſed Accidens per ſeipſum:anima au-

Solu. Caie. ad argum Scoti reyc. 1. rõ.

2. rõ.

ma autem eſt Subſtantia,& non Accidẽs, ergo non poſſet cognoſcere Accidens. Si intelligat de genere remoto, ergo & ſubſtantiæ immateriales poterunt quidditatiuè cognoſci ab anima noſtra, quod ipſe negat. Probatur Conſequentia: quia habent eundem modum eſſendi cogniti quem ſubſtantiæ materiales, ſaltem in genere remoto: quia ſicuti ſubſtantiæ materiales cognoſcuntur per effectus, & accidentia naturalia, ita ſubſtantiæ abſtractæ cognoſcuntur per effectus, & accidentia rerum naturalium, vt patet, & eorum cognitio eſt quidditatiua: quia cognoſcuntur per conceptus proprios, ſicuti etiam de ſubſtantijs materialibus inueſtigamus conceptus proprios per eorum ef-
3. rõ. fectus. Confirmatur: quia viſus percipit colorem, & percipit illum per ſpeciem ſenſibilem coloris, tamen viſus, ſcilicet potentia viſiua, non percipitur ab alia virtute cognoſcente eam per ſpeciem aliquam ſenſibilem, quia potentia viſiua non eſt ſenſibilis, licet organum eius ſit ſenſibile, ſed ſolum intelligibilis, neque enim ab vllo ſenſu exteriori poteſt cognoſci, neque cõſequenter à ſenſibus internis: quia illi ſolum cognoſcunt ea, quæ ſibi ſubminiſtrantur à ſenſibus externis; alius eſt ergo modus cognoſcendi coloris; alius potentiæ receptiuæ coloris: & eſt alius nedum ſpecie, ſed genere: quia neque per ſpeciem percipitur, vti color, neque potentia eiuſdem ſpeciei, ſed à potentia diuerſa; non rectè ergo infertur ex hac propoſitione vera. Obiectum cognitum eſt in cognoſcente per modum cognoſcentis, ergo obiectum, & potentia cognoſcẽs, debet habere eundem modum cognoſcibilitatis; immò eſt omnino falſa. Probatur inſuper. Angelus cognoſcit res materiales, & ſic res materiales recipiuntur in
4. rõ. Angelo per modum, quo Angelus cognoſcit res, ergo res materiales, & Angelus, debent habere eundem modum cognoſcibilitatis? at patet, quòd non ſequitur, ſed eſt falſiſſimum: ſolum ſequitur ex hoc fundamento, quod potentia cognoſcens, non poteſt cognoſcere res, quibus eſt incompoſſibilis modus, quo talis potentia cognoſcit, vt ſubſtantia à ſenſu.

Obiectiones nonnullæ aduerſus opinionem Scoti adducuntur, & reijciuntur, & an verum ſit obiectum Intellectus, aperitur. Caput Quartum.

ADuerſus opinionem Scoti ſuperius explicatam, & probatam, quod Ens ſit obiectum Intellectus noſtri adæquatum, ſolent fieri variæ obiectiones, præſertim autem iſtæ ex Alphonſo Toletano 3. de Anima, quæſtione 1. deſumptæ.

Primò ergo impugnat opinionem in ſe, quò ad Concluſionem principalem. Illud non eſt obiectum adæquatum Intellectus noſtri, quod excedit improportionabiliter capacitatem intellectus noſtri. Huiuſmodi eſt Ens in tota ſua latitudine, vt dicitur de Deo, & Creatura, ergo. Maior eſt euidens. Minor probatur: quia Ens in tota ſua latitudine eſt obiectum adæquatum Intellectus Diuini, ergo excedit capacitatem Intellectus Creati. Conſequentia patet: quia Intellectus Diuinus excedit in infinitum capacitatem Intellectus Creati, ergo obiectũ eius quoque excedit in infinitum capacitatem Intellectus Creati. 1. rõ.

Confirmatur: Quia quandocumque duo Intellectus ſe habent per modum excedentis, & exceſſi, quidquid adæquat capacitatem, excedentis, excedit capacitatem exceſſi: ſic ſe habent Intellectus Diuinus, & humanus, ergo. Minor principalis probatur; quia Ens in ſua latitudine continet Ens finitum, & infinitum: ſolus autem Intellectus Diuinus intelligit infinitum, ideo Ens in tota ſua latitudine adæquat Intellectum Diuinum, & ſic excedit Intellectum creatum.

Secundò. Si obiectum adæquatum Intellectus noſtri eſſet Ens in ſua Communitate, ſine aliqua reſtrictione, ſequeretur, quòd Intellectus noſter poſſet cognoſcere Diuinam Eſſentiam, quæ eſt infinita, ſub ratione infinita. Conſequens eſt falſum, ergo. Conſequentia probatur: quia infinitum continetur ſub Ente in Communi accepto; infinitum enim eſt Ens. Falſitas Conſequentis eſt euidens: quia ſequeretur, quod Intellectus humanus 2. rõ.

manus eſſet infinitus, quod eſt impoſſibile.

3. rõ. Tertiò. Si Ens ſub ratione Entis eſſet obiectum adæquatum Intellectus humani,& creati, ſequeretur, quòd Ens infinitum, non eſſet adæquatum Intellectui creato,ſed excederetur ab Intellectu creato: ex quo ſequeretur, quod Intellectus creatus eſſet plus quam infinitus; Conſequens eſt apertè falſum;ergo.Conſequentia probatur;Nullum membrum contentum ſub obiecto adæquato alicuius potentiæ, adæquat illam potentiam: ſed ſic eſt,quòd infinitum eſt pars ſubiectiua entis in Communi, Ens enim in Communi continet ſub ſe Ens finitum, & infinitum,ergo infinitum Ens,non eſt adæquatum obiectum intellectus creati, ſed exceditur ab illo.

4. rõ. Quartò. Si Ens inquantum ens, eſſet obiectum adæquatum Intellectus,ſequeretur dari potentiam naturalem paſſiuã, cui non reſponderet potentia actiua naturalis:Conſequens eſt falſum,ergo & Antecedens. Conſequentia probatur:Quia Veritates Theologicæ ſunt Entia ſcibilia,& tamen naturaliter ſciri non poſſunt, ſed neceſſe eſt reuelari ab Agente ſupernaturali creato, Intellectus habet potentiam paſſiuam ad has veritates perficiendas,& non habet actiuam.Falſitas Conſequentis probatur:quia niſi daretur potentia actiua proportionata potentiæ paſſiuæ, illa potentia paſſiua fruſtra daretur in rerum natura.

Præterea,potentia paſſiua naturalis,& potentia actiua naturalis, non potentia ſupernaturalis, ſunt Correlatiua, ergo, poſita potentia paſſiua naturali,debet poni potentia actiua naturalis ei reſpondẽs, quia Relatiua ſunt ſimul natura, & eſt impoſſibile dari vnum Relatiuum, ſine ſuo Correlatiuo.

5. rõ. Quintò.Opinio Scoti nullum ponit diſcrimen in Ente quatenus eſt obiectum Intellectus Diuini, & quatenus eſt obiectum Intellectus Creati, quod omninò eſt impoſſibile.

6. rõ. Sextò.Ponit Scotus multa fundamenta falſa. Primum, quia ponit Ens habere differentias, per quas deſcendit in iſta ſpecialia. Secundo,quia ponit, quòd Ens non prædicatur quidditatiuè de paſſionibus, & differentijs tranſcendentibus. Tertium, quia dicit Ens eſſe vnius rationis ad Deum, & Creaturas, quæ omnia videntur falſa, vt ſuis locis oſtendere ſe aiunt.

Cæterum iſtæ obiectiones, quæ potius Theologicæ ſunt, quàm Philoſophicæ, ex dictis ſupra,facilè ſolui poſſunt:magis tamen facilè ſoluuntur ex prima diſputatione primi libri Sententiarum, ex declaratione 1. Argumenti principalis Scoti, quod eſt illud idem, quod primo hic conficitur ab Alphonſo, & ab alijs: & proinde ego aliàs hæc argumenta neglexi, nunc adduco, vt quibuſdam ſatisfaciam. *Solu.*

Ad Primum negatur Minor. Ad probationem reſpondetur, quòd aliud eſt obiectum naturalis inclinationis, & naturalis capacitatis; & aliud eſt naturalis attingentiæ; Ens eſt obiectum adæquatum Intellectus creati primo modo tantum; ſecundo modo eſt obiectum adæquatum Dei. Quod autem Ens in ſua latitudine, ſit obiectum adæquatum primo modo, patet: alioquin Intellectus creatus non poſset recipere cognitionem vllam Entis infiniti, vt infinitum eſt: ſicut viſus non poteſt percipere vllam cognitionem ſoni, quia eſt extra ſuum obiectum adæquatum. Et cum arguitur, Ens in tota ſua latitudine eſt obiectum adæquatum Intellectus Diuini, ergo excedit potentiam creatam, & ideò illi non adæquatur in capacitate,ſed excedit. *Ad 1.*

Reſpondeo ex Scoto in primo, diſtinctione prima,quæſtione prima, ad tertiũ principale,quod idem eſt obiectum adęquatũ Intellectus Diuini, & Creati, quò ad capacitatem,ſed eſt diuerſum,quò ad attingentiam: quia illud idem obiectum cuius vterque intellectus eſt capax,maiori modo eſt attingibile à Diuino, quàm à Creato; ideo obiectum intellectus Diuini, non eſt maius in ſe, neque quò ad capacitatem,ſed quò ad actum attingẽtiæ; quia Diuinus illud attingit ſecũdum omnem modum quò eſt cognoſcibile, non ſic Creatus.Exemplum:Viſus aliquis perfectus videt album, vt centum, aliquis

alius

alius viſus cæcutiens, videt illud album, vt decem tantum, obiectum vtriuſque viſus eſt idem in ratione obiecti, & ratione capacitatis;ſed ratione attingentiæ,& perfectionis, actus eſt maior reſpectu viſus perfecti, quàm viſus cæcutientis. Ita Ens in ſua latitudine eſt obiectum intellectus Diuini, & Creati, & nullum eſt diſcrimen:ſed ratione attingentiæ, & actus circa illud maius eſt reſpectu intellectus Diuini, quàm Creati, quia Diuinus illud percipit ſub perfectiſſima ratione,& omnimodo,intellectus Creatus imperfectiſſimè,& non omnimodo.

Ad 2. Ad ſecundum negatur conſequentia: quia ad cognoſcendum eſsentiam infinitam, & maximè ſub ratione infinita, requiritur virtus actiua in intellectu: non ſufficit enim capacitas infinita: intellectus autem creatus habet actiuitatem finitam,ideo non poteſt attingere obiectũ infinitum;tenendo autem intellectum ſolum paſſiuè concurrere ad intellectionem Dei claram,dico, quod ſi viſio creata infinita dari poſſet, intellectus creatus illam recipere poſſet,propter ſuam capacitatem infinitam: non poteſt ergo habere infinitam cognitionem; quia illa dari non poteſt in ſe, non quia intellectus illius non ſit capax,ſi daretur.

Ad 3. Ad Tertium. Negatur Conſequentia. Ad Probationem reſpondetur: quod ens infinitum,eſt pars ſubiectiua entis in Cõmuni, non vt ſpecies eſſentialiter diſtincta ab alia ſpecie ſub eodem genere, ſed vt totum diſtinguitur à parte: ens infinitum enim ſe habet veluti totum reſpectu entis finiti; quia ens diuiditur in illa per gradus intrinſecos,vt albedo in albedinẽ, vt centum, & in albedinem vt decem, ideò,potentia,quæ habet pro obiecto adequato Ens, habet etiam pro obiecto adæquato Ens infinitum, & ſic ex neutra parte eſt exceſſus.

Ad 4. Ad Quartum.Negatur falſitas Conſequentis; quia ſufficit,quod in tota coordinatione entium,detur agens ipſam deducens ad actum;Et per hoc patet ad primam probationem Conſequentis, quod fruſtra non datur. Ad ſecundam dicitur, quòd potentia actiua,& paſſiua ſunt Relatiua, ideò poſito vno, ponitur & reliquum;at potentia actiua naturalis,& paſſiua naturalis,non ſunt relatiua: vndè ſæpè potentia paſſiua naturalis, deducitur ad actum per potentiam actiuam ſupernaturalem,vt in propoſito.

Ad 5. Ad Quintum patet ex dictis. Ad primum, quomodo Ens eſt obiectum Intellectus Diuini,aliter,quàm Humani, licet ſit obiectum vtriuſque adæquatum: quia Diuini eſt obiectum adæquatum inclinationis,& attingentiæ perfectæ, Humani eſt tantum obiectum adæquatum inclinationis.

Ad 6. Ad Sextum iam dictum eſt de vnaquaque illarum difficultatum in proprijs locis, & Theorematibus, ideo non ſunt repetenda.

An verũ ſit obiectum intellect⁹. Ex dictis patet, quòd Verum non eſt obiectum intellectus propriè loquendo: quia non continet ſub ſe omnia intelligibilia; Verum enim, quod eſt relatiuum, ſcilicet, conformitas rei ad Intellectum, eſt paſſio entis, ideò non continet ſub ſe entia abſoluta intelligibilia,neque ipſum ens cum ſit eius paſſio:paſſio autem non continet ſub ſe ſuum ſubiectum, poteſt tamen aliquo modo dici Verum eſſe obiectum inellectus: quia Verum eſt paſſio entis,quòd eſt obiectum adæquatum Intellectus;& illi ineſt in ordine ad Intellectum. Ens enim pro tanto dicitur Verũ, quia eſt intelligibile ab Intellectu eo modo quo eſt.

An bonũ ſit obiectum voluntatis. Sed de hac re, & de obiecto Voluntatis, an ſit Bonum, ſeorſum tractamus in diſputatione. An Intellectus ſit potentia nobilior Voluntate;vel è conuerſo: res enim hęc eget multa diſcuſſione,ideò non poteſt hic pertractari.

THEOREMA LXXXVI.

Singulare non cognoſcitur pro hoc ſtatu, ſub conceptu proprio ſingularitatis, cognitione abſtractiua.

Exponitur ſententia Scoti cum ſuis fundamentis; & rationes in oppoſitum ſoluuntur. Cap. Vnicum.

HÆC propoſitio habetur in Scoto pluribus in locis, in libris Sent. & præſer-

præſertim 2.Sent.diſt.3.quæſt.11.ſoluendo ſecundam rationem pro Henrico; vbi dicit,quòd licet ſingulare ſit per ſe cognoſcibile,non tamen intellectus noſter illud cognoſcit pro hoc ſtatu; quia hoc eſt imperfectionis in intellectu noſtro; ſed in alio ſtatu,vbi intellectus non erit imperfectus,illud cognoſcet.Sed clarius habetur 4. Sententiarum, diſtinctione 45. quæſtione 3. reſpondendo ad tertium principale,vbi dicit, quod ſingulare eſt cognoſcibile ſub proprio conceptu ſingularitatis cognitione abſtractiua, ſed non pro hoc ſtatu.Sed clariſſimè ponitur in 3.Sententiarum, diſtinctione 10. quæſtione 3. reſpondendo ad vltimum principale,vbi docet, quam ob cauſam intellectus animæ Chriſti cognoſcebat ſingularia ſub proprio conceptu ſingularitatis cognitione abſtractiua: intellectus autem noſter hoc non poſſit efficere in via. Hanc Concluſionem ponit etiam apertè in 7.Metaphyſ.quæſt.15.& eam probat;& licet ea, quæ in quæſtionibus illis Metaphyſicalibus dicit, ſint valdè ſuſpecta, quia ſunt valdè implicata, neque clara, ſed vt plurimum, quid velit aſſerrere cognoſcere ſit impoſſibile: tamen hac in re eſt ſatis dilucidus,& clarus,ideò poterit vnuſquiſque eum locum videre.Ratio fundamentalis huius Concluſionis eſt hæc adducta in 3.Sent.loco citato, & etiam 1. Senten. diſtin.3.quæſtion.6.reſpondendo ad primum principale,& in Metaphyſica: quia intellectus noſter pro hoc ſtatu, non intelligit rem,niſi eo modo,quo ſibi præſentatur à phantaſmatibus: quia nihil eſt in intellectu,quin prius fuerit in ſenſu; neque enim intellectus poteſt ferre ſe in aliquam entitatem ſine ſenſu, & hoc euenit loquendo Philoſophicè propter ordinem, & connexionem naturalem potentiarum,quæ ſic ſunt diſpoſitæ: ſed ſecundum Theologos dicimus, quòd euenit propter peccatum;vt ait Scotus ex Auguſtino 1.Sent.d. 3. q. 3. parum ante quam ſoluat argumenta principalia;ſed ſtando in Philoſophia,dicimus,quòd intellectus coniunctus,in hoc ſtatu,non intelligit rẽ, niſi eo modo,quo ſibi pręſentatur à phantaſmate: phantaſma autem non repræſentat rem ſub conceptu proprio ſingularitatis, ſed ſolum ſub conceptu naturæ ſpecificæ,& vniuerſalis;& ratio huius eſt: quia natura ſingularis, ſiue ſingularitas, non eſt ratio motiua potentiæ ſenſitiuæ, ſed natura ſpecifica, licet natura ſpecifica non moueat, niſi vt eſt exiſtens in ſingulari, vt optimè declarabo in ſequenti Theoremate ad mentem Scoti,& re vera ſecundum veritatem,vbi oſtẽdam,quod ſenſus non cognoſcit ſingulare ſub ratione ſingularitatis: ita quod veritas huius Theorematis pendet ex veritate ſequentis Theorematis. Habemus ergo, quod intellectus pro hoc ſtatu, ſiue in via Philoſophi,qui non nouit alium ſtatum,quã præſentem, quod intellectus non poteſt cognoſcere ſingulare ſub conceptu ſingularitatis,loquendo de cognitione abſtractiua;quia à phantaſmate non poteſt abſtrahere conceptum proprium ſingularitatis, non enim poteſt ſub alio conceptu intelligere rem,niſi ſub eo,quo res mouet ſenſum: at ſingulare non mouet ſenſum, ſed ſolum natura ſpecifica eſt quæ mouet ſenſum:& ſic intellectus ſolum abſtrahit conceptum vniuerſalem; Vnde ſi quis quærat, quid eſt Socrates, determinatior conceptus, quem poſſim adducere,eſt dicere,Socrates eſt animal rationale hoc:hic non eſt conceptus proprius Socratis, ſed competit etiam Franciſco, & alijs indiuiduis, demptis conditionibus accidentalibus, quæ non pertinent ad quidditatem,& conceptum eſſentialem.

1. ra. Poſſumus tamen pro hac Concluſione arguere ſpecialiter ſic.Ex Scoto in 7. Metaph. quæſt. 15. Omnis potentia cognoſcens aliquod obiectum ſub propria ratione: poteſt illud cognoſcere, & diſtinguere à quocumque alio, circumſcripto omni alio;ipſo obiecto ſolo manente:ſed ſic eſt,quòd intellectus noſter non eſt huiuſmodi reſpectu ſingularis,ergo non cognoſcit ſingulare ſub propria ratione ſingularitatis; Maior eſt clara per ſe; Minor probatur inductione;Accipiatur ſingulare ſignatum, vt Socrates, circumſcribamus à Socrate locum, tempus, figuram, & omne aliud accidens, quod non eſt ipſamet ſingularitas Socratis tunc intellectus noſter neſciet diſtinguere Socratem ab alio ſingulari eiuſdem ſpeciei, ſi ei

oſtenda-

oſtendatur,circumſcriptis ſimiliter,loco, tempore, &c. Non eſt ergo dicendum, quòd intellectus noſter cognoſcat illud ſingulare ſub proprio conceptu ſingularitatis.

2. rō. Hoc etiam clarum eſt experiētia, quia pro tanto nos cognoſcimus aliquod ſingulare ſignatum, & ſcimus illud diſtinguere ab alijs,quia intuemur in illo accidentia, quæ non intuemur in alijs; quòd ſi circumſcribamus illa accidentia, profectò ignoramus illud ſingulare, neque ſcimus illud diſtinguere ab alijs eiuſdem ſpeciei,neque alterius.Hinc apparet confirmatio Theorematis 84. quia cognitio, quam nunc habemus de ſingularibus, eſt cognitio intuitiua, quia illa ſingularia intuetur intellectus noſter in ſpecie ſenſibili:ſed non poteſt intellectus abſtrahere ab illa ſpecie ſenſibili conceptum proprium ſingularitatis, ſed ſolum conceptum vniuerſalis, & ſic pro hoc ſtatu non poſſumus abſtractiuè cognoſcere ſingulare ſub proprio conceptu,licet intuitiuè cognoſcamus ſingulare vt ſingulare: ſed hæc cognitio intuitiua non eſt ſcientifica, ſed abſtractiua eſt ſcientifica; Neque iſtæ duæ cognitiones coincidunt, vt ſupra dixi, ideo non valet dicere: cognoſcimus ſingulare intuitiuè, ergo abſtractiuè: quia cognoſcere ſingulare intuitiuè, eſt intueri naturam ſingularem tantum in accidentibus materialibus inuolutam, ſed non ſecundum conceptus particulares;Sed cognoſcere ſingulare abſtractiuè ſub proprio conceptu,eſt cognoſcere propriè ſingularem naturam ſecundum conceptus particulares, vt puta Socrateitatem ſine vllis accidentibus,& conditionibus materialibus. Hinc etiam facilè conſpicitur, quomodo ſingulare cognoſcitur ab intellectu: nam cum phantaſma offertur intellectui,intellectus cognoſcit illud phantaſma ſingulare intuitiuè, quia intuetur illud totum,quod ſibi à phantaſia præſentatur,hoc totum autem eſt ſinglare; hoc facto, intellectus agens vult illud ſingulare cognoſcere quid ſit, & ſic quodammodo reflectit ſe ſuprà ſingulare,& auxilio ſenſus incipit abſtrahere cōceptus ex illo ſingulari, ſiuè formare conceptus de illo;nam abſtrahere, eſt formare conceptus vniuerſales, vt ſuo loco dicam, & primo abſtrahit conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ, & hic incipit cognitio abſtractiua: deinde conceptum vniuerſalem, ſpeciei proximum, & ſic aſcendit,vt diximus in quæſtione de primo cognito, vſque ad magis vniuerſale; modo quando intellectus in initio cognitionis abſtractiuæ percipit conceptum ſpeciei ſpecialiſſimæ,ſingularis dicitur cognoſcere ſingulare,quia cognoſcit eo modo, quo poteſt, cum non poſſit cognoſcere illud ſub proprio conceptu ſingularitatis. Habito ordine confuſo reflectitur,& deſcendit vſque ad ſpeciem ſpecialiſſimam,ibi autem circa ſingulare laborat iterum, vt abſtrahat conceptum proprium, & diſtinctum ſingularitatis, & cum illum habere non poſſit,cognoſcit ſingulare ſub natura ſpecifica cum differentia indiuiduali in communi,id eſt vt eſt indiuiduum vagum,& hic eſt determinatior cōceptus, quem de ſingulari pro hoc ſtatu habere poſſimus, qui conceptus vt patet,non eſt proprius, & quidditatiuus conceptus Socratis, vel Franciſci,ſed indiuidui vagi,& indiuidui in communi; nam de Socrate verum eſt dicere: eſt aliquis homo, &c. Sed conceptus proprius, & particularis Socratis, qui non poſſit alijs competere, non poteſt haberi,vt probatum eſt.

Quo ſingulare cognoſcatur ab intellectu.

Et ſic ad omnia argumenta reſpondere poſſumus,quę probant, quod ſingulare cognoſcitur ab intellectu, quod verum eſt,quòd cognoſcitur cognitione intuitiua in principio,non abſtractiua: loquendo etiam de abſtractiua, dicimus, quòd cognoſcitur etiam cognitione abſtractiua, ſed non ſub proprio conceptu ſingularitatis, & ſic patet ad omnia argumenta Gregorij,& Ocham.

Ad argumenta, quæ probāt ſingulare cognoſci ab intellectu.

Quò etiam ad ordinem cognitionis dico,quod ſingulare eſt primum cognitum cognitione intuitiua, deinde etiam abſtractiua, ſed non ſub proprio conceptu ſingularitatis, ſed ſub conceptu ſpeciei ſpecialiſſimæ,& tunc dicere,ſingulare eſt primum cognitum, eſt dicere, primum cognitum eſt ſpecies ſpecialiſſima: quia conceptus primus, qui percipitur ab intellectu de ſingulari, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſſimæ; quòd autem intellectus in-

ctus intueatur ſingulare, & illud cognoſcat cognitione intuitiua, non repugnat huic, quod dicimus intellectum non cognoſcere ſingulare ſub proprio conceptu ſingularitatis cognitione abſtractiua: qa illa cognitio intuitiua, non eſt apprehenſio alicuius prædicati, vel conceptus ſingularis, ſed ſimplex intuitio, vel vt propriè loquar, motio intellectus à ſingulari, ideo non repugnat, quòd intellectus moueatur à phantaſmate, & ſic inſpiciat ſingulare phantaſma, & tamen cum intellectus poſtea incipit intelligere conceptus,& prædicata illius ſingularis,quæ eſt cognitio abſtractiua,incipiat à minus vniuerſalibus.

Cōtra hanc determinationē ſunt multæ rationes, quarum maximā partem adduximus, & ſoluimus in Theoremate de primo cognito; ſed adhuc nonnullæ aliæ ſuperſunt, quas ſoluere non erit inutile ad maiorem dilucidationem Theorematis. Arguit Franciſcus Piccolom. lib.1.de Humana mente,cap.16.ſpecialiter ſic.Facultas,comparans duo inter ſe,& cognoſcens differentias, & ſimilitudinem illorum inter ſe, cognoſcit illa diſtinctè, ſed ſic eſt, quod homo cognoſcit vniuerſale, & ſingulare, & ponit differentiam inter illa,& ſimilitudinem, & hæc cognitio non fit per ſenſum,quia ſenſus non cognoſcit vniuerſale, ergo hoc facit per intellectū, & mentē, ergo intellectus cognoſcit ſingulare diſtinctè, vt contradiſtinguitur ab vniuerſali,& conſequenter, vt ſingulare eſt, ergo intellectus quoque cognoſcit ſingulare.

1. rō. in oppoſitū

2. Secundò. Intellectus corrigit ſenſum 3.de Anima,tex.57.& confirmatur experientia:quia ſenſus videns virgā in aqua, iudicat eam eſſe flexam, quam tamen nō eſſe flexā,cognoſcit intellectus, & ſic corrigit ſenſum: ſed virtus dirigens aliquam potentiā circa aliquid, debet cognoſcere illud,de quo fit directio,alioquin ſe haberet,vt ſi Scita inſtrueret Arabum, & vnus non intelligeret quid denotent voces alterius,ſed ſenſus cognoſcit ſingularia.

3. Tertiò.Intellectus format inductiones ex ſingularibus, ergo cognoſcit ſingularia. Reliqua argumenta ſoluta ſunt in Theoremate.

Quartò. Omnia,quæ nos noſcimus,ex accidentibus noſcimus, ex accidentibus propriæ ſpeciei elicimus ptopriam notionem ſpeciei,ergo ex accidentibus particularibus,venimus in cognitionem ſubſtantiæ particularis. 4.

Quintò. Scotus ex ſententia Ariſt.ſtatuens pro obiecto Mentis Ens, videtur ſibimet aduerſari, dum dicit pro hoc ſtatu mentem non poſſe cognoſcere ſingularia ſub propria ratione,ſiquidem,& ſub propria ratione ſingularitas eſt Ens. Ad hæc argumenta facilis eſt reſponſio. 5.

Ad primum concedo,quod intellectus cognoſcit differentiam, quæ eſt inter vniuerſale,& ſingulare in communi, & hoc concludit argumentum; ſed nego, quod intellectus cognoſcat conceptum propriū huius ſingularis, vt Socratis, vt Socrates eſt,& dico,quod illum non cognoſcit, & de hoc nos loquimur.

Sed dices. Intellectus diſtinguit Socratem à Franciſco; dico, quòd diſtinguit: quia cognoſcit naturam ſpecificam hominis non eſſe totam in hoc indiuiduo, ſed partem,& ſic diſtinguit Socratem à Franciſco,quia cognoſcit Socratem eſſe hominem hunc, & Franciſcum hominem hūc, ſed non cognoſcit propriam naturam ſingularem Socratis,neque Franciſci.

Ad ſecundum dico,quod concludit intellectum cognoſcere ſingulare, ſed non concludit, quod cognoſcat illud ſub ratione ſingularitatis,vt patet, cum neque ſenſus eum hoc modo cognoſcat.

Ad tertium dico, quod facit pro nobis, quia ex eo quod intellectus in ſingularibus ſolum cognoſcit conceptus vniuerſales, ideo facit vniuerſale per inductionem.

Ad quartum dico,quod hoc argumentum facit pro me, quia verum eſt quod ex accidentibus venimus in cognitionem ſubſtantiæ,ſed adhuc eſt difficultas de accidentib. particularibus,& ſingularibus: dico enim, quod non cognoſcimus accidētia ſingularia ſub proprio cōceptu ſingularitatis, nō enim nouimus cōceptum particularem proprium huius albedinis, qui non conueniat huic alteri albedini: & propterea dico,quod cum nos non cognoſcamus accidētia ſub propria natura

ſingularitatis, ſed ſub rationibus vniuerſalibus, ita etiam non manifeſtant ſubſtãtiam ſingularem ſub proprio conceptu ſingularitatis, ſed ſub conceptius vniuerſalibus.

Ad quintum dico, quod Scotus ſupponit, quod ens ſit obiectum adęquatum potentię intellectiuę ex natura potentię, & ideo ſequitur, quod ſingulare ſub propria ratione ſingularis, eſt cognoſcibile, & hoc non negat Scotus: ſed non propter hoc ſequitur, quod intellectus actu attingat cognitionem illam ſingularis ſub natura ſingulari, pro hoc ſtatu: quia multa alia ſunt ſcibilia, de quibus non poteſt haberi ſcientia, propter varia impedimenta prodeuntia non ex natura obiecti, neque potentię, ſed ratione mediorum, & ſic nõ ſibi repugnat Scotus.

THEOREMA LXXXVII.

Obiectum ſenſus eſt ſingulare, non ſub ratione ſingularitatis, ſed ſub ratione vniuerſalitatis.

Exponitur, & comprobatur Theorema propoſitum, & aliorum obiectiones reijciuntur. Caput Primum.

SCotus varijs in locis ſuſtinet, quòd obiectum ſenſus non eſt aliquid ſub ratione ſingularitatis, ſed aliquid ſub ratione vniuerſalitatis: & dimiſſis aliorum probationibus. Scotus præcipuè hoc probat in 2. Sentent. diſt. 3. quæſtione 1. ad literam C. ſed prius declaremus Theorema.

Notandum eſt, quod in ſingulari duo ſunt. Primò, eſt ipſa ſingularitas, ſiuè differentia indiuidualis, quæ contrahit naturam communem. Secundò, ibi eſt natura communis, quæ præcedit ipſam differentiam indiuidualem: vt exempli gratia in Socrate eſt humanitas, quia eſt homo, & eſt differentia indiuidualis, quæ contrahit humanitatem, & facit illam particularem, & indiuiduam, quæ eſt Socrateitas, natura communis, vt diximus in proprio Theoremate; habet vnitatem, quia eſt vna, quæ tamen vnitas eſt minor vnitate numerali, quia vnitas numeralis eſt vltima vnitas; eſt etiam maior vnitas quacumque vnitate vniuerſali, vt in accidentibus; exemplum eſt: Albedo eſt natura communis, hæc albedo eſt particulare, contractum per differentiam indiuidualem, quæcumque illa ſit: quando ergo ſingulare ſentitur, & mouet ſenſum, non mouet ſenſum ſub ratione ſingularitatis, id eſt illa ſingularitas, & principium ſingularitatis nõ eſt ratio motiua ſenſus: ſed eſt illa natura communis realis, quæ eſt in hoc albo, vt albedinis natura; Et ſi quęratis, quid ergo ibi agit ſingularitas, cum non ſit ratio motiua ſenſus? Reſpondet Scotus in 1. Sent. diſt. 3. quæſt. 6. reſpõdendo ad primum principale, quòd ſingularitas eſt conditio agentis, non ratio agendi: quia, vt videbimus, actiones ſunt ſingularium: quia licet natura communis ſit ratio agendi, tamen eſt ſingulare, quod agit; adeo quod eſt principium actionis, vt quod, & propter hoc ſingularitas dicitur conditio agentis, non ratio agendi; requiritur ergo in obiecto ſingularitas, vt conditio agentis, non vt ratio agendi, quod eſt, ac ſi dicamus, vt ait Antonius Andræas ſingularitas eſt cauſa ſine qua non: quia ſine ſingularitate non poteſt obiectũ ſentiri, vt albedo videri, &c. Poſitio hoc modo intellecta probatur à Scoto in 2. Sent. diſt. 2. quæſt. 1. ad C. Et nota, quod hoc argumentum formaliter nõ eſt in Scoto ibi, ſed in virtute; aliud enim intendit ibi Scotus. Potentia cognoſcens aliquod obiectum ſub ratione ſingularitatis, poteſt illud diſtinguere à quocumque alio, quod non eſt ipſum numero, ſed ſic eſt, quòd ſenſus non poteſt diſtinguere obiectum, quod cognoſcit ab alio, quod non eſt numero idem cum ipſo, ergo non cognoſcit obiectum ſuũ ſub ratione ſingularitatis; Minor probatur: quia radij Solis ſunt diſtincti numero, ſenſus viſus cognoſcit radios Solis, nec tamen ſcit illos diſtingnere ab inuicem numero, ergo non cognoſcit illos ſub ratione ſingularitatis.

1. metaph. q. 8.

1. ro.

Item, ſi per potentiam Diuinam ponerentur duo alba, aliqua in eadem qualitate, & quantitate, quæ eſſent penitus ſimilia circumſcriptis loco, ſitu, &c. ſenſus viſus non iudicaret illa eſſe duo alba diſtincta,

Confirm.

ſtincta,ſed vnum:at hoc eſſe non poſſet,ſi cognoſceret illa ſub ratione ſingularitatis, ergo eſt verum,quòd ſenſus viſus cognoſcit obiectum ſolum ſub ratione vnius conceptus realis,qui eſt communis, ſcilicet ſub ratione naturæ communis,ita quod obiectum per ſe ſenſus motiuum formaliter eſt natura communis.

2. Secunda ratio poteſt deduci ex Scoto 2.Sent.diſt.24.quæſt.1. ad ſecundum. Si ſingularitas eſſet obiectum, ſiue ratio obiectiua ſenſus, ſequeretur, quòd quot ſunt ſingularia, tot eſſent obiecta ſenſus: ſed ſic eſt, quod vnuſquiſque ſenſus ſolum habet vnum obiectum,ergo. Conſequentia probatur:nam ſenſus diſtinguuntur per obiecta;colligitur ergo, quòd obiectum debet eſſe aliquod commune vniuerſale, in quo omnia ſingularia conueniant.

3. Tertiò,potentiæ diſtinguuntur per obiecta, ſiue oſtenduntur diſtinctæ per obiecta:quia diſtinctio illa per obiecta,eſt à poſteriori:at non poteſt oſtendi eſſe diſtinctas per ſingularia, tum quia quot ſunt ſingularia,tot deberent eſſe potentiæ ſenſitiuæ: tum,quia ſingulare idem eſt obiectum viſus,ſoni,tactus, & huiuſmodi,ergo ſenſus non diſtinguuntur per ſingularia, & conſequenter ſingularitas non eſt ratio obiectiua ſenſus.

4. Quartò. Sicut ſe habet potentia materiæ reſpectu formarum eiuſdem rationis, ita potentia cognoſcitiua reſpectu obiectorum eiuſdem generis:ſed ſic eſt, quod potentia materiæ reſpectu formarum eiuſdem generis,eſt vna, non numero, ſed in vniuerſali genere, ergo potentia ſenſitiua reſpectu obiectorum eiuſdem generis, erit vna,non numero, ſed genere illis obiectis reſpondens; obiectum ergo non erit aliquod vnum numero,& ſingulare, ſed aliquod vnum vnitate vniuoca, ſcilicet natura communis.

Opin. Zim. Zimara in Adnotationibus in Iandunum 3. Metaph.errore 2. ſoluendo argumentum quintum pro Scoto, contra hãc determinationem arguit, & rationes

1. rõ. Scoti ſoluit. Primò arguit, quòd obiectũ ſenſationis ſit ſingulare, non natura communis;ſic, omnis ſenſatio extra animam eſt ſingularis,ergo obiectum à quo cauſatur,eſt ſingulare,& mouet potentiam per vnitatem numeralem, non per vnitatem minorem vnitate numerali. Antecedens patet;Conſequentia probatur ex Ariſt. in 2.Phyſ.tex.38.& 5. Metaph.tex.3. Particularium cauſæ ſunt particulares, & vniuerſaliũ etiam cauſæ ſunt vniuerſales.

Secundò,& hæc eſt principalis ratio,& fundamentum eius,non datur vnitas naturę ſpecificę diſtincta ab vnitate numerali,quæ ſit vnitas realis,nempè vnitas naturæ ſpecificæ, qualem exiſtimat Scotus dari, ſed omnis vnitas realis eſt numeralis; vnitas autem ſpecifica eſt rationis: quia vniuerſalia fiunt ab intellectu, non autem ex ſe in re ſunt, & ſic vnitas ſpecifica,vel generica,fit ab intellectu;at obiectum mouens potentiam ſenſitiuam, debet eſſe vnum vnitate reali, ergo ſolum ſingulare, quod eſt vnum vnitate numerali,eſt obiectum ſenſus, non natura ſpecifica;Quòd autem non detur natura ſpecifica communis,vel generica,habẽs propriam vnitatem præter opus intellectus, probat ibi longo ſermone; De qua re habuimus propriam diſputationem in proprio Theoremate. 2.

Tertiò arguitur per auctoritatẽ Ariſt. 1.Poſt.tex.45.vbi apertè docet, quò ſenſus non cognoſcit vniuerſalia, ſed ſolum ſingularia;tunc ſic. Fruſtra ponitur illud eſſe obiectum ſenſus,quod non cognoſcitur à ſenſu:ſed vniuerſale ex Ariſtotele in prædicto loco, non cognoſcitur à ſenſu, ergo vniuerſale,ſiuè natura ſpecifica, non eſt obiectum ſenſus. 3.

Ad rationem verò Scoti primam, reſpondet ad Minorem: quod ſi ſenſus viſus non poteſt diſcernere vnum radium Solis ab alio radio, non eſt, quia radius ſingularis non moueat ſenſum viſus, ſed hoc prouenit, quia iſti radij non ſunt diſtincti loco, neque ſubiecto ad inuicem: natura autem,& conditio ſenſus eſt,vt in cognitione abſtrahat à materia,non à conditionibus materiæ; conditiones autem materiales ſunt exiſtentia,locus,tempus, &c. ideo hi radij, quia non ſunt loco,neque ſubiecto diſtincti,neque ſeiunctim exiſtentes,hinc fit,quod ſenſus non poteſt cognoſcere illos radios diſtinctos ab inuicem numero. *Ad 1. rõnẽ Scoti.*

Ad aliud de duobus quantis,ait, quòd caſus ſecundum Ariſtot. eſt impoſſibilis: quia daretur penetratio corporum, quę eſt impoſſibilis; Vel aliter, quod hoc prouenit:quia tunc ſenſus decipitur, ſicut ſępè decipitur in iudicando vnum eſſe duo.

Reij-citur. Sed quod hæc opinio Zimarę ſit abſurda,& opinio Scoti veriſſima, conſpicitur ex hoc, quòd hęc reſponſio allata nullius eſt momenti:ait enim,quod vnitas ſingularis eſt,quæ mouet ſenſum, ſed non poteſt ſenſus illam percipere ſine conditionibus materialibus, licet illum cognoſcat ſine materia;& ad argumẽtum ait,quod ſenſus viſus mouetur à radio ſingulari,ſiue ab vnitate numerali radij:ſed quia cõditiones materiales ſunt permixtæ, vt locus,& ſubiectum, exiſtentia, & cætera, hinc fit, quòd non poteſt diſtinguere vnũ radium ab altero.

Contra ex hac reſponſione ſequitur, quod ſenſus non cognoſcit ſingularis entitatem, neque ab illa mouetur; nam ſi ſenſus ſemper cognoſcit obiectum cum conditionibus materialibus, ergo cum non cognoſcit conditiones materiales obiecti,non cognoſcit obiectum; Hæc conſequentia eſt clara ex dictis, & conceſſis; ſubinfero:at per te dicitur, quòd cum Oculus videt radios Solis, non cognoſcit conditiones materiales vniuſcuiuſque illorum: quia dicis, quòd ſunt permixtę, & indiſtinctæ, & quòd hac ratione viſus non poteſt cognoſcere vtrum iſte radius ſit alter ab illo numero, quia non ſunt in diuerſis ſitibus,& locis, ergo ſenſus viſus non cognoſcit illum ſingularem radium ſub ratione ſingularitatis.

Præterea, vel iſtæ conditiones materiales ſingularis ſunt de intrinſeca ratione entis ſingularis, vel non:non eſt dicendũ quòd ſic:quia illæ ſunt poſteriores entitate ſingulari, ab illa enim fluunt, & ſunt accidentia: illi ergo non ſunt de interna ratione illius: ſed omne prius poteſt cognoſci abſque ſuo poſteriori, ergo entitas ſingularis radij, poteſt cognoſci à viſu, licet viſus non cognoſcat conditiones materiales radij,& poterit cognoſcere entitatem ſingularis illius radij, & ſic diſtinguere illum à cæteris abſque eo,quòd cognoſcat conditiones materiales illius; at hoc non efficit, ergo ſingularitas non mouet ipſum.

Ad eius rationes. Ad primam dico, quod ſi concludit, valet etiam de intellectu:quia omnis intellectio eſt ſingularis; quæcumque enim intellectio eſt vna numero, & ſingularis, ergo obiectum intellectus producens talem intellectionem, debet eſſe ſingulare; Quòd ſi velit dicere, quod intellectio vniuerſalis, quia eſt de obiecto vniuerſali, à pari ego dicam de ſenſatione, quòd eſt vniuerſalis, quia eſt de natura communi, ſed eſt in conditionibus ſingularibus, quia illæ ſunt conditiones agentis, ideò ad Ariſtotelem dico, quod per effectum vniuerſalem intelligit effectum communem;hic enim eſt à cauſa vniuerſali,& communi, ſicut effectus particularis prouenit à cauſa particulari: neque enim cauſa particularis effectum communem producere valet, & ſic effectus particularis eſt à cauſa particulari, & vniuerſalis ab vniuerſali. Vel eſt dicendum, quòd cauſam vniuerſalem producere effectum vniuerſalem, poteſt contingere duobus modis, ſcilicet, formaliter,vel obiectiuè. In propoſito natura communis exiſtens in ſingulari, producit ſenſationem, quæ formaliter eſt ſingularis,& vna numero, ſed obiectiuè eſt vniuerſalis,quia eſt circa obiectum commune. *Ad rōnē.*

Ad ſecundam rationẽ dictum eſt proprio quæſito. *Ad 2.*

Ad tertiam dico, quòd pro tanto dicimus ſenſum non cognoſcere vniuerſalia, quia, quod à ſenſu cognoſcitur, ſub conditionibus vniuerſalibus non cognoſcitur,vt dictum eſt ſuprà. *Ad 3.*

Sed contra hãc determinationem ſunt multę obiectiones.Prima, quia tunc nulla eſſet differentia inter obiectum ſenſus, & intellectus: quia intellectus eſt circa vniuerſale,ergo intellectus,& ſenſus haberent idem obiectum.Accedunt multæ auctoritates Ariſt.quę ſonare videntur,quod ſenſus ſint circa ſingularia: nam Ariſt. 1. Metaphyſ.dicit, quod cognitiones ſingularium maximè ſunt propriæ ſenſibus. *Dubitationes.*

Item

Item 2.de Anima habet,quod dum ſingulare ſentitur, vniuerſale intelligitur. Item,in libro de Somno,& vigilia.Sentire eſt ipſius ſingularis, ergo obiectum ſenſus eſt ſingulare, non vniuerſale.

Sol-untur. Ad hæc egregiè reſpondet Scotus in quodlibetis, q.13. articulo 2. parum infra; ibi enim egregiè Scotus oſtendit differentiam,quæ eſt inter ſenſum, & intellectum: licet ergo,quod potentiæ ſunt in duplici conſideratione, aliæ ſunt diſparatæ,& aliæ ſunt ſubordinatæ potentiæ: quę ſunt diſparatę, habent omninò diuerſa obiecta, vt viſus, auditus, & guſtus; alię ſunt ſubordinatę, vt ſenſus communis,& ſenſus particularis; iſti enim ſic ſunt ſubordinati,quod vnus eſt ſuperior,& conſequenter habet obiectum vniuerſalius, & plura cognoſcit, quàm inferior, quia ille ſenſus ſuperior cognoſcit omnia, quę inferior,ſed inferior non cognoſcit omnia, quę ſuperior; loquor modo in eodem ordine,vt dixi de ſenſu communi, & ſenſibus particularibus. Ad propoſitum applicando; potentię diſparatę habent omninò diuerſum obiectum: ſed ſubordinatę habent idem obiectum: ſed hęc eſt differentia, quod illa, quę eſt ſuperior,cognoſcit illud obiectum ſub aliqua ratione, ſub qua inferior illud cognoſcere non poteſt,inſuper poteſt quoque alia multa obiecta cognoſcere, quæ non poteſt potentia inferior:non tamen propter hoc dicẽdum eſt, quod potẽtia inferior cognoſcat aliquod obiectum, vel ſub aliqua ratione cognoſcat idem obiectum,ſub qua nõ cognoſcat potentia ſuperior;& propter hoc ad propoſitum dicit,quod intellectus, & ſenſus ſunt potentię ſubordinatę,& intellectus eſt potentia ſuperior, & ſenſus eſt inferior: non ergo debent habere omnimodè diuerſa obiecta, quia ſunt potentię cognoſcitiuę ſubordinatę,& ſunt eiuſdem generis; quia ambę cognitiuę ſunt, ergo non habent obiecta penitus diuerſa, ſed ſolum penes hoc, eorum obiecta diſtinguuntur, quod vnum eſt magis commune,& magis vniuerſale, quam aliud, ſcilicet obiectum potentię ſuperioris, eſt magis vniuerſale,ſiue cognoſcit illud ſub ratione magis vniuerſali,ſub qua non cognoſcit potentia inferior, quæ eſt ſenſus, ergo idem obiectum, tamen diuerſo modo poterit cognoſci ab vtraque potentia, & nihil mali ſequitur.

Ad auctoritates adductas. Ad omnes ergo auctoritates, quæ dicunt, quod potentiæ diſtinguuntur per obiecta,dicendum eſt, quòd valet in potentijs diſparatis,non ſubordinatis: & ſic cum dicitur,ſenſus eſt ſingularium,& intellectus vniuerſalium, non debet intelligi tamquam ſint potentiæ diſparatæ, ſed vt ſubordinatæ,& ſic reſpõdere debemus ad omnes auctoritates, quæ adducuntur in oppoſitum:vt etiam diximus in Theoremate,Potentiæ diſtinguũtur per actus, & actus per obiecta. Ad auctoritatem ex 1.Metaphyſices,& 2.de Anima,& de Sõno,& vigilia dicitur,quod Ariſt.non vult dicere,quòd obiectum ſenſus ſit ſingularitas, ſed vult notare, quod ſingularitas eſt conditio agentis, quia obiectum non mouet ſenſum,niſi vt eſt in ſingulari aliquo,& indiuiduo, vt diximus.

Actiones ſunt ſuppoſitorum; quomodo intelligatur. Caput ſecundum.

Ex doctrina tradita elicitur, quis ſit verus intellectus illius axiomatis: actiones ſunt ſuppoſitorum,quod ſolet ex primo Metaph. in proœmio deduci,licet ibi Ariſt.non habeat hanc propoſitionem in terminis iſtis,ſed iſtam: Actiones ſunt circa ſingularia; tamen ex illa deducitur; nam ſi actiones ſunt circa ſingularia,tam quam circa obiectum, neceſſe eſt quod oriantur etiam à ſuppoſito, quod eſt ſingulare,vt ab agente: quia ſingularitas eſt conditio agentis, vt dictum eſt ſupra, ex Scoto: ſingulare autem & ſuppoſitum apud Ariſt. idem ſunt. Senſus autem verus eſt, quòd actiones ſunt ſuppoſitorum denominatiuè, non formaliter, nec effectiuè,ſed effectiuè,& formaliter, ſunt ipſius formæ. *Actiones ſunt ſuppoſitorum quo intelligatur.* Hæc expoſitio habetur ex Scoto in 4.diſt.12.q.3. ad 2. principale, & 1. Sẽt. diſt.12.q.1.ad 2.principale,& quodlib.4. in reſponſione ad 1. principale, de qua re in Metaph.amplius dicemus.

1. rõ. Pro nunc probatur: quia forma eſt, quæ dat eſſe, & operari cõpoſito,ratio autem ſuppoſiti dat eſſe ſingulare,& incommunicabile ipſi cõpoſito,non eſſe,& con-

ſequenter nec operari: quòd autem dat eſſe,& operari,eſt principium, & ratio agendi,ergò forma eſt ratio, & principiũ agendi ipſi compoſito,non ratio ſuppoſiti, non ergo ſuppoſitum vt ſuppoſitum & ſingulare, eſt quod agit propriè & formaliter,ſed tantum eſt id, quòd denominetur vltimatè agere.

Confirmatur. Actiones proportionantur ſuis principijs, at actiones proportionantur formis non ſuppoſitis. ergo: maior,& minor patent experientia, nam in accidentibus calefactio manat à calore, frigefactio,à frigore,viuere ab anima,tale viuere à tali anima, immò in his accidentibus actio manat à forma proximè, à ſuppoſito verò accidentaliter, quatenus ſcilicet ſuſtentificat formã accidentalem. ergo actio eſt formæ verè,& propriè,ſuppoſiti verò per accidens, & denominatiuè,quod dictum eſt de actionib. Accidentium,dicendum eſt de actionibus Subſtãtiæ: quia venimus in cognitionem ſubſtantiæ ex accidentibus. Tandem confirmatur:quia ſubſiſtentia,ſicut exiſtẽtia eſt modus eſſendi rei, non res:at modus eſſendi rei, non agit, ſed res ipſa eſt quæ agit; at ſuppoſitum formaliter eſt ſubſiſtentia in concreto, ſuppoſitum enim eſt natura incommunicabiliter exiſtens, ergo ſuppoſitum non agit.

Relinquitur ergo, vt actio ſit ſuppoſiti,vt vltimatè denominati:nam ſubſiſtentia & ratio ſuppoſiti requiritur in natura, ad hoc vt poſſit agere,quia eſt conditio agentis, ſicut dicebamus ſuprà de ſingularitate, quæ non agit,ſed eſt conditio agentis, quæ tamen præcedit neceſſario ipſam actionem, & per ſe, non per accidens ad illam requiritur, quia nulla forma neque natura agere poteſt, niſi prius habeat eſſe ſingulare,& ſuppoſitale.

Dicitur autem actionem eſſe ſuppoſiti,vt vltimatè denominati: quia actio eadem quandoque plura denominat, ſicut forma,à qua manat, ineſt pluribus, ſed ſubordinatim, vt anima primò ineſt animali,2.homini,3.Socrati: ideo prius denominat animal, 2.hominem, 3.Socratem; ita actio primò ineſt formæ, & primò illam denominat; 2.compoſitum,cuius eſt forma ſecundum eſſe eſſentiale, quod eſt commune, quod recipit ab illa forma; Tertiò & vltimò,denominat ſuppoſitum illud, à quo prouenit: quia omnis actio eſt ſingularis, & prouenit à forma exiſtente in vno ſingulari ſuppoſito: quoniam vniuerſalia per ſe exiſtentia ſeparata à ſingularibus, & per ſe operantia non dantur. Hanc ſententiam tenet Suarez quoque in Metaphyſ.diſp.34.ſect. 7. quam probat argumento Theologico, quia Chriſtus habuit omnes operationes humanas, & conſequenter habuit totale principium humanarum operationum, & tamen non habuit ſuppoſitum Creatũ. Quod ſi quis dicat ſuppoſitum Diuinum ſuppleuiſſe actionem ſuppoſiti Creati,falſum eſt: quia ſuppoſitum Diuinum in Chriſto non ſupplet ſubſiſtentiam Creatam quoad aliquam actiuitatem, ſed ſolum quoad terminationem, alioquin aliqua actio ad extra competeret Verbo, quæ non competeret alijs perſonis,quod eſt contra illud Axioma Theologicum: Actiones ad extra ſunt cõmunes toti Trinitati,quod eſt efficaciſſimum argumentum contra ipſummet Suarez, & Thomiſtas,in materia de valore meriti Chriſti. Ex dictis patet ſolutio ad fundamentũ Aduerſariorũ, quod eſt:Si ſuppoſitum non agit æquè ac natura, ſequitur, quod per accidens tantummodo,& denominatione quadã valde accidentaria actiones ei tribuantur. Reſp.n.cõſequẽtiam nõ valere:quia per ſe concurrit,quia concurrit tãquã cõditio agentis p ſe neceſſaria,non tanquã ratio agendi, niſi .n. natura ſubſiſtat,agere non poteſt;vndè poteſt eſſe ratio,propter quã natura ſit in potentia ꝓxima ad agendũ,& ideo per ſe concurrit. *Ad fundamentum aduerſariorum.*

THEOREMA LXXXVIII.

Subſtantia non poteſt cognoſci pro hoc ſtatu ſub proprio conceptu quidditatiuo, ſed ſolum ſub conceptu entis adminiculo accidentis.

Exponitur,& comprobatur Theorema propoſitum, & aliorum obiectiones reijciuntur. Caput Vnicum.

HOc Theorema apertè elicitur ex Scoto 1.Sententiarum,d.3.qæſt.3.

K. &

K. & ex eodem 1.diſtin.22.q.1.in corpore; Probat enim Scotus in primo loco, quòd ens eſt commune Vniuocum Subſtantiæ, accidenti, & ex ratione maximè, quia ſi ſit Æquiuocùm, ſequeretur quòd non poſſemus in hoc ſtatu habere conceptum quidditatiuum de Subſtantia. Ad probandum autem hanc Conſequentiam, aſſumit hanc propoſitionem: quod Subſtantia non immutat intellectum noſtrum ad aliquam intellectionem ſui, ſed ſolum Accidens ſenſibile; vnde quidquid intelligimus de Subſtantia, illud abſtrahimus à conceptu Accidentis: quod ſi Accidens, & Subſtantia in nullo conceptu vniuoco conueniant, ſequitur neceſsariò, quod de Subſtantia nullum poſſimus habere conceptum quidditatiuum: at ſi conueniunt in ente vniuocè, dum abſtrahimus ab Accidente conceptum entis, habebimus etiam conceptum quidditatiuũ Subſtautiæ: quia ſi hic conceptus ſit illi vniuocus, erit etiam ei quidditatiuus, cũ omnis conceptus vniuocus ſuperior, ſit de quidditate inferioris. Hanc eandem Concluſionẽ habet in diſtinctione 22. quęſt. 1. in corpore, & ait ſe illam probaſſe in hac tertia diſtinctione primi libri. Poſsumus itaque pro hac Opinione Scoti ex ipſo ſic
1. rõ. argumentari. Quæcumque cognitio, quã poſsumus habere de Subſtantia, illam habemus mediante Accidente ſenſibili; Accidens non poteſt manifeſtare nobis quidditatem Subſtantiæ, ergo intellectus noſter non poteſt cognoſcere quidditatem Subſtantiæ pro hoc ſtatu; Minor probatur: quia Accidens non repræſentat niſi id, quod habet in ſe, non habet autem in ſe, neque actu, vt patet, neque virtualiter quidditatem, vel conceptum quidditatiuum Subſtantiæ, quia nihil ignobilius cõtinet virtualiter nobilius in ſe, ſed ſolum habet conceptum entis actũ in ſe; Maior probatur: quia illud immediatè, & per ſe cognoſcitur ab intellectu, quod immutat intellectum immediatè, & per ſe: ſed Subſtantia non immutat intellectum immediatè, & per ſe, ſed Accidens ſenſibile, ergo Subſtantia non cognoſcitur immediatè per ſe, ſed ſolum cognoſcitur eo modo, quo intellectui præſentatur ab Accidente ſenſibili. Quod Subſtantia non immutet intellectum immediatè, probat; Quidquid ſua præſentia immutat intellectum, eius abſentia poteſt naturaliter cognoſci ab intellectu, quando non immutatur. Exemplum eſt in 2. de Anima, tex. 113. vbi dicitur, quòd viſus eſt tenebræ perceptiuus, quando ſcilicet lux non eſt præſens, ergo ſi intellectus naturaliter immutaretur à Subſtantia immediatè ad actum circa ipſam, ſequeretur quod quãdo Subſtantia non eſſet præſens, poſſet naturaliter cognoſci non eſſe præſens, & ita naturaliter poſſet cognoſci in Hoſtia altaris conſecrata abſentia Subſtantiæ, quod eſt manifeſtè falſum ſecundum fidem. Sed omiſſo hoc exemplo de fide, ratio eſt ex ſe euidens; & ratione naturali poteſt confirmari: quia certum eſt, quod quidquid eſt in intellectu, ortum ducit à ſenſu, & qui careret omnibus ſenſibus, ſi fieri poſſet, nihil intelligeret: quia ordo naturæ eſt, quòd iſtæ potentiæ ſint ſubordinatæ, ita quod intellectus non poteſt operari, niſi præceſſerit operatio ſenſus, ſenſus autem non ſe profundat vſque ad Subſtantiam; quod patet conſiderando obiecta ſenſuum, quæ ſecundum omnes non ſunt Subſtantiæ, ſed aliquod Accidẽs ſenſibile; vt patet ex Ariſt. 2. de Anima.

Subſtantia igitur non immutat intellectum immediatè, ſed ſpecies obiectorum ſenſibilium; primò immutat intellectum, quia illæ deferũtur à ſenſib. ad intellectũ: deinde intellectus in illis ſpecieb. ſenſibilibus intelligit Subſtãtiam per abſtractionem, vt dicemus loquendo de munere intellectus agentis. Eſt ergo dicendum, vt inquit ipſemet Scotus, & hęc sũt eius verba formalia: quod nullus conceptus quidditatiuus habetur naturaliter de Subſtãtia, immediatè cauſatus à Subſtantia, ſed tãtum habetur conceptus cauſatus vel abſtractus primo de Accidẽte, & illud nõ eſt niſi cõceptus entis. Quod ſi quis dicat, hęc ratio valet contra cognitionem intuitiuã tantum ſubſtantiæ, nõ cõtra abſtractiuã, quia ad abſtractiuam non requiritur, qđ obiectum immutet intellectũ: dico, quod valet cõtra vtramque: quia in abſtractiua requiritur ſi non obiectum in ſe, ſaltem in ſua ſpecie repræſentatũ, modo nulla ſpecies ſubſtantiæ immediatè immutat intel-

 lectum,

lectum, propter rationes alatas: ſed eſt ſpecies accidentiũ, ex quibus poſtea format intellectus conceptus Subſtantiæ. *Præt.* Præterea, cognitio abſtractiua ſubſtantiæ, ẽt originatur in intellectu per ſpeciem ſenſibilem, vt dictum eſt: nunquam ergo ſubſtantia immutat intellectum; & ideò ſemper ſtat ratio, quod intellectus noſter de ſubſtantia non poteſt habere conceptus proprios, ſed eos, quos poteſt virtute, & mediãtib. accidentibus, vel ſpeciebus accidentium. *Diffi-cult.* Sed hic eſt maxima difficultas: nam nos aſſignamus definitiones quidditatiuas partium ſubſtantiæ, & diſtinguimus inter prædicata quidditatiua, & accidentalia, pertinentia ad ſubſtantiam: quomodo ergo vera eſt hęc ſententia Scoti, quod de Subſtantia non habeamus prędicata quidditatiua. *Solu. diffi-cult.* Reſpondeo quod illa, quæ nos appellamus prædicata quidditatiua ſubſtantiæ, non ſunt verè prædicata quidditatiua, ſed gerunt vicem prædicatorum quidditatiuorum: quomodo autem hoc contingat, cognoſcitur, notificando quomodo ſubſtantia cognoſcatur; Dictum eſt, quod ſubſtantia cognoſcitur ex accidentibus; quomodo autem ſubſtantia cognoſcatur ex accidentibus, declarat Scotus 1. Sent. d. 22. q. 1. in corpore quæſiti, ex D. Auguſt. *Quõ ſub-ſtantia cogno ſca-tur.* Nos autem declarauimus in Theorematibus Logicis Theoremate de Regreſſu, & an omnia per demonſtrationem cognoſcantur; vbi oſtendimus, quod ſubſtantia cognoſcitur à poſteriori ex effectibus, & accidentibus ſuis, vt puta, nos cognoſcimus accidentia iſta, vt Quantitatem, & Qualitatem, & videmus hæc accidentia eſſe diſtincta, quia vnum ſine alio eſſe poteſt; videmus etiam, eſſe aliquid illis ſubſtratum, quod ſemper manet etiam illis corruptis, hoc appellamus ſubſtantiam; videmus deinde alias actiones, & effectus illius entis ſubſtrati, & ſic paulatim venimus in cognitionem eius, mediantibus illis accidentibus, & ex diuerſis actionibus, & proprietatibus imponimus nomina ipſis ſubſtantijs, formamus diuerſos conceptus, quos quia videmus huic ſubſtantiæ, & non illi competere, iudicamus eſſe illi quidditatiuo: ſed re vera non ſunt quidditatiui, ſed pro hoc ſtatu; & apud Philoſophum dicuntur quidditatiui: quia ipſe nullum alium ſtatum admittit. Adeo, quod concludere debemus, quod loquendo cum Philoſophis Theologis, vti ſunt Thomiſtę, & alij multi Latini, Theorema iſtud eſt ſic ſuſtinendum, vt diximus. Loquendo verò cum puris Philoſophis Peripateticis, dicimus, quòd de ſubſtantia immediatè, & per ſe, non habentur conceptus quidditatiui, quia ipſa non immutat intellectum noſtrum, ſed habentur conceptus quidditatiui a poſteriori, & per effectus, & accidentia. Hæc eſt germana opinio Scoti, & vera, vt oſtendimus. Ex his inſuper patet, quis ſit ordo noſtræ cognitionis intellectiuæ, reſpectu accidentis, & ſubſtantiæ, nam cognitio confuſa accidẽtis, præcedit origine cognitionem ſubſtãtiæ tam confuſam, quam diſtinctam: quoniam vt dictum eſt, cognitio ſubſtantiæ non habetur, niſi ex accidentib. ſenſibilib. quibus comparatis per multũ examẽ ad ſuam cauſam, quæ eſt ſubſtantia, poſtea intellectus venit in cognitionem diſtinctã ſubſtãtiæ: at cognitio diſtincta accidẽtium, eſt poſterior cognitione diſtincta ſubſtantiæ: nunquam enim Accidẽtia diſtinctè cognoſci poſſunt, niſi diſtinctè cognoſcatur ſua cauſa: at cauſa accidẽtiũ eſt ſubſtãtia, ergo ſubſtantia prius cognoſcitur, quàm accidẽs cognoſcatur diſtinctè.

Tho-miſtæ Sed quò ad vltimum hoc, Thomiſtæ aliam opinionem habere videntur, vt patet ex dictis à Iauello 7. Metaphyſ. quęſt. 3. ponit enim ibi duas concluſiones; quarum prima eſt, quod ſubſtantia quo ad prædicata communia, à quibus trahitur cognitio confuſa eiuſdem prius apprehẽditur ab intellectu noſtro, quam accidẽs; *1. con cluſ.* Hanc concluſionem probat primo ſic. Cõceptus ſubſtantiæ neceſſario ſupponitur conceptui accidentis, ergo conceptus ſubſtantiæ prius apprehenditur quam Accidens. cõſequẽtia eſt nota; antecedens probatur ex Ariſt. 7. Met. tex. 4. vbi dicit, q̃d in definitione accidentis neceſſe eſt ponere definitionem ſubſtantiæ. *1. rõ. Iau.* Secundò. In Scientia, cuius ſubiectum eſt ſubſtantia, neceſſe eſt ante oĩa præcognoſcere de ſubiecto quid eſt, vt in libro de Anima, & in libro de Cælo manifeſtũ eſt, ergo ante apprehẽſionem accidẽtis cuiuſcumque, ne- *1. rõ.*

ceſſe

ceſſe eſt præcognoſcere ſubſtantiam Animæ, & Cæli, ſaltem quò ad prædicata cõmunia. Secunda Concluſio. Subſtantia quò ad conceptum diſtinctum, quo apprehendimus eius proprium genus, & differentiam, cognoſcitur poſterius accidente. Hanc Concluſionem probat: quia genera, & differentiæ nobis innoteſcunt ex effectibus, & proprijs accidentibus; deinde ponit ordinem noſtræ cognitionis, dicens, quòd primo loco intellectus agens producit ſpeciem repræſentatiuam ſubſtantiẹ, & per hanc intellectus cognoſcit ſubſtantiam quò ad prædicata communia; hic eſt primus gradus. Secundò, per viam ſenſus cognoſcimus accidentia propria ſubſtantiæ prius apprehenſæ in communi. Tertiò ex his accidentibus deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ propriam, & diſtinctam. At allata Opinio non videtur approbanda, propter rationes ſuperius allatas; cum enim ſubſtantia non immutet intellectum immediatè, ſed mediantibus accidentibus, neceſſe eſt, quod primò intellectus cognoſcat accidentia, quàm ſubſtantias, & ſic patet falſitas primæ Concluſionis, & ordinis noſtræ cognitionis adinuenti à Iauello. Ad rationes pro prima Concluſione dico, quòd concludunt de cognitione diſtincta accidentis: concedimus enim nos, vt ſuprà dixi, quod accidens non poteſt cognoſci diſtinctè, niſi cognita ſua cauſa: illa autem eſt ſubſtantia; ſed nos dicimus, quod primò cognoſcimus accidens confusè, deinde per multam collationem illius ad ſuam cauſam, quæ eſt ſubſtantia, venimus in cognitionem ſubſtantiæ paulatim, ita quod habita cognitione confuſa, tandem acquirimus diſtinctam præcedente illa collatione effectus, & accidentis ad cauſam, & ſubſtantiam. Secunda concluſio eſt pro nobis, vt patet ex dictis. Hanc eandem ſententiam tuetur cum Scoto Franciſcus Piccolomineus, lib. 1. de Humana mente, capite 21. dubitatione quarta.

1. conclus. *reijc.* *Picc.*

THEOREMA LXXXIX.

Habitus dicitur practicus ab obiecto.

Exponitur opinio eorum, qui negant habitum dici practicum ab obiecto, ſed à fine, vel aliundè; & reijcitur, & veritas declaratur. Caput Vnicum.

GOtfredus de Fontibus ait, quod ab alio habitus dicitur practicus, & ab alio Intellectus; uult, quod habitus dicatur practicus ab obiecto, & ſic habitus ſpeculatiuus, & practicus ſecundum eũ differunt ſecundum differentiam formalem obiectorum, quæ eſt, quòd obiectum practici eſt operabile, obiectum ſpeculatiui non eſt operabile, & ſic habitus practicus, & ſpeculatiuus differunt per hanc differentiam formalem obiectorum, operabile, & nõ operabile: intellectus practicus verò, & ſpeculatiuus differunt ſolum per differentiam quandam accidentalẽ, quæ eſt finis, ſiue ordo actualis ad opus, nam intellectus dum apprehendit, & intelligit aliquod obiectum operabile, non ſtatim dicitur practicus, ſed requiritur, quòd intellectus ordinet illud obiectum actualiter ad opus, non poteſt autem ordinare ad opus, niſi ſit motus a fine. Intellectus ergo fit practicus à fine, quia intellectus à fine mouetur ad ordinandum actum, obiectum operabile ordinatur ad opus; ordo autem hic actualis obiecti operabilis ad opus, accidit illi obiecto, licet illi non accidat ordinabile eſſe, & conſequenter quoque accidit ei finis propter quem fit talis ordo actualis: & ideo licet habitus, & actus de tali obiecto ſint practici ex obiecto, ſiue ex differentia formali obiecti, tamen intellectus non eſt practicus ex ea, ſed ex fine, ſcilicet, ex ordine actuali ad opus: ab alio ergo habitus eſt practicus, & ab alio intellectus. Habitus eſt practicus à differentia formali obiectorum intellectus à fine, qui facit, vt ordinetur obiectum illud actu ad opus. *Gotf.*

Contra hanc opinionem arguit Scotus in 1. Sentent. in prologo, quæſt. de praxi, & probat, quod habitus dicatur practicus à fine, & ſic falſum erit, quòd ab alio

habitus

habitus ſit practicus, & ab alio intellectus, ſed vterque erit practicus à fine.

Auctoritas eſt Ariſt. 2. Metaph. tex. 3. finis ſpeculatiuæ eſt veritas, & practicę opus, ergo habitus à fine, eſt practicus, & conſequenter ab eodem intellectus, & habitus ſunt practici.

2. Secundò, habitus practicus eſſet in intellectu ſpeculatiuo, & intellectus non diceretur practicus ab illo, quod eſt inconueniens: quia habens habitum denominatur ſecundum naturam habitus.

Reſp. Reſpondet Gotfredus ad primam rationem, quod verum eſt, quòd practicus habitus denominatur à fine, ſed remotè, nõ proximè, intellectus autem proximè, quia Theorica ordinatur ad opus, non actu, ſed potentia: quia eſt de obiecto operabili, aptitudine; vltrà hoc autem requiritur ordinatio actualis habitus ad opus, quàm facit intellectus, motus ex fine; habitus ergo aptitudine ordinatur ad opus, & ſic opus eſt finis habitus, ſed remotè: habitus intellectus verò proximè; Habitus aũt hic actualis intellectus, eſt diuerſus ab habitu practico ab obiecto; & primus habitus non ſufficit abſque hoc ſecundo: primus denominatur a fine, ſed remotè, & ab obiecto proximè, & per ſe, hic ſecundus à fine, & obiecto, ſed proximè, & per ſe à fine.

Ad ſecundum dicit, quòd tunc intellectus poteſt dici denominatiuè practicus, ſecundum quid, non ſimpliciter, ſcilicet faciendo denominationem ab habitu ſolum.

cõtra reſpõ. Contra arguit Scotus, ergo habitus, & actus practicus, eſſe poſſunt in intellectu ſpeculatiuo, quod eſt falſum; Conſequentia patet: quia habitus practicus ex obiecto, poterit eſſe in intellectu, abſque eo quod intellectus actualiter ordinet illum habitum ad opus; hoc eſt inconueniens in ſe, tamen apud Gotfredum non eſſet inconueniens; Sed contra. Non eſt neceſſe multiplicare hos habitus in intellectu: quia primus habitus practicus ex obiecto, ſufficit: nam dum actu intellectus ordinat habitum ad opus ex imperio voluntatis, non dat aliam rationem illi conſiderationi, præter eam, quam naturaliter habet ab obiecto, & conſequenter habitus generatus ex illis actibus, non habet diuerſam rationem à primò habitu, & ſic non eſt diuerſus; Antecedens patet: quia actus practicus, & habitus practicus ab obiecto, ſunt de eodem obiecto.

Præterea, ſequeretur quod multa accidentia eiuſdem ſpeciei, eſſent in eodem intellectu, & realiter diſtincta de eodem obiecto, quod eſt falſum; Nec ſufficit diſtinctio voluntatis, ad diſtinctionem illorum actuum, vel habituum: non enim poſſumus dicere, quod illi duo habitus ſint diuerſæ ſpeciei ratione ordinis voluntatis, quia ordo voluntatis, vel non ordo, non poteſt facere, quod diſtinguãtur ſpecificè: ſed requiritur, quòd obiectum ſit diſtinctum ſpecificè, quod clarum eſt, & ipſe concedit, vt ſuprà patet; concedit enim habitum practicum dici ab obiecto practico, licet poſtea non concedat intellectum fieri practicum ab obiecto, ſed a fine.

Tertiò arguit contra opinionem in ſe. 3.
Subiectum magis denominatur à conditione per ſe, & eſſentiali ſui accidentis, quàm à conditione accidentali eiuſdem, ergo ſi per ſe intellectus poteſt dici practicus ex conditione accidentali ſui habitus, vel actus, ſcilicet, ex ordine voluntatis ordinantis actus illius obiecti ad aliud, multo magis poteſt dici practicus à conditione eſſentiali illius habitus, vel actus, quæ eſt, quod eſt eſſentialiter practicus, & de ſui natura ordinabile ad opus ex obiecto, vt actus Artis Medicinæ; quare potius debet dici practicus ab ordinatione ipſius voluntatis ad aliquod particulare opus, quàm à propria natura, quæ eſt, quod eſt ordinabile ad hoc particulare opus, hoc enim eſt ſibi eſſentiale, illud accidentale. Concludit ergo, quod intellectus dicitur practicus ab eo, quo habitus, ſiuè actus dicitur practicus, ſed illi ab obiecto, ergo & intellectus ab obiecto, ſed cum hoc diſcrimine, quia obiectum denominat actum, & habitum per ſe, intellectum verò per accidens; ex eo enim, quod denominat habitum, qui eſt accidens exiſtens in intellectu, denominat quoque ipſum intellectum: obiectum ergo reſpectu intellectus eſt accidens per accidẽs, id eſt, illi accidit per aliud accidens, ſcilicet, per habitum,

habitum,& ſic denominat illum.

Her. opin. Secunda opinio, quæ tribuitur Henrico,dicit,quod habitus, & actus dicuntur practici à fine,& in hoc diſſentit à præterita opinione:quia illa dicebat habitum, & actum dici practicos ab obiecto:ſed intellectum dicebat fieri practicum à fine, adeo quod volebat habitum dici practicum ab vno, & intellectum ab alio; Hæc autem vult,quod habitus,& actus, & intellectus,dicantur practici ab vno, & eodem, ſcilicet, fine. Pro hac opinione arguitur Primo ſic. Habitus dicitur practicus,vel à fine,vel ab obiecto;non ab obiecto:quia intellectus extenſione fit practicus,ex Ariſt.3.de Anima,tex. 49.Hoc nō poteſt intelligi, niſi quod ille intellectus, qui prius erat ſpeculatiuus, fit practicus; ſe extendendo ad aliquid extra ſe,ſcilicet ad opus,ergo circa idem obiectum poteſt eſſe conſideratio practica,& ſpeculatiua: quia dum intellectus conſiderat illud obiectum,non ſe extendendo ad opus, eſt ſpeculatiuus: dum autem conſiderat,ſed ſe extendendo, fit practicus.

1. rō.

Opin. Greg. de Arim. 1. rō. Suſtinet eandem opin.Greg.de Arimino,& adducit exemplum q.5.Prologi,artic.3.ad declarandum hanc rationem.Poteſt enim quis ſcire de ira, quod eſt ebullitio ſanguinis circa cor: hæc eſt notitia ſpeculatiua, poteſt etiam ſcire, pro qua cauſa,& qualiter eſt elicienda, & hæc eſt notitia practica, non ergo ab obiecto habitus dicitur practicus, ſed ab alio, ſcilicet,à fine,à quo mouetur ad extenſionem ad opus.

2. Secundò confirmatur; quia medicina eſt tota de eodem obiecto, & tamen alia eſt practica,alia ſpeculatiua, ergo non ab obiecto eſt habitus practicus.

3. Tertiò;actus practicus dicitur bonus, vel malus, moraliter, bonitas, & malitia moris, competunt actui ex circumſtantijs, vna autem ex primis circumſtantijs eſt finis, ergo a fine debet dici actus, vel habitus practicus.

4. Præterea,arguit ſic Gregorius. Stante hac opinione, ſequeretur, quod de nulla re mundi poſſet haberi ſcientia ſpeculatiua:Conſequens eſt falſum,& contra Scotum, qui concedit dari aliquas ſcientias ſpeculatiuas; Conſequentia probatur: quia nulla res eſt in mundo, quæ non ſit bona, & per conſequens, quæ non contineat virtualiter aliquam notitiam directiuam operationis voluntatis circa ipſam.

Quinto arguit.Quilibet actus ſpeculatiuus tendit in ſcire, tamquam in proprium finem; practicus verò tendit in operari,vltra ſcire,tamquam in proprium finem,ergo à fine diſtinguuntur iſti habitus. Vtraque pars antecedentis patet ex ſe;Conſequentia eſt clara. 5.

Hæc Concluſio probatur multis auctoritatibus: nam Philoſophus 2. Metaphyſices, textu 3. ait,quod Theoricæ finis eſt Veritas;practicæ verò,Opus. 6.

Item 3.de Anima,textu 49.Intellectus practicus differt à ſpeculatiuo,fine.

Contra hanc poſitionem doctiſſimè arguit Scotus,primo ſic. 7.

Quando dicimus, quod intellectus extenſione fit practicus,vel intelligimus de extenſione actuali,vel de aptitudinali: nō de actuali, vt probatū eſt à Scoto in quæſtione citata in 2. articulo, quia tunc faber actu non operans,non haberet cognitionem practicam: intelligitur ergo de extenſione aptitudinali; Tunc ſic arguitur: Sed aptitudo non conuenit vni naturæ,& eadem alteri naturæ repugnat, niſi propter aliquod abſolutum in illis naturis, propter quod huic conuenit, & alteri repugnat, quia enim hæc natura eſt talis, ideò illi hæc aptitudo repugnat;hæc ergo aptitudo, per quam dicitur aliqua ſcientia practica,ſupponit aliquod abſolutum intrinſecum in illa ſcientia, ſine habitu: hoc autem abſolutum,non poteſt eſse niſi aliqua cauſa illius ſcientiæ à qua illa ſcientia eſt,hæ ſunt tantum intellectus,& obiectum,ergo iſta aptitudo conuenit illi ſcientiæ,vel ab intellectu, vel ab obiecto: ſed non ab intellectu, quia tunc omnis ſcientia eſset practica, cum omnis ſcientia ſit partialiter ab intellectu, ergo ſibi conuenit ab obiecto; Hoc argumentum pulcherrimum eſt, & concludit, ſed habet aliquas difficultates, quas de medio tollit Scotus. Argu. 1. contra poſitionem.

Primò poſſet reſpondere Henricus, quod finis quoque eſt cauſa ſcientiæ, immo quod eſt prima cauſa, quia finis eſt omnium Reſp.

omnium prima, ex Auicenna ſexto Metaph. & ita concedendo, quæ dicta ſunt in argumento poteſt finis eſſe cauſa propter quam illi ſcientiæ conueniat talis ap titudo. Hanc obiectionem tollit Scotus: quia finis non eſt cauſa, niſi quando mouet in ratione amati, & deſiderati, quod fit à voluntate: at iſta aptitudo dirigendi opus, conuenit ſcientiæ, ſiuè finis ſit amatus, ſiuè non, immò etiam ſi voluntas non ſit coniuncta intellectioni, & nullam habeat actionem, hæc aptitudo conuenit ſcientiæ, non poteſt ergo hæc aptitudo cauſari à fine, ſiquidem illa non eſt cauſa, ſine qua etiam effectus cauſatur. Se-

Obie. cunda. Finis eſt aptus natus amari, antequam hæc aptitudo ſit in ſcientia, ergo hæc aptitudo cauſatur à fine. Hæc obiectio eſt ridicula: quia effectus nihil habet à cauſa, eo quod cauſa eſt apta nata cauſare, ſed oportet quod actu cauſet, ideo hæc aptitudo non concludit propoſitum.

Præt. Præterea, vel finis cauſat vt elicitus extra ipſum habitum ab ipſo habitu, & ſic non: quia ſic eſt poſterior habitu, & habet rationem effectus, effectus autem non diſtinguit cauſam; Vel finis cauſat, vt intentus, & conſideratus: ſed non vt intentus, quia ſic etiam eſt poſterior ipſo habitu realiter; ſi enim intenditur ab habitu, ergo habitus præcedit ipſum finem, & conſequẽter ante finem habitus habet hanc aptitudinem, ergo finis cauſat vt conſideratus: ſed vt conſideratus, ſic habet rationem obiecti, non finis, non ergo finis, ſed obiectum eſt cauſa aptitudinis huius extenſionis. Præterea, ſequeretur, quòd moralis

Præt. ſcientia non eſſet practica, quia ordinatur ad felicitatem, ex primo, & 10. Ethic. quæ felicitas ex 10. conſiſtit in ſpeculatione, non praxi: non ergo finis efficit ſcientiam practicam; Nec quando dicitur intellectus extenſione, fit practicus, intelligitur extenſione ad praxim, vt ad finem, ſed extenſione aptitudinali ad praxim, quæ aptitudo cauſata eſt ab obiecto. Hoc argumentum habet quaſdam reſponſiones, & confutationes, quas propter prolixitatem omitto: vide illas in Scoto.

Opin. Scoti. Ponit ergo propriam ſententiam, quæ eſt. Habitus non dicitur primo practicus ab actu ſuo, quia hic actus habet ab alia cauſa priori, quòd ſit practicus, vt nunc viſum eſt: neque à fine habitus dicitur practicus, vt dictum eſt contra Henricum, ſed ab obiecto: tamen poteſt dici aliquis habitus practicus à fine, non in quantum finis eſt, ſed in quantum eſt obiectum. Hoc vltimum probat ſic, quo ad ambas partes; quo ad primam partem, ſcilicet, quod habitus quandoque dicatur practicus à fine, probat: quia quandoque prima principia practica ſumuntur à fine praxis, & ita ille finis habet rationem cauſæ, & virtualiter includit totam illam notitiam, & ita illa notitia habet illam quidditatem, & aptitudinem ab illo fine.

Secũda pars probatur, ſcilicet, quòd à fine dicitur practicus, ſed non in ratione finis, ſed obiecti: quia ideo finis praxis dat talem aptitudinem illi ſcientiæ, ſiue dat naturam habentem talem aptitudinem; quia ille finis eſt obiectum includẽs principia, & per illas Concluſiones, & ita totam notitiam, & hoc probatur: tum, quia finis, vt finis, non cauſat, niſi vt amatus, & deſideratus, vt dictum eſt, tum propter alias rationes, quæ ſunt in textu Scoti; & per rationes contra alios nunc adductas.

Ad primum, argumentum nihil concludit, quia falſum eſt, quod de eodem obiecto poſſit eſſe ſcientia ſpeculatiua, & practica; Ad probationem per illa exempla, falſum eſt, quod de ira ex propria ratione formali poſſit haberi ſimul practica, & ſpeculatiua ſcientia, primo, & per ſe: quia vna cognitio illi conuenit per ſe, & altera per accidens, vt ſuprà dictum eſt. Sic de febribus, de herbis, plantis, &c. Ad auctoritatem Ariſt. 3. de Anima. Intellectus extenſione fit practicus, dictum eſt, quòd ibi loquitur de extenſione aptitudinali, quam habet ab obiecto habitus, non de actuali, vt ſuprà nunc probatum eſt; Poſſumus etiam dicere, quòd practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentiæ eſſentiales habituum, & accidentales intellectus: vnde licet intellectus extenſiuè fiat practicus, tamen hoc non ſequitur de habitibus, ſcilicet, quòd habitus dicatur practicus ab extenſione actuali ad opus, ſed ſolum ex obiecto, à quo primo habet Ad 1.

hanc

hanc aptitudinem extenſionis ad opus.

Ad 2. Ad ſecundum argumentum dicitur, quòd tota medicina re vera eſt practica quia eſt de obiecto operabili, & tota eſt apta nata dirigere praxim; tamen medicina diſtinguitur in duas partes, ſcilicet, in partem, quæ eſt de vniuerſalibus cauſis,& curis,& in partem,quæ eſt de particularibus cauſis,& curis, & quia illa vniuerſalior eſt magis remota à praxi,iſta autem de particularibus eſt proximior praxi, & operi, hinc eſt, quòd medici illam appellant ſpeculatiuam, & hanc practicam; ſed re vera vtraque pars eſt practica,quia vtraque verſatur circa obiectum idē operabile,licet vna proximior ſit praxi eliciendæ, & altera magis remota.

Obiec. Greg. Obijcit hic Gregorius: quia pars Medicinæ ſpeculatiuæ non verſatur circa curas,neque in vniuerſali,neque in particulari, quia tunc pertineret ad practicam, contra quam diſtinguitur.

Præterea,Auicenna dicit illam partem ſpeculatiuam eſſe verè ſpeculatiuam; Auicennæ autem debemus credere: quia erat doctiſſimus. Ratio etiam Scoti,propter quam non vult,quod illa pars medicinæ ſit verè ſpeculatiua,eſt falſa:quia inquit, ex principijs ſpeculatiuis tunc poſſent deduci Concluſiones practicæ; quoniam hoc non eſt inconueniens: quia ex principio ſpeculatiuo,& practico, ſequitur Concluſio practica,vt exempli gratia, ex hoc principio.

Contraria contrariorum oppoſitione curanda ſunt, & ex hoc alio practico, talis egritudo eſt ex ſuperabundantia caloris,ſequitur hæc concluſio practica, ergo talis ægritudo eſt curanda per appoſitionem frigidorum.

Reſp. Ad hæc reſpondetur ad primum; pars medicinæ, quæ ſpeculatiua dicitur, tractat de cognitione humorum, & membrorum corporis humani,in quibus,& ex quibus prodit ſanitas, & infirmitas corporis humani, & docet quomodo contraria ſint, & quomodo conueniant, & hoc modo agit de curis in vniuerſali:quia ex cognitione horum,innoteſcit quomodo curari debeant infirmi, ergo ordinatur ex natura ſua ad opus, & ſic eſt verè practica.

Ad Auicennā dico,quòd ſecutus eſt in hoc communem diſtinctionem Medicorum, non autem Philoſophos. Ad obiectionem contra rationem Scoti, dico, quod exemplum concludit,quia vtraque propoſitio eſt practica,vt patet.

Ad tertiū negatur, quod omnis actus ſit primo bonus,ex circumſtantia finis,immo eſt bonus ex circumſtantia obiecti, vt diligere Deum, eſt actus bonus ex obiecto; falſum eſt ergo,quod à fine,vt diſtinguitur contra obiectum actus moralis,accipiat primo bonitatem. Alias reſponſiones habes apud Scotum. Ad 3.

Ad quartum reſpondetur,negando cōſequentiā; Ad probationem dico, quòd omnis res eſt bona bonitate entis,non tamen omnis res eſt operabilis, id eſt, talis naturæ, quòd ſit ſubiectum alicuius operationis,vt Corpus naturale,Cælum,Elemēta,Ens in communi,vt Ens,&c. neque enim circa iſta aliquid homo operari poteſt: quia non ſunt propter opera noſtra, Cum ergo obijciuntur nobis,& illa ſpeculamur,non poſſunt gignere in nobis notitiā,quę ſit directiua noſtrę praxis,& operationis circa ipſa, ſiquidem circa illa nō habemus vllā operationem(ſtādo nunc in Philoſophia Ariſt.)at corpus ſanabile,virtus,vitium,ſunt obiecta operabilia, circa quæ nos operamur cum iſta, obijciuntur nobis,etiā eorū cognitio eſt directiua noſtrarū operationū circa illa; illis enim cognitis,ſic ſcimus quomodo circa illa operari debeamus;eorū ergo notitia eſt directiua praxis, quia sūt obiecta operabilia. Ad 4.

Ad quintum concedo Antecedens, nego Conſequentiam, quæ non probatur: nam ſi actus tendit in ſcire, tantum eſt, quia eſt de obiecto ſcibili, non operabili, vt dictum eſt. Ad 5.

Ad illas auctoritates,ad primam de 2. Metaph.textu 1.dico,quòd ſpeculatiua, & practica habent diuerſos fines,infra genus cognitionis; Sed prior diſtinctio in eis eſt ex obiecto,vt dictum eſt. Ad 1.

Ad aliam de 3.de Anima,dico,quòd finis duobus modis poteſt intelligi; Vno modo vt contradiſtinguitur ab obiecto, & ſic non intelligit Ariſtoteles; Alio modo,vt coincidit cum obiecto,& ſic conceditur,vt dictum eſt ſuprà. Ad 2.

THEO-

THEOREMA XC.

Vltima realitas formæ eſt principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis.

Opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

DE hac materia loquitur Scotus pluribus in locis, vt in quodlib. q. 2. art. 2. ſed præcipuè agit de ea in 2. Sent. diſtin. 3. à quæſt. 1. vſque ad ſextam incluſiuè, vbi multorum opiniones damnat, & tandem q. 6. ſuam ſententiam aperit, & comprobat. Quoniam autem hæc materia difficilis eſt, & quæ ſit ſententia Scoti, non rectè percipitur, decreui primò mentem Scoti aperire, & comprobare, deinde aliorum opiniones examinare.

opin. Scoti. Hæc eſt proculdubio opinio Scoti, quàm explicat disertè in corpore illius q. 6. Primo ſupponere debemus, quod datur natura communis quæ contrahitur ad vnitatem ſingularem, & indiuiduam per aliquas differentias, & hoc ſupponere debemus, inquam contra illos, qui negant dari naturam communem realem extra intellectum: ſed volunt quòd omne Ens reale extra animam ſit ſingulare: vnde iſti dicunt, non eſſe quærendam cauſam indiuiduationis ſubſtantiæ materialis: quia dicunt, quòd quæcumque ſubſtantia materialis de ſe eſt hæc, & ſingularis, ſed potius eſt quærenda cauſa, quomodo fiat vniuerſalis.

Contra quàm opinionem diſputat Scotus in 2. Sententiarum, diſtin. 3. quæſt. 1. & nos ſuo loco de hac re diſputabimus. *Contradictio Aduerſariorũ.* Quo in loco non poſſum non mirari Zimaram, & Thomiſtas, & maximè Caietanum, qui & ipſi cum illis ſuſtinent, non dari vllam naturam communem præter opus intellectus, & poſtea cum alijs quærunt, quodnam ſit principium conſtitutiuum indiuidiui: quod nil aliud eſt, quã quærere per quid natura communis contrahatur ad eſse ſingulare, & indiuiduale; vbi apertè ſibi cõtradicunt, ſed de hoc aliàs. Propoſuit ergo Scotus ſuam ſententiam, & poſtquam oſtendit, quòd tale cõtrahens non eſt negatio, neque vllum accidens, ſtatuit eſse aſserendum, quòd eſt aliqua entitas poſitiua ſubſtantialis: quæ autem entitas ſit, hęc longo ſermone declarat; declarat autem eam maximè per comparationem ad entitatem, à qua ſumitur differentia ſpecifica: eſt enim imaginandum, quod ſicuti differentia ſpecifica adueniens generi, tamquam materiæ, conſtituit ſpeciem: ita differentia indiuidualis adueniens ſpeciei, conſtituit indiuiduum; Cum ergo ſit maxima ſimilitudo inter entitatem, à qua ſumitur differentia ſpecifica, & inter entitatem, à qua ſumitur differentia indiuidualis, hãc entitatem indiuidualem nititur declarare per comparationem ad entitatem, à qua ſumitur differentia ſpecifica, quæ eſt nota; differentia autem ſpecifica, ſiuè entitas, à qua ſumitur differentia ſpecifica, poteſt comparari ad tria, ad inferius, ad ſuperius, & ad æquale: Si primò modo illi differentiæ ſpecificæ, ſiuè entitati, à qua ſumitur differentia ſpecifica repugnat, per ſe diuidi in plura ſpecie, & propter hoc repugnat etiam toti, ſcilicet ſpeciei, cuius illa eſt pars: ita in propoſito, huic differentiæ indiuiduali, ſiuè entitati, à qua talis differentia ſumitur, repugnat per ſe diuidi in quaſcumque partes ſubiectiuas, & per illam repugnat tali toti indiuiduo, cuius ipſa eſt pars; tantummodo differentia eſt in hoc, quia vnitas illa naturæ ſpecificæ eſt minor hac vnitate numerali, & propter hoc illa non excludit omnem diuiſionem, quæ eſt ſecundum partes ſubiectiuas, ſed ſolum illam, quæ eſt ſecundum partes eſſentiales, & ſpecificas, hæc verò excludit omnem, & quamcumque diuiſionem. Comparando verò differentiam ſpecificam ad id, quod eſt ſuprà ſe, realitas illa, à qua ſumitur differentia ſpecifica, eſt actualis reſpectu realitatis generis; actuat enim, & contrahit genus, quod erat potentiale, ad eſsę ſpecificum; ita in propoſito, entitas iſta indiuidua eſt actualis reſpectu ſpeciei, quia contrahit ſpeciem potentialem ad eſse indiuiduale; adeſt differentia in hoc, maximè, vt facit ad propoſitum, quod differentia ſpecifica conſtituit compoſitum, cuius eſt pars, in eſſe quidditatiuo, quod eſse eſt eſſe commune, & plurificabile;

bile: ſed hæc entitas, à qua ſumitur differentia indiuidualis; conſtituit compoſitum, cuius eſt pars, ſcilicet, indiuiduum in eſse alterius rationis, ſcilicet, in eſse ſubijcibili, & materiali, quod declaratur: quia apud Philoſophum ſæpè quidditas dicitur forma, & omnis quidditas eſt prædicabilis, & ſic differentia ſpecifica conſtituit compoſitum, cuius eſt pars, ſcilicet, ſpeciem in eſſe prædicabili: ſed hæc differentia indiuidualis non conſtituit ſuum compoſitum in eſſe prædicabili: quia illud non eſt quidditas, neque vniuerſale, ſed eſt ſingulare, quod de nullo prædicatur, ſed ſolum ſub jcitur prædicationi aliorum, quia omnia prædicantur de illo, ſed ſolum conſtituit in eſſe ſubijcibili; quia autem eſse ſubijcibile eſt ratio materiæ; Hinc eſt, quod Scotus hanc entitatem, à qua ſumitur differentia indiuidualis, appellat materiam. Tertiò, differentia ſpecifica poteſt comparari ad id, quod eſt iuxta ſe, ſcilicet, ad aliam differentiam ſpecificam, & tunc licet aliquando coniungat quod aliquæ differentiæ ſpecificę non ſint primò diuerſę, ſed conueniant in aliqua ratione communi, tamen vltimæ differentiæ ſpecificæ ſunt primo diuerſæ, ita quod in nulla ratione communi conueniunt, quæ poſſit habere rationem ſpeciei, ſed ſunt primò diuerſæ ſpecie, & ſeipſis diſtinctæ, & non per aliud. In propoſito differentiæ indiuiduales aſſimilantur differentijs ſpecificis vltimis, quia ſunt primò diuerſæ in nulla communi ratione numerali conuenietes.

obiec. Quæ ſint primo diuerſa. Vbi nota, quod ex Ariſtotele 10. Metaphyſic. tex. 12. apertè illa dicuntur primo diuerſa, quæ ſe totis differunt, exemplum affertur à Scoto 1. Sent. diſt. 7. q. 1. §. Ad argumēta igitur in oppoſitum, &c. reſpondendo ad primum. Differentiæ indiuiduales ſunt primò diuerſæ: quia ſecundum totam ſuam rationem formalē, vna nō eſt alia; indiuidua verò vt Petrus, & Franciſcus, non ſunt primo diuerſa: quia conueniunt in ſpecie hominis, & ideo non differunt ſecundum ſe tota, ſed ſolum ſecundum vnam partem, id eſt, per differentiam indiuidualem; ſicut etiam rationale, & irrationale ſunt primo diuerſa, & tamen homo, & brutum, non ſunt primo diuerſa: quia conueniunt in genere. Solæ ergo vltimæ differentiæ ſunt primo diuerſæ: quia in ſua proxima ratione formali, vna non includit aliquid alterius. Et nota, quod licet conueniant in prædicatis ſuperioribus aliquibus, vt in Ente, Subſtantia, & ſimilibus, hoc non impedit: quia ſic nulla dari poſſent entia, quæ eſſent primo diuerſa, & tamen omnes concedunt vltimas differentias eſſe primo diuerſas. Sufficit ergo, vt ſecundū proximas ſuas rationes formales ſint vltima diſtinctiua, & nihil vt ſic, habeant commune. Si quis arguat, ergo conſtituta in eſſe per has differentias indiuiduales, non erūt eiuſdem vnius ſpeciei, quod tamen falſum eſt: quia indiuidua hominis ſunt eiuſdem ſpeciei. Reſpondetur enim, quod non valet arguere ab indiuiduis, ad differentias indiuiduales: indiuidua enim ſunt eiuſdem ſpeciei, quia vltra differentiam indiuidualem includunt ſpeciem, ſicuti ſpecies præter differentiā ſpecificam includit genus, & ideo ſunt eiuſdem generis: ſed differentia indiuidualis, quia eſt vltimum diuiſibile, in nullo cum alia differentia conuenit: vt puta, nominetur Socraeitas differentia indiuidualis Socratis, & Platoneitas differentia indiuidualis Platonis. Socrateitas, & Platoneitas in nullo conueniunt, ſed ſunt primo diuerſa, vt rationale, & hinnibile ſunt primò differentia, & tamen homo, & equus non ſunt primò diuerſa, ſed ſunt eiuſdem generis. *Solui.*

Habita hac declaratione de natura, & conditione differentiæ, ſiue entitatis, à qua ſumitur differentia indiuidualis, declarat quænam ſit entitas hæc, à qua ſumitur differentia indiuidualis, & quærit, nunquid ſit materia, vel forma, vel compoſitum? & reſpondet, quod neque materia, neque forma, neque compoſitum eſt talis entitas, in quantum quodlibet iſtorum eſt natura; Rationem adducit: quia natura, & quidditas, de ſe non eſt hæc, ſed eſt indifferens ad eſſe hanc, & non eſſe, & ita nullum iſtorum eſt principium indiuiduationis; quid ergo erit hæc entitas? Reſpondet, quòd eſt vltima realitas entis, quod eſt materia, vel vltima realitas formæ, vel compoſiti: quodlibet enim

iſtorum

iſtorum entium eſt commune, & tamen eſt determinabile: quamuis enim quodlibet iſtorum ſit vna res, poteſt tamen diſtingui in plures realitates formaliter diſtinctas, quarum hæc, non eſt illa; & ſic in forma eſt vna realitas, qua forma eſt natura formaliter, in illa adhuc ſunt plures realitates, quarum vnaquæque eſt entitas ſingularis formaliter; Idem dicēdum de materia, & de compoſito; adeo quod ſecundum Scotum, neque materia, neque forma, neque compoſitum ex illis, vt ſpecies, eſt principium indiuiduationis, ſed vltima realitas materiæ, vel formæ, vel compoſiti; quodnam autem horum ſit, non determinat.

Quædam dubitationes circa opinionem Scoti, ſoluuntur, & eadem opinio comprobatur. Cap. II.

Primum notādum. PRimo notandum, quòd huiuſmodi entitas, à qua ſumitur differentia indiuidualis, non eſt res realiter diſtincta à materia, vel forma, vel compoſito; ſed realitas materiæ, vel formæ, vel compoſiti, tantum formaliter diſtincta ab eis, ad denotandum quòd hæc entitas non eſt extrinſeca ipſi indiuiduo, neque eſt alia res adueniens ipſi ſpeciei, ſed eſt ſolum realitas ipſius formę, vel materię, vel compoſiti, quę ipſam ſpeciem diuidit, & determinat ad eſſe indiuiduale, & ſingulare: ſicuti etiam realitas, à qua ſumitur differentia ſpecifica, non eſt res diſtincta realiter à genere, ſed ſolum formaliter: non enim rationalitas eſt res realiter diſtincta ab animali, ſed ſolum formaliter, & eſt realitas vltima animalis, quæ ipſum animal contrahit ad eſſe hominem; Vnde omnes dicunt, quod ſpecies illas differentias habet à genere, vt dixit Porphyrius in capite de Differentia.

Secūdum notādum. Notandum eſt ſecundo, quod appellat hanc entitatem, ſiuè realitatem, à qua ſumitur differentia indiuidualis nomine materiæ: quia conſtituit in eſſe ſubijcibili, & contrahit quidditatem: omne autem contrahens, & conſtituens in eſſe ſubijcibili, habet rationem materiæ, & Ariſt. appellat illud nomine materiæ; ita quod materia duobus modis accipitur apud Ariſtotelem; Vno modo pro eo, quod eſt receptiuum formæ, & hoc modo accipitur in libris Phyſicorum, & alibi; alio modo pro omni eo, quod contrahit quidditatem aliquam, & hoc modo accipit Ariſtoteles 12. Metaphyſices textu 49. quando dixit vnum eſſe motorem primum, quia non habet materiam: intelligebat enim non de materia, quę eſt receptiua formę, ſed de materia, quæ eſt ratio contrahens quidditatem, vt dicam ſuo loco, & hæc eſt mens Scoti, tam in 2. Sententiarum loco citato, quam in quodlibetis, quęſtione 2. articulo 2. Qua in re notandus eſt error illorum, qui dicunt Scotum dicere materiam totius eſſe principium indiuiduationis: decipiuntur enim Primò, quia Scotus numquam appellauit hanc realitatem, à qua ſumitur indiuiduatio, materiam totius, ſed ſolum dixit eſſe materiam, vt eſt videre in vtroque loco tam in 2. Sent. quàm in Quodlibetis, & in Metaphyſica, lib. 12. ſed neque hoc dicere poteſt: quia vt declarauimus ex Scoto, in Theoremate, quod totum eſt alia entitas à ſuis partibus, materia totius reſpondet formę totius: forma autem totius eſt quidditas in abſtracto reſultans ex vnione partium, vt in homine humanitas: materia totius, eſt concretum reſpondens illi quidditati in abſtracto, ſcilicet illa entitas tertia, vt homo. Modo quis non videt hoc pugnare cum ſententia Scoti: ait enim Scotus, quod neque materia, neque forma, neque compoſitum, vt ſunt natura, ſunt principium indiuiduationis, ſed eſſe, vel realitatem materie, vel formæ, vel compoſiti; quę procul dubio non eſt materia totius; & licet Antonius Andræas 5. Metaph. q. 5. oppoſitum ſentiat, tamen ratio ab eo me diſſentire cogit. Qua in re etiam patet Zabarellam, Mercenarium, & Franciſcum Piccolomineum, mentem Scoti non rectè percepiſſe. Notandum eſt etiam, quod illud nomen, Hæcheitas, vel vt alij legunt Hæcceitas, vel vt alij, Hæc entitas, non inuenitur apud Scotum, ſed à quibuſdam Scotiſtis adinuentum eſt fortaſſe, vt rei claræ obſcuritatem offunderent, vt fuit moris multorum illorum. Verum cum Scotus non determinauerit, quæ nam reali-

Aliquorū error. *Ant. And.* *Zab.* *Mer.* *Picc.*

realitas ſit hæc, à qua ſumitur differentia indiuidualis,ſcilicet, an ſit realitas materiæ,vel formæ,vel compoſiti: non erit ab re determinare, quænam ſit hæc realitas. Ego iudico aſſerendum eſſe realitatem vltimam formæ.Ratio eſt hæc:Forma eſt quæ conſtituit rem in eſſe : quod autem dat eſſe, dat etiam diſtinctionem a quocumque alio,quod non eſt ipſum;cum ergo forma ſpecifica conſtituat naturam in eſſe ſpecifico,& actuet materiam,& cõpoſitum reſultet ex ea, & materia,ita dicendum eſt,quod realitas formæ vltima , ſit ea , quæ conſtituat in eſſe indiuiduali, & actuet vltimam realitatem materiæ,ex qua realitate materiæ,& realitate formæ, reſultat indiuiduum; cum enim materia non habeat rationem conſtitutiui,ſed potius conſtituti , realitas vltima materiæ non poteſt eſſe tale principium indiuiduationis, neque vltima realitas compoſiti , poteſt eſſe tale principium : quia illa eſt , quæ reſultat,& habet eſſe à conſtituente , & ideo non poteſt eſse conſtituens ; erit ergo principium indiuiduationis vltima realitas formæ ſpecificæ : forma enim vniuerſaliter de ſe eſt multiplicabilis numero,non per materiam, neque per aliquid aliud,vt infrà oſtendetur,loquendo de ſubſtantijs abſtractis ; Neque in hoc contradicimus Scoto , quia ipſe aſserit tantum quòd vltima realitas , vel materiæ,vel formę,vel compoſiti, eſt tale principium , tamen noluit poſtea determinare quodnam iſtorum ſit re vera tale principium; Nos autem ex ſuis principijs , & ratione duce , hanc determinare poſſumus, vt iam nunc dictum eſt , & notandum,quod hic loquimur de principio indiuiduationis per ſe, & interno , non de externo,& accidentali,quia accidentale , & externum ſunt accidentia illa , de quibus Porphyrius capite de Specie, ſcilicet, locus, tempus,forma, &c.Comprobatur hæc opinio Scoti ex confutatione aliorũ opinionum , tamen Scotus duas rationes adducit particulariter pro ea , quarum prima eſt .

Quæ realitas ſit principiũ indiuiduationis.

Duplex principiũ indiuiduationis p ſe, & p accidẽs.

1. rõ. Vnitas in communi ſequitur entitatẽ in cõmuni:quia vnitas eſt paſſio entis,ergo quæcumque vnitas reſpicit aliquam entitatem,& ſic vnitas ſimpliciter, qualis eſt vnitas numeralis , cum detur rerum natura ſecundum omnes habebit maximam,& propriam entitatem:hæc autem entitas non poteſt eſse entitas naturæ , quia illam inſequitur vnitas ſpecifica: igitur ad hanc vnitatem numeralem conſequitur alia entitas realis determinans illam entitatem naturę, & ſimul cum illa faciens indiuiduum , ſicuti vnitas numeralis diuidit,& determinat vnitatem ſpecificam; hæc entitas , vt patet neceſsariò eſt ſubſtantia: quia in ſubſtantia naturali datur hæc vnitas numeralis , non poteſt autem eſſe entitas naturæ, vt dictum eſt , ſed eſt inferior illa, ergo ſequitur , quòd hæc ſit vltima realitas , vel materiæ, vel formæ,vel compoſiti,quod eſt natura.

Secunda ratio. Omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primò diuerſa. Hæc eſt Maior, quæ probatur: quia alioquin non daretur ſtatus in differentijs. Senſus eſt : Omnis differentia,per quam aliqua differunt , debet ipſa eſse quid diuerſum , vel includere aliquid,in quo illa,quæ differunt, nullo modo conueniant , ſed ſecundum illud ſint primò diuerſa; Probatur : alioquin ſi ea differentia non ſit primò diuerſa,vel non includat aliquid primò diuerſum , non dabitur ſtatus in illis differentibus , quia illa tunc non differrent per illam differentiam , ſed conuenirent ; opus eſt ergo , quòd omnis differentia differentium reducatur ad aliqua primò diuerſa. ſubiungitur Minor : ſed indiuidua propriè differunt, quia ſunt diuerſa entia , ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primò diuerſa ; hæc primò diuerſa non ſunt natura in hoc, & in illo: quia quod eſt cauſa conuenientiæ formalis , non eſt cauſa diſtinctionis realis , natura autem eſt cauſa conuenientiæ indiuiduorum ad inuicem, ergo non eſt cauſa diſtinctionis illorum : & ſic nec materia, nec forma, nec compoſitum , vt ſunt natura, ſunt cauſa talis diſtinctionis : quia hæc non ſunt primò diuerſa in hoc , & in illo indiuiduo , ſed ſunt eadem ; Neque hæc primò diuerſa poſſunt eſse negationes,quia vltrà rationes,quas proprio loco adducam , omnis negatio præſupponit poſitiuum , & ſic negatio non poteſt eſse 2. rõ.

primum diſtinctiuum, neque poteſt eſſe aliquod accidens, quia hoc eſt poſterius ſubſtantia, vt ſuo loco dicetur. Relinquitur ergo, quod ſit realitas vltima, vel materiæ, vel formæ, vel compoſiti. Addamus nos: ſed hæc non poteſt eſſe vltima realitas materiæ, neque compoſiti, vt ſupra diximus, ergo erit vltima realitas formæ; & ita ſicuti differentiæ educuntur ex genere, & additæ ipſi illud contrahunt ad ſpeciem, ita vltimæ realitates formæ, quę exeunt à forma, quę ſunt inominatę, ſed poſſumus illas appellare, vt Socrateitatē, Platoneitatem, &c. adueniunt ſpeciei, & illam contrahunt ad eſſe indiuiduale, & vnum numero. His rationibus Aduerſarij varijs modis reſpondent: ſed in confutan do eorum opiniones, eorum reſponſiones conſiderabuntur, quod fiet, confutando opinionem Auerroiſtarum, quod forma ſit principium indiuiduationis, infrà capite nono.

Rationes Aduerſariorum contra opinionem Scoti. Cap. III.

1. rō. Herui. ADuerſus Scotum inſurgunt multi, ſed pręcipuè Herueus Quodlibeto 3. quęſtio. nona, & impugnat dupliciter Scotum. Primò, quando Scotus ait, principium indiuiduationis non poſſe ſumi à materia, neque à forma, quia ſunt communes omnibus indiuiduis, vel intelligit, quod ſunt communes ſecundum rem extra animam; aut intelligit, quòd ſolum ſunt communes ſecundum rationem; Si intelligit primo modo, vt re vera intelligit Scotus, eſt falſum: quia tunc daretur aliquod vniuerſale actu extra animam, quod eſt falſum, ex Ariſtot. 1. de Anima, textu 8. vbi ait, quod vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius; Vniuerſale ergo ſit ſolum ab intellectu; Et confirmatur: quia tale vniuerſale, aut per ſe ſubſiſteret, & hoc eſt abſurdum; Vel eſſet in ſingularibus, & tunc eſſet ſingulare: quia quidquid eſt in ſingularibus, eſt ſingulare; Si verò Scotus intelligat de communitate ſecundum rationem, hæc non impedit, quia ſimiliter ab omnibus realitatibus illis, ſiue vt illi vocant Hæcceitatibus, poterit abſtrahi aliqua ratio communis ſingulis Hæcceitatibus, & ita ſi propter talem communitatem, neque materia, neque forma poſſunt eſſe principium indiuiduationis, neque Hæcceitates, ſiue illæ realitates.

Secundò quærit Herueus, quid ſit illa realitas, ſiue Hæcceitas, quam ponimus principium indiuiduationis? Vel eſt Subſtantia, vel Accidens; ſi Subſtantia, vel materia, vel forma, vel compoſitum; Si Accidens, vel abſolutum, vel reſpectiuum; ſi abſolutum, vel Quantitas, vel Qualitas: at nihil horum dicere poteſt Scotus, quia laberetur in opiniones, quas reijcit in 2. Sententiarum, ergo Hæcceitas nihil eſt. 2. rō.

Caietanus libro de Ente, & eſſentia, capite 2. aduerſus Opinionem Scoti quat tuor rationibus arguit; Prima eſt hæc. Omnis actus ſingularis præexigit potentiam ſingularem, quā actuat: ſed Hæcceitas, ſiue illa realitas, eſt actus ſingularis, ergo præexigit potentiam ſingularem, quā actuat. Sed illa potentia eſt natura, ſeu in natura ipſius indiuidui, ergo natura indiuidui eſt ſingularis ante aduentum Hæcceitatis, & ita Hæcceitas non eſt principium indiuiduationis. Propoſitiones aſſumptæ (ait ipſe) ſunt Scoti in hac materia, tamen probat Maiorem ex Ariſtot. 2. Phyſic. textu 38. vbi docet comparationes cauſarum: docet enim, quòd forma particularis præexigit materiam particularem, ergo forma particularis potentiā particularem. 1. rō. Caie.

Secūdò Caietanus arguit ſic. Illa, quæ ſunt principium indiuiduationis, ſunt ſe ipſis primò diuerſa, Hæcceitas Socratis, & Platonis non ſunt ſeipſis primò diuerſæ, ergo illæ non ſunt principium indiuiduationis. Maior eſt Scoti; Minor probatur; Id, quod conuenit magis cum vno, quàm cum altero, non eſt primò diuerſum ab eo, cum quo magis conuenit. Sed Hæcceitas Platonis magis conuenit cum Hæcceitate Socratis, quàm cum Hæcceitate albedinis, ergo hę Hęcceitates Platonis, & Socratis non ſunt primo diuerſę. Maior Syllogiſmi patet ex terminis; Minor probatur Primò: quia Hęcceitates Socratis, & Platonis cōueniunt in ſpecie Hęcceitates Socratis, & albedinis differūt genere. 2. rō.

genere. Secundò, quia illa magis conueniunt, quæ magis aſſimilantur: magis autem aſſimilantur, quæ ſunt magis comparabilia: Hæcceitates autem Socratis, & Platonis ſunt magis comparabiles, quàm Hæcceitates Socratis, & albedinis; ſicut vniuerſaliter res eiuſdem Prædicamenti ſunt magis comparabiles, quàm res diuerſorum Predicamentorum.

3. rō. Tertiò, ſic arguit; quod cōuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiuſdem ſpeciei, præexigit neceſſariò diſtinctionē ipſorum: proprietas indiuidualis, puta Socrateitas, conuenit Socrati, & repugnat Platoni, qui eſt eiuſdem ſpeciei; ergo proprietas indiuidualis prexigit diſtinctionem Socratis à Platone, & ſic proprietas indiuidualis non eſt quo primò Socrates diſtinguitur à Platone. Concluſio eſt contra Scotum: Premiſſe autem ſunt ſuę. Maior eſt eius in Quodlibetis, queſt. 2. Minor verò eſt Concluſio Scoti, ergo ex ſeipſo conuincitur falſus Scotus.

4. rō. Quartò hæc poſitio contradicit Peripateticis 12. Metaphyſices textu 49. fit hæc Conſequentia. Si primum Cælum, id eſt primum principium, eſt vnum ſpecie, & plura numero, ergo habet materiam multam; Hæc Conſequentia eſſet nulla, ſi principium indiuiduationis eſſet Hæcceitas, & non materia. Quod autem gloſſa Scoti exponentis ibi per materiam proprietatem indiuidualem, ſit deſtructiua textus, probatur per Comentatorem ibi, & per textus antecedentes, vt ex textu 30. eiuſdem, vbi Ariſt. ait, motorem Cæli non habere materiam, & loquitur de materia ad Vbi, & ad Eſſe. Eadē gloſſa improbatur ex 3. Metaphyſices, tex. 11. vbi ait Ariſt. quod omnis multitudo, aut eſt rerum differentium ſecundum formam, aut ſecundum quantitatem. Item, ex 1. Cæli, tex. 92. & 93. cum dico Cælum dico materiam. Vbi Ariſtot. & Auerroes aſſignant vnitatem, & pluralitatem Indiuiduorum in eadem ſpecie in rebus materialibus ex materia.

1. rō. Bacc. Ioannes Bacchonus 3. Sentēt. diſt. 8. q. 2. artic. 1. contra hanc opinionem Scoti ita argumentatur. Hęc realitas, quam 2. rō. ponit Scotus eſſe principiū indiuiduationis, non eſt Relatio, neque aliud Accidēs, ex Scoto, ſed eſt quid abſolutum, ergo vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, vel aliud quartum ab his in genere ſubſtantiæ, quod eſt contra Ariſtot. qui nunquam diuiſit ſubſtantiam in aliud ab his tribus. Poſſumus etiam formare alteram rationem ex his, quæ dicit ibi, ſic. Hæc realitas habet rationē actus: quia contrahit ſpecies; habet rationē potentiæ: quia ipſa eſt, quæ contrahitur; nec diſtinguitur à realitate ſpecifica ſecundum Scotum, ſed quæ ſunt actus, & potentia, ſunt realiter diſtincta: quia opponūtur. ergo hæc realitas, & natura diſtinguuntur realiter contra Scotum, & cōſequēter cū hęc realitas non ſit materia, neque forma, neque cōpoſitū, erit quarta ſubſtantia realiter diſtincta ab his, quod eſt contra Ariſt. qui ſolum triplicem ſubſtantiam adinuenit.

Paulus Soncinas 7. Metaph. q. 32. contra hanc opinionem Scoti quattuor rationibus arguit. Primò ſic. Stante poſitione, ſequitur, quod quodlibet indiuiduum ſit tria indiuidua: Conſequens euidenter falſum eſt; ergo, & Antecedens. Conſequentia probatur: quia in quocumque ſunt tres Hęcceitates, ibi ſunt tria indiuidua, per Scotum, in quolibet indiuiduo ſunt tres Hæcceitates, ergo in quolibet indiuiduo ſunt tria indiuidua. Maior eſt Scoti; Minor etiā probatur: quia vult Scotus, q alia ſit Hæcceitas ſiue realitas materiæ, & alia realitas formę, & alia cōpoſiti; Modo hæc tria ſunt in quolibet indiuiduo, ergo qdlibet indiuiduū eſt triplex indiuiduū. 1. rō. Soncin.

Secūdò ſequeretur, quòd forma vniretur materiæ mediāte aliqua alia realitate præter realitatem formæ; Conſequens eſt falſum, & contra Ariſt. 8. Metaph. tex. 16. & 2. de Anima tex. 7. Conſequentia probatur; Hæc realitas, ſiue Hæcceitas, quā ipſe appellat modum intrinſecum formæ, eſt alia à realitate, qua forma eſt natura, & etiam eſt ſibi intimior quam vnio formæ ad materiam: quia forma poteſt eſſe ſine materia, ſed non poteſt eſſe ſine hac realitate. His ſtātibus, ſic arguit. Hæcceitas formę eſt intimior formę, quam vnio formæ ad materiam, ergo dum forma vnitur materiæ, prius natura ſibi competit hæc hæcceitas, quàm vnio illa ad materiam, ergo vnio præſupponit illam 2. rō.

Hęcceitatem,& conſequenter illa media.
3. rō. Tertiò ſequeretur, quòd materia ſeparata ab omni forma, eſſet nedum in actu entitatiuo,ſed etiam in actu formali:Conſequens eſt falſum, & etiam contra Scotū, ergo & Antecedens. Conſequentia probatur: quia per ſe haberet propriam Hęcceitatem: ſed illa Hęcceitas eſt actus formalis;probatur : quia per ſe determinat materiam,vt ſit hæc; determinare autem eſt proprium actus formalis: ſic enim determinare,eſt qualificare; & magis confirmatur: quia Scotus dicit, quòd comparata ad materiam,illam qualificat, & determinat.
4. rō. Quartò Hæcceitas Socratis,& Hæcceitas Platonis,ſolum differunt numero,& ſunt eiuſdem rationis, ergo oportet quærere aliquid per quod diſtinguantur,& per conſequens ipſæ non ſunt prima diſtinctiua. Nec valet reſponſio, quòd iſta ſint primò,& ſe ipſis diuerſa : quia ens quidditatiuè de illis prædicatur. Adſunt multæ aliæ rationes, quas adducendo alias opiniones recenſebo, omnes rationes enim pro opinione D.Thomæ,& Auerroiſtarum, & aliorum faciunt contra opinionem Scoti.

1. rō. Mercenarij & Achillini. Mercenarius in ſuis Dilucidationibus particulariter cōtra Scotum arguit. Hęc vltima realitas entis Scoti,eſt materia totius, per Scotum:ſed hæc non datur apud Ariſt.ergo;Antecedens multipliciter probatur ab eo.Item Achillinus lib.1.de Elementis,c.16. concluſ.8.arguit contra Scotum, ſed non eſt digna, vt adducatur,ex dictis enim facilè ſoluitur.

Solutio iſtarum rationum. Cap. IV.

PRo ſolutione iſtarum rationum non ſunt iaciēda alia fundamenta, quàm ea,quæ expoſuimus in declaratione Opinionis Scoti; qui enim rectè intellexerit opinionem Scoti, facilè has obiectiones de medio tollet.
Ad 1. Heruæi. Ad primam itaque Heruæi concedo,quòd neque materia,neque forma,poſſunt eſſe principium indiuiduationis: quia ſunt communes omnibus indiuiduis ſecundum rem. Ad impugnationem contra hoc: quia tunc daretur vniuerſale, &c. dico, quòd datur natura communis realis exiſtens in rerum natura, quæ de ſe eſt indifferens ad eſſe vniuerſale, & ad eſſe indiuiſibile, vt in proprio quæſito oſtendam,Ariſt.autem pro nunc loquitur de vniuerſali completo, non de tali natura communi.

1. rō. quod detur natura cō. munis. Præterea,ibi Ariſt.loquitur contra Platonem: nos autem non ſumus cum Platone. Quòd autem materia, & forma, vt ſunt partes naturę,conſtituant vnam naturam realem communem pluribus ſecundum rem, pręter rationes adductas proprio loco, poteſt ſic probari:quia ſi iſtæ naturæ communes,vt homo animal, &c. vt ſunt communes, habent eſſe ſolū à ratione,erunt tantummodo dum fiunt, ſicuti & ſecundæ intentiones, quæ habent eſſe per opus intellectus,ſunt ſolū, dum fiunt, quod quàm ſit abſurdum, ex ſe patet.

2. rō. Præterea, Scientiæ,quæ ſunt de his naturis communibus, eſſent Scientię rationales,quia eſsent de entibus rationis, non realibus, quale autem eſt obiectum, talis eſt Scientia.

3. rō. Pręterea homo, & bos, non differrent realiter,neque animal,& lapis,ſed ſolum ratione,& per operationem intellectus: at qui negat has ſpecies differre ſolū per opus intellectus,ſimilis eſt illi, qui negat ignem calefacere, indiget enim verberatione;Neque valet, ſi quis dicat, differūt realiter, quia differunt numero, nō valet inquam,quia pręter differentiam numeralem, adeſt alia differentia ſecundum rem;nam Franciſcus differt à Socrate, & ab hoc equo numero tamen; poſtea rurſus differt ab hoc equo, alio modo, quo non differt à Socrate, & hęc eſt pręter opus intellectus, & realis: nam ille eſt equus,& Franciſcus eſt homo;& certè,qui negat iſta,eſt dimittendus.

Ad ſecū dum. Ad ſecundum argumentum Heruæi dico,quòd illa realitas eſt ſubſtantia, & eſt vltima realitas formę, neque tamen incidit Scotus in alias Opiniones, quas reijcit, vt viſum eſt in declaratione ſuæ Opinionis.

Ad primū Caie. Ad argumentum Primum Caietani dico,quòd Maior in eo ſenſu,quo ipſe accipit,eſt falſa; neque eſt Scoti in eo ſenſu; quod probatur:quia actus,qui cōſtituit, & determinat aliquid indeterminatum,

non

non præſupponit illud eſſe determinatũ: ſed eſt actus ipſe, qui illud indeterminatum determinat, vnde actus ſpecificus non præſupponit potentiam ſpecificam, (niſi intelligat de potentia logica, quæ eſt non repugnantia) ſed præſupponit ſolum genericam; ipſe autem actus ſpecificus eſt, qui determinat potẽtiam ſpecificam, reſtringens, & actuans potentiam genericam, quæ erat indeterminata. Ideo reſpondeo, quod actus eſt duplex; Primus, & Secundus; vera eſt propoſitio de actu ſecundo, non de primo, vt nunc viſum eſt: nos autem in præſenti loquimur de actu primo, qui dat eſſe, & conſtituit in eſſe. Vera eſt autem de actu ſecundo: quia actus ſingularis agit, & operatur in potentiam ſingularem, actus vniuerſalis in potentiam vniuerſalem, & ita actus vniuerſalis producit effectum vniuerſalem, actus particularis effectum particularem; & hoc modo intendit Ariſtoteles 2. Phyſ. tex. 38. vbi ait, quòd omnis cauſa proportionatur ſuo effectui, vniuerſalis, effectui vniuerſali, & particularis, particulari; & ſic Scotus vſus eſt hac propoſitione in hoc ſenſu.

Ad 2. Ad ſecũdum Caietani ex ſe patet quid dicendum; Dico igitur, quod iſtæ realitates ſunt per ſe primo diuerſæ, & non magis conuenit vna cum alia, quàm cum altera. Ad impugnationem dico, quod vltima realitas, qua conſtituitur in eſſe indiuiduali Plato, æquè diuerſa eſt ab vltima realitate albedinis, & Socratis, quantum eſt ex cõditione talis realitatis: quia ab omnibus numero differt ęquè, licet poſtea inter illas alia differentia quãdoque adſit, vt diuerſitas ſpecifica; vel genere; Hoc nihil efficit: quia hęc differentia non ineſt illis, vt ſunt vltimæ realitates, ſed vt ſunt ſub diuerſis generibus, & ſpeciebus, ſat eſt, quod numero æqualiter diſtent ab inuicem, & quod ſecundum ſuum totum eſſe formale, vna non includat aliquid alterius, vt dictum eſt. Præterea, nos loquimur de indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non de indiuiduis diuerſarum ſpecierum, & generum: in indiuiduis autem eiuſdem ſpeciei, patet, quod vna realitas non differt magis ab vna, quàm ab alia; cum enim quæritur principium indiuiduationis, quæritur quæ ſit ratio diſtinctionis numeralis in eadẽ ſpecie: quia diſtinctio ſpecifica, & generica aliundè petuntur.

Ad tertium Caietani dico, quod illa Maior debet ſic intelligi, quod repugnat vni, & conuenit alteri, præexigit diſtinctionem ipſorum: addi debet, niſi illud ſit diſtinctiuum ipſorum; modo in propoſito iſtæ realitates ſunt principia diſtinctiua illorum, ideò non præexigunt aliam priorem diſtinctionem. Scotus autem protulit hanc propoſitionem de ijs, quæ non ſunt diſtinctiua, ſed prẹſupponunt diſtinctionem, vti ſunt proprietates, de quibus loquitur ibi, & in his valet. Vide eum in Quodlibetis, quæſtione 2. art. 1. conſiderando primam rationem verſus finem, ad literam C.

Ad quartam rationem Caietani, & ad illas auctoritates dicam ſoluendo rationes pro Opinione D. Thomæ, infrà. Ad 4.

Ad primam Bacchoni pro ſolutione eſt notandum illud, quod in declaratione Opinionis Scoti tetigimus, nempè, quod vt habet ipſemet Scotus in corpore illius quæſiti, & 1. Sent. diſtin. 8. quæſt. 3. in corpore quęſiti, differentia ſpecifica quando que à re ſumitur, & quandoque à realitate ſumitur, quando ſumitur à re, tũc addit aliquid ſupra genus, vt cum corpus contrahitur per animatum, hæc enim eſt forma, quę aduenit corpori; quando ſumitur à realitate, non addit aliquid ſupra genus, vt ſunt vltimæ differentię, quod conſpicitur in accidentibus, dum enim color contrahitur per albedinem, nigredinem, &c. non contrahitur per illas tamquam per res: quia illæ non ſunt formæ diuerſę aliquam formam addentes ad colorem, ſed ſunt realitates coloris, quę contrahũt illum: ita in ſubſtantijs materialibus vltimæ differentię, vt differentię contrahentes animal, non ſunt formę, & res extra accidentes, & aliquid addentes animali, ſed realitates generis, quę contrahunt ipſum ad vltimas quidditates, in quas eſt diuiſibile. Ad 1. Bacchoni.

Ad propoſitum iſtę differentię indiuiduales non ſumuntur à re, ſed à realitate formę, vt diximus, & ſic illa realitas non differt realiter à forma, cuius eſt realitas, neque eſt alia res ab illa, ſed ſolum dif-

differt formaliter,& eſt alia realitas ab illa. Nunc ad argumentum dico, quod hæc realitas non eſt accidens, ſed ſubſtantia, non tamen eſt quarta res à materia, forma,& compoſito,ſed eadem res quod forma, ſed ſolum alia realitas ab ea diſtincta formaliter. De his autem diſtinctionibus ſuo loco dictum eſt.

Ad 2. Per idem ad ſecundum patet: quia nõ eſt neceſſe,quod quæ ſunt actus, & potentia,ſemper diſtincta ſint realiter:ſed ſufficit ſi diſtinguantur formaliter.

Ad 1. Ad primum argumẽtum Pauli Soncinatis,negatur Conſequentia. Ad probationem negatur Minor; ad probationem dico,quod Scotus non vult,quod in quolibet indiuiduo ſint tres realitates, ſiue hæcceitates,ſed vna;ait enim, quod principium indiuiduationis eſt vltima realitas,vel materiæ,vel formæ,vel compoſiti, adeo quod vult, non quamlibet realitatẽ eſſe principium indiuiduationis, ſed aliquam illarum,quam nos poſtea diximus eſse vltimam realitatem formæ.

Ad 2. Ad ſecundum nego Conſequentiam. Ad probationem dico, quod forma poteſt duobus modis conſiderari; Vno modo vt natura; Alio modo vt eſt contracta ad eſse indiuiduale. Primo modo vnitur materiæ immediatè. Secundo modo concedo,quod vnitur materiæ mediante hac realitate: hæc enim realitas, eſt principiũ indiuiduans, & contrahens formam, & materiam ad eſse indiuiduale:neque hoc eſt inconueniens,neque contra Ariſt. ſi enim eſt principium indiuiduationis naturæ,porrò eſt neceſsarium,quod ipſa natura, & forma mediante hac realitate contrahatur ad eſſe indiuiduale.

Ad 3. Ad tertium, ſi aliquid efficacitatis haberet,concluderet magis contra eos:quia ipſi ſuſtinent, quod materia ſit principiũ indiuiduationis,tunc ſic: Ergo materia erit actus formalis, nedum actus entitatiuus; nos autem reſpondemus, quòd licet materia habet proprias realitates,non tamen illæ ſunt principium indiuiduationis: ſed ſunt realitates formæ, quia illæ ſunt, quæ agunt, realitates materiæ vero patiuntur, immò determinantur actu à realitatibus formæ.

Ad 4. Ad quartum dico, quod illæ realitates formæ ſunt primò diuerſæ; Ad probationem cum dicit, quod Ens prædicatur de illis quidditatiuè, & ſic non ſunt primò diuerſæ; Ad hoc dico,quod Ens non prædicatur de vltimis differentijs quidditatiuè,ſed eſſentialiter,vt in materia de vniuocatione in hoc propoſito dicam: ſed pro nunc dico, quod vltimæ differentiæ dicuntur primo diuerſæ, quia ſunt vltimæ quidditates indiuiſibiles in alias quidditates, & ſic vna differt ab alia non per aliam differentiam, quia ſic partim conueniret cum illa alia differentia vltima, & partim non conueniret, & ſic non eſſent primò diuerſæ; Sed ſunt diuerſæ: quia ſeipſis omninò diſtinguũtur ab inuicem,& ſic licet habeant ens commune ipſis, & etiam alia genera,tamen dicuntur prima diuerſa: quia ipſa ſunt vltima diſtinguentia indiſtinguibilia; & propter hoc ait Scotus, quod ens non eſt vniuocum prædicatum de eis in quid,ſed quod tantum eſſentialiter includitur in illis, id eſt, ens non prædicatur de vltimis quidditatibus indiuiſibilibus indiuiſibiliter includentibus ens per modum communis, & diuiſibilis:ita ſunt iſtæ differentiæ indiuiduales, ſunt enim primò diuerſæ,quia ſunt vltimum indiuiſibile,in quod reſoluitur ens,quod vt ſic, & ſecundum ſuum eſſe formale, cum nullo alio conuenit.

Ad Mercenarium ex dictis patet,quòd vana eſt,& futilis tota illa diſputatio,quã habent Sarnanus,& ipſe:neuter enim illorum mentem Scoti percepit,neque rationes eius intellexit,neque enim dixit materiam totius,eſſe principium indiuiduationis:ſed vltimam realitatem entis, quam nos dicimus eſſe formam, quam realitatem dixit habere rationem materiæ:quia conſtituit in eſse ſubijcibili, vt materia, non in eſse quidditatiuo. Conſtat autem quod hæc non eſt materia, quæ dicitur materia totius, vt patet ex Theoremate de diſtinctione totius à partibus, vbi materiam totius, & formam totius declarauimus:eam autem dari eo modo,quo ibi declarauimus,nemo negare audebit, neque rationes Mercenarij contra eam militant. *Ad Mer.*

Opinio

Opinio eorum, qui dicunt negationes eſſe principium indiuiduationis, & eorum, qui ponunt eſſe exiſtentiam, & eorundem confutatio. Cap. V.

DEclarata Opinione Scoti, quam cæteris veriorem puto, oportet aliorum Opiniones adducere, & conſiderare, ex confutatione enim earum patebit Opinionem Scoti eſſe veriſſimam.

Septem ad ſummum ſunt Opiniones in hac materia. Aliqui enim exiſtimauerunt, quòd nullum debeat dari principium indiuiduationis, & quòd talis quæſtio ſit fruſtra: ſed quòd debeat potius quæri, per quid natura fiat vniuerſalis, & debet pro cauſa aſſignari intellectus, quia aiunt, quod quælibet natura eſt de ſe hæc, & ſingularis, de qua infra Theoremate 93. & Alij dicunt, quòd principium indiuiduationis ſint negationes; Alij, quòd ſit Quantitas; Alij, quod Exiſtentia, quã Scotus recitat 2. quæſtione illius tertię diſtinctionis, & eam tribuit Henrico. Alij, quòd ſit materia ſignata; Alij, quòd ſit forma; & tandem adeſt Opinio Scoti; quam vidimus.

1. ra. Prima Opinio, quæ aſſerit negationes eſſe principium indiuiduationis, vtitur his rationibus, Indiuiduatio dicit ſolum negationem duplicem, ergo non eſt quærere de aliqua cauſa, quæ ſit eius principium. Antecedens probatur: quia vnum numero, & indiuiduũ eſt, quod eſt diuiſum à quocumque alio, ſiue non idem cũ quocumque alio, & indiuiſum à ſeipſo; hęc ergo duplex negatio diuiſionis eſt principium indiuiduationis, vt Socrates eſt vnus numero, quia non eſt idem cum Platone, nec cum quocũque indiuiduo, & ipſe in plures homines non poteſt diuidi.

2. Secunda ratio eſt hæc; Si principium indiuiduationis eſſet quid poſitiuum, vel illud eſſet materia, vel forma, vel aliquid conſequens materiam, vel formam; & illud eſſet abſolutum: vel reſpectiuum: ſed non poteſt eſſe materia, propter rationes quas infra nos contra hanc Opinionem adducemus, quarum vnam poſſumus adducere pro nunc, quæ eſt, quod in fundamento naturę nihil eſt diuiſum, ex Ariſt. 1. Metaph. tex. 17. Neque forma: quia nõ per ſeipſam: quia ſic eſt natura, & natura non eſt cauſa diſtinctionis, ſed conuenientiæ, ergo per aliquod aliud; & ſic quæram de illo, vſque in infinitum; Neque poteſt eſſe aliquid conſequens abſolutum: quia adhuc quęram de illo, ſi eſt abſolutum, vel eſt materia, vel forma, neutrum autem eſſe poteſt eadem ratione, neque poteſt eſſe aliquid reſpectiuum, quia reſpectus præſupponit fundamentum abſolutum, & ſic iſte reſpectus non indiuiduat ipſum. Has duas rationes adducit Scotus pro hac opiuione, ſed cum hęc Opinio non ſit ſuſtinenda, ipſam confutat his rationibus.

Primò, nihil repugnat alicui per ſolã priuationem, vel negationem: ſed per aliquid poſitiuum internum, ergo diuidi in partes ſubiectiuas, non repugnat huic lapidi, vel huic homini per negationem, vel priuationem in ipſo; Probatur Antecedens: quia negatio tollit ſolum potentiã proximam ad agere, vel pati, ſed non ponit repugnantiam in illo ente ad aliud agere, vel pati. Exẽplum. Intelligatur Subſtantia cum negatione Quantitatis ſcilicet ſubſtantia non quanta, tunc ſubſtantia non eſt diuiſibilis actu, neque potentia proxima, illa enim negatio tollit potentiam proximam diuiſibilitatis in ſubſtantia, tamen non ponit repugnantiam formalem in ſubſtantia ad diuidi: non enim, quia ſubſtantia non eſt quanta, ideò illi repugnat diuidi, quia ſibi tũc repugnaret recipere quantitatem: ſed ſubſtantia intellecta vt non quanta, poteſt recipere quantitatem; ſimiliter non habere viſum tollit potentiam proximam videndi, ſed non ponit repugnantiam, quia poteſt ſtare eadem natura poſitiua cum oppoſito illius negationis, ſcilicet, poteſt habere viſum, quia illi non repugnat, licet illum non habeat, & ego non ſum Epiſcopus, non tamen mihi repugnat eſſe Epiſcopum. Ad propoſitum, principium indiuiduationis eſt principium, quo alicui repugnat diuidi in plura numero ſubiectiuè, ergo principium indiuiduationis non poteſt eſſe negatio, ſed erit aliquid poſitiuum. *Reÿcitur.*

2. Secundo nihil formaliter conſtituitur per negationem in perfectiori entitate, quam ſit illa entitas, quæ præſupponitur negationi: ſed prima ſubſtantia, & Indiuiduum per principium indiuiduationis cõſtituitur in perfectiori entitate, quam ſit illa, quam prius habebat, ergo tale principium non eſt negatio. Probatur Maior: quia ſi negatio conſtitueret in perfectiori entitate, ipſa eſſet entitas poſitiua formaliter. Probatur Minor: quia indiuiduũ eſt prima ſubſtantia, quæ ex Ariſt. in Prędicamentis eſt maximè ſubſtantia, & magis ſubſtantia, quàm ſecunda; ſubſtantia aũt prima cõſtituitur in tali eſse per principium indiuiduationis, & diſtinguitur à ſecunda ſubſtantia.

3. Tertiò, hæc poſitio non ſatisfacit quæſito: quia adhuc quæſtio manet; nam ſi dicas, lapis non eſt plurificabilis in plures ſubiectiuè, quia eſt indiuiſus à ſe, & non idem cum alijs, adhuc quæro, propter quid repugnat ſibi non diuidi à ſeipſo, & eſse idem cum alijs, & ſic omninò confugere habes ad aliquod poſitiuũ. Alias rationes habes apud Scotum 2. Sentent. diſt. 3. quæſt. 2. vide ibi.

Ad 1. ꝓ hac opin. Ad rationes pro hac Opinione. Ad primam negatur Antecedens. Ad probationem dico, quod falſum eſt, quod indiuiduum ſolum dicat illam duplicem negationem, vt in proprio quæſito oſtendam. Præterea, dato, quòd diceret illam duplicem negationem, non tamen ſequitur, quin hæc duplex negatio inſit illi per aliquid poſitiuum.

Ad 2. Ad ſecundam dicimus, quòd non eſt materia, neque forma, neque accidẽs, ſed vltima realitas formæ, vt ſuprà declaraui mus.

2. opi. Quidam alij exiſtimauerunt principium Indiuiduationis eſſe exiſtentiam. Pro hac Opinione Scotus nullam rationem adducit: ſed ipſe pro ea talem rationem conficit. Actus determinat, & diſtinguit, ergo vltimus actus determinat, & diſtinguit, ſed vltimus actus eſt actus exiſtentiæ, quia omne aliud eſſe, & actus eſt in potentia ad ipſum, ergo exiſtere, ſiue exiſtentia, eſt principium indiuiduationis.

reijc. 1. rõ. Verum cum neque hæc ſit ſuſtinẽda, aduerſus eam ita argumentatur. Illud, quod præſupponit diſtinctionem alterius, non eſt prima ratio diſtinguendi illud, ſed eſſe exiſtentiæ determinatum præſupponit diſtinctionem, & determinationem eſſentiarum, ſubſequitur enim exiſtere ad eſſe eſſentiæ: quia quælibet eſſentia exiſtit, nõ ergo exiſtentia poteſt eſſe principium cõſtituendi eſſentiam ſiue rem ſubſtantialem, & non valet dicere, quòd exiſtere ſubſequitur ad eſſe omne, præter quam ad eſſe indiuiduale, hoc enim eſt falſum, quia prima ſubſtantia maximè exiſtit, & ſic ſi exiſtentia eſt poſterior eſſentijs alijs, & ſubſtantijs, multò magis erit poſterior prima ſubſtantia, cui præcipuè competit exiſtentia; Et confirmatur: quia in coordinatione Prædicamentali ſunt omnia, quæ per ſe pertinent ad illam coordinationem circumſcripto quocũque, quod nihil eſt illius coordinationis: ergo ſicut inuenitur ſupremum genus in quolibet Prædicamento, & genera intermedia, & ſpecies ſecundum eſſe eſſentiæ, ita etiam debet reperiri infimum, quod eſt indiuiduum, & ſingulare abſque omni exiſtentia. Præterea, neque hæc Opinio ſatisfacit quæſito; adhuc enim eſt quærendum, à quo exiſtentia contrahatur ad eſſe hãc, eſt enim exiſtentia de ſe communis, ſicuti & natura, & eſt de ſe indifferens ad eſſe vniuerſale, & eſse ſingulare, vnde tam homo exiſtit, quam hic homo, vt dictum eſt in quæſtione de actu entitatiuo materiæ: & dicam in quæſtione, an natura cõmunis habeat eſse reale, vel ſolum ſit ens rationis. Ad rationem pro Opinione reſpondet Scotus ex dictis, quod actus eſsẽtialis diſtinguit eſsentialiter, ſicuti actus accidentalis diſtinguit accidentaliter. Exiſtentia eſt quodammodo actus accidentalis: quia ſequitur ad actum eſsentialem, prius enim res conſtituitur in eſse ſuo eſsentiali, deinde ad illam ſequitur exiſtentia, & ita Indiuiduum conſtituitur prius in eſse indiuiduali per principium internum eſsentiale: deinde ad illud ſequitur exiſtentia particularis. Exiſtentia ergo conſtituit vltimatè indiuiduum in eſse, quia eſt vltimus actus, ſed cum ſit actus accidentalis, conſtituit in eſse accidentale, ante ipſum verò adeſt actus ſubſtantialis per ſe ipſi dans eſse, quem nos di-

Confirm. (beside "quæ per ſe pertinent ad illam coordinationem")

2. rõ. (beside "à quo exiſtentia contrahatur")

Ad rõnẽ ꝓ hac opin. (beside "reſpondet Scotus ex dictis")

nos dicimus eſse vltimam realitatem formæ.

Opinio eorum, qui aſſerunt principium indiuiduationis eſſe Quantitatem, & eiuſdem confutatio. Cap. VI.

QVidam alij, vt Gotfredus, & quidã alij, aſſeruerunt principium indiuiduationis eſse Quantitatem, 1. rõ. qui pro ſe habent has rationes. Prima, quod conuenit vni per ſe, competit cuilibet alteri per illud: ſed diuidi in partes, eſt proprietas, quæ ſolum competit Quantitati ex 5. Metaphyſ. tex. 18. ergo conuenit ſubſtantiæ per Quantitatem, & ſic Quantitas eſt principium indiuiduatio- 2. rõ. nis. Secunda ratio. Hic ignis non differt ab illo igne, niſi quia forma differt à forma, nec forma differt à forma, niſi quia recipitur in alia, & alia parte materię, nec pars materiæ ab alia parte materiæ, niſi quia eſt ſub alia parte Quantitatis, ergo hęc diſtinctio huius ignis, ab illo, reducetur ad quantitatem tamquam ad primũ diſtinctiuum, & diuiſiuum, ergo quantitas eſt principium indiuiduationis; ſi quidem, illud, eſt id, quod eſt primum diuiſiuum, & conſtitutiuum indiuidui. Ter- 3. rõ. tiò. Generans generat aliud propter diuerſitatem materiæ, ex Ariſtotele 7. Metaph. tex. Comm. 28. tunc ſic: materia iſta geniti præſupponitur neceſſariò quanta, & ſub Quantitate diſtincta, ergo Quantitas eſt principium diſtinctionis ſubſtantiæ materialis. Antecedens probatur quo ad primam partem: quod hæc materia geniti pręſupponatur quanta, quia agens naturale non poteſt agere niſi in quantũ. Quò ad ſecundam partem etiam probatur, ſcilicet, quod hęc materia ſit ſub Quãtitate diſtincta à materia generantis: quia certum eſt, quod non poteſt eſse quantitas generantis, quia illa præcedit, ſicuti generans pręcedit genitum. Cum ergo hęc quantitas pręſupponatur genito, & ſic cauſa diſtinctiua geniti, eſt dicendum, 4. rõ. quod ſit principiũ indiuiduationis. Hęc Scotus. Pro hac Opinione alij quidam ſic arguunt, ſecundum Auerroem 1. Phyſ. tex. 6. & ſecundum Ariſtot. 3. Metaphyſ. tex. 1. Omnis diſtinctio, aut eſt ſecundum formam, aut ſecundum quantitatem: ſed inter ea, quę ſunt eiuſdem ſpeciei, non eſt diſtinctio ſecundum formam: quia eſt forma ſpecifica, & quidditatiua, in qua conueniunt, ergo eſt ſecundum quantitatem. Secundò, vel indiuidua differunt aliqua differentia eſsentiali, vel accidentali, 5. rõ. non per ſubſtantialem, quia vltima differentia ſubſtantialis eſt ſpecifica, in qua omnia indiuidua illius ſpeciei conueniũt, ergo erit accidentalis: ſed primum omnium accidentium eſt quantitas, ergo quantitas erit præcipua cauſa diſtinctionis numeralis. Vltimò confirmatur exem 6. rõ. plo aquæ, quæ ſi diuidatur in tres partes, quælibet pars aquę exiſtit vna numero, & eſt diſtincta à qualibet alia parte numero; at hæc diſtinctio, & multiplicatio aquarum, non aliundè orta eſt, quam ex diuiſione ſecundum quantitatem, vt patet in hoc exemplo, etiam iudicio ſenſuum; ergo quantitas eſt principium multiplicationis numeralis, & diſtinctionis indiuiduorum, & ſic Indiuiduationis principium, & radix erit quantitas.

Contra hanc Opinionem diffusè Scotus arguit 2. Sentent. diſt. 3. q. 4. Nos breuiores, & faciliores hic adducemus, quilibet videre poterit apud Scotum ibi primò. Si quantitas eſt principium indiuiduationis, erit quantitas terminata, quia interminata eſt indiſtincta, & confuſa in materia propria; at quantitas terminata, eſt poſterior ſubſtantia compoſita, quia inſequitur formam in compoſito, principium autem conſtitutiuum in eſse alicuius, eſt prius illo, ergo quantitas non poteſt eſse principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis. reijc. 1. rõ.

Præterea, Prædicamenta ſunt impermixta, & nihil vnius Prædicamenti conſtituitur in eſse, per aliquid alterius Prædicamenti, ex ſecunda regula Anteprædicamentali. Diuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorũ diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ, non enim linea conſtituitur in eſse per colorem, vel aliquid alterius Prædicamenti, tunc ſic. Ergo indiuiduum, quod eſt prima, & nobiliſſima ſubſtantia, & fundamentum aliarum ſubſtantiarum, non conſtituitur in eſse per 2. rõ.

quan-

quantitatem, quòd eſt accidens, & alterius Prædicamenti.

3. rò. Tertiò. Accidentia conſequuntur ſubſtantiam, & inſunt ſubſtantiæ tamquam in ſubiecto: ſed ſubſtantia non eſt ſubiectum accidentis, niſi vt eſt completa, & perfecta, & maximè accidentis terminati, non loquendo modo de dimenſione interminata, non eſt autem ſubſtantia completa, & perfecta, niſi ſubſtantia compoſita, ergo ſubſtantia prius eſt completa, & hæc quam ſit quanta, & ſic quantitas non poteſt eſſe principium indiuiduationis ſubſtantiæ materialis.

4. rò. Quartò. Generatio ſubſtantialis terminatur ad ſubſtantiam: at ſi quantitas eſſet principium conſtitutiuum indiuidui, generatio terminaretur ad Quātitatem, & ad accidens per ſe, quod omnes vident quàm ſit abſurdum.

5. rò. Quintò prima ſubſtantia eſſet ens per accidens, quia eſſet aggregatum ex ſubſtantia, & accidente; ſed de ente per accidens nulla eſt prædicatio per ſe, de prima ſubſtātia autem omnia ſuperiora per ſe prædicantur, quia eſt vltimum ſubijcibile, ergo prima ſubſtātia non eſt ens per accidens, & ſic non conſtituitur in eſſe indiuiduali per Quantitatem. Alias rationes vide apud Scotum.

Ad 1. Ad rationes Opinionis. Ad primam reſpondetur, quod duplex eſt diuiſio; Alia eſt diuiſio totius continui quantitatiui, in partes, quantitatiuas, & alia eſt diuiſio totius vniuerſalis in parte ſubiectiuas. Ariſtot. loquitur de prima diuiſione, non de ſecunda. Concedimus autem nos, quod totum cōtinuum diuiditur in partes, per quantitatem, ſed hoc non valet de toto vniuerſali, hoc enim ſine quantitate diuiditur in ſuas ſpecies, & ſpecies in ſua indiuidua, per quid poſitiuum eiuſdem generis.

Ad 2. Ad ſecundam rationem falſæ ſunt illæ duæ propoſitiones: prima; quòd forma differt à forma nō alia de cauſa, niſi quia recipitur in alia, & alia parte materiæ, & quòd hæc pars materiæ differt ab alia parte, quia recipitur in alia quantitate, prima eſt falſa: quia forma eſt, quæ dat eſse, & diſtinctionem materiæ, & illam determinat, non è conuerſo; Similiter ſecunda eſt falſa; quia prior eſt diſtinctio partium materiæ, quàm quātitatis, quia hoc aliquid, & indiuiduum eſt ſubiectū huius accidentis, quod eſt quantitas, & ſic prius eſt diuiſa, & determinata materia, ex qua conſtituitur in eſſe indiuiduū, quàm ſit diſtincta quantitas, quæ ineſt illi ſubſtantiæ tamquam in ſubiecto.

Ad tertiam negatur, quòd generans requirat materiam, ita quod quantitas materiæ præſupponatur generationi, hoc enim eſt falſum: ſed concomitanter requirit quantitatem in materia, quia inducit talem formam in tali materia, & generat tale compoſitum, ad quod conſequitur tanta quantitas; illa autem propoſitio vulgata, quod agens particulare non attingit ad ſubſtantiam materiæ, ſed ſolum inquantum quantam, ſi intelligatur, quòd quantitas ſi ratio mediante qua agens attingat materiam, eſt falſa, ſi autem intelligatur concomitanter, concedo, neque eſt contra nos. Ad 3.

Ad quartum dico, quòd eſt diſtinctio ſecundum formam; ſed hæc eſt duplex; Alia enim eſt diſtinctio ſimpliciter per formam, vti eſt diſtinctio ſpecifica; alia eſt per realitates formæ, & hoc modo eſt iſta, quæ eſt inter indiuidua. Ad 4.

Ad quintum patet per idem, quod hęc diſtinctio eſt ſubſtantialis; falſum eſt autem, quod diſtinctio ſubſtantialis vltima, ſit per formam, quia vltima eſt per realitates vltimas formæ. Ad 5.

Ad ſextum, diuiſio aquæ poteſt conſiderari duobus modis, vel enim eſt diuiſio aquę, vt totius in partes integrales, & quantitatiuas, & hanc concedo eſſe per quantitatem, vel eſt diuiſio aquę in ſuas partes ſubiectiuas, quarum vnaquęquę eſt aqua ſingularis, & aqua in communi, prædicatur per ſe, de illis, & hęc non fit per quantitates, ſed per vltimas realitates formæ aquæ. Declaratio huius reſponſionis patet ex reſponſione ad ſecundum, & tertiū, pro hac opinione: aquę enim forma in homogeneis non determinat ſibi certam quantitatem, & ideò indiuidua in homogeneis fiunt per ſimplicem diſtinctionem, vide Theor. 36. Ad 6.

Opinio D. Thomæ, & Mercenarij; & eius confutatio. Cap. VII.

QVæ ſit opinio vera D.Thomæ,eſt ſatis controuerſum inter Thomiſtas; Certum eſt quidem D. Thomam aſſerere, materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis; Scotus tamen in 2.Sent.d.3.q.5.ei tribuit,quod aſſerat,materiam abſolutè eſſe principium indiuiduationis;& quidem hæc eſt ſententia D.Thomæ,p.p.q.50.art.4. & pro hac opinione faciunt auctoritates Ariſt.adductæ ſuprà cap.3.à Caietano.Verum,quia difficile eſt ſuſtinere hanc opinionem, quoniam materia vt ſic,videtur eſſe pars ſpeciei,& naturæ communis, non indiuidui,& particularis: ideo Thomiſtæ conueniunt,D.Thomam per materiam intelligere materiam ſignatam:ſed quę ſit hęc materia ſignata, contendunt ad inuicem Thomiſtæ, tamen omnes conueniunt in hoc,vt ait Caietanus, in expoſitione libri de Ente, & eſſentia: quia omnes concedunt, quod duo concurrunt ad indiuiduationem, ſcilicet, Materia, & Quantitas: ſed in hoc differunt, quia aliqui volunt, quod materia ſignata ſit aggregatum ex Materia ſimul, & Quantitate, & quod Materia det incommunicabilitatem à ſe, & Quantitas diſtinctionem ab alijs;& hanc non approbat Caietanus;ſed eam ſequitur Paulus Soncinas,7. Metaphyſices,quæſtione 33.& 34.pro ſe adducit rationes illas, quas ex Scoto nos nunc adduximus pro Gotfredo, quibus probabat, quòd indiuiduum eſt actu diſtinctũ ab alio,per quantitatem:ſed quia illæ iam ſolutæ ſunt,non eſt immorandem circa illas; Rationes verò,quas adducit ad probãdum,quòd materia ſit principium indiuiduationis, nunc cum rationibus Caietani adducentur.

Alij verò,cum quibus eſt Caietanus,& Iauellus, 5. Metaphyſices, quæſtione 15. volunt,quod materia ſignata,ſit materia non vt eſt ſub quantitate actu, ſed materia prout eſt capax, & receptiua huius quantitatis,non illius;adeo quod materia ſignata ſecundum Caietanum, eſt materia cum relatione ad quãtitatem; & vult, quod hęc relatio,ſiuè capacitas,& potentia in materia ad quantitatem, ſit ipſamet materia realiter,ſicut potentia materiæ ad formam, eſt idem realiter materiæ. Opinionem hanc ſecundum ſenſum Caietani ſequitur Aegidius Quodlibeto 1.q.5.art.1.vt ei tribuit Scotus,immò Caietanus trahit mentem D. Tho. ad hanc opinionem Aegidij, vt vitet argumenta facta contra quantitatem, re vera enim hæc non eſt opinio D. Tho. vt infrà dicã, dicit ergo Aegidius,quod ſignatio materię,licet cauſaliter inſit ſibi à quantitate, tamen ſignatio hęc materię præcedit extenſionem quantitatis ſicuti extenſio materię pręcedit extenſionem quantitatis in materia, veluti vniuerſaliter omnis Subſtantia pręcedit Quantitatem, & Accidens; neque hęc ſignatio eſt quid realiter diſtinctum à ſubſtantia materię, ſed benè diſtincta à ſignatione quantitatis.

Vndè ſicuti materia habet ſuas partes per ſe,ſine quantitate: ita habet ſuam ſignationem ſine quantitate: habet tamen hanc ſignationem cauſaliter à quantitate:quia dependet à quantitate: patet autem quod hæc eſt eadem opinio Caietani:quia hęc ſignatio eſt capacitas illa huius Quantitatis, & non illius, & eſt idem realiter illi materię, quę tamen illi materię ineſt per quantitatem,ſicuti ſecũdum ipſum Caietanum potentia materię ad formam ſubſtantialem, eſt materia realiter,tamen ineſt ipſi materiæ à forma.

Pro hac opinione ſic declarata, arguit Caietanus tribus medijs.Primo ſic. Illud eſt principium indiuiduationis intrinſecum, cui primo repugnat communicari pluribus per modum, quo vniuerſale cõmunicatur particulari,ſed materia ſignata eſt huiuſmodi:ergo materia ſignata eſt principium indiuiduationis. Maior eſt conceſſa ab omnibus;Minor probatur.Illud primò competit materiæ ſignatæ, quod circumſcripto quocumque alio ſibi conuenit, & ipſa circumſcripta nulli alteri competit. Hæc eſt Ariſt. 1. Poſteriorum, ſed non communicari pluribus, vt vniuerſale particulari,competit materiæ ſignatæ circumſcripto quocumque alio exiſtente in materia ſenſibili, & circumſcripta ipſa materia ſignata, nulli compe- 1. ro Caie.

competit, ergo primo competit materiæ ſignatæ non communicari pluribus, vt vniuerſale. Adhuc probatur Minor quo ad vtramque partem:& quo ad primam ſic. Id, quod materia ſignata præcisè ſumpta ſibi vendicat, ita quod ſub eius oppoſito non eſt intelligibilis, conuenit ſibi circumſcripto quocumque alio; hæc patet ex terminis: ſed ſic eſt, quod incommunicabilitas competit materiæ ſignatæ præcisè, vt eſt ſignata, ita quod ſub eius oppoſito materia ſignata non eſt intelligibilis, ſcilicet, vt eſt communicabilis; non enim materia proprij indiuidui poteſt intelligi communicabilis, ergo incommunicabilitas competit materiæ ſignatæ primò. Secunda pars minoris etiam probatur per exemplum: quia circumſcripta à Socrate materia ſignata, certũ eſt, quod Socrates non remanet hic: quia neque eius forma remanebit, cum non adſit materia, in qua exiſtat.

2. ro. Secunda ratio. Quod fieri poteſt per pauciora æquè, & benè, abſurdum eſt fieri per plura: ſed ſic eſt, quod poteſt ſufficienter ſaluari indiuiduatio per materiam ſignatam, ergo fruſtra quæruntur alia principia; Minor probatur: quia ipſi reſpondent ad omnes rationes Aduerſariorum, & tollunt omnia inconuenientia.

3. ro. Tertiò arguitur auctoritatibus Ariſtotelis, & hæ adducuntur ab omnibus Thomiſtis, ſunt autem illę, quas ſuprà adduxi in tertio capite pro quarta ratione Caietani, & præter illas, Ariſtotel. 5. Metaph. tex. 12. ait, vnum numero eſſe id, cuius materia eſt vna; vndè definit vnitatem numeralem per materiam, ergo materia eſt ratio vnitatis numeralis; & 7. Metaphyſ. ait, quòd generans generat aliud, propter materiam, ergo materia eſt cauſa diuerſitatis; & hoc paſſim habetur in multis alijs locis: at materia per ſe vna eſt, & indeterminata, & indifferens, ergo opus eſt quod illi accedat illa ſignatio, ſiuè ordo, & dependentia ad quantitatem determinatam, & ſic indiuiduatur, & eſt principium indiuiduationis.

Mercen. Archangelus Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, in hac propria diſputatione his auctoritatibus, maximè innititur, & per illas arguit aduerſus Scotum, & ipſe ſuam opinionem, quæ eſt opinio D. Tho. comprobat.

Paulus Soncinas præter has auctoritates adducit vnam rationem, quæ in virtute eſt hæc. Quod eſt cauſa prima non eſſendi in alio, eſt principium indiuiduationis: quia indiuiduum includit in ſua ratione formali incommunicabilitatem: at materia eſt prima cauſa non eſſendi in alio, ergo; probatur Minor: quia materia eſt primum non receptibile in alio, ſi enim materia reciperetur in alio, oporteret, quod illud aliud eſſet magis potentiale materia; nihil autem eſt potentialius materia: Cum ergo ipſa materia non ſit receptibilis in alio, ſed ipſa recipiat alia, eſt cauſa non eſſendi in alio, & ſic eſt principium indiuiduationis. Pro hac opinione ſolent variæ aliæ rationes adduci, ſed iſtæ ſunt, quæ à præcipuis Thomiſtis adducuntur. Soncin. 4.

Contra opinionem D. Thomæ in primo ſenſu, ſcilicet, quod materia abſolutè ſit principium indiuiduationis, arguit Scotus in 2. diſtin. 3. quęſt. 5. & auctoritatibus Ariſt. & ratione; ad quas Aduerſarij nihil dicunt: quia non putant D. Thomam in illo ſenſu ſuſtinere eam primo, ergo arguit authoritate Ariſt. 7. Metaph. tex. 39. in illis verbis, *Palam autem eſt, quòd anima, &c.* loquens de partibus diſtinctionis, dicit, quod duplex eſt forma, & materia, & compoſitum, quòd ex eis ſit, ſcilicet, vniuerſale, & particulare, ex materia, & forma, in vniuerſali, fit homo, aut animal in communi, ex materia verò, & forma particulari, fit homo in particulari, vt Coriſcus, & Socrates. Ex quo colligit, quod materia, & forma in vniuerſali ſunt partes definitionis, non materia, & forma in particulari. Et ſuperius in eodem 7. tex. 35. in illis verbis. *Homo autem aut Equus, &c.* dixit, quòd homo, & equus conſiderata in vniuerſali, conſtant ex materia, & forma determinata, non ſecundum eſſe ſingulare; ſed ſecundum eſſe vniuerſale ſpecificum; ſingulare verò vt Socrates, conſtat ex vltima materia. Ex his locis conſpicuè apparet, quod materia in ſe conſiderata, non eſt ratio indiuiduationis, & ſingularitatis alicuius Subſtantiæ: Reijcitur.

ſtantiæ: ſed eſt pars ſpeciei, & vniuerſalis; ſed ratio indiuiduationis eſt vltima materia, vel materia hæc; Vndè quęrendum remanet per quid materia fiat vltima materia,& hæc,& ſingularis. Prætererea,in 12.Metaph.tex.27.ait, quod principia ſecundum eſſe vniuerſale, ſunt eadem ſpecie, ſcilicet, materia,& forma in omnibus; ſed ſingulariter ſunt diuerſa: quia alia eſt materia tua,& alia eſt materia mea, & alia eſt forma tua, & alia eſt forma mea: ergo ita concedit diſtinctionem formæ, ſicut & materiæ in particulari, & ita vnitatem materiæ in communi ſicut formæ: & ideò debet quærere, quomodo materia ſit hæc: ergo materia non eſt principium indiuiduationis. Præterea,ex Ariſtot.7.Metaph.tex. 34. & indè,materia eſt de eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, puta hominis: at illud compoſitum non poteſt eſſe de ſe hoc, vt probatum eſt ſupra cap.5.ergo neque materia, quæ eſt pars eius, poteſt eſſe de ſe hæc: quoniam non poteſt eſſe compoſitum cō mune, & eiuſdem rationis in diuerſis, quia quodlibet,quod eſt de eſſentia eius, poſſet eſse eiuſdem rationis cum eis. Vltimò arguit per rationem. Materia eſt eadem in genito,& corrupto:ſed genitum, & corruptum differunt numero:ergo materia vt eſt in genito,& corrupto,non poteſt eſse eadem numero,quia tunc, & genitum, & corruptum eſsent idem numero:ſi enim principium eſsentiale maneret idem numero, neceſse eſset, vt compoſitum vtrumque corruptum, & genitum, eſsent vnum numero. Eſt ergo dicēdum, quod eſt vna ſpecie, non numero, in genito, & corrupto; & ideo quærendum eſt, quodnam ſit illud, per quod materia ſit vna numero, & ſubſtantia indiuiduatur. Secundum hunc ſenſum ergo hęc opinio eſt falſa, & ideo Thomiſtæ in hoc ſenſu eam non ſuſtinent.

Contra eandem ſententiam,vt exponitur à Thomiſtis, nimirum, intelligendo per materiam, non materiam abſolutè, ſed materiam ſignatam, arguitur quoque, & primò contra primum ſenſum, quem ſequitur Soncinas.

Ad 1. Nullum Ens per accidens eſt principiū conſtitutiuum Entis per ſe aggregatum ex materia,& quantitate,eſt Ens per accidens,ergo non poteſt eſse principium cōſtitutiuum indiuidui,quod eſt Ens maximè per ſe,vtraque propoſitio patet.

Secundò.Quātitas eſt accidens,& nullum accidēs eſt principium internum cōſtitutiuum ſubſtantiæ, quia tunc ſubſtantia non eſset Ens per ſe, ſed Ens per accidens; quod quàm ſit abſurdum, patet. Præterea,omnes rationes ſupra factæ contra quantitatem,quę erat opinio Gotfredi,valent etiam contra hanc opinionem: quia ipſi aſserunt materiam per ſe, non eſse ſufficiens principium indiuiduationis; ſed requiri quantitatem, ſuprà autem oſtenditur, quòd Quantitas non poteſt eſse tale principium, & maximè hęc concludit contra D. Thomam, qui non vult, quòd vllum accidens pręcedat formam ſubſtantialem in compoſito. *Ad 2.*

Sed Mercenarius,qui eandem opinionem quam D.Thomas de principio indiuiduationis ſuſtinet,dicit,non eſse inconueniens accidens pręcedere formam ſubſtantialem in compoſito: quia ipſe ſuſtinet, quod diſpoſitiones accidentales pręcedant formam ſubſtantialem; & quod agens materiam prius ſic diſponit per accidentia, & ſic fit hæc ante aduentum formæ,& ſic forma indiuiduatur per materiam. *Reſp. Mer.*

Et cum arguitur cōtra:quia Subſtantia pręcedit Accidēs, & quod ideo non poſſunt iſtæ diſpoſitiones,& quantitates pręcedere ipſam formam ſubſtantialem.Reſpondet, quod Subſtantia poteſt duobus modis conſiderari; Vel vt Subſtantia; vel vt Indiuidua,verum eſt ait,quod ſubſtantia,vt ſubſtantia, præcedit accidens, ſed non vt indiuidua, ſicuti paries pręcedit albedinem abſolutè, ſed paries albus eſt poſterior albedine, vt effectus formalis eſt poſterior cauſa formali.

Sed neque ipſe vitat vim argumentorum:quia omiſsa modo diſputatione illa, an accidentia præcedant formam ſubſtātialem in cōpoſito, de qua ſuo loco; certum eſt quod etiā dato,quòd illa accidētia, & diſpoſitiones præcedant, quod tamen eſt falſum,non tamen dant eſse indiuiduale compoſito;Probo:quia eſse indiuiduale, eſt eſse maximè ſubſtantiale; *Reijcitur.*

Si ergo

Si ergo illa accidentia darent eſſe indiuiduale, darent eſſe ſubſtantiale, quod repugnat illis, & poſtea forma ſubſtantialis eſſet ſuperflua.

Præterea, dare eſſe indiuiduale, eſt conſtituere entitatem indiuidui: ſed accidentia non poſſunt conſtituere entitatem ſubſtantialem, ergo. Præterea, non vitat argumentum: quia quæro de illis diſpoſitionibus; Vel ſunt internum principium indiuidui, vel non; ſi non, non ſunt ad propoſitum, quia nos quærimus principium internum indiuiduationis; ſi internum, ergo illæ diſpoſitiones ſunt eſſentiale principium ſubſtantiæ primę, & ſic ſubſtantia primò conſtituetur in eſſe, per accidens. Præterea, ens per accidens, vti eſt illa materia cum illis diſpoſitionibus, erit principium conſtitutiuum entis per ſe; quæ omnia per ſe eſſe abſurda, conſpicuum eſt. Reſponſio etiam ad argumentum, quod ſubſtantia pręcedit accidens, eſt nullius valoris; quia ſic arguo. Per te ſubſtantia, vt ſubſtantia, pręcedit accidens; at ſubſtantia, vt indiuiduum, eſt maximè ſubſtantia, ergo ſubſtantia vt indiuiduum, præcedit maximè accidens. Minor probatur; quia ſubſtantia vt ſpecies, vel vt genus, eſt ſecunda ſubſtantia, ſiuè ſubſtantia vt communicabilis eſt ſecūda ſubſtantia: ſed vt incommunicabilis, eſt maximè ſubſtantia, quia prima eſt fundamentum aliarum. Pręterea, eſſe communicabile, vel incommunicabile, eſt paſſio conſequens entitatem, quia incommunicabilitas, eſt alicuius entitatis incommunicabilitas, prius ergo indiuiduum eſt ens, quàm ſit incommunicabile. Tunc ſic. Nullum ens ſubſtantiale accipit ſuas proprietates ab accidente, quia proprietas eſt effectus formalis proueniens à forma ſubſtantiali talis entis, vt riſibilitas in homine prouenit à rationali: at incommunicabilitas, eſt proprietas entitatis indiuidualis, ergo non dependet à quantitate tamquam à cauſa formali; Minor quoque eſt clara.

Exemplum illud de pariete albo, non eſt ad propoſitum: quia eſſe album in pariete, non eſt effectus formalis intrinſecè conſequens entitatem parietis, ſed eſt accidentalis, & externus poſterior tempore, & ideo non eſt mirum, ſi non poteſt ineſſe parieti, niſi per albedinem; ſed ſi eſſet effectus intrinſecè proueniens à pariete, vt incommunicabilitas ab indiuiduo, nō poſset ineſſe parieti ab accidente poſteriore ipſo pariete.

Contra opinionem Caietani inſurgit Scotus validiſſimè, 2. Sententiarum, diſtinctione 3. q 4. dum opinionem Ægidij confutat; hæc enim, vt ſuprà diximus, coincidit cum opinione Aegidij: & Caietanus vt vitaret argumenta Scoti, quę videbat efficaciſſima, mentem D. Thomæ nititur trahere ad hunc ſenſum; arguit ergo primò ſic Scotus. *Contra Caie.*

Hæc poſitio includit contradictionem duobus modis. Primò, quia eſt impoſſibile, quòd id, quod dependet à poſteriori, ſit idem à priori naturaliter, & maximè quando eſt prioritas, & poſterioritas ſecundum rem, quia tūc idem eſſet prius, & poſterius reſpectu eiuſdem, quod implicat. Minor, ſed ſic eſt, quòd ſubſtantia eſt prior quantitate etiam per Aduerſarios, ergo id, quod eſt cauſatum per quantitatem, ſiue dependens, & præexigens naturam quantitatis, vt eſt hęc ſignatio in materia, & capacitas quantitatis, non poteſt eſſe idem realiter ſubſtantię, alioquin eſſet prior, & poſterior quantitate realiter, immò hæc ſignatio haberet eſſe ante cauſam ſuam, ſcilicet, ante Quantitatem, ſiquidem eſt idem realiter cum materia, quę eſt Subſtantia, & præcedit Quantitatem. *1. rõ.*

Secundò. Illud, quod eſt conditio cauſæ in cauſando, non poteſt habere eſſe à cauſato; quia tunc cauſa inquantum ſufficiens, & apta ad cauſandum, produceretur à cauſato, & ſic cauſatum eſſet cauſa ſuijpſius; quia eſſet cauſa ſuimetipſius cauſæ, in quantum illud cauſat, quod implicat euidentiſſimè. 2.

Sed iſta ſignatio, & capacitas materiæ, eſt conditio neceſſaria in materia ad cauſandum poſtea quantitatem in materia ipſa, per eos, ergo hæc ſignatio, & capacitas quantitatis in materia, non poteſt prouenire, neque cauſari à quantitate; quia tunc quantitas, quæ ponitur cauſa ſignationis, eſſet cauſata à ſignatione ſimul cum materia.

Tertiò

3. Tertiò quæro, quid eſt quantitatem cauſare hāc ſignationem in materia; Vel enim eſt cauſare aliquid, quod præfuit in materia, & tunc non cauſatur à quantitate: ſi enim præfuit ante quantitatem, quomodo cauſatur à quantitate? ergo erit aliquid poſterius, ſed hoc eſt impoſſibile, quia deberet cauſari à quantitate in genere cauſæ efficientis; at quantitas non eſt forma actiua. Præterea, tunc prius ineſſet accidens, ſcilicet, quantitas ipſi indiuidua, quàm eſſet indiuiduum, quod eſt contra ipſos. Hanc ſecundum probationem non habet Scotus, ſed tamen eſt efficax.

4. Quartò. Quare quantitas magis dereliquit huiuſmodi ſignationem realiter eidem materię, quàm qualitas quantitati? cum ipſa qualitas etiam ſit per ſe forma informans quantitatem.

Quintò. Hæc quantitas, qua materia eſt ſignata, vel eſt terminata; vel interminata; non terminata: quia illa ſequitur eſſe formæ in materia, & conſequenter conſequitur ſingularitatem in ſubſtantia; neque interminata: quia illa manet eadem in generato, & corrupto. Alia varia argumenta adducit Scotus contra hanc poſitionem, quę ibi videre poteris, ea enim omitto, tum, quia hęc, & alia, quæ mox adducam, ſufficiunt ad conuincendum hanc opinionem, tum, quia prolixitas huius quæſtionis legentes tędio afficit.

reſp Caie. Ad 1. Caietanus lib. de Ente, & eſſentia, his rationibus reſpondere nititur; & ad Primam rationem negat Maiorem; & ratio negationis eſt: quia proportio materię ſignatę ad quantitatem, eſt proportio potentię ad proprium actum, vnde, ſicut potētia materię ad formam ſubſtantialem, eſt eadem realiter ipſi materię, & tamen dependet à forma ſubſtantiali, quę eſt poſterior, ita non eſt inconueniens, quòd hæc ſignatio, & capacitas materiæ ſignatæ, ſit idem realiter materiæ, & tamen dependeat à quantitate; propter argumentum autem diſtinguit, quod potentiam eſſe priorem, & poſteriorem, poteſt intelligi duobus modis.

Vno modo quo ad cauſam materialem, & ſic potentia eſt prior forma, & hæc ſignatio eſt prior quantitate.

Alio modo in genere cauſæ formalis, & ſic forma eſt prior materia, & quantitas hac ſignatione materiæ, neque hoc eſt inconueniens; quia cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſę, ex 2. Phyſ. textu 30. & per hoc negat Maiorem. Ad probationem inquit, quod non eſt inconueniens, quod aliquid ſit prius, & poſterius eodem, in diuerſis generibus cauſarum; in propoſito autem ſunt diuerſa genera: quia ſignatio eſt prior quantitate in generæ cauſę materialis, poſterior in genere cauſę formalis, per hanc diſtinctionem reſpondet ad omnia argumenta.

Ad ſecundum reſpondet ex eodem fundamento, negat enim Maiorem: nam falſa eſt in diuerſis generibus cauſarū, quomodo eſt in propoſito, quia materia ſignata eſt cauſa quantitatis in genere cauſę materialis, quantitas verò eſt cauſa ſignationis materię in genere cauſæ formalis. Ad 2.

Ad tertiam dicit, quod quantitatem cauſare in materia hanc ſignationem, eſt agens facere hanc materiam capacē quātitatis huius, & non illius: & ſic quantitas concurrit ad ſignationem materiæ, vt actus, per quem fit talis capacitas; agens verò vt efficiens. Ad 3.

Ad quartam, non rectè illam conficit, vt facit Scotus; ideo neque ad illam reſpondet in propoſito. Ad 4.

Ad quintam dicit, quòd hæc quantitas ſignans materiam eſt terminata, neque obſtat, licet ipſa ſequatur ad eſſe formam, quia etiam forma ſubſtantialis ſequitur potentiam materiæ, & tamen hęc potentia cauſatur à forma; & ſic permanens in hoc ſuo fundamento prius dicto, concedit hanc ſubſtantiam eſse cauſam materialem huius quantitatis; quantitatem verò eſſe cauſam formalem huius ſubſtantię, hæc Caietanus. Ad 5.

Confutatio reſponſionum Caietani; & ſolutio rationum. Cap. VIII.

Contra has reſponſiones non eſſet arguendum, cum ipſe ex ſeipſis abſurditatem oſtendant, niſi auctoritas viri aliquando moueret ad credendum, ipſas aliquam ſpeciem veritatis habere. Primò itaque

itaque oſtendam rationes has Scoti eſſe validas; Deinde ipſe alijs rationibus aduerſus Caietanum inſurgam. Quo ad primum, vanum eſt prorſus hoc fundamentum Caietani, quo nixus has omnes rationes ſoluere nititur, ſcilicet, quod hæc ſignatio, & potentia receptiua quantitatis in materia cauſetur à quantitate, & ſimul, quòd materia ſit cauſa quantitatis, & quod hæc cauſatio fiat in diuerſis generibus cauſarum, ſcilicet, materiali, & formali, vt dictum eſt ſuprà, & quia innititur maximè exemplo de potentia materiæ reſpectu formæ ſubſtantialis, & ait, quòd potentia materiæ eſt cauſa materialis formæ, ſed poſtea forma eſt cauſa formalis potentiæ materiæ, hoc eſt declarandum, ex hoc enim patebit vigor noſtrarum rationum, & ineptia reſponſionum Caietani. Not. In primis eſt conſiderandum quid intelligat Caietanus, cum inquit, quod materia eſt cauſa materialis formæ; & forma eſt cauſa formalis potentiæ materiæ, & omiſſo primo membro, ſcilicet, quod materia ſit cauſa formæ, quod aliquo modo admittere poſſemus, quia forma naturalis educitur de potentia materiæ, & ſic materia poteſt dici cauſa formæ. Conſiderandum eſt ſecundum membrum, ſcilicet, an forma ſit cauſa formalis materię, ſiue potẽtiæ materiæ: cum dicit formam eſſe cauſam formalem materiæ, non poteſt intelligere, quod forma cauſet entitatem materiæ, quia ſi materia eſt fundamentum, ex quo forma materialis educitur ab agente, forma non poteſt cauſare entitatem materię, quomodo ergo verum erit dicere, quòd forma eſt cauſa formalis materiæ? certè forma dat eſſe materiæ hoc vnico modo, quod millies ab ipſo conceditur in alijs locis, ſcilicet, quia dat actum materiæ, & illam perficit: materia enim de ſe eſt informis, indeterminata, & imperfecta, forma autem dat illi actũ, & perfectionem, adeo quod cauſatio, quam habet forma circa materiam, non eſt circa entitatem materiæ, quia entitas materiæ pręſupponitur formæ, cum ſit illa, ex qua forma educitur ab agente, ſed eſt circa perfectionem, & actum materię, qui terminatur ad eſſe compoſiti; & certè hæc eſt cauſalitas formę in materia, & qui alio modo vult illam cauſalitatem explicare, vult proteruiare, non veritatem, vel ſaltem rationabilitatem ſequi. Quando autem Ariſt. 2. Phyſ. tex. 30. ait, quod aliquando cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſę, intelligit ſecundum modum proprium cuiuslibet cauſæ, & ſic materia eſt cauſa efficientis eo modo, quo cauſat materia, & efficiens eſt cauſa materiæ, eo modo, quo efficiens cauſat, & ſic forma eſt cauſa materiæ eo modo, quo forma cauſat, forma cauſat autem modo, quo prædictum eſt, ſcilicet, perficiendo materiam, & conſtituendo in eſſe compoſitum, non dando eſſe abſolutè materiæ. Secundò ſupponendum eſt, quòd potentia materiæ per nos, eſt paſſio propria materiæ, per Thomiſtas, eſt ipſamet eſſentia, & entitas materiæ, vt patet in quæſtione de actu entitatiuo: adeo quod magis vrgebit ratio contra eos, tunc enim ſic arguo. Forma non poteſt cauſare entitatem materiæ, neque aliquid quod ſit de eſſentia eius; patet ex primo ſuppoſito, quia forma educitur de materia: at potentia eſt eſſentia, & entitas materiæ, ergo potentia materiæ non cauſatur à forma, ſed præſupponitur formæ, & hoc eſt, quod communiter dicitur tam ab illis, quam ab omnibus, quod formæ materiales educuntur de potentia materiæ, tãtum ergo abeſt quod potentia materiæ cauſetur formaliter a forma, quod potius oppoſitum eſt verum, quia potentia materiæ dat eſſe formæ, cum forma ex ipſa potentia materiæ, quæ eſt eſſentia materiæ educatur. Ita in propoſito, cum per te ſit ſimilitudo, ſi hæc potentia, & ſignatio materiæ eſt idem realiter cum materia, immò eſt ipſamet materia, non poteſt habere eſſe à quantitate, ſed ſolum quantitas poteſt per ſe illam capacitatem, & potentiam perficere, & educere ad actum quantitatiuum, vti facit forma ſubſtantialis potentiam materiæ, & hoc eſt dare eſſe formale: at patet, quod dare tale eſſe formale, non eſt cauſare ipſam ſignationem, & potentiam materiæ ad quantitatem, quia iam præſupponitur, ſed eſt illam actuare, & perficere. Hinc patet, quod argumenta Scoti habent maximum vim. Neque valet hæc ſo-

The. II.

Arg. 1. Scoti confirm.

hæc ſolutio, cum innitatur falſo fundamento. Primum quidem argumentum concludit: quia hic eſt contradictio, quòd iſta ſignatio ſit materia, quæ præcedit quantitatem, & tamen producatur à quã titate, tunc enim eſſet prior, & poſterior reſpectu quantitatis. Nec valet dicere, quod ſit prior in cauſa formali: quia licet verum ſit, quòd materia, & hæc ſignatio (dato quòd ſit realiter materia) ſit cauſa quantitatis in eſse materiali, non tamẽ quantitas eſt cauſa huius potentiæ, & ſignationis in genere cauſæ formalis; ſiquidem, potentia ad quantitatem, ſiue ſignatio, non producitur quantitate, ſed ſolum actus, & perfectio huius ſignationis, ſcilicet, ipſum compoſitum quantum, eſt enim illud, quod producitur à quantitate formaliter, vt declaratum eſt, nos autem cum Caietano loquimur de illa potentia, & ſignatione in ſe, non de perfectione, & actualitate illius, hęc autem non dependet à quantitate, vt à cauſa formali, nec vllo modo.

2. arg. Per hoc idem, patet falſitas reſponſionis ad ſecundum argumentum. Si enim materia ſignata, id eſt materia cum hac capacitate, eſt materialis cauſa quantitatis, quæ poſtea actu exiſtit in indiuiduo quantitatis, non poteſt eſse cauſa huius ſignationis, & capacitatis formaliter: quia materia præſupponitur cuicumque cauſalitati formæ, nedum accidentali, ſed etiam ſubſtantiali, & ſic nec materia, nec aliquid de eſsentia materiæ, poteſt eſse ter minum cauſalitatis formalis, non ergo ſignatio illa materiæ cum ſit eſsentia materię, & præcedat materialiter quantitatem, poteſt cauſari formaliter poſtea à quantitate.

Item dicere, quòd quantitas cauſat hanc ſignationem in genere cauſę formalis, eſt dicere, vt dictum eſt, quòd quantitas perficit, & actuat potentiam illam materię, ſed illam potentiam in ſe iam pręſupponit.

3. In reſponſione ad tertium, ſibi contradicit; habetur enim ex eo, quod agens efficit illam capacitatem in materia, non quantitas, ſed agens efficit illam propter quantitatem, ſiue in ordine ad quantitatẽ; Modo ſic dicere, eſt dicere, quòd quãtitas eſt cauſa finalis, ſiquidem dicis, q̃d pro tanto quãtitas eſt cauſa huius ſignationis, quia agens efficit illam ſignatione propter ipſam quantitatem. Sed dices, forma, & finis coincidunt; quandoque verũ eſt, ſed cauſalitas formę, & cauſalitas finis propriè loquendo non coincidunt, vt patet ex ſe, quia cauſalitas finis eſt motio metaphorica, quia eſt mouere agens, cauſalitas formę eſt actuare, & perficere, & conſtituere aliquid in eſse.

Si ergo quantitas eſt cauſa finalis, quia mouet agens ad cauſandũ illã potentiã in materia propter ſe, hęc non eſt cauſalitas formę, & ſic non coincidunt in proprio.

Pręterea, ſi illa ſignatio ponitur in eſse per cauſalitatem efficientis, non ponitur per cauſalitatem formalem quãtitatis. Ex dictis in primo ſuppoſito, & ſecundo, patet impugnatio reſpõſionis ad quintum.

Pręter rationes Scoti poſsumus ſic arguere. Ait Caiet. omnes Thomiſtas conuenire in hoc, quod duo concurrunt ad indiuiduationem, ſcilicet materia, & quã titas; tunc ſic: Vel materia ex ſe ſufficit, & tunc ſuperuacanea eſt quantitas; Vel materia cum quantitate, & ſic prima ſubſtãtia dependet à quãtitate in eſse, quod eſt falſum: quia ſubſtantia conſtitueretur in eſse per accidens, & ſic accidens eſset de ratione interna eſsentiali primę ſubſtantiæ, quod eſt falſum, vt patet, quod ſi Caietanus non habet hoc pro incõueniẽti, ſcilicet quòd differentia, & ratio conſtituens in eſse primã ſubſtantiã, ſit accidẽs, & aliquid alterius Prædicamenti, vt dicit in reſponſione, ad ſextum, poteſt etiã dicere, quod non eſt inconueniens, quòd ſpecies ſubſtantiæ conſtituatur in eſse per accidẽs aliquod, vt per albedinẽ: quia ſi prima ſubſtantia conſtituitur in eſse per aliquod extra Prædicamẽtũ Subſtantiæ, multo magis poſsunt conſtitui ſecundæ ſubſtantiæ, quæ ſunt imperfectiores ſubſtantiæ. Sed contra obſtinatum quid plura?

Secundo ait Caietanus, materiã in ordine ad quãtitatẽ, eſse materiam ſignatã, quæ eſt principium indiuiduationis, tunc admittit Caietanus reſpectum eſse principium indiuiduationis, (nam illa ſignatio materiæ, vel eſt quãtitas, vel ordo mate- 2.

riç ad quantitatẽ,& ſic eſt relatio:)at nullus reſpectus poteſt conſtituere in eſſe abſolutum,& maximè ſubſtantiam, prima autem ſubſtantia eſt abſoluta, ergo.

Tertiò,ſecundum Thomiſtas, & nos, materia prius reſpicit formam ſubſtantialem,quam accidentalem, ergo prius perficitur per formã ſubſtantialem quã per accidentalem,ergo nec quantitas,nec ordo ad quantitatem,eſt principiũ indiuiduationis,ſed potius forma ſubſtantialis, vel ordo ad formam ſubſtantialem,ſi ordo,& relatio poſſet eſſe tale principium.

Ad 1. pThomiſt. Ad rationes Thomiſtarum. Ad primã Caietani negatur Minor; & ad probationem iterum negatur Minor,& ad probationem eius adhuc negatur Minor, quæ eſt.Incommunicabilitas competit materię ſignatę pręcisè, vt eſt ſignata: quia talis incommunicabilitas non competit illi,vt eſt ſignata pręcisè, ſed propter vltimam realitatem formæ ipſam materiam indiuiduantem,ad quam poſtea ſequitur talis quantitas, & ſignatio; & licet materia ſignata non ſit intelligibilis ſub oppoſito modo, non tamen propter hoc hęc incommunicabilitas ei competit per ſe, & primò, ſed propter vltimam realitatem formę, vnde etiam indiuiduum non eſt communicabile; nec tamen hæc incommunicabilitas ei competit per ſe primo, Ad 2. ſed per vltimam realitatem formę. Ad ſecundam, patet per rationes factas aduerſus hanc opinionem, quia varia inconuenientia occurrunt. Ad tertiam rationem, quę innititur auctoritatibus reſpondet Scotus ad omnes illas auctoritates in hac diſt.3. ſed maximè in 3. quodlibeto,articulo 2.circa finem, & in expoſitione in libros Metaphyſices, & inquit quod Philoſophus in diuerſis locis diuerſo modo accipit materiam; Vno modo accipit in 1. Phyſicorum vbi appellat materiam id, quod eſt receptiuum formarum,& quod facit compoſitionem actu ſimul cum forma. Alio modo accipitur materia pro omni eo, quod contrahit aliquam quidditatem, & ipſam determinat. Ad propoſitum, prima auctoritas de 12. Metaphyſ. tex.49.intelligitur de materia accepta ſecundo modo, quæ eſt differentia indiuidualis,non de materia partis,& ita Ariſt. ibi probat eſſentiam primi Motoris non eſſet multiplicatam numero: quia in eo non eſt vlla differentia contrahens illam quidditatem,ſed eſt de ſe hęc.

Per hanc diſtinctionem reſpondet etiã ad omnes alias auctoritates, vbi Ariſtot. ait, materiam eſſe cauſam diſtinctionis numeralis; quod ibi accipit materiam non pro receptiuo formę, ſiuè pro materia partis, quę eſt propriè materia, ſed pro contrahente, & determinante quidditatem,qualis eſt illa entitas indiuidualis, quę eſt materia inpropriè dicta, ſed dicitur materia pro tanto,quia conſtituit in eſſe ſubijcibili.

Sed inſurgunt Caietanus vbi ſuprà, & Mercenarius in diſputatione prima, & ſecunda aduerſus Sarnanum, de principio indiuiduationis aduerſus reſponſionem Scoti, ad primã auctoritatem de 12. Metaph.tex.49.quòd hæc gloſſa non valet: quia Ariſt. iam ante tex.30.dixit,primũ motorem carere materia ad Vbi,& ad Eſſe;ideo dum dicit in textu 49.quod eſt vnus numero,quia caret materia,intelligit de materia partis, qua carere primum motorem iam oſtendit. Aliæ obiec. Caie. & Mercen.

Mercenarius verò quod in alijs auctoritatibus non valeat gloſſa Scoti,& maximè ad auctoritatem illam de 5.Metaphyſices tex.12. ſic arguit.Ait Ariſtot.vnum numero eſt,cuius materia eſt vna; Diuerſa numero, quorum materiæ diuerſæ. Tunc ſic.Illa materia eſt cauſa vnius numero, quæ eſt cauſa diſtinctionis numero, ſed hæc eſt materia ex qua, & materia partis,ergo;probat Minorem auctoritate Ariſt.7.Metaph.tex.28.vbi Ariſt.ait, quod generãs generat aliud propter materiam,& Socrates,& Callias diuerſa sũt, propter materiam, & quod hic intelligat materiam partis, probatur per eius verba,quæ ſunt.*Iã verò talis ſpecies in ijs carnibus, & oſſibus, at caro, & oſſa ſunt materia ex qua,& partis.* Confirmatur eadẽ 3. expoſitio ex eodem 7.Metaph.tex.35. vbi ait,quod cõſtat ex vltima materia, ſingulare eſt;per vltimam materiam nõ intelligit entitatem indiuidualẽ,vt putat Scot⁹, ſed materiam partis: nam inquit, ſicut ex anima, & ex hoc corpore in communi fit homo:ita ex hac anima, & ex hoc corpore

pore fit hic homo: at hoc corpus eſt vltima materia, & eſt materia partis. Con-
4. firmatur ex 1.Cæli textu 93.& 94.cum enim Philoſophus in textu 93. dixiſſet quòd ideo mundus eſt tantum vnus numero,quia conſtat ex tota materia; rem hanc in textu 94.declarans ſic dicit, vt ſi ex omnibus carnibus,& ex oſſibus vna tãtum fieret caro,& vnum os, vna eſſet tantum numero forma, & vnus tantum numero homo,& non plures, quoniam vna eſſet tantum eius materia, & non plures: patet autem,quòd caro, & oſſa ſunt materia partis,ergo intelligit per materiam, materiam partis. In ſecunda diſputatio-
5. ne adducit hanc rationem. Numerus oritur ex diuiſione continui, quia prout continuum diuiditur, ita numerus oritur,& augetur, ſed continuum eſt materia quantitate affecta, ergo pluralitas numeralis oritur ex diuiſione materiæ quantæ.

Reſpõſio ad aucto ritates allatas. Pro reſponſione ad has auctoritates notandum eſt,quòd ſæpè Ariſt. variè locutus eſt de materia;quandoque enim dicit materiam eſſe principium, & cauſam vnitatis numeralis, vt conſpicitur ex adductis auctoritatibus; quandoque etiam dicit, quòd materia eſt cauſa vnitatis genericæ,vt patet expreſsè in 5.Metaph. textu 10.vbi declarans,quæ ſint vnum genere, ait: *Dicuntur autem vnum, & quorum genus vnum differens oppoſitis differentijs*; & inde exemplificat, *vt Homo, Canis, Equus, vnum quidem, quia omnia animalia, & modo itaque ſimili ſicut materia vna.* Vbi expreſsè dicit, quod Homo, Equus, & Canis, ſunt vnum, ſicut illa ſunt vnum,quorum materia eſt vna: at hic intelligit, quod ſunt vnũ genere,ergo quorum materia eſt vna,ſunt vnum genere, non numero,& alibi ſæpè alio modo.

Cum ergo vario modo loquitur Ariſt. de materia in cauſando vnitatem, auctoritates eius exponendæ ſunt conformiter rationi: neque inſiſtendum eſt puræ literæ:nam quoque alibi Ariſt.ait, quod forma eſt,quæ facit hoc aliquid, modo hoc aliquid eſt ſingulare,ergo debemus ſequi rationem, & ideo cum ratio indiuiduans ſit contrahens quidditatem in eſſe ſubijcibili, iure dici poteſt materia; & ſic cum Ariſtot.ait materiam eſſe cauſam indiuiduationis,ſiue vnitatis numeralis, debemus exponere per materiam entitatem indiuidualem, quæ eſt vltima realitas formæ, & hoc modo quidem exponere debemus auctoritates illas, quæ non loquuntur expreſsè de materia partis, vt eſt illa de 5.Metaphyſ.tex.12.dum ait, illa ſunt vnum numero, quorum materia eſt vna, id eſt illa ſunt vnum numero, quorum vnica eſt ratio contractiua, quæ enim habet plures rationes contrahentes,ſunt pluribus communicabiles, & ſic non ſunt indiuidua, ſed quæ habent vnicam rationem contractiuam, per quam conſtituta ſunt, iam ſunt ſingularia, & non ſunt pluribus communicabilia, non enim hic exemplificat de materia partis, neque vllum aliud verbum addit, per quod cogamur eum intelligere de materia partis.

Ad auctoritates autem, quæ loquuntur expreſsè de materia partis, vt eſt illa de 7.Metaphyſ.tex. 28. alio modo eſt reſpondendum,vt dicitur expreſsè ab ipſomet Scoto in 7.Metaphyſ. textu 28.in expoſitione, vbi adducit nunc allatam expoſitionem ad auctoritatem adductam, deinde aliam, quam magis commendat.

Alia ſolutio ergo eſt, quod materiam eſſe cauſam indiuiduationis, poteſt duobus modis intelligi; Vel quod ſit cauſa prima,& principalis,& hoc negat, quia hæc eſt forma;adducit rationem: quia ſicuti forma eſt,quæ dat eſſe,eſt etiam ea, quæ dat diſtinctionem ab alio; Alio modo,qđ materia ſit cauſa conſecutiuè, ſiue minus principalis, & ſic materia eſt cauſa indiuiduationis,quia ad conſtitutionem indiuidui factam à forma,ſequitur vnitas numeralis in materia, cum ſit pars indiuidui. Per hoc idem reſpondetur ad auctoritatem illam de 1.Cæli,tex.49. Dicimus enim quòd ratio principalis, qua mundus eſt numero vnus,non eſt materia,ſed forma: ſi enim multiplicarentur formæ mundi in hac materia,eſſent plures mundi,& multiplicarent materiam, ſicuti faciunt aliæ formæ.

Per idem reſpõdetur ad auctoritatem de 7.Metaphyſ. textu 35. Ad Caietanum

concedo equidem, quod libro 12. tex. 30. Metaph. probat materiam partis, quæ eſt potentia, non ineſſe primo Motori, non tamen propter hoc ſequitur, quod in tex. 49. poſtea intelligat de illa materia partis, ſed loquitur de ratione indiuiduali, quia illa, quæ ſunt plura numero, habent multam materiam, id eſt ſunt quidditates, non de ſe hęc, ſed habent plures differentias indiuiduales, per quas ſunt pluribus communicabiles, quæ in quidditate primi Motoris non reperiuntur; & ita quidditas, quæ eſt de ſe hæc, etiam ipſa eſt vnum numero; Cui non placet hæc reſponſio, afferat ſecundam, cui proximè accedit reſponſio Zabarellę, ad has auctoritates in ſuo libro de Conſtitutione indiuidui, capite 10. & aliorum Modernorū tenentium, formam eſse principium indiuiduationis.

Ad 4. Ad rationem Pauli Soncinatis peccat per ęquiuocationem, duplex enim eſt receptibilitas, ſicuti duplex eſt communicabilitas; Vna eſt receptibilitas, quæ reſpicit formam, & de hac concedo, quòd materia eſt vltimum receptibile; Alia eſt receptibilitas, quę reſpicit communicabilitatem ſuperioris, & quò ad hanc, nego materiam eſse vltimum receptibile, ſed illud eſt vltima realitas formę, ſiue rationes indiuiduales.

Opinio eorum, qui aſſerunt formam eſſe principium indiuiduationis. Cap. IX.

VLtimo loco accedunt, qui ſuſtinent formam eſse principiū indiuiduationis. Quid Auerroes ſenſerit in hac materia, non eſt facilè cognoſcere, ſiquidem ità variè locutus eſt, vt modo videatur aſſerere id eſse materiam, modo formam; tamen plurimi Auerroiſtæ iudicant ipſum ſenſiſſe formam eſſe principium indiuiduationis; & huius quidem ſententiæ fuit Achillinus 1. libro de Elementis, cap. 26. Concluſione 8. & Ioannes Bacchonus 3. Sent. diſtinct. 11. quæſt. 2. articulo 2. & Pluſquam Commentator in ſecundum librum Artis paruæ Galeni, & multi alij, qui dicunt, formam ſolam eſſe principiū indiuiduationis, materiā autem eſſe principium per accidens, quatenus eſt ſubiectum formæ. *Auerroiſtę. Achillinus. Bacconus*

Pro hac opinione primo ſic arguitur. Materia vna eſt communis omnibus formis generabilibus, & corruptibilibus: forma verò vna eſt tantum vnius materię, ergo principium indiuiduationis eſt forma, non materia. Probatur Antecedens, quò ad vtramque partem: quia vna materia eſt ſubiecta infinitis formis, non ſimul, ſed ſucceſſiuè, vt patet in continua generatione: at vna forma neque ſimul, neque ſucceſſiuè pluribus materiebus cōmunicatur, ſed vni ſolum. Conſequentia etiam probatur: nam indiuiduum eſt incommunicabile, igitur cum forma ſit maximè incommunicabilis, vt viſum eſt, & materia valde communicabilis, forma erit principium indiuiduationis. *1. ro. Reijcitur.*

Secundò. Nihil poteſt conſtituere alterum ſub oppoſita ratione ſuæ naturæ: ſed materia eſt communis, ergo non poteſt conſtituere in eſſe incommunicabile, forma autem eſt incommunicabilis, ergo ipſa erit hoc principium indiuiduationis. *2.*

Tertiò Achillinus loco citato Concluſione 9.

Illud eſt principium indiuiduationis, quod eſt principium diſtinctionis à priori ab alijs, & principium eſſendi: ſed per formam vnus diſtinguitur ab alio, & conſtituitur in eſſe, ergo forma eſt principiū indiuiduationis. Minor probatur auctoritate Ariſtot. 7. Metaph. tex. 49. vbi inquit. Actus eſt qui ſeparat, & qui diſtinguit; & ex Ariſtot. auctoritate eam adducente Auerroe in primo de anima, tex. 53. vbi dicit, quòd membra Cerui non differunt à membris Leonis, niſi quia anima Cerui differt ab anima Leonis. Diſtinctio ergo eſt ab anima, & à forma, non à materia.

Ioannes Bacchonus 3. Sent. d. 11. q. 2. articulo 2. multas rationes ex Auer. & auctoritates eiuſdem adducit pro hac opinione: ſed quia parui momenti ſunt, & ex dicendis facilè ſoluentur, ad vitandam prolixitatem omittuntur. *Bacc.*

Alij verò Auerroiſtæ ſuſtinent quod forma, & materia ſunt principium indiuiduationis: ſed forma principaliter, materia verò minus principaliter; & huius præcipuus

Opin. Zim. cipuus Auctor eſt Zimara, in proprio quęſito, qui ſtatuit tres Concluſiones.

1. Concluſ. Prima: Principia interna indiuidui sũt materia, & forma, quam ſic probat: principia eſſendi rei, ſunt etiam principia indiuiduationis, & vnitatis numeralis, quia ens, & vnum ſunt idem, ex 4. Metaph. textu 3. quæ ergo ſunt principia entitatis ſingularis, ſunt principia vnitatis ſingularis. Hęc autem principia eſſendi ſunt materia, & forma abſque dubio, ergo.

2. Cõcluſ. Secunda Concluſio, forma eſt magis principalis cauſa, materia verò minus principalis, quam etiam ſic probat. Illud eſt principalior cauſa, à qua res primo habet eſſe, ſed primò res habet eſſe à forma, ergo.

Item auctoritate Ariſtot. 2. de Anima, tex. 2. Forma eſt ſubſtantia, per quam eſt hoc aliquid.

3. Cõcluſ. Tertia Concluſio eſt de principio externo, quę ſunt illa accidentia enumerata à Porphyrio, de quibus non eſt difficultas.

Zab. Picc. Hanc eiuſdẽ ſententiam poſtea ſecuti sũt quidam Moderni, vt Iacobus Zabarella, in lib. de Conſtitutione indiuidui, Franciſcus Piccolomineus libro 3. de Materia, capite 27. & alij. Ait enim Zabarella, quod materia eſt cauſa, ſine qua non, forma autem eſt cauſa principalis, & vtitur iiſdẽ rationibus, quas ſuprà adduximus. Alio modo autem declarat opinionem hanc, vt videbimus infrà.

Reijcitur. Contra hanc Opinionem maximè faciunt rationes illę duę, quas adduxit Scotus ad comprobandum ſuam Opinionẽ, & quas ſuprà capite 2. adduximus, neque eas hic repetere breuiter erit inutile, propter reſpõſiones Aduerſariorũ. Probo itaque quòd forma nullo modo poteſt eſſe principiũ indiuiduationis, neque principale, neque minus principale, ſic. *1. rõ.* Cuilibet vnitati reſpondet propria entitas, ſed vnitas numeralis eſt maxima vnitas, ergo illi competit maxima entitas, ſed illa entitas non poteſt eſſe natura, quia illã ſequitur vnitas ſpecifica, neque entitas generica, quia illam ſequitur vnitatem genericã: debet ergo eſſe aliqua alia entitas diuerſa ab entitate generica, & ab entitate naturę ſpecificæ, & à partibus ſuis, quæ ſunt materia, & forma, ergo forma non poteſt eſſe principium indiuiduationis; ſed erit aliqua alia entitas inferior, vt ſuprà diximus; & maximè concludit hęc ratio contra formam: quia forma eſt quę dat eſſe materię ſpecificę; Maior propoſitio eſt euidens, quia Vnum, & Ens conuertuntur, & ideò ſi datur Vnum, datur Ens illi Vno correſpondens, & ſi Vnum eſt diuerſum, diuerſum quoque erit Ens illi correſpondens. Sed adhuc magis probatur in Theoremate quod datur natura cõmunis præter opus intellectus. Minor quoque probatur: quia ſi eadem entitas correſponderet entitati genericæ, & ſpecificę, ſequeretur, quod idẽ ens eſſet vnũ numero, & ſpecie, & ſic quod eſset idem & non idem, ſecundũ idẽ, nempè, ſecũdũ propriam entitatem eſset communicabile pluribus, & incommunicabile pluribus, quod implicat contradictionem.

2. rõ. Secunda ratio. Omnis differentia differentium debet reduci ad aliqua primò diuerſa, alioquin daretur proceſsus in infinitum in differentibus, ſed forma in hoc indiuiduo, & in illo, non ſunt primò diuerſa, immò ſunt cauſa identitatis, & ſimilitudinis indiuiduorum, ergo forma non poteſt eſse principium indiuiduationis.

Reſp. Zim. ad 1. reijc. Zimara primę rationi reſpondet negando Maiorem, negat enim, quod detur vnitas realis alia pręter vnitatem numeralem; Sed hęc propoſitio eſt Ariſt. 5. Metaph. textu 12. vbi ait, quod quadruplex eſt vnum, ſcilicet numero, genere, ſpecie, & proportione (patet autem, quod ibi loquitur de vnitatibus realibus, vnitas enim proportionis, quę eſt minor vnitas, eſt realis, neque enim hoc negare poterit, niſi etiam afferat omnem proportionem, & ſimilitudinem eſse ens rationis, quod eſt per ſe abſurdum) Si ergo minor vnitas, ſcilicet proportionis, eſt realis, certè maior vnitas erit quoque realis, qualis eſt generica, & ſpecifica; Sed de hac reabũdè locuti ſumus in Theoremate, quod datur natura communis realis extra animam: Vnde ſi datur natura communis realis, quia quale eſt Ens, talis eſt Vnitas, cum Vnum ſit paſſio Entis, datur quoque neceſsariò Vnitas realis illi reſpondens, quę non eſt numeralis.

Ad ſecundam rationem diuerſi diuerſas reſponſiones afferunt. Sueſſanus in ſuo Dilucidario, libro 5. quæſt. 5. reſpondet, quod indiuidua ſunt primò diuerſa in coordinatione Prædicamentali, non autem ſecundum rationem differentiæ, & diuerſitatis.

Sed vt inquit Mercenarius, hæc reſpõſio nullius eſt momẽti: nec eſt ad propoſitum; nam cum indiuidua eiuſdem ſpeciei per aliqua diſtinguãtur, vel ipſa ſunt primo diuerſa, vel nõ, ſi ſic, habemus propoſitũ, & quærimus, quæ ſint hæc, ergo per alia diſtinguuntur, quia ex Ariſt. 10. Met. & 12. in hoc differunt, primò diuerſa, & diuerſa tantum, quia illa diſtinguuntur ſeipſis, hæc verò per aliud, eſt ergo vera illa Maior, quod omnis differentia debet reduci ad aliqua primo diuerſa, indiuidua autem differunt, vt patet, vel ergo differunt per aliqua primò diuerſa, vel per aliqua, quæ non ſunt primò diuerſa, ſi ſecundum, ergo illa adhuc per alia, & ſic indiuidua non eſsent vltima diuiſa, ſi primum, habetur propoſitum, quia hæc primo diuiſa non ſunt materia, neque forma, neque enim hæc ſunt primò diuerſa.

reſpõ. Zim. & Zabarel. Ideò Zimara aliter reſpondet, & cõcedit, quod indiuidua differunt per aliqua primò diuerſa: ſed cum ait, hæc primò diuerſa nõ ſunt materia, neque forma, hoc negat, & ad illa, quibus indiuidua ſunt primo diuerſa, eſse formas ſubſtantiales, hoc eodem modo reſponderet Zabarella, & alij qui ſunt huius Opinionis.

Contra hanc Opinionem arguo, & ſuppono primò vnum, quod conceditur ab omnibus, nempè, quòd forma dat eſſe rei per informationem, & per inhęrentiam ſuijpſius intrinſecam rei compoſitę, & conſtitutæ per ipſam, vt forma facit ignem, quia ipſa inhæret, & informat materiam ignis, & fit pars eius, vnde ex hoc euenit, quod qualis eſt forma, tale eſt cõpoſitum conſtitutum per formam. Hoc ſtante, quæro, an forma ſit entitas vniuerſalis, vel particularis, vel indifferens ad vniuerſalitatem, & particularitatem, ſi dicas vltimum, tunc apertè ſequitur, quòd ipſa non poteſt eſſe principium indiuiduationis, immò ipſa indiget aliquo alio ipſam indiuiduante, & determinante ad ſingularitatem, ſiquidem ipſa de ſe indifferens eſt ad ſingularitatem, & vniuerſalitatem, quodcumque autem ſit illud, illud erit principium indiuiduationis, ſi autem forma ſit entitas vniuerſalis, multo minus poteſt conſtituere indiuiduum, quia vt dictum eſt in ſuppoſito, forma conſtituit rem quam conſtituit per informationem, & inhærentiam intrinſecam ſui, cum re, quam conſtituit: & ſic ſequitur neceſſariò, quod tale eſt compoſitũ, qualis eſt forma. Si ergo forma eſt entitas vniuerſalis, conſtituit compoſitum vniuerſale, non particulare: nam nihil dat, quod non habet, neque conſtituit rem ſub oppoſito modo, qui ſibi competit: ſi vero dicatur, quod ſit entitas ſingularis: Contra, ergo forma non poterit conſtituere in eſſe reali naturam ſpecificam, & ſic natura ſpecifica, vt homo, non habebit eſſe à forma: quia ſi forma eſt entitas ſingularis, neceſſariò compoſitum, quod habet eſſe per formam, erit ſingulare, & ſic natura non habebit eſse per formam, quod tamen eſt falſum: quia ſi forma non dat eſse naturæ ſpecificę, à quo ergo habebit eſſe natura ſpecifica? cum omne eſse ſit à forma.

Huic rationi, quam efficaciſſimam, & inſolubilem puto quattuor modis ab Aduerſarijs reſponderi poſset. reſpõ. 4. adu.

Primò dicit Zimara, duplex eſt forma; Alia vniuerſalis, & hęc conſtituit ſpeciem, ſiue naturam ſpecificam; Alia particularis, & hæc conſtituit indiuiduum. 1.

Secundò dicet forſan, forma vt eſt entitas realis, eſt ſingularis, & ſic conſtituit indiuiduum ſingulare; forma autem, vt dat eſse naturæ ſpecificæ, & vniuerſali, nõ eſt entitas realis, ſed rationis, quia non datur illa natura communis, quę ſit ens reale, ſed ens rationis tantum. 2.

Tertiò, alij reſponderent, vt Zabarella, Forma duobus modis conſiderari poteſt; Vel vt dat eſse eſsentiæ; Vel vt dat eſse exiſtentiæ; vt dat eſse eſsentiæ, eſt vniuerſalis; vt dat eſse exiſtentiæ, eſt ſingularis, & conſtituit indiuiduum. 3. Quarto. Alij, vt Pererius, reſponderent, quòd forma de ſe nec eſt vniuerſalis, per particulare, ſed eſt vniuerſalis per abſtractionẽ intellectus, eſt autem ſingularis per productionem 4.

agentis:

agentis: nam quod producitur ab agente in materia quadam ſingulari, & per diſpoſitiones quaſdam ſingulares, neceſſe eſt, quòd ſit ſingulare; forma itaque ſit ſingularis extrinſecè, id eſt, vel ab agente, vel à diſpoſitionibus ipſis.

Reijc. 1. reſponſ. Contra Primam reſponſionem arguo. Tunc ſequeretur, quod in quolibet indiuiduo eſſent duæ formæ ſubſtantiales, vna qua eſſet homo, & altera, qua eſſet hic homo; ſiquidem Socrates eſt homo, & eſt hic homo: hoc autem quam abſurdum ſit, ex ſe patet; & licet aliqui admittant in compoſito plures formas ſubſtantiales, non tamen dicunt, quod in compoſito ſingulari adſit vna forma, qua eſt homo, & in ſpecie, & altera, qua ſit ſingularis, & hic homo; quod ſi hoc admittant non eſſe inconueniens, dimittendi ſunt, & ducendi ad contradictiones, quia omnes iſti Aduerſarij ſic vbique cōcedunt, quòd eſt eadem forma, qua Socrates eſt homo, & hic homo.

Reijc. 2. & pbatur dari naturā cōmunē Contra Secundam nō eſt hic multum laborandū, quia in proprio Theoremate oſtenſum eſt, quod natura cōmunis ſpecifica eſt natura realis, & entitas realis extra intellectum, & propterea forma conſtituens illam entitatem, eſt forma realis, & extra intellectum: & propterea ſi forma eſt de ſe ſingularis, non poterit dare eſſe naturæ communi. *Arguitur.* Poſſumus etiā nūc ſic arguere. Forma, quæ de ſe eſt hæc, non poteſt p ſe intelligi, vt vniuerſalis, neque vt dans eſſe vniuerſale: quia intellectus intelligens rem ſub oppoſito modo rei, eſt intellectus falſus, & plenus deceptione, ergo, ſi forma eſt de ſe hæc, & particularis, vt eſt Ens reale, nō pōt per vim rationis eſſe vniuerſalis, & dare eſſe naturæ vniuerſalis. *reſpō.* Si dicas: Intellectus abſtrahit à formis particularibus, formā vnā vniuerſalē, & hęc conſtituit ſpeciē. *reijc.* Contra, ergo Socrates eſt in ſpecie hominis, nō per propriā formā realē, quę ſibi dat eſſe reale, ſed per illam formam abſtractā ab intellectu, ſiquidē illa nō eſt forma ſpecifica, nec faciens ſpeciem, hęc verò facit ſpeciē. Hoc autem eſt abſurdum: quia tunc hæc propoſitio non eſſet vera ex parte rei, & realiter Socrates eſt homo, ſed falſa: quia Socrates ex parte rei non eſſet homo, ſed ſolum per operationē noſtri intellectus, qua ceſſante, Socrates non eſſet homo: at certè negare quod nullo intellectu cogitante Socrates ſit homo, eſt negare ſenſū. Item à pari poſſet à forma particulari Socratis, & huius Leonis, & huius Bouis abſtrahere vnam formam communem ſpecificam, ſiquidē per Aduerſarios forma ſpecifica eſt forma cōfecta ab intellectu, cur autem hoc non facit intellectus, certè opus eſt, quod reſpondeant: quia eſt repugnātia ex parte rei, ſiue opere intellectus. Ita niſi Socrates, Plato, &c. haberent vnā formam realem communem à parte rei, intellectus non poſſet ab eis illam abſtrahere, quod etiam ipſi fatentur loquendo de munere intellectus agentis. Item probo, quod forma non ſit ſingularis, neque de ſe hæc, quia quod eſt de ſe hoc, eſt primo diuerſum à quocumque alio, & ſic non eſt cauſa ſimilitudinis cum alijs, ſed cauſa diuerſitatis: at Ariſtotel. 7. Metaph. tex. 27. contra Platonem ait, non eſſe neceſſe ponere Ideas propter generationē, quia agens naturale habet ſimilitudinē ex forma, diſtinctionem vero ex materia: ergo forma eſt cauſa ſimilitudinis, & intendit ſimilitudinem realem, vt eſt ſpecifica, non per rationem, ergo forma non eſt de ſe hæc, & ſingularis.

Contra tertiam reſponſionem primò. *Cōtra 3.* hęc non eſt ad argumētum: quia oportet reſpōdere, an forma ſit vniuerſalis, vel ſingularis, vel indifferens, & tunc quodcumque dabitur, impugnaretur, vt ſuprà. Similiter, debet dicere, an ſit vna, vel plures, & arguitur, ſicut tunc ſupra; Sed videtur dicere, quod forma de ſe ſit indifferēs, & quod modo dicatur vniuerſalis, modo particularis; quatenus dat eſſe eſſentię, eſt vniuerſalis; quatenus dat eſſe exiſtentię, eſt ſingularis. Sed contra. Eadem forma non poteſt formaliter dare duos modos eſſendi oppoſitos: at ſuprà probatū eſt, quod eſſe vniuerſale, & ſingulare, ſūt modi oppoſiti eſſendi, quia vnum eſt cōmunicabile, & aliud incommunicabile; Antecedens probatur: quia forma dat eſſe per informationem. *Præt.* Prętereà, tunc forma abſolutè non eſſet principiū indiuiduationis, ſed exiſtētiæ, quia inquit quod forma vt dat exiſtentiam, eſt principium

indiuiduationis. Forma ergo non ſe ſola ſed cum exiſtentia eſt principium indiuiduationis. Sed hæc Opinio ſupra capite 5. confutata eſt, quia exiſtentia eſt paſſio entis,& ſubſequitur ad entitatem realẽ: prius ergo habet entitatem propriam cõpletam indiuiduum, quàm exiſtat,& ſic exiſtentia non poteſt eſſe principium indiuiduationis.

Contra Quarta reſponſio eſt penitus abſurda, quia agens eſt principium externum,non internum; nos hic loquimur de interno; Item quia forma de ſe eſt indifferens ad eſſe ſingulare,& vniuerſale,non poteſt eſſe principium primum indiuiduationis; quod ſi illa fiat ſingularis per diſpoſitiones illas intrinſecè inductas ab agente,ergo illæ diſpoſitiones erunt primum principium indiuiduationis: ſed hæ diſpoſitiones ſunt accidentia, ergo accidentia erũt primum principium indiuiduationis; quam Opinionem ipſi quoque reijciunt, & ego ſupra reieci.

In quo ſenſu opinio hęc ſit vera. Cap. X.

PEr rationes factas in præcedenti capite contra hãc Opinionem patet, qđ niſi aliter declaretur,nõ eſt vera:ſi autem exponatur alio modo, quem forſan ipſi ſub nube videbant, erit vera, & omnino conueniet cum Opinione Scoti.

Sciendum eſt itaque Primò,quòd forma quæcumque de ſe eſt cõmunis, quia forma eſt,quæ cõſtituit quidditatem rei, quæ quidditas de ſe ſemper eſt communicabilis,& ſecundum,quod ſunt formę, ita ſunt magis, & minus cõmunicabiles; nõ loquor modo de abſtractis à materia.

Secundò ſciendum eſt,quod forma habet varias realitates, per quas eſt contrahibilis,& communicabilis pluribus,vt dictum eſt ſuprà capite 2. huius Theorematis;Forma ſpecifica ergo eſt communis, & communicabilis; ſed eſt communicabilis,quia habet diuerſas realitates,& per has eſt cõmunicabilis: rationalitas enim eſt forma realis communis,ſed in ea clauduntur multæ realitates, quas nomine proprio ignoramus, & iſtæ ſunt, quæ dãt eſſe indiuiduis: vna enim realitas dat eſſe huic indiuiduo Socrati, quam pro nunc poſſumus appellare Socrateitatem: alia dat eſſe Platoni, & hãc appellabimus Platoneitatem, & ſic de alijs; adeo quod ſicut hæc forma,animal, eſt communicabilis per varias realitates, quas includit, vt eſt rationalitas, & aliæ differentiæ conſtituẽtes alias ſpecies animalis,ita rationalitas eſt cõtrahibilis per has realitates,Platoneitas,Socrateitas,&c. quæ dicũtur differentiæ indiuiduales:iſtæ autem realitates non diſtinguuntur ab inuicem per alias differentias,ſed ſunt primò diuerſæ, & iſtæ ſunt quæ appellantur formæ particulares:realitas enim qua Socrates eſt homo, dicitur forma particularis Socratis: ſed non eſt forma diſtincta realiter à rationalitate in communi, ſed eſt eadẽ realiter cũ forma,quæ dat eſſe reale ſpeciei, ſed ſolũ diſtinguitur formaliter ab ea, & huius ratio aliundè peti non poteſt, niſi quia ſunt talis conditionis,& naturæ.

Quidditates autem abſtractę,vt intelligentiarum, non habẽtes huiuſmodi realitates,ſecundum Philoſophum,ideò non multiplicantur plures in vna ſpecie;diſtinguendum eſt igitur ſic: forma duobus modis accipi poteſt; Vno modo pro forma communi; Alio modo pro vltima realitate formæ; in primo ſenſu eſt falſa, in ſecundo eſt vera: patet autem quod hæc Opinio hoc modo declarata, eſt eadem Opinio Scoti. Ex his patet reſponſio ad rationes in oppoſitum.

Ad primam rationem plus quam Commentatoris cum inquit vna forma eſt vnius materiæ, diſtinguo; Vel accipis formam pro forma propriè, & tunc nego illam propoſitionem, quia forma eſt natura, & natura eſt communicabilis plurib. materijs, quia pluribus indiuiduis;Vel intelligis pro forma vltimam realitatẽ formæ,quæ iure dici poteſt forma particularis,& de hac concedo, & ſumus ſimul. *Ad rõnes in oppoſitum.*

Per eandẽ diſtinctionẽ reſpondetur ad ſecũdum:verũ enim eſt, quod forma per realitatẽ vltimę formę, nõ eſt cõmunicabilis,ſed forma in ſe eſt communicabilis. *Ad 2.*

Per idem ad tertiũ: nõ enim forma eſt cauſa diſtinctionis in ſe,ſed forma,quę eſt vltima realitas formæ, & quãdo Ariſt. ait quod forma eſt,quę diſtinguit,& ſeparat, vel ĩtelligit,quo ad quidditates,& tũc lo- *Ad 3.*

quitur

quitur de forma in ſe;vel ſi loquitur de diſtinctione numerali, intelligit de forma, quæ eſt vltima realitas formæ, & per hãc diſtinctionẽ vniuerſaliter reſpondetur ad omnes auctoritates Ariſt. in duob. tamẽ locis citatis ab Achil. Ariſt. non loquitur de diſtinctione numerali,ſed q̃dditatiua.

Ad Zim. Ad Zimarã ſimiliter reſpõdetur,quòd ſi accipit formã in ſe abſolutè,illa non eſt principiũ eſsendi indiuidui,quia eſt cõis; ſi vero accipit formã pro vltima realitate formæ, ſic eſt vera,& concedo,quod talis realitas eſt principium eſſendi indiuidui, & quod eſt cauſa indiuiduationis, & ſic vtrãque eius Concluſionem concedo, & etiã tertiam, de qua nulla eſt difficultas, & hic ſit finis huius arduæ difficultatis.

Quodnam ſit principium Indiuiduationis accidentium. Cap. Vltimum.

EX cognitione principij indiuiduatio-nis ſubſtantiæ materialis, facilè elicitur, quodnam ſit principium indiuiduationis accidentium; Qua in re breuiter ſunt duæ opiniones. Prima eſt,quòd indiuiduentur per ſubiectum in quo exiſtũt.Hæc opinio eſt D. Thomæ,p.p.q.29. artic.1.vbi apertè ait,quòd ſubſtantia indiuiduatur per ſeipſam, accidentia verò indiuiduantur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia. Idem habet alibi paſſim,vt ea dem p.p.q.39.art.3.& alibi aiunt tamen quidam, eum hanc ſententiam limitare, ac dicere,veram eſſe in alijs omnibus accidentibus præterquam in Quantitate, quam ait per ſeipſam indiuiduari; quod innuit quoque Caietanus eadem p. p. q. 29.art.1.eum poſtea ſequuntur locis citatis cæteri Thomiſtæ,& alij multi.Fundamentum principale pro hac opinione eſt id,quod adducit Caietanus p.p.q.29.art. 1.nimirum: quia accidens in eſſe dependet à ſubiecto,quod eſt ſubſtantia,ſubſtãtia autem non dependet ab accidente,neque ab vlla alia re,ideò ſubſtantia indiuiduatur per ſeipſam,loquendo in communi, accidens verò à ſubſtantia.Conſequẽtia probatur:quia vnaquæque res indiuiduari debet ex eiſdem principijs à quibus habet eſſe. Præterea,niſi accidentia indiuiduarẽtur à ſubiecto, duo accidentia eiuſdem ſpeciei,ſolo numero differentia, poſſent manere in eodem ſubiecto:Conſequens eſt falſum;Conſequentia eſt euidens:quia Identitas numeralis ſubiecti, non impedire poſſet diſtinctionem numeralem accidentium. Falſitas Conſequentis probatur quoque: quia duo colores numero,vt duæ albedines,non poſsunt recipi in eodem ſubiecto.

Opin. D.T.

Ex altera parte Scotus in 4. diſt. 12. q. 2.confutando primam rationem Ægidij: apertè tenet accidens nõ indiuiduari per ſubſtantiam,& hoc tenet vniuerſaliter de omni accidente, quod etiam poteſt elici ex dictis ſupra, tractando de indiuiduatione ſubſtantiæ materialis. Fundamentum principale eſt:quia nihil vnius generis, & Prædicamenti ponitur in eſse per aliquid alterius Prædicamenti, & præſertim hoc verificatur de primo in illo Prædicamento,cuiuſmodi ſunt ſingularia in vnoquoque Prædicamento: ſed Subſtantia,& Accidentia, ſunt in diuerſis Prædicamentis.ergo. Maior patet:quia Prædicamenta ſunt impermixta; & præterea Accidens ſingulare, ſecundum ſe conſideratum,non eſset vnum Ens per ſe, ſed per Accidens; ſcilicet, compoſitum ex Subſtantia & Accidente,quod eſt abſurdum. *Opin. Scoti.*

Præterea, in quolibet genere eſt reperire ſupremum in illo genere, & omnia media genera, & ſpecies, ergo eſt inuenire quoque infimum per ſe in illo genere,de quo omnia illa prædicentur alioquin prædicationes ſuperiorum de inferioribus in illis generibus, non eſsent per ſe, ſed per accidens; quia ſupremum eſſet præciſè de illo Prædicamento Accidentis, ſingulare eſset partim illius Prædicamenti,partim Subſtantię, principiũ enim indiuiduationis per ſe, & intrinſecum,de quò nunc loquimur, intrinſecè conſtituit indiuiduum,ideo ſi ſit ſubſtantiale, ſubſtantia intrinſecè conſtituet accidens,quod eſt abſurdum. *1. rõ.*

Pręterea, ſi accidẽtia numero differrẽt per ſubiectum ſubſtãtiale, nulla duo, vel plura accidẽtia,nedum eiuſdem ſpeciei, ſed neque diuerſarum ſpecierum, poſſent eſse in eodem ſubiecto; Conſequens eſt apertè falſum: quia in eodem indiuiduo *2. rõ.*

uiduo ſubſtantiæ eſt quantitas hęc,& qualitas hæc: nam in eadem parte lactis eſt albedo,& dulcedo,quantitas,& qualitas, & diuerſæ qualitates ſpecie, & numero diuerſæ. Conſequentia eſt euidens; quia idem principium indiuiduationis non poteſt eſſe principium indiuiduationis plurium indiuiduorum numero, ſed vnumquodque conſtituit proprium indiuiduū; Hanc eandem ſententiam ſuſtinent quoque Suarez in Metaphyſica diſputatione quinta,ſectione ſeptima, & alij, & ex dictis ſupra amplius poteſt probari.

Ad rōnes Aduerſariorū. Ad fundamentum Aduerſariorum, reſpondeo,quod pendere ab alio,contingit duobus modis; Vno modo, quo ad eſſe eſſentiæ intrinſecum; Alio modo, quo ad eſſe exiſtentiæ, & quo ad eſse exiſtentiæ adhuc duobus modis; Vno modo, quod dependens non habeat aliam exiſtentiam niſi ſubiecti; Alio modo, quod licet habeat propriam exiſtentiam,non poſſit tamen per ſe exiſtere,ſed neceſsariò alij coexiſtat propter ſuam imperfectionem,dico, quod accidens pendet à ſubſtantia nō quo ad eſſe eſſentiæ;ſed exiſtentiæ ſolum, & quo ad hoc non primo ſed ſecundo modo tantum. Ex hoc autem non ſequitur, quòd ſubſtantia debeat eſſe principium indiuiduans internum ipſius accidentis, quia illud pertinet ad eſſe eſsentiæ,non exiſtentiæ.

Ad ſecundum in propria diſputatione in Metaph.oſtendam duo accidentia manere poſſe in eodem ſubiecto; interim vide tertio Sententiarum,diſput.8.de duabus filiationibus in Chriſto, quæ diximus in noſtris diſputationibus Theologicis.

THEOREMA XCI.

Intelligentiæ ſecundum Philoſophum non ſunt plures numero diſtinctæ. Cap. Vnicum.

Diſſidium quorūdā Scotiſtarū, & Thomiſtarum. DE Indiuiduatione ſubſtantiarum abſtractarum, eſt maxima diſputatio inter quoſdam Thomiſtas, & quoſdam Scotiſtas. Aliqui enim Scotiſtę, de mente Scoti,& hoc in via Ariſt.aſſerunt, quod in ſubſtantijs abſtractis datur pluralitas numeralis, & quod in vnaquaque ſpecie ſunt plura indiuidua, quę diſtinguuntur numero; e conuerſo Thomiſtæ aſſerunt, quod in huiuſmodi ſubſtantijs ſub eadem ſpecie non poſſunt eſſe plura indiuidua numero.Ego autem horum cōtentionem inanem, & vanam exiſtimaui, quia ſi Scotum diligenter legiſſent, veluti ipſius ſectatores profitentur, ſe hac in re aduerſari Scoto,non ſuffragari, cognouiſſent. *Vera mens Scoti aperitur.* Vt ergo clarè pateat,quæ ſit mens Scoti in hac materia,ſciendum,quòd hęc diſputatio poteſt tractari, vel ſecundum Theologos,vel ſecundum Philoſophos:ſi ſecundum Theologos, non eſt dubium, Scotum aſſerere in vna ſpecie poſſe eſse plures Angelos numero diſtinctos; ſed ſecundum hunc ſenſum modo non diſputamus; ſed in quæſtionibus Theologicis de hoc fiet ſermo: ſi verò loquamur ſecundum Ariſt. Scotus 2.Sent.diſt.3.q.7. reſpondendo ad primum principale, clariſſimè mentem ſuam explicat, & ſuſtinet ad mentem Philoſophi, intelligentias non eſſe diſtinctas numero, ſed ſpecie ſolum,ita quòd non vult,quod in vnica ſpecie ſint plures Angeli, ſed vult, quod vnū indiuiduum conſtituat vnam ſpeciem, ita quòd conuenit in concluſione cū Thomiſtis, ſed differt in ratione: ratio enim Scoti non eſt ratio, quam alij adducunt: ait enim Scotus, quòd hoc euenit, quia Philoſophus conceſſit hanc propoſitionem, omne illud, quod non habet materiam pro parte quidditatis, eſt idem primo ſuo,quod quid eſt;& omne tale,quod quid eſt, eſt de ſe hoc, & facit rem hanc per ſe,& indiuiſibilem: ſed quod quid eſt rerum cum materia coniunctarum, non eſt de ſe hoc; quia non eſt primo idem cum re,cuius eſt quod quid eſt;ſed ſecundario. *Dub.* Sed vnde eſt, quod Ariſt. exiſtimauit,quòd quod quid eſt in ſeparatis à materia, ſit de ſe hoc:in concretis verò cum materia, non ſit de ſe hoc,ſed ſit diuiſibile in plura numero? *Solu.* Reſpondet Scotus quòd cauſa fuit, quia Philoſophus poſuit eſſe formaliter neceſsarium,omne illud quod non habet materiam partem ſui, & ideò quidquid poteſt eſſe in tali quod quid eſt,neceſsariò in eo eſt. Si ergo eſſet multiplicabile tale quod quid eſt,& quidditas,quæ eſt neceſsaria ex ſe

in plura

in plura indiuidua;Hæc multiplicatio indiuiduorum in ipſa eſſet actu; ſi autem eſſet multiplicabilis,eſset multiplicabilis in infinitum,vt ſunt cæteræ quidditates, ergo in quocumque quod quid eſt, & in quacumque quidditate ſeparata, eſsent infinita indiuidua actu,quod eſt impoſſibile. (Alij verò dicunt, & Thomiſtæ hoc tenētur dicere,ſi volunt ſtare in ſuis principijs,licet aliqui fugiant,quod ratio,propter quam quidditates ſubſtātiarum abſtractarum non ſunt multiplicabiles numero,eſt:quia carent materia,& quantitate, quæ erant principia indiuiduationis,vt vidimus ſupra in præcedenti diſputatione de ſubſtantijs in materialibus.) in hoc verò differt Theologus à Philoſopho, quia Theologus negat illud principium Philoſophi: quidditas non habens materiam, eſt formaliter neceſsaria, & hac de cauſa etiam Theologus habet diſcordare in Concluſione à Philoſopho, quæ ex illo principio pendet, & ſic vbi Philoſophus ex hoc principio deducit,ergo quęlibet intelligē ia eſt de ſe hęc, quia ſi eſſet multiplicabilis, eſſet multiplicabilis in infinitum; quidquid autem ibi eſse poteſt;actu adeſt: quia in ſeparatis à materia, idem eſt eſse, & poſse; Theologus non debet talem concluſionem deducere:ſed potius oppoſitam; ſi rationes eum cogant,vt in preſenti faciunt,veluti oſtēdam in Theologia: hoc enim modo concordare cum Philoſopho non eſt rectè Philoſophari,nec Theologicè ſentire.Cū itaque in Concluſione non ſit diſsenſio: ſolum de ratione Concluſionis eſt diſputandum; neque multum in hac immorari opus eſt;optimè enim rationem aduerſariorum confutat Mercenarius in hoc queſito,ſolum in eo eſt reprehendendus, quod tribuit Scoto in via Ariſtot. ſenſiſse intelligentias differre numero, & multiplicari in ſpecie,quod tamē falſum eſt,vt

1. rō contra Thomiſt. diximus. Dicunt ergo Aduerſarij, quod ratio propter quam vnaqueque intelligentia conſtituit vnam ſpeciem, eſt de ſe hæc, & conſequenter eſt diſtincta ab vnaquaque alia intelligentia ſpecie, quia caret materia ſignata, quæ eſt principium indiuiduationis, & multiplicationis numeralis. Cæterum hoc falſum eſt: quia nulla res poteſt fieri hæc, & ſpecie diſtincta ab alia per negationem primo,ſed ſolum per poſitiuum aliquod adueniens; vel per propriam entitatem, quæ de ſe ſit hæc, & talis: negatio enim ſicut non poteſt conſtituere entitatem in eſse, ſic non poteſt eſse prima,& formalis ratio diſtinctiua alicuius ab alio. Vndè poſsumus ita argumentari;Omnis diſtinctio realis prima, inter aliqua duo, eſt per quid poſitiuum. Hæc probatur: quia negatio ſemper præſupponit poſitiuum: at carentia materiæ eſt priuatio quædam,& negatio, ergo ipſa non poteſt eſse principium diſtinctionis inter intelligentias. Minor eſt clara, & conceſſa; immò ex hoc habetur efficax argumentum contra Thomiſtas de principio indiuiduationis in ſubſtantia materiali, quia ſi materia,& quantitas eſt principium multiplicationis numeralis,ergo carentia ipſius materiæ, & quantitatis,ſiue habitudinis ad quantitatem, eſt principium conſtituens quidditatem multiplicabilem, & de ſe hanc. Hoc autem eſt falſum: quia nullum priuatiuum, vt dictum eſt, eſt principium diſtinctionis,ſed præſupponit poſitiuum. Conſequentia patet:quia ſi præſentia materiæ eſt cauſa vnius effectus,ergo exiſtente abſentia eiuſdem,talis effectus non habebit eſse: at effectus materiæ per te eſt communicabilitas numeralis,ergo hic effectus ceſsat,ceſsante tali cauſa. Secundò 2. rō. ex Ariſtot.7.Metaph.tex.41.& 3.de Anima,tex.9.in ſeparatis à materia, idem eſt quidditas, & indiuiduum: at quidditas ſubſtantiarum abſtractarum non conſtituitur in eſse per carentiam materiæ: ergo neque indiuiduum, quod eſt idem cū illa quidditate,conſtituitur in eſse per talem carentiam materiæ. Tertiò idem A- 3. rō. riſt.8.Metaph.vltimo,ait: *Quæ neque ſenſibilem,neque intelligibilem materiam habent, ſicut ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ ſeipſis ſunt Ens, & Vnum*. ergo non per carentiam materiæ,& quantitatis.

Sed contra hanc opinionem videntur Dub. eſse duę Auctoritates Ariſtot. Prima eſt in 12.Metaph.tex.49.in quo loco ait Philoſophus, quòd non poſsunt eſse plures primi Motores, hac ratione: quia eſsent veluti homines,qui ſunt vnum ſpecie, & plures

plures numero;ſed qui ſunt plures numero,& vnum ſpecie, multam habent materiam; primus Motor autem caret materia,& propter hoc plures non poſſunt eſſe Motores; ergo videtur, quòd Ariſtot. pro cauſa non multiplicationis numeralis in intelligentijs aſſignet carentiam ma-
Reſp. teriæ. Reſpondetur ſecundum Scotum in hac diſtinct.3.quæſt.6. ſoluendo argumenta pro opinione D.Thomæ: nam exponit hunc locum ſic, quod poteſt intelligi de vltima realitate conſtituente indiuiduum,quia illa,quæ ſunt vnum ſpecie, & plura numero, habent multam materiam,id eſt, plures rationes indiuiduantes: ſed primus Motor non habet talem materiam, quia eius quidditas non eſt contrahibilis per tale principium, neque per aliud,quia eſt de ſe hæc;& non eſt indiuiduabilis. Vel dicamus quod, quæ ſunt vnum ſpecie, & plura numero, habent plurimam materiam, hoc intelligitur de materia partis, quoniã tales quidditates,quæ ſunt coniunctæ cum materia partis,ſunt multiplicabiles,quia non ſunt de ſe hæc, & conſequenter primus Motor, quia eius quidditas eſt ſegregata à materia, non eſt multiplicabilis, & ſic nõ eſt indiuidua, & tunc ſemper exponitur de materia partis: non ergo carentia materiæ, eſt prima cauſa non multiplicationis numeralis, ſed quaſi ſecundaria, & conſecutiua;prima autem eſt, quia tales quidditates ſunt de ſe hæc, ex eo enim quòd primus Motor eſt talis naturæ, & quidditatis,quòd eſt incommunicabilis,
Alia reſp. eo etiam caret materia partis. Vel dicas, quòd auctoritas loquitur de materia partis: ſed ratio illa eſt à concomitantibus, quia enim quidditas multiplicabilis habet annexam materiam ſecundum eum: quidditas verò incommunicabilis non habet materiam, ideo Ariſtot. ait primũ motorem non eſse vnum numero, quia quidditas non eſt plurificabilis numeraliter; quòd verò non ſit multiplicabilis numero,probat à concomitanti:quia non habet materiam.

2. Secunda Auct.eſt Ariſtot.in 3.de Anima, 9. tex. & 7. Metaph. tex.41. vbi ait, quod in ſeparatis à materia, idem eſt, quod quid eſt, cum illo cuius eſt, ſed in concretis cum materia,nõ eſt idem quod quid eſt,cum illo cuius eſt; ex qua deducunt, quod materia ſit cauſa propter quam indiuiduum non eſt idem cum ſua quidditate, ſed eſt quid diuerſum, ergo materia eſt cauſa indiuidui,quod differt à quidditate per ipſam materiam, per quam eſt quoquo pacto particularizatum,& contractum,& ſic differt.

Reſpondetur,quòd primò falſum eſt, quod in concretis cum materia, non ſit idem quod quid eſt,cum illo,cuius eſt, vt patet 7.Metaph.tex. 20. Eſt ergo idẽ; ſed ſenſus illarum auctoritatum eſt, quod in concretis cum materia,quod quid eſt,nõ eſt idem cum illo cuius eſt,primò,ſed ſecundariò, quoniam tale, quod eſt materiale,non eſt de ſe hoc,& indiuiſibile,ſed multiplicabile, & ſic diuiditur in indiuidua,quæ indiuidua differũt ab illo, quod quid eſt,non per materiam partis,quia illa includitur in quod quid eſt materiale, ſed differunt per differentiam indiuidualem. Vnde expreſsè ait Ariſtoteles, aliud eſt caro, & carnis eſſe, vbi exponitur caro,per ſingulare;non ergo in concretis cũ materia, ſingulare differt à ſuo, quod quid eſt primò;ſed ſecundariò; neque illa differentia ſecundaria eſt propter materiam, ſed propter principium indiuiduationis; & quia illud, quod quid eſt, non eſt de ſe hoc; ſed connexio materiæ eſt cauſa remota; talia enim ſunt omnia, quod quid eſt, cum materia coniuncta; ex quo enim ſunt communicabilia, ideo habent materiam, non è conuerſo; ſubſtantia autem abiuncta à materia, eſt de ſe hęc,& indiuidua,adeo quod in ipſa eſt idem vnitas ſpecifica,& numeralis: quia eius quidditas eſt indiuiſibilis, & incommunicabilis,vt dictum eſt.

THEOREMA XCII.

Anima intellectiua indiuiduatur per ſeipſam,non per vnionem ad corpus.

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis.
Caput I.

Circa hanc materiam non parua lis *Opin.*
eſt inter Scotiſtas, & Thomiſtas. *Scoti.*

Scotus

Scotus in quodlib.quæſt.ſecunda,in principio,vbi quærit,an hæc propoſitio,in Diuinis ſolum ſunt duę productiones,teneatur ſola fide, vel etiam ratione; ibi adducit vnam opinionem, quæ dicebat, quod tenetur ratione; & hanc præcipuè: quia forma eiuſdem ſpeciei non poteſt multiplicari,niſi ſecundum materiam: at in Diuinis, non eſt materia, ergo ibi non poſſunt eſſe plures Filij, nec plures Spiritusſancti.Hanc opinionem Scotus reijcit, & probat,quòd innitatur falſo fundamẽto: quia innititur huic propoſitioni: Forma eiuſdem ſpeciei, non poteſt mutliplicari, niſi per materiam, & quod ſit falſa, poſt multas rationes adducit hanc. Anima intellectiua in hominibus eſt eiuſdẽ ſpeciei, & non habet materiam, & prius natura, quam vniatur corpori eſt de ſe hæc,& terminus creationis, ergo illa propoſitio eſt falſa. Ex eo loco apertè colligitur, quod Scotus iudicauit animã intellectiuam eſſe indiuiduatam per ſeipſam,& de ſe eſse hanc,non per materiam, nec per quantitatem. Hanc eandem ſententiam colligimus ex ſecundo Sent.diſt. 3.quæſtione 7. ratione quarta pro ſua Concluſione; ibi enim quoque ſuſtinet plures Angelos eſſe in eadem ſpecie Theologicè loquendo, & illos indiuiduari per proprias hæcceitates. Hanc opinionem nonnullis rationibus ſic confirmat.

1. ro. Anima prius naturaliter eſt terminus creationis, quam ſit vnita, & infuſa corpori,ergo prius naturaliter eſt hæc,& ſingularis,quàm vnita corpori, ergo ſingularitas eius præcedit vnitatem, ad materiam, ſed vnde eſt ſingularis, eſt indiuidua, & diſtincta à quocumque alio; ergo anima humana habet vnitatem à ſeipſa, & ſic per ſeipſam eſt indiuidua, non per vnionem ad materiam. Antecedeus eſt communiter conceſſum,non dico enim, quod præcedat tempore,ſed natura.Conſequentia probatur per Ariſtotelem, 5. Metaphyſices, capite de Priori, vbi ait, *Aliquæ ſecundum materiam, & ſubſtantiam ſunt priora,quæcumque contingit eſſe ſine alijs,& illa non ſine illis*; adeò, quod in his verbis ait Philoſophus, quod illa ſunt priora natura aliquo,quæ poſſunt eſſe ſine alio ſine contradictione,id eſt ſine repugnantia,& contradictione,licet actu vnum non ſit ſine alio; & hoc etiam confirmatur ex 7. Metaphyſices, vbi dicit, quòd Subſtantia eſt prior natura Accidente, quia ſine contradictione eſt ſeparabilis ab accidente,licet nunquam ſeparetur:at anima vt eſt terminus creationis Diuinæ,nedum ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum exiſtentiam actualem per Diuinam potentiam poteſt eſſe abſque materia, ergo eſt prius hæc per ſe, quàm ſit vnita corporis ſimiliter non poteſt eſſe in materia, niſi ſit hæc.Quod ſi quis dicat,animam intellectiuam eſſe indiuiduam, non per vnionem actualem animæ ad corpus, ſed per vnionem aptitudinalem ad corpus. Contra, hæc aptitudo inſequitur eſſe animæ, ergo prius eſt anima, hæc quam ſit apta vniri huic corpori, ergo hæc aptitudo nõ poteſt eſſe cauſa indiuiduationis. Tunc ſic arguitur, quòd conuenit vni,& repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, non conuenit huic per ſe,ſecundum illud in quo iſta diſtinguuntur:ſed aptitudo animæ ad hanc materiam conuenit huic animæ, & alteri non, ergo hæc aptitudo competit huic animæ non ſecundum illud in quo conueniunt, ſed ſecundum illud quo diſtinguũtur,ergo prius ſunt diſtincta numero, nõ ergo illa aptititudo eſt cauſa diſtinctionis numeralis,ſed ipſamet anima.

Secũdò,aptitudo dicit relationem: ſed relatio non poteſt conſtituere abſolutũ, cuiuſmodi eſt anima, ergo. Antecedens eſt clarum:quia aliter poſſet intelligi,eſſe ad ſe,& eſse abſolutum;quod eſt falſum: quia aptitudo aliud reſpicit.

Secunda ratio. Quo aliquid eſt extra ſuam cauſam, & intellectum, eo eſt hoc primo:ſed ſic eſt, quòd quæcumque entitas abſoluta eſt per propriam entitatem particularem extra intellectum, & ſuas cauſas, quia per entitatem vniuerſalem potius eſt in intellectu, & in ſuis cauſis, quàm extra, ergo entitas particularis cuiuslibet eſt principium ſuę indiuiduationis,non materialiter. Cõfirmatur Minor:quia entitas particularis eſt,quæ primo recedit à nõ eſſe ad eſse,illa enim eſt, quæ generatur, ergo illa eſt cauſa indiuiduationis ſuæ, & licet concurrat materia, 2.

& for-

& forma; nulla tamen illarum eſt cauſa eſſendi primo illi indiuiduo.

3. Tertia ratio poteſt deſumi ex ſecundo Sententiarum; quia ſi omnis diſtinctio numeralis eſſet per materiam, animæ humanæ, quæ carent materia, non diſtinguerentur numero, ſed ſpecie: quia non habent materiam; quod tamen eſt falſum; ergo materialitas non eſt cauſa indiuiduationis animæ intellectiuæ. Hæc difficultas habet locum apud quæſtionem de principio indiuiduationis, quia hæc pendet ex illa.

Opinio Caietani, & Thomiſtarum. Cap. II.

Caietanus libro de Ente, & eſſentia, cap. 6. exponit mentem D. Thomæ, & ſoluit has rationes Scoti, militant enim contra D. Thomam, qui ſuſtinet, quod materialitas, ſiue materia ſignata, quæ eſt materia cum aptitudine ad formam hanc, eſt cauſa indiuiduationis. Mentem D. Thomę ait eſſe, quod anima intellectiua indiuiduetur per ſuam commenſurationem ſubſtantialem ad corpus ſuum. Commenſuratio enim dupliciter poteſt conſiderari; Vel vt eſt relatio; Vel vt eſt commenſuratio ſubſtantialis, & coaptatio ſubſtantialis rei. In propoſito, anima intellectiua indiuiduatur ſuis commenſurationibus ſubſtantialibus ad corpus proprium, & hoc declarat, quia ſicuti de eſſentia animæ humanæ in communi eſt, quòd ſit proportionata corpori Phyſico organico, quod ponitur in eius definitione, ita hæc anima eſt perfectiua, & proportionata ita huic corpori, quòd non illi; & ſicuti commenſuratio ad corpus humanum, non ſequitur animam iam humanam, ſed facit ipſam animam eſſe humanam, & conſtituit illam in eſse humano: ita ſubſtantialis commenſuratio huius animæ ad hoc corpus, non ſequitur eſſe huius animæ: ſed conſtituit illam animam hanc. Antecedens probatur: ſcilicet quod anima humana conſtituatur in eſſe, per illam proportionem ad corpus humanum: quia per hanc primo diſtinguitur ab anima bouina, quia illa eſt actus corporis bouini, hæc autem eſt actus corporis humani. Probat hanc poſitionem auctoritate Ariſtotelis in primo libro de partibus animalium, qui ait: quod differentiæ diuidentes aliquod, debent eſſe diſtinguentes per ſe, in eo, quod tale, vt differentiæ diuidentes animal non debent eſſe album, & nigrum: quia non diuidunt animal per ſe, quia cum albo, & nigro ſtat vnitas animalis, ergo iſtæ differentiæ diuidentes animam corporis Phyſici erunt hæ, quod eſt actus corporis talis, & talis, & ita quælibet anima diſtinguetur realiter ab altera anima, per cōmenſurationem ſubſtantialem ad hoc corpus, & ad illud, quæ commēſuratio non eſt quid abſolutum à ſuo perfectibili, & receptiuo, ſicuti nec ipſa anima eſt quid abſolutum à ſuo perfectibili, quod eſt corpus; & quia Scotus hoc non animaduertit, ſed iudicauit animam eſſe abſolutam à corpore, ideo poſuit in animali idem principium indiuiduationis, quod poſuit in ſubſtantijs abſolutis.

Confutatio huius opinionis. Cap. III.

Reuera hęc opinio Caietani eſt adeo obſcura, & ipſe adeo perplexus, vt varia dicat, neque ipſe ſcire videtur quid dicat: videtur enim dicere, quòd illæ commenſurationes, quas eſſe dicit principiū indiuiduationis animæ, eſſe accidentia, dicit enim in initio 2. capitis illius diſputationis, quod non debet hæc poſitio probari: quia ſuprà probatum eſt, quod omnis diſtinctio numeralis prouenit à Quantitate, ergo iſtæ commenſurationes debent eſſe ſpecies Quantitatis, vel Relationes fundatæ ſuper quantitate corporis ad animam; vel fundatæ in anima ad quantitatem illam corporis: alioquin non poterunt eſſe radix diſtinctionis numeralis animarum: quia ſola quantitas per eum eſt talis radix: dum poſtea declarat ſuam hanc poſitionem, appellat has commenſurationes ſubſtantiales commenſurationes: dum angitur ab argumentis Scoti, illas appellat ſubſtantiales; rurſus dicit, quòd ſunt abſolutę à termino, ſed non à ſubiecto: ſecundum eum autem ibi ſola ſubſtantia eſt abſoluta à ſubiecto, & receptiuo, quia non recipitur in alio, ergo iſtæ commen-

commenſurationes erunt accidentia aliqua, adeo quòd quàm ſit vana hæc opinio, per ſe patet. Poſſumus autem breuiter ſic arguere. Iſtæ commenſurationes, vel ſunt ſpecies ſubſtantiæ, vel accidentis: ſi ſubſtantiæ, ergo erunt ipſamet anima, cum ipſa ſit ſimplex ſubſtantia, abſque vlla compoſitione partis, vel realitatis: ſi accidentis, nullum accidens dat eſſe ſubſtantiæ, vt in quæſtione de indiuiduatione diſputauimus; ergo hęc poſitio quocumque modo, vel eſt falſa, vel non diſcrepabit à Scoto, quod tamen ipſe intendit: ideo iudico hanc voluiſse ſuam eſſe ſententiam.

Ponit, quòd anima eſt indiuidua per coaptationem, & commenſurationem aptitudinalem ad materiam hanc, quantitate ſignatam, quæ eſt in hac anima, nō in illa, & conſequenter, quod materialitas cum tali quantitate ſit principium indiuiduationis; à materia enim quanta habet hanc commenſurationem, & ideo cōtra illam valent rationes ſuperius factæ contra materiam ſignatam, hæc enim poſitio ex illa fundamentum habet, & hoc voluit dicere Caietanus, quando in principio huius ſuæ poſitionis ait, quòd non opus eſt probare: quia ſupra probatum eſt quātitatem ſignatam eſſe principium diſtinctionis numeralis. Si verò quis dicat, quod hæc commenſuratio eſt ab ipſa anima, tunc diuerſa erit: & etiam poteſt impugnari: quia hæc commenſuratio nil aliud eſt, niſi quędam aptitudo inſequens animam, vt hæc, ideo eſt prius hæc quam ſit commenſurata ſubſtantiæ, ergo hæc commenſuratio non eſt prima ratio diſtinctionis numeralis; quod optimè probatur per rationes Scoti allatas. Relinquitur ergo ſolum, quòd reſponſiones, quas affert ad argumenta Scoti, excludamus.

Reſp. Caie. confutātur Ad primum argumentum concedit, quod anima non indiuiduatur per vnionem actualem, ſed per vnionem aptitudinalem; quæ eſt illa commenſuratio ſubſtantialis, vt dictum eſt; argumentum verò concludit de vnione actuali. *Reſp. ad primū.* Ad illud contra hanc reſponſionem, *Reijcitur.* Reſpondet, quod aſſumit hanc propoſitionem falſam, quod anima ſit prius hæc, quam habeat illam aptitudinem ſubſtantialem cō menſuratiuam, vnde falſa eſt illa Maior argumenti formati ad hoc, ſcilicet, quod conuenit vni, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, non poteſt illi competere per aliquod commune, ſed per aliquod, per quod prius diſtinguatur: quia iſtud ſæpè eſt cauſa diſtinctionis, & non præexigens diſtinctionem, vt rationale, & irrationale, nam irrationale repugnat homini, & conuenit bruto, & rationale competit homini, & repugnat bruto, & tamen nō pręexigit aliquod diſtinctiuum, ſed ipſa eſt differentia diſtinctiua; immò à pari poſſet argui contra Scotum, quòd hæcceitates non eſſent diſtinctiuæ, ſed præexigerent aliquid prius diſtinctum, quod Scotus non concederet.

Reſponſio ad hoc primum argumentum eſt nulla: negat enim hanc propoſitionem, quod aptitudo inſequatur eſſe rei, & dicit, quod aptitudo quandoque conſtituit rem in eſse, & ideo non eſt poſterior. *Reijcitur.* Contra, aptitudo eſt paſſio conſequens ad rem, ſicuti riſibilitas, diſciplinabilitas, ſunt paſſiones hominis, & tamen nil aliud ſunt, niſi aptitudines ad ridendum, & diſcendum, ergo aptitudo conſequitur ad rem, & qui negat hoc eſt de numero eorum, quibus dicitur: Contra negantes principia non eſt diſputandum: at conſtitutiuum in eſse, præcedit rem, quia eſt principium rei, vt materia, & forma, & genus, & differentia ad rem, quando hoc confirmat per rationale, dico, quod hæc non ſunt aptitudines ab alia forma priori tendentes, ſed ſunt principia conſtitutiua: rationale enim non eſt aptitudo hominis, ſed principium eſsentiale actuale primum conſtitutiuum hominis: at illa commenſuratio per te eſt aptitudo huius animæ.

Idem ad id de hæcceitatibus, illæ non ſunt paſſiones, ſed differentiæ conſtitutiuæ in eſse indiuiduali; vnde Maior profectò ſecundi argumenti Scoti, valet de paſſionibus, non de differentijs, dicit enim ſic: quando aliquid conuenit vni, & repugnat alteri, id eſt quando vna paſſio cōpetit vni, & repugnat alteri eiuſdem ſpeciei, non poteſt illi conuenire per aliquod commune illis, ſed per aliquod non commune,

mune,eſt veriſſima; vnde eſse leue in Frãciſco, & tardum in Petro,non competit illis per ſpeciem: quia eſſent eiuſdem leuitatis, ſicuti ambo ſunt riſibiles, ergo per aliquod non commune,vt per complexionem, quæ eſt vna in Franciſco, & altera in Petro;valet itaque de paſſionibus,quæ ſunt poſteriores; de his loquitur ibi Scotus, non de differentijs conſtitutiuis: & hoc etiam manifeſtat modus loquendi; dicit enim, quod competit vni, & repugnat alteri, & cętera: dicere autem, hoc non competit illi ſubiecto, ſupponit ſubiectum iam habere eſſe, & paſſionem ineſſe illi, ergo dum dicit, quòd competit vni, & repugnat alteri, loquitur de eo, quod illis competere poteſt, dum ſunt in eſſe: hæc eſt paſſio,quæ conſequitur.

Reſp. ad ſecũdũ. Ad ſecundum argumẽtum contra hãc reſponſionem Reſpondet,quòd illa aptitudo eſt relatio, non ad terminum, ſed ad receptiuum, & hoc non eſt inconueniens: quia hoc modo quoque quantitas, & qualitas ſunt relatiua, & tamen ſunt abſoluta. *Reijcitur.* Contra hanc reſponſionem aliàs oſtenſum eſt quòd hæc diſtinctio eſt nulla: ſcilicet, in quæſtione de inhærentia,an ſit de eſſentia accidentis;quęre ibi. Pro nunc ſic arguo. Reſpectiuum ad ſubiectum per Caietanum in loco citato,eſt quod recipitur in alio tamquam in ſubiecto, ita, quòd per ſe ſtare non poteſt, & hoc modo ſubſtantia,non eſt reſpectiuũ, ſed ſolum omne accidẽs:at ipſe ait,quòd aptitudo eſt ſubſtantia, & non accidens, ergo non poteſt eſſe relatiuum,vt ad ſubiectum, & ſic ſi eſt relatiuum, erit, vt ad terminum, & ſic erit accidens reſpectiuum,vt paternitas,&c.

Reſp. ad ſecũdũ principale. Ad ſecundum principale negat primo Maiorem:ſcilicet,quòd res ſit hæc primo per illud,quod eſt extra ſuas cauſas,& intellectũ: inquit enim,quòd res per aliud eſt, & per aliud eſt hæc; per eſſe eſt, per hæcceitates eſt hæc,ergo falſa eſt Maior. Minor quoque eſt falſa: ſcilicet,quod res primò ſit extra ſuam cauſam, & intellectum,per ſuam entitatem: quia res non eſt primò extra ſuas cauſas per ſe,ſed per ſuam exiſtentiam actualem.

Reijcitur. Contra,Maior eſt veriſſima;quòd probatur: quia primum eſſe quod habet res extra ſuas cauſas,eſt eſſe hoc particulare: quia ſolum ſingularia ſunt quæ generantur, & producuntur; & natura communis ſolum in illis habet eſſe:nõ ergo prius res eſt ſub eſſe vniuerſali, quàm indiuiduali,& particulari: quia generatio terminatur ad particulare,non ad vniuerſale, ſiue ad commune; Hoc ſtante, patet veritas Maioris;dicit enim ſic: res eſt hæc primò per illud, per quod eſt extra ſuas cauſas;probatur: quia producitur primò in eſſe ſingulari, & particulari, ergo per eſſe ſingulare,& particulare primò eſt extra ſuas cauſas, & conſequenter eſt hæc. Minor quoque per hoc probatur: quia res particularis eſt hæc primò per ſeipſam,ſcilicet, per ſuam differentiam indiuidualem, quæ non eſt exiſtentia actualis:quia hæc eſt poſterior ad res,& ſubſequitur rem iam indiuiduatam, ideo non poteſt eſſe principium indiuiduationis. Contra hanc poſitionem arguit Scotus. Vide in quæſtione de principio Indiuiduationis ſuprà.

Ad tertium principale,negat conſequẽtiam: non enim ſequitur, quòd animæ non diſtinguantur ſpecie,ſed bene de intelligentijs valet:quia animæ diſtinguuntur per proprias commenſurationes, licet non habeant materiam. Angeli verò non poſſunt hoc modo diſtingui:ideo benè concludimus,in Angelis non eſt materia, ergo diſtinguuntur ſpecie: quia ibi nulla alia differentia eſt, hic verò adſunt propriè commenſurationes, vt dictum eſt. *Reſp. 3.* Contra hanc reſponſionem: Vel hæc commenſuratio pendet à materia;vel ab anima;ſi à materia, ergo eſſentia, & ſingularitas animæ pendet à materia, quod eſt falſum:quia tunc eſſet materialis:quia quod habet eſset internum per principium materiale,eſt materiale: anima per te habet eſſe indiuiduale, quod eſt eſſe internum, & per te per menſurationem pendentem à materia,& conſequenter materialem, ergo eſt materialis, & hoc eſt quod concludit argumentum; Si non pendet à materia, ſed ab anima, eſt alia reſponſio:contra quam arguitum eſt ſuprà; quia tunc eſſet aptitudo animę, quæ eſt poſterior anima, & conſequenter,non poteſt eſse principium indiuiduale. *Reijcitur.*

le.Ad

ſe. Ad argumentum pro opinione Caietani, ad illam propoſitionem Maiorem, cũ dicitur, quòd eſt de eſsentia animæ humanæ in communi, quòd ſit proportionata corpori Phyſico organico, &c. Reſpondeo, quòd duobus modis poteſt intelligi aliquid eſse de eſsentia, ſiue eſse eſsentiale alicui. Vno modo in primo modo dicẽdi per ſe, & hoc modo nego illam proportionem, & commenſurationem eſse de eſsentia animæ. Alio modo aliquid eſt de eſsentia, ſiue eſsentiale alicui, quod illi competit in ſecundo modo dicendi per ſe: ita concedo, quod illa proportio eſt de eſsentia animæ in communi: quia eſt eius propria paſſio, ex eo enim quod eſt forma talis, & talis, ei competit informare tale, & tale corpus: patet enim quod hæc proportio eſt quidam reſpectus conſequens formam tamquam fundamentũ, & corpus vt terminum, & conſequenter præſupponit formam, quæ eſt ſubſtantia abſoluta in ſuo eſse, & ſic cum non verificetur hoc de proportione animæ in communi, neque verificatur de proportione huius animæ particulari. Cum inquit, quod illa proportio eſt coaptatio, quæ ponitur in definitione animæ aſſignata ab Ariſtot. in 2. de Anima, dum dixit, Anima eſt actus corporis Phyſici organici, &c. Ecce quod ait, eſt actus, eſt perfectio, ergo illa proportio, & coaptatio, quæ explicatur per illud verbum, actus, illi competit in primo modo dicendi per ſe, non in ſecundo modo, vt dicebam.

Ad ... ut. ... aie.

Reſpondeo, quod clara eſt intelligentia illius definitionis: nam ibi Ariſtoteles per actum non intelligit aliquam relationem: ſed actum primum, qui eſt ſubſtantia; Vnde, ibi ſe declarat, quod anima eſt actus, non ſecundus, ſed primus, qui eſt forma dans eſse, ſicuti actus ſecundus eſt operatio ipſius formæ; vel ipſa forma operans; Modo ſatis patet quod relatio nõ eſt actus primus, cum neque ſit ſubſtantia, neque ſit principium operatiuum. Inſuper Ariſtoteles in calce 1. libri de Anima, contra antiquos, & in initio 2. ſtatuit animam eſse ſubſtantiam, non accidens; dum ergo dicit, quòd anima eſt perfectio corporis Phyſici, & actus eius, non intelligit per actum relationem vllam, neque in illa definitione ponitur vlla relatio, neque accidens. Illud quidem verum eſt, quòd cum anima ſit forma, & omnis forma ſit forma corporis, ad animam ſicuti ad formam, ſequitur illa habitudo, & proportio ad corpus, tamquam quædam propria paſſio: ſed neque forma, neque anima eſse ſuum ſubſtantiale recipit ab illa ratione, ſed præcedit illam, ſaltem natura. Ad Auctoritatem Ariſtotelis ex 1. de partibus animalium, concedo illam, ſcilicet, quod differentiæ diuidentes, debent eſſe diſtinguentes per ſe, in eo quod tale, ſed cum inquit huiuſmodi eſse tales commenſurationes, hoc nego, propter rationem nunc dictam; Quæ autem ſint hę differentię, iam nunc abundè ſuprà declarauimus in dilucidando opinionem Scoti.

THEOREMA XCIII.

Natura communis habet eſse pręter opus intellectus.

Poſitio Scoti cum ſuis fundamentis. Caput I.

SCotus libro 2. Sententiarum, diſtinctione 3. quæſtione 1. adducit quandam opinionem, quę exiſtimabat, quod natura ſit de ſe hæc, & particularis: ita quod non oporteat quęrere cauſam, propter quam ipſa indiuiduatur, cum ipſa per ſe ſit indiuidua, ſed potius eſt quærenda cauſa, propter quam ipſa fiat vniuerſalis, & pro cauſa aſſignandus eſt intellectus, ſolum enim intellectus eſt, qui facit illam vniuerſalem; Vnde natura habet duo eſſe; Vnum verum, extra ſuas cauſas. Aliud in anima, & ſecundum hoc eſt vniuerſalis; adeo quod vniuerſalitas, & communitas in natura, eſt ab intellectu. Ipſe Scotus è conuerſo probat, quòd natura communis habeat eſſe reale extra animam, & prius ſit communis, & deinde contrahatur ad ſingularitatẽ per differẽtias indiuiduales, his rationib. Primò. Si natura de ſe eſſet 1. ra.
ſingularis, non poſſet intelligi ſub oppoſito modo, ſcilicet ſub eſſe vniuerſali; ſed hoc eſt falsũ: ergo; Cõſequẽtia probatur: q̃a ĩtellectio ſequitur rẽ, & qualis eſt res,

talis intellectio eſſe debet. Falſitas Conſequentis eſt euidens: quia intelligere hominem eſſe quid commune indiuiduis, eſt vera, non falſa intellectio. Secundò, quod eſt vnum, vnitate reali, minori vnitate numerali (id eſt quod eſt vnum vnitate generica reali, non eſt de ſe, hoc, & ſingulare, ſed quid commune, reale: at natura lapidis, & natura hominis, &c. habēt vnitatem realem minorem vnitate numerali, ergo natura communis non eſt de ſe hæc, & particularis, ſed eſt realis, & communis. Maior eſt euidens ex ſe. Minor probatur: quia ſi natura non habet vnitatem realem minorem vnitate numerali, ſequitur hoc abſurdum, quòd non dabitur alia vnitas realis præter numeralem: hoc autem eſt falſum: & hęc falſitas probatur præcipuè quattuor vijs.

1. rō. Primò; In vnoquoque genere eſt vnū, quod eſt metrum, & menſura omnium, quæ ſunt in illo genere, quæ omnia ſunt realia, & realiter menſurata, ex Ariſtot. 10. Metaph. tex. 2. Ens autem reale, non menſuratur realiter ab ente rationis, eo modo, quo dicit Ariſtot. quia Ens rationis, nō eſt metrum Entis realis; vnitas ergo illa menſurantis, eſt realis, non poteſt autem eſſe vnitas numeralis: quia ſecundum Philoſophum in 3. Metaph. in indiuiduis non eſt hoc prius, illud vero poſterius, textu 11. ergo vnum non poteſt eſſe menſura alterius indiuidui: quia illud menſurans, non eſt aliquod ſingulare, ergo menſurans, in vnoquoque genere eſt aliqua prima ſpecies, & ſic vnitas menſurantis eſt ſpecifica, illa vnitas menſurantis eſt realis, & tamen alia ab vnitate numerali, ergo illa natura ſpecifica, cuius eſt hæc vnitas, eſt realis, vt habet hanc vnitatem.

Secundò, eadem falſitas probatur: ait Ariſtot. 7. Phyſ. tex. 29. Comparatio fit in ſpecie Antoma, quia eſt vna natura, non in genere, quia genus non habet talem vnitatem. Hac auctoritate Ariſt. intendit, quòd natura ſpecifica habet vnam vnitatem realem, in qua fit comparatio, quam non habet genus, alioquin, ſi vnitas ſpeciei eſſet rationis, non diceret Ariſt. quod eſſet diuerſa ab vnitate generis: quia & illa per aduerſarios eſt rationis, ergo præter vnitatem numeralem, datur alia vnitas, quæ eſt realis, & communis.

Tertiò, 5. Metaph. cap. de ad aliquid, iſtæ relationes de identitate æquali, & ſimili fundantur ſuper vnum, ita quod Relatio non eſt realis, niſi fundetur ſuper aliqua vnitate reali: quæ enim ſunt idem, vel æqualia, vel ſimilia, conueniunt in aliqua vnitate reali, quæ ſunt idem. Hæc vnitas non eſt numeralis, quia nihil idem numero, eſt ęquale, & ſimile ſibi: ergo eſt aliqua alia vnitas; non alia, niſi Specifica; vel generica. Quartò, vnius oppoſitionis realis, ſunt extrema realia: ſed ſic eſt, quòd iſta extrema ſunt vnum, & non vnitate numerali, vt album, & nigrum, ergo datur vnitas realis, quæ non eſt numeralis.

Tertiò principaliter, ſi omnis vnitas realis eſt numeralis, ergo omnis diuerſitas realis eſt æqualis, ita quod omnia eſſent æquè diſtincta: & ſic non magis diſtingueretur lapis à Socrate, quam Socrates à Platone; neque poſſet intellectus abſtrahere aliquod commune magis à Socrate & Platone, quam à Socrate, & linea. Conſequens eſt falſum, vt patet. Conſequentia probatur: quia vnum, & multa, idem, & diuerſum, ſunt oppoſita, ergo quot modis dicitur vnum, tot modis dicitur, & reliquum oppoſitorū; ergo cuilibet vnitati reſpondet propria diuerſitas, & è conuerſo. Si ergo datur vnitas realis numeralis tantum, ergo ſolum datur diuerſitas numeralis tantum. *Tertio principaliter.*

Quartò, idem probatur: quia ſi in re eſt tantum vnitas numeralis realis, ergo quæcumque entitas eſt in re, eſt vna numero: at quæ ſunt vnum numero, ſunt primò diuerſa, ergo hoc, & illud, ſecundum omne entitatem, quam habent, ſunt primo diuerſa, & in nullo aliquo modo conuenientia quo ad rem, quod eſt falſum. 4.

Quinta ratio; Vniuerſale quoque eſſet purum figmentum. 5.

Sexta ſi iſtæ naturæ communes, vt homo, animal, & cætera, vt ſunt communes, habent eſſe ſolum à ratione erūt tantummodo dum fiunt: ſicuti & ſecundæ intentiones, quæ habent eſſe per opus intellectus, ſunt ſolum dum fiunt: quod quam ſit abſurdum, ex ſe patet. 6.

Præterea, ſcientiæ, quæ ſunt de his naturis 7.

turis communibus, eſſent ſcientiæ rationales, quia eſſent de entibus rationis, nõ realibus: quale autem eſt obiectum, talis eſt ſcientia.

8. Octauo, Homo, & Bos non differunt realiter, neque animal,& lapis,ſed ſolum ratione,& per operationem intellectus:at qui aſſerit has ſpecies differre ratione, & ſolum per opus intellectus tantum, eſt ſimilis illi,qui negat ignem calefacere: indiget enim verberatione;Neque valet, ſi quis dicat,differunt,quia differunt numero,non valet inquam: quia præter differentiam numeralem, adeſt alia differentia ſecundum rem:nam Franciſcus differt à Socrate,& ab hoc equo,numero,tamen poſtea rurſus differt alio modo ab hoc, equo,quo non differt a Socrate, & hæc differentia eſt præter opus intellectus, nam ille eſt equus,Franciſcus verò eſt homo; & certè, qui negat iſta, eſt dimittendus.

9. Nono Ariſt.1. Poſt.cap.5.tex.39. declarans ſecundum errorem circa vniuerſale,aſſerit,quòd quando dantur plures ſpecies,quæ habent genus innominatum, ſi quis monſtret prædicatum illius generis de omnibus illis ſpeciebus ſimul,vel diſiũctim, non eſt propoſitio vniuerſalis,quia illud prædicatum ineſt primo illi generi: ex hoc deducitur,quod ex parte rei naturæ generis eſt diuerſa ab omnib. ſuis ſpeciebus,& ſingularibus, etiam ſimul ſumptis.

10. Decimo Ariſt.1. Poſt.tex.81.improbat opinionem Platonis de Idæis,ſed concedit dari vniuerſale in multis,de quo eſt ſcientia, & concedit illud eſſe diuerſum à ſingularibus ex parte rei: quia ſingularia corrumpuntur;ſed illud vniuerſale eſt æternum: neque illud vniuerſale eſt ens rationis: quia ens rationis non eſt æternũ, ſed contingens, ergo datur natura communis per ſe diſtincta à ſingularibus, ex parte rei. Propter has rationes Scotus ſuſtinet,quod natura communis, vt humanitas, ſiue homo, habet eſse reale extra ſuas cauſas, & non eſt de ſe hæc, ſiuè ſingularis, ſed eſt indifferens ad eſse ſingulare,& eſſe vniuerſale, & propterea poteſt eſse vniuerſalis,& particularis; erit particularis,ſi contrahatur per differentias indiuiuales; erit vniuerſalis,ſi ab intellectu reducatur ad eſse vniuerſale, quod conſiſtit in dici de multis,natura ergo ſecundũ ſe præcedit,& vnitatem ſingularem, & vniuerſalitatem completam, ſed poteſt eſſe vniuerſalis,& particularis, & ſecundũ hanc Entitatem intelligitur a Metaph.& definitur: hanc intelligit Scotus non eſse de ſe hanc, & particularem.

[Opin. Scoti declaratur]

Sed nota, quòd quando dicimus, quod intellectus facit vniuerſalitatem in rebus,non eſt intelligendum,quòd intellectus faciat illud vniuerſale totaliter, ita quod uniuerſale ſit ſolum opus intellectus: quia ante iſtã denudationem, iam ibi eſt illa natura cõmunis in re, antequam habeat res eſse in intellectu: ſed dicitur fieri uniuerſale, quia uniuerſale,ut dicitur 1.Poſt. tex.81. eſt quod eſt in multis, & dicitur de multis,potentia proxima, & actu, modo illa natura communis in re,ut eſt una actu,& proximè, non dicitur de multis,nec eſt in multis,ſed de ſe eſt indifferens ad eſse uniuerſale,& particulare, ſed ſecundario eſt in multis, & fit uniuerſale completè, Intellectus enim eſt ille, qui facit illam actu vniuerſalem, quod declaratur ſic ex Ariſt.1.Poſt.tex.81. Vniuerſale eſt,quod eſt vnum in multis, & de multis, natura autem illa communis, vt præcedit actum intellectus, non eſt actu vnum in multis, & de multis, ſed ſolum remotè: tunc enim ſolum eſt vnum in multis,& de multis proximè,& actu,quando actu concipitur ab intellectu illa natura eſſe idem cũ hoc,& illo,& illo indiuiduo, & facit prædicationem illam, hoc eſt hoc; quando autem natura conſideratur ante intellectus apprehenſionem, non verificatur de ea proximè prædicatio naturæ de indiuiduis,hoc eſt hoc,ſed ſolum remotè, & potentialiter:propter hoc igitur, quia intellectus eſt qui facit illam naturam communem actu prædicari de indiuiduis prædicatione dicẽte,hoc eſt hoc,ideò intellectus dicitur facere vniuerſale in rebus, & ſic vniuerſale eſt ab intellectu completiuè:ſed fundamentum eſt reale in re, differentijs indiuidualibus vero fit particularis.Notandum eſt etiam,quod non vult Scotus, quòd hæc natura communis ſit ſeparata à ſuis ſingularibus, & per ſe exiſtens: quia ſic eſſet Idęa Platonis, vt habetur ex reſpoſione ipſius ad ſecundam Not.

obiectionem factam contra ſe, & ad argumenta principalia, ſed vult quòd nullum habeat eſſe, niſi in ſuis ſingularibus. Sed tamen, vt in illis eſt, habet ſuum eſſe reale per ſe diſtinctum ab eſſe numerali, & vnitatem communem minorem vnitate numerali, ita quod hæc natura, homo, non eſt quid purè fabricatum ab intellectu: ſed natura communis realiter diuiſa in omnes homines, & habens propriam exiſtentiam, licet actu non ſit ſeiuncta à ſingularibus, quia omne Ens reale habet propriam exiſtentiam, vt ſuo loco dictum eſt.

Rationes Aduerſariorum contra Scotũ; ſolutiones ad rationes Scoti ab eiſdem allatæ, & earundem confutatio. Caput II.

Caie. CAietanus libro de Ente, & eſſentia cap. 4. arguit contra Scotum, tribus rationib. præcipuè; exiſtimat enim quòd natura quidẽ ſit ens reale extra animam, ſed non vt eſt communis: ſed vt eſt particularis, & vna numero: ſed quo ad eſſe cõmune, eſt vna formaliter: at ſic non eſt extra animam, ſed ſolum in intellectu; hoc uoluit inferre ipſe articulo 5. in ſolutione primi dubij, dum poſuit differentiam inter Scotum, & D. Thomam, & etiam articulo 3. ponendo illas tres Concluſiones, licet obſcurus ſit; quod ergo natura communis non ſit ens reale extra ſuas cauſas, ut eſt communis, primò probat ſic. Quod eſt exiſtens in rerum natura, debet habere quidditatem exiſtentem per ſe in rerũ natura: ſed unitas communis, ſiue natura communis, non habet hanc quidditatem exiſtentem per ſe in rerum natura diſtinctã à ſingularibus, ergo Maior eſt clara;

1. rõ. Alioquin nõ exiſteret per ſe; Minor etiã patet: quia natura communis ſolum ha-

2. bet eſſe in particularibus, non per ſe. Hæc eſt prima ratio Caietani in uirtute. Secundo, Omnis res exiſtens in rerũ natura, eſt res particularis, nulla unitas communis extra animam eſt res particularis, ergo non exiſtit. Maior eſt omnium Peripateticorum. Minor probatur: quia res particularis eſt alicui uni ſuppoſito propria, aliter non eſſet particularis: at res communis nullius eſt particularis, ergo non datur hæc vnitas vniuerſalis. Hæc ratio eſt declaratiua primæ. Tertio, Omne quod 3.

ſequitur aliquam naturam ratione ſui, prædicatur ſine aliqua additione, & ſimpliciter de ſuppoſito illius naturæ: ſed per Scotum, communitas ſequitur naturam humanam ratione ſui; ergo communitas prædicatur de ſuppoſito illius naturæ; proceſſus bonus, ſed concluſio falſa, ergo aliqua præmiſſarum: non Maior, vt probabitur: ergo Minor; ſed Minor eſt Concluſio tua; ergo ò Scote eſt falſa tua opinio; falſitas Concluſionis probatur; hæc enim propoſitio eſt falſa, Socrates eſt communis. Maior probatur: quia quæ ſequuntur realiter naturam communem, etiam prædicantur de ſuis inferioribus; quia enim homo eſt rationalis, ideò Socrates eſt rationalis, &c. ex ijs ergo habemus, qđ natura vt eſt cõmunis, nõ habet eſſe extra animã, ſiue, quòd cõmmunitas nõ competit ei vt eſt res; ſed ſolum ab intellectu, & ſic habet eſſe commune ab intellectu ſolum.

Pro ſolutione argumentorum Scoti animaduertit duo fundamenta; in quibus ait erraſſe Scotum, primum in omnibus argumentis Scoti eſt æquiuocatio huius termini, per ſe, ſiue ex ſe: quia poteſt duobus modis accipi, vno modo poſitiuè, & ſonat natura ex ſe: id; eſt cũ ſuppoſitis, & non ſolitariè; alio modo ex ſe accipitur negatiuè, & ſonat naturam ex ſe ſine ſuppoſitis, & ſolitariè: Scotus in ſuis argumentis quando dicit, natura, de ſe eſt communis, accipit naturam per ſe primo modo, quod eſt falſum: quia ſic natura eſt particularis, & non communis: ſecundo modo autem eſt communis: ſed illa tunc natura nihil eſt, niſi ens fabricatum à ratione. Secundus error Scoti, & fundamentum Caietani eſt, quod non valet proceſſus à propoſitione negatiua ad propoſitionem affirmatiuam de prædicato infinito, cum reduplicatione, vt ſi dicã: homo in eo, quod homo, non eſt albus; ad hoc non ſequitur, ergo homo in eo, quòd homo, non eſt albus: quia tunc homo nunquam poſſet eſſe albus: at argumenta Scoti habent huiuſmodi proceſſum, arguit enim ſic: natura, vt natura, non eſt de ſe hæc, ergo natura, vt natura, eſt cõmunis, & non propria: natura cõmunis enim idem eſt, quod non propria;

A. rõnẽ Scoti

propria; huiuſmodi proceſſus ergo nullus eſt, per hæc ait Caietanus, omnia argumenta Scoti ſolui poſſunt.

Sonc. Paulus Soncinas 7. Metaph. quæſt. 40. diſputat de hoc: ſed ipſe eſt cum Scoto: dat enim diſtinctionem, quod natura poteſt tripliciter conſiderari; Vno modo ſecundum ſe, & hoc pacto dicit naturam eſſe vnam, & vnitate vniuoca reali; Secundo modo, vt eſt in ſuis inferioribus; & ſic nec eſt vna, nec plures per ſe, ſed per accidens; Tertiò, vt eſt in intellectu noſtro per ſpeciem intelligibilẽ, & hanc probat non eſſe vnam vnitate reali, & hoc non eſt contra Scotum: quia & Scotus concedit, vt diximus, quòd natura ſit vniuerſalis ab intellectu, & vt eſt in intellectu, non habet eſſe reale, ſed per intellectum; tunc enim eſt vniuerſale completè; ideò argumenta eius facta pro hac Concluſione, non ſunt contra Scotum.

Bucc. Ludouicus Buccaferreus lib. primò de Anima, tex. 8. ſuſtinet in hoc opinionem Thomiſtarum, & præter eorum rationes, adducit hanc. Pluralitas entium eſt fugienda, ſed ponere hanc naturam communem diſtinctam à ſingularibus, eſt multiplicare entia ſine neceſſitate; ſed ſufficit entitas indiuidualis; quod confirmatur: quia omnis res, à qua habet eſſe, habet etiam eſſe vnum, & indiuiduum, & ſic ſolum dantur indiuidua particularia, quæ realia ſunt, non autem illa natura cõmunis. Dat etiam aliquas reſponſiones ad aliquas rationes Scoti: ſed quia ex confutatione aliarum reſponſionum hæ quoque facile confutantur, non oportet illas adducere.

Suarez. Franciſcus Suarez in ſua Metaph. diſp. 6. ſect. 1. & infrà, aduerſus realem entitatem naturę communis, multa diſputat, & eſt adeò prolixus, vt quemlibet patientiſſimum fatigare poſſit, & tandem ſolo fundamento Caietani innititur, quòd hæc natura communis non habet exiſtentiam in rerũ natura extra ſingularia, & quod ideò non poteſt habere vnitatem realem, neque ipſa entitas valet per ſe manere, vt eſt pręciſa à ſuis indiuiduis; hæ autem videntur eſſe ſuæ rationes præcipuæ diſputatione 5. ſect. 1. & diſp. 5. ſect. 3. & alibi.

1. rõ. Si natura communis per ſe eſt vna, vel eſt vna per vnitatem numeralem, vel eſt vna per vnitatem vniuerſalem; Primum repugnat, & deſtruit ſententiam Scoti; Secundum dici non poteſt: quia vnitas uniuerſalis, non datur ex parte rei diſtincta à ſingularibus: & ideò inter illa non poteſt cadere diſtinctio ex parte rei, ſed ſolum per intellectum. Secundò; Non poteſt dari diſtinctio realis ex parte rei præcedens operationem intellectus, niſi inter entitatem realem, & modum eius: ſed in propoſito non datur ex parte rei natura communis, ergo illa ex parte rei non poteſt diſtingui à differentia indiuiduali; Minor probatur: quia, quod per ſe eſt in rerum natura, eſt exiſtens extra cauſas ſuas: hoc autem eſt ſolum ſingulare, & ſic, ſi natura illa datur, debet eſſe ſeipſa ſingularis, non vniuerſalis: quia nihil poteſt eſſe terminus cauſarum, & habere exiſtentiam, niſi quod eſt ſingulare. Tertiò; Illa non diſtinguuntur ex natura rei, quæ per Diuinam potentiam non poſſunt ſeiuncta manere: ſed natura communis, & differentia indiuidualis, per Diuinam potentiam non poſſunt ſeiunctè manere, ergo non diſtinguuntur ex natura rei. Ad rationes autem Scoti Reſpondet, non ad omnes, ſed ad aliquas, per vnicum fundamentum, quod omnes probant naturam communem habere vnitatem formalem, quam ipſe non vult eſſe realem, ſed ſolũ rationis, & ſi eſt aliquo modo realis, eſt realis fundamentaliter, quatenus intellectus in indiuiduis reperit ſimilitudinem, & conuenientiam quandam formę, à qua abſtrahit, & format vnitatem illam formalem.

(margin: 2. / 3. / Ad rõnes Scoti.)

Dilucidatio opinione Scoti, & confutatio rationum, & ſolutionum ad rationes Scoti nunc adductarum. Cap. III.

AD oſtendendam veritatẽ opinionis Scoti, non ſunt adducenda alia fundamẽta, præter adducta in opinione Scoti comprobanda, ſed ſolum videndũ eſt, nunquid argumenta Scoti per ea quæ dicit Caietanus, & alij, ſoluantur, nec ne; denique ſoluendæ ſunt rationes oppoſitæ. Prima quidem ratio eſt optima, & nullo pacto ad eam accomodatur reſponſio ex

Defẽſio 1. rõnis.

Scoti. ex dictis Caietani: ait enim Scotus obiectum præcedit naturaliter actum intellectus, ergo intelligitur primo obiectum ab intellectu eo modo, quo eſt ante intellectus operationem; ergo ſi omne ens reale extra animam eſt ſingulare, non poteſt intelligi ſub ratione vniuerſalis: quia tūc intelligeretur aliter quàm ſit; at intellectio debet ſequi rem; res ex ſe eſt ſingularis, ergo ſolum vt ſingularis debet intelligi, ſi verè debet intelligi; *Reſp.* Quòd ſi tu dicas: Natura habet vnitatem formalem, ſecundum quam eſt communis, & ſecundum hanc poteſt intelligi ab intellectu, vt in ea eſt vnitas ſpecifica. *reÿc.* Contra: Vel hæc vnitas communis formalis, eſt realis, & extra omnem intellectum; vel eſt rationis; ſi ſecundum, ſequitur argumentum, vt prius, quia intellectus non intelligit rem ſicuti eſt extra: ſi eſt realis vt fatetur Caietanus, tunc quæro; Vel eſt vnitas alicuius entis realis; Vel entis rationis; non rationis: quia vnitas realis, vel non poteſt eſſe paſſio entis rationis, ergo entis realis; ſi entis realis, vel entis ſingularis, vel communis; non ſingularis; quia eidem enti non poteſt competere duplex vnitas opposita, eſſet enim contradictio; Inſuper ſingulare, & indiuiduum eſſet commune multis, quòd implicat: non ergo ſingulari competit vnitas communis, & ſpecifica ſecundum ſe: at omnia ſingularia habent ſecundum ſe vnitatem ſingularem, ergo hæc vnitas formalis communis, quæ contradiſtinguitur ab vnitate numerali, erit vnitas entis realis communis; hæc eſt natura communis, ergo non video quomodo per dicta Caietani poſſit ſolui hæc ratio; immo per dicta eius habemus argumenta contra ipſum validiſſima; quando enim dicit, quòd Socrates habet vnitatē numeralem, & præter hanc habet vnitatem formalem ſpecificam, quæ eſt homo, & conuenit cū illis hominibus in hoc conceptu formali homo. *Alia rō no ua cō tra Caie.* Quæro, hæc vnitas ſpecifica formalis cōpetit Socrati vel per vim intellectus, vel ratione entitatis ſingularis, vel entitatis communis; non per intellectum quia Socrates, & Plato non ſunt eiuſdem ſpeciei ſoli per vim intellectus, non ratione entitatis ſingularis, quia per illam Socrates differt ab alijs hominibus particularibus, ergo per aliquam entitatem communem omnibus ipſis realem, quæ eſt diuiſa in omnibus illis; Hęc eſt natura communis realis eo modo, quo ſuſtinet Scotus. ergo velit, nolit, fatetur re, quod negat ore. Fortaſſe dicet, hæc natura communis, vt humanitas, ſolum exiſtit in ſingularibus, non eſt per ſe ſeparata, ideò vt communis non poteſt dici ens reale. *Reſp. tacita.*

Reÿcitur. Contra, ens reale illud dicitur, quod habet eſſe extra intellectum, & realiter; licet per ſe ſolum non exiſtat: nam hoc pacto nec forma ſubſtantialis poſſet dici ens reale, quia non eſt ſine materia, & compoſito: tamen non valet dicere, forma ſubſtantialis non manet per ſe ſolum conſiderata, ergo eſt ens rationis; *1.* inſuper oſtendimus in quæſtione de eſſe, & eſſentia, *2.* quod exiſtentia eſt compoſiti ſiue naturæ communis, & materiæ per ſe, & forma per ſe exiſtit, quia ſunt extra ſuas cauſas realiter. Præterea, ſequeretur, quod ſecundæ ſubſtantiæ non eſſent entia realia, vt *3.* animal, corpus animatum, & cætera; ergo eſſent entia rationis: & quia ſecundæ ſubſtantiæ ſunt communes, & dum animal definitur, non definiretur ens reale, ſed ens rationis, & paſſio animalis, vt eſſe ſenſibile, non eſſet paſſio propria entis realis, ſed entis rationis; vel ſi entis realis, eſſet paſſio propria huius indiuidui, quod eſt ridiculum; quia quæ ſunt propria entis particularis, non poſſunt competere pluribus: ſic diſcurre per reliqua. Præterea, *Alia rō Scoti confirmatur.* certum eſt quod Socrates eſt magis vnū cum Antonio, quàm cum hoc equo; quæro, quæ vnitas ſit iſta: ſi dicas, rationis: Contra: quia ceſſante operatione cuiuſcumque intellectus, Socrates eſt magis vnum cum Antonio, quàm cum hoc equo, ergo hęc vnitas præcedit operationē intellectus, ſed hęc vnitas eſt vnitas naturę ſpecificæ, ergo natura ſpecifica eſt quid reale ex parte rei; ſi dicas, quòd eſt realis, habeo intentum. Fortaſſe quis dicet Socrates, & Antonius non ſunt vnum realiter per aliquam naturam cōmunem realem, ſed per propriam naturam particularem, quam habent. Contra hoc nihil eſt: quia per naturam particularem ſunt diuerſa numero, non ergo per eandem

poſſunt

poſſunt eſſe vnum; neceſſe eſt ergo quod in eis ſit aliqua entitas communis, per quam ſunt vnum, quia vnitas ſequitur entitatem, vt etiam ipſi fatentur.

Præterea, nemo negabit, Socratem eſſe magis ſimilem Antonio, quam huic equo, & hæc ſimilitudo eſt ex parte rei præter opus noſtri intellectus; ſimilitudo ex Ariſt. 5. Metaph. tex. 20. eſt Relatio, quæ fundatur ſuper vnitate, hæ enim tres relationes Identitas, Similitudo, & Aequalitas, fundantur ſuper vnum, hæc ergo ſimilitudo Socratis, & Antonij fundatur ſuper vnũ; ſed hoc vnũ eſt quid reale, quia hæc ſimilitudo eſt realis, & conſequenter ens reale, ens autem reale, non fundatur ſuper ẽte rationis, ergo hæc vnitas eſt realis, cui reſpondet propria entitas non eſt entitas indiuidualis, quia in tali entitate non fundatur relatio illa ſimilitudinis, ſed potio relatio diuerſitatis, quia per entitatem numeralẽ differũt, ergo eſt entitas naturæ communis diuerſa ab entitate particularis; & hæc ratio magis valet in propoſito: quia Socrates, & Antonius non propriè ſunt ſimiles: quia ſimilitudo fundatur in Qualitate: at iſta duo indiuidua nedũ ſimilia ſunt in Qualitatib. ſed in Subſtantia, ſimilitudo autem Subſtantiæ eſt propriè identitas, quæ ſimiliter fundatur in vno, vt ibidem ait Ariſtoteles. Conueniũt ergo in aliqua vna ſubſtãtia, hæc nõ eſt particularis, vt patet, & eſt etiam declaratum, ergo eſt ſubſtantia communis.

Per has rationes patet, quod reſponſio Suarez ad rationes Scoti nulla eſt, probãt enim, vt viſum eſt, naturam communem habere propriam entitatem diſtinctam à parte rei, ab entitate indiuiduali, & habere propriam vnitatem formalem realem diſtinctam ab vnitate numerali, & ideò non eſt amplius circa hoc laborandum, argumenta ſunt fortiſſima, neque ex dictis Caietani vel aliorum, aliæ reſponſiones adaptari poſſunt, quam prædictę, quæ quam falſæ ſint, ex dictis patet.

Ad rõnes ad uerſariys. Pro ſolutione rationum Aduerſariorũ in hac quæſtione de entitate reali naturæ: Notandum eſt, quod aduerſariorum fundamentum totum eſt hoc, quod quia natura communis, vt ſic conſiderata, non exiſtit per ſe, ſed ſolum in ſuis indiuiduis, ideo non poſsunt capere, quomodo poſſit dici vna vnitatẽ reali, & habere eſſe reale extra ſuas cauſas. Ideo notanda eſt diſtinctio per quam notificatur cauſa eorum ignorationis, & eorum obiectiones ſoluuntur.

Diſtinctio eſt hæc, aliud eſt aliquid prę ſcindere ab entitate alicuius alterius, & aliud eſt præſcindere ab exiſtentia illius, poteſt enim eſse quòd aliquid præſcindat ab entitate alicuius, & tamen non præſcindat ab exiſtentia illius, ideſt poteſt eſse, quod aliquid habeat entitatem propriam ſeiũctam ab entitate alicuius, & tamen non poſſit exiſtere ſine exiſtentia illius (non quod non habeat propriã exiſtentiam: quia omne ens reale habet propriam exiſtentiam: ſed propter ordinem vniuerſi, non poſsunt ſeiunctim exiſtere) exempli gratia; forma non poteſt exiſtere ſine materia in rerum natura, tamen entitas formæ eſt alia entitas ex natura rei, & realiter diſtincta ab entitate materiæ, & hoc aduerſarij non negarent; vnde ſimili argumentatione poſsumus eorum errorem detegere, ſi quis ita argumentaretur, forma, non poteſt exiſtere per ſe in rerum natura, vt præſcindit à materia, ergo forma non eſt entitas præſciſa, & diſtincta ex natura rei à materia; quis non videt hanc conſequutionem eſſe ridiculam? at ita in propoſito arguunt Aduerſarij; Natura communis non poteſt ſe ſola exiſtere in rerum natura, ſed ſolum exiſtit in ſuis ſingularibus, ergo natura communis non eſt entitas diſtincta, & præciſa ex natura rei à ſuis ſingularibus, ecce, quòd eſt ſimilis argumentatio, ad quam eodem modo reſpõdemus: quia non valet arguere a non præciſione exiſtentiæ ad non præciſionem entitatis, ſicuti ergo forma eſt entitas realis ex natura rei diſtincta à materia, licet non poſſit per ſe exiſtere, ſed ſemper exiſtat in materia, ita natura communis eſt entitas realis ex natura rei præcedens operationem intellectus, diſtincta ab entitate indiuiduali, licet actu exiſtere non poſſit, niſi in omnibus ſuis ſingularibus. Sed dicet aliquis, manet diuiſa, ergo non eſt vna realiter: quia eſt diuiſa realiter, dico, quod non eſt vna numero, quia numero eſt diuiſa,

ſed eſt vna ſpecie, quæ vnitas realis eſt minor vnitate numerali: vnde Socrates, & Antonius ſunt magis vnum ex parte rei, quàm Socrates, & hic lapis; & quia Aduerſarij vident illam naturam non eſſe vnam numero, putant nullo modo ex parte rei eſſe vnam, ſed decipiuntur: quia & vnitas ſpecifica, & generica ſunt vnitates reales, vt probant argumenta adducta: ſed mininores vnitate numerali.

Ad duo argu. Suarez. Per hæc patet ad duo prima argumẽta Suarez: quia falſum eſt, quòd non detur natura communis realis exiſtens præciſa a ſingularibus, licet non exiſtat ſeiuncta a ſingularibus, vt dictum eſt. *Ad 3.* Ad tertium negatur Maior: quia Deus non poteſt ſeparare riſibilitatem ab homine, & tamen riſibilitas, & homo ex natura rei, & non per intellectum diſtinguuntur.

Ad fundamenta Caietani in quibus dicit patere quid ſit dicendum ad argumẽta Scoti, dico ad Primum, quòd reuera Scotus accipit naturam ſolitariè, ſine ſuis indiuiduis, ſub proprio conceptu naturæ, & hanc non ſolum dicit eſſe realem: ſed probat, & rationibus Scoti nihil reſpondetur, vt viſum eſt.

Ad 2. Ad ſecundũ dico, quòd Scotus non arguit à propoſitione negatiua ad propoſitionem affirmatiuam de prædicato infinito: ſed à negatione vnius contrarij ad affirmationem ſui contrarij, quæ conſequentia ex Ariſt. c. de Oppoſitis, eſt validiſſima, quando contraria non habent medium, vt ſi dicam, numerus binarius non eſt impar, ergo eſt par, eſt bona Conſequentia: quia inter hæc contraria non datur medium. Ita pariter dicens natura non eſt de ſe hęc, & particularis, ergo eſt communis, eſt bona Conſequentia: quia inter eſse particulare, & vniuerſale, nullum eſt medium, & hoc pacto procedunt argumenta Scoti: multa enim procedunt oſtendendo, quod natura ſit entitas vna communis, & ſic concludunt, quod non ſit vna vnitate particulari, & alia oſtendunt, quod non ſit vna vnitate numerali, & ſic concludunt, quod eſt vna vnitate communi. *Ad 1. rõnẽ Caie.* Ad rationes Caietani; Ad primam negatur maior; Ad probationem dico, quod non dicit Scotus, quòd natura humana ſit per ſe exiſtens, ſiue ſit ſubſiſtens extra ſingularia: quia ſic eſſet idea Platonis: ſed ait, quòd natura communis cõſiderata in ſeipſa, abſque ſingularibus, eſt realis: quia non eſt quid pure ab intellectu effectum, ſed habet entitatem realem ex ſe exiſtentem, hęc tamen exiſtentia non eſt ſeiuncta a ſubſiſtentia ſingularium, ſed ſimul ſunt, & ita coexiſtunt: quia natura communis exiſtit diuiſa in ſingularibus.

Per idem patet ad ſecundum: negamus enim Maiorem, quia natura communis, licet non ſubſiſtat, tamen exiſtit, vt dictũ eſt in ſingularibus: quia omne illud exiſtit, quod habet eſſe, præter opus intellectus, ſic eſt talis natura communis. *Ad 2.*

Ad tertium dico, quòd peccat per fallaciam: nam fit tranſitus à prædicatis primæ intentionis, ad prædicata ſecundæ intentionis, & eſt ac ſi dicat: Omne quod competit animali, competit ſpecieb. animalis, vt Homini, Leoni, &c. at animali cõpetit hoc prædicatum genus, ergo debet competere homini; tamẽ eſt falſum: quia homo, non eſt genus: ita cum dicit, naturæ competit hoc Prædicatum cõmunis, ergo debet competere ſingularibus, dico, quòd non valet, quia fit tranſitus à Prædicatis primæ intentionis ad Prædicata ſecundæ intentionis, valet autem illa regula tantum ſtando in Prædicatis primæ intentioeis, non in Prædicatis ſecundæ intentionis. *Ad 3.*

Sed aliquis cõtra hanc ſolutionem arguet. Si hæc ſolutio eſt vera, ſequitur, qđ ſi ratio Caiet. non concludit, nec concludet ratio Scoti in 2. Sent. d. 3. q. 1. ad principale in oppoſitum, qua probat, ꝙ ſubſtantia materialis non ſit de ſe hæc, & indiuidua, arguit enim ſic. Quidquid ineſt alicui ex natura ſua per ſe, ineſt ei; in quocumque ſit: igitur ſi natura lapidis, de ſe eſt hæc, in quocumque eſt natura lapidis, iſta natura eſſet hic lapis. Conſequens eſt abſurdum, loquendo de ſingularitate determinata, de qua eſt quæſtio. Sed ratio illa Scoti valet, ergo & ratio Caietani.

Reſpondetur, non eſſe eandem argumentationem Doctoris noſtri, & Caietani, neque Maiorem eſſe eandem, ſimiliter nec Minorem: nam Maior Caiet. eſt hæc. Quòd de ſe competit ſuperiori, per ſe com-

ſe competit, ſiue prædicetur de inferiori contento ſub eo; vndè ſubinfert: ſed per te eſſe commune competit per ſe naturæ communi, ergo debet competere quoque omnibus contentis ſub ſe: ſed ſuppoſitum continetur ſub natura communi, ergo cō mune debet prædicari, & ineſſe ſuppoſito particulari, quod eſt abſurdum. At Scoti maior eſt hæc. Quidquid ineſt alicui ex natura ſua per ſe, ineſt ei in quocumque ſit. Vide quam diuerſa ſit hæc Maior ab illa Caietani, illa dicit, quod ineſt per ſe naturæ, ineſt ſuis inferioribus; hæc ait, quod ineſt naturæ per ſe, ineſt eidem naturæ in quocumque ſit. Vndè infert Scotus Conſequentiam hanc: ergo ſi natura lapidis eſt de ſe hæc, in quocumque erit lapidis natura, illa natura erit de ſe hæc, & ſic illa natura eſſet hic lapis, quod bene ſequitur: quia ſolū ſingulare eſt de ſe hoc. Conſequens autem illud eſt falſum, ideo & antecedens, ſcilicet, quod natura ſit de ſe hæc. Non eſt ergo eadem ratio Caietani, & Scoti, & illa Scoti concludit, non illa Caietani: quia maior illa Caietani non eſt vera, niſi in Prædicatis primę intentionis, non in Prędicatis ſecūdę intentionis. Quod ſi quis illam rationem Scoti retorqueat contra nos, ſic arguendo; Quod cōpetit alicui naturę ſecundum ſe, illud ei ineſt in quocumqae ſit: ſed eſſe commune per ſe ineſt naturæ, ergo ineſt ei in quo cumque ſit: ſed natura eſt in ſingulari, ergo ſingulare erit commune; tunc aſſumptum in ſubſyllogiſmo eſt diſtinguendū: quod natura duobus modis conſiderari poteſt. Vno modo vt natura; alio modo, vt hæc natura, vt natura eſt communis, vt hæc natura, ſiue vt contracta, non eſt cōmunis. Ad propoſitum non dicit Scotus, quod eſſe commune inſit naturæ ſecundum ſe abſolutè, & quomodocumque cōſideratæ; ſed inquit quod ineſt ei in ſe conſideratæ abſolutè, vt eſt indifferens ad eſſe vniuerſale actu, & eſſe ſingulare actu: at quando eſt in ſingulari, non eſt ibi ſecundum hanc indifferentiam: ſed vt eſt contracta per differentiam indiuidualē. Vndè Maior Scoti debet intelligi cū hac gloſſa, quod ineſt alicui abſolutè ſecundum ſe, & quomodocumque conſiderato, non eſt ab eo inſeparabile, & ineſt ei in quocumque eſt: Aduerſarij autem illi, quos Scotus ibi impugnat, dicebant, quod natura ſecundum ſe, abſolutè, & quomodocumque conſiderata, eſt de ſe hæc, & proindè bene concludit aduerſus illos, quòd natura in lapide erit hic lapis, non autem valet contra nos, quia dicimus illud Prædicatum commune in eſſe naturæ conſideratæ præciſè in eſſe ſuo formali, & indifferenti vt natura eſt, non vt eſt contracta ad ſingularitatem. Ad rationem Buccaferrei dico, quod nullius eſt momenti, propterea quod apparet euidens neceſſitate admittendi naturam cōmunē realem, vt patet ex dictis in explicatione opinionis Scoti, & in ſolutione rationum Aduerſariorum. *Ad rōnē Buco.*

Reſponſiones Zimaræ ad rationes Scoti, & earumdem confutatio. Cap. II.

ZImara in annotationibus ſuper Iandunum libro ſecundo Met. q. 2. errore ſecundo, ſoluit multas rationes Scoti factas in hac materia, & primo nititur ſoluere rationem illam, qua Scotus probat dari in rerum natura vnitatem realem minorem vnitate numerali, quæ innitebatur auctoritate Ariſt. *In omni genere datur vnum, quod eſt metrum & menſura omnium*, &c. Reſpondet Zimara, quod hæc ratio petit principium: quia ſupponit illud quod debet probare, ſupponit enim, quod menſurata in aliquo genere ſint realia, & realiter menſurata; at hoc eſt quod eſt in controuerſia: quia vel ſunt realia realitate ſingulari, & hoc eſt contra Scotum; vel realitate diſtincta à ſingularitate, & hoc erat probandum, ergo petit. Vnde reſpondet, quòd illa menſurata ſunt realia, ſed realitate ſingulari, non realitate, diſtincta a ſingulari, quia vniuerſalitas eſt ab intellectu agente, nedum quo ad eſſe cognitum, ſed quo ad eſſe in multis, & dici de multis: itaque vniuerſalitas vniuerſaliter eſt ab intellectu, licet fundamentaliter ſit extra rem, ſcilicet, in ſingularibus. *Ad 1.*

Contra hanc reſponſionē probo, quòd Scoti ratio non petat, ſed ſit efficaciſſima. ratio Scoti innititur auctoritati Ariſt. & nihil ſupponit, niſi auctoritatem Ariſtot. videa- *Reijcitur.*

videamus ſenſum illius auctoritatis, & erit clara ratio Scoti. Ait Ariſtot. in vnoquoque genere eſt vnum, quod eſt metrum & menſura omnium. Scotus dicit, quòd hæc menſura eſt realis, & communis: tu dicis, quòd eſt rationis; videamus, vtrum horum ſit verum. Ariſtot. autem habet hanc propoſitionem in 2. Metaph. tex. 2. circa medium, vbi inquit, quòd illud, quod eſt primum in vnoquoque genere, ideò eſt primum, quia eſt menſura, & metrum aliorum in eo genere, & hoc maximè competit generi quantitatis, vnde ab ipſa deſcendit ad alia genera, quia in quantitate primum eſt vnitas, & eſt propter hoc primum, quia eſt metrum, & menſura aliarum quantitatum, quia quantitas cognoſcitur per menſuram, & metrum, quæ eſt ſibi propria: hæc autem menſura eſt vnitas, vnde per vnitates, ex quibus numerus cognoſcitur quanta ſit quantitas. Hæc profectò dicit Ariſt. ibi, ex quo poſtea etiam in alijs generibus per ſimilitudinem datur vnum, quod eſt metrum, & menſura omnium in ſuo genere, ſicut vnitas in quãtitate, illud primum autem eſt id, quod eſt primum in quocũque genere; modo quæro à te, per vnitatem ibi intelligit ne vnitatem, quæ eſt ſingulare, vel vnitatem, quæ eſt ſpecies numeri, & principium numeri ſecundum eſſe ſpecificum? Certè dicere, quòd ibi intelligit de vnitate numerali, eſt deſtruere textum: quia eſſe menſuram, & metrum generis quantitatis, non competit vni indiuiduo, ſed ſpeciei primæ, quæ eſt illius generis, & hoc eſt, quod ipſe Ariſt. explicat: ſi enim intelligeret, quòd vnitas hæc, id eſt vnum indiuiduũ, vnitatis eſſet metrum, non poſſet competere alteri vnitati: quia quod competit vni indiuiduo ſolum, non poteſt alteri competere; ſi autem competit alteri vnitati, & omni vnitati numerali, hoc eſt, quia competit vnitati ſpecificæ, in qua conueniunt, ergo intelligit vnitatem, quæ eſt ſpecies; tunc ſic quæro, an mẽſuret realiter, ſi dicas, quòd non, ergo dum dicimus, hic numerus binarius eſt par, & ternarius eſt impar, non erit verum ex parte rei, quia numerus, & vnitas non menſurat realiter, quod tamẽ eſt ridiculum dictu; ergo dicẽdum, quod menſurat realiter, ſi ſic, ergo eſt menſura realis; quia menſura rationis non menſurat ex parte rei, ſed ſolum per intellectũ, ſi eſt menſura realis, ergo vnitas ſpecifica eſt realis. Quòd dixi de vnitate, dico de cæteris, quæ ſunt menſura, & metrum omnium.

Ad ſecundam rationem Reſpondent, quòd verum eſt, quod comparatio ſit in ſpecie atoma, ſed non tamen propter hoc ſequitur, quod detur aliqua vnitas extra animam realis, correſpondens huic naturæ, in qua ſit comparatio, ſed ſolum illa vnitas eſt ab intellectu, vt dictum eſt. *Ad 2.*

Contra hanc reſponſionem eſt clarè ipſemet text. & ratio Scoti non indiget adiutorio: nam ratio propter quam Ariſtot. ait comparationem fieri in ſpecie Atoma, eſt, quia illa eſt maximè vniuoca, genus autem non eſt ita vniuocum, quia alibi dixit in genere, multæ latent æquiuocationes, ſi ergo entitas ſpecifica eſt vniuoca, & propriè vniuoca, debet eſſe realis, ita quòd debet includi in ſuis inferioribus, nedum quo ad nomen, & quo ad conceptum ſolum formatum ab intellectu, ſed quo ad ſubſtantiam, & realitatem, vnde vniuoca definiuntur eſſe illa, quorum nomen, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eſt in ſuis inferioribus, ergo homo non eſt ſolum in ſuis inferioribus quo ad nomen, & quo ad intellectum, ſed quo ad rem, ergo homo in ſe eſt aliqua res, præter intellectus operationem: non enim conceptus rei eſt vniuocus propter operationem intellectus: ſed ex parte rei ante omnem operationẽ intellectus, quia conceptus ſequitur rem, & ſicut res ſunt naturales, ita conceptus eiſdem reſpondent ex natura rei. Vnde dicebat Ariſtot. in primo Perihermenias, quod res, & conceptus, ſunt ijdem apud omnes gentes, ſicuti voces, & literę ſunt ad placitum, in hoc eſt vis rationis Scoti. *reÿc.*

Ad tertiam rationem reſpondet, quòd illæ relationes, idem ſimile, & æquale nõ fundantur ſub aliqua vnitate reali minore vnitate numerali, ſed ſolum vnitas illa eſt vnitas rationis fundata ſuper vnitatẽ numeralem particularem, quæ eſt potentialis, à qua intellectus accipit vnitatem ſpecificam, ipſam conficiendo. Vnde illa *Ad 3.*

æqualitas,& ſimilitudo non fundatur ſuper aliqua vnitate reali actuali,ſed ſolum rationis, quæ fundamentaliter eſt realis.
Reÿcitur. Hæc ſolutio non eſt ad argumentum Scoti, quia Scotus illam directè impugnat: probat enim quòd illa vnitas ſpecifica ſuper quam fundatur ęqualitas,& ſimilitudo, eſt realis formaliter; per hoc medium; quia illæ relationes ſunt reales, vt patet,ſunt enim præter opus intellectus: at relatio realis debet habere fundamentum reale,alioquin nō erit realis relatio, ſed rationis, ergo vnitas illa ſuper quam fundatur,debet eſſe realis quod patet clarè intuenti has relationes; Si duo dicuntur æquales in magnitudine, oportet, quod nedum illa duo ſint realia, ſed oportet, quod magnitudo vtriuſque conueniat in aliqua vnitate reali,vt in bicubitalitate,vel tricubitalitate,& hęc bicubitalitas eſt vnitas quędam realis formaliter, alioquin illa duo non eſſent vtrumque bicubitum, ſi illa vnitas bicubitalis non eſſet realis; nec ipſa ęqualitas eſſet ęqualitas realis; & hoc valet de vnitate actuali: quia per actualem vnitatem ſunt ęqualia;Similiter identitas, illa enim dicuntur idem albedine,quæ habent eādem vnam albedinem re, quia ſi haberent diuerſam ex parte rei, iam non eſſent vnum albedine,quæ ſunt idem entitate,habent vnam entitatem,ergo illa entitas,eſt vna in illis, & vna realiter, ſi ſint entia realia, & tamen non eſt numeralis; quia per illam ſunt duo,nec poſſent dici idem,quia identitas eſt relatio,quę requirit extrema realiter diſtincta. Clarum eſt ergo quòd argumentum Scoti probat illam vnitatem, ſuper quam fundatur identitas, & cætera,eſſe realem.

Ad 4. Ad quartum reſpondet per idem fundamentum, ſcilicet, quòd talis vnitas eſt rationis: non realis. Per hoc idem fundamentum ad ſextum.
Ad 6. Sed nota quòd neceſſariò cogente ratione concedit quòd natura communis eſt realis,ſed addit, quòd illa realitas nil aliud eſt,niſi ipſum ſingulare: quia illa vnitas non diſtinguitur à ſingulari,ſed eſt ipſum ſingulare,vnde videtur exiſtimare.Scotum putaſſe quod illa natura habeat eſſe extra ſua ſingularia, quemadmodum dicebat Plato: ſed iam dixi, quòd non ſic exiſtimauit Scotus,neque hoc ſomniauit,vt patet ex eius dictis:ſed quęrit de illa natura,quæ eſt in Socrate, vt de illa humanitate Socratis, de animalitate,de huiuſmodi, num ſit illamet,quę eſt Socrateitas,Platoneitas, & huiuſmodi, & ſolum diſtincta per intellectum, vel potius ſit entitas realiter diſtincta à Socrateitate,licet non exiſtat per ſe,ſed ſolum in Socrateitate.

Vnde ſi dicas primū Antonius,& Franciſcus erunt idem ratione,non aliqua natura reali, quę eſt humanitas, ſed ſolum per rationem, & ex parte rei nullam realem communitatem habebunt;immò ille conceptus, homo animal, erit conceptus rationis, non realis, & ſic Ens rationis erit vniuocum enti reali,ſcilicet Socrati, & Platoni, quę omnia quàm abſurda ſint,nemo eſt qui non videat. Scotus autem ſuſtinet ſecundam partem.

Ad quintam rationem vide propriam diſputationem de ſenſu,an ſentiat ſingulare ſub ratione ſingularitatis,in quęſtionibus Metaphyſicę,primo lib. Vide Theoremate 87. *Ad 5.*

THEOREMA XCIV.

Ens dicit vnum conceptum formalem ex parte rei pręciſum à ſuis inferioribus.

Exponitur, & comprobatur propoſitum Theorema. Caput primum.

DE conceptu Entis eſt non parua diſſenſio inter Metaphyſicos; & quia maximè neceſſaria pro diſputationibus futuris, ideò eſt explicanda. Notandum eſt ergo, quòd duplex eſt conceptus, (vt omnes ferè fatentur.) Alius dicitur formalis;alius obiectiuus: Formalis conceptus eſt conceptio ipſa intellectus alicuius rei; conceptus obiectiuus eſt res ipſa,quę cōcipitur ab intellectu, quatenus obijcitur ipſi intellectui;vt conceptus hominis formalis eſt intellectio ipſa hominis in intellectu meo; conceptus obiectiuus eſt homo ipſe intellectus, & repręſentatus illo actu intellectionis. In propoſito dubium eſt, an ens habeat vnum conceptum formalem, *Dub. Aliquo ū opin*

malem, & aliqui videntur dicere, quod non habeat vnum cōceptum formalem, vt ſunt illi, qui volunt ens eſse non vniuocū, ſed analogum. Iſti enim volunt, quòd ſicut Ens eſt analogum, & nō vniuocum, ita non poſſit parere conceptum realem per ſe vnum diſtinctum, & præciſum à ſuis inferioribus, ſed conceptus eius ſit multiplex, licet per proportionem, & ſimilitudinem videatur vnus, vt ridens, ſi concipiatur, vt eſt commune ad hominē, & pratum, non poteſt concipi vnus, quia res ſignificata non eſt vna, ſed plures, & ſi concipiatur, vt competit vni ſolum, vt puta homini, tunc poſtea non conſideratur ſecundum totam ſuam communitatem.

Refu-ſitur. Sed hæc opinio a nonnullis iure confutatur: quia nos in præſenti conſideramus Ens, vt Ens eſt, id eſt hanc vocem Ens, & quærimus an ei competat vnus proprius conceptus, non autem cōſideramus Ens, vt extenditur ad res, quæ ſub ipſo ſunt, ſicut cum quærimus conceptum animalis, conſideramus animal, vt abſtrahit à ſuis inferioribus, & eſt in ſe quid vnum, & dicimus, quòd habet proprium cōceptum diſtinctum à ſuis inferioribus, non autem conſideramus animal, vt eſt in ſuis inferioribus participatum, quia ſic non eſt vnum, neque habet vnum conceptum; quòd autem huic nomini enti vt ens eſt, competat vnus conceptus proprius formalis, patet experientia, audito enim nomine entis, experimur mentem noſtram non diſtrahi, neque diuidi in plures conceptus, ſed potius colligi ad vnum, ſicut cum concipit hominem, animal, & ſimilia, experimur etiam nos intelligere per Ens conceptum quendam, qui eſt diuerſus ab omnibus conceptibus ſuorum inferiorum, vt a Subſtantia, Accidente, &c. ergo eſt vnus conceptus in ſe diuerſus ab alijs, quòd autem aduerſarij negant Ens importare vnum conceptum per ſe diſtinctum ab alijs, nihil eſt, quia à ſimili nos poſſemus negare animal importare vnum conceptum per ſe, quia animal eſt quid diuiſum in plures ſpecies animaliū, vt eſt homo, equus, leo, quæ ſunt multum diuerſæ.

De cō-ceptu De conceptu obiectiuo conſequenter dicitur, qui enim negant ens habere vnū conceptum formalem, negant illud quoque habere conceptum per ſe vnum obiectalem formali reſpondente, è conuerſo qui aſſerunt ens habere vnum conceptum formalem, dicunt habere conceptum obiectalem illi reſpondentem, licet in hoc poſtea varij varia dicant, quæ potius obſcurant huius difficultatis intelligentiam, quam vllo pacto illuſtrent. *obiectiuo entis*

Dicimus ergo, quòd Enti reſpondet conceptus obiectiuus, qui non dicit Deū, nec Creaturam, nec ſubſtantiam, nec accidens, ex ſe, & expreſsè, ſed conceptum vnum communem omnibus his. Immò amplius addimus, quòd hic conceptus obiectiuus ex parte rei eſt præciſus ante operationem intellectus à ſuis inferioribus, quia cum dicimus ens, intelligimus rem, & conceptum, qui ceſſante omni operatione intellectus non eſt ſubſtantia, nec accidens ex preſsè, ſed quid illis communius. *Opin. pro-pria.*

Ratio-nes ī oppoſi-tum. Sed contra hanc ſententiam inſurgunt omnes negantes vniuocationem entis, & multi alij eandem ſtatuentes, vt ſunt illi, qui negant naturam communem habere aliquam realitatem per ſe diſtinctam à ſingularibus.

Sua-rez. Vnde Suarez in ſua Metaph. tomo primo, diſputatione ſecunda, ſectione tertia, licet ſuſtineat ens habere proprium conceptum formalem diſtinctum à conceptibus ſuorum inferiorum, tamen negat huiuſmodi conceptum ex natura rei, ſiue ante operationem intellectus eſſe diſtinctū à conceptibus ſuorum inferiorum, ſed vult ex parte rei eſſe idem cum illis, & ſolum ratione diſtingui, neque vult conceptum obiectalem, ſiue obiectiuum eſſe ens extra animam poſitiuum, ſed eſſe ens rationis: quia entia rationis ſunt obiectū intellectus, & negationes, & priuationes, quæ non ſunt entia poſitiua. Quod autem entis conceptus obiectiuus in re ipſa ante intellectum, non ſit aliquo modo diſtinctus, vel præciſus ab inferioribus, probat.

1. rō. Primò ſic. Si ens in communi, & ſubſtantia, quæ eſt inferior ex natura rei diſtinguuntur, vel ſe habent, vt totum, & pars, ſeu, vt includens, & incluſum, vel omnino, vt contradiſtincta, ſed neutro

modo

modo ſe habere poſſunt, ergo.

Non ſecundo modo: quia hoc nemo dicit, & apertè eſt falſum; quia tunc ſubſtantia præcisè in ſe accepta, non includeret ens, quia ab illo contradiſtingueretur: at clarum eſt, quod ens includitur in conceptu eſſentiali ſubſtantiæ: nec primum, quia ſi ens eſt totum, & ſubſtantia eſt pars: tunc ſubſtantia poſſet reſolui in duos conceptus ex natura rei diſtinctos. Conſequentia eſt clara: quia conſtaret ex potentia, & actu, vt ex conceptu contracto, & contrahente. Falſitas conſequentis probatur ex parte entis, & modi contrahentis. Ex parte entis probatur: quia ſi conceptus entis ex parte rei eſt diſtinctus à modo, quo contrahitur ad ſubſtantiam: quæro quale ens ſit illud, quod intelligitur manere præciſo, & ablato illo modo contrahente; aut enim eſt commune abſtractum à ſingularibus omnibus, aut ens determinatum, & ſingulare. Non primo modo, quia tunc daretur vniuerſale per ſe exiſtens in re ipſa vniuerſaliter, quòd repugnat: quia omne ens per ſe exiſtens, eſt ſingulare; ſi ſecundo modo, ſequitur, quod conceptus ille entis in communi ex parte rei, non eſt diſtinctus à ſingulari, & à ſuo inferiori, ſed eſt idem, & ſic non eſt opus quod ad hoc, vt conceptus, entis in communi determinetur ad tale ens, inter ea diſtinctio ex natura rei fingatur.

Secundo id oſtenditur ex parte modi contractiui entis; vel enim in illo includitur ens, vel non: ſi non, nihil eſt, ergo ſubſtantia nihil addit ſuprà ens, ergo non diſtinguit, nec contrahit: quia quod nihil eſt, hæc munera obire nõ poteſt; ſi autem includitur, de illo modo redit quæſtio, an diſtinguatur ex natura rei, ab ente in cõmuni, vel non. Si non, idem poteſt dici de ſubſtantia; ſi ſic, iterum, ille modus poterit reſolui in duos conceptus ex natura rei diſtinctos, vt dictum eſt de ente in communi, & ſic dabitur proceſſus in infinitum. Vel formatur ratio ſic breuius, & clarius. Si Ens & Subſtantia diſtinguuntur, vel diſtinguuntur vt omninò contradiſtincta, vel vt includens, & incluſum; non primum: quia tunc ſubſtantia non eſſet ens vt dictum eſt. Nec ſecundum; quia tunc ſubſtantia poſſet reſolui in duos conceptus diſtinctos ex natura rei, quorum vnus eſſet contrahens, ſcilicet ratio ſubſtantiæ, & alius contractus, ſcilicet ratio entis: hoc autem eſt falſum. Probatur tam ex parte Entis, quàm Subſtantiæ, qui eſt modus contrahens. Ex parte Entis ſic, nam tunc ens vt præſcindit à ſubſtantia, vel eſt ens in communi, vel ens particulare, non primum, quia tale ens eſt nihil reale. Præterea cum reperiatur in qualibet ſubſtantia particulari, eſt quid ſingulare non quid vniuerſale: ergo eſt ens particulare; tunc quæro an in eo ſit diſtinctio ex natura rei inter rationem entis in communi, & tale ens, vel non; Si primum, ergo ille conceptus entis particularis, eſt diuiſibilis in duos conceptus diſtinctos ex natura rei, & ſic erit proceſſus in infinitum. Si non, ergo à ſimili modo eſt neceſſarium dicere, quod ratio entis in communi diſtinguatur ex natura rei à ratione ſubſtantiæ, quæ eſt modus contrahens.

Secundo principaliter. Conceptus entis in communi præſcindit nedum à Creaturis, ſed etiam à Deo: ſed in Deo non diſtinguitur conceptus entis in communi ab ente infinito, ergo neque in cæteris entibus. Maior patet ex dictis. Minor probatur, quia tunc ſequeretur, quod Deus eſſet compoſitus ex duobus, ex natura rei diſtinctis. Præterea, ſequeretur, quod in re daretur aliqua ratio prior ipſo Deo, quod eſt falſum; quia Deus eſt primum ens duratione, perfectione, & natura. 2.

Tertio, Sola diſtinctio conceptuum noſtrorum, quibus aliquid concipimus per modum communis, & particularis, non indicant ſufficienter diſtinctionem ex natura rei in re concepta. Ergo neque illam indicant in conceptu entis reſpectu inferiorum, ergo nulla eſt talis diſtinctio. Vltima conſequentia patet: quia nulla diſtinctio eſt ponenda ſine neceſſitate. Prima conſequentia patet etiam, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de altero. Primum verò antecedens probatur primo in diuinis. 3.

Nam conceptus perſonę diuinę cõmunis eſt tribus diuinis perſonis, & tamen in vna-

in vnaquaque ratio perſonæ diſtinguitur non ex natura rei,ſed ratione ſolum.Probatur etiam in cōmunibus Deo, & Creaturis, vt patet de ente, ens enim in Deo non diſtinguitur ex natura rei ab ente infinito,ſic ſapientia increata in Deo, & ſapientia in communi, non diſtinguuntur ex natura rei, alioquin ibi non eſſet ſumma ſimplicitas,neque ſapientia creata,& ſapiētia in communi ex natura rei diſtinguuntur, quia deberet dari ratio ſapientiæ in communi à parte rei diſtincta à ſapientia creata,& increata,quod eſt abſurdum,quia quidquid eſt in ſapientia creata,illud totum eſt creatum, & ſic ſapientia creata non poteſt conſtare ex aliquo communi ſapientiæ increatæ, quia illud eſſet increatum.

Probatur ex rationibus communibus ſolis rebus creatis;quia vniuerſale non dicit naturam vnam realem diſtinctam ex natura rei à particularibus, vt ſuo loco patebit; & probatur ratione: quia conceptus ſuperiores, & inferiores poſsunt variari infinitis modis pro ſubtilitate intellectus noſtri,& modo concipiendi noſtro ſuppoſito aliquo modo ſimilitudinis conuenientiæ,aut eminentiæ ipſarum rerum, alioquin ſi requireretur ad has diſtinctiones formandas diſtinctio ex natura rei in re,ſequeretur,quòd in quacumque re eſſent infiniti modi diſtincti ex natura rei, quibus in ſe conſtituatur, & ab alijs plenè diſtinguatur.Quod cōfirmatur exemplo; Lumen ſolis habet virtutem illuminandi, & exſiccandi, ab ea virtute poteſt intellectus varios conceptus abſtrahere, quos omnes exiſtimare ex natura rei diſtinctos, friuolum eſt, & ſine fundamento.

Reÿcitur. Pro impugnanda hac opinione non eſt opus iacere alia fundamenta, quam ea, quæ iecimus Theoremate, quòd natura communis habet eſſe reale præter opus intellectus, & propriam vnitatem; ideo rationes ſunt ex eo petendæ, declaratur enim ibi, quomodo vniuerſaliter natura communis ſit ex parte rei diſtincta à ſingularibus,& ſic valet etiam in propoſito; ẽns enim in communi eſt entitas,& natura communis non Phyſica, ſed Metaphyſica realis, diſtincta à ſuis inferioribus, vt à Subſtantia, & Accidente, præter opus rationis, propter eandem rationem; licet aliquo modo differat; quia ens eſt quid tranſcendens;ibi autem præſertim eſt ſermo de natura ſpecifica, & generica, quæ ſunt limitata. Pro nunc ſufficiat hæc ratio; Quòd ſi vniuerſalia, & naturæ communes, de quibus ſunt ſcientiæ reales, vt Metaphyſica,& Phyſica,non ſint entia diſtincta à particularibus, quo ad entitatem, licet non quo ad exiſtentiam, ſequitur hoc abſurdum,quod nulla erit differentia inter Vniuerſalia, quæ dicuntur entia rationis,& conſiderantur à Logica, vt eſt Genus,Species,& cætera, & inter vniuerſalia iſta realia; Falſitas conſequentis eſt clara,& conceſſa communiter.Conſequentia probatur: quia entia rationis formantur ab intellectu fundamento reperto in re,vt genus eſt conceptus formatus à ratione fundatus in entibus realibus, & per hoc differt à figmento, ergo ſi homo, & animal ſimiliter eſt ens formatum ab intellectu,propter fundamentum repertum in ſingularibus, & in ſe nullam dicit entitatem realem ex parte rei, vt præſcindit à ſingularibus, non differt ab ente rationis;& hęc ratio eſt clara;In hoc ergo ſtat differētia,quod vniuerſalia realia,ſunt naturæ communes reales ex parte rei in ſe,vt præſcindunt à ſingularibus; licet non exiſtant ſine ſingularibus;ſed entia rationis formaliter habent eſſe per operationem intellectus. Quod autem ens dicat proprium conceptum diſtinctum à ſuis inferioribus ex parte rei; Efficaces ſunt rationes,quas facit Scotus pro vniuocatione entis, præſertim prima, quæ in proprio Theoremate dilucidatæ ſunt. Ad has autem rationes facilè reſpondetur.

Ad primum pro ſolutione notandum eſt, quòd alia eſt diſtinctio formalis, ſiue ex natura rei; & alia eſt diſtinctio realis, vt patet ex formalitatibus:ens & communiter omnia ſuperiora, diſtinguuntur à ſuis inferioribus formaliter, vt animal à rationali, vt diximus in Formalitatibus. Ad argumentum, ergo dico,quod ens,& ſubſtantia,ſe habent vt pars, & totum; Ad probationem contra hoc concedo Conſequentiam,& nego falſitatem Conſequen- *Ad 1.*

ſequentis. Ad probationem ex parte entis concedo, quod ens illud, quod remanet diſtinctum, eſt ens abſtractum à ſingularibus; illud enim formaliter differt à Subſtantia, Accidente, & ab alijs inferioribus: ſed cum infert, ergo eſt ens per ſe exiſtens ſeparatum à ſingularibus, & ſic eſt Idæa Platonis, quod eſt inconueniens.

Reſpondeo, ens eſſe ſeparatum, & abſtractum à ſingularibus, duobus modis intelligi poteſt; Vel quod ſit abſtractum quo ad entitatem ſolum; Vel quo ad entitatem, & exiſtentiam: valeret Conſequentia ſi ens eſſet abſtractum à ſuis inferioribus, & quo ad entitatem, & quo ad exiſtentiam: ſed nos dicimus eſſe ſolum ſeparatum quo ad entitatem, non quo ad exiſtentiam, quæ diſtinctio eſt ſatis declarata, & probata in Theoremate de natura communi.

Vndè ens illud, quod præſcindit à ſubſtantia eſt idem realiter, quòd ſubſtantia, & eſt ens particulare realiter, ſed formaliter eſt diſtinctum: quia alia eſt ratio ſubſtantiæ, vt eſt ens, & alia, vt eſt ſubſtantia, ſicut animal, quod eſt in rationali, eſt eadem entitas, quæ rationalis realiter, ſed diuerſa formaliter: quia aliud eſt rationale, vt eſt animal, & aliud, vt eſt rationale, & hic datur ſtatus: nam conceptus entis, non eſt amplius compoſitus: ſicut enim rationale diuiditur in conceptum animalitatis, & rationalitatis, & conceptus animalitatis eſt vltimus, nec amplius diuiditur, ita ſubſtantia diuiditur in ens, & proprium conceptum, & ibi datur ſtatus. Per hoc idem ad aliam partem de modo: modus enim includit ens realiter non formaliter, & ſicut rationale includit realiter animal, non formaliter adæquatè: quia alia eſt ratio animalis, alia ratio rationalis adæquatè, & ibi datur ſtatus.

Sed contra quis arguet, tu præſcindis entis conceptum à ſubſtãtia ergo ſubſtantia non eſt ens, quia ſi iam præſcindis conceptum entis à ſubſtantia, ſubſtantia non poteſt eſſe ens: quia eſſet ens, & non ens. Reſpondetur hoc procedere contra quodcũque ſuperius reſpectu ſui inferioris; nam etiam conceptus animalis eſt præciſus à conceptu hominis & bouis; vnde à pari poſſet argui.

Ergo homo non eſt animal: quia iam præſcidiſti animalis conceptum ab homine. Reſpondetur ergo, quod præſcindit conceptum entis, vt in ſe, non contractè conſideratur; ſed non vt eſt contractus ad ſubſtantiam; & ſic dico, quod ſubſtantia eſt ens, non in communi, ſed eſt ens contractum ad ſubſtantiam, ſicut homo non eſt animal in communi, ſed animal contractum per rationale primo animal tale.

Ad ſecundam dico, quòd ens diuiditur in ens infinitum, & finitum, per modos intrinſecos, qui non faciunt compoſitionem, vt dicam in Theoremate proprio. *Ad 2.*

Ad tertiam negatur primum Antecedens. Ad probationem per exemplum de perſona in Diuinis dico, quod perſona in Diuinis dicit conceptum realem, ſed negatiuum communem ex natura rei, diſtinctum à perſonis particularibus, ſicut alia communia. *Ad 3.*

Ad ſecũdam, & tertiam probationem, iam dictum eſt nunc, & infrà magis patebit proprio Theoremate, an Deus ſit in genere, quod diſtinguitur ex natura rei à Deo, & tamen Deus eſt ſimplex. Quomodo autem ens, ſapientia, bonitas, & huiuſmodi, licet prædicentur de Deo, & ſint quid commune Deo, & Creaturis, non tamen faciunt compoſitionem: quia illa nõ diuiduntur per differentias oppoſitas, ſed per modos intrinſecos, qui non faciunt compoſitionem.

Quædam obiectiones aliorum. Cap. II.

Contra dicta ſunt quædam obiectiones Aduerſariorum quorũdam, qui ſuſtinent ens non dicere conceptum realem præciſum à conceptibus ſuorum inferiorum; & obiectiones procedunt ex duplici capite; Primò, quod aſſertio mea, qua dico ens dicere cõceptum præciſum ab inferioribus, non ſit ad mentem Scoti; Secundo, quod ſit falſa. *1. rõ.*

Primum probant primò: quia Scotus in 1. diſt. 3. q. 2. ſoluens argumentum Hẽrici habet hæc verba. *Reſpondeo conſequẽtia non valet: Socrates enim in quantum*

Socrates.

Socrates, eſt ſingulare, & tamen à particulari plura poſſunt abſtrahi prædicata, & ideo ſingularitas alicuius non impedit quin ab eo, quod ſingulare eſt, poſſit abſtrahi aliquis conceptus communis: & licet verba notanda ſint inquiunt quidquid eſt ibi in re, ſingulare, ſit in exiſtendo ex ſe, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad ſingularitatem, tamen illud idem poteſt concipi, vt hoc in re, & quodammodo indiſtincte, & ita vt ſingulare, vel vt commune. Ex his verbis Scoti videtur elici, quod Scotus velit conceptum entis, de quo ibi loquitur, non eſſe deſumptum ab aliqua realitate communi Deo, & creaturæ præciſa ab vtroque, quæ ſit contracta per aliquid aliud ad ſingularitatem: ſed conceptum entis eſſe abſtractum ab ipſa ſingularitate per opus intellectus noſtri. Confirmatur: quia Scotus ſoluendo illud argumentum, concedit in Deo non eſſe plures realitates, quarum vna ſit communis, & contrahibilis, alia ſingularis, & contrahens ad eſſe ſingulare Dei: at ſi ens diceret realitatem cõmunem præciſam à realitate Dei, & creaturæ, deberet contrahi per realitatem ſingularem conſtituẽtem Deum in eſſe Dei, & ſic Deus conſtaret ex realitate contrahibili, & contrahente.

2. Secundò, Scotus 1. diſt. 8. quæſt. 3. ſoluendo illud argumentum Henrici, quod erat: Quæ ſunt primò diuerſa, in nullo conueniunt; at Deus, & creatura ſunt primò diuerſa, ergo in nullo conueniunt. Reſpondet his verbis. *Ad ſecundum patebit in artic. 2. quòd Deus, & creatura, non ſunt primò diuerſa in conceptibus, tamen ſunt primò diuerſa in realitate: quia in nulla realitate conueniunt.* Ex hoc loco clariſſimè elici videtur, quod ens in communi, non dicat realitatem præciſam à ſuis inferioribus: ſed ſolùm dicat cõceptum formatum ab intellectu noſtro, quia cum Deus, & creatura ſecundum Scotum conueniant in ente in communi, ſi ens in communi diceret realitatem præciſam, Deus, & creatura conuenirent in aliqua realitate, quod negatur à Scoto.

3. rõ. Tertiò probatur ex eadem quæſt. littera L. ibi enim probat Scotus, quod Deus non eſt in genere: quia tunc realitas illa generis vel eſſet neceſſe eſſe, vel non neceſſe eſſe, &c. addit hæc verba. *Sed hæc ratio probat, quòd neceſſe eſſe nihil haberet commune cum alio, quia intentio illa communis eſt non neceſſe eſſe, correſpondens intentioni entis, quæ eſt communis Deo, & creaturæ,* reſpondet dicens. *Reſpõdeo intentio intellectu id eſt entis, non includit neceſſitatem, ſeu poſſibilitatem, ſed eſt indifferens, illud autem in re, quod correſpondet intentioni, id eſt entis, in hoc, id eſt in Deo eſt neceſſe eſſe, in illo verò, id eſt creatura, eſt poſſibile eſſe.* Ecce quòd Scotus non vult, quod enti in communi in re correſpondeat realitas communis; ſed Deo Deitas, quæ eſt neceſſe eſſe, & creaturæ, ratio creaturæ, quæ eſt poſſibilis eſſe, licet ratio entis abſtracta per intellectum ab vtroque modo abſtrahat; & quòd hæc ſit intentio Scoti, patet: quia ſtatim addit, quod intentioni generis correſpõdet propria realitas, & non ſic alij intentioni communi id eſt entis.

Confirmatur; quia ibidem Scotus ait, cum dicimus Deus eſt ens, ibi ſolùm eſt compoſitio conceptionum, quæ compoſitio eſt ſignum identitatis ſignificatorũ.

Tandem confirmatur ex 1. diſtin. 26. littera Y. vbi Scotus à relationibus Diuinis conceptum communem realem abſtrahi poſſe aſſerit, & tamen relationibus diuinis nulla realitas communis eſt, cum ſint primò diuerſæ. 4. rõ.

Connfirmatur; Scotiſtæ celeberrimi, vt Lichetus, Vigerius, Trombetta, & alij, hanc eandem eſſe opinionem Scoti docent, & eam approbant.

Quò ad ſecundum verò principale, ſcilicet, quod falſa ſit opinio noſtra, ſcilicet, quòd ens dicat conceptum præciſum à ſuis inferioribus à parte rei, probant primò; Si ens diceret conceptum præciſum à ſuis inferioribus, ſequeretur Deum eſſe compoſitum ſaltem compoſitione Metaphyſica, hoc eſt abſurdum, ergo. Conſequentia probatur: quia Deus conſtabit ex duplici realitate, quarum vna eſt contracta, ſcilicet, realitas entis; Altera eſt contrahens, ſcilicet, realitas Deitatis. Cõtra opin. 1. q. ſit falſa. 1. rõ.

Quòd ſi dicas ens contrahitur per modos intrinſecos, ideo Conſequentia non valet.

Contra hæc reſponſio primò ſupponit vnum

vnum falſum, ſcilicet, vnam realitatem communem poſſe contrahi ad plura realiter diſtincta, per modos intrinſecos, quod eſt falſum: quia modus intrinſecus quicumque ſit, eſt extra eſſentiam, & quidditatem illius, cuius eſt modus, & non variat illud eſſentialiter, ergo non poteſt eſſe prima ratio contrahendi realitatem communem ad plura eſſentialiter diſtincta; Conſequentia probatur: quia prima ratio contrahendi realitatem communem, ad aliud particulare ſub illa realitate communi, eſt de quidditate, & eſſentia illius particularis, & facit illud eſſentialiter diuerſum: at modus intrinſecus neque eſt de quidditate, neque facit differre eſſentialiter, ergo modus intrinſecus non poteſt eſſe huiuſmodi diſtinctiuum. Minor eſt communiter conceſſa à Scotiſtis. Confirmatur: quod non eſt differentia eſſentialis, non poteſt facere differre eſſentialiter, modi intrinſeci non ſunt differentiæ eſſentiales, ergo non poſſunt facere differre eſsentialiter.

Supponit ſecundò, quòd fiuitum, & infinitum, ſint modi intrinſeci entis, qui cũ enti adueniunt, Deum, & Creaturam cõſtituunt; quod falſum eſt: quia ſecundum Scotum, 1. diſt. 2. infinitas eſt modus intrinſecus Deitatis, & ideo ſupponit Deitatem conſtitutam in eſſe, non conſtitui aliundè, ergo eſt ratio contractiua entis ad Deum.

Tandem admiſſis his ſuppoſitis, reſpõſio non ſoluit argumentum: quia cum realitas communis à potentialitate liberari non poſſit, in Deo eſset realitas aliqua potentialis, ſcilicet realitas entis, & alia actualis, ſcilicet infinitas, & ſic Deus eſset compoſitus.

2. rõ. Secundò principaliter, Quidquid eſt in Deo, eſt de ſe hoc, ergo non eſt ibi realitas contracta per modum intrinſecum ad Deitatem, Antecedens patet: quia Deus eſt de ſe ſingulariſſimus: at ſi in eo eſset ratio communis contrahibilis, non eſset de ſe hic, & ſingulariſſimus, hæc eſt ratio Henrici.

3. rõ. Tertiò. Si ens diceret realitatem communem Deo, & Creaturæ, Deus, & Creatura non eſsent primò diuerſa; Conſequens eſt falſum, ergo. Conſequentia probatur: quia primò diuerſa, ſe totis differunt, & in nullo conueniunt. Confirmatur: quia primò diuerſa ex Scoto in 1. diſt. 26. ſunt in duplici diſcrimine; Quædam ſunt primò diuerſa in realitate tantum, & hæc illa ſunt, quæ nullam realitatem communem habent. Quædam verò ſunt primò diuerſa in conceptu, & hæc illa ſunt, quę nedum realitatem, ſed nec vllũ conceptum communem habent, vt ſunt vltimæ differentiæ, ergo ſi Deus & Creatura habent realitatem entis communẽ, non ſunt primò diuerſa.

Quartò. Si ens dicit realitatem communem Deo, & Creaturæ, vel illa realitas eſt neceſſe eſſe poſitiuè, vel non: neutrum iſtorũ dici poteſt, ergo. Maior patet: quia membra illa cõtradictoriè opponuntur, ideò alterum illorum eſt neceſsariò dandum; Minor probatur, & Primò, quo ad primam partem. Si illa entitas communis eſset, neceſse eſse poſitiuè, iam creatura eſset neceſse eſse poſitiuè, quod eſt abſurdum. Quo ad ſecundam partem probatur: quia tũc in Deo eſset aliquid, quod non eſt neceſse poſitiuè, quod ab omnibus, vt erroneum reprobatur. 4. rõ.

Quintò probatur, & declaratur ſimul; quod conceptus entis, etiam ſi non ſit pręciſus à ſuis ſingularibus à parte rei, ſed ſolùm per operationem noſtri intellectus, poſſit dici conceptus realis. Declarant autem hoc modo, inquiunt. Res duobus modis poteſt intelligi; Vno modo diſtinctè; Alio modo indiſtinctè, & confusè, ſiue adæquatè, & inadæquatè; Primo modo res intelligitur adæquatè, quando intelligitur in conceptu repræſentare rem ſicut eſt; Secundo modo verò, ſcilicet indiſtinctè, & inadæquatè, res intelligitur dupliciter; Vno modo cum concipitur ſub conceptu aliquo communi, cui à parte rei realitas aliqua correſpondet, vt cũ Socrates concipitur ſub conceptu hominis, vel animalis: conceptui enim hominis, vel animalis correſpondet realitas vna à parte rei; Alio modo cum concipitur ſub aliquo conceptu communi, cui à parte rei non correſpondet aliqua realitas, tamen propter ſimilitudinem quam habent illæ res à parte rei, videtur ei correſpondere aliqua realitas, licet reuera non corre- 5. rõ.

correſpondeat: exemplum differentiæ ſpecificæ animalis, præter rationale, concipiuntur ſub conceptu quodam communi, quem explicamus per irrationale, cui vt patet nulla realitas correſpondet, qui ergo intelligit differentiam ſpecificam bouis, ſub conceptu irrationalis, concipit illam indiſtinctè inadæquatè, & confuſo modo, & hic modus eſt diuerſus à primo modo concipiendi aliquod confuſè, & indiſtinctè: tunc addunt, quòd vterque conceptus iſte communis, ſub quo res concipiuntur, indiſtinctè eſt realis. Probatur de primo: quia ei correſpondet realitas communis à parte rei. De ſecundo probatur: quia licet illi conceptui non correſpondeat realitas realis communis, correſpondent tamen res particulares habentes aliquam ſimilitudinem inter ſe, ratione cuius poteſt intellectus abſtrahere illum cōceptum communem, & hoc pacto dicunt conceptum entis in communi eſse conceptum realem, licet ei non correſpondeat à parte rei realitas præciſa à ſingularib. à parte rei: ſufficit.n. quòd ei correſpōdeat Deus, & Creatura in eſse ſingulari, quæ habent aliquā ſimilitudinem, à qua intellectus huiuſmodi conceptum abſtrahere poteſt. Hæc omnia quibuſdam auctoritatibus Scoti comprobare nitūtur: ſed quia ex dicendis facilè reijciuntur, breuitatis cauſa eas omitto.

Obiectiones allatæ ſoluuntur, & opinio auctoris magis confirmatur. Cap. III.

LIcet ex dictis in hoc Theoremate c. 1. Theoremate 96. quòd Deus non eſt in genere, Theoremate 97. quomodo ens diuidatur in decem Prædicamenta. Theoremate 93. de natura cōmuni. Theoremate 95. de vniuocatione entis, & alibi dictis, hæ obiectiones facilè quoque dilui poſſint, nihilominus, breuiter eas diſſoluere volui.

Opin. auct. alla. Scoti. Quod autem attinet ad primam partē, ſcilicet, quòd opinio Scoti ſit, Ens in communi dicere cōceptum realem præciſum à ſuis inferioribus, à parte rei prçter locis citatis adducta, lege Scotum in 1. diſt. 8. q. 3. littera Y. ad primum argumentum principale, ibi enim habet hçc verba. *Concedo quòd ipſe conceptus dictus de Deo, & de Creatura, in quid, contrahitur per aliquos conceptus dicentes quale contrahētes.* Ergo per Scotum conceptus entis contrahitur: at conceptus, cui aliqua realitas realis ex parte rei non reſpondet, non poteſt contrahi verè, & realiter, vt de ſe patet. Sequitur Scotus ibi hoc egregiè declarans, & mouet dubium contra determinationem ibi factam, quæ erat, quòd licet ens ſit commune Deo, & Creaturæ, tamen Deus non eſt in genere: quia conceptus entis in communi ad Deum, & Creaturam, non eſt conceptus generis: quia non eſt potentialis, nec contrahibilis per differentias oppoſitas: ſed ſolum per modos intrinſecos. Contra hoc autem eſt dubium iſtud: quia cum ens contrahatur ad Deū, & Creaturam, per modos intrinſecos, ſcilicet per finitum, & infinitum, illud à quo deſumitur conceptus entis, videtur eſſe potentiale, & habere rationem generis ad realitatem contrahentem, ex quo ſequitur poſtea, quòd res compoſita ex realitate potentiali, & ex realitate contrahente, ſit compoſita, & in genere; vndè in propoſito ſequeretur, quod Deus eſset compoſitus ex realitate entis in communi, & ex realitate infiniti, & hæc compoſitio eſſet ex parte rei: quia ipſç realitates ſunt diſtinctæ ex parte rei, quod autem Deus ſit compoſitus, ſic eſt inconueniens, quia Deus eſſet in genere.

Reſpondet Scotus hoc egregiè declarando, quòd illud à quo accipitur conceptus communis entis, diſtinguitur ab illo à quo accipitur conceptus proprius, ſiuè modus intrinſecus, non ſicut diſtinguitur realitas, & realitas, ſed ſicut realitas, & modus proprius eius, & intrinſecus; conceptus autem generis & differentiæ requirunt diſtinctionem realitatis, & realitatis, non autem tantum diſtinctionem realitatis, & eius modi; Dat exemplum de albedine, nam albedo in communi, & albedo vt decem gradus, non diſtinguuntur vt realitas potentialis, & realitas actualis, ſed vt realitas, & modus eius intrinſecus: ideò albedo vt decem, non eſt compoſita, ſed eſt concepta minus perfectè, quàm ſi conciperetur abſolutè, & ſub omnibus gradibus albedinis: ita Deus

compo-

componitur ex ente, & infinitate,ſed ens, & infinitas,non ſe habent, vt entitas potentialis,& actualis,ſed vt realitas,& modus eius; infinitas enim eſt modus intrinſecus entis, & ens infinitum non eſt quid compoſitum ex realitate potentiali, & actuali , ſed eſt realitas entis concepta cum omnibus gradibus intrinſecis entis, & perfectè , ſicut ens infinitum eſt realitas entis concepta cum finitis gradibus entitatis,& imperfectè. Vndè Scotus ibi paulò infrà applicando hæc ad propoſitum,habet hæc verba. *Requiritur igitur diſtinctio inter illud à quo accipitur conceptus communis, & illud, à quo accipitur conceptus proprius,id eſt inter ens, & modum eius intrinſecum, vt eſt infinitas, & finitas,non vt diſtinctio realitatis, & realitatis,ſed vt realitatis,et modi eius intrinſeci*;& paulò infrà.*Sed conceptus generis , & differentia , requirunt diſtinctionem realitatum , non tantum eiuſdem realitatis perfectè,& imperfectè conceptæ*.Apertè ergo Scotus ſupponit illud à quo ſumitur conceptus entis in communi , eſſe realitatem realem,non tamen eſſe genus, vt eſt ſic communis contrahibilis: quia illam appellat hoc nomine *realitatis* , & hoc eſt ibi adeò clarum, vt non egeat declaratione : nam non ſolum conceptus Scoti conuincit Aduerſarios,ſed ipſa verba textus.Declarat etiam ibi Scotus,quid ſit modus intrinſecus, & quomodo differat à differentia;quem locum,& ſimiles , ſi vidiſſent Aduerſarij , non dicerent ſecundum Scotum ens in communi non habere realitatem propriam , vt contrahitur per modos intrinſecos; nec dicerent non habere conceptum præciſum realem à ſuis inferioribus. Poſſem alias auctoritates Scoti adducere,ſed hæ ſufficiant,quia eſt proprius locus.

Ad 1. rōnē ex 1. ſ. Ad primam rationem Aduerſariorū. Illa loca quæ adducuntur ab Aduerſarijs,nihil eis fauent, immò ex eis optimè conſpicitur Aduerſarios nutritos eſſe in doctrina Caietani,& Suarez, & proinde non poſſe rectè intelligere Scotum . Ad primum ergo ex 1. Sententiarum diſtinctione 3.quæſtione 2.ſoluendo argumentum Henrici,dico,quòd licet Socrates ſit ſingularis,& quidquid eſt in eo, ſit ſingulare , tamen ab eo poſſunt abſtrahi plura Prædicata,& plures conceptus : neque ſingularitas Socratis hoc impedit: q̄a includit in ſeipſo plures naturas communes,vt humanitatem,animalitatem, ſubſtantiā , ens,&c. non ineſſe communi, ſed ſingularizato, & contracto : & ideò poſſunt abſtrahi prædicata,quibus ipſe realitates,& naturæ communes in eſſe commmuni , reali,non ſingularizato, nec contracto reſpondent,vt clarè oſtendimus in Theoremate,de natura communi,non ergo habetur ex hoc loco,quòd conceptus communis,qui à Socrate contrahitur, vt quod Socrates ſit homo, animal,ens,ſint puri cōceptus formati ab intellectu , quibus à parte rei non reſpōdeat realitas cōmunis, vt ipſi ſomniant,eadem enim eſt ratio de homine,animali,& ente,non puto autem Aduerſarios dicere, hominem,& animalitatem,non dicere realitatem realem cōmunem à parte rei præciſam à ſuis ſingularibus.

Ad ſecundam patet ex dictis ſuprà,ſenſum eſſe,quòd Deus & Creatura ſunt primò diuerſa in realitate non quacumque, ſed potentiali,& generica:quia Deus non eſt in genere, neque Ens commune Deo & Creaturæ,eſt genus:quia realitas communis,quę ei reſpondet,non eſt potentialis,& contrahibilis per differentias,& cōſequenter non eſt generica:ſed habet realitatem contrahibilem tantum per modos intrinſecos,vt diximus in Theoremate,an Deus ſit in genere, & ſuprà explicauimus. *Ad 2.*

Ad tertiam dico Primò, quòd illa verba non ſunt ex vero textu Scoti: ſed ſunt additiones. Secundò dico, quòd non adducuntur fideliter, vt eſt videre in textu ; Tertiò dico, quòd non diſcrepant à ſuperioribus:quia illa verba *illud autem in re, quod correſpondet intentioni* , apertè indicant Scotum iudicare aliquid in re correſpondere illi intentioni: illud autem in re eſt realitas communis,quæ in Deo eſt neceſſe eſſe, in creatura eſt poſſibilis, ſicut ſubſtantia in Deo eſt infinita,in Creatura eſt finita . Cum verò ſubinfert intentioni generis correſpondere propriam realitatem, non ſic alij intentioni communi, intelligit de realitate potentiali , hæc enim *Ad 3.*

ſoli generi competit, ſpeciei enim correſpondet propria realitas; nec puto aduerſarios hoc negare: albedini enim correſpondet propria realitas, quæ tamen certè eſt realitas realis, ſed non eſt potentialis, vndè non poteſt negare ibi Scotus vniuerſaliter, quòd nulli intentioni præter generis, competat realitas propria, & ipſe loquitur vniuerſalitèr, nec nominat ens; hæc enim ſunt verba, *& non ſic alij intentoni communi*.

Quod deindè ait ibidem Scotum dicere, quòd cum dicimus Deus eſt ens, ibi ſolum eſt compoſitio conceptionum, &c. hoc non inuenio apud Scotum, ſolùm ait ibi, quod prædicata, quæ dicuntur de Deo, ſunt illimitata non in genere, & ſic ens, ſapientia, bonitas, &c. quatenus prędicantur de Deo, ſunt illimitata, & tranſcendentia, quòd ſi adeſſent, deberent intelligi iuxta ſenſum expoſitum.

Ad 1. Illud verò ex diſt. 26. de conceptu communi ad relationes perſonales in Diuinis, eſt alia quæſtio, & petit illam difficultatem. An perſona dicat conceptum realem. De qua in opere Theologico differo, quem ſi iſti recentiores Scotiſtæ vidiſsēt, vel legiſſent Scotū in 1. diſt. 23. §. Ad quęſtionem, verſiculo, ad primum iſtorum dico, &c. cognouiſſent quàm aberrent in hac re: ideò illos remitto ad eum locum, quem in noſtris Diſputationibus Theologicis abundè explicauimus, pro nunc dico, à relationibus diuinis poſſe abſtrahi communem conceptum realem negatiuum, non poſitiuum; Quomodo autem aliquis conceptus poſſit eſſe realis, & tamen negatiuus, non poſitiuus, legant ibi; at conceptus realis communis Deo, & Creaturæ, non eſt conceptus negatiuus, ſed poſitiu⁹: ideò neceſſariò ei reſpōdere debet aliqua realitas poſitiua, non autem conceptui communi reali abſtracto à relationibus Diuinis.

Quod verò ait præcipuos Scotiſtas illam opinionem ſuſtinere, non eſt curandum: quia etiam in alijs reb. peſſimè Scotum intellexerunt; quod patet ex eo fundamento quod puto eſſe Achillem ipſorum, nimirum omne ens rationis, eſſe relationem, & fieri per opus intellectus: nā hoc non ſolùm eſt contra Scotum, ſed cōtra omnes Philoſophos, & Theologos, quia communiter appellamus illud ens rationis, quod habet eſſe præcisè per ſolam operationem intellectus. Vndè datur illa ſolemnis diſtinctio alia diſtinguuntur ſola ratione, alia ex parte rei, vt cum Thomiſtæ dicunt relationes in Diuinis diſtingui ſola ratione, non ex natura rei, & nos negamus, nullus miſcetur actus collatiuus intellectus, ſed ſolùm diſputatur an id per quod diſtinguuntur, ſiue an diſtinctio ipſa ſit quid à parte rei, vel ſit præcisè opus intellectus, quòd ſi concedant ibi eſſe actum collatiuum intellectus, pari modo poterit fingi ens in communi, habere eſſe per actum collatiuum intellectus comparantis Deum, & Creaturam ad inuicem, in illo conceptu communi entis, cui in re nihil commune reſpondet. Vndè licet reſpectu Dei, & Creaturæ, vt ſunt in re diſtincti, poſset dici quid reale, tamen vt ſignificat quid commune, eſſet purum ens rationis, hoc autem eſt, quod nos dicimus eſse falſum.

Quantum ad ſecundum principale, an ſcilicet opinio mea ſit vera, non eſt immorandum, quia ex dictis patet, quòd mea ratio principalis habet vim, quia ſi ens vt in communi accipitur ad Deum, & Creaturam non dicit realitatem realē, obiectalem, præciſam à ſuis inferioribus, non poteſt eſse vniuocum Deo, & Creaturæ, ſubſtantiæ, & accidenti, ſicut ſi Animal non diceret conceptum obiectalem realem præciſum à ſuis inferioribus, non poſset prædicari vniuocè de illis, quia quod in ſe non eſt realitas, non poteſt realiter includi, & prædicari de ſuis inferioribus actualiter formaliter: conceptus autem vniuocus prædicatur, & includitur actu. *Opin. auctoris eſt vera.*

Ad primā rationē pro hac parte, quòd Deus eſset compoſitus per differētias; Reſpondeo reſponſione allata ab eis, quæ eſt reſponſio Scoti: ſcilicet, non valere Cōſequentiam: quia ens non contrahitur ad Deum, & Creaturam per differentias: ſed per modos intrinſecos. Ad primam rationem contra hoc, concedo nos ſupponere vnam realitatem communem, poſſe contrahi ad plura realiter diſtincta per *Ad 1. rōnē.*

cta per

cta per modos intrinſecos; ſic enim dicimus ens diuidi & contrahi ad decem Prędicamenta; Ad rationem contra hoc, reſpondetur, quòd Deus, & Creatura, propriè loquendo, non differunt eſſentialiter: ſed ſicut perfectiſſimum, & minus perfectum in infinitum; quod declaro; Illa differunt eſſentialiter, quæ per differentias ſub eodem genere conſtituuntur in diuerſo eſſe formali, & eſſentiali, differentia enim, vt rationale, eſt actus extrinſecus, qui adueniens animali, generi, illud actuat, & contrahit ad hominem, & facit differre à brutis, non ſic eſt modus intrinſecus: quia non eſt quid extrinſecum eſſentialiter à realitate, cui aduenit, vt cum albedo diuiditur per albedinem vt centum, & albedinem vt decem, albedo vt centum, non variat eſsentiam albedinis, nec differt eſſentialiter ab albedine; ſed ſolum vt albedo particularis ab albedine in communi; & albedo vt decem, & albedo infinita, ſi daretur, nō differt eſſentialiter, & ſpecificè, propriè loquendo, ſed ſolum vt perfectum in infinitum, & minus perfectum in infinitum: ita creatura differt à Deo: quia Deus eſt ens infinitum, Creatura eſt ens finitum. Hæc autem differentia non eſt propriè eſsentialis. Et per hoc patet ad confirmationem: Supponit enim quòd modus intrinſecus debeat eſſe differentia eſſentialis, quod eſt falſum.

Ad ſecundam rationem contra ſecundum ſuppoſitum, dico, reuera nos ſupponere finitum, & infinitum eſſe modos intrinſecos entis; Ad rationem contra hoc: quia infinitas eſt modus intrinſecus Deitatis, quæ eſt quorundam Scotiſtarum magna doctrina; Dico quòd eſt ridicula argumentatio: nam ſtant ſimul, quod infinitas ſit modus intrinſecus entis, & ſimul Dei: ſicut rationale dicitur differentia animalis, & hominis; animalis: quia ipſum diuidit, & contrahit; hominis: quia ipſum conſtituit; ita infinitum eſt modus intrinſecus entis, quia ipſum diuidit, Dei, quia ipſum conſtituit non vt differentia, ſed vt gradus intrinſecus.

Ad rationem verò ipſam, quæ dicit reſponſionem non ſoluere: quia realitas communis entis, non ſoluitur à potentialitate, iam patet ex dictis, quod illa realitas entis, non eſt potentialis ad modum ſuum intrinſecum; quia ille modus non eſt differentia, ſed modus cuius natura eſt diuerſa à differentia, ſicut albedo non eſt potentialis ad decem gradus albedinis.

Ad ſecundam rationem principalem patet ex eodem; realitas enim contrahibilis eſt duplex; Alia communis, quæ contrahitur per differentiam indiuidualem ad eſse indiuiduum, & ſingulare, & ſic ens non contrahitur in propoſito per infinitum ad Deum: ſed per differentias genericas, & ſpecificas ad ſua inferiora. Alio modo contrahitur aliquid ad aliquod, per modos intrinſecos, vt albedo in communi ad albedinem vt centum, & hoc modo concedere aliquid commune Deo, non eſt inconueniens, nec tollit ſingularitatē Dei; quia ens contractum per infinitum, eſt ſingulariſſimum, nec tamen compoſitum, ſed ſimpliciſſimum vt dictum eſt. *Ad 2. rōnē.*

Ad tertiam iam reſponſum eſt ex Scoto, quod Deus, & Creatura ſunt primò diuerſa, non omninò, ita quod in nulla realitate conueniant: ſed quia non conueniunt in realitate generica, & potentiali; Vbi nota vt diximus in Theoremate de indiuiduatione ſubſtantiæ materialis, capite 1. quod aliqua non dicuntur primò diuerſa; quia in nulla realitate conueniunt, quia tunc differentiæ ſpecificæ vltimæ animalis, non eſſent primò diuerſæ, quod tamen eſt falſum; etiam differentiæ indiuiduales eiuſdem ſpeciei ſunt primò diuerſæ, & tamen hæc omnia conueniunt in realitate ſubſtantiæ, & animalitatis: ſunt enim omnia hæc ſubſtantiæ in obliquo, & continentur in animali, & homine, indiſtinctè, differentiæ autem ſubſtantiæ, & animalis conueniunt in animali: quoniam ſpecies, & indiuidua, illas accipiunt à genere, & à ſpecie, ſed dicuntur primo diuerſæ, quia ſe totis ſecūdum rationes proprias formales adæquatas differunt. *Ad 3.*

Ad quartam, reſponſum eſt in Theoremate 95. cap. vltimo. Ad ſecundam rationem Aureoli, & ad primam Pauli Soncinatis, dico, tamen inſuper nunc, quod ens in ſe non eſt neceſſe eſſe, neque non *Ad 4.*

neceſſe eſſe,quia abſtrahit ab vtroque, ſicut animal in ſe non eſt rationale, neque irrationale actu, ſed vtrumque permiſſiuè,ſiuè potentia:ita ens eſt neceſſe eſse,& non neceſse eſse potentia, & permiſſiuè. Cum arguitur contra, quia inter contradictoria non datur medium, ideò ens eſt neceſse eſse poſitiuè, vel non eſt neceſse eſse poſitiuè. Reſpondeo, quòd determinatè non eſt neceſse eſse, neque non neceſse eſse,ſed indeterminatè eſt vel neceſſe eſse, vel non neceſſe eſse, ſicut animal non eſt determinatè rationale, nec irrationale, ſed indeterminatè eſt rationale, vel irrationale: ſe habet enim commune potentiale ad differẽtias oppoſitas ipſum contrahentes,ſicut propoſitiones contradictoriæ de futuro contingenti, quarum nulla determinatè eſt vera, vel falſa,indeterminatè verò altera eſt vera, & altera eſt falſa, vt ſi dicas Socrates cras leget, cras, non leget, determinatè loquendo, nulla eſt vera,& nulla eſt falſa: & tamen inter contradictoria non datur medium. Reſpondetur ergo, quod in contradictorijs altera pars ſemper eſt vera, & altera falſa, vel determinatè, vel indeterminatè in propoſito altera eſt vera, & altera falſa indeterminatè,non determinatè, & ita ens in ſe non eſt neceſſe eſſe, necnon neceſſe eſse determinatè, ſed indeterminatè, quia poteſt cõtrahi ad neceſse eſse, vel ad non neceſſe eſſe.

Ad 5. Ad quintam illud fundamentum,quo declarant ſuam poſitionem, aſsumit falſum:ſcilicet, quòd conceptus ille communis,cui non correſpondet realitas communis,ſed res particulares ſit realis poſitiuè; eſt enim falſum: quia ille conceptus eſt formatus præcisè ab intellectu,& ideò eſt opus rationis actualiter,formaliter,vt patet,& ideò de eo vt ſic, non poteſt eſſe ſcientia: nec eſt aliquid reale in ſe,quia ceſsante operatione intellectus, nihil reale commune remanet: eſse enim, quod conceptus ille habet in ſingularibus, non eſt commune,ſed ſingulare:ideò ille conceptus,vt ſic,non habet aliquid realitatis ab illis, & ita hac ratione non potuit dici realis.

Præterea,reflecto rationem contra eos: aiunt enim,ſingularia habere aliquam ſimilitudinem, & conuenientiam inter ſe, ratione cuius poteſt ille conceptus communis abſtrahi ab illis; Quæro quid ſit illa ſimilitudo, & conuenientia inter illa indiuidua. Vel enim eſt aliquid eſsentiale illis commune,& ſic habeo intentum:quia hoc erit realitas, ſuper quam fundatur conceptus, vel eſt aliquid formatum ab intellectu, & ſic non erit conuenientia,ſuper quam poſſit fundari ille conceptus: ſed erit ſimilitudo, & conuenientia fictitia; Sed de hac re plura diximus in Theoremate, de vnitate naturæ communis.

THEOREMA XCV.

Ens vniuocè dicitur de Deo, & Creatura, Subſtantia,& Accidente.

Exponuntur iſti termini Vniuocum, Aequiuocum, Analogum, ab vno, & ad vnum, & oſtenditur, quomodo Analogia ſtet cum Vniuocatione. Caput I.

Licet huiuſmodi diſputatio ſit tota Metaphyſicalis, attamen, quia eſt quoddam principium maximum, quod omnibus diſputationibus inſeruit, & ab ipſo pendent multæ aſsertiones Scoti, ideo opus eſt de illa verba facere, & quoniam non leuis eſt æquiuocatio in his terminis, Aequiuocum, Analogum, Vniuocum,ab vno, & ad vnum; decreui prius hos terminos declarare; deinde rem ipſam aggredi. Quo ad primum, circa hos terminos Aequiuocum,& Vniuocum clara eſt ſententia Ariſt.in Anteprædicamẽtis,dicentis: *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eſt diuerſa ſecundum illud nomen. Vniuoca verò dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eſt eadem ſecundum illud nomen.* Ex quo loco colligitur, quòd illud eſt nomen vniuocum, quod eſt commune pluribus ſecundum nomẽ, & ſecundum definitionem, quod nobis indicat illa particula, *ſecundum illud nomen*, quotieſcumque enim aliqua inferiora conueniunt in aliquo communi nomine, & in ratione communi ſecundum illud nomen, illud commune nomen eſt vniuocum,quia eſt commune illis,& clau-

ditur

ditur in illis, & quoad nomen, & quoad definitionem, vt Animal, reſpectu Hominis, & Equi; nam Equo, & Homini competit nomen Animal, & ratio Animalis, adeo quod licet Homo, & Equus, vt ſunt diuerſæ ſpecies, habeant diuerſas definitiones, tamen, vt conueniunt in illo communi nomine, Animal, habent eandem definitionem, quæ eſt, eſſe ſubſtantiam animatam ſenſibilem. Econuerſo, *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen ſolum eſt commune, ſed ratio ſubſtantiæ, & definitio eſt diuerſa, vt canis reſpectu Animalis latrabilis, Piſcis marini, & Sideris Cæleſtis*, eſt enim commune ſolum, quo ad nomē, non quo ad rationem, & definitionem, quia Canis, in communi, non habet vnam definitionem, & rationem ſubſtantialem in qua conueniant Animal latrabile, Piſcis marinus, & Sidus Cæleſte. Hucuſque conueniunt omnes.

¶ Et ex his colligitur citra controuerſiā, in vniuoco nomine requiri has duas conditiones.

Prima, quòd habeat conceptum per ſe vnum diſtinctum à conceptu inferiorum.

Secundam, quod iſte conceptus ſit inclusus in ſuis inferioribus, quæ duæ conditiones patent in exemplo allato ab Ariſtot. animal enim habet conceptum per ſe, diſtinctum à conceptu Hominis, & Bouis, & eius conceptus clauditur in illis inferioribus, eſt difficultas de modo: an iſtę conceptus dum participatur ab inferioribus, debeat participari æqualiter, vel nihil impediat vniuocationem, etiam ſi participetur ſecundum prius, & poſterius, & ordine quodam ab inferioribus, & in hoc diſcrepant Scotiſtæ à Thomiſtis, & à quibuſdam alijs: nam alij dicunt, quòd illud nomen, quod habet conceptum participatum in inferioribus ordine illo ſecundum prius, & poſterius, eſt analogum, & eſt diſtinctum ab vniuoco; illud verò nomen, cuius conceptus participatur æqualiter à ſuis inferioribus, eſt vniuocum. Scotiſtæ verò concedunt illud nomen, quod ſic participatur ſecundum prius, & poſterius, eſſe Analogum, & concedunt Analogum diſtingui ab Vniuoco formaliter, ita quod alia eſt vnitas Vniuoca, & alia eſt vnitas Analogica formaliter, tamen ſuſtinent, cum hoc Analogiam ſtare cum Vniuocatione, ita quod Analogum eſt Vniuocum, licet non omne Vniuocum ſit Analogum. Vt autē hoc diſtinctè cognoſcatur, declarandum eſt breuiter, quid ſit nomen Analogum. Vbi dimiſſis multis ſubtilitatibus, & nugis, quæ nō faciunt ad propoſitum, dico breuiter, qd duplex eſt Analogum; Alterum quod propriè dicitur Analogum, & eſt id, quod eſt vnum proportione, ſiue ſimilitudine. Exempla plura habemus apud Ariſt. in libris de Animalibus, vt membrum, quod eſt principium vitæ in animali, eſt vnum analogicè, ſiuè vnū analogia, non enim id in omnibus eſt cor: ſed ſolum in ſanguineis; in alijs verò, quæ ſanguine carent, eſt aliquid cordi, proportione, & ſimilitudine reſpondens, quod fungitur eo munere in ijs animalibus, quo fungitur in animalibus ſanguineis cor. Hoc genere analogię dicuntur vnum os, & ſpina, quia eiſdem muneribus funguntur. Et notandū quod in his non eſt pendentia vnius ab altero, vel ab vno tertio: ſed ſolum inter ea eſt proportio, & ſimilitudo, & propter hoc dicuntur vnū proportione: & hæc eſt verè Analogia; & hoc modo vnū eſt vnū Analogicè, quæ ab alijs dicitur communiter Analogia proportionis, vniuerſaliter ergo omnia, quæ in aliquo ſimilia ſunt, poſſunt dici vnum Analogicè, hoc modo.

Aliud gen⁹ Analogiæ eſt attributionis, ſiue cōparationis, quæ propriè dicitur ab Ariſt. ab vno, ſiue ad vnū, de qua loquitur Ariſt. in principio 4. Metaph. & hoc modo illa dicūtur vnum, quę ab vno aliquo, ad quod habent attributionem, depēdēt, quatenus talia sūt, vt ſana omnia dicūtur quatenus referūtur, & comparātur ad ſanitatē corporis, quæ finis eſt: & ſic ſanum, eſt vnū Analogicè, ſiue vnū Analogia attributionis, quod eſt idē dictu, quod hoc nomen, ſanum, eſt nomen commune ab vno, & ad vnum. Hęc vnitas attributionis eſt ea, de qua ait Scotus 1. Sentent. diſt. 8. q. 3. reſpondendo ad tertium, & eodem 1. diſtinct. 3. quæſt. 3. Q. reſpondendo ad ſecundum cōtra Vniuocationē entis, quod eſt vnitas minor vnitate Vniuocationis, & quod tamen ſtat cum vnitate Vniuocationis, quod ſit minor vnitas patet: quia

quæ ſunt vnum per attributionem, non eſt neceſſe quod attribuãtur ad illud primum, ſecundum eandem rationem, ſed ſufficit ſi attribuantur ad illud primum ſecundum aliquid commune eis aliquo modo ex parte rei, ſiue ſit intrinſecum, ſiue extrinſecum; vt patet in hoc exemplo Ariſt. Medicina Dieta, & Vrina, dicuntur ſana in ordine ad ſanitatem animalis: ecce omnia illa attribuuntur ad ſanitatem, vnde omnia ſana ſunt: non tamen attribuuntur ad ſanitatem ſub eadem ratione: quia Medicina dicit attributionem ad ſanitatem, quatenus eſt effectiua ſanitatis. Vrina quatenus eſt ſignum ſanitatis, Dieta quatenus eſt conſeruatiua ſanitatis, & ſic de alijs: at ea, quæ ſunt vnum vnitate Vniuocationis, dicuntur vnum, quia includunt eandem rationem intrinſecè, quam primum includit, licet illa ratio, & natura ſit primo, & excellentiori modo in vno, quàm in alio, vt homo, equus, leo, & ſimilia, includunt animalis rationem; iure ergo inquit Scotus, quòd vnitas attributionis, eſt vnitas minor vnitate Vniuoca, quia ad vnitatem Analogiæ attributionis, ſufficit, quod attributa habeant attributionem ad vnum, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, hoc nihil refert, ſed ad vnitatem vniuocam requiritur, quod vniuocata includant rationem eandem intrinſecè, vt dictum eſt.

vnitas analogiæ ſtat cũ vniuocatione. 1. rõ. Quod modo iſta vnitas Attributionis poſſit ſtare cum vnitate Vniuocationis, probat in citatis locis ſic. Ariſtoteles decimo Metaphyſicæ concedit ordinem eſſẽtialem inter ſpecies eiuſdem generis: quia ibi vult, quòd in quolibet genere ſit vnũ primum, quod eſt metrum, & menſura omnium aliorum in illo genere; menſurata autem habent eſſentialem ordinem ad menſuram, & tamen non obſtante hac attributione, quilibet concederet vnum eſſe conceptum generis diſtinctum à conceptibus ſuarum ſpecierum, & quod vniuocè dicitur de illis, aliàs genus non prædicaretur in quid, de pluribus differentibus ſpecie; ſi enim genus non haberet cõceptum aliarum, à conceptibus ſpecierũ, nullus conceptus diceretur in quid, de pluribus: ſed tantum quilibet de ſeipſo, & tunc nihil prędicaretur, vt genus de ſpecie, ſed vt idem, de eodem. Ecce quod attributio ſpecierum ad vnum primum, non tollit Vniuocationem ſpecierum in genere; Ita in propoſito: in ratione entis eſt vnitas attributtionis: quia accidens habet dependentiam ad ſubſtantiam, & ens finitum, ad infinitum; tamen cũ hoc ſtat vnitas Vniuocationis, quia ſtat vnitas conceptus abſtrahibilis, vt patuit de cõceptu generis reſpectu ſuarum ſpecierũ: & probat inſuper: quia nunquã aliqua comparantur, vt menſurata, ad menſuram, vel exceſſa, ad excedẽs, niſi in aliquo vno conueniant, ſicut enim cõparatio ſimpliciter eſt in ſimpliciter vniuoco, 7. Phyſ. tex. 24. & inde, ita omnis cõparatio eſt in aliqualiter vniuoco: quãdo enim dicitur hoc eſt perfecti⁹ illo, ſi quæratur quid perfectius, oportet ibi aſſignare aliquid cõmune vtrique extremo comparationis, non enim Homo eſt perfectior Homo, quã Aſinus, ſed perfectius animal. Et ita, ſi aliqua cõparantur in entitate, in qua eſt attributio vnius ad alterum, hoc eſt perfectius illo, quid perfectius? ens perfectius, ergo oportet entitatem aliquo modo eſſe communem vtrique extremo; & ſic patet quomodo cum vnitate attributionis ſtet vnitas vniuocationis; Vndè licet ens ſit ad vnum, & dicatur vnum per attributionem, non ob hoc ſequitur, quin ſit vniuocum.

Confirmatur rurſus, hæc Analoga eſſe aliquo pacto Vniuoca, ſiue poſſe ſtare cũ Vniuocis hac communi ratione. Proportio eſt Relatio, quæ fundatur ſuper vnitatem ex Ariſt. 5. Metaph. c. de Relatiuis, vbi dicit: hæc tria, ſcilicet, Aequale, Idem, & Simile, fundari ſuper vnum, ſed omne Analogum attributionis, includit ſimilitudinem: conueniunt enim ſimul, & in vnum per ſimilitudinem, & per attributionem, ergo illa ſimilitudo fundatur in aliqua vnitate rei communis ſibi omnibus, ſecundum quam ſit ſimilitudo, & attributio, ergo iſtud Analogũ eſt aliquo modo vnũ, & ſic ei non repugnat ſtare cum Vniuoco, licet formaliter nõ ſit Vniuocũ, nec ita perfectè vnum ſit Vniuocum. *Confirm.*

Verũ eſt hic notandũ, quòd Analogia, proportionis, quãdoque eſt Aequiuoca; vnde, ſi fundetur ſuper nomine tãtum, & nõ re, eſt Analogia Æquiuoca, vt homo viuus,

viuus,& homo pictus, ſunt vnum propor tione Aequiuoca, & ridere in homine, & ridere in pratis, ſunt vnum proportione Aequiuoca;non enim ſimilia ſunt in re vl lo modo,ſed ſolum impoſitione nominis; ſi vero proportio, & ſimilitudo fundetur in re aliquo modo, eſt vnitas Attributionis,quæ eſt minor vnitate Vniuoca, non tamen Aequiuoca, ſed quaſi media inter Vniuocum,& Aequiuocum; Quod vero arguunt aliqui, quòd vnitas analogiæ nō mediet inter vniuocum, & æquiuocum, quoniam inter contradictoria non datur medium;at eſſe commune pluribus ſecūdum rationem, quod conſtituit vniuocū, & non eſſe commune ſecundum rationē, quod conſtituit æquiuocum, ſunt contradictoria,& ideo Analogum, vel dicit rationem communem pluribus,& ſic eſt vniuocum;vel non dicit rationem commu nem pluribus;& ſic eſt æquiuocum, ergo verè eſt medium, nihil valet contra me; Scotus enim ait, quod vnitas attributionis, non eſt formaliter vnitas vniuocationis,ſed minor,ergo etiam ſecundum Sco tum eſt vnitas aliquo modo media; Ideo ad rationem dico, quòd eſſe commune ſecundum nomen,& rationem,competit quomodo Analogo,vt viſum eſt;ſed modo differenti ab Vniuoco puro; Concedo ergo,quod Analogum ſtat cum Vniuoco, & eſt aliquo modo Vniuocum, non tamē Analogum eſt formaliter Vniuocum, vt declaratum eſt, ſed ſecundum ſuam rationem formalem, dicit vnitatem minorem vnitate Vniuocationis.

Dilucidatur prima ratio Scoti, qua probat ens eſſe vniuocum Deo, & Creaturæ, Subſtantiæ,& Accidenti. Cap. II.

ESt modo maxima difficultas, an ens ſit commune vniuocum ſubſtantiæ, & accidenti,Deo, & Creaturæ;partem af firmatiuā ſuſtinet Scotus vbique, ſed præ ſertim 1.Sent.diſt.3.q.1.reſpondendo ad quæſtionem B. Verum, vt rationes eius magis dilucidè appareant,notandum eſt, quod duo probanda ſunt, vt clarè conſpiciatur ens eſſe vniuocum.

Primum eſt. Quod ens dicit conceptū vnum per ſe verè,& propriè.

Secundum.Quod iſte conceptus includitur per ſe in ſubſtantia,& accidente, & in ſuis inferioribus, hæc enim duo ad perfectum vniuocum requiruntur, vt vidimus ſuprà.

Probat ergo Scotus, quòd ens dicat vnum conceptum per ſe diſtinctum à conceptibus ſuorum inferiorum: ad hoc enim ſequitur poſtea, quòd ſit incluſus in ſuis inferioribus, & aſſumit hunc terminum Deus, & probat, quod conceptus entis eſt vnus,& diuerſus ab alijs conceptibus inferioribus. Ratio prima eſt hæc.

Omnis intellectus certus de vno conceptu,& dubius de diuerſis, habet conceptum,de quo eſt certus, alium à conceptibus,de quibus eſt dubius. Hæc eſt maior. Sed intellectus hominis viatoris,poteſt eſſe certus de Deo,quod ſit ens, & eſse dubius,an ſit finitum,vel infinitū,creatū,vel increatū, ergo intellectus viatoris in Deo habet conceptū entis, alium à conceptib. finiti,& infiniti, creati, & increati; & ita ex ſe conceptus entis eſt neuter: ſed in vtroque illorum includitur,ergo eſt vniuocus; Maior iſtius rationis eſt clara: quia ſubiectum includit prædicatum,vt patet, & probatur:Quia nullus idem conceptus eſt dubius, & certus eidem intellectui: quia eſt aperta repugnantia,dicere,quòd intellectus meus de eodem conceptu rei ſit certus,& dubius, cum certum, & dubium, ſint contraria, vt calidum,& frigidum, quæ eidem ſubiecto ſimul nunquā ineſse poſsunt.

Minor probatur: quia quilibet Philoſophus fuit certus,quòd illud, quod ipſe ponebat primum principium,erat ens,vt qui dicebat ignem eſse principiū, certus erat,quod ignis erat ens, & ille qui ponebat aquā,certus erat,quod aqua erat ens, ſed quilibet Philoſophus fuit dubius, an illud quod ipſe ponebat eſse primū principium,eſset ens creatum,vel increatum: neque erat certus, an eſset primum ens, vel non primum, non erat certus, quod eſset increatum,vel primum: quia tunc fuiſset certus, de falſo, falſum enim eſt, quod ignis ſit ens increatum,& primum: at de falſo non poteſt quis eſse certus, vt de vero: quia falſum non eſt ſcibile: neque erat certus, quòd eſset ens creatum, & pro-

& productum,& non primum,quia tunc non poſuiſſet illud eſſe primum principium;eſt ergo vera Minor, ſcilicet, quòd intellectus hominis pro hoc ſtatu,& vita, poteſt eſſe certus de Deo, & quauis alia re, quod ſit ens, & poteſt ſimul eſſe dubius,an ſit creata,vel increata. Ex hoc ſequitur clara Concluſio,quod iſte conceptus entis eſt diuerſus ab alijs conceptibus, & iſta diuerſitas eſt ex parte rei, & ipſiuſmet entis. Ex hoc habet euidentiam illa alia Conſequentia,quam facit Scotus, ergo cōceptus eſt vnus,& neuter ex ſe,quia niſi eſſet vnus, & neuter ex ſe,non poſſet diuerſificari ab illis.Alia etiam Conſequētia patet: ſcilicet, quod ſit incluſus in illis;quia iam in Minori dicebamus, quòd intellectus eſt certus deDeo,quod eſt ens, ſed dubitat,an ſit creatum,vel increatū, ergo ſignum eſt,quod admittit in creato, & in increato reperiri hunc conceptum entis, ſi enim arbitraretur ens non includi increato, & creato, fruſtra quæreret, an Deus,ſit ens creatum, vel increatum, primum, cum iam ſciret Deum eſſe ens, & ens non includitur in creato, & in increato. Confirmat Scotus hanc ſuam rationem; quia aliquis videns Philoſophos diſcordare in aſſerendo,quodnam ſit primum principium, poteſt eſſe certus, de quocumque illorum, quòd poſuerunt illud primum principium eſſe ens, & tamē propter cōtrarietatem ipſorum poteſt ſimul eſse certus, quod quilibet dubitabat vtrum tale principium ſit hoc ens, vel illud,vt ignis,vel aqua; ecce quod ignis,& aquæ ſunt alij conceptus ab entis conceptu.Inſuper ſi tali dubitanti fieret demonſtratio deſtruens, quòd ignis non ſit primum ens,ſed quod ſit quid poſterius primo ente, propter hoc non deſtrueretur ille conceptus primus ſibi certus quem habuit de igne,ſcilicet, quòd ſit ens,ſed ſaluaretur in illo conceptu particulari, de igne, per hoc autem maximè probatur, quod conceptus entis manet incluſus in inferioribus, quia ille iam erat certus, quod ignis erat ens,aqua erat ens, & huiuſmodi, quia certus erat, quòd primum principium erat ens, & conſequenter opus erat,quod iſta eſſent ens, cum aſſereret ignem eſſe primum principium. Hæc ratio certè eſt euidentiſſima.

Huic rationi reſpondent Thomiſtæ, vt Caietanus,lib. de Ente,& eſſentia,c.2. & Iauellus 4.Metaph.q.1.quos etiam ſequitur Franciſcus Piccolomineus,lib.de Cælo c.14.& alij. Quod iſta ratio ſi quid concludit,concludit alietatem conceptus entis à conceptu ſuorum inferiorum,ſed nō concludit vniuocationem; Quod gratis conceditur, quia ipſi,vt videbimus, ſuſtinent,quod ens ſit Analogum non Vniuocum:quia volunt nunquam analogum ſtare cum vniuoco. *Reſp. Tho.*

Verum pro clariori notitia, & vt facilè varias euaſiones tollere poſſimus, eſt notandum,quod vt in 1.cap.diximus,Ariſt. vniuocum nomen dixit eſſe illud, quod habet duas conditiones. Primā,quod habeat vnicum conceptum. Secundā, quod includatur in ſuis inferioribus ſecundum nomen,& ſecundum rationem:hæc enim ſunt verba formalia Ariſt. in Antepræ dicamentis. *Vniuoca dicuntur quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eſt eadem ſecundum illud nomen*; omne ergo quod eſt commune pluribus ſecundum nomen, eſt etiam ſecundum rationem ſubſtantiæ, ſecundum illud nomen abſque dubio eſt vniuocū, ſiue poſtea ſit cōmune illis pluribus ordine,quodam, & ſecundum prius,& poſterius, hoc nihil refert, ſufficit quod habeat conditiones requiſitas,quas aſſignat Ariſtot.ſi enim aliquæ aliæ requirerentur, & iſtæ non ſufficerent,eſſet diminutus Ariſt.non addidit autem Ariſt.ad hoc,quod nomen ſit vniuocum, quod eius conceptus æqualiter participetur à ſuis inferioribus, & exemplificat de animali viuo, cuius conceptus participatur ſecūdum prius,& poſterius, vt ſupra diximus, & infra dicemus, ſed pro nunc hoc ſufficit, quod ad vniuocationem Ariſt. nullam aliam conditionem aſſignat,niſi, quod ſit commune pluribus ſecundum nomen,& ſecundum rationē, & per hoc diſtinguitur ab æquiuoco. *reijc.*

Et ex hoc habetur impugnatio illius reſponſionis,quam communiter adducunt Thomiſtæ: Ens eſt Analogū, non vniuocum;quia licet includatur in ſuis inferiori bus,includitur tamen ſecundum prius,& poſterius,& Analogicè; tollitur inquam: quia

quia non propter hoc tollitur, quin claudatur in illis ſecundum conceptum ſuũ, & conſequenter vniuocè; non ſoluit ergo dicere, includitur Analogicè, ergo non Vniuocè:quia modus non variat rem,ordo autem ille, eſt modus quo ens clauditur in ſuis inferioribus; non ergo valet inferre ex modo,negationem abſolutam incluſionis conceptus;Stante hoc fundamẽto, hæc reſponſio reijcitur apertè ex dictis in probanda ſecunda Conſequentia facta in ratione iſta nunc: nam cum dicit Scotus in Minori,quod aliquis poteſt eſſe certus de Deo,quòd eſt ens,& poteſt dubitare, an ſit creatum,vel increatum,certum eſt, quòd arbitratur increatum, & creatum claudere in ſe conceptum entis, & eſſe entia, alioquin ſi creatum, & increatum,non clauderent in ſe ens,eſſet impoſſibile,quòd illi dubitanti poſſet in animum cadere Deum poſſe eſſe increatum, vel creatũ, cum iam ſciat Deum eſſe ens; Ratio itaque concludit, ens includi in increato,& creato,& primò, & non primò ſecundum nomen, & ſecundum conceptum, & ſubſtantiam ſuam;Quod autem includitur in aliquibus,ſecundum nomẽ, & rationem,eſt Vniuocum, ergo ens eſt Vniuocum.Præterea concedit,quod hæc ratio concludit conceptum entis eſſe aliũ, & neutrum à conceptibus inferiorum; tunc quæro:vel ſubſtantia,& accidens includunt hunc conceptum entis, vel non; ſi non,ergo non poſſunt dici entia;Et hęc propoſitio eſt falſa, ſubſtantia eſt ens, & accidens eſt ens,ſicuti iſta,homo eſt lapis, quia homo non claudit in ſe conceptum lapidis:ſi autem claudit,vt fateri habent, quia omnia ſuperiora includuntur actu in inferioribus, ergo vniuocè prædicatur ens de ſubſtantia,& accidente,quia includitur ſecundum nomen, & ſecundum rationem in ſubſtantia,& accidente.

Aliorum reſp. Alij reſpondent concedendo Maiorẽ; ſed ad Minorem dicunt,quod qui cognoſcit de Deo,quod eſt ens, & de Creatura, quod eſt ens,& dubitat poſtea,an ſit finitum,vel infinitum, eſt certus de aliquo vno conceptu diſiunĉto: ſed dubitat tamen de qualibet parte diſiunĉti, & conſequenter, (vt arbitror eos velle dicere)dubitat, an conceptus diſiunĉtus claudatur in partibus conceptus diſiunĉti, & ſic dubitant,an ſit Vniuocus, ſed hæc ſolutio eſt nulla:quia primo hęc reſponſio concedit, quod ens eſt conceptus vnus per ſe, neuter à conceptibus ſuorum inferiorum. *reijc.* Ex quo clarè habetur, quod ens non eſt nomen Aequiuocum,quia nomini Aequiuoco non reſpondet vnus per ſe conceptus: ſed eſt purum nomen commune; & hoc eſt quod primo intendit ratio Scoti, vt ſuprà diximus: quod modo iſte conceptus vnus entis,claudatur in ſubſtantia,& accidente,creato,& increato, & alijs inferioribus, patet per rationes nunc adduĉtas contra reſponſionem Caietani.

Aliorum reſp. Alij reſpondent, quod ens,quod dicitur de Deo,& ens, quod dicitur de Creatura, non important vnum conceptum; ſed duos conceptus, qui propter maximã propinquitatem, & ſimilitudinem videtur vnus conceptus. Hanc reſponſionem euertit Scotus in litera; quia deſtruit viã inueniendi conceptum vniuocum, quia dicam quoque animal, quod dicitur de Homine,& animal, quod dicitur de Aſino,non importare vnum conceptum,ſed duos, qui propter ſimilitudinem videantur vnus. Habes alias rationes ibi apud Scotum. Præterea,ſi illi eſsent duo conceptus,& intelleĉtui videantur vnus,deciperetur intelleĉtus,cum rem intelligeret aliter ac ſit. Inſuper eſt impoſſibile, quod ſi ſint duo diuerſi conceptus,intelleĉtus apprehendat vt vnum.Probatur hæc propoſitio:quia quotieſcumque intelleĉtus apprehendit aliquem conceptum propriũ, apprehendit illum ſub ratione propria: ſed ratio propria illi eſt alteri incompoſſibilis, ergo dum intelleĉtus apprehendit conceptum proprium alicuius rei,diſtinguit illum à quacumque alia re: quia talis conceptus eſt incompoſſibilis cuicumque alij rei,ergo ſi conceptus entis, quod dicitur de Deo, & conceptus entis quod dicitur de Creatura, ſunt diuerſi,nunquã poterunt videri idem conceptus intelleĉtui apprehendenti illos verè.

Aliorum reſp. Alij reſpondent, quòd hæc ratio nihil concludit: quia illa Maior eſt falſa; quòd probatur exẽplis. Primo;Sint tres in vna camera obſcura, qui vocentur hoc nomine Socrates,aliquis iſtorum percutiat me

exiſten-

exiſtentem in illa camera,tunc certus ſũ ꝙ Socrates me percuſſit, dubito autẽ vtrũ hic,vel ille Socrates,ergo Socrates importat vnum conceptum communem pluribus? Non valet; Similiter, ponatur piſcis marinus in ſacco vno, & animal latrabile, qui quoque dicitur canis, in eodem ſacco,aliquis eorum moueatur, tunc certus ſum quod ille qui mouetur,eſt canis, dubito tamen, an ſit piſcis marinus, vel canis latrabilis,ergo canis, importat conceptum communem vtrique?non valet, ergo. Illa Maior eſt falſa. Item, certum eſt quod vniuerſale, id eſt, natura communis ſecundum Scotum, eſt ens reale, ſecundum D.Thom.eſt ens rationis:vterque iſtorum eſt certus, quod vniuerſale eſt, dubitat autem an ſit reale, vel rationis,ergo conceptus entis eſt vnus,& neuter à conceptu entis realis,& rationis,non valet;quia illis nihil eſt commune vniuocum.Iſtæ obiectiones adducuntur ab Antonio Trombetta in ſua quæſtione de vniuocatione entis,& multa dicit,vt illas ſoluat,quibus dimiſſis, breuiter dici poteſt, quod licet prima facie videantur efficaces, vt ſolent omnes fallaciæ, tamen cum recte rationem Scoti conſideramus, euaneſcunt. Notandum eſt ergo, quod maior Scoti dicit ſic. Intellectus certus de vno conceptu in aliqua re, & dubius de alijs illius rei, habet conceptum de quo eſt certus, alium à conceptibus, de quibus eſt dubius. Hęc propoſitio eſt certa, & clara, vt ſuprà probauimus; modo in exemplis allatis non affertur aliquis conceptus vnius rei,de quo intellectus ſit certus,& aliqui,de quibus ſit dubius:ſed ſolum affertur effectus, qui prouenit ab altera illarum cauſarum, ſed ignoratur à quanam proueniat;Cum enim dicitur in primo exemplo;Certus ſum,quòd Socrates me percuſſit:ecce hoc eſt effectus, qui eſt mihi notus, ignoro autem quis Socrates fuerit,id eſt quæ fuerit cauſa determinata huius meæ percuſſionis. Idem de ſecundo exemplo, notus eſt effectus canis mihi; notus eſt enim motus, ſed ignoro cuius canis, vt cauſæ ſit effectus. Ecce quod in his exemplis non datur vnus conceptus notus,& alter ignotus,ſed effectus notus,& ignoratio,cuius cauſæ determinatæ ſit effectus, & ideo non ſunt ad propoſitum. In tertio vero exemplo non datur aliquis cõceptus de quo vterque Scotus,& Diuus Thom. ſint certi, licet dentur conceptus de quibus ſunt dubij: ſed diſputant de primo conceptu vniuerſalis,an ſit ens reale,vel ens rationis; Exempla ergo iſta nõ ſunt ad propoſitum:quia non ſunt ſimilia. Notandum eſt autem ad vberiorem doctrinam,quod ens,quod eſt commune enti reali, & enti rationis, non habet vnicum conceptum communem, præter opus intellectus, ſed eſt nomen æquiuocum purum, formatum ab intellectu:at antiqui Philoſophi cum concipiebant Deum, erant certi, quod eſt ens, id eſt ens reale exiſtens in rerum natura; Ecce quod habebant vnum conceptum realem, præter opus intellectus de Deo, dubitant autem de alijs, ſcilicet, an ſit primum, vel non primum, creatum, vel increatum. Nota etiam quod hæc ratio ſupponit dari cõceptum communem pluribus, vt omnes concedunt, nemo enim negat dari conceptum vniuocum,licet diſputetur, quiſnam ſit ille, & ſtante hac ſuppoſitione communiſſima, ratio eſt efficaciſſima: quia concludit talem conceptum communem eſſe in illo, de quo intellectus in illa re eſt certus, tunc enim neceſſariò ille conceptus de quo intellectus eſt certus, eſt alius, & neuter ab alijs conceptibus, de quibus eſt dubius, & incluſus in illis,vt diximus ſupra declarando hanc rationem; quia intellectus non poteſt eſſe certus, & dubius de eodem conceptu, ergo eſt vniuocus. Hoc argumentum probat etiam, quo ens ſit vniuocum Deo, & Creaturæ: poteſt autem per idem probari quod ſit vniuocum Subſtantię,& Accidenti: quia Philoſophi diſputant de lumine,an ſit ſubſtantia,vel accidens, & tamen ſunt certi,quod lumẽ eſt ens reale, ergo eſt alius conceptus à ſubſtantia,& accidente,& vniuocè incluſus in illis.

notandum. *notandum.*

Adducuntur aliæ rationes ad eandem vniuocationem probandam. Cap. III.

SEcundò principaliter arguit Scotus 2. ad eandem Concluſionem; & Primò facit,

2. ratio princ.

facit, & probat hoc fundamentum, quod in intellectu viatoris, non poteſt naturaliter cauſari aliquis conceptus ſimplex, niſi ille qui fieri poteſt à phantaſmate, ſiue ab obiecto relucente in phantaſmate, & ab intellectu agente. Hoc fundamentum probat ſic. Nullus conceptus cauſatur naturaliter in intellectu viatoris, niſi ab his, quæ ſunt motiua intellectus noſtri naturaliter, hæc autem motiua naturaliter ſunt ſolum obiectum in phantaſmate, & intellectus agens, ergo nullus alius conceptus ſimplex fit naturaliter in intellectu noſtro, pro hoc ſtatu, niſi qui cauſatur ab obiecto in phantaſmate relucente, & intellectu agente. Secundò ſupponit, quod conceptus iſte ens dicitur de Deo, qui ſecundum aduerſarios non eſt Vniuocus, ſed Analogus ſit prior, & præſtantior conceptu Creaturæ: tunc ſic arguit. Obiectum quodcumque, ſiue relucens in phantaſmate, ſiue in ſpecie intelligibili, cum intellectu agente vel poſſibili cooperante (non vult modo diſputare, quinam intellectus ſit, qui produca intellectionem, de qua re nos ſuo loco) ſecundum vltimum virtutis, facit in intellectu ſicut effectum ſibi adæquatum, conceptum ſuum proprium, & conceptũ omnium eſſentialiter, & virtualiter contẽtorum in ipſo: ſed ille conceptus ens, qui ponitur Analogus, dictus de Deo, non eſt eſſentialiter, vel virtualiter incluſus in iſto, neque eſt iſte per Aduerſarios: quia dicunt non cõuenire in aliqua ratione cum illo obiecto virtualiter, & conſequenter in illo non contineri virtualiter, ergo ille conceptus non poteſt produci in intellectu noſtro ab obiecto relucente in phantaſmate: Sed hoc eſt falſum; patet enim, quod Philoſophus naturaliter habet multos conceptus de Deo, ergo dicendum eſt virrualiter contineri in obiecto naturali intellectus, & conſequenter conuenire in aliquo conceptu vniuoco cum creatura. Minor patet ex ſecundo ſuppoſito: nihil enim nobilius, & prius, virtualiter clauditur in ignobiliori, & poſteriori. Maior quoque eſt clara: quia nihil agit vltra propriam virtutem.

Reſp. Caie. Huic rationi reſpondet Caietanus loco citato, & negat Maiorem, dicens, eam eſſe diminutam: quia non ſolum obiectum poteſt producere cognitionem ſui, & ſuorum effectuum, quos in ſe continet cauſaliter, ſed etiam eorum, quos continet participatiuè: ad propoſitum, obiectum exiſtens in intellectu, eſt creatura, & eſt effectus Dei: omnis autem effectus participat cauſam ſuam, & ſic continet ſuam cauſam, non virtualiter, neque eſſentialiter, ſed participatiuè, & ſic poteſt gignere notitiam ſuæ cauſæ; Neque eſt neceſſe, quod tale continens participatiuè, ſit prius & nobilius contento, ſed neceſſe eſt quod ſit ignobilius; Cum itaque omnis creatura contineat Deum participatiuè, poteſt gignere conceptum de Deo. Hæc reſponſio confirmat rationem Scoti: nam concedit, quòd Creatura participat Deum, vel virtutem Dei, tunc; ſic non poteſt participare virtutem Dei niſi participet entitatem cum Deo; quia virtus ſequitur entitatem, & ſicuti in Deo eſt infinita virtus, quia entitas infinita, ita in creatura cum ſit virtus finita, aderit entitas finita. Cum ergo creatura participet virtutem Dei; debet quoque participare entitatem cum Deo, & ſic ens, ſiue entitas eſt commune vniuocum Deo, & creaturæ. Præterea, quæ aliquam rem participant realiter, conueniunt in illa re realiter, & illa res participata eſt illis communis, adeo quod licet in participando dentur gradus, & ordo, tamen id, quod participatur, eſt eiuſdem rationis in omnibus; exempli gratia; Dulcedo à melle participatur & à lacte, licet participetur aliquo ordine, & ſecundum prius, & poſterius, tamen dulcedo lactis, & mellis eſt eiuſdem rationis, & vniuoca: alioquin ſi dulcedo mellis, & lactis eſſent diuerſæ rationis, & non vniuocæ, non dicerentur participare dulcedinem eandem, ſed diuerſam; neque illa continentia poſſet dici participatio: quia participatio eſt captio partis alicuius totius cõmunis. Ecce ergo quod neceſſe eſt quod illud, quod participatur ſit vniuocum, & eiuſdem rationis in participatis. Cũ ergo dicitur, quod Creatura participat Deum, neceſſe eſt quod in Deo ſit aliquod cõmune reale vniuocũ, quod à Creatura participetur quod ſi ſint omnino diuerſæ rationes in omnibus

omnibus conceptibus,creatura nõ poteſt participare Deũ. Effectus ergo participat cauſam tunc ſolum,cũ conuenit cum ſua cauſa in aliquo conceptu;quod ſi ſint omninò in omnibus diuerſa, non poterit dici,quod effectus participet cauſam:quod etiam communi vſu loquendi confirmamus: quia dicimus creaturam participare bonitatem Dei, virtutem, cognitionẽ, quia hæc omnia ſunt in Deo, & Creatura, licet ſint in Deo perfectiſſimo modo, in Creatura imperfectè, tamen ratio bonitatis communis, eſt eadem in Deo, & Creatura: ſed Deus eam includit ſecundum omnes gradus, & ſimpliciter, Creatura autem valdè imperfectè.

Præterea ratio Scoti ſtat in ſuo robore, Licet enim Creaturæ vt effectus Dei, contineant Deum in ſe participatiuè, niſi etiam contineant cauſaliter aliquem conceptum communem vniuocè ſibi,& Deo, numquam poterunt cauſare cognitionẽ conceptus alicuius de Deo. Probo hoc Aſſumptum: quia cauſæ producentes intellectionem,reducuntur ad cauſam efficientem; modo cauſa efficiens non poteſt producere effectum,qui non contineatur in ea virtualiter, vt patet; quia nihil agit vltra vires ſuas, ergo effectus non poteſt gignere,& producere conceptum de cauſa, niſi contineat illum conceptum in ſe virtualiter, (licet contineat illam cauſam participatiuè, vt dicunt: quia illa continentia virtualis, & illa continentia participatiuè, non ſunt eiuſdem rationis, ſed diuerſæ)non poteſt autem continere in ſe virtualiter illum conceptum:quia in nullo cum eo conuenit, & eſt omnino alterius rationis ab ea, & ſuperioris nobilitatis.Certum eſt etiam ſecundum Aduerſarios, quod naturaliter venimus in cognitionem abſtractorum ex ſenſibilibus phãtaſmatibus:ſi ergo abſtracta cum ſenſibilibus in nullo conceptu vniuoco conueniunt, eſt impoſſibile habere naturaliter aliquem conceptum verum de abſtractis per hæc phantaſmata inferiora,non enim cognita vna re diſparata,per eam cognoſcimus aliam diſparatam; vt per conceptum Equi,non cognoſcimus Hominem: quia ſunt conceptus diſparati,& diuerſi; Quòd confirmatur exemplo:neque enim dicam, quòd Hominis phantaſma poſſit producere conceptum, & notitiam Angeli in intellectu meo:quia circumſcripto ente, & ſubſtantia, in nullo conueniunt Homo,& Angelus, ideò licet phantaſma hominis poſſet gignere in intellectu meo conceptum entis,& ſubſtantiæ,in quibus conuenit cum Angelo, non tamen poterit gignere conceptum incorporeitatis,& aliorum, in quibus differt Homo ab Angelo. Ideo Iauellus aliter reſpondet huic rationi, & inquit, quòd ratio Scoti peccat in hoc: quia ſupponit,quod ens Analogum, vt ipſi ponunt, dicat plures conceptus, & alterius rationis, hoc enim dato,ratio Scoti haberet aliquam vim, quia oſtendit,quod ſi conceptus de Deo,& cõceptus dictus de Creatura, ſint diuerſi, nullus conceptus de Deo haberi poterit naturaliter; Sed hoc ipſi non dicunt: immò aſſerunt,ens eſſe Analogum,ita,quod habet vnum conceptum, ſed ille participatur à ſuis inferioribus ſecundum prius, & poſterius,& ordine quodam. *Reſp. Iau.*

Hæc reſponſio ſimiliter confirmat rationem Scoti;quia concedit,quod ens habeat vnum conceptum, qui includitur in ſuis inferioribus, ſecundum eandem rationem realem licet ordine quodam; Diximus autem ſuprà,quod huiuſmodi conceptus Analogus, eſt etiam Vniuocus; & pluries hoc probatum eſt ſuprà; & ratio iſta adhuc idem confirmat,vt viſum eſt; & in hoc eſt differentia inter Scotum, & D. Thomam, ſiue Thomiſtas, quod ipſi fateri nolunt,ens eſſe Vniuocum, ſed purum Analogum. Scotus autem ſuſtinet illud eſſe Vniuocum, & ſimul Analogũ. Ratio etiam probat, quod conceptus entis dictus de Deo, nedum debet eſſe Analogus,ſed Vniuocus; alioquin naturaliter non poſſet haberi à Viatore,quòd eſt clarè falſum. *Reijc.*

Tertia ratio principalis Scoti, Omnis inquiſitio Metaphyſ. cognitionis Dei procedit ſic: Primò conſideramus rationes formales verum in ſe; Deinde ablata imperfectione, quam habent in Creaturis, transferimus in Deum, cum omni perfectione,ergo neceſſe eſt,quod ratio illa formalis dicatur Vniuocè de Deo,& de Creatura; Exemplum videmus in nobis, intel- *3. rõ Princ.*

lectum

ſectum ſecundum ſuam rationem forma lem dicere perfectionem, illum attribuimus Deo, remota quacumque imperfectione, idem dicendum de voluntate, de ſapientia, & alijs attributis, ſecundum Theologos.

Quod ſi quis dicat. Alia eſt ratio formalis intellectus, vt cōpetit Deo, & alia, vt eſt in creatura. Hoc reijcitur: quia tunc ex creaturis male, & falſo concluderemus aliquem conceptum de Deo; neque eſſet vera iſta: Deus eſt intelligens, immò non magis concluderetur, quod Deus eſt ſapiens formaliter, ex ratione ſapientiæ, quam apprehendimus ex creaturis, quā quod Deus eſt lapis: ſi enim ſunt omninò diuerſæ rationis, ex vno non poteſt concludi aliud.

Huic rationi reſpondent Caietanus, & cęteri Thomiſtæ, perſiſtendo in eadem ratione: vnde negant conſequentiam, & dicunt ſufficere analogiam illius rationis formalis. Sed hæc reſponſio iam ſuprà eſt confutata, & hanc rationem non tollit, quia illa ratio formalis ſi ſit purè Analoga, & non Vniuoca, vt ipſi dicere debent, erit in ſe diuerſæ rationis, & non poterit inducere cognitionem, & conceptum certum de abſtractis, ſed falſum, vt dictum eſt. Præterea, ſi intellectus, vt dicitur in nobis, & vt dicitur in abſtractis, non conuenit, niſi in proportione, & analogia pura, non eſſent veræ iſtæ: Deus habet intellectum; Deus eſt ens; & ſimiles; ſed eſſent veræ proportionaliter, id eſt, quod in Deo non eſt intellectus, ſed aliquid proportione quadam remota omni vniuocatione, reſpondens intellectui; Similiter Deus non erit ens, ſed aliquid ſimile enti, remota omni vniuocatione, & ſic de alijs: Fatentur enim, quòd non eſt eadem ratio formalis intellectus, entis, & aliorum in Deo, & in nobis: ſed ſolum Analogicè, purè, quod eſt per quādam attributionem, & ſimilitudinem ſine Vniuocatione omninò: at hoc eſt contrā Theologos, & Philoſophos: nam ponimus in Deo intellectum ex Ariſtot. in 12. Metaph. tex. 39. Sæpè, & uoluntatem, & ſapientiam ſecundum Theologos, ſecundum eandem rationem, quam ponimus in nobis, ablata ſolum imperfectione: auferre autem imperfectionem à re, uel addere perfectionem, nō eſt mutare rationem formalem: quia magis, & minus non variant ſpeciē; Neceſſe eſt ergo dicere, quod iſti conceptus Metaphyſici, dicti de Deo, & Creatura, nedum ſunt ijdem Analogicè, & per ſimilitudinem, ſed etiam Vniuocè, ſicuti ſuprà diximus Analogiam ſtare cum Vniuocatione, alioquin non eſſent veræ propoſitiones formatæ à nobis de abſtractis, cum huiuſmodi conceptibus; Quod ſi quis dicat, conceptum entis, qui dicitur de Deo, & qui de Creatura, habere in ſe quandam ſimilitudinem, per quam intelligere poſſumus vnum ex alio, fatentur tunc eſſe vniuocum: quia non poſſunt eſſe ſimiles in ſe, niſi rationem aliquo modo Vniuocam includant, licet cum maximis differentijs, hoc enim eſt Vniuocum Analogum, vt ſuprà dixi. *reſp.*

Has tres rationes iterum pertractat Scotus 1. Sent. diſt. 8. quæſt. 3. & adducit varias reſponſiones, quæ ab Henrico, & antiquis adducebantur: quas, quoniam ibi confutātur, non adduxi, ſolum adduxi præcipuas, quæ à poſterioribus productæ ſunt.

4. Quarta ratio deſumitur ex Ariſt. apud Scotum, in eadem quæſt. & eſt hæc. Subſtantia non immutat immediatè intellectum noſtrum ad aliquam intellectionē ſui, ſed ſolum accidens ſenſibile; Cum ergo ſolum accidens ſenſibile immutat intellectum noſtrum, opus eſt, quod ſi intellectus noſter habet aliquem conceptum quidditatiuum de ſubſtantia, ille ſit abſtrahibilis ab accidente: at nullus alius conceptus ab accidente poteſt abſtrahi, qui conueniat Subſtantiæ, ſimul cum accidente, niſi ens, ergo ſi neque ens ſit Vniuocum, nullus conceptus Vniuocus, & Quidditatiuus de ſubſtantia habebitur, qui explicet, & ingrediatur eſſentiam ſubſtantiæ.

Huic rationi reſpondent Caietanus, & alij: ſed quia hęc ratio illam difficultatem expoſcit, ſcilicet an ſubſtantia immutet intellectum, ideo hic Superſedeo. *Reſp. Caie. vide Theorema 88.*

5. Quinto arguo ipſe ex principijs Ariſt. & ratio iſta mihi efficaciſſima videtur. Illud eſt nomen Vniuocum, quod prædicatur de pluribus ſecundum nomen, & ſecundum

cundum rationem eandem: ſed ens prędicatur de pluribus inferioribus ſecundum nomen, & ſecundum rationem, ergo ens eſt nomen vniuocum ſuis inferioribus.

Maior eſt Ariſt. in Antepraedicamentis, & ab omnibus conceditur; Minor verò probatur: quia quod inferiora contenta ſub ente, includant rationem entis, patet; quod etiam includant nomen entis, id eſt, conceptum, probatur: quia ens reale deſcribitur eſſe illud, quod habet eſſe in rerum natura, præter opus intellectus, vel ſimilibus verbis eundem conceptum ſignificantibus: modo patet, quod quælibet res accepta ſub ente, vt eſt ſubſtantia, & accidens, includit huiuſmodi conceptum entis, quia de qualibet verum eſt dicere, quod eſt in rerum natura præter opus intellectus, ergo ens eſt vniuocum.

Reſp. aliquorum. Huic rationi reſpondent, qui dicunt ens eſſe Aequiuocum, quod ens nullum habet vnum conceptum, neque definitionem, ſed purum nomen, & quod propterea non poteſt eſſe commune pluribus ſecundum rationem, & quod ratio, & deſcriptio aſſignata, eſt definitio verbalis.

Reijc. Contra, Si hæc reſponſio iſtorum valeret, ſequeretur, quod neque ſubſtantia, neque vllum genus generaliſſimum, ſit vniuocum, Conſequens eſt apertè falſum. Quod ſi quis concedat de ſubſtãtia, quod non ſit vniuocum, neque ſupremum genus in Cathegoria Subſtantiæ, ne fiat cõtentio in verbis, accipiamus illud, quod eſt ſupremum genus in Cathegoria Subſtantiæ, ſiue illud ſit Corpus, ſiue Subſtantia, dico, quod hoc non erit Vniuocum, quòd tamen omnes habent pro abſurdo manifeſto; Hoc probatur: quia huiuſmodi genus generaliſſimum, nullam habet definitionem, neque enim habet ſuprà ſe genus, quod ingrediatur eius definitionem: ſolum ergo poterit deſcribi eius conceptus; vt ſubſtantia ſic deſcribatur. Subſtantia eſt, quæ in ſubiecto non eſt; hoc enim modo ſæpè Ariſtot. ponit diſcrimen inter ſubſtantiam, & accidens, & in Prædicamentis tali deſcriptione deſcribit ſubſtantiam; Modo ego quoque dicam hanc deſcriptionem eſſe verbalem. Eſt ergo dicendum, quod cum iſta ſint ſuprema, ſcilicet ens reale, & genera generaliſſima, propter hoc non habent perfectas definitiones, tamen habent conceptus ſuos, qui per deſcriptiones explicantur, & ideo cum claudantur in ſuis inferioribus ſecundum nomen, & ſecundum rationem, ſiue ſecundum hos conceptus explicatos per has deſcriptiones, ens, & genera generaliſſima ſunt vniuoca. Quod etiam confirmatur: quia Ariſtot. quando in Antepraedicamentis deſcribendo Vniuoca dixit. *Vniuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ eſt eadem*, per rationem ſubſtantiæ intellexit conceptum quidditatiuum, non definitionem propriam; patet; quia in capite de Subſtantia, explicando proprietates ſubſtantiæ, dixit: ſubſtantiæ eſſe proprium, prædicari Vniuocè: ſed hoc non competere ſoli ſubſtantiæ, ſed etiam differentijs ſubſtantialibus, vt rationali, & alijs. Modo clarũ eſt, quod rationale, & huiuſmodi differentiæ, non habent proprias definitiones: quia non habent alias differentias, neque habent in recto genus ſupra ſe, vnde ſi quis definire vellet rationale, non diceret: rationale eſt animal, quia animal non prædicatur in recto de rationali; neceſſe ergo erit deſcribere eam meliori modo quo fieri poterit, & ita prædicabitur Vniuocè de ſuis inferioribus, ſcilicet indiuiduis ſuæ ſpeciei, & tamen non habet definitionem propriè dictam. Clarum eſt ergo, quod Ariſtot. per rationem ſubſtantię, intellexit conceptum quidditatiuum, ſiue per definitionem, ſiue per deſcriptionem explicetur. Cum itaque ens ſit commune pluribus ſecundum nomẽ, & ſecundum rationem, & ſecundum conceptum quidditatiuum, eſt dicendum, quòd ſit Vniuocum; qui verò concedunt, ens non eſſe Aequiuocum, ſed habere proprium conceptum, ſiue ſit Analogum, ſiue non, non poſſunt vitare quin ſit Vniuocum, quia cui competit definitio Vniuoci aſſignata ab Ariſtot. eſt Vniuocum, ſed ſic eſt, quòd enti, vt viſum eſt, competit definitio Vniuocorum, ergo eſt Vniuocum; Nec valet afferre diuerſas differentias inter Vniuocum, & Analogum, illæ enim non aſſignantur ab Ariſtot. & etiam non auferunt Vniuocationem, vt viſum

eſt ſu-

eſt ſuprà, & dicemus reſpondendo ad rationes Aduerſariorum. Concludendum eſt ergo, quod ens Vniuocè, & Analogicè prædicatur de ſuis inferioribus, & quod Analogia ſtare poteſt, & ſtat in præſenti cum Vniuocatione. Alias rationes habes apud Antonium And. Io. Canonicum, & Anton. Trombettam. Sed iſtæ ſunt præcipuæ, deſumptæ ex ipſomet Scoto. Rurſus habes alias rationes in Theoremate, Ens diuiditur in decem Prædicamenta, per modos eſſendi.

4. metaph. qu. 1. 2. ph. qu 3. 4 metaph. qu 2. The. 97.

Explicatur quomodo ens prędicetur de ſuis paſſionibus, & vltimis differentijs. Cap. IV.

POſtquam probauit Scotus, quod ens Vniuocè prædicatur de Deo, & Creatura, Subſtantia, & Accidente, in 3.q.eiuſdem 3.diſtin. reſpondendo ad quæſt. ait, quòd licet ens vniuocè prædicetur, non tamen eſt vniuocum Prædicatũ in quid, de omnib. per ſe intelligibilibus; Ex quo orta eſt vna diſt. inter Scotiſtas: quod aliud eſt, Vniuocè prædicari, & aliud eſſe vniuocum Prædicatum, & volunt, quod ens vniuocè prædicetur de omnibas per ſe intelligibilibus: ſed nolunt quod ſit vniuocum prædicatum; Quæ diſtinctio ab alijs varijs modis explicatur; Sed quia hæc diſtinctio parit maximam confuſionem in hac materia, & eſt commentum quorundam non intelligentium Scotum, licet in aliquo ſenſu ſit admittenda, & admittat eam Scotus alibi, vidè Scotum in 3. Sentent.d.7. quęſt.2.§.quarto videndum eſt, &c. & quę ibi nos diximus in diſput. Theologicis, ideo declaranda eſt ſententia Scoti in hac re, vt quid ipſe de vniuocatione entis ſenſerit, vnuſquiſque apertè cognoſcat. Notandum eſt ergo, quod Scotus loco citato inquit: quod ens non eſt vniuocum dictum in quid, de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non de vltimis differentijs, neque de proprijs paſſionibus, vbi eſt aduertendum, quòd non negat ens vniuocè prædicari de omnib. per ſe intelligibilibus: quia iã probauit, quod ens vniuocè dicitur de Creatura, & Deo, de Subſtantia, & Accidente; Modo ſub his quattuor membris continentur omnia per ſe intelligibilia; ſi autem modo negaret, ens eſſe vniuocum, dictum de omnibus per ſe intelligibilibus, ſibi expreſsè contradiceret; Nec valeret ſolutio illa quod Scotus dicat ens non eſſe vniuocũ prædicatum, non autem non vniuocè prædicari, vt quidã Scotiſtæ reſpondent: quia clarum eſt, quod illud quod vniuocè prædicatur, appellatur vniuocum prædicatũ: & ideo ſi hæc eſt vera, ens vniuocè prędicatur, etiam hęc eſt uera: ens eſt vniuocũ prędicatum; Eſſet ergo ridicula reſpõſio; vltrà quod non eſt ad mentem Scoti. Dicendum eſt igitur, quod Scotus loco citato, non negat ens vniuocè prædicari de omnibus per ſe intelligibilibus: ſed negat ens vniuocè prædicari in quid, de omnibus per ſe intelligibilibus, & hoc eſt quod clarè ipſe dicit, & probat ibi, licet pauci, vel nullus, quod viderim, illud animaduerterint; ſed opus eſt hoc declarare, videtur enim prima facie quoddam magnum abſurdum.

Sciendum eſt ergo, quod duplex eſt prædicatio propria, ſcilicet, in quid, & in quale, ex Porphyrio. Genus, & Species prædicantur in quid, Differentia verò, Proprium, & Accidens, in quale; illa in quale eſſentiale; iſtud, in quale accidentale; Omnia ergo Genera, & Species, appellantur prædicata quidditatiua: quia prædicantur in quid, & ita in illis ſubiectis inferioribus, in quibus clauduntur, dicuntur claudi, & ineſſe quidditatiuè. Differentia verò dicitur prædicatum qualificatiuum, quia qualificat, & determinat, licet ſubſtantialiter, & propterea differentiæ non dicuntur claudi, & ineſſe quidditatiuè ſuis ſubiectis, ſed potius qualificatiuè, ſed eſſentialiter. Ex hoc apparet, quòd quæ prædicantur in quid, cum ſint ſolũ Genera, & Species, habent rationem totius, & determinabilis, & communicabilis inferioribus; Differentia autem non habet rationem determinabilis, & totius, ſed ſolum habet rationem determinatiui, & qualificatiui: quia determinat, & qualificat illud commune ſubſtantialiter, cum illis dat eſſe tale. Ex his apparet propoſitum, quoniã inquit Scotus, quod ens prædicatur vniuocè de omnibus, ſed non prædicatur vniuocè de omnibus in

quid:quia non prædicatur de vltimis dif ferentijs in quid; Ratio eſt, quia licet ens claudatur in vltimis differentijs vniuocè, id eſt ſecundum nomen,& ſecundum rationem; tamen non clauditur in eis vt aliquod totum, & vt communicabile pluribus,& determinabile:quia tunc illa differentia vltima adhuc eſſet diuiſibilis, qđ eſt inconueniens, cum ſit vltima differentia; clauditur ergo in vltimis differentijs vt determinatiuum, quia illa differentia non eſt diuiſibilis, ſed vltimum determinatiuum entis, & ſic ens prædicatur de vltimis differentijs vniuocè, non in quid, ſed in quale,vnde dato,quod vltima differentia ſit A.hæc propoſitio, A. eſt ens, non eſt in quid, ſed quaſi per accidens, quia eſt in quale, vt ait reſpondendo ad primum argumentum factum contra vniuocationem entis lit.N. Similiter prædicatur de proprijs paſſionibus vniuocè, ſed non in quid, quia neque in illis clauditur, vt aliquod totum communicabile pluribus, ſed clauditur in illis tamquàm in vltimum terminum ſuum, & ideò vltimæ differentiæ,& propriæ paſſiones entis appellantur à Scoto conceptus ſimpliciter ſimplices,id eſt non reſolubiles in vlteriores conceptus, quia ſunt vltimi termini entis, non amplius diuiſibilis, nec determinabilis. Et nota ad vitandam ambiguitatem,quod etiam prædicata ſumpta ex differentijs, & in ſe differentiæ appellātur quandoque, & ſæpè prędicata quidditatiua,vt rationale,dicitur prędicatum quidditatiuum, & in primo modo dicendi per ſe hominis, ſed tamen nō dicuntur prędicata quidditatiua, eo quod prędicentur in quid de ſuo ſubiecto, non enim prędicantur in quid, ſed in quale: ſed dicuntur prædicata quidditatiua, quia pertinet ad quidditatem rei,ideo in alio ſenſu illa accipiuntur, cum prædicata quidditatiua dicuntur, atque in præſenti nos loquamur. Vnde poteſt formari talis diſtinctio;Prædicatum aliquod eſſe quidditatiuum,vel prædicari in quid,poteſt duobus modis intelligi;Vno modo quatenus pertinet ad eſſentiam rei in primo modo, & ſic concedimus ens eſſe prædicatum quidditatiuum, & prædicari in quid, de omnibus etiam differentijs vltimis, alio modo quatenus tale prædicatum prædicatur in quid, & hoc modo negamus ens eſſe prædicatum quidditatiuum reſpectu vltimarum differentiarū, & propriarū paſſionum, & in hoc ſenſu loquimur in præſenti;& per hanc diſtinctionem ſoluūtur omnes obiectiones Thomiſtarū, quia non intelligunt poſitionem Scoti; Prædicatio vero entis de ſuis paſſionibus nullo modo eſt in quid,ſed in quale,vt declaratum eſt:quia ens includitur in illis per modum qualificantis, & determinantis, non per modum determinabilis. *Thomiſtę*

Quod autem hæc ſit intentio Scoti,patet ex probationibus ſuis:probat enim qđ ens non prædicetur in quid de vltimis dif ferentijs,duabus rationibus;Prima.Si vltimæ differentiæ includunt ens quidditatiuè,certum eſt, quod differunt, ergo alijs differentijs differunt; vel ergo illæ aliæ includunt iterum quidditatiuè ens,& ſic alijs differentijs different, & dabitur proceſſus in infinitum, vel ſtabitur ad differentias vltimas, quæ non includant ens quidditatiuè, Hæc ratio clariſſimè probat ens non prædicari in quid de differentijs vltimis, modo, quo expoſuimus:non autem probat, quod ens non ſit vniuocum prædicatum de vltimis differentijs. 1. rō. Scoti

Secunda ratio. Omnis res compoſita, componitur ex actu,& potentia,& ex determinato, & determinabili, & ſic entia compoſita vltimo reſoluuntur ad potentiam vltimam,& actū vltimum,quæ ſunt ſimpliciter ſimplicia; & ſic vniuerſaliter omnis conceptus reſoluitur ad conceptū determinabilem tantum, & ad conceptū determinatiuum tantū: conceptus determinabilis tantū,eſt ens; conceptus determinatiuus tantū,eſt conceptus vltimæ differentiæ, ergo iſti conceptus ſunt primò diuerſi, ita quod vnus nihil includit alterius; non ergo eſt eis aliquid commune, vt Genus, neque ipſum Ens eſt veluti Genus ipſis vltimis differentijs, ſed ſolum clauditur in illis: quia conceptus vltimarum differentiarum ſunt termini, & extremitates entis, vt diximus: & ſic patet, quod includitur ens in vltimis differentijs ſecundum nomen,& rationem,& cōſequenter Vniuocè, ſed non includitur vt Genus,& ut determinabile,& conſequenter 2. rō.

ter

ter non prædicatur in quid, de illis. Probat idem de proprijs paſſionibus entis: quia propria paſſio prædicatur per ſe ſecundo modo de ſuo ſubiecto; Modo, propriæ paſſiones, & vniuerſaliter prędicata, quę ſunt in ſecundo modo dicendi per ſe, includűt ſuum ſubiectum in definitione propria, vt additum, ergo ſubiectum non prędicatur de ſuis paſſionibus in primo modo, & ſic non prędicatur quidditatiuè, cum Genera, & Species, quę quidditatiuè prędicantur, vt oſtendimus, prędicétur de ſuis inferioribus ſolum in primo modo, non de ſuis proprijs paſſionibus. Secundò, ens diuiditur quidditatiuè in ens increatum, & in decem Genera: patet enim quod ens de his prędicatur quidditatiuè, & includunt ens, vt determinabile, & communicabile, (quod non eſt verum de ente increato, quia illud non eſt determinabile, vt Genus, vt infrà dicet Scotus:) at paſſiones entis non ſunt aliquod Prędicamentum, neque aliqua pars illorum: quia ſunt tranſcendentia; ergo ſequitur, quod non includunt ens quidditatiuè, ſed ſolum qualificatiuè, & vt extremitates vltimę, vt dictum eſt: non propter hoc tamen ſequitur, quod ens ſit Genus, ſed ſolum, quod eſt commune, ut Genus, & plus quam Genus, cum ſit tranſcẽdens; De qua re loquemur dum diſputabimus de modo, quo ens deſcendit in decem Prædicamenta.

Sonc. *Iau.* Ex his patet, non eſſe ad propoſitum rationes quas faciunt Paulus Soncinas, in 4. Metaph. q. 19. & Iauellus eodem 4. q. 5. quia non percipiunt mentem Scoti, neque enim negamus ens includi in paſſionibus, & differentijs: ſed negamus includi, vt determinabile: ipſi verò arbitrantur nos dicere, ens eſſe extra vltimas differentias, & paſſiones eius omninò. Ad argumentum ex 3. Metaph. tex. 10. reſpondetur in capite ſequenti ad primum, ad alia duo Iauelli patet ex diſtinctione iam ſuprà allata in hoc capite. Iam patet, ea non eſſe ad propoſitum, quę tanta prolixitate verborum dicit Suarez in ſua Metaph. diſp. 2. ſect. 5. per ultimam differentiam enim intelligit Scotus differẽtiam, quæ non eſt amplius diuiſibilis in alias à quocumque illa ſumatur, ut ibi ſe declarat ut exempli gratia. Senſitiuum non eſt vltima differentia, quia & illa diuiditur in alias rationales: ergo eſt vltima differentia ſpecifica, & indiuidualis vltima abſolutè, & ſic patet quòd non ſunt ad propoſitum illius rationes; Quomodo autem in illis claudatur ens, ſecundum Scotum, iam dictum eſt. *Suar*

Adducuntur rationes præcipuæ aduerſus Vniuocationem entis, & variæ opiniones aduerſæ explicantur. Cap. V.

DEclarata veritate, Scotus aduerſus eam multipliciter arguit, tum ex propria mente, tum ex fundamentis aliorum. Arguit Primò in illa met 3. d. q. 3. ſic 1. rō.
Philoſophus 3. Metaphyſ. tex. 10. habet, quod ens non eſt Genus, & adducit hanc rationem: quia tunc differentia non eſſet ens: at ſi ponatur ens commune dictum in quid de pluribus ſpecie differentibus (quod ſequitur ſi ponatur eſſe vniuocũ,) ens erit Genus. Secundo Ariſt. 4. Metaph. 2.
tex. 2. vult, quod ens dicatur de entibus, ſicut ſanus de ſanis, & vult, quod Metaphyſ. ſit una ſcientia, non quia illa omnia, de quibus eſt Metaphyca, dicantur ſecundum unum, ſed ad unum, ſcilicet non Vniuocè, ſed Analogicè, ergo ens eſt Analogum, non Vniuocum. Item 7. Metaph. tex. 15. dicit: Accidentia ſunt entia, ſicut 3.
Logici dicunt, non ens eſse ens, & non ſcibile eſse ſcibile, & ſicut dicitur ſalubre, in omnibus iſtis exemplis non eſt uniuocatio eius, quod dicitur de pluribus, ergo neque entis, immò in his exemplis uidetur potiꝰ æquiuocatio eius, quod dicitur ens. Item Porphyrius ait. Si quis omnia entia 4.
uocet, æquiuocè nũcupabit. Item 1. Phyſ. tex. 13. principium eſt contra Meliſsum, 5.
& Parmenidem, quod ens multiplicetur; & arguit quod ſi omnia ſint unum ens, ergo omnia ſunt, uel hoc unum ens, uel illud; quod non ſequeretur, ſi ens eſſet uniuocum, ſicuti non ſequitur, omnis homo eſt unus homo, ergo, uel iſte unus homo, uel ille unus homo. Sextò, per rationem, ſi 6.
eſſet uniuocum ad decem Prędicamenta, ergo deſcenderet in iſta per aliquas differentias; Sint igitur iſtæ differentiæ A. & B. aut igitur iſtæ includunt ens quiddita-

 tiuè;

tiuè;aut iſtæ non ſunt entia.Si prima,ergo in quolibet conceptu generis generaliſſimi committitur nugatio, dum aſſumitur talis differentia cum ente in conceptu illius generis generaliſſimi; Aut eſt dicendum,quod iſtæ differentiæ ſint non entia: quod enim non includit ens, eſt non ens, & tunc ſequitur peius abſurdum, quod non ens erit de conceptu entis. Adducit Scotus alias rationes contra vniuocationē
1. rō. Henrici. entis,ex Henrico,in 8.diſt.1.q.3. in principio.Primā. Illis,quæ ſunt totaliter, & immediatè ſub extremis contradictionis, nihil eſt commune vniuocū,Deus, & Creatura, ſunt omnino, & immediatè ſub extremis contradictionis,ſcilicet ſub dependere, & non dependere: quia Deus non dependet, Creatura dependet, ſub cauſato,& non cauſato,eſſe ab alio, & non ab alio; ergo nihil eis eſt commune Vniuo-
2. cum.Secundā. Omnis conceptus communis eſt neuter, reſpectu illorū quibus eſt communis: ſed nullus eſt conceptus neuter reſpectu contradictoriorum: quia eſt alter eorum,ergo Deo, & Creaturæ, qui ſunt ſub contradictorijs,nihil eſt commune Vniuocum; & hæc ratio eſt confirma-
3. tio præcedentis. Tertiā. Primò diuerſa in nullo conueniunt: ſed Deus eſt primò diuerſus à quacumque Creatura; alioquin haberet quo conueniret,& quo differret, & ita non eſſet ſimpliciter ſimplex; ergo Deus in nullo conuenit cū creatura,& ita, nec in aliquo cōmuni conceptu Vniuoco.
4. Quartā.Vbi eſt vnitas attributionis ſolū, non poteſt eſſe vnitas vniuocationis: ſed creaturæ ad Deū opus eſt ponere vnitatē attributionis in ratione entis, ergo in ratione entis in illis non eſt Vniuocatio.

Caie. 1. rō. Caietanus libro de Ente, & eſſentia, cap.2. aduerſus hanc vniuocationem entis,arguit quoque.

Primò ſic. Nullum vniuocatum in ratione ſui vniuocati, habet aliquid plus quam reliquum vniuocatum: ſubſtantia, & accidens ſunt vniuocata per nos in ente; ergo accidens non habet aliquid plus in ratione ſui vniuoca, ſcilicet entis,quā ſubſtantia;Diſcurſus bonus, ſed Concluſio falſa, ergo altera præmiſſarum: non Maior,quia illa habetur ex Antepredicamētis,ergo Minor:ſed Minor eſt Concluſio Scoti,ergo falſum eſt,quod ens ſit vniuocum ſubſtantiæ, & accidentis; falſitas Concluſionis habetur 7.Metaph.tex.2. & 3.vbi dicitur, quod in ratione accidentis in quantum ens, ponitur ſubſtantia:at in ratione,& conceptu ſubſtantiæ,vt eſt ens, non ponitur,neque accidens, nec ſubſtantia: quia ſecundum Ariſtot. & Commentatorem, conceptus ſubſtantiæ abſtrahit ab vtroque,ſcilicet ab accidente,& à ſubſtantia.

Secundo. Ens eſt vniuocum prædicatū in quid de pluribus differentibus ſpecie, in nulla differentia quidditatiuè incluſū, ergo eſt genus, quod eſt falſum. Conſequentia tenet ex definitione generis, Scotus etiam illam concedit 1.Sent.d.3.q.3. ſoluendo primum argumentum contra vniuocationem entis. Antecedens eſt Scoti quo ad primam, & ſecundam partem, quo ad tertiam verò,ſcilicet,quod ens nō includatur quidditatiuè in aliqua differentia, probatur: quia tunc accipiatur aliquod genus,& illi addatur differentia nō vltima,erit nugatio,quod eſt incōueniēs; Probo cōſequentiā:quia in illo genere bis poneretur ens eodē modo, ſcilicet, ſemel ratione Generis,& ſemel ratione Differētiæ,& ſic ponitur ſupranugatio expreſſa. 2.

Tertiò ſi eſt vniuocū ſubſtantiæ, & accidentis, ergo in ratione ſubſtātiæ expreſſe ponitur ens, ergo in definitione hominis expreſsè ponitur ens, hoc eſt inconueniens, contra Ariſtotelem & communem viam,ergo,& Antecedens. Prima conſequētia probatur: quia omne ſuperius vniuocum explicitè ponitur in definitione eſſentiali ſui inferioris: ſicut animal ponitur in ratione hominis explicitè. Secunda conſequentia probatur auctoritate Ariſtotelis poſita in 2. lib. Topic. illa,ſcilicet, quando aliquid ponitur in definitione alicuius, loco illius ſi ponatur eius ratio, clarior erit intellectus; cum ergo ſubſtantia ponatur in definitione hominis, & loco ſubſtantiæ liceat ponere rationem ſubſtantiæ,& in rationes ſubſtantiæ explicitè ponatur ens, ſequitur quod in definitione hominis debeat poni ens explicitè, vt clarior ſit definitio hominis. 3. 2. ſequentia probatur

Aureolus, vt refert Ioannes Canonicus, 1. Phyſicorum, quæſt. 3.habet opinionem Opin. Aur.

nionem ab alijs diuerſam; tenet enim, quod conceptus entis nullam dicat rationem communem, in qua conueniant omnia entia: ſed vult, quod ens ſit ſpoliatum, & denudatum ab omni ratione. Si hæc ſit poſitio ipſius, ſuſtinere habet, quod ens ſit æquiuocum, quia purum nomen abſque conceptu communi pluribus, eſt æquiuocum, vt ſuprà diximus. Rationes itaque probantes hanc opinionem, contradicunt poſitioni noſtræ, ideo ſunt adducendæ, & eo magis; quia putat ſe demonſtrare.

1. rō. Prima ratio eſt hæc. Conceptus, qui eſt idem omnibus rationibus, nullo penitus acquiſito, & nulla ſibi facta additione, non habet in ſe aliquam vnam rationem communem, ſed eſt omnes rationes confuſè, & indiſtinctè, conceptus entis eſt idē omnibus rationibus nullo penitus addito, ergo. Maior habet duas partes, vnam negatiuam, aliam affirmatiuam. Negatiua probatur: quod ille conceptus, qui eſt idem omnibus rationibus, nullo penitus acquiſito, non habeat aliquam rationem communem, quia tenet, ait ipſe, virtute illius principij, quæcumque vni, & eidem ſunt eadem, eodem modo identitatis, quo ſunt idem in illo tertio, ſunt idem inter ſe; Declaratur: quia omnia entia habent proprias rationes, & diuerſas, vt entia ſunt, quia ſunt entia diuerſa, ergo nō poſſunt eſſe penitus idem alicui vni rationi; quia ſaltem addunt aliquam propriam rationem illi; pars affirmatiua probatur: quia niſi ille conceptus in idem coincideret cum omni ratione determinata, etiā ſi eſſet confuſus, & indeterminatus, non coincideret cum omnibus. Minor probatur: quia illud additum eſſet ens, & ſic non eſſet aliquid diuerſum ab ente, & conſequenter Minor eſt vera.

2. rō. Secunda ratio, quam appellat demonſtrationem. Nullus conceptus, qui diuiditur per differentias, inter quas non eſt dare medium, per abnegationem, & indifferentiam vtriuſque, eſt vnus, ſed eſt denudatus ab omni vna ratione, ſed conceptus entis diuiditur per abſolutum, & per reſpectiuum, quorum non eſt mediū per abnegationem extremorum, ergo conceptus entis non habet vnam rationem. Maior patet: quia ſi illud eſt commune, & diuiditur per differētias, oportet, quòd illa ratio communis ſit indifferēs rationibus diuidētibus; Minor etiam probatur: quia non poteſt imaginari aliqua ratio, quæ non ſit abſoluta, vel reſpectiua. Iandunus 4. Metaph. q. 1. arguit primò ſic. Illud quod eſt vniuocū, habet rationem & conceptum diſtinctū à conceptu inferiorum: ſed ens non habet cōceptum vnū diſtinctum à cōceptu ſuorum inferiorū, ergo. Minor probatur: quia ens in ſua communitate conſideratū, nihil dicit, niſi purum nomē, & ſuum eſſe eſt in decem Prædicamentis incluſum, adeo quod ſuum eſſe formaliter eſt ſubſtantia, accidēs, & cętera Prædicamenta. Confirmatur: Nullū ſignificatū termini eſſentialiter prædicatur de modo eſſendi, à quo ſumitur ratio ipſius termini, id eſt, Nullū ſubiectū prædicatur de differentia, à qua conſtituitur in eſſe, vt animal eſſentialiter non prædicatur de ſenſibilitate; ſed ens prædicatur eſſentialiter de eſſe formaliter, quia eſſe formaliter, eſt ens, ergo ens non dicit vnum conceptum, & ſignificatum per ſe.

Iand. 1. rō. *2.*

3. Tertio ab alijs arguitur. Definitio quid nominis illius ſubiecti, quod habet conceptum propriū, differt à definitione quid rei eiuſdem, ſed ſic eſt quod in ente eadē eſt definitio quid nominis, & quid rei, ergo. Maior patet exēplo de animali, in quo alia eſt definitio quid rei, & alia quid nominis, & in alijs. Minor quoque de ſe eſt euidens. Si quæras enim quid ſignificat ens; Reſpondetur, quod eſt id, quod eſt in rerum natura; Si quæras definitionem quid rei, idem reſpondebitur.

Soncinatis. Paulus Soncinas 4. Metaph. quæſt. 4. varias rationes adducit, quarum multæ coincidunt cum multis iam ſuprà adductis: præſertim tamen ſic. Quidditas entis præciſa, & abſtracta, aut eſt neceſſe, aut non eſt neceſſe ſi eſt neceſſe, ergo omne ens eſt neceſſe, quod eſt abſurdum; ſi non eſt neceſſe, ergo aliquid eſt in Deo, quod non eſt neceſſe eſſe.

A. Secundo, omne quod eſt vniuocum, cō trahitur per aliquid, quod eſt extra rationem ſui, vt dicit Philoſophus 7. Metaph. ſed nihil eſt extra rationē entis, quia ens prædicatur de omnibus nedum identicè,

ſed formaliter,ergo ens non eſt vniuocū.

Reliquæ rationes partim ſuperius adductę ſunt,partim ex ſe facile ſolui poſſunt.

Sueſſani 1. rō. Sueſſanus 1. Metaph.q.1.& 4.q.1.multipliciter arguit contra vniuocationem entis, ſed præcipuè his. Illud in quo vnum per ſe,& eſſentialiter antecedit aliud,non poteſt eſſe illi vniuocum; ſed Deus antecedit eſſentialiter omnia entia in ente,ergo non poteſt in ente vniuocè conuenire cum alijs entibus.

2. Secundo. Ad, quod per eſſentiam capit aliquid, non poteſt conuenire vniuocè cum illis,qui capiunt illud per participationem:ſed Deus eſt ens per eſſentiam: cætera ſunt entia per participationem,ergo ens non eſt illis vniuocum. Maior probatur:quia ideo Socrates,& Plato conueniunt vniuocè in humanitate, quia capiūt humanitatem per eſſentiam,ergo per conuerſionem,per contrapoſitionem,quæ nō capiunt idem per eſſentiam, non poſſunt in eodem conuenire vniuocè.

3. Aeg. ratio. Tertio ex Aegidio,nullum vniuocū ſaluatur in vno ſimpliciter, & in alijs ſecundum quid , ſed ens ſaluatur in Deo ſimpliciter,in alijs ſecūdum quid,quia Deus eſt ens ſimpliciter ; aliæ entia ſunt entia ſecundum quid. Ex his patet quot Aduerſarios habeat Scotus in hac poſitione.

Quattuor opini. Sunt ergo ad ſummum quattuor opiniones contrariæ.

1. Prima,quòd ens ſit æquiuocum;quam ſequitur Porphyrius, & multi ex Græcis illam ſequi videntur,& pro hac opinione faciunt illæ auctoritates, & rationes,quæ videntur probare, ens non habere vnum proprium conceptum diſtinctum à ſuis inferioribus.

2. opi. Secunda eſt,quod ens,neque ſit vniuocum,neque æquiuocum,neque analogū, ſed quidam conceptus confuſus, & indiſtinctus,vt videtur dicere Aureolus.

3. Tertia eſt,quòd ens ſit non vniuocum; neque purum æquiuocum , ſed analogū, vt Thomiſtæ, Auerroiſtæ , & multi ex Modernis.

4. Quarta eſt Scoti,quòd ſit vniuocum,& analogum,quam ſuprà probauimus.

Opiniones aduerſariorum ex dictis reijciuntur; & eorum rationes ſoluuntur.

Cap. VI.

Ex dictis ſuprà patet falſitas iſtarum opinionum , quod ens non ſit æquiuocum,vt dicebat prima opinio, expreſſe conuincitur ex prima ratione adducta 2. capite,& ex vltima in 3.capite, & etiam ex alijs, ſed ex illis duabus præſertim , ijs enim oſtenditur , quod ens habet conceptum vnum per ſe diſtinctum à ſuis inferioribus,& quod non ſit purum nomen. 1. opi. reijc.

Opinio verò Aureoli re ipſa coincidit cū opinione eorum, qui dicūt eſſe Analogū, Vel nobiſcum;fatetur enim, quod ens nō ſit purum nomen,ſed quod habeat conceptum entis cui reſpondeat aliqua vna ratio communis, in qua communicent ſuæ inferiora. Poſſumus ergo ita eam impugnare; Vel ens eſt purum nomen, nullum habens conceptum proprium , vel non:ſi primum,iam eſt impugnatum ijſdem rationibus, quibus ſuprà diximus nunc impugnari, ens eſſe æquiuocum; ſi non eſt purum nomen, ſed habet conceptum ex parte rei,ergo in ſe eſt conceptibile,& intelligibile : ſed quod eſt conceptibile ſub aliqua ratione eſt conceptibile: ergo videtur contradictio dicere quod ens habeat conceptum,& illi conceptui nulla reſpondeat propria ratio,cum conceptus, & ratio,qua intelligitur,ſint idem;immò conceptus nil aliud eſt, niſi intellectio concepta ab intellectu de aliqua re intelligibili. Dicere etiā,quod ens habeat conceptum, ſed illum eſſe indiſtinctum,& confuſum, eſt fateri ens habere proprium conceptū diſtinctum ab alijs,quia omne commune eſt indiſtinctum,& confuſum,cum potētia omnia inferiora contineat , & omnia entia diuerſa in illo vno communi contineantur. Denique ſi ſtatuat ens non eſſe æquiuocum, ergo erit,vel Analogum,vel vniuocum,vel ſimul vtrumque, cum ſecūdum omnes Philoſophos nullus medius conceptus detur. Opin. 2. reijcitur.

Tertia verò opinio, quæ eſt Thomiſtarum, & Auerroiſtarū, quod ens ſit purum analogum , & non vniuocum , reijcitur per rationes aſſignatas à Scoto,nunc adductas 2.& 3.capite; dum etiam opin. Tho. reijc.

etiam ipſi probant, ens eſse Analogum, non contradicunt nobis:quia & nos aſſerimus eſse Analogum;ſed dum negant eſ ſe vniuocum, in hoc diſsentimus,& rationes adductæ pro parte Scoti, vt patet,sũt efficaces. Reliquum eſt itaque vt rationes oppoſitas ſoluamus, ex quarum ſano intellectu magis confirmabitur opinio noſtra.

Idi. ōnē du. Ad primam rationem reſpondet Scotus loco citato. Primò, quod ratio illa poſ ſet negari: quia quæ dicit Philoſophus in 3.Metaph.dicit diſputando in vtramque partem:tamen tenendum eſt, quod illa ratio ſit bona,ait Scotus,quod magis cõcludit pro nobis, quàm pro Aduerſarijs. Formaliter itaque reſpondendo, negatur conſequentia vltima,ſcilicet, quòd ſi ponatur ens eſſe vniuocum,ſequatur, quòd ens ſit genus, quia ad hoc quod aliquis conceptus ſit genus,multa alia requiruntur, quæ non ſunt in conceptu entis, vt mox dicam. Sed eſt modo conſiderandũ, qua de cauſa ens non ſit genus,& Ariſtoteles ibi neget ens eſſe genus, cum prædicetur in quid, de ſuis inferioribus. Reſpondet Scotus, quòd Ariſtoteles ibi negauit ens eſſe genus, non quia ens ſit æquiuocum,vt Aduerſarij quidam dicebant: ſed quia ens eſt nimis commune, prædicatur enim per ſe de aliqua differentia, quòd non competit generi, & ideo enti non poteſt competere ratio generis. Sed in hoc Scotus ſibi contradicere videtur: diximus enim ſuprà ex eodẽ Scoto, quod ens non prædicatur in quid, de vltimis differentijs. Huic contradictioni reſpondet ipſe,quòd duplex eſt differentia,ſcilicet, vltima differentia, & non vltima differentia;quando dixit ſupra, quod ens non prædicatur in quid de differentijs, intellexit de vltimis differentijs, vt etiam ibi expoſuit ſe: quia vltimæ differentiæ ſunt ſimpliciter ſimplices: ſed aliæ differẽtiæ,quæ non ſunt vltimæ, quia non ſunt ſimpliciter ſimplices,includunt ens quidditatiuè, & nedum,vt determinatiuũ, ſed vt determinabile. Vnde hæ differentiæ, ſenſibile corporeum,& huiuſmodi, diuiduntur, & reſoluuntur in alias differentias,vt genus in ſpecies, & ideo claudunt ens in quid.Ad propoſitum modo Ariſtoteles negat ab ente rationem generis,quia ens eſt nimis commune, quia prædicatur per ſe in primo modo de iſtis differentijs non vltimis, quod generi competere non poteſt:nam genus de nulla differentia prędicatur in quid, ſiuè illa ſit vltima differentia,ſiue non: ens autem prædicatur in quid de differentijs non vltimis, ergo ens non poteſt eſſe genus.Minor nunc eſt declarata.Maior oſtenditur à Scoto in octaua diſtinctione Primi quæſtione tertia hac ratione:quia genus eſt ſemper potentiale ad differentiam, per quam contrahitur, & ſic eſt determinabile per illam, & ideo non prædicatur in quid de illa: ſed in quale:vnde iſta: Rationale eſt animal,non eſt in quid,ſed in quale:rationẽ, & diſcrimen ſuprà diximus capite 4. ſed ſi dicam rationale eſt ens, eſt in quid, & per ſe in primo modo:non ergo ens prædicatur in quale de differentijs non vltimis, ſed in quid; genus verò prædicatur ſemper in quale de quacumque differentia; vt ſi dicam rationale eſt animal, non eſt vera quidditatiuè in primo modo, ſed qualificatiuè,& determinatiuè, & propter hanc ſuam communitatem, ens non eſt genus.

Qua ſ cau ſa ēs nō ſit genus [margin note beside the first column]

Sed hic eſt dubium,quia ſi differentiæ non vltimæ includunt ens quidditatiuè, ergo dum talis differentia additur generi, fit nugatio, vt cum dico, ſubſtantia corporea, nã bis ſummo,ens,quia ens clauditur in ſubſtantia, & in differentia illa corporea: quod videtur abſurdũ. *Dub.* Reſpondet Scotus, & reſponſio conſiſtit in hoc,quod ſi ens,quod clauditur in differentijs quidditatiuè,& additur generi, adderetur ſolum quidditatiuè,eſſet nugatio,vt ſi dicerẽ animal,rationalitas, quia in his duobus clauditur ens ſolum quidditatiuè, ſed quoniam additur nedum quidditatiuè,ſed etiam denominatiuè, ideo non ſit negatio, vt cum dicimus animal rationale, rationalitas enim in ſe claudit ens quidditatiuè, ſed cum additur generi, claudit etiam ens denominatiuè, non eſt autem inconueniens, quod aliquod commune denominet ſeipſum particulariter ſumptum, & vario modo conceptum: ſicut albedo poteſt denominare ens,animal hominẽ, & ſimilia abſque nugatione, vel breuius dicas, quòd

Aaa 4 non eſt

non eſt nugatio: quia non ponitur bis ens eodem modo conceptum. Vnde licet in differẽtia claudatur ens, & in genere claudatur ens, diuerſo tamen modo, & ſub diuerſis conceptibus, & ideo non fit nugatio, quia in genere clauditur ſolum quidditatiuè, in differentia quidditatiuè, & denominatiuè, vnde in hac non fit nugatio, animal rationale, quia rationale, licet includat ens quidditatiuè, tamen vltrà hoc denominat, & determinat animal: ſed in iſta fit nugatio, animal, rationalitas: quia in rationalitate nulla eſt denominatio, & determinatio reſpectu animalis.

Adi. Ad ſecundam rationem ex 4. Metaph. reſpondet, quod ibi non negat ab ente abſolutè vniuocationem: ſed negat vniuocationem Phyſicam, non Logicam, ſiue Metaphyſicam, id eſt, dicit, quod ens non habet vnitatem naturæ Phyſicæ, ſed tamen non negat, quin habeat vnitatem conceptus; Vbi eſt notandum, quod duplex eſt vniuocatio, Phyſica, & Metaphyſica, (nota, quod ex hoc loco Scotiſtę ſumunt diſtinctionem illã de triplici vniuocatione, *dupl. vniu. phyſ. & Met.* ſcilicet Phyſica, Logica, & Metaphyſica; ſed Scotus ponit ſolum duos modos, Phyſicam, & Logicã, & vnitas Logica, & Metaphyſica ſecundum horum deſcriptiones coincidunt: ſed quidquid ſit de hoc, parum refert.) Vniuocatio Phyſica fit ſolum vbi eſt vnitas naturæ ſpecificæ, & hęc eſt maxima vniuocatio. Vnde dixit Philoſophus in 7. Phyſic. quòd in genere multæ latent æquiuocationes, quia in genere non eſt vniuocatio Phyſica, ſcilicet vnitas vnius naturæ ſpecificæ, ſed multę naturæ adunantur ſub vno conceptu generis, qui conceptus generis etiam reſpicit vnam, *The. 93.* ſed magis cõmunem, vt diximus in Theoremate, Vniuerſale dicit vnam naturam communem realem. Dicit ergo Philoſophus, quod ens, non eſt ad vnum, id eſt, non eſt vniuocum̃, Phyſicè, tamen non negat, quod ſit vniuocum Logicæ, & Metaphyſicè, & hoc generis vniuocationis datur, alioquin nullum generis eſset vniuum. Ad id vero quod dicitur, quod eſt ad vnum, & analogum; reſpondet, quod quæ ſunt ad vnum, non habent aliquod commune vniuocum Phyſicè: ſed habent aliquod commune vniuocum Logicè, & Metaphyſicè, quia quæ ſunt ad vnum, habent diuerſitatem realem naturę, cum ea tamen ſtat vnitas conceptus abſtrahibilis ab eis, vt patet in exemplo de genere: habet enim Ariſtoteles 10. Metaphyſices textu 2. quod in ſpeciebus eiuſdem ordinis datur ordo eſſentialis: quia in quolibet genere eſt vnum primum, quod eſt metrum, & menſura omnium eorum, quę ſunt in illo genere; licet ergo ſpecies habeant attributionem ad vnum primũ illud generis, non tamen propter hoc ſequitur, quin genus dicat vnum conceptũ realem vniuocum ſpeciebus, quia ſi genus non haberet conceptum proprium diſtinctum a conceptibus ſpecierum, nullus conceptus diceretur in quid de illis ſpeciebus: ſed tantum quilibet de ſeipſo. Ecce, quod etiam Scotus hic concedit vniuocationem, & analogiam ſtare ſimul, ſcilicet, vniuocationem Logicam, ſiue Metaphyſicam de qua in prẹſenti loquimur, vt eſt vniuocatio generis.

Ad tertiam Reſpondet Scotus, quod ex Paragrapho vltimo illius materiæ habetur declaratio, & intellectus illarum auctoritatum; quærit enim ibi Philoſophus, quorum ſit definitio, & determinat, quòd per ſe primo eſt ſubſtantiæ per ſe, ſed non primo eſt accidentis, vt Quantitatis, Qualitatis, & ſimilium: per accidens verò, & ſecundum quid, eſt entis per accidens, vt hominis albi; & adducit rationem iſtorum: quia ſubſtantia eſt ens per ſe, & primò, ſed accidens eſt per ſe ens, ſed non primo, eſt ens per ſe, quia Ariſtotel. 5. Metaphyſ. textu 14. diuidens ens per ſe, dixit: aliud eſt ſubſtantia; & aliud quantitas, & cætera, ſed non eſt ens per ſe primò, quia pendet à ſubſtantia, ſed ens per accidens, quia non eſt ens per ſe, neque primò, neque ſecundo, non habet definitionem per ſe, ſed ſolum ſecundum quid. Ex his patet quomodo illæ auctoritates intelligantur: accidentia enim non ſunt entia, quia non ſunt per ſe primo entia, & hoc modo, quod non eſt ſcibile per ſe primo, dicitur non ſcibile, licet ſit ſcibile per ſe, ſed ſecundo, & vas dicitur ſalubre non per ſe primo, ſed per ſe ſecundo: notant ergo iſtæ auctoritates attributionem, & ordinem accidentis ad ſubſtan-

ſubſtantiam, ſed cum hoc ordine ſtat vniuocatio ipſorum in ente.

Ad 4. Ad quartam reſpondet, quod allegat Ariſtot. ſed vbi hoc dixerit Ariſt. non habetur, in Logica quidem nullibi habetur, in Metaphyſica dicit, quod iam allegatum illud eſt expoſitum, quare auctoritas illa nulla eſt.

Ad 5. Ad quintam, quæ innititur auctoritati Ariſtot. ex 2. Phyſic. dicit Scotus, quod principium Ariſtot. eſt, quod ens dicitur multipliciter, ſed ibi Ariſt. per multipliciter, non intelligit æquiuocè: ſed quod ens dicitur multipliciter, id eſt, de multis, hoc modo enim ſufficit ipſi Ariſtot. ad arguendum contra Parmenidem, & Meliſſum, & deſtruendum opinionem illorum; dicebant enim omnia eſſe vnum ens; Sicut ergo ſi quis diceret omnia eſſe vnum animal, contra eum poſſemus arguere diſtinguendo animal, & quærendo de quo animali intelligat; animal enim dicitur de homine, equo, leone, & alijs: vel ergo intelligit, quod omnia ſunt vnus homo, vel vnus equus, & huiuſmodi; ita Philoſophus arguit contra Parmenidem, & Meliſſum, dicebant enim omnia eſſe vnum ens; tunc arguit. Ens dicitur multipliciter, ſcilicet de aqua, aere, & huiuſmodi, vel ergo omnia ſunt vnus aer, vel aqua, & ſimilia: non tamen propter hoc tollitur vniuocatio entis. Cum ergo dicebatur in argumento, quòd ſi ens eſſet vniuocum, non valeret conſequentia: patet hoc nihil impedire, immò optimè ſic tenet: ad probationem contra hoc concedo, quòd illa conſequentia non valet abſolutè, valet tamen contra illos Philoſophos, quia illi dixerunt omnia eſſe vnum ens determinatè, non autem eſſe vnum ens in communi & in confuſo, & ſic valet Conſequētia: ſi omnia ſunt vnum ens determinatè, ergo, vel hoc vnum ens, vel illud, vnde ſi ipſi intellexiſſet omnia eſſe vnum in communi, & in confuſo; conſequentia Ariſt. peccaret per fallaciam conſequentis, ſicut peccat iſta, omnis homo eſt vnus homo, ergo iſte vnus homo vel ille vnus homo, non enim valet Conſequentia formaliter deſcendendo a prædicato tantum confuſe accepto ad particularia determinata, vt ſi quis diceret ſubſtantia corporea eſt animal, ergo eſt homo, vel equus, & huiuſmodi, quia hoc prædicatum, animal, ſtat confuſè, & ſe tenet confuſo modo, & indeterminato; ita dicere: Omnia ſunt vnum ens in communi, ergo omnia ſunt hoc vnum ens, vel illud vnum ens, non valeret, ſicuti neque illa: omnis homo eſt vnus homo, ergo, vel iſte homo, vel ille homo, quia in antecedente homo ſe tenet confuſè pro ſpecie.

Ad ſextam patet ex dictis ad argumentum primum, & ideo Scotus nihil reſpondet ad illam rationem; Dico ergo, quod ens diuiditur in decem Prædicamenta, per modos intrinſecos, vt inferius patebit, qui includunt ens quidditatiuè, nec tamen fit nugatio propter rationem ibi dictam: quia ſcilicet non ponitur ens, in his eodem modo conceptum ex natura rei. Sexta.

Ad primam rationem Henrici reſpondet Scotus, quod Henricus in Minori, vel intelligit, quòd Creatura, & Deus ſunt præcisè illa extrema contradictionis; vel intelligit quod tam Deus, quam Creatura eſt aliquid, cui conuenit alterum extremum contradictionis. Si intelligat primo modo, Minor eſt falſa: quia Deus non eſt præcisè hæc negatio, ſcilicet, non eſſe ab alio, neque Creatura eſt præcisè illa negatio, non neceſſe eſſe, ſi verò intelligat ſecundo modo, tunc maior eſt falſa, quæ erit hæc; Illa quibus conueniunt extrema contradictionis, non vniuocantur in aliquo, nam omnia per ſe diuidentia aliquod commune, ſunt talia, quod de ipſis dicuntur extrema contradictionis, & tamen vniuocantur in ipſo diuiſo; ita in propoſito: Deus, & Creatura poſsunt ſecundum ſe recipere prædicationem contradictionis, vt neceſse eſse, dicitur de Deo, non neceſse, dicitur de Creatura; tamen poteſt eſse aliquod ſubſtratum illis commune; Illa autem propoſitio, inter contradictoria non datur medium, valet de his, quæ ſunt actu: quia omne quod eſt actu, eſt ſub altero extremo contradictionis, non autem valet de his, quæ ſunt potentia: quia iſta ſunt ſub neutro extremo contradictionis, quantū eſt de ſe, poſsunt tamen fieri ſub vtroque extremo contradictionis

Ad rōnē Hen.

Inter cōtradicto ria nō datur medium de qbusve

rifice- dictionis non ſimul; ſed diuiſim.

tur.

Ad 2. Ad ſecundam, quæ eſt confirmatio iſtius Reſpondetur: quod cõceptum communem eſſe neutrum, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, quod ſit neutrum formaliter, & hoc modo conceditur: quia conceptus communis formaliter eſt alius à particularibus, in quos diuiditur, & ſic conceptus entis, eſt alius formaliter à conceptu creati, & increati; Alio modo intelligitur, quod ſit alius prædicatiuè, id eſt quod non prædicetur de vllo contradictoriorum, & hoc eſt falſum: quia prædicatur de vtroque contradictoriorum, vt Animal, licet ſit alius conceptus formaliter à rationali, & irrationali, tamen de vtroque prædicatur.

Ad 3. Ad tertiam reſpondetur, quod Deus, & Creatura, non ſunt primo diuerſa in conceptibus, licet in realitatibus nullo pacto conueniant; ideo conceptus entis diuiditur per modos intrinſecos, quæ nõ ſunt differentiæ, & ſic ens diuiditur per infinitum, & finitum, & tamen ens finitum nõ eſt compoſitum, ſicut nec ens infinitum: nec eſt inconueniens, quòd Deus hoc modo conueniat cum creatura, & diſtinguatur etiam ab ea, cum ſit ſine compoſitione, vt infra dicam in diſputatione, an Deus ſit in genere.

Ad 4. Ad quartam dicitur, quod immò cum vnitate vniuocationis ſtat vnitas attributionis, licet non ſit formaliter illa, vt ſuprà declarauimus capite 1. 2. & 3. & hic locus eſt ille præcipuus, ex quo colligitur, quod vnitas Analogiæ ſtat ſimul cum vnitate Vniuoca.

Ad 1. Caie. Ad primum argumentum Caietani reſpondetur, negando falſitatem Concluſionis; Ad probationem dico, quod 2. Metaph. tex. 2. habetur, quod in definitione accidentis ponitur ſubſtantia: ſed hoc dicit Ariſtot. de definitione accidentis, vt accidens eſt, non vt accidens eſt ens, & hoc ipſi Thomiſtæ concedunt, qui ex eo loco ſumunt argumentum ad probandum, quod inhærentia aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis: dicunt enim, quod Ariſtot. ponit diſcrimen accidentis à ſubſtantia, quia in accidentis definitione includitur inhærentia ad ſubſtantiam. Vndè hæc ſunt verba formalia Ariſtot. *Accidens eſt ens eo quod entis; quæ alio modo ponitur in Prædicamentis; Accidens eſt quod ſemper eſt in ſubiecto, id eſt in ſubſtantia;* Ecce quod hæc definitio eſt accidentis, vt accidens eſt, & contradiſtinguitur à ſubſtantia; non autem eſt accidentis, vt ens eſt; non eſt autem inconueniẽs, quod vnum vniuocatorum ſecundũ proprias definitiones aliquid claudat, quod non claudatur in alio, vt homo, & equus, diuerſas habent definitiones, vt ſunt particulares ſpecies: ſed vt animalia, habent eãdem definitionem omninò; ita ſubſtantia, & accidens propriè accepta, habent proprias, & diuerſas definitiones: ſed vt conueniunt in ente, eadem eſt definitio, ſiuè deſcriptio accidentis, & ſubſtantiæ.

Ad ſecundum argumentum, patet reſponſio ex dictis in ſolutione primi argumenti Scoti, Caietanus enim ſumpſit hoc argumentum ex Scoto, & in eo fecit vim: quia non intellexit ſolutionem Scoti. Ad argumentum itaque nego vltimam partem Antecedentis, ſcilicet, quod ens non includatur quidditatiuè in differentijs: quia clauditur in differentijs non vltimis, vt declaraui ſoluendo primum Scoti; Ad probationem dico, quod non committitur nugatio, vt ibi expoſui: quia eſſet nugatio ſi ens eodem modo, & ſub eodem conceptu penitus poneretur bis in genere, ſed non ponitur bis ſub eodem conceptu, & eodem modo, quia ens, vt clauditur in differentijs non vltimis, habet etiã rationem determinatiui, & qualificatiui, & ſic includitur quidditatiuè quidem, ſed cum hoc etiam determinatiuè, adeo quod cum vnitur differentia generi, clauditur ens bis in genere, ſed diuerſo modo, & quando differentia additur generi, licet in ſeipſa claudat ens quidditatiuè, tamen vnitur generi, vt claudit ens determinatiuè, & denominatiuè. Præterea, valent contra eam rationes allatæ contra modum dicendi ſequentem. *Ad 2.*

Ad tertium argumentum dico, quòd concludit: quod ſi eſt vniuocum, debet poni in definitione hominis, ad clariorẽ definitionem hominis, & hoc non eſt inconueniens: tamen quando res eſt per ſe clara, negligitur explicitè poni ſuperius: quia iam in alijs inferioribus implicitè clauditur; *Ad 3.*

clauditur;ideo, ſufficit dicere: homo eſt animal rationale: quia cum dicimus,animal,dicimus corpus, ſubſtantiam, ens, ſi tamen velimus explicitè dicere: homo eſt, ens, ſubſtantia, animal rationale, eſt explicatior definitio; & Ariſtoteles in prædicto loco dicit, quod ratio definiti debet poni loco definitionis, vt definitio ſit explicatior,non abſolutè; Ratio ergo iſta eſt nullius valoris. Præterea, ſi ratio iſta valeret, nedum concluderet de ente, ſed de ſubſtantia,& de quocumque ſuperiori Vniuoco, & ſic in definitione ſpeciei ſpecialiſſimæ, neceſſe eſſet ponere omnia genera ſuperiora explicitè: quod tamen non fit, quia ſuperfluum eſt; quandoque tamen in vſu venit, vt cum non eſt ita clarum, illa ſuperiora claudi in definito.

Præt.

Ad 1. Aur. Ad primam rationem Aureoli, dimiſſis aliorum reſponſionibus, negatur illa Maior, eſt enim falſiſſima, & manifeſtè; immò eius contradictoria eſt veriſſima; quia hæc competit omnibus Vniuocis, nam conceptus cuiuſuis Vniuoci eſt idẽ omnibus rationibus ſuorum inferiorum, vt in illo conueniunt nullo penitus acquiſito,& nulla ei facta additione:quia quãdo fit ei additio, non eſt amplius conceptus communis, ſed cõtrahitur per illam additionem,& fit particularis;Ad hoc ſequitur ergo,quod neceſſe eſt, quod conceptus communis, qui eſt idem omnibus rationibus ſuorum inferiorum, habeat rationem, quæ ſit idem cum rationibus ſuorum inferiorum, nulla ſibi facta additione;& ſic videmus,quod conceptus ſubſtantiæ in ſeipſo nulla ſibi facta additione eſt idem omnibus ſuis inferioribus, & habent conſequenter rationem communem,in qua omnia inferiora participant, & communicant: & licet poſtea ab inuicem differant; ſat eſt, quod quatenus in illo conceptu conueniunt, habeant eandem definitionem. Ad probationem dico, quod illa propoſitio non eſt ad propoſitum;neque illa propoſitio deducitur ex illo principio; ſed ex eo principio deducitur ſolum,quod eo modo,quo rationes inferiores ſunt eædem in illo tertio,ſcilicet, ente, ſunt eædem inter ſe, quod eſt veriſſimum: quia in illo tertio conueniunt,ſcilicet in ente,quia entia ſunt; ita in ſeipſis conueniunt, quia ſunt entia, & cum negat hoc,dico, quod entia inferiora non differunt ab inuicem, quatenus entia: ſed quatenus ſunt talia, & talia entia, conueniunt in ratione communi entis,ſed differunt in rationibus particularibus,ſicuti homo,& equus, conueniũt in animali,differunt verò,vt eſt homo, & vt eſt equus;ideo arguere ſic,entia particularia differunt, & non ſunt idem inter ſe,vt ſunt particularia,ergo neque vt conueniunt in illo communi,eſt committere fallaciam conſequentis, quia ex illo principio non deducitur illud conſequens.

Ad probã tionẽ.

Ad 2. Ad ſecundam rationem Aureoli, quã vocat demonſtrationem, Maior, & Minor ſunt falſæ; Maior,quia implicat contradictionem: dicere enim, quod ſit aliquis conceptus, qui diuidatur per differẽtias oppoſitas,& tamen non ſit indifferẽs, ſiuè non habeat rationem indifferentem ad illas,eſt contradictio:quia ſi diuiditur per differẽtias oppoſitas,neceſſe eſt, quòd ſit quid illis commune,& ſit neutra differentia actu,ſed vtraque potentia,vti videmus euenire in omnibus vniuocis: nam animal, quod diuiditur per rationale, & irrationale,eſt neuter actu,ſed vtrũque, potentia; Maior ergò includit contradictionem,ſcilicet,quod aliquæ differentiæ diuidant aliquod commune,& illud commune non ſit aliquid diuerſum, & indifferens medium per abnegationem vtriuſque differentiæ actualiter; Minor quoque eſt falſa: concedo quidem, quod ens diuiditur per abſolutum, & reſpectiuũ: ſed nego,quod ens non ſit commune eis, & medium per abnegationem vtriuſque extremi. Ad probationem, quæ eſt,quod abſolutum,& reſpectiuum,ſunt contradictoria,inter quæ non datur medium vllũ, neque per abnegationem extremorum; nego, quod abſolutum, & reſpectiuum, ſiuè eſſe à ſe,& eſſe ad aliud,ſint contradictoria;ſunt quidem diſparata, vt ſubſtantia,& accidens, ſed non contradictoria. Præterea, ijs, quæ ſunt ſub extremis contradictionis, nihil impedit, quin ſit aliquid commune vniuocum,vt diximus ad primum Henrici, quod cõfirmatur:quia ſi valeret illud argumentum, neque animal

Ad proba tionẽ.

mal eſſet vniuocum rationali, & irrationali, neque eſſet medium per abnegationem extremorum: quia hæc eſt vera, omne animal, vel eſt irrationale, vel rationale, adeo quod nullum eſt animal, quod non contineatur ſub aliqua iſtarum duarum; ergo animal non dicit vnum conceptum per ſe medium, non valet: vt patet; Quomodo autē intelligatur illa propoſitio: Inter contradictoria non datur medium, dictum eſt ſuprà ad primum Henrici, ergo neque in propoſito valet: Omne ens, vel eſt abſolutum, vel reſpectiuum, ergo ens non dicit vnum conceptum per ſe neutrum, & medium ab increato, & creato, & ente quod per ſe eſt, & quod eſt in alio? non valet.

Ad 1. Iand. Ad primam rationem Ianduni negatur Minor; Ad probationem eius dico, quòd ens non dicit purum nomen, quia tūc, neque eſſet Analogum, quod ipſe negat: ſed habet proprium conceptum, ſecundum quem eſt commune ſubſtantiæ, & accidenti, vt ſupra oſtendimus: vnde ſubſtantia non eſt purum ens, ſed tale ens, & accidens eſt tale ens, & ſic differt ſubſtantia ab accidente: quod ſi quis contendat de illo conceptu, dicendum eſt, quod ſicuti primum genus in Categoria Subſtantiæ eſt vniuocum alijs inferioribus, & tamen non habet definitionem completam, ſed ſolum deſcriptionem, ita in propoſito euenit.

Ad 2. Ad ſecundam rationem Ianduni reſpondetur, quod ens nullam habet differentiam à qua conſtituatur in eſſe, quia eſt communiſſimum, & non contrahitur ad eſſe aliquod particulare. Præterea, non eſt genus: & hac de cauſa prædicatur de omnibus inferioribus in quid: animal verò, quia eſt genus, non poteſt prędicari de ſuis differentijs in quid, vt diximus ſuprà, ſoluendo primum argumentum adductum à Scoto, tertia diſtinctione primi.

Ad 3. Ad tertiam dicitur. Quod ſi in ente eadem eſt definitio quid nominis, & quid rei, hoc euenit propter maximam eius communitatem; Hoc idem euenit in generibus generaliſſimis, in quibus eadem eſt definitio quid nominis, & quid rei, & tamen ſunt Vniuoca, vt patet de Qualitate, & Subſtantia, & alijs.

Ad 1. Sonc. Ad primam Pauli Soncinatis reſpondetur vt ad ſecundam Aureoli, ſcilicet, quod quidditas, & ratio entis, abſtrahit à neceſse eſſe, & non neceſſe eſſe, ſiue contingens eſſe, quia actu non eſt neceſſe eſſe, neque non neceſſe eſſe, ſed vtrumque potentia, ſicuti animal non eſt actu rationale, neque irrationale, ſed potentia vtrūque: ideo falſa eſt illa Maior. Ad illud de contradictorijs dictum eſt ſuprà, ſoluendo primam rationem Henrici, quod ens non eſt vniuocum extremis contradictionis: ſed ijs, quæ ſunt ſub extremis contradictionis, vt ſunt Deus, & Creatura, quorum alteri competit neceſſe eſſe, alteri non neceſse eſse.

Ad 2. Ad ſecundam dicitur, quod ens contrahitur per modos intrinſecos, non per differentias, vt infra patebit: reliquæ, per dicta facilè ſoluuntur.

Ad 1. Sueſſani. Ad primam Sueſsani negatur Maior, quia dictum eſt, quod vnitas Analogiæ ſtat cum Vniuocatione.

Ad 2. Ad ſecundam dico, quòd Minor poteſt habere duplicem ſenſum; Primus eſt, quod Deus ſit fons, & radix entitatis, & illam habeat à ſe, & non ab alio: Creatura verò, & alia, habeant eſse ab alio: & hoc modo Minor eſt vera: ſed Maior eſt falſa: quia cum hoc ſtat, quod Deus, & Creatura, conueniant in eſſentia entis.

Alio modo poteſt intelligi, quod Deus ſit ens per eſſentiam, ita quod ſolus Deus includat ens ſecundum eſsentiam, & ſecundum conceptum ſuum: creatura verò nequaquam, ſed quodammodo per accidens, & tunc Minor eſt falſa; quia tam Deus, quàm Creatura includit eſſentiam, & naturam entis, licet Deus eccellentiſſimo modo, Creatura, infimo modo.

Ad rōnē. Aegi. Ad rationem Aegidij patet, quod concludit ens eſse Vniuocum Analogum; negatur ergo Maior: ſcilicet, quod nullum vniuocum ſaluetur in aliquibus ſimpliciter, in aliquibus verò ſecundum quid, accipiendo hic, ſecundum quid, ſecundum eſse eiuſdem rationis, ſed tamen ignobilioris: ita, quod ſit ſenſus, quod aliquod vniuocum ſaluetur in aliquibus nobiliori modo, & per prius; in alijs verò

ignobi-

ignobiliori modo, ſcilicet, per poſterius. Reliquæ rationes ex his facilè ſolui poſſunt, quas breuitatis cauſa omiſimus.

THEOREMA XCVI.

Deus non eſt in genere.

Exponitur mens Scoti, & probatur. Caput Primum.

HÆc quoque quæſtio: An Deus ſit in Genere, eſt merè Metaphyſica, & Theologica: attamen, quia etiã eius cognitio eſt veluti quoddam principium, quod iuuat ad multas alias dubitationes tollendas, ideo iure illam examinare decreui: & eo magis, quia maximam lucem præbet præhabito Theoremati, quod ens ſit vniuocum: inter obiectiones enim, illa erat valida: quia ſi ens eſt vniuocũ Deo, & Creaturæ, videtur quod ens ſit genus, & conſequenter, quod Deus ſit in genere: ideo declarandum eſt, quomodo ens eſt commune vniuocum Deo, & Creaturæ, & tamen non eſt genus. Scotus itaque 1. Sent. diſt. 8. q. 3. quærit, an cum ſimplicitate Diuina ſtet, quod Deus, vel aliquid dictum de Deo, ſit in genere, id eſt, an Deus cum ſit ſimpliciſſimus, poſſit contineri ſub genere, vel ſaltem aliquod prædicatum eius poſſit cõtineri ſub genere; & reſpondendo ad quæſitum, duas adducit opiniones extremas. *Duæ opiniones extremæ.*

Prima eſt negatiua, quæ aſſerit, nullũ cõceptum nedum genericum, ſed neque vniuocum eſſe communem Deo, & Creaturæ; adeo quod nec Deus, nec aliquid dictum de Deo, continetur ſub aliquo genere, neque ſub aliquo conceptu communi vniuoco, quæ fuit opinio Henrici, & aliorum, qui negat vniuocationem entis, quas ſupra adduximus.

Altera eſt opinio affirmatiua, quæ aſſerit, quod Deus nedum continetur ſub aliquo conceptu vniuoco generico, ita quod Deus eſt in genere, & multa dicta de Deo ſunt in genere; quæ opinio tribuitur à Marginiſtis Alberto de Saxonia, & Roberto Olchot; Scotus tenet mediam opinionem, vt ibi dicit, reſpondendo ſecundum propriam mentem, ad quæſitum, ſcilicet, quod Deo, & Creaturæ eſt aliquod commune vniuocum, ſcilicet ens, vt oſtendimus in ſuperiori Theoremate, in quo diſcordat à prima opinione negatiua: ſed tamen tenet, quod ille conceptus non eſt genus, & ſic diſcordat à ſecunda opinione affirmatiua; & quoniam primam partem ſuperius probauerat, & nos in præcedenti Theoremate de illa ſatis ſuperq. locuti ſumus. Secundam partem probat in corpore quæſiti, de qua nunc habebimus ſermonem. Probat ergo Scotus, quòd nec Deus, vel aliquid dictum de Deo, ſit in genere, præſertim duobus medijs. Primum ſumitur ex infinitate; Secundum ex neceſſitate. *Opin. Scoti.*

Prima ratio eſt hæc. Conceptus habens indifferentiam ad aliqua, ad quæ non poteſt conceptus generis eſſe indifferens, non poteſt eſſe conceptus generis: ſed quidquid dicitur communiter de Deo, & Creatura, eſt indifferens ad finitum, & infinitum: nullum autem genus eſt indifferens ad finitum, & infinitum, ergo talis conceptus communis dictus de Deo, & Creatura, non eſt genus, & conſequenter Deus non eſt in genere, nec aliquid dictum de Deo eadem ratione: quia quidquid eſt in Deo, eſt ipſemet Deus, (Omitto illud membrum, & nõ finitum: quia addit illud membrum Scotus propter relationes Diuinas, quas ſuſtinet, neque finitas, neque infinitas eſſe, quæ diſputatio eſt merè Theologica, & ad præſens negotium nihil conducit;) Maior eſt euidens per ſe: quia ſubiectum includit prædicatum, eſt enim, ac ſi dicat, conceptus cui repugnat proprietas generis, nõ poteſt eſſe genus; conceptui qui eſt communis Deo repugnat proprietas, & natura generis, ergo ille conceptus non eſt genus. Minor ergo in qua eſt tota difficultas, probatur à Scoto, & quia habet duplicem partem, vtrãque probat: prima pars Minoris eſt, quaſi quidquid dicitur Communiter de Deo, & Creatura, eſt indifferens ad finitum, & infinitum; Quæ probatur: quia Deus, & quidquid dicitur de Deo, eſt infinitum formaliter (non loquor modo de relationibus Diuinis) *1. rõ. Opin. Scoti.*

Creatura

Creatura verò, & quidquid eſt in Creatura, eſt finitum formaliter; Conceptus ergo qui eſt communis Deo, & Creaturæ, debet eſſe indifferens ad finitum, & infinitum, ſicuti omnis conceptus communis ſuperioris eſt indifferens ad conceptus inferiores.

Secunda pars minoris eſt, quod nullum genus poteſt eſſe indifferens ad finitum, & infinitum. Hanc partem probat, & probatio eſt diligenter annotãda, quia in ipſa conſiſtit declaratio totius naturæ generis; Probatur ergo ſic: Genus ſumitur à realitate, quæ ſecundum ſe eſt potentialis ad realitatem à qua ſumitur differentia: ſed nullum infinitum eſt potentiale ad aliquid: quia infinitum non eſt componibile, ſed eſt ſummè ſimplex; Maior huius argumenti in qua conſiſtit tota natura generis, probatur primo auctoritate Ariſtot. 8 Metaph. cap. 5. vbi Ariſt. ait: ***Oportet terminum***, ſcilicet, definitionem, ***Eſſe orationem longam, quia ſignificat aliquid de aliquo, ita quod oportet illud eſſe materiam, & illud eſſe formam***; Conſtat autem quod Ariſtot. per materiam intelligit genus: quia ponitur in definitione vti materia; differentia verò habet rationem formæ.

2. rõ. Secundo probatur ratione: quia ſi illa realitas, à qua accipitur genus, eſſet verè tota quidditas rei, non autem pars potentialis ad differentiam, vt ad formam, genus ſolum definiret completè, & differentia eſſet ſuperuacanea; definitio etiam conſtans ex genere, & differentia, non indicaret idem primo definitio, quia vnaquæque res eſt ſemel ipſa; Hæc autem Definitio indicaret bis eandem rem, & ſic non eſſet idem definitio primò, & adæquatè: ſed definitio in duplum excederet definitum: quia idem bis diceret; Vt autem hæc ratio, & natura generis melius cognoſcatur, pertractat Scotus hanc rationem, & eam declarat ſic; In aliquibus creaturis, ſiuè in aliquibus entibus, excepto Deo, genus & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, ſicut ponendo plures formas in homine, animal acciperetur à ſenſitiua, & rationale, ſub intellectiua, (hoc dicit cauſa exempli: quia licet Scotus ſuſtineat in eodem compoſito plures formas ſubſtantiales, non tamen ſuſtinet in homine plures animas numero diſtinctas,) Hoc exemplo apparet, quod res, à qua ſumitur genus, eſt re vera potentialis, & perfectibilis à re, à qua accipitur differentia: aliquando ibi non ſunt res, vt in accidentibus, id eſt aliquæ aliæ res ſunt, in quibus non accipitur genus à re, neque differentia ab alia re: quia in illis rebus non eſt res, & res, ſed ibi eſt tunc realitas, ita quod ab vna realitate rei, accipitur genus, ab altera realitate accipitur differentia, vt in colore euenit, color enim non eſt res diuerſa ab albedine, ſed ſolum realitas diuerſa, & perfectibilis à differentia albedinis, quæ ſimiliter differentia albedinis non eſt res, ſed realitas, quæ eſt actus, & perficit colorem conſtituendo albedinem, ſed eſt notandum quod licet actu non prius ſit color, deinde adueniat albedo perficiens, ſed actu vnumquodque ſimul producatur, ab agente in eodem toto, & proindè albedo non compoſita, ſed ſit forma ſimplex; tamen conſiderando vtramque realitatem ſecundum ſe, color eſt potentiale, & perfectibile ab albedine: adeo, quod ſi color per ſe produceretur ſine albedine, verè color eſſet potentialis ad albedinem, & perfectibilis ab ea, & albedo eſſet compoſita. Ex his patet, quæ ſit natura generis; Vel enim genus eſt conceptus ſumptus à re potentiali perfectibili à re, à qua ſumitur differentia, vel genus conceptus ſumptus à realitate potentiali perfectibili à realitate à qua ſumitur differentia: adeo quod ſemper genus eſt quid potentiale, & quid perfectibile, & ablata hac potentialitate, & perfectibilitate à conceptu, ille conceptus nunquam erit genus. Ex hoc apparet probatio ſecundæ partis Minoris, ſcilicet, quod nullum genus poteſt eſse indifferens ad infinitum, & finitum: quia infinitum nunquam eſt potentiale, & perfectibile ab alio, & ſic genus, vel conceptus generis, cum ſemper ſit potentiale, non poteſt claudere infinitum ſub ſe: quia quidquid clauditur in genere, eſt perfectibile, & potentiale; genus ergo claudit ſolum in ſe finitum; & ſic manet probata clarè ſecunda pars Minoris, ſcilicet quod genus non eſt in-

differens ad infinitum, & finitum: & quod non claudit infinitum, & finitum indifferenter: nullum ergo prædicatum quod dicitur de Deo, eſt in genere, nec eſt genus, quia omnia illa ſunt infinita, vel indifferentia ad infinitum,& finitum, & ſic non ſunt potentialia, neque perfectibilia, & conſequenter, non ſunt genera,neque ſunt in genere.

Reſp. Greg. Huic rationi reſpondet Gregorius de Arimino, 1. Sent. diſt. 8. quæſt. 3. Primo, quod Auctoritas Ariſt. de definitione ex 8. Metaph. tex. 9. non eſt ad propoſitum: quia Ariſtot. ibi loquitur de ſubſtantia compoſita, ideò per illam auctoritatem non poteſt concludi aliquam compoſitionem in accidentibus,neque in ſubſtantijs ſimplicibus; Præterea ait,quod genus non eſt pars rei,ſed eſt totum,& Philoſophus non ait,quòd genus ſit materia: ſed vt materia,quod intelligitur per aſſimilationem; quia ſicuti forma adueniens materiæ, complet rem, ita differentia adueniens generi, complet definitionem ſpeciei: ſi etiam genus haberet rationem partis, tunc ſubſtantiæ ſimplices non eſſent in genere, quia non habent partem. Ad rationem autem negat conſequentiam. Ad probationem dicit, quòd differentia ponitur ad ſignificandum explicitè totam eſſentiam definiti;ſed iam genus per ſe totam illam eſſentiam ſignificabat,ſed non explicitè,& ſic in definitione non eſt nugatio;ſignificant etiam diuerſo modo, & ſic nihil valet quod dicitur, quòd non ſignificarent idem primo.

Reiectio. Sed hæc ſunt adeò fatua, vt vix refutatione egeant; Prima reſponſio reijcitur: quia licet Ariſtot. ibi loquatur de ſubſtantia compoſita, non tamen propter hoc ſequitur, quod non habeatur ex eo loco, quod genus habet rationem materiæ, id eſt potentialis: differentia verò rationem formæ, id eſt, actus, quod eſt intentum Scoti. Quod vero ait, non per hoc concludi compoſitionem in accidentibus, vt ſubſtantijs ſimplicibus: dico, quod illud quod eſt in genere, eſt compoſitum, vel componibile, ſpecies eſt compoſita, genus eſt componibile, differentia eſt compoſitiua,& ſic genus eſt potentiale, differentia eſt actus,& compoſitiua, & hoc eſt quòd intendit Scotus: & nihil eſt in genere, quod non cadat ſub aliquo horum trium modorum, quorum neutrum dici poteſt de Deo: quia Deus licet ſit actus, non tamen eſt alicuius potentiæ perfectiuus: vnde accidentia licet non componantur ex re, & re, vt dictum eſt: tamen componuntur ex realitate,& realitate, & ſic quodlibet accidens continetur ſub altero illorum trium membrorum; Quod verò dicit genus ex Ariſt. non eſſe materiam,ſed vt materiam, concedimus: ſed ſi differentia perficit definitionem ſpeciei,vt forma materiam,nonne genus habet ratioṅe partis,& perfectibilis vti materia? Ad illud de ſubſtantijs ſimplicibus, vt eſt materia,& forma, quod non eſſent in genere, quia non habent partes, dico, quod ſunt in genere, quia ſunt partes à non ergo ſunt in genere, vt ſubſtantiæ compoſitæ,ſed vt partes ipſarum. Reſpōſio verò ad rationem patet ex ſe, quam ſit falſa; quoniam clarum eſt, quod genus, & ſuperiora, non ſunt actu ſua inferiora, ſed potentia: ideò, cum dico animal, non dico hominem, niſi potentia: quomodo ergo genus poteſt explicare illud,quod non actu continet in ſe? Præterea, clarum eſt, quod differentia contrahit, & actuat genus, & conſtituit talem ſpeciem in actu,alioquin eſſet ſuperflua: vt dicebatur in ratione. Dicere autem quod ponitur ad explicandum eſſentiam definiti explicitè,eſt nihil dicere: quia neque implicitè per genus explicatur tota ſpecies, niſi vt dictum eſt in potentia, & in confuſo ſiue in vniuerſali: ſed propria eſſentia non habetur; immò, neque in vniuerſali, & in confuſo genus continet ſpeciem, niſi quia etiam includit in confuſo differentiam: quia differentia eſt pars eſſentialis ſpeciei re diſtincta à genere;Eſt ergo impoſſibile concipere, vel explicitè, vel implicitè ſpeciem ſine differentia: ſicuti eſt impoſſibile concipere totum abſque ſuis partibus. Sed hæc clariora ſunt,quam ut probari poſſint; manent etiam in ſuo robore illæ rationes, quòd ibi eſſet nugatio, & idem bis diceretur, tunc enim tota eſſentia hominis explicaretur per genus, & rurſus tota per differentiam, per genus implicitè, per differentiam

rentiam

rentiam explicitè, ergo ſufficeret ſola differentia, & ſic ſuperflueret genus, quia iam dicis, quòd differentia explicat explicitè eſſentiam rei, iam in definitione non quærimus aliud, niſi cognitione explicitè rei, quam ſi per ſolam differentiam habemus, ſuperfluum eſt genus.

Alia reſp. reiic. Reſponſio ad aliud argumentum probans quod definitio non indicaret idem primo definito, nulla eſt; Primò, quia patet, quod differentia non explicat alio modo definitum, ſed ſolum perfectè explicat; explicat enim id, quòd genus non explicabat; Deinde, admiſſa non ſoluit; quia licet diuerſo modo in definitione eadem res explicetur, cum tamen bis explicatur, non eſt idem primo illi definito: quia illa res eſt tantum eadem ſemel, definitio verò bis illa explicat, & ſic non conuertitur definitio cum definito, neque eſt adæquata.

2. rō princ. Scoti. Secundo, ex eodem medio arguit Scotus (& ex hoc medio clarè elicitur, quid ſit modus intrinſecus ſecũdum Scotum,) conceptus ſpeciei non eſt tantum conceptus realitatis, & modi intrinſeci eiuſdem realitatis, quia tunc albedo poſſet eſſe genus, & gradus intrinſeci albedinis poſſent eſſe differẽtiæ ſpecificæ. (Nota hic, quod *qd ſit mod⁹ extrĩſecus.* modus intrinſecus appellatur à Scoto gradus intrinſecus rei, vnde ex Scoto, modi intrinſeci non ſunt aliud, quam gradus intrinſeci rei,) quod eſt inconueniens; Hac accepta pro Maiori, ſubinfert Minorem: ſed illa per quæ commune ad Deum, & Creaturam contrahitur, ſunt modus, & gradus intrinſeci illius rei communis, ſcilicet, finitum, & infinitum, qui nihil ſunt; niſi gradus intrinſeci entis, ergo iſta contrahentia non poſſunt eſſe veræ differentiæ, neque cum contracto conſtituunt compoſitum, vt eſt ſpecies, immò talis conceptus conſtitutus ex tali cõmuni contracto, & ex modis intrinſecis contrahentibus eſt ſimplicior, quàm poſſit eſſe conceptus ſpeciei, immò eſt ſimpliciſſimus, quia hic nulla adeſt compoſitio.

3. rō ex 2. medio. Ex hoc patet, quòd ens non eſt genus, quia tunc ens infinitum eſſet ſpecies. At ens infinitum non eſt ſpecies, quia non eſt compoſitum, vti eſt ſpecies, ſed eſt quid ſimplex; & ratio huius eſt: quia vt dictum eſt ſuprà, genus eſt quid potentiale, & differentia eſt quid actuale, & quodammodo quid extraneum à genere, vndè facit veram compoſitionem. At ens cum contrahitur à ſuo modo, & gradu intrinſeco, non eſt potentiale, neque contrahitur ab aliquo perfectibili: ſed ſolum diuiditur in ſuos gradus intrinſecos, vt infrà ſoluendo primum argumentum Scoti, clarius dicetur.

Ex ſecundo medio, ſcilicet, ex neceſſe eſſe, tertio loco arguit ſic. Si neceſſe eſſe, includit in ſe genus, vel genus, ſiuè cõceptus generis, eſt neceſſe eſſe ex ſe, vel non, ſi ſic, ergo genus ſemper habet differentiam actu in ſe: quia genus non eſt in actu vltimo ſine differentia. Quod autem eſt ex ſe neceſſe eſſe, eſt ex ſe in actu vltimo, ſi enim non eſt in actu vltimo, ſequitur, quod neceſſe eſſe, ſit conſtitutum ex eo quod non eſt neceſſe eſſe, quod implicat contradictionem. Ex hoc colligitur quod neceſſe non includit genus. At Deus eſt ex ſe neceſſe eſſe, ergo Deus non includit in ſe genus, non ergo Deus eſt ſub genere, ſiue in genere: quia tunc includeret in ſe genus. Hoc quod dictum eſt de Deo, concluditur quoque eſſe dicendum de ijs, quæ prædicantur de Deo formaliter, (quod addit propter relationes Diuinas,) Ratio eſt: quia quod eſt in genere, eſt limitatum; quidquid verò dicitur de Deo formaliter, eſt illimitatum, & infinitum.

Hanc rationẽ retorquere nititur Gregorius aduerſus Scotum, quia Scotus ponit ens eſſe vniuocum Deo, & Creaturæ; tunc ſic arguatur. Ens, vel eſt neceſſe eſſe ex ſe, vel non: ſi ſic, ergo Creatura eſt neceſſe eſſe, quia ens eſt commune Creaturæ, & Deo; ſi non: ergo neceſſe erit conſtitutum ex eo, quod non eſt neceſſe eſſe, quod eſt abſurdum. *Reſp. Greg.*

Deinde rationem ſoluit, dicens, quòd intentio generis dicitur de Deo, tamen non eſt neceſſe eſſe, neque pars, vel aliquid intrinſecum eius, quod eſt neceſſe eſſe, licet ſignificet id, quod eſt neceſſe eſſe, & etiam id, quod non eſt neceſſe eſſe.

Sed neque reſponſio eſt vllius momen- *Reiic.*

tí, &

ti, & reflexio facilè vitatur, reflexio quidem nulla eſt: quia non eſt par ratio de ente, & de conceptu generis: nam ens eſt indifferens ad neceſſe eſſe, & non neceſſe eſſe: neque eſt determinatum ad alteram partem: ſed genus eſt determinatum ad alteram partem, ſcilicet, ad non neceſſe eſſe: quia eſt potentiale; Vnde, cum dicimus ens, vel eſt neceſſe eſſe, vel non neceſſe eſſe; Ad hanc Maiorem dico, quod eſt vtrumque indeterminatè, & neutrum determinatè, vt diximus in Theoremate de Vniuocatione entis, ſoluendo primum argumentum Henrici: ſed de genere hoc dici non poteſt, quia genus eſt potentiale; & vltrà, ſi genus eſſet neceſſe eſſe, neceſſariò actu ſemper haberet differentiam, vt probabat argumentum Scoti, & tunc non eſſet amplius gen⁹, ſed natura eius deſtrueretur, quæ eſt, quod ſit potentiale: non ergo genus eſt indeterminatum, ſed determinatum ad non neceſſe eſſe; ideo valet argumentum, genus vel eſt neceſſe eſſe, vel non: ſi non, eſt potentiale, ergo non clauditur in neceſſe eſſe, quia neceſſe eſſe, tunc eſſet compoſitum, ex non neceſſe eſſe; ſi dicas eſt neceſſe eſſe, deſtruis naturam generis: quia tunc neceſſariò habebit differentiam, quia per illam eſt in actu vltimo, & quod eſt neceſse eſse, eſt in actu vltimo ex ſe, non poteſt dicere quod genus eſt indifferens eadem ratione: quia natura generis tunc deſtrueretur, quoniam illa eſt quod ſit potentiale, & conſequenter pertinet ad non neceſſe eſſe. Hoc membrum reticuit Scotus: quia ex ſe eſt manifeſtum; ſolutio verò nulla eſt: quia aliud eſt loqui de intentione generis, aliud de re concepta, & ſignificata, per intentionem generis, licet intentio generis, quæ eſt relatio rationis, non ſit pars rei: tamen res primæ intentionis, quæ ſignificatur per illam intentionem, ſemper eſt pars inferioris, vnde genus ſecundum omnes, diuiditur in ſuas ſpecies per differentias; & licet genus, id eſt, reſpectus rationis, non ſit pars hominis, tamen animal, quod ſignificatur per genus, eſt pars hominis. Inſuper, genus, & intentio ipſa generis, habet rationem partis ſui inferioris, quia illa intentio generis ſignificat rem, quæ de ſui natura eſt pars inferioris ſpeciei; eſt ergo ridiculum dicere, quòd genus ſignificat neceſſe eſſe, & non neceſse eſse, & tamen eſt pars, ſi enim illæ ſunt differentię generis, neceſse eſt quod genus diuidatur per illas, & conſtituatur in ſpecies quarum erit pars, & reſpectu earum erit potentiale, & ſi Deus ſit ſpecies generis, cum Deus ſit neceſse eſse, genus erit pars neceſse eſse, & incluſum eſsentialiter in neceſse eſse.

Præterea, probatũ eſt, quòd genus cõtinetur ſub nõ neceſse eſse, nõ ergo ſignificat neceſse eſse, neque eſt quid indifferens, & commune ad neceſse eſse, & nõ neceſse eſse, ſed ſolum ſignificat aliquid quod non eſt neceſse eſse.

Sed tunc eſt dubium, qualia ſint illa prædicata, quæ de Deo dicuntur formaliter, vt ſapiens, bonus, &c. *Dub.*

Reſpondet Scotus, quod illa dicuntur prædicata tranſcendentia: quia illa prædicata ſunt communia Deo, & Creaturæ, & conſequẽter, ſicut ens quod eſt commune Deo, & Creaturæ, nõ eſt genus, ſed prædicatum tranſcendens, ita bonus, ſapiens, &c. Vnde ſapientia infinita cõuenit Deo, ſapientia finita conuenit Creaturæ; ſed ſapientia indeterminatè, & in communi, competit enti in cõmuni, & ita ſicuti ens, eſt tranſcendens, ità ſapientia, & reliqua prædicata, ſunt trãſcẽdentia, ſicuti etiam ens diuiditur priùs per finitum, & infinitum, qui ſunt modi intrinſeci, deinde finitum in decem Prædicamẽta, ſimiliter per modos intrinſecos, ita ſapientia, bonitas, &c. diuiditur per infinitam, & finitam, finita competit Creaturis, & partitur per illas, infinita vero competit Deo. *Quæ ſint prædicata tranſcendẽtia Solu.*

Sed tunc eſt aliud dubium, quomodo verum eſt quod ſapientia, iuſtitia, &c. ſint prædicata tranſcendentia, videtur enim hoc eſſe falſum; quoniam tranſcendentia ſunt cõmunia omnibus entibus: at ſapientia non competit omnibus entibus, neque iuſtitia, ergo videtur male dictum, quod iſta prædicata ſint tranſcendentia; Reſpondet Scotus, quòd ſicuti de ratione generis generaliſſimi, non eſt habere plures ſpecies ſub ſe, ſed non habere aliud genus ſupra ſe, ſicuti hoc Prædicamentum, Quando: quia non habet ſupra ſe genus, eſt ge- *Dub.* *Solu.*

eſt generaliſſimum, licet habeat paucas ſpecies, vel nullas; ita tranſcendens proprium habet, quod non habeat ſupra ſe aliquod genus, ſub quo cõtineatur; Quod autem ſit commune ad multa, hoc illi accidit, quod declarat exemplo; Ens non tãtum habet paſſiones ſimplices conuertibiles ſicut vnum, verum, bonum, &c. ſed habet aliquas paſſiones diſtinctas vti oppoſita diſtinguuntur contra ſe, ſicut neceſſe eſſe, & poſſibile, actus, potentia, &c. Modo, ſicut paſſiones ſimplices conuertibiles ſunt tranſcendentes, quia conſequũtur ens, inquantum eſt tranſcendens, & nondum limitatum ad aliquod genus: ita & paſſiones diſiunctæ ſunt tranſcendentes, & vtrumque membrum illius diſiuncti, eſt tranſcendens, & tamen alterum illorum membrorum formaliter non competit niſi vni enti, vt in iſta diuiſione, neceſſe, vel poſſibile, neceſſe competit vni enti ſolum, ſcilicet Deo, & tamen, neceſſe eſt prædicatum tranſcendens, quia non conſtituit genus, nam ens neceſſe eſſe, nõ eſt genus, ſed quid illimitatum; ita ad propoſitum, licet ſapientia, & iuſtitia, non competant omnibus entibus, tamẽ quia ſupra ſe non habent aliquod ſuperueniens genus, ſunt prædicata illimitata; ſolum ergo illud eſt tranſcendens prædicatum de omnibus entibus, quod conuertitur cum primo tranſcendenti, ſcilicet cum ente.

Adducuntur quædam Argumenta Scoti facta contra ſe, & eorum ſolutiones, ex quibus clarius confirmatur prædictum Theorema, & declaratur; quid ſit modus intrinſecus. Caput 11.

1. vo. IN prædicta quæſtione 3. Scotus ante oppoſitum, adducit quædam Argumenta, ex quorum declaratione valdè dilucidatur iſtud Theorema, Primum argumentum: Ens eſt conceptus communis dictus in quid, de Deo, & Creatura, vt dictũ eſt in materia de Vniuocatione: ſed conceptus communis non poteſt determinari ad Deum, & Creaturam, niſi contrahatur per aliquem conceptum determinantem: at conceptus determinans habet rationem Qualis, & differentiæ, ergo conceptus determinatus habet rationem generis, ergo ens eſt genus.

Secundò. Auicennas 2. Metaphyſ. cap. 2.
1. ens in ſubiecto, & ens non in ſubiecto non habent medium, ergo Deus cum ſit ens, erit ſub aliquo iſtorum duorum mẽbrorum: ſed non eſt ens in ſubiecto, ergo erit ens non in ſubiecto. Ens non in ſubiecto, eſt ſubſtantia, ergo Deus eſt ſubſtantia: ſed ſubſtantia eſt genus, ergo Deus eſt in genere.

Tertiò. Sapientia dicitur de Deo, & 3.
Creatura, ſecundum eandem rationem formalem, vt probatum eſt in Theoremate de Vniuocatione, ergo dum contrahitur ſapientia ad Diuinam, & humanam, diuiditur in ſpecies, & ſic ſapientia dicta de Deo, eſt vna ſpecies, & ſapientia dicta de Creatura, eſt alia ſpecies, ergo ſapientia in communi eſt genus.

Quarto Boetius in libro de Trinitate 4.
videtur dicere, quod in Diuinis manent duo genera, ergo.

Quinto Philoſophus 10. Metaph. tex. 5.
7. dicit eſſe vnam primam ſubſtantiam, quæ eſt menſura aliarum, & Commentator dicit eam eſſe primum Motorem. Tũc ſic. Sicut in alijs generibus à ſubſtantia primum eſt aliquid illius generis, ita in ſubſtantia primum erit aliquid generis ſubſtantiæ, ergo primus Motor erit de genere ſubſtantiæ.

Sextò poteſt concipi ſubſtantia creata, 6.
& increata, & neuter conceptus eſt ſimpliciter ſimplex, ergo reſoluendo, remanebit ratio ſubſtantiæ indifferens ad vtrumque contrahens, & ſic ſubſtantia indifferenter accepta, videtur habere rationem generis.

Septimò, Simplicitas Dei non excludit 7.
eum à genere: quia Angeli ſunt ſimplices, & immateriales, & tamen ponuntur in genere; etiam accidentia ſunt ſimplicia, & tamen ponuntur in genere, ergo Deus eſt in genere.

Ad primum Argumentum reſpondet Ad 1
Scotus, quod conceptus dictus de Deo, & Creatura, in quid, vt eſt ens, contrahitur per aliquos conceptus dicentes quale: tamen conceptus ille communis dictus de Deo, & Creatura, non eſt genus, neque illi conceptus contrahentes ſunt differentiæ:

tiæ:ſed ille conceptus cõtradictus eſt prędicatum traſcendens, & conceptus contrahentes ſunt modi intrinſeci illius, non differentiæ,vt in propoſito,ens eſt conceptus, & prædicatum tranſcendens, infinitun, & finitum, ſunt modi intrinſeci entis; Vt autem intelligatur quomodo illi conceptus contrahentes contrahant, & habeant rationem Qualitatis, & tamen non ſint differentiæ, & ſimiliter ens ſit cõtractum per hos conceptus, & non ſit genus, & ens finitum non ſit quid compoſitum, opus eſt declarare quid ſit modus intrinſecus.

Decl. id ſit mod' intrinſecus. Modus intrinſecus rei,vt habet Scotus in hoc citato loco,nil aliud eſt,niſi gradus intrinſecus realitatis rei, vnde Scotus in ſecundo argumento ſuperius allato in primo cap. pro eodem accepit modum intrinſecum, & gradum intrinſecum realitatis rei, & ibi hoc dilucidè, & in ſolutione huius argumenti declarat,ſumpto exẽplo albedinis; Albedo enim eſt realitas, hæc habet ſuos gradus: quia quandoque eſt intenſa,quo ad decem gradus, quandoque quo ad octo &c.iſti gradus intrinſeci albedinis,ſunt modi intrinſeci albedinis; vnde ſi albedo diuideretur in albedinem vt ſex, & in albedinem vt decem, hæc diuiſio non eſſet per differentias, ſed per gradus, & modos intrinſecos albedinis, & in hoc differt modus intrinſecus à differentia,quia differentia habet rationẽ extrinſeci actus, & perfectiui, & conceptus generis qui contrahitur per differentias,habet rationem potentialis,ita quod differentia videtur eſſe quid externũ ipſi generi; Vnde in quocumque gradu intelligatur animalitas, numquam reperietur in ea rationalitas, vel irrationalitas, quia rationale eſt quid extrinſecum ab animali. Hinc fit, quod cum rationalitas aduenit animali facit compoſitionem,& ſic homo eſt compoſitum: ſed gradus intrinſecus realitatis, vt gradus dicimus albedinis,dum aduenit albedini,non facit compoſitionem, quia non eſt quid extrinſecum ab albedine, ſed quid intrinſecum ipſimet albedini: ſolum facit albedinem eſſe perfectiorẽ;quod confirmatur: quia differẽtia addita rei, variat eſſentiam rei, & conſtituit aliam rem:ſed gradus intrinſecus additus rei, non variat rem, neque diuerſam conſtituit, ſed ſolum perfectiorem facit; Hæc eſt differentia inter modũ intrinſecum,& differentiam.

Quo conceptus citrahatur p modos intrinſecos. Sed vlterius eſt declarandum, quomodo conceptus communis contrahatur per modum intrinſecum non enim videtur quod realitas, & conceptus communis, poſſit contrahi per hos modos intrinſecos:quia videretur contrahi per ſemetipſum;hoc ergo eſt declarandum,& hoc eſt illud, in quo laborat Scotus in præſenti; Declaratur autem hoc modo, Quæcumque realitas poteſt duobus modis intelligi.

Vno modo in confuſo, abſque certa cognitione,& conſideratione graduum, & modorum intrinſecorum,vt intelligendo albedinem in communi,non conſiderando intenſionem albedinis, ſiue ſit quo ad octo,ſiue quo ad decem gradus.

Secundo modo poteſt conſiderari realitas cum modo intrinſeco,vt cum intelligo albedinem quo ad decem gradus, differunt iſti duo modi cognoſcendi, quia primo modo eſt cognitio imperfecta, & habemus conceptum albedinis, vt decem imperfectum; ſecundo modo habemus conceptum perfectum albedinis, primus eſt conceptus communis omni albedini, ſecundus eſt proprius huic albedini decẽ graduum,vnde conceptus albedinis in ſe, abſque conſideratione graduum, & modorum intrinſecorum,poteſt eſſe communis, de facto eſt communis huic albedini vt octo,& huic vt decem, &c. & tunc fit proprius,& diſtinguitur ab alijs, cum cõſideratur vt octo,diſtinguitur enim ab albedine quæ conſideratur, & eſt,vt decẽ, & ab ea,quæ conſideratur vt ſex: ſicuti ergo animal in communi eſt indifferens ad rationale,& irrationale,& antequam ſumatur rationale,animal non diſtinguitur ab irrationali, ſed eſt quid commune,cũ verò ſumitur,& conſideratur, cum rationale contrahitur; & non eſt amplius quid commune, ſed fit particulare,& propriè homo:ita realitas in communi, abſque cõſideratione graduum,eſt communis: ſed cum conſideratur, & actu contrahitur per gradus ſuos intrinſecos, vt per octo gradus, per decem, &c. diuiditur in va-

rias partes, & non eſt amplius quid commune, ſed fit conceptus proprius. Ex his clarè apparet, quid ſit modus intrinſecus, & quomodo poſſit dari conceptus communis, qui contrahitur per alios conceptus dicentes quale, & tamen ille conceptus contractus, non eſt genus, neque conceptus contrahentes, ſunt differentiæ, quia genus, & differentia requirunt diuerſas realitates: ſed conceptus tranſcendens & modus intrinſecus, requirunt eandem realitatem, ſolum ſub diuerſis gradibus conceptam, & participatam; Patet etiam, quomodo idem non contrahitur per ſeipſum, niſi dicamus commune contrahi per ſuos gradus internos, quod non eſt inconueniens: eſſet inconueniens, quod idem commune contraheretur per ſeipſum commune; Hoc modo euenit in propoſito de ente: ens enim eſt conceptus, & quædam realitas communiſſima, habet ſuos gradus inttinſecos, per quos diuiditur, quorum primi ſunt, infinitas, & finitas; Diuiditur ergo in iſtos, vt in ſuos gradus, non autem, vt in differentias, quia finitas, & infinitas non habent rationem extrinſeci, & qualificantis ens, quia ita eſt ſimplex ens finitũ, & ens, infinitum, ſicuti eſt ens, & ſicuti albedo, vt decem, non eſt compoſitior albedine, vt ſex, neque albedo, vt decem, & albedo, vt ſex, ſunt compoſitiores albedine in cõmuni: ita ens infinitum, non eſt magis compoſitum ente finito, neque vtrumque eſt magis compoſitum ente in communi, quod non poſſumus dicere de animali rationali, & animali irrationali reſpectu animalis, quia animal rationale, eſt proculdubio aliquid magis compoſitum, quàm animal.

Ad 1. Per hoc patet ad Primum argumentum, quod ens non eſt genus, & per idem ſoluuntur multa argumenta Aduerſariorum, qui non poſſunt capere, quomodo ens ſit vniuocum Deo, & Creaturæ, & nõ ſit genus; Quod ſi quis obijciat, ens, vt eſt contrahibile ad infinitum, & finitum, eſt potentiale. Reſpondeo, quod propriè non eſt potentiale, ſed indifferens, vt declaratum eſt.

Ad 2. Ad ſecundam rationem Reſpondetur ex dictis Scoti, ad argumenta pro opinione Ruberti Olchot, quod Deus eſt ens formaliter, & non eſt in ſubiecto; ſed cum infertur, ergo eſt ſubſtantia: negatur conſequentia: quia ens, quod non eſt in ſubiecto, eſt duplicis generis; Aliud enim eſt illimitatum; & aliud eſt limitatum: ens nõ in ſubiecto illimitatum, non eſt ſubſtantia, quod eſt genus generaliſſimum, ſed ens limitatum non in ſubiecto, conſtituit genus generaliſſimum ſubſtantiæ. Sed dices, Deus dicitur ſubſtantia, ergo Deus continetur ſub ſubſtantia. *obiec.* Dico, quòd tũc hoc prædicatum, ſubſtantia, eſt tranſcendens, & idem eſt, ac ſi dicamus, Deus eſt ens infinitum, non exiſtens in ſubiecto: tribuitur ergo nomẽ ſubſtantiæ Deo quo ad perfectionem, non quo ad imperfectionem: & quia ſubſtantia, vt eſt genus, habet annexam imperfectionem, ſcilicet, potentialitatem, vt dictum eſt, ideo ſubſtantia, vt eſt conceptus generis, non prædicatur de Deo, ſed vt tranſcendente. *Solutio.*

Ad 3. Ad tertium dicitur ſimiliter, vt dictum eſt ſuprà in primo capite, quod iſta prædicata Sapientia, Iuſtitia, &c. ſunt prædicata, tranſcendentia & quatenus transferuntur ad Diuina, non transferuntur ſecundum rationem generis; & denique, vt dictum eſt de ente, ita dicendum eſt de reliquis prædicatis, quæ competunt Deo, & Creaturæ.

Ad 4. Ad quartum, dico, quod Damaſcenus, nullibi dicit expreſsè Deum eſſe in genere propriè: ſed in multis locis in quibus videtur dicere Deum eſſe in geuere, eſt exponendus, quod per genus intelligit tranſcendens, & ſic ait in Elementario, cap. 8. Genus generaliſſimum ſubſtantiæ, continere ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem, cognoſcibiliter autem, & contentiuè omnem Creaturam; vbi patet, quod non accipit genus generaliſſimum ſubſtãtiæ propriè, vt eſt potentiale, ſed ſecundũ quod eſt tranſcendens; vnde ait, genus generaliſſimum ſubſtantiæ continere ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem, id eſt excellentiſſimo modo, & non modo ordinario quo cæteræ Creaturæ continentur in ipſo genere ſubſtantiæ: quia Creaturæ continentur in ſubſtantia, vt eſt genus propriè, ſed Deus continetur in ſub-

ſubſtantia vt eſt tranſcendens, apud Damaſcenum, ergo idem eſt genus generaliſſimum in propoſito quod tranſcendens.

Ad Boet. Ad Boetium reſpondet Scotus, quod nuſquam dixit duo genera manere in Diuinis, & conſequenter, neque differentias generum, neque modos, neque rationes eorum: quia hæc omnia ſunt limitata; ſed quia videtur dicere, quod in Deo ſint ſub ſtantia, & relatio, Reſpondetur, quod intelligit remanere duos modos prædicandi, ſcilicet, modum prædicandi relatiui, & modum prædicandi eſſentialis, quos modos appellat Diuus Auguſtinus ad ſe, & ad aliud: prædicata ad ſe, Boetius appellat ſubſtantialia, & ad aliud relatiua, & propter hoc videtur dicere, quod duo iſta genera maneant in Diuinis. Sed iam dictum eſt, quod hæc prædicata accipiuntur tranſcendentaliter, non vt ſunt in genere.

Ad 5. Ad quintũ reſpondetur, quod id, quod eſt menſura aliorum in genere ſubſtantiæ, eſt prima ſubſtantia illius generis, cui competit vnitas, loquendo de menſura intrinſeca: primus motor autem eſt menſura extrinſeca, nedum ſubſtantiæ, ſed aliorum generum: eſt tamen principaliter ſubſtantiæ, & ſic vel Auerroes non habet intentionem Ariſt. vel locutus eſt de menſura extrinſeca. Ad rationem verò, antecedens eſt verum de menſura intrinſeca, non de extrinſeca.

Ad 6 Ad ſextum reſpondetur, quod ſi abſtrahas ſubſtantiam à creata, & increata, non accipitur ibi ſubſtantia pro conceptu generis generaliſſimi; quia increata ſubſtantia repugnat generi, vt dictum eſt, ſed accipitur tunc ſubſtantia pro ente in ſe, & non in alio, cuius conceptus prior eſt, & communior conceptu ſubſtantiæ, vt eſt genus, vt ſuprà diximus.

Ad 7. Ad ſeptimum reſpondetur, quod perfectiſſima ſimpliciter repugnat generi, ſcilicet illa ſimplicitas, quæ excludit compoſitionem rei, & rei, realitatis, & realitatis. At Angelus, licet ſit ſimplex, quia non conſtat ex re, & re, tamen ſecundum aliquos eſt compoſitus ex realitate, & realitate, vel ſaltem, vt diximus ſuprà, licet actu non ſit compoſitus ex realitate, & realitate, eſt tamẽ componibilis, ita quod conſtet ex realitate potentiali, ad aliam realitatem perfectiuam: quia ſuprà diximus, quod omnis creatura eſt componibilis, cum nõ habeat omnem perfectionem poſſibilem: realitas autem infinita, vti eſt realitas Dei, non eſt poſſibilis, nec perfectibilis ab vlla alia: & hac de cauſa Deus non poteſt eſſe in genere; Intelligentiæ etiam recipiunt propriam intellectionem, quæ eſt accidens ſecundum Theologos.

Exponuntur rationes Aduerſariorum, probantes Deum eſſe in genere, & ſoluuntur; ac eorum opiniones falſas eſſe ex dictis oſtenditur. Cap. III.

De hac materia ſunt obiectiones ex duabus partibus. Aliqui contendũt oſtẽdere, quod Deus eſt in genere. Alij ex aduerſo oſtendere nituntur, quod nec Deus, nec Angeli ſunt in genere. Primò examinabimus rationes pro prima opinione; Deinde rationes pro alia.

Ioãnes Bacchonus 1. Sent. diſt. 9. quęſt. vnica, licet non teneat abſolutè Deum eſſe in genere, (vt ipſe ait) attamen impugnat rationem fundamẽtalem Scoti, propter quam ſuſtinet, Deum non eſſe in genere, quæ erat, quod genus eſt ſemper potentiale, & ideo, quod eſt in genere, eſt potentiale, quod dici non poteſt de Deo, qui eſt actus infinitus, & puriſſimus. Pro impugnando autem hoc, aſſumit, quòd genus quodlibet diuiditur per duas differentias, quarum vna eſt poſitiua, alia eſt priuatiua. Secundo aſſumit, quod differentia priuatiua quandoque ſignificat rem imperfectam: vt cum ſubſtantia diuiditur per animatã, & inanimatã, aliquando ſignificat aliquid perfectum, vt cum diuiditur per corporeã, & incorpoream; incorporea enim ſignificat quid nobilius, quam corporea. Vnde Porphyrius cap. de Differẽtia, dicit: quòd immortale additum Dijs, ſeparat nos à Dijs, his aſſumptis, ſic arguit. Illud cui cõpetit determinari per differentias, eſt res generis: ſed Deo competit determinari per differẽtias, quia dicitur de Deo, quod eſt ſubſtãtia incorporea, indepẽdens, im- *Bacc.*

mortalis,&c.ergo Deus eſt res generis, & conſequenter eſt in genere.

2. Secundò. Impugnat aliud fundamentum Scoti, nempè, quod infinitum non eſt in genere ſic poſita linea infinita, nihilominus linea eſt in genere, ſcilicet in Quantitate; ergo infinitas non ponit aliquid extra genus; Antecedens probatur: quia linea infinita recipit prædicationem Quantitatis eſſentialiter: quia hæc eſt propoſitio eſſentialis; Linea infinita eſt Quãtitas.

3. Tertiò, Infinitum, & finitum, competunt Quantitati, ergo infinitum eſt in genere.

4. Quartò. Cui competit ratio formalis generis, eſt in genere, ſed Deo competit ratio formalis generis, ergo. Minor probatur: quia Deò competit Relatio, & Actio ſecundum quod ſunt genera, ergo.

5. Quintò. Illud quod deſcendit in inferiora per differentias, eſt genus, & illud, quod continetur ſub illis differentijs, eſt in genere: ſed ſubſtantia diuiditur per corpoream, & incorpoream ex Porphyrio, & ſub incorporea continetur Deus, ergo Deus eſt in genere. Dicit tamen, quod nõ debemus dicere abſolutè Deum eſſe in genere, ſed cum depuratione imperfectionis, ita, quod retinet formalem rationem generis, ſed aufert omnem imperfectionem. Hæc opinio in ſe eſt eadem cum opinione Scoti: ſed ſecundum mentem opinantis, eſt falſa, & implicat contradictionem. Nam cum dicit, quod genus poteſt transferri ad Diuina, cum depuratione, & & ablatione imperfectionis, vel intelligit de rebus, quæ in generibus ſunt, vt eſt Subſtantia, Relatio, &c. Vel intelligit de ipſomet genere formaliter: ſi primum, vt dicere habet, & vt eius exempla, & rationes indicant, coincidit cum opinione Scoti, quia & nos ponimus ſubſtantiam, & relationem in Diuinis, ablata imperfectione, & limitatione: ſed tunc non ſunt amplius illi conceptus, conceptus generis, ſiue generici ſed ſunt tranſcendentes: quia implicat dicere, quod illi conceptus ſint in genere, & ſint illimitati, & ſine imperfectione, vt dictum eſt: Sapientia enim, Bonitas, Relatio, &c. quæ conueniunt Deo, & Creaturæ, ſecundum propriam rationem formalem, ſunt illimitata, ſicuti ens & primum, competunt enti in ſua maxima communitate, vt eſt commune finito, & infinito, poſtea diuiduntur in ſapiẽtiam finitam, & infinitam, vt ens; & ſapiẽtia finita, bonitas, & reliqua, ſunt finita, & in genere; iſta autem prædicata finita, non poſſunt attribui Deo, ſecundum hanc rationẽ, qua ſunt in genere, quia ſic ſunt finita, manent ergo in Diuinis depurata limitatione, & imperfectione, & tũc ſunt prædicata tranſcendentia, non generica. Vidit Ioannes Bacconus, quod hæc depuratio ponebat hos conceptus extra genus, & faciebat eos illimitatos, ideo nixus eſt eam vitare per hoc quod ſi depuratio limitationis à relatione, poneret relationẽ extra genus, poneret etiam eam extra rationem formalem relationis. Sed hæc Cõſequentia eſt nulla, vt viſum eſt: concedimus enim, quod Relatio, & alia manet in Deo, ſecundum ſuam rationem formalẽ, ſapientia enim manet in Deo ſecundum rationem formalem ſapientiæ: non tamẽ dicimus illa manere ſecundum rationem generis, ſed vt tranſcendentiæ; & hoc probauimus; ſecundum mentem vero opinãtis, hæc poſitio implicat contradictionẽ: quia ponit, quod ratio, generis poſſit depurari à limitatione, quod implicat: quia illimitatum opponitur priuatiuè, immò contradictoriè ei, quod eſt in genere, id enim dicitur illimitatum, quod non eſt in genere; quomodo ergo ratio ipſiuſmet generis poteſt eſſe illimitata? eſt ergo impoſſibile, quod Deus retineat formalem rationem generis, & ſit illimitatus.

Reijcitur.

Ad rationes autem pro eius opinione. Ad primam dico, quod ſi ipſa concluderet, concluderet maximum abſurdum, quod neque ipſe admittere poteſt, ſcilicet, quod Deus eſſet compoſitus, ſi non ex poſitiuo, & poſitiuo, ſaltem ex poſitiuo, & priuatiuo: quia Deus eſt ſimpliciſſimus, vt omnes, & Philoſophi, & Theologi aſſerunt. Conſequentia probatur: quia dicis, quod genus diuiditur per differentias duas, quarum vna eſt poſitiua, altera priuatiua, & quod priuatiua quandoque dicit perfectionem, vt in propoſito, & quod propterea dum ſubſtantia diuiditur per corpoream, & incorpoream, Deus conti- Ad r

netur

netur ſub ſubſtantia incorporea: Tunc Arguo ſic. Ergo ſubſtantia incorporea, eſt quid compoſitum, in quo ſubſtantia eſt potentiale, incorporea eſt differentia; hoc autem eſt manifeſtè falſum: quia Deus non componitur, neque ex poſitiuo, neque ex priuatiuo. Quod ſi quis dicat, non eſt inconueniens, quod Deus componatur ex priuatiuo dicente perfectionem, Contra, inconueniens eſt, ponere in Deo potentiam, & actum, ſiue actus dicat perfectionem, vel imperfectionem, ergo quæcumque ſit illa differentia, dummodò habeat rationem differentiæ quæ eſt actuare, & contrahere genus, non poteſt poni in Deo, alioquin hęc propoſitio eſſet vera: Deus eſt compoſitus; quam propoſitionem Theologi in Deo omninò abhorrēt; neque Ariſt. ipſe admittit: quia potentia ſemper habet annexam imperfectionem, & ipſe in 12. Metaph. tex. 30. & inde, & vbique, in Intelligentijs negat omnem potentiam, & compoſitionem; Eſt ergo dicendum, quod ratio iſta non concludit.

Ad 1 fundamentum Porphyrij. Ad illud primum fundamentum aſſumptum, quod genus diuiditur per duas differentias, quarum vna eſt poſitiua, & altera eſt priuatiua, dico, quòd hoc eſt falſum, licet Porphyrius diuidendo genus ſubſtantiæ, exemplificauerit de huiuſmodi differentijs, & nos communiter ad imitationem Porphyrij ſic diuidamus genera per differentias poſitiuas, & priuatiuas; Sed dico, quòd omnis differentia diuidens, & contrahens genus, eſt poſitiua; Probatur: quia differentia eſt actus, & contrahit, & ponit in eſſe: At nuda priuatio, non ponit in eſſe, non dat eſſe ſubſtantiæ, non dat eſſe ſpecificum, vt patet; differentiæ ergo contrahentes animal, non ſunt rationale, & irrationale, ſed rationale, & hinnibile, rudibile, &c. & ſic de alijs eſt dicendum; ſed quia differentiæ contrahentes genera, ſi vna eſt cognita, reliquæ nos latent; volentes diuidere illud genus, accipimus differentiam notā, & priuationem illius, per quam reliquas omnes differentias intelligimus, & hoc fit ad vitandum prolixitatem quoque. Vnde irrationale non eſt differentia vna ſpecifica animalis, ſed plura continet ſub ſe, vt omnia bruta. Ad propoſitum ergo, cum diximus Deus eſt ſubſtantia incorporea, independens, &c. iſtæ priuationes non ſunt differentiæ, ſed puræ negationes, quæ deſcribunt nobis Deum, definitio autem per negationes propriè conuenit illimitatis, de quibus cum non poſſimus oſtendere quid ſint, oſtendimus quid non ſint; vnde cum dicimus Deum eſſe incorporeum, independentem, innanimatum, &c. tantum abeſt vt per hæc fateamur ipſum eſſe in genere, quod potius per hæc remouemus ab ipſo omne genus, & omnem imperfectionem; non eſt ergo verum, quod ſubſtantia incorporea ſit vna ſpecies ſubſtantiæ, ſed eſt prædicatum tranſcendens, & ita de reliquis; Sed contra alibi admittimus, & communiter admittimus ſubſtantiam incorpoream eſſe primam ſpeciem ſubſtantiæ; Reſpondeo, quod tunc loquimur ſecundum vſum cōmunem, vt ſuprà diximus, non propriè, & eam admitto eſſe primam ſpeciem ſubſtantiæ, quatenus incorporea, innuit primas differentias poſitiuas diuidentes ſubſtantiam contra corpoream, quas quia vel ignoramus, vel nolumus ſtatim breuitatis cauſa adducere, per illam ſignificamus.

Ad ſecundum Reſp. Scotus, poſtquā rationem D. Thom. reprobauit, quia ipſemet D. Tho. probabat Deum non eſſe in genere; hanc enim obiectionem facit aduerſum ſe, & validiori modo, ſed ſolutio breuiter hæc eſt; quod duplex eſt infinitum, ſcilicet, ſimpliciter, & ſecundum quid; infinitū ſimpliciter, eſt illud, quod ex nulla parte excedi poteſt, & dicit ſummam perfectionem: infinitum ſecundum quid eſt, quod non dicit ſummam perfectionem, & licet in vna re non poſſit excedi, in multis alijs poteſt excedi; primò modo eſt Deus, ſecundo modo eſt linea, quia linea eſt infinita, ſolum quò ad dimenſionem longitudinis, non tamen eſt ens ſummum, quod non poſſit excedi in entitate, & in omnibus perfectionibus; Quando autem dicit Scotus, quòd infinitum non poteſt eſſe in genere, loquebatur de infinito ſimpliciter, non de infinito ſecundum quid, & per hoc patet quoque ad tertium. Ad 2. & 3.

Ad quartū negatur Minor. Ad probationem Ad 4.

tionem iam dictum eſt, quod relatio, & actio, vt dicuntur de Deo, ſunt prædicata tranſcendentia.

Ad 5. Ad quintum patet ex dictis, quod incorporeum independens, non ſunt differentiæ contrahentes ſubſtantiam, ſed negationes, quæ nobis deſcribunt Deum.

Greg. rōnes cōtra Scotū Gregorius de Arimino, 1. Sentent. diſtinctione octaua, quæſtione 3. aduerſus opinionem Scoti, multis medijs inſurgit; Primo impugnat fundamentum opinionis Scoti. Secundo ipſammet concluſionem euertere nititur. Quo ad primum, aſſerit opinionem Scoti eſſe falſam: quo ad id, quod genus habet rationem partis, & partis potentialis, & hoc falſum eſſe probare nititur, tam in ſubſtantia, quam in accidente.

1. rō. Prima ratio eſt hæc. Si genus haberet rationem partis, ſequeretur, quod non plus genus prædicaretur in quid, de ſpecie, quam differentia. Conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, & nihil amplius dicit.

2. Secundo. Si genus haberet rationem partis, genus ſumeretur à forma, vt exempli gratia, Animal à ſenſitiua, Rationale ab intellectiua, (dato quod eſſent diuerſæ formæ) tunc ſubinfert: ſed nulla forma eſt perfectibilis ab alia, quia omnis forma perficit materiam non formam; dato etiam, quod plures formæ eſsent in eodem compoſito, ergo tunc genus non habebit rationem partis perfectibilis.

1. rō. q̄d accidentia ſint cōpoſita. Quo ad accidentia verò probat, quòd realitas, à qua ſumitur genus accidentis, non ſit potentialis, reſpectu realitatis à qua ſumitur differentia accidentalis, & quod in hoc quoque Scotus defecerit, primo ſic. Ponit Scotus in accidentibus compoſitionem realitatis, & realitatis, ergo non minus eſt compoſitio rei, & rei, in accidentibus, quàm in ſubſtantia; Conſequentia probatur: quia vel illæ realitates ſunt res, (niſi ad placitum velint appellare componentia accidentia, realitates, componentia vero ſubſtātias res,) & tunc habetur propoſitum; Vel ſunt diuerſæ realitates, & tamen vna res ſimplex per identitatem, ita quod inter ipſas eſt diſtinctio formalis, non realis: & tunc quæro de illis realitatibus, an vna ſit eadem ex natura rei, rei communis id eſt ſpeciei, vel non: ſi non, ergo non eſt eadem res cum alia realitate, & ſic ſunt duæ res; ſi ſic, cum illa formaliter aliquo modo diſtinguatur ab ea re communi, neceſsariò diſtinguetur per aliam formalitatem, & ſic dabitur proceſsus in infinitum: Conſequentia prima probatur: quia per Scotum nihil poteſt eodem primo cum aliquo conuenire, & ab eo diſtingui, illa formalitas conuenit cum re communi, ſeipſa, ergo ſeipſa non poteſt ab illa diſtingui, ſed neceſsariò per aliam formalitatem, deinde illa per aliam, & ſic in infinitum.

Secundò, Scotus ſibi expreſsè contradicit; nam in Reportatis, diſt. 33. quæſt. 2. tenet, quod forma accidentalis eſt ſimplex, & nullo modo compoſita ex realitatibus; Dicit etiam, quòd in tali forma non eſt alia realitas, à qua ſumitur genus, & alia, à qua ſumitur differentia; verba autem Scoti, vt refert Gregorius, ſunt iſta, vult oſtendere Scotus, quod aliqua quandoque ſunt eadem ſimpliciter, & tamen non adæquatè, & ait ſic. Niſi etiam multa eſſent eadem ſimpliciter, quæ non ſunt adæquatè eadem, ſequeretur, quod forma accidentalis, vt albedo, eſſet compoſita realiter: nam ſi ratio communioris à qua ſumitur ratio generis, eſſet alia realitas ab ea, à qua ſumitur ratio differentiæ ſpecificæ albedinis, tunc albedo eſſet compoſita ex duabus realitatibus: quod negatur communiter; Sunt ergo vna realitas hæc duo in albedine, & tamen neutrum adæquatè eſt realitas albedinis per ſe, quoniam tunc vnum, vel reliquum ſuperflueret. Hæc Scotus In quibus verbis apertè videtur Scotus ſibi contradicere, quo ad concluſionem, quòd accidentia ſint compoſita, & quo ad fundamentum Concluſionis, quia negat aliam eſſe realitatem, à qua ſumitur genus, & aliam à qua ſumitur differentia. 2.

Secundò principaliter probat, quòd Deus ſit in genere; & primo probat, quòd res, quæ importatur per hoc nomē, Deus, ſit in genere; Secundo, quòd prædicata dicta de Deo, ſint in genere, Primū probat hac *Quod Deus ſit in genere. 1. rō.*

hac

hac ratione. Omne, quod prædicatur in quid de aliquibus ſpecie differentibus, eſt genus ad illa: ſed ſpiritus prædicatur in quid de Deo, & Angelis, ergo ſpiritus eſt genus ad Deum, & Angelos, ergo Deus eſt in genere; ſpiritus autem eſt in Prædicamento Subſtantiæ, ergo Deus eſt in genere Subſtantię. Maior patet ex definitione generis; Si etiam negetur Maior, tunc etiam negari poterit, quamlibet aliam rem eſse in genere: quia non habebimus vllam rationem ad hoc probandum. Minor verò patet: quia ſi quis interrogetur, Quid eſt Deus, verè reſpondemus, eſt ſpiritus, vt Io. cap. 4. Deus ſpiritus eſt. Prędicatur etiam de Angelis, in quid, quia in ſcripturis Michael, & Angeli dicuntur ſpiritus: ſpiritus ergo eſt genus, & dicitur ſecundum eandem rationem, vti genus dicitur de ſpeciebus.

2. rō. Secundo principaliter arguit auctoritatibus Ariſtotelis in 12. Metaphyſices volens de Deo loqui, qui eſt ſubſtantia, diuidit primo ens in ſubſtantiam, & in alia Prædicamenta; deinde diuidit ſubſtantiam in inſenſibilem, & ſenſibilem, corruptibilem, & ęternam, ergo ſubſtantia ęterna ſub qua continetur Deus ſecundum Ariſtotelem eſt in Prędicamento Subſtantię, de prædicatis verò, quę de Deo dicuntur, patet, quod ſunt in genere, quia de Deo dicuntur, Pater, Filius, Creator, Principium, & plurima ſimilia, quę in diuerſis Prędicamentis re vera cōtinentur, & iſta re vera, & propriè dicuntur de Deo, ſecundum omnes Catholicos.

Reÿcitur. Hæc opinio Gregorij ex dictis ſuperius contra opinionem Bacchoni, redditur falſa: ideo non eſt immorandum circa illam: iam enim ſatis diffusè probatum eſt, quod genus eſt potentiale, & quod ideo ſi Deus eſſet in genere, neceſſe eſſet quod Deus eſſet compoſitus, vel componibilis, quod eſt maximum inconueniēs, & propter alias rationes ſuperius adductas, ideo eius rationes ſoluendæ ſunt.

Ad 1. Ad Primam reſpondetur, negando Cōſequentiam, quā non probat ratio negationis eſt: quia differentia non prædicatur in quid, rationem cuius adduximus in diſputatione de Vniuocatione entis, c. 4.

Præterea, falſitas Conſequētis non probatur ab eo: at nos Conſequens illud non habemus pro inconuenienti; quia genus eſt tantum pars ſpeciei, & differentia eſt altera pars, ergo non plus debet prædicari genus de ſpecie, quam differentia: ſed hæc non eſt ratio propter quam genus prædicatur in quid, de ſpecie, & differentia in quale quid, ſed ea, quam loco citato diximus, ſcilicet, quia differentia habet rationem qualificantis, & determinantis ſubſtantialiter, ideo prædicatur in quale: genus verò habet rationem determinabilis, & propter hoc prædicatur in quid; ideo hæc inſtantia non eſt ad propoſitum: ſed fundamentum ex quo deducitur, eſt pro nobis: quia oſtendit genus eſſe potentiale reſpectu differentiæ, & conſequenter habere rationem partis.

Ad 2. Ad ſecundam reſpondetur, quod res generis ſumitur quidem à parte, vt à forma aliqua priori, cum impugnatur: quia nulla forma perficitur per aliam. Reſpondetur, quod forma illa, à qua ſumitur ratio generis, conſtituit aliquod totum ſimul cum materia, quod poſtea totum eſt perfectibile ab alia forma, vt mixtum eſt conſtitutum per formam ſubſtantiæ mixti, & tamen eſt poſtea perfectibile ab anima, quæ eſt alia forma; forma itaque generis cum det eſſe toto, quod eſt genus, dicitur eſſe res, à qua ſumitur, genus, neque ipſa perficitur à forma adueniente, ſed eſt totum illud, quod perficitur: debebat autem probare ipſe, quod forma generis non poſſit hoc modo perfici ab alijs formis; Sed de hac re abūdè locuti ſumus in materia de pluralitate formarum in eodem compoſito.

Ad 1. de accidente. Ad primum, de accidente in formalitatibus infra diffusè declarabitur, quæ differentia ſit inter rem, & realitatem, pro nunc quantum ad argumentum ſufficit, dico, quòd ſi Gregorius rectè cōſideraſſet Literam Scoti, vidiſset hoc argumentum, & ſequens, in quo dicit Scotum ſibi contradicere, non eſse ad propoſitum. Dico igitur, quod in accidente non eſt cōpoſitio actualis, ſed potētialis: dicebat enim Scotus, quod realitas, à qua ſumitur genus, eſt potentialis, & perfectibilis à rea-

à realitate à qua ſumitur differentia: ſi autem actu non perficiatur, vt euenit in accidentibus, hoc ideo eſt, quia vtraque realitas eſt idem realiter alicui toto, quod primo producitur ab aliquo agente, in quo ambæ ſimul producuntur, & ſic actu vna non perficit aliam, & conſequenter accidens illud, vt albedo, non eſt actu compoſitum, ſed forma ſimplex; tamen ſi illæ realitates non eſſent idem illi toto, & conſequenter non ſimul producerentur in illo, ſed vna prius, altera poſterius, vna eſſet perfectibilis ab alia, & actu perficeretur, vt realitas coloris à realitate differentię conſtituentis albedinem. Ecce, quod argumentum tuum non eſt ad propoſitum, quia Scotus non dicit in accidētibus actu eſſe compoſitionem realitatis, & realitatis, ſed dicit abſolutè aliam eſſe realitatem generis, aliam differentiæ, & vnam eſſe perfectibilem per aliam, & licet quandoque hoc actu non verificetur, vt in accidentibus, tamen potentialiter ſemper eſt verum. Vel dicas, quod accidens eſt forma ſimplex, quia non conſtat ex re, & re, ſed ex realitate, & realitate, plures autem realitates non auferunt ſimplicitatem, vt diximus in diſput. de Attributis in Theologia.

Ad 2. Ad ſecundum, patet per hoc, quia in Reportatis non ſibi contradicit: nam vbique dicit accidentalem formam, vt eſt albedo, non eſſe compoſitam actu; & ratio huius adducta eſt nunc: ſed realitas generis, & realitas differentiæ, facta eſt vnamet realitas ab agente, propter identitatem quam habent in illo toto; ſunt ergo idem realiter, quia vna ſola realitas facta ſunt actu, tamen in ſe ſecundum propriam naturam, ſunt duę realitates, & vna eſt perfectibilis ab alia: & ſic patet propoſitum Scoti in eo loco, nempè, quod aliqua ſunt idem, neque tamen adæquatè idem; Neque ſibi contradicit, quia ſunt idem realiter, diuerſa formaliter.

Ad 1. Ad primam rationem contra Concluſionem. Ad Maiorem dico, quòd in illa definitione ſubintelligitur vna particula, quod genus poſſit diuidi, & actuari per differentias; alioquin ſi aliquid prædicaretur in quid, de pluribus differentibus ſpecie, & tamen non poſſet diuidi per differentias, non eſſet genus; quod autem ſubintelligatur hæc conditio in genere, licet non apponatur ibi à Porphyrio, colligitur ex capite de Differentia, vbi docet differentiam eſſe diuiſiuam generis, & conſtitutiuam ſpeciei; & ex Ariſtotele, vt dictum eſt ſuprà. Tunc Minor eſt inſufficiēns: quia licet ſpiritus prædicetur in quid, de pluribus differentibus ſpecie, tamen vt dicitur de Deo, & eſt prædicatum tranſcendens, neque includit hanc potentialitatem, & ſic non eſt conceptus generis.

Ad 2. Ad ſecundam, quæ eſt auctoritas Ariſtotelis, dico, quòd ſi Gregorius vidiſſet Commentatorem, & eius ſequaces, qui ſuſtinent, quòd nedum Deus non eſt in genere, ſed quòd neque cæteræ ſubſtantiæ abſtractæ, ſunt in genere, & dicunt ſubſtantiam eſſe æquiuocum nomen, & corpus de Prædicamento ſubſtantiæ eſſe primum genus vniuocum, non dixiſſet eſſe clarum Ariſtotelem ſenſiſſe Deum eſſe in genere. Dicimus tamen nos, quod re vera Ariſtoteles diuidit ens in decem Prædicamenta, & Subſtantia eſt primum Prædicamentum, & quòd ſubſtantiæ abſtractæ comprehenduntur ſub Subſtantia, quod eſt primum Prædicamentum. Sed tamen Ariſtoteles cum poſtea loquitur de quidditate primæ ſubſtantiæ, & reperit eam eſse infinitam, perfectiſſimam, nullo modo potentialem, & nulla carentem perfectione, tunc illam eximit à genere aliarum ſubſtantiarum, & dicit eſſe ſubſtantiam, ſed ſubſtantiam perfectiſſimam, infinitam, &c. adeo quod non amplius accipit Subſtantiam pro ſubſtantia, quæ eſt genus: quia hæc eſt potentialis, & perfectibilis: ſed accipit Subſtantiam pro ſubſtantia cum omni perfectione, quæ tunc eſt prædicatum tranſcendens. Appellauit autem Ariſtoteles Deum ſubſtantiam, quia hoc eſt nobilius prædicatum, quod de aliqua re poſſumus habere pro hoc ſtatu. Quod ſi magis proprium prædicatum habuiſſet, eo illam nuncupaſſet, vt eam à nomine generis ſegregaret; quod etiā patet; quia Subſtantia, quæ eſt Prædicamentum ſubſtat accidentibus: ſed prima Subſtantia nequaquam, quia in ea nullum eſt accidens,

etiam

etiam ſecundum Ariſtotelem. Sed pro tanto dicitur Subſtantia, quia per ſe ſtat, & non eſt in alio.

Ad 3. Ad tertiam dictum eſt, quod illa prædicata ſunt tranſcendētia, & declaratum eſt quomodo nunc ſuprà contra Bacchonem. Opinio eorum, qui negant Angelos eſſe in genere, quæ eſt omninò oppoſita in proprio Theoremate 64. eſt diſputata, vbi eſt oſtenſum, quod omnes intelligentiæ præter primam, ſunt in genere.

THEOREMA XCVII.

Ens diuiditur in decem Prædicamenta per modos intrinſecos.

Exponitur veritas, & Aduerſarij reijciuntur. Cap. vnicum.

EX determinatis in ſuperioribus patet, quod Ens dicit conceptum communem vniuocum Deo, & Creaturæ, Subſtantiæ, & Accidenti, & conſequēter decem Prædicamentis, quia ens. Prima diuiſione loquēdo de ente reali, (quia ens in communi ad ens reale, & ad ens ſecundæ intentionis, non eſt vniuocum, ſed æquiuocum) diuiditur in ens finitum, & infinitum (dimitto enim illam diſtinctionem in ens quantum, & non quantum, quia eſt merè Theologica.) Deinde ens finitum, & creatum diuiditur in decem Prædicamenta; Dictum eſt etiam, quòd ens non eſt genus; oportet modo declarare quomodo ens deſcendat in decem Prędicamenta, an per modos eſſendi; an per modos prædicandi.

Ant. And. De hac re loquitur Antonius Andręas 5. Metaphyſices, quæſtione 7. & optimè confutat opinionem illam, quæ aſſerit ens deſcendere in decem Prædicamenta per modos prædicandi, multis rationibus, ſed præcipuè, quia modus prædicandi præſupponit modum eſſendi: ideo diuiſio per modos prædicandi, non poteſt eſſe prima, ſed præſupponit diuiſionem per modos eſſendi; hoc autem quomodo intelligi debeat, patet ex dictis ſuprà, ſicuti enim ens contrahitur per finitum & infinitum, ita ens finitum contrahitur, & diuiditur in decem Prædicamenta per modos eſſendi intrinſecos entis, ſiue per gradus intrinſecos; Quę autem differentia ſit inter modum intrinſecum, & differentiam, iam oſtēdimus ſuprà in Theoremate, An Deus ſit in genere, cap. 2. vbi etiam defendimus, & declarauimus, quomodo poſſit ens contrahi per hos modos, & tamen non ſit genus; & hic eſt notandum, vt inquit Antonius Andræas in hoc quæſito, & ex dictis deducitur, quod diuiſio entis in decem Prædicamenta, eſt immediata, ita quod ens finitum immediatè deſcendit in decem Prædicamenta; quod etiam ex dictis colligitur; vnde diſtinctio illa entis, in ſubſtantiam, & accidens, non eſt prior diuiſione entis in decem Prædicamenta, ſed eſt eadem breuius explicata, ſub accidente enim intelligimus reliqua nouem Prædicamenta. Notandum.

Sed occurrit dubitatio, & controuerſia cum Thomiſtis: nam Caietanus libro de Ente, & eſſentia, capite 1. Paulus Soncinas, decimo Metaphyſices, Iauellus, & omnes, de mente D. Thomę, tenent, quòd ens non ſit vniuocum, & ideo nolunt, quod poſſit contrahi, & diuidi, neque per modos intrinſecos, neque per differentias, ſed volunt, quòd ens per ſe ſit quædam ſimilitudo Analogica omnium graduum entis, realiter verò ſit eſſe cuiuslibet gradus entis particularis, ſiue ſit gradus genericus, ſiue ſpecificus, ſiue indiuidualis, & ideo dicunt, quod decem prima genera ſunt primo per ſe diuerſa, in nullo vno communi vniuoco conuenientia: & ideo ens non deſcendit in decem Prædicamenta per modos intrinſecos eſſendi, ſed ſolum per modos prædicandi: quia ens nihil commune eſt ſecundum rem, ſed ſolum ſecundum prædicationem. Thomiſtæ

Pro hac opinione tribus medijs arguit Caietanus loco citato.

Primum eſt auctoritate Ariſtot. 8. Metaph. textu 16. vbi ſoluens quæſtionem: Quare quidditas ſit vna, dicit, quod in ſubſtantijs ſeparatis non eſt quęrenda alia cauſa, quia in eis non eſt niſi forma, quæ ſtatim ſeipſa eſt ens, & vnum; & ſubdit: quemadmodum ens ſtatim ſeipſo eſt Subſtantia, & Quantitas, &c. Prędicamenta, non expectans aliud faciens ipſum naturas prædicamentales. Ex qua auctori- 1.

auctortiate ſic arguit Caietanus. Si ens ſignificat realitatem priorem Prædicamentis, ergo expectat aliquod contrahẽs ipſum ad Prædicamenta; Conſequentia eſt clara,& conceſſa à nobis:Conſequens autem eſt contra Ariſtotelem, ergo Antecedens eſt falſum;quia à deſtructionem Conſequentis,valet Conſequentia ad deſtructionem Antecedentis.

2. Secundo arguit auctoritate Commentatoris.

3. Tertio in corpore quæſiti in declaratione ſecundæ Concluſionis ſic arguit. Si ens dicit gradum ſuperiorem ad ſubſtantiam,& genera,& ſpecies entis, ſequitur, quod paſſiones entis non erunt in illis generibus, & ſpeciebus præciſè ſumptis ſecundum eſſe eorum genericum, & ſpecificum: ſed hoc Conſequens eſt falſum,ergo & Antecedens. Probatur Conſequentia: quia animal dicit alium gradum ab homine: quia homo conſideratur præciſè, vt rationalis: at ſecundum ſuum eſſe ſpecificum,non includit paſſiones generis; nam homo, vt eſt rationalis, non eſt ſenſibilis, ſed vt animal, ergo à pari, ſi ens eſt gradus ſupra ſubſtantiam in ſubſtantia, & in animali, & alijs entibus,non erunt paſſiones entis,accipiendo hæc entia ſecundum gradus genericos,& ſpecificos: falſitas Conſequentis probatur: quia homo præciſè, vt rationalis, eſt vnum ens:ecce quòd paſſiones entis competunt ei ſecundum gradum ſpecificum, quia vnum eſt paſſio entis; & magis vrget: quia prima propoſitio, ſiue Antecedens,eſt Scoti 2. Sentent. diſtinctione 3. quæſt.1.

4. Quarto arguitur,quęcumque ſunt primò diuerſa, in nullo conueniunt: decem Prædicamenta ſunt primò diuerſa, vt inquit Porphyrius in Prędicabilibus, & Ariſtot.3.Phyſ.tex.4.ait,quod Subſtantiæ, Qualitati,& Quantitati nihil eſt commune ſecundum rem,ergo.

Reijcitur. Hęc opinio reijcitur ex dictis in materia de Vniuocatione entis: quia ibi probatum eſt, quod ens eſt Vniuocum, & conſequenter neceſſe eſt, quod ſi tranſit in decem Prędicamenta, deſcendat, vel per differentias, vel per modos intrinſecos:non poteſt autem deſcendere per differentias, ergo per modos intrinſecos, vt dictum eſt.

Quod autem ens dicat conceptum vnum per ſe Vniuocum, præter rationes ibi adductas, confirmatur adhuc his; ait Ariſtot.4.Metaph. tex.1.quod de ente in communi,eſt ſcientia, quæ eſt Metaph.at de puro nomine,vel de ſimilitudine Analoga,quæ non dicit aliquam entitatem ſecundum ſe,nulla eſt ſcientia;quia tunc eſſet ſcientia de puro nomine, ſcientia autem eſt de re, & ſcientia realis eſt de ente reali,Metaph.autem eſt ſcientia realis,& maxima ſcientia. 1. rõ.

Præterea,iſti ſuſtinent,quod ens eſt ſubiectum in Metaph. at nullum æquiuocum poteſt eſſe ſubiectum ſcientiæ, quia ſcientia non eſt de æquiuocis: ſed nomen cui non reſpondet gradus diſtinctus entitatis, eſt purum nomen ſine re, ergo eſt Aequiuocum;ſi dicas,eſt Analogum, tũc arguo; Vel eſt tale Analogum,cui reſpondeat vna diſtincta ratio diuerſimodè participata,vel non;Si ſecundo modo,eſt purum Æquiuocum:ſi primo modo, eſt Vniuocum:quia nomen cui competit ratio vna communis pluribus, eſt Vniuocum ex definitione Ariſt.in Antepræedicamentis. Neque illud diuerſimodè participari ab alijs,aliquid impedit: quia non apponitur in definitione Æquiuocorum aſſignata ab Ariſt.Sufficit ergo ſi habeat nomen commune,& rationem communem ſecundum illud nomen. 2.

Pręterea vel enti,vt eſt ſimilitudo Analoga,reſpondet aliqua vna ratio, vel non: ſi non,ergo eſt purum nomen abſque cõceptu, & ſic eſt Æquiuocum, quod ipſi negant, vt vidimus in quæſtione de vniuocatione;Si verò aliqua ratio ei reſpondet, ergo ei reſpondet aliquis gradus entitatis ſecundum ſuam communitatem, ſecundum quam competit ei talis ratio, & definitio.Conſequentia probatur:quia omnis definitio, ſiue ratio, & conceptus, eſt rei ſignificatiuus,& explicatiuus; quia ex primo Perihermenias, voces ſignificãt conceptus, & conceptus res, ergo ſi ens habet rationem, & conceptum, in illa ſua communitate,ergo habet entitatem, alioquin haberet conceptum, & non rem, quod implicat: quia conceptus 3. Theo. 55.

eſt de re,& ſignificat rem.

2. rō princ. Secundò principaliter enti in communi competunt paſſiones, vt vnum, verum, bonum, &c. & non competunt enti niſi in ſua maxima communitate: ſed puro nomini non competit vlla propria paſſio, ergo ens in communi dicit aliquam rem, & entitatem realem.

Ad rōnes proad uerſa ijs. Ideò ad eorum rationes reſpondetur, quòd ens contrahi per aliquid, duobus modis poteſt intelligi; Vno modo quod contrahatur per aliquid extrinſecum, vt per differentias, quo modo genus contrahitur ad ſpecies; Alio modo, quod contrahatur per aliquid intrinſecum enti, non diuerſum ab ipſo, neque mutans eſſentiam eius, vt per ſuos modos vel gradus intrinſecos, Ariſtot. negat primum modum, non ſecundum; quæ reſponſio vltrà quod habetur ex dictis ſuprà etiam expreſsè adducitur à Scoto, in expoſitione illius tex. ſcilicet, 16. octaui Metaph. Hoc eodem modo poteſt reſponderi ad Commentatorem, licet non ſit multum æſtimanda eius Auctoritas, cum ſit contrariæ ſententiæ.

Ad 3. Ad tertium. Negatur falſitas Conſequentis. Ad probationem, cum dicitur, quod rationale vt rationale, ſiue homo præciſè vt rationalis, eſt vnum ens; nego hanc propoſitionem; eſt enim falſiſſima; ſicuti enim hæc eſt falſa, homo præciſè vt homo, eſt ſenſibilis; ita iſta, homo vt homo, vel vt rationalis, eſt vnum ens, eſt falſa. Ratio eſt: quia iſta prædicata, licet inſint realiter homini, non tamen inſunt illi per ſe primo, & vniuerſaliter, & quatenus ipſum, ſed per ſe ſecundo, ſed illud prædicatum, homo eſt rationalis, eſt prædicatum, quod ineſt homini primo, & ſecundum quod ipſum, ſi ergo circumſcribantur ab homine omnia ſuperiora, vt quod ſit ſubſtantia, animal, &c. & conſideretur præciſè, vt rationalis de homine, non verificabuntur illa prædicata, quæ illi competunt ratione ſuperiorum, & ſic iſta non erit vera, homo eſt ſenſibilis, homo eſt corpus, quia hæc prædicata non inſunt homini, quatenus homo, ſed quatenus eſt animal, & ſubſtantia: eſt ergo falſa illa propoſitio quam reputat veram Caietanus, & Conſequens quod habet pro abſurdo, eſt veriſſimum, & propoſitio Scoti eſt veriſſima.

Ad quartum dico, quòd licet Porphyrius exiſtimauerit decem Prædicamenta nullum habere conceptum Vniuocum ſupra ſe, tamen in hoc non creditur ei: quia pro ſe adducit Ariſtot. qui vbi illud dixerit non apparet. Ad Ariſtot. verò in 3. Phyſic. & alibi, vbi dicit, quòd Subſtantiæ, Quantitati, Qualitati, &c. nihil eſt commune, & ſunt primò diuerſa, eſt reſpondendum, quod eis nihil eſt commune vt genus, vt intendit ibi Ariſtot. tamen nihil impedit, quin ſit eis aliquid commune vniuocum tranſcendens. Sunt ergo decem genera primò diuerſa, quia in nullo genere conueniunt, tamen non propter hoc ſequitur, quod non conueniant in ente Vniuocè, quod eſt tranſcendens. Ad 4.

THEOREMA XCVIII.

Intellectio & volitio ſunt qualitates. In intellectione, volitione, ſẽſatione, & alijs operationibus immanentibus, eſt per ſe mutatio. Notitia, volitio, &c. ſunt termini mutationis, non tamen dicuntur generari, neque produci.

Ponitur quæſtio Scoti ad literam, quæ habetur in fine quæſtionis ſextæ, tertia diſtinct. 1. Sent. in qua breuiter, & dilucidè hæc tria Theoremata Scotus diligenter examinat, & comprobat, quæ quæſtio incipit.

Caput Primum.

QVæritur vtrum in intellectu noſtro ſit actualis notitia genita, vel producta. Arguo, quòd non. Actionis non eſt actio, nec vt termini, nec vt ſubiecti, nec paſſionis eſt paſſio 5. Phyſic. Sed notitia actualis eſt actio, vel paſſio, ergo ipſa non eſt genita, vel producta, quia hoc eſſet alia paſſione, vel actione, & ita eſſet terminus actionis, vel paſſionis. Minorem probo primo ſic. Notitia eſt actus ſecundus, ſed omnis actus ſecundus, eſt actio, vel paſſio: ergo. Secundus ſic. Nullum entium conſiſtit præciſe in fieri, & ſucceſſione, niſi t. 10. & indè.

ne, niſi ſit actio, vel paſſio, notitia non eſt permanentium, ergo &c.

t. 16. *Tertiò ſic. Philoſ. 9. Metaph. diſtinguit actionem in immanentem, & tranſeuntem: ſed notitia eſt operatio immanens, ergo eſt actio quia continetur ſub vna ſpecie actionis, ſcilicet immanentis.*

Secundo ſic, à principali. Auguſtin. 4. ſuper Geneſ. cap. 8. dicit, quòd aer præſente lumine non eſt factus lucidus, ſed fit: quia ſi factus eſſet lucidus, & non fieret, abſente corpore luminoſo maneret lucidus. Ex his habeo, quod illud quod factum eſt intrat, & de ſe manet, ſed illa notitia non manet, ergo non eſt facta, nec eſt genita.

t. 22. 27. et 32. *Tertiò ſic. Philoſophus 7. Metaphyſ. probat, quòd formæ non eſt generatio ſed tantum compoſiti, ſed notitia non dicit compoſitum ſed tantum forma, ergo, &c.*

Contra. Auguſt. 9. de Trinitate c. 12. & 13. liquido tenendum eſt, quod omnis res quantumcumque cognoſcimus, cum generat in nobis notitiam ſui, ab vtroque enim notitia patitur, & à cognoſcente, & à cognito, & aliquantulum infrà, partum mentis antecedit appetitus quidam quo id, quod noſce volumus quærendo, & inueniẽdo, naſcitur proles notitia ipſa.

1 quæſtion. *Hic ſunt tres breues quæſtiones. Prima, cuiuſmodi entitas ſit intellectio, & volitio & huiuſmodi operationes immanentes.*

Vbi intelligendum eſt, quòd vt ex diuiſione entis patet, non ſunt Subſtantiæ: quia intellectio adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem; nec Quantitas, quia non eſt niſi in corporibus, vel in pluribus realiter diſtinctis, vt numerus; Nec ſunt Habitus, nec Poſitio nec Quando, nec Vbi: quia hæc dicunt habitudinem ad corpora; vel ſunt paſſiones corporalium, nec aliquid aliorum, vt Actio vel Paſſio, aut Relatio, ergo Qualitas; Quod autem dico de intellectione, hoc idem dico de volitione, viſione, auditione, & ſic de alijs operationibus immanentibus.

Et Primò probo, quòd non ſit Relatio, nec Actio, nec Paſſio, quia operatio immanens eſt vltima perfectio naturæ abſolutæ operantis, ſed nulla Relatio, Actio, vel Paſſio eſt huiuſmodi, ergo, &c. Tamen bene poteſt importare Relationem. Minor patet: quod, ſcilicet, vltima perfectio naturæ, non ſit Relatio, Relatio enim perfectionem non importat, inquantum huiuſmodi, & quòd vltima perfectio eſſet Relatio, repugnantiam includit; nec eſt Actio, quia Actio non perficit agentem, ſed paſſum.

Præterea. Actionis eſt aliqualis terminus realis. Hic autem præter intellectionem non eſt aliqualis terminus, nec eſt Paſſio, quia non eſſet vltima perfectio: quare, &c.

Secundò probo ſpecialiter de quolibet. Primò, quòd intellectio non ſit Relatio, ſic. Auguſt. 7. de Trinitate, cap. 1. Omnis eſſentia, quæ Relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto eo quod Relatiuè dicitur, &c.

Sed intellectio ſubeſt Relationi: quia dicitur Relatiuè ad obiectum. Sicut enim ſcientia refertur ad ſcibile, vt menſuratum ad menſuram, 5. Metaphyſ. ita & intellectio, ergo ſecundum rem, & abſolutum ſuum, ſiue poſitiuum ſuum, non eſt Relatio. Quod autem non ſit Actio, vel Paſſio, probo ſic. Actio, & Paſſio ſunt alicuius termini accipientis eſſe per ipſas: ſed operationes immanentes ſunt vltimi termini, quibus nihil accipit eſſe, non anima, nec obiectum, nec enim obiectum accipit eſſe per ipſas. tex. 1. 9. 10.

Quod ſi dicas, quòd cum per actus, habitus generantur: habitus eſt terminus dictarum operationum, & ſic ſunt Actio, vel Paſſio.

Dicendum, quòd dicta obiectio magis eſt ad oppoſitum. Nam quod non eſt forma actiua, non eſt principium formale inducendi aliquam formam, ſed per operationes immanentes inducitur habitus qui eſt aliqua forma, ergo operationes immanentes non ſunt Relatio, Actio, vel Paſſio, actus ergo quia virtualiter continent habitum, ipſum generant, & intendunt.

Ad argumentum tamen (licet ſit ad oppoſitum) dicendum, quòd actio illa, quæ propriè, eſt ad terminum, non poteſt intelligi ſine termino: ſed operationes huiuſmodi poſſunt intelligi ſine habitu, & eſſe, vt patet in habentibus habitum intenſiſſimum, vt in beatis, ergo propriè non dicitur terminus quaſi intrinſecus, ſed quaſi conſequens, & accidentalis. Cum ergo huiuſmodi operationes aliquid ſint, & probatum eſt, quòd non ſunt Subſtantia, nec Relatio nec

Actio,

Actio, aut Paſſio, neque Quantitas, vel aliquid extrinſecus aduenientium, relinquitur, quod ſint in genere Qualitatis. Et conſtat, quod non ſunt in tertia, vel quarta ſpecie, quia talia ſolum ſunt corporalia, nec in ſecunda, quia illa ſunt naturalis potentia, vel impotentia. Sunt ergo in prima in qua credo eſt omnis perfectio Subſtantiæ ſpiritualis, quæ non eſt Deus, vel quæ non eſt de eius Subſtantia ergo Qualitates.

2. qu. *Secunda quæſtio eſt, An, ad huiuſmodi operationes ſit aliqua per ſe mutatio. Et eſt dicendum breuiter, quòd ſic.*

t. 32. *Quod patet. Nam ſecundum Philoſ. 6.*
& 75. *Phyſic. mutari, eſt aliter ſe habere nunc, quam prius: ſed intellectus actu intelligẽs, ſe habet aliter nunc, quàm prius, ergo verè eſt mutatio per ſe, ergo propriè mutatio ad huiuſmodi operationes terminatur.*

3. qu. *Tertia quæſtio. An huiuſmodi operatio-*
t. 22. *num ſit productio, vel generatio: vbi intel-*
17. et *ligendum, quod ſecundum Philoſophum 7.*
53. *Metaphyſic. forma per ſe non generatur, ſed compoſitum tam in generatione ſubiectali, quàm ſecundum quid; & ſua ratio eſt: quia omne quod fit, fit ex materia tamquam ex eo, quòd eſt pars ipſius quod fit. Cum igitur materia non ſit pars niſi compoſiti, generatio per ſe ſolius erit compoſiti.*

Primo. Generatio cum ſit via de non eſſe, ad eſſe, illius per ſe eſt generatio, cuius per ſe eſt eſſe; compoſiti autem, ſiue ſuppoſiti, per ſe eſt eſſe, ergo, &c.

Secundum ergo intentionem Philoſophorum: Quod per ſe generatur, eſt diuiſibile in duo, ſcilicet, in materiam, & formam. Et ideo dixerunt, quidam, quòd forma accidentalis habet ſuum potentiale ex quo fit, & ſuum formale, tamquam intrin-
8. me *ſeca ſui generis. Quod non videtur: quia*
taph. *accidentia non habent materiam, ex qua;*
t. 12. *ſed in qua. Neceſt ad intentionem Philoſophi, quia ipſe intelligit, quòd compoſitum in generatione per accidens, per ſe generatur. Compoſitum dico ex ſubiecto & accidente, ſicut ſua exempla oſtendunt; & ratio ſua eſt; quod generatur, ex eo generatur, quòd præexiſtebat.*

7. & *Ergo dicendum eſt quòd etſi notitia poſ-*
12. *ſit eſſe terminus mutationis non tamen generatur nec producitur; ſed per ſe intellectus noſcens, vel potius homo noſcens, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, quare, &c.*

Contra hoc arguo, quòd intellectus noſcens, non per ſe generatur: quia non eſt ens per accidens, ergo non eſt per ſe terminus generationis.

Item notitia eſt per ſe terminus productionis, quia mutationis; ſed omne tale producitur, ergo notitia producitur, & generatur.

Ad primam dicendum, quod eſt ens ſecundum quid, & per accidens eſt ſimpliciter per accidens, & ſecundum quid, ſicut homo mortuus eſt homo ſecundum quid, ſimpliciter autem dicitur homo mortuus: generatio ergo ſimpliciter eſt in ſubſtantia, ſe-
cundum quid verò in accidentibus, primo t. 11.
de generatione; generatio ergo entis per & di
accidens, & ſecundum quid, eſt genera- citer
tio ſimpliciter per accidens, & ſecundum idẽ 5 phyſ.
quid. tex.

Ad ſecundum dicendum, quod eſt terminus alterationis, & mutationis, terminus autem alterationis eſt forma, & ſimiliter mutationis, non tamen productionis, vbi intelligendum, quòd mutatio eſt per ſe mutabilis, alteratio alterabilis, & motus mobilis. Illud autem dicitur propriè alterari, & mutari, quòd de non tali, fit tale; puta de non albo, album, de non naſcente, naſcens: forma ergo, qua fit tale, propriè eſt terminus mutationis, non tamen mutatur, ſed tantum mutabile mutatur. Productio autem propriè eſt ſolius termini, cui per productionem acquiritur eſſe; Cum ergo forma quæ eſt mutationis terminus, non habeat eſſe propriè, ſed ſit illud, quo compoſitum habet eſſe, ideo ipſa non dicitur produci, nec eſſe terminus productionis, ſed tantum compoſitum, ſiue illud compoſitum ſit ens per ſe, ſiue per accidens. Et huiuſmodi differentia patet, quia de termino mutationis, vel de forma, non dicitur quòd mutetur, vel alteretur, ſed eſt terminus mutationis tantum; de termino autem generationis, & productionis dicitur, quòd eſt generatus, & productus, ſiue generatur, & producitur.

Ex his corollariè poteſt concludi, quòd intelligere, & velle, in Deo, non ſunt actus productiui, nec per conſequens principia actuum notionalium, qui ſunt generare, & ſpirare,

ſpirare, intelligere enim & velle in Deo, actus operatiui ſunt, quibus ipſe beatus quaſi perficitur, non autem ſunt productiui. Ex quo patet, quod nec notitia ſimplex, nec amor ſimplex, ſunt rationes productiuæ, ſine quibus perſonæ non producuntur, vt quidam dicit, & ſuperius eſt improbatum. Vnde intelligere, & velle, in nobis non ſunt actiones, vel paſſiones, vt dictum eſt. Dicere autem, ſiue intellectionem producere, & ſpirare, ſeu amorem elicere, ſunt actiones in nobis, & genere actionis, vel quaſi de genere actionis, quare, &c.

Hen. vbi ſupra. diſ. 1. pa. 2.

Ad argumenta principalia. Ad primum dicendum, quod maior eſt vera, ſed Minor eſt falſa. Ad euidentiam autem eius, & argumentorum, quibus ipſa Minor probatur, intelligendum, quod actio propriè ſumpta, tres habet proprietates.

Vna eſt, quod eſt in continuo fieri: æquè enim dependet ab agente in ſecundo, & vltimo inſtanti, & in primo; immò in quolibet quantum durat.

Secunda proprietas eſt, quod eſt circa aliquod receptiuum, in quo eſt, vt in ſubiecto nam actio non eſt in agente, ſed in paſſo.

Tertia proprietas eſt, quod eſt circa aliquem terminum, ad quem terminatur, qui eſſe accipit per eam. Idem intellige de paſſione; operationes ergo immanentes, aſſimilantur actioni, & paſſioni in prima conditione, & ſecunda, non autem in tertia, quæ eſt completiua.

Ad argumentum ergo primum quo prædicta Minor probatur, concedo, quod eſt actus ſecundus, nego tamen, quod omnis actus ſecundus ſit Actio vel Paſſio, immò eſt Qualitas.

Ad ſecundum dicendum, quod aſſimilatur in ſecunda conditione, vnde lumen, etſi ſit etiam continuo, non tamen eſt Actio, ſed Actionis terminus.

Ad tertium dicendum, quod diuiſio Actionis quædam eſt immanens, quædam tranſiens. Vno modo eſt Aequiuoci ſiue vocis in ſua ſignificata.

Alio modo Vniuoci ſiue generis in ſuas ſpecies. Si enim accipiatur Actio tranſiẽs, & Operatio immanens, quæ eſt intelligere, velle, videre, & huiuſmodi, ſignificata ſunt vnius vocis tantum, ſcilicet, Actionis, & nullius Vniuoci. Si autem dicatur Actio quædam eſt tranſiens, quædam immanens, vt elicitio intellectionis, quæ immanet ſicut, & ipſa intellectio, tunc eſt diuiſio Vniuoci in ſuas ſpecies.

Ad ſecundum principale dicendum, quod non intendit Auguſt. negare lumen eſſe, vt fieri ab agente, & factum eſſe ſimul, ſed non permanet ſine præſentia agentis, ſicut nec creatura rationalis conſeruatur in gratia ſine diuina præſentia, nam ad hoc ipſe eam inducit.

Ad tertium patet per prædicta in tertia quæſtione, quare, & c.

Declaratur quomodo actiones immanentes, & habitus generati ex illis, ſint Qualitates. Cap. 11.

QVod actiones immanentes ſint qualitates, ſatis aperte patet ex his, quæ dicit Scotus in his tribus quæſtionibus breuibus. Idem efficacius probat in Quodlibetis, quæſtione 13. articulo 1. & rationes ibi adductæ æquè concludunt pro habitibus generatis per actiones illas immanentes. (Verum quomodo Actio ſit Relatio vide Theorema 41. & in noſtris diſputationibus Theologicis vltimo editis in 2. Sent. diſp. 3. cap. vltimo, & per totam.)

Prima ratio. Vltima perfectio ſubſtantiæ viuæ, non eſt relatio ſola: at operatio iſta intelligere, ſentire, & cætera, eſt vltimæ perfectio ſubſtantiæ viuæ, ergo non eſt ſola relatio. Maior patet: quia ſola Relatio non appetitur à natura, & ab electione perfectiſſimè, vt patet: ſed vltima perfectio appetitur, & naturaliter, & ex electione perfectiſſimè, ergo. Maior probatur per Philoſophum 10. Ethicorum, & primò, vbi vult, quod finis vltimus, qui eſt felicitas conſiſtat in intelligere, & 12. Metaph. tex. 39. ait, quod ſi Deus non eſſet actu ſua intellectio non eſſet perfectiſſimus, & beatiſſimus. 1. rã.

Secundo. Nulla Relatio realis poteſt eſſe noua ſine nouitate alicuius abſoluti prioris in ſubiecto, vel in termino: ſed operatio poteſt eſſe noua ſine nouitate alicuius alterius prioris abſoluti, ergo. Minor probatur per Philoſophum 5. Phyſ. tex. 10. 2.

tex.10.vbi negat motum in Ad aliquid, etiam ratione patet: quia Relatio realis propriè dicta, neceſſariò ſequitur extrema ſimul poſita:& ita non poteſt eſſe noua ſine nouitate aliqua in extremis. Minor probatur quo ad ſubiectum: quia ſubiectum exit de potentia accidentali ad actum, non de potentia eſſentiali, & ſic non recipit aliquam formam de nouo priorem operatione:quia tunc non fuiſſet prius in potentia accidentali,ſed eſſentiali. Quo ad terminum etiam patet: quia clarum eſt,quod in viſibili per hoc, quod videtur, nihil noui recipitur.

Tertio.Relatio realis, poſito in eſſe fundamento, & termino,ponitur quoque ipſa in eſſe neceſſario: at ipſam potentiam operatiuam non neceſſariò concomitatur operatio actualis, poſito obiecto, ergo. Hanc rationem aliter format Scotus. Iſtæ rationes concludunt tantum de operationibus immanentibus, vt Scotus apertè ſe declarat; concludunt etiam de habitu: quia rationes immanentes ſunt idem quod habitus,differunt ſolum,quia habitus eſt in facto eſſe, operationes ſunt habitus in fieri. Vndè Scotus ponit has operationes in prima ſpecie Qualitatis,in qua continetur Habitus, vide Scotum Quodlib.13.a.1.& 3.articulo principali; Vide etiam quomodo iſtę operations ſint Relationes, quatenus ſunt Actiones. Theoremate 41.& in Diſp.noſtris,2.Sentent.diſp.2.de Actionibus immanentibus nemo videtur oppoſitum dicere. Paulus Soncinas in 9. Metaphyſ.in proprio quæſito,de hac materia tractat, & ſentit cum Scoto,ſcilicet quod ſint Qualitates. Zabarella etiam libro de Speciebus intelligibilibus,cap.5.agit de hac re,circa medium, & recenſet Opinionem quorundam, dicentium, intellectionem, & ſcientiam eſſe relationem;ſed qui iſti ſint,ipſe non dicit, nec vllas pro eis rationes adducit,& ſententiam eandem habet cum Scoto. Quo ad habitus verò Franciſc.Piccolom. in ſua Morali tenet, quod Scientia, quæ eſt habitus,ſit Relatio,non Qualitas; de qua re nunc dicemus: ſed de actionibus ipſis immanentibus nihil dicit.Sunt ergo iſtæ Actiones immanentes Qualitates, & ideo debent eſſe in aliqua ſpecie Qualitatis:& cum non poſſint eſſe in ſecunda,nec in tertia, nec in quarta, erunt in prima adeo quod erunt diſpoſitiones ad Habitum; actiones enim iſtæ tam ſenſus,quā intellectus facilè mobiles ſunt ab intellectu,& à ſenſu,in quo recipiuntur, & iteratæ ſæpius generant habitum. Et notandum quod dum ait Scotus hic, quod in prima ſpecie Qualitatis eſt omnis perfectio ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ non eſt Deus,vel quæ non eſt eius ſubſtantia, loquitur ſecundum Theologos, non ſecundum Philoſophos,quia Ariſtoteles tenet, quod intellectio, in intelligentijs eſt idem quod eſſentia,& intellectus intelligentiæ. Sed Theologi tenet intellectionem Angelorum eſſe accidens perficiens accidentaliter intellectum Angelicum,ſicut intellectio noſtra eſt accidens perficiens intellectum noſtrum etiam ſecundum Ariſtotelem.Notandum eſt inſuper, quod iſtæ ſunt Qualitates ſpirituales, non corporales; naturam autem, & entitatem harum ſpiritualium qualitatum explicauimus in Theoremate quodam de lumine; & ſunt Qualitates perficientes animam; vnde Ariſtotel.3.de Anima dixit, animam pati paſſione perfectiua,non corruptiua; & ideo non eſt inconueniens, quod intellectus hac alteratione ſpirituali perfectiua alteretur;& per hoc ſoluuntur multæ auctoritates, & rationes probantes has actiones non eſſe Qualitates, ſed Relationes: quia eſſent in anima intellectiua alterationes,quod negat Ariſtoteles; Dicimus enim eum negare alterationes corporales,& materiales, non ſpirituales, & perfectiuas.

Sonci nas. Zaba rella. Picco lom. notan dum. notan dum. The. 66.

Exponitur ſententia Aliorum & reijcitur. Cap. III.

EX dictis à Scoto ſatis apertè patet, quod intellectio, & volitio, & habitus generati ex ipſis, ſunt Qualitates; & hæc etiam eſt communior Opinio, vt dixi:Attamen Aliqui ſunt, qui è contrario putant,quod ſcientia,volitio, intellectio, & huiuſmodi, non ſunt Qualitates, ſed Relationes,inter quos præſertim eſt Franciſcus Piccolomineus in ſua Philoſophia Morali,

Picc.

Morali, gradu 5. cap. 5. & quod non ſint Qualitates, his rationibus præſertim probare conantur.

1. rõ. Primo. Ratio Ariſt. quam fecit 7. Phyſicorum tex. 20. inanis redderetur: ibi enim Philoſophus vult oſtendere, quod in mente non eſt alteratio; & id probat: quia ſciens maximè ad aliud refertur: at ſi ſciētia aliqua conſideratione eſſet Qualitas mentis, ea ratio eſſet inanis, quia dicerem in mente eſſe alterationem, quatenus ſciētia Qualitas eſt, & ad Qualitatem eſt alteratio.

2. rõ. Eſſet etiam falſa ratio Ariſt. quam adducit in eodem 7. tex. 20. dum dicit (*Vt igitur dormiens, cum excitatur, non dicitur factus ſciens, quamuis prius non voluerit vti ſcientia, ſed ſolo impedimento ablato ſciens apparet, ita qui à principio acquirit ſcientiam, per ſolam remotionem perturbationis, redditur ſciens*, &c.) His verbis enim apertè aſſerit Philoſophus, in mente nullam recipi Qualitatem, dum homo non ſciens, redditur ſciens.

3. rõ. Tertiò. Si virtus mentis (vt eſt ſcientia, prudentia, &c.) eſſet Qualitas, tunc ſe haberet in mente eo modo, quo ſe habet virtus ſenſitiua ad ſenſitiuam, & ita ſicut in ſenſitiua eſt alteratio per acquiſitionem harum virtutum, ſic eſset alteratio in mente. At Ariſtot. colligit in calce tex. 20. ex eo quo in mente nulla fit permutatio, alterationem attinere ad partem animæ ſentientem, & ad nullum aliud, niſi ex accidenti.

4. Quartò Habitus non eſt Qualitas, ſed Relatio, ſed ſcientias, & huiuſmodi ſunt Habitus, ergo non ſunt Qualitates; ſed Relationes. Maior probatur à Piccolomineo in ſua Morali, gradu ſecundo, cap. 7. præſertim hac ratione: quia Philoſophus erraſſet 7. Phyſ. textu 12. dum oſtenſurus in prima ſpecie Qualitatis, non eſſe motum, ſumit pro medio (quia habitus ſunt virtutes, & vitia, virtus autem, & vitium, eorum ſunt, quæ ſunt Ad aliquid: at ea, quæ ſunt Ad aliquid, nec ſunt generationes, nec per ſe termini generationis, & motus,) nam poſſemus dicere, quòd Habitus, vt Qualis, eſt terminus generationis, & motus; ergo videtur ex his dicendum, quod ſcientia, volitio, intellectio, & huiuſmodi, non ſint Qualitates, ſed Relationes. Vnde ipſe Piccolomineus iudicat ſolum habitus mentis quatenus referuntur ad facultatem ſentientem, vt ad memoriam, & phantaſiam, ſine quibus iſti habitus in mente conſeruari non poſſunt. dici Qualitates, quia facultas ſentiens cū ſit obnoxia morti, poteſt alterari, & ſic recipere poteſt Qualitates. Si verò referantur ad mentem, cum ipſa ſit immortalis, nullam qualitatem recipere poteſt, & ſic ſcientia, volitio, & huiuſmodi, ſunt Relationes tantum: nempè habitudo ſola intellectus ad obiectum, qua iudicat obiectum. Addit inſuper Piccolomineus, in Philoſophia Morali, ſecundo gradu, cap. 7. Habitum non eſse ſpeciem Qualitatis, & ideo negat eſſe quattuor ſpecies qualitatis, ſed ait eſſe duas tantum: reijcit enim Habitum, & Diſpoſitionem, naturalem potentiam, & impotentiam, & relinquit ſolum duas vltimas ſpecies. Pro hac ſententia arguitur primo ſic; Ariſtot. 7. Phyſic. tex. 20. ait, motum alterationis eſſe ſolum in tertia ſpecie Qualitatis, quæ eſt Paſſio, & paſſibilis qualitas, non prima id eſt in Habitu (Deinde Philoſophus in eodem loco ait quod in parte ſenſitiua eſt alteratio, & motus) at ſi habitus eſt ſpecies qualitatis diuerſa à tertia ſpecie, & conſtituens primam, ſequitur contra Philoſophum quod in prima ſpecie ſit motus (quia in anima ſenſitiua acquiritur habitus per motum.) ergo habitus non eſt prima ſpecies Qualitatis; neque hoc argumentum ſolui poteſt per communem reſponſionem expoſitorum, ſed ſolum aſſerendo habitum nō eſſe Qualitatem. Hoc argumentum eſt obiectio, quam in eo cap. facit Piccolomineus, quam ait non poſſe ſolui per communem expoſitionem.

Duas eſſe ſpecies Qualitatis tātū de mente Piccol.

Secundo, Habitus, & Diſpoſitio dupliciter conſiderari poſſunt; Vno modo abſolutè, & ſic ſunt Relationes, vt patefecit Ariſt. 7. Phyſ. tex. 17. & ſequentibus; Secundo modo, vt ſunt talis Qualitatis Habitus, & Diſpoſitio, & tunc Habitus nil aliud eſt niſi illamet Qualitas, quatenus eſt de difficili mobilis à ſubiecto; Vel eſt Diſpoſitio quatenus eſt de facili mobilis à ſubiecto: nā eſſe facilè, vel difficilè mobile 2.

bile

bile à ſubiecto, non eſt Qualitas ſed Modus, quo Qualitas inhæret ſubiecto, & ſic Habitus, non diſtinguitur à Qualitate inhærente, ſed eſt eadem: ſolum addit firmitatem, & ſtabilitatem inhærentiæ.

3. Tertio. Ariſt. in 7. Phyſ. ait. Animi Habitus eſſe Qualitates ſcilicet de tertia ſpecie, in qua etiam ſunt ipſa obiecta, ſenſibilia; & iure profectò: quia illi habitus nil aliud ſunt, niſi ipſamet ſenſibilia in eſſe cognito, quæ non recipiuntur in anima, niſi mediante aliqua mutatione corporea, & ſpirituum. At Ariſt. in Prædicamẽtis, dicit, quod locutus eſt populariter, nõ ſecundum veritatem, vt etiam Græci expoſitores dicunt.

Reijcitur. Verum hanc ſententiam Piccolominei quo ad primam partem, ex dictis in præcedenti cap. ex Scoto, patet eſſe falſam, ideo ad rationes eius eſt reſpondendum.

Ad 1. Ad primam autem formaliter Reſpondet Scotus, in Quodlibetis loco citato, articulo 2. reſpondendo ad ſecundum argumentum adductum in eodem capite, & dat triplicem reſponſionem. Primã, quod non eſſet inconueniens, dicere quod Ariſtot. ibi loquitur ad mentem Platonis, qui negabat generari de nouo ſcientiam in nobis, ſed volebat dari ſolum reminiſcentiam, & ſic Ariſtot. ſecundum opinionem Platonis procedens, dicit ſcientiam eſſe in nobis ſine generatione, & ſine alteratione: ſed ſecundum propriam mentem, quæ eſt, quod ſcientia de nouo acquiratur, nõ eſt vera; & hanc expoſitionem videtur Scotus elicere ex Cõmẽtatore ibidem, in fine Commenti; Dat deinde aliam expoſitionem, quæ eſt, quod Ariſtot. vult, quod illa forma ſolum ſit per ſe terminus motus, quæ primo per motum, & mutationem acquiritur; forma verò illa, quæ non acquiritur propria acquiſitione, ſed ſubſequitur ad aliam formam primo per motum, & mutationem acquiſitam, vt eſt Relatio, non eſt per ſe terminus motus, vel mutationis, ſiue ad illam non eſt per ſe motus, vel mutatio: & quoniam intellectio, & habitus mentis, non eſt primus terminus mutationis, ſed ſubſequitur ad ſenſationem, & alterationem factam in ſenſu, obiectum enim, non primo cauſat intellectionem in intellectu, ſed primus cauſat ſenſationem: exterius enim mouet, deinde cauſat intellectionem: adeo, quod intellectio, licet ſit Qualitas, tamen non eſt primus terminus motus, vel mutationis. Ad has autem Qualitates non vult Ariſt. quod ſit per ſe primo motus, ideo negat motum, & alterationem in anima intellectiua; quia tales Qualitates non ſunt primi termini mutationis, vt dictum eſt.

notandum. Eſt autem notandum, quod, vt inquit Scotus in iiſdem locis, habitus includit etiam reſpectum ad ſcibile: quæ relatio fundatur in illa qualitate, quæ dicitur ſcientia, & terminatur ad ſcibile; & idem dicendum de actione immanente, ſed nõ eſt ſolum illa relatio, ſed aliquid, cui ineſt Relatio; tunc ad Argumentum Piccolominei dico, quod Ariſtoteles conſiderat habitum, vt dicit hanc Relationem, & ideo ad ipſum non eſt alteratio. Cum infertur, ergo ſaltem ex ea parte, qua eſt Qualitas, eſſe poterit terminus alterationis, non ſequitur: quia, vt dictum eſt, ad tales qualitates, quæ non acquiruntur per mutationem pimo, ſed ſequuntur ad aliam formam prius acquiſitam mutatione, non vult Philoſophus, quod ſit per ſe motus & alteratio, ſed ſolum per accidẽs.

Ad 2. Per hoc idem patet ad ſecundum pro tanto; ait enim ſcientiam fieri in nobis perturbationibus ablatis, quia vult illam qualitatem, eſſe verum terminum motus alterationis, quæ primo per alterationem acquiritur, ea autem eſt qualitas acquiſita in ſenſitiua parte, ſcilicet ſenſatio, ad quam poſtea ſequitur intellectio.

Ad 3. Per idem patet ad tertium: dictum eſt enim, quomodo ad intellectum eſt motus ſolum per accidens.

Ad 4. Ad quartum dictum eſt reſpondendo ad primum: idem enim eſt. Tertio loco Scotus in eodem Quodlibeto dat aliam diſtinctionem, quę eſt omninò vera, licet non deducatur ex loco citato Ariſtotelis & eſt, quòd Ariſtoteles appellat alterationem, & motum illum ſolum, qui fit in ſubiecto mutabili, & alterabili, & denique corporeo, cuiuſmodi non eſt intellectus; & ideo negat in mente alterationẽ: ſenſus verò, quia eſt corporea, & diuiſibilis potentia, ideo ait in ea fieri alterationem, & motum, non in mente; de motu

autem, & alteratione ſpirituali, non loquitur Ariſt. intellectio autem eſt terminus motus ſpiritualis, & per hanc ſatisfacit per ordinem ad omnes rationes adductas. Accipe quam vis.

An ſpecies Qualitatis ſint quattuor. Quo ad aliud verò, ſcilicet, an ſint quattuor, vel duæ tantum ſpecies Qualitatis. Scotus vbique tenet, quod ſint quattuor, de Habitu, & Diſpoſitione oſtendimus nunc, & ex Quodlibetis, quæſt. 13. & ex 1. Sententiarum, diſt. 17. q. 2. poſt R. §. Ad primum argumentum; De ſecunda ſpecie Qualitatis diximus in Theoremate de potentijs animæ, an ſint Accidentia, vel Subſtantiæ, ideo ad rationes Piccolominei.

Ad 1. Ad primam dico, quod Ariſtoteles in 2. Phyſicorum, textu 20. negat ſolum ad habitum mentis eſſe motum, non vniuerſaliter ad omnem habitum: ideo ille locus non impedit, quin habitus ſenſitiuæ partis poſſit per alterationem acquiri, & quod in habitu aliquando non poſſit eſſe motus.

Ad 2. Ad ſecundum iam reſponſum eſt, quomodo habitus dicatur Ad aliquid.

Ad 3. Ad tertium negatur Ariſtotelem dicere, habitus animi eſſe Qualitates de tertia ſpecie. Ad rationem dicimus, quod non ſunt repræſentationes ſenſibilium, quia illæ ſunt phantaſmata, ſed ſunt cognitiones habituales productæ ex ſenſu, & phantaſmate ab intellectu.

THEOREMA XCIX.

Stellæ agunt in hæc inferiora.

Ponitur tota quæſtio tertia, ex 2. Sentent. diſtinct. 14. in qua Scotus exactè loquitur de actione, & influentia ſtellarum, quæ incipit. Cap. I.

Circa tertium, ſcilicet, vtrum ſtellæ agant in hæc inferiora, Arguitur, quod non ſecundum Philoſophum 7. Phyſicorum; Oportet mouens, & motum eſſe ſimul, vel immediatè, vel mediante medio: ſed ſtellæ, & hæc inferiora non ſunt ſimul; Patet: quia multum diſtant; nec poſſunt eſſe, quantum ad agere mediante medio; quia illud medium eſſet aliquis Orbis, vel aliqui Orbes. Huiuſmodi autem Orbes non recipiunt impreſſiones tales, quibus ſcilicet hæc inferiora alterantur, & generantur, & corrumpuntur, ergo, &c.

Præterea. Si ſtellæ agerent in hæc inferiora, cum ipſæ determinatè agant, & non contingenter in iſtis inferioribus, quantum ad motum, & alterationem, ſiue quantum ad generationem, & corruptionem ipſorum: non eſſet aliqua contingentia, nec contingenter ibi aliquid eueniret. *Alio t. 21. & inde.*

Præterea. Si agerent in hæc inferiora: hoc eſſet per aliquem motum localem, vel per aliquam formam permanentem; non primo modo: quia motus localis non eſt qualitas actiua, nec principium agendi, cum tantum ſit: Vbi fluens, & ſic non videtur dicere formam abſolutam ſubſtantialem, nec accidentalem. Nec etiam per formam permanentem ſubſtantialem, vel accidentalem: quia tunc ſtante motu, ſcilicet, ſi ſtarent, poſſent agere, & per conſequens ſtante cælo, & ceſſante motu, poſſent eſſe alterationes, & huiuſmodi mutationes, & motus in iſtis inferioribus, quod eſt contra Ariſtotelem qui vult, quod primo motu ceſſante, impoſſibile eſt eſſe, aliquem alium inferiorem. *8. ph. & 2. gen. in fine.*

Contra Geneſ. 1. dicitur de ſtellis, quòd poſitę ſunt in firmamento, vt ſint in ſigna, & tempora, & non ſolum aeris, & terrę, vt exponit Magiſter.

Præterea, 2. Phyſicorum, dicit Ariſtot. Homo generat Hominem, & Sol. Et 2. de generatione, dicit, quod motus Solis in circulo obliquo, eſt cauſa perpetuę generationis, & corruptionis in iſtis inferioribus. *t. 26.* *t. 36.*

Prȩterea ratione ſic. Si ſtellę non haberent aliquam actionem in hęc inferiora, fruſtra poneretur varius motus in Orbibus: nam Orbis in ſe vniformis eſt, & motus Orbis vniformis, & ideo oportet varietatem effectuum reduci in varietatem naturæ ſtellarum.

Dico ad queſtionem, quod ſtellę habent actionem in hęc inferiora in elemēta mixta inanimata, & animata irrationalia. Ita elementa habent actionem dupliciter: & quo ad alterationem, & quo ad generationem. Accedente enim Sole, & alijs ſtellis

calidis

calidis ad zenith alicuius regionis, elementa ſuperiora, ſcilicet, ignis, & aer, augentur, & inferiora, ſcilicet, terra, & aqua, minuuntur, & conuertuntur in ſuperiora, & è conuerſo recedente Sole, & accidentibus ſtellis effectiuè frigidis, vt eſt Saturnus, & Mercurius, accidit generatio elementorũ, aquæ & terræ.

Et ſi dicatur, quod tunc ſphæra aquæ erit aliquando minor, aliquando maior, & etiam videtur eſſe vacuum, ſi non tantum augmentatur vnum elementum, quantum aliud minuitur. Dico, quod ſicut accedente planeta, puta Sole, ad zenith huius regionis, generatur ibi per eius exceſſum plus de igne, & minuitur de aqua: ita per receſſum ab alia regione, generatur plus proportionabiliter de elementis frigidis, & minuitur de calidis, & ſic generatur ibi æqualitas, quo ad totum.

Præterea ſecundo. Stellæ habent actionem quo ad loci mutationem. Superior enim pars aeris fertur circulariter ad motum cæli, quod patet: quia impreſſiones ignitæ, vt Cometæ, & huiuſmodi, quæ in illis locis generantur, videmus transferri circulariter, & multo magis ſphæra ignis, quæ eſt propinquior cælo mouetur motu circulari ad motum corporis cæleſtis.

Præterea. Corpora cæleſtia non ſolum cauſant motum in iſtis elementis ſibi propinquis, ſed in remotioribus, vt in aqua.

Nam Luna cauſat motum in mari, qui vocatur fluxus, & refluxus, & ex hoc ſupponunt Aſtrologi per experimentum, quod Luna habet dominium ſuper humida; ſicut Sol ſuper ſicca: ſuper quãcumque enim regionem eleuatur Luna, aqua maris aſcendit directè tamquam verſus cauſam ſuam: ita, quòd aqua maris in illo loco, qui directè ſupponitur centro Lunæ, eſt altior, quã in quocumque alio loco.

Iſte autem locus habetur per lineam ductam à centro terræ, ad Orbem Lunæ. Illa enim linea neceſſariò tranſibit per locum illum, qui eſt eminentior in aqua, & vocatur tumor aquæ.

Quomodo autem iſta eleuatio fiat effectiuè à Luna, diuerſimodè dicitur.

Vno modo ponitur, quod Luna habet virtutem quandam ſibi connaturalem ad attrahendum ad ſe aquas maris, ſicut magnes trahit ferrum.

Alio modo dicitur, quod hoc ſit propter diuerſitatem angulorum, quos faciunt radij Lunæ ſuper aquas in principio ortus Lunæ, & in medio cęli exiſtentis. Ponitur exemplum de pulmento in olla ſuper ignem: & de vapore reſoluto à cibo faciente animal dormire; De hoc nihil ad præſens.

Prima opinio fuit Albumaſar, 2. Maioris Introductorij in Aſtronomia. Sed ſequendo viam illam, quæ communis eſt vtrique, ſcilicet, quòd tumor ille ſemper eſt in directo Lunæ, vbicumque ſit Luna: ſequitur, quòd ille tumor circuit totam terram in tanto tempore quanto Luna circuit ſuum orbem per motum firmamenti, ſcilicet 25. fere horis: quia Luna ab ortu eius vſque ad eius iteratum ortum, conſumit plus temporis quàm ſit dies naturalis, habens 24. horas, per ſpatium temporis in quo oriuntur 13. gradus æquinoctiales: quia in vna reuolutione firmamenti tantum pertranſit Lunæ, de ſpatio motu ſuo proprio, qui eſt ad Orientem contra motum firmamenti: ſed eleuatio 5. graduum æquinoctialis, facit vnam horam: ideo ferunt, quod Luna percurrit orbem ſuum in 25. horis, minus duobus gradibus; & tumor aquæ in totidem horis circuit totum Oceanum regulariter: & ſi tamen irregulariter accidat fluxus in maribus Mediterraneis, & fluuijs, ratio eſt: quia innundatio aliorum marium venit in iſto tumore Oceani, in directo alicuius regionis, & tumore Oceani, in directo motus Lunæ. Pars autem aquæ eiuſdem tumeſcentis in Oceano, fluit ad locum, & alueos humiles vicinos, propter naturam grauitatis aquę, & fluunt tunc maria Mediterranea.

Recedente autem Luna ab illo aſpectu, vel ſitu, recedit tumor prędictus: & per conſequens in loco Oceani, vbi prius fuit aqua eminentior, quam in mari, & in fluminibus Meditareneis, iam per receſſum illius tumoris fit aqua ibidem humilior terra, & ideo aquæ innudantes ad loca illorum fluuiorum, propter loci humilitatem, ex eodem lege naturę fluunt ad Oceanum. Et hęc eſt cauſa in generali fluxus, & refluxus maris.

Sed mare Mediteraneũ magnum, quod decurrit ab Occidente, in Orientem, diui-

dens Italiam ab Ægypto; & ab alijs regionibus Africæ, & Aſiæ, non fluit ex illa cauſa ita ſenſibiliter: quia Oceanus ingreditur mare illud per anguſtum introitū ex parte Orientis verſus Hiſpaniam, qui vocatur anguſtia maris: regulariter tamen non accidit in alijs maribus ſicut in Oceano: quia maria quanto propinquiora ſunt Oceano tanto citius fluunt: ſicut maria Septentrionalia, præcipuè mare inter Noruuegiam, & Scotiam, & inter Hiberniam, & Hiſpaniam; maria autem diſtantia tardius.

Sed quare bis in die fluit, & refluit. Albumaſar vbi ſuprà, dicit, quod Luna in quartis terræ oppoſitis: ita quod ſicut in quarta Orientali inter Orientem, & Meridiem, dum Luna eſt in aſcendendo ſuper hemiſphærium, tunc habet fluxum, in hac quarta, & deſcendente Luna à puncto Meridiei ad Occidentem continuè incipit mare decreſcere in illa quarta, in qua prius creuit, & fluit in alia quarta Occidentali: & deſcendente Luna ab Occidente ſub terram, vſque ad angulum mediæ noctis fluit mare in quarta Orientali ſuper terram, illi quartæ oppoſitæ, in qua tunc eſt Luna; & ita iam bis in illa die fit fluxus in illa quarta, & ita de alijs.

Sed quæ ſit cauſa huius, ipſe non dicit; Nam videtur, quod radij Lunæ, non poſint penetrare terram, & ideo videtur, quòd eundem effectum, quem cauſauit per radios incidentes: dum eſſet in quarta Orientali ſub terra, eandem cauſet tunc per radios ſuos reflexus à firmamento, dum eſt in quarta Occidentali ſub terra.

Secundo dico quod planetæ, & ſtellæ, habent actionem ſuper mixta: nam mixta imperfecta, vt impreſſiones quædam generātur ab illis: nam materia illarum impreſſionum quæ eſt vapor, non eleuatur ad locum generationis illarum, niſi per calorem incorporatum, vel virtute alicuius ſtellæ: & hoc maximè patet in ſtellis Comatis, quę non tantum mouentur ab Oriente, in Occidens, ſequēdo motū Cæli: ſed ab Aquilone in Auſtrū, ſequendo ſcilicet, determinatū motum alicuius planetæ, à qua generātur.

Sed dices, ex quo habent talem cauſalitatem Stellæ, & Orbes ſuper inferiora, quæ quidem cauſalitas eſt determinata, & neceſſaria: quare non iudicant determinatè Aſtrologi de effectibus eorum.

Dico, quod cauſa huius eſt: quia non ſciūt perfectè qualitates, & virtutes cælorum, & ſtellarum concurrentium ad talē effectum, quas ſi cognoſcerent, poſſent de his iudicare: & ideo credo, quod Angeli habent harum perfectam notitiam: ita quod poſſunt de his benè iudicare, & quo ad tēpus, quando venturi ſunt illi effectus, & quo ad qualitatem eorum, vel quantitatē, & etiam ſi talis effectus ſit impedibilis per aliam ſtellam. Poterunt enim ſcire, quod non eleuabitur niſi tantum de materia, vel ſic, & poſſunt ſcire ſi erunt venti diſſipantes, & in quo ſitu: & vbi diſſipabuntur, & cadent.

Hæc verò omnia, quia non plenè nouērunt Aſtrologi, ideo nec plenè, nec perfectè nec ſecurè de his poſſunt iudicare. Tot enim cauſas oportet ibi concurrere quod nimis eſt difficile iudicare de talibus.

Tertio dico, quod habent actionem in mixta perfecta inanimata, vt ſunt metalla, quæ in quibuſdam regionibus generātur ex conſtellatione habente reſpectum ad illam regionem, & non ad aliam. Nam terra non eſt actiua huius diuerſitatis.

Quarto dico, quod habent actionem ſuper animata, alterando ſcilicet corpora mixta ad qualitatem conuenientem, vel diſconuenientem animæ perficienti tale corpus, & ita poſſunt agere ad generationem, & corruptionem; & ita ſimiliter in ſenſitiuis, nam organa ſenſuum quæ ſunt corpora mixta, poſſunt immutari, & alterari ad aliquem gradum conuenientem illis: vt nata ſunt eſſe organa ſenſuum, & etiam ad diſconuenientem ſenſui: & ita poſſet organum corrumpi, & lędi, & per conſequens, poſſunt habere aliquam actionem quo ad intellectionem quodammodo: quia ſi deordinatur ſenſus in actu ſuo, per conſequens, deordinatur intellectus, vt puta, in Phreneticis, & Lunaticis, in quibus eſt imaginatio confuſa: & etiam quoad hoc, poteſt eſſe cauſa deordinationis in voluntate.

Poteſt enim appetitum ſenſitiuum alterare, vt magis inclinetur ad hoc, quam ad illud.

Et quia in viatore voluntas rationalis inclinetur ad proſequendum, quod efficaci-

ter

iter appetitur ab appetitu ſẽſitiuo: ideo hoc modo inclinant voluntatem planetę, & alia corpora cæleſtia. In nullo tamen neceſſitatur abſolutè voluntas propter hoc, ſed ex ſua libertate poteſt cõtraire, & propter iſtam pronitatem ad ſequẽdum appetitum ſenſitiuum, contra dictamen rationis, quam cauſant corpora cæleſtia, accidit frequenter Aſtrologos verè prænoſticare, de moribus hominum, puta, quod erunt luxurioſi; vel per huiuſmodi conſtellationes natiuitatis, non quod ita eueniat neceſſariò quod non poſſet aliter eſse de his, quæ dependẽt à voluntate rationali, ſi homo vellet magis ſequi, per voluntatem legem rationis, quàm ſenſus: ſed cogitationes hominũ pronæ ſunt ad malum, Geneſ. 8. & Eccleſiaſtes 1. Peruerſi difficilè corriguntur; et ſtultorum infinitus eſt numerus.

Ad Primum argumentum dico, quod ſufficit, quod agens, & patiens ſunt ſimul, vel ſecundum contractum, vel mediante aliquo medio; ſed hic eſt ſimul ſecundum medium.

Et ad probationem in oppoſitum dico, quod non oportet, quod medium ſit capax actionis, ſecundum eandem rationem cum extremo, idq. perfectè dicitur eſſe alteratio: ſed ſecundum aliam rationem huius actionis, alterius rationis: puta ſub ratione luminis, benè eſt capax cælum. Omnis enim pars cæli, quæ poteſt eſſe ſub ſeptem pyramidibus, poteſt eſſe tenebroſa, patet de Luna, & alijs, quæ patiuntur tenebras, & huiuſmodi. Et patet per exemplum commune de piſce, qui per rete medium facit ſtuporem, qui tamen ſtupor non eſt in rete.

Ad ſecundum dico, quod circumſcripto omni libero arbitrio Humano, Angelico, & Diuino omnia euenirent de neceſſitate, & nihil contingenter eueniret, & nihil eſſet in entibus in potentia ad contradictoria.

Si enim aliqua cauſa nata eſſet eleuare vaporem, de neceſſitate generaret pluuiã. Si vero fortior cauſa in oppoſitum eueniret, de neceſſitate impediretur, & hoc notum eſt Angelo: & ſecundum hoc, quidquid ex talibus cauſis euenit pro illo inſtanti, in quo euenit, & in ſenſu diuiſionis, non euenit contingenter, ita quod poſſit non euenire.

Sed quid de infirmitatib. Agunt ne ad hoc? Dico, quod ſic. Habent enim aliquam actionem diſpoſitiuam in remittendo, & intendendo qualitates, & huiuſmodi, & ſic eſt conueniens, & neceſſarium, quod bonus medicus habeat ſcientiam Aſtronomiæ; poſſunt enim propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficit, quæ tamen alio tẽpore liberaret.

Ad tertium dico, quod non poſſunt tantum per motum localem: quia omnis forma abſoluta eſt perfectior reſpectiua, ergo oportet, quod ſit per formam abſolutam ſubſtantialem, vel accidentalem quod concedo.

Tu dicis contra. Quia tunc ſi planeta, vel corpus cæleſte ſtaret, cauſaret. Concedo, cauſaret quantum de ſe eſſet: nec eius motus localis facit ad actionem ſuam: latio enim, vel motus ſolis requiritur ad hoc, vt adducat agens. Patet 2. de Gener. nec valet illud: ceſſante primo motu, &c. quod enim eſt primum Solis, ſecundum eminentiam, & non eſſentialiter reſpectu aliorum, non oportet quod ipſo deſtructo, alia à deſtruantur.

Exponitur, quæ ſit ſententia Scoti, circa influxus. Cap. II.

DIfficilis eſt hæc materia, & inter Philoſophos Antiquos, & Recentiores ſatis exagitata: & pro vtraque parte ſunt validiſſimæ rationes, & grauiſſimi Philoſophi; De qua re poteſt inſpici Franciſcus Piccolomineus, libro de Cælo, cap. 38. 39. & 40. Zimara Theoremate 45. & alij multi.

Scotus in hac materia nullam opinionem tangit, nec refutat, ſed videtur ſupponere eſſe veram opinionem Aſtronomorum, qui concedunt influxus varios Planetarum diſtinctos à motu, & mutatione; tamen ex alia parte, cum agit de actione Lunæ in aquam, propter quam generatur fluxus, & refluxꝰ Maris, & de alijs actionibus Planetarum, nunquam ſegregat has actiones à motu, & lumine, quapropter iudico Scotum media via quadam procedere.

Duæ enim ſunt extremæ opiniones hac in materia. Quidam dicunt corpora Cæleſtia, & ſtellas agere in hæc inferiora lumine, & motu; ſed præter hæc duo, dicũt *Duæ extremæ o-*

 Cælum

pinio nes. 1.opi nio. Cælum effundere virtutem ſuam in hæc inferiora latenter, per quandam occultam influentiam, quæ eſt diſtinctum inſtrumentum à motu,& lumine,vnde vnicuique corpori cæleſti tribuũt propriam virtutem,qua latenter influunt in hæc inferiora, etiam abſque motu, & lumine.

2.opi. Alij ex oppoſito volunt, quod Cælum agat in hæc inferiora duobus inſtrumentis tantum: ſcilicet,motu,& lumine, noluntq. alium effectum prodire à Cælo in nos,niſi lumen, & motum; quæ duo inſtrumenta efficiunt poſtea apud nos quẽcumque effectum productum à Cælo ex ſola varietate intenſionis, & remiſſionis luminis, & motus, ſine aliqua diſtinctione,& differẽtia ſumpta ex propria aliqua conditione corporum quorum ſunt.

3.opi. Tertia eſt opinio media, quod corpora cęleſtia prædita ſint varijs, & diſtinctis virtutibus,& ideo in hæc inferiora diſtinctos,& varios effectus producant; tamen inſtrumenta quibus vtuntur in communicando has virtutes,& qualitates,ſolum ſunt lumen,& motus: adeo quod lumen, & motus,vt ſunt diſtincti Orbis, & Syderis, etiam ſunt prædita aliqua facultate diſtincta,non ex ſola intenſione,& remiſſione luminis,& motus prodeunte.

Hæc mihi rationabilior videtur,& minores habere difficultates, quam ſequitur quoque Piccolomineus, libro de Cęlo,cap 40. Hæc eadem mihi videtur eſſe de mẽte Scoti, qui licet tribuat virtutem Cęlo,& Syderibus,vt Lunę ſuper aquam, non tamen eam virtutem ſeiungit à lumine, & motu, & omnem virtutem corporum cęleſtium videtur cõcedere communicari his inferioribus,non aliqua oculta via,ſed mediantibus lumine,& motu.

Quod autem hæc opinio ſit verior, patet:quia reliquæ duæ opiniones extremę, habent obiectiones difficillimas,quas ſoluere non poſſunt.

1.opi. reijc. Prima quidem opinio,quæ ponit influxus,& vult,quòd Cęlum agat in hæc inferiora tertio inſtrumento diſtincto à lumine,& motu,patitur has difficultates.

1.rõ. Primò, quod poteſt fieri per pauciora æquè,& benè,abſurdum eſt fieri per plura:omnia autem poſſumus ſaluare ponendo Cælum vti motu, & lumine tantum pro inſtrumentis, ergo abſurdum eſt ponere alia inſtrumenta; quod autem omnia ſaluentur, patet ſecundum hanc noſtram tertiam viam mediam: quia ponimus Sydera habere proprias qualitates, ſed eas mortalibus communicare mediãte motu, & lumine, & proinde lumen vt eſt talis corporis,habere talem virtutem; vt eſt alterius,habere aliam virtutem,&c. Sed qui negant influxus,vt illi de ſecunda opinione, & volunt omnia ſaluare per intenſionem, & remiſſionem luminis, & caloris, non poſſunt ſaluare fieri omnia, vt patebit per dubia,quę contra eam tangentur.Et confirmatur hęc ratio:quia certiſſimum eſt, quod cęlum ideo agit in hæc inferiora,quia eſt continuus huic orbi mortali, vt habet etiam Ariſtoteles in 1. Meteororum, & omnis actio Phyſica fit per contactum corporalem: at cælum tangit hæc inferiora ſolum lumine,& ſuperiora corpora huius mundi inferioris, ſcilicet, ignem per contactum corporalem, vnde ad motum ſui, mouet ignem, & calefacit. Hæc verò inferiora mouet per lumen tantum, ergo præter lumen, & motum, non datur aliud inſtrumentum, per quod agat in hæc inferiora. Cõfirmatur.

Quod ſi quis recurrat ad actionem ſpiritualem,dicendo,quod agat ſpiritualiter: reſp. hæc reſponſio non ſoluit; quia quæro de reijc. actione illa ſpirituali; Vel eſt purè ſpiritualis,quod nullo modo eſt corporalis,vt ſunt Intelligentiæ, & talis actio non prouenit à corpore, quia actio eſſet nobilior agente, & cauſante; Vel eſt ſpiritualis, quia non eſt multum materiata, & craſſa,ſed tenuiſſima, vt eſt lux,& lumen, & vt ſunt ſpecies ſenſibiles receptæ in organis, vt diximus in Theoremate de lumine, & de ſenſu agente, & tales actio- Theo. 66. nes neceſſariò abſolutè ſunt corporeæ,& ſic per corpora debent deferri ad nos, & ad hæc inferiora: nullum eſt autem corpus, per quod deferri poſſint, niſi lumen,quia ſolum lumen effunditur à Sydere, & tendit ad nos: motus autem non eſt corpus, ſed actio corporis; virtus ergo illa, quæ effunditur per motum ſolum, pertingit ad corpora mota a cælo, & mota ab eis, cuiuſmodi eſt elementum

ignis, & ſuperior portio aeris. Sed hæc inferiora, ſolo lumine, & virtute delata per lumen, gubernantur à Cælo; ponere ergo inſtrumentum aliud ab his duobus, eſt multiplicare ſuperuacaneum, & loqui ſine ratione.

Opi. Reijc. 1. rō. Alia, etiam opinio omninò negans influxus, id eſt negans corporibus Cæleſtibus proprias quaſdam virtutes quibus agant in hæc inferiora, diſtincto modo, & volens omnem varietatem effectuũ prouenire ex remiſſione, vel intenſione luminis, & motus, patitur maiores difficultates; primò, quia frigiditas, quæ eſt vna ex quattuor primis Qualitatibus, non produceretur à Cælo, quod tamen falſum eſt: quia ſicuti reliquæ primæ Qualitates à Cælo producuntur, & conſeruantur, ita, & frigiditas. Quod autem quattuor Elemẽta, & primæ Qualitates pendeant, & conſeruentur à Cęlo, patet ex Ariſt. 1. Meteororum, propter hoc enim ponitur hic Orbis inferior continuus Cęlo, vt ab ipſo regatur; quod ſi quattuor primæ Qualitates non conſeruarentur; nec producerentur à Cęlo, hic Orbis inferior nõ egeret gubernatione, & conſeruatione ſuperioris, quia omnia fiunt ex quattuor elementis.

Reſp. reijc. Nec valet reſponſio eorum, qui dicunt frigiditatem produci à calore Cęleſti, qui eſt proles huius, & artifex vniuerſalis: quoniam calor Cęleſtis, & Elementaris, ſunt vnius ſpeciei: vnde calor Cęleſtis auget calorem elementalem, & calor cęleſtis iunctus elementari; fiunt vniuſmet calor: at calor Elemẽtaris non producit frigiditatem, alioquin deſtrueret ſeipſum, ergo nec calor Cæleſtis, cum ſit eiuſdem ſpeciei.

Alia reſp. reijc. Nec valet reſponſio aliorum, qui dicunt cęlum ex approximatione producere calorem; ex remotione, & ex diſtantia, frigiditatem; quoniam tunc frigiditas, quæ eſt vna ex primis Qualitatibus (& eſt quid poſitiuum: quia calidum, & frigidum opponuntur formaliter, & poſitiuè, non priuatiuè, ex Ariſtotele in Poſtprædicamentis, cap. de Oppoſitis.) produceretur ex accidenti, neque haberet cauſam per ſe, quod eſt abſurdum, vt patet. Præterea, omne priuatiuum ſupponit poſitiuum, priuatio enim cum nihil ex ſe formaliter ſit, non poteſt eſſe prima cauſa alicuius rei, ſed neceſſe eſt quòd ſupponat aliquid poſitiuum. Nec valet reſpõſio Zimaræ Theoremate 45. quod cauſa poſitiua frigiditatis, eſt cauſa particularis, non vniuerſalis, ſcilicet, venti, vel vapores eleuati ab aqua, & à terra: quoniã frigiditas nedum generatur quo ad partes, ſed quo ad totum, & pendet in eſſe à cauſis cõſeruantibus, & dantibus illi eſſe: ideo debent habere cauſam vniuerſalem dãtem illi eſſe, & etiam conſeruantem. Præterea, etiã cętera Elementa ſolum quo ad partes generantur, & tamen habent cauſas vniuerſales poſitiuas conſeruantes ea in eſſe, quo ad totum, ergo frigiditas ſic ſe habere debet: quia eſt qualitas poſitiua, non priuatiua, vt dictum eſt: opponitur enim formaliter calido, non priuatiuè. *Alia reſp. reijc.*

Præt. Pręterea, tot varietates temporum, pluuiarum, caliditatum, ſerenitatis, infirmitatum, valitudinis, & aliarum rerum Meteorologicarum, patet quòd per ſolum motum, & lumen, ſi non ſint prædita diuerſis virtutibus, non poſſunt rationabiliter aſſignari.

Rõ & in oppoſitum. Sed contra hoc quod dicimus virtutes cęleſtes cõmunicari his inferioribus per lumen, & motum, ſed præſertim per lumen, & non per ocultam qualitatem diſtinctam à lumine, & motu, vt iſti dicunt, ſunt varia dubia.

1. Primò, quia in viſceribus terræ generantur multa metalla, ſine virtute luminis, vel motus, quia nec radij luminis nec motus pertingunt vſque ad partes illas, ſed calor, & lumen fit in ſuperficie terræ, & habet fines ſuos, & terminos, nec poteſt pertingere vſque ad partes illas in quibus generantur metalla, & maximè, quia ei obſiſtit terræ frigiditas.

2. Præterea vidimus ferrum Magnete aſperſum, trahi ad Polum Articum, vt patet in inſtrumento nautico, & in horologijs ſolaribus; Idem de Helitropio, & fluxu maris; Nec valet dicere, quod fiat ex lumine: quia nullo exiſtente lumine, fit, cum nautę ſunt in tenebris tempeſtatum, in noctibus cum lumen non adeſt; ergo dicendum eſt hæc fieri per aliquam virtutem occultam. Reſpondetur ad hæc

dubia,

dubia, quòd vt dictum eſt, neceſſe eſt virtutem cælorum deferri ad hæc corpora per aliquod inſtrumentum: illud autem iure ponitur lumen, vel motus; quia lumen exit à corpore luminoſo, & tangit hæc corpora, & ſic poteſt varias qualitates imprimere in eis.

Ad 1. Ad primum ergo dicitur, quòd calor genitus à lumine, penetrat viſcera terræ, ſicut etiam & frigus genitum à cælo penetrat viſcera terræ, & hoc magis, & minus ſecundum virtutem, & aſpectum Syderis à quo producitur. Pręterea, lumen illas virtutes, & qualitates producit in terra, non quatenus per calorem agit tantum, ſed vt habet virtutem vnitam ei impreſſam à Sydere, à quo procedit; Vnde videmus in viſceribus terræ fieri exhalationes generantes terræmotus, & alias impreſſiones calidas, & frigidas, quæ proueniunt à corporibus cęleſtibus quidem, ſed mediante lumine agente in terram, & illas virtutes, & qualitates imprimente.

Ad 2. Ad ſecundum ſimiliter dicitur, quod oculto modo lumen agit in illos lapides, in Magnetem, in Helitropium, in aquam maris; & cum dicitur, quod hæc de nocte fiunt, vbi nullus eſt radius luminis, dico, quòd licet ſint tenebræ ad noſtrum Hemiſphærium propter receſſum Solis, tamen adſunt alia Sydera illuminantia; & licet vapores, & nubes, ea impediant, nihilominus ſemper ſplendent, & ſic ſemper per lumen agunt, & ſic non deficit lumen totaliter: ideo ſemper illuminatur aer, vel multum, vel parum, & ſic ſemper effunditur virtus ad hæc corpora per lumen, licet vario modo, quod etiam eſt cauſa varietatis effectus. Haberent euidentiam rationes, ſi lumen ageret ex intenſione, & remiſſione ſolum: ſed dicimus, quòd agit ex qualitate impreſſa ſibi à Sydere, & ſic varios effectus producit, licet ſit remiſſum, vel intenſum.

Alius mod⁹ dicendi. Cui hæc media opinio non placet, quia videtur valde difficile ſaluare, quomodo virtutes ſyderum deferantur ad corpora hæc inferiora, & illis mediantibus producant effectus, quos producunt in his inferioribus, poſſet dicere, quòd ad actionem phyſicam non requiritur neceſſariò contactus corporeus, ſed requiritur ſolum proportio agentis & paſſi: ideo, cum datur agens proportionatum, & paſſum proportionatum, fit actio, licet illa localiter diſtent. Quod autem non requiratur contactus corporeus, probauimus in Theologicis Diſputationibus, quas nuper edidimus ex Scoto, in 1. Sent. diſt. 37. ideo vide Diſput. 52. cap. 4. vbi ex Scoto probamus agens poſſe agere in paſſum diſtans, proportionatum. Quod verò ait Ariſt. ad actionem phyſicam requiri contactum corporeum, hoc eſt propter ordinem vniuerſi, non de interna natura agentis, & paſſi; & ideo non quodlibet agens agit in paſſum ſibi immediatè coniunctum, ſed ſolum in illud, quod eſt ſibi proportionatum, & agit in illud etiam ſi ſit diſtans, & aliud corpus, in quod non agat, mediat. Vndè non eſt dicendum, Aſtra agere per lumen, vel motum, vel aliquam occultam qualitatem, quia non requiritur hic contactus, ſed ſolum, quia eſt agẽs proportionatum tali paſſo: ideo, licet ſit diſtans, hoc nihil impedit, approximatio enim vt diximus, eſt neceſſaria, propter ordinem vniuerſi, non ex natura intrinſeca agentis, & ſic debet intelligi propoſitio Ariſtot. Mouens, & motum, debent eſſe ſimul.

THEOREMA C.

Senſus interni ſunt tantum tres.

Exponitur opinio Scoti cum ſuis fundamentis. Cap. I.

MVlta addere debebamus in hac ſecunda editione, quia multæ aliæ materiæ pertinentes ad Philoſophiam naturalem explicatæ à Scoto, & tractatæ à Philoſophis, deſiderantur in hoc opere; ſed quia commodius alibi de his tractabimus, hæc tria Theoremata tantum addere libuit, quia habent maximam connexionem cum alijs materijs Animaſticis in hoc Opere explicatis. Grauis autem eſt difficultás de numero internorum ſenſuum, propter quòd variæ exſtant ſententiæ. Primò explicabimus opinionem Scoti; Deinde videbimus, quid alij ſentiant.

Antonius

ſin. Int. ind. riſc. Antonius Andræas 1. Metaph. q.5.apertè cum Auicenna ponit quinque ſenſus internos, ſcilicet, ſenſum communem, quem quoque ait vocari Phantaſiam; Imaginatiuam, Cogitatiuam; Aeſtimatiuam, & memoriam. Ego autem puto hanc ſententiam non eſſe conformen doctrinæ Scoti, & eſſe falſam; non eſt conformis doctrinæ Scoti; quia licet nullibi, quod ego viderim, rem hanc Scotus ex profeſſo tractet, tamen ex ijs, quæ dicit in 1.Sent.d.3.q.2. F. ibi, quinto dico, elicitur Scotum non admittere Cogitatiuam, neque Aeſtimatiuam; & de Cogitatiua probatur: quia ponentes Cogitatiuam, dicunt munus eius eſſe facere compoſitionem inter ea, quæ conſeruantur in imaginatione, vnde per hanc potentiam aiunt non poſſe cogitare ſolem viridem, vel montem aureum: at Scotus in præcitato loco, aſſerit hoc munus eſſe Imaginatiuæ, ergo apud Scotum Cogitatiua non contradiſtinguitur ab Imaginatiua; Aeſtimatiuã quoque ibidem Scotus confutando Henricum, reijcit: dicebat enim Henricus, quod hac venimus in cognitionem Dei, & eorum, quæ competunt ei ex ſpeciebus Creaturarum; quia ſcilicet ſuffodiendo ſub illis ſpeciebus inueſtigamus ea, quæ competunt Deo; & dabat exemplũ: Sicut Aeſtimatiua in brutis ſub ſpeciebus ſenſatis cognoſcit intentiones non ſenſatas, vt nociui, & proficui, quæ nunquam ceciderunt ſub aliquo ſenſu particulari: at Scotus inquit Henricum ibi adducere falſum, ad confirmationem falſi, etiam oſtendit, quod Aeſtimatiua iſta eſt figmentum: quia ſi agnus fugit lupum, & ſequitur ouem, non eſt, quia ſuffodiat aliquam intentionem non ſenſatam ex ſenſibilibus ſpeciebus notis: ſed quia ſpecies ſenſatæ repræſentant ſenſibilia conuenientia, & tunc agnus ſequitur ea, vel diſconuenientia, & ſic fugit. Vnde ſi per miraculum ouis quantum ad accidentia externa mutaretur in lupum, & tamen retineret naturam ouis, nihilo minus agnus fugeret ouem ſic mutatam, & tamen nulla eſſet intenſio nociui ſub illis ſpeciebus. Hæc ergo Æſtimatiua apud Scotum eſt figmentum, & apud eundem ille effectus, fuga, & proſequutio, ſunt effectus appetitus ſenſitiui, qui fugit diſconuenientia, & ſequitur conuenientia: qui appetitus ſenſitiuus eſt in omnibus animalibus, etiam imperfectis; quod nouit Zabarella, lib. de Facultatibus Animæ, cap. 12. Aſſerit etiam Antonius Andręas, vbi ſuprà, quod Senſus communis vocatur Phantaſia, & eſt idem quod phantaſia; Hoc etiam ſecundum Scotum eſt falſum: quia Scotus vbique loquitur de Phãtaſia, & de Senſu communi tamquam de duobus ſenſibus internis diſtinctis, ſed præſertim 1.Sent.diſt. 3. q. 6. poſt E. vbi probat neceſſitatem ſpeciei intelligibilis ex præſentia obiecti ratione ſecunda; ibi enim apertè tenet, Senſum communem eſſe aliam virtutem cognoſcitiuam diſtinctam à Phantaſia, quoniam arguit à minori ſic. Senſus communis eſt virtus ſenſitiua cognoſcitiua, & tamen habet ſpeciem pręſentem non ſolum in inferioribus ſenſibus, ſed in proprio organo, ergo multo magis Intellectus, qui eſt virtus cognoſcitiua ſuperior, debet habere obiectum ſibi præſens, non ſolum in phantaſia, ſed in propria præſentialitate, inquantum relucet intellectui aliquid, quod eſt in intellectu, illud autem eſt ſpecies; & in eadem quæſtione ad 5. habetur idem clarius. *Sẽſus cõis nõ eſt phantaſia.*

Opin. vera eſt eſſe tres sẽſus internos. Dicamus ergo, quod ſecundum Scotum ſunt tres Senſus interni tantum, ſcilicet, Senſus communis; Phantaſia, ſiuè Imaginatiua; & Memoria; Quæ opinio etiam eſt vera de mente Ariſtot. nam ipſe Ariſtoteles in 2. de Anima, poſuit tantum Senſum communem, & Phantaſiam; in libro verò de Memoria, & reminiſcentia, ponit alterum Senſum internum, ſcilicet, Memoriam, vt patet; & confirmatur: quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate: ſed hic non eſt neceſſitas, quia *2. rõ.* poſſumus ſaluare omnia munera, quæ tribuunt Cogitatiuæ, & Æſtimatiuæ per Imaginatiuam. Tertio, potentiæ ſenſitiuæ, & materiales, diſtinguuntur per organum: *3. rõ.* quia vnaquæque debet habere proprium organum, at in cerebro ſecundum Anatomiſtas ſunt tantummodo tres ventriculi, ſiuè tres cauitates, ſenſus autem interni ſunt potentiæ materiales organicæ, ergo non poſſunt eſſe niſi tres,

neque

neque poteſt dici, quòd ventriculus medius inſeruiat tribus potentijs ſenſitiuis, vt dicit Auicenna, quia vt dicunt Anatomiſtæ, ille ventriculus medius, eſt ex omni parte æqualis, neque eſt magis cauus in vna parte, quam in alia, ſed ſe habet ad modum canalis, ſiuè vehiculi, vel foraminis; at potentiæ diuerſæ, requirunt organa diuerſa: quia inſtrumentum quod accommodatur ad vnam operationem, nō accommodatur alteri operationi: iſtæ potentiæ, & ſenſus interiores, ſunt diuerſæ potentiæ, & habent diuerſa munera, ergo non poſſunt vti omnes tres eodem organo.
4. rō. Quartò. Clarum eſt, Ariſtotelem voluiſſe compoſitionem, & diuiſionem, & multo magis diſcurſum eſse operationes ſolius intellectus, vt patet in 3. de Anima, tex. 21. & inde, ideo vanum eſt ponere aliquam facultatem ſenſitiuam eſſe Ratiocinatricem, vel componere, ac diuidere : at Cogitatiua, & Aeſtimatiua, per illos Doctores componunt ac diuidunt, immò diſcurrunt, ergo ſunt abijciendæ. Auerros præcipuus auctor fuit huius Cogitatiuæ, vt ſaluaret hominem intelligere: & voluit hanc eſſe eius formam informantem, qua ex coniunctione intellectus intelligeret; ſed Scotus, & nos, alibi, ſcilicet, in Theoremate de Multiplicatione Intellectus, & ſecundum Ariſtotelem, & ſecundum veritatem, oſtendimus, eſſe opinionem falſiſſimam. *The. 70.*
Obiectio. Sed eſt obiectio: quia in ſomnum Intellectus non operatur, neque ſenſus externi: quia ſunt ligati per ſomnum, & tamen diſcurrimus, & facimus compoſitiones quarundam rerum, quas nunquam vidimus, componimus, diuidimus, facimus monſtra, imaginamur Montem aureum, &c. ergo, hæc præſtantur à ſenſibus internis.
S. ſol. Reſpondetur quod hæc omnia fiunt a Phantaſia, ſiuè ab Imaginatiua, vt dicebat Ariſtoteles, 2. de Anima, tex. 156. & probatur: quia Phantaſia ex Ariſt. eodem 2. de Anima, tex. eodem, in vltimis verbis, eſt motus ab externo ſenſu factus. Proinde, nihil poteſt eſſe in Phantaſia, quin prius fuerit in Senſibus externis; ſpecies ergo, illorum ſingularium, quæ demandata fuere ad ſenſum communem, in Phantaſia manent, & dicuntur Phantaſmata, quæ deindè ſic permixtim offeruntur ipſi Phantaſię; & ex hoc accidit, quod imaginatur Montem aureum, quia habet Phantaſma auri, & habet Phantaſma montis: accidit autem quod Phantaſma Auri, & Montis in vnum complicata, ſe præſentent Phantaſiæ, & tunc apprehendit Montem aureum; Hæc ergo apprehenſio, non eſt vera compoſitio, ita quod Phantaſia enunciet hoc de illo, ſed eſt apprehenſio ſimplex, quia illa offeruntur ei tamquam entia ſingularia, & tamquam vnum ſic compoſitum; Hanc eandem ſententiam ſequitur Franciſcus Piccolomineus, libro de Senſibus internis, cap. 12. eamq. eſſe Græcorum omnium teſtatur, quam varijs rationibus comprobat, alijs reiectis.

Aliorum opiniones adducuntur, & reijciuntur. Cap. 11.

Ex his faciſè confutantur aliorum opiniones de numero internorum ſenſuum, quæ ad ſummum ſunt quattuor.

Prima aſſerit ſenſum internum eſſe vnicum tantum, quam Tartaretus in 2. de Anima, in fine recenſet, & ſequitur. Hanc eandem opinionem ſuſtinet Halenſis 2. par. quæſt. 70. Membro 2. & nonnulli alij, quam ita declarant; Senſus interni ſi conſiderentur ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam, vnum ſunt: ſi verò conſiderentur quo ad munera diuerſa, quæ obeunt, ſic diuerſa ſunt; Sed hæc diuerſitas, & diſtinctio, eſt rationis, non realis; eſt ergo vna interna facultas ſecundum eſsētiam, ſed ratione ſunt plures. *Opin. Tartareti.*
Præcipuum fundamentum eſt: quia dicunt illa omnia munera, quæ proficiſci dicuntur ab iſtis diuerſis ſenſibus, vt puta à Phantaſia, à Senſu communi, & alijs, poſſe ſaluari in vnico ſenſu: & quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate, vnus, non plures, eſt ponendus ſenſus internus. *1. rā.*
Hæc opinio in aliquo ſenſu eſt vera, tamen in propoſito eſt falſa: eſt vera, conſiderando hos ſenſus internos realiter, ſic enim identificantur cum anima ſenſitiua realiter, quæ eſt vna, & ideo realiter ſunt vna ſubſtantia, & eſsentia, vt dixi in Theoremate de Diſtinctione potentiarum animæ *Reijcitur.* *The. 74.*

inter

inter ſe, & ab anima: Sed conſiderando hos ſenſus formaliter, vt in præſenti conſideramus, ſunt diſtincti formaliter: quia ſunt diuerſæ potentiæ animæ, quæ non ratione, ſed formaliter ad inuicem diſtinguuntur, vt oſtenſum eſt in prædicto Theoremate.

1. Probatur Primò; quia hæc opinio eſt contra Ariſtotelem, qui vt diximus ſup. 2. de Anima, tex. 155. & inde, diſtinguit Phantaſiam à Senſu communi, & alibi à Memoria.

2. Secundò; quia munera Senſus communis, & Phantaſiæ, ſunt omninò diuerſa: quoniam Senſus cnmmunis immutatur à ſenſibus externis: vnde illis quieſcentibus, & nihil præſentantibus, ipſe quoque quieſcit, & abſentibus illorum actionibus, nihil operatur. Phantaſia verò immediatè mouetur à Senſu communi, & quieſcentibus ſenſibus externis, & abſentibus, operatur, obiectis realibus ipſa ea percipit, & iudicat; ergo diuerſa ſunt munera horum ſenſuum, & per hoc ſoluitur eius fundamentum.

2. opinio. Opin. Fonſeca, & Collegij. 1. rõ. Secunda opinio eſt eorum, qui aſſerũt ſenſus internos eſſe duos tantum: ſed iſti inter ſe differunt, aliqui enim vt Fonſeca 5. Metaph. c. 28. q. 7. ſect. 4. tenet hos duos eſſe Senſum communem, & Phantaſiam, Memoriam verò vult eandem eſſe cum Phantaſia; quam opinionem etiam commendat Collegium Conimbricenſe, 3. de Anima, (ſecundum eorum partitionem) cap. 2. quęſtione 2. & probant in primis: quia Ariſtot. 2. de Anima, vbi ex inſtituto de Senſibus internis loquitur, tantum verba facit de Senſu communi, & Phantaſia: & licet Ariſt. in lib. de Memoria, & reminiſcentia, loquatur de Memoria, non tamen propter hoc elicitur, quod loquatur de Memoria, quatenus ſit ſenſus diſtinctus à Phantaſia: quia in 1. capite illius libri, ponit actum memorandi in ea potentia animæ, in qua eſt Phantaſia, ſicuc actus imaginandi, ergo potentia memorandi, non eſt diſtincta à potentia imaginatiua.

2. Secundo confirmatur à ſimili: quia Intellectus, & Memoria intellectiua, ſecundum omnes, non diſtinguuntur, ſed ſunt vna, & eadem potentia, ſed à diuerſis actibus, diuerſo nomine nuncupatur; quatenus enim Intellectus actu intelligit Intellectus dicitur; quatenus verò habet ſpeciem intelligibilem præſentem, & poteſt exire in actum intelligẽdi, dicitur Memoria intellectiua; ita Phantaſia quatenus conſeruat ſpecies ſenſatas, dicitur Memoria: quatenus verò iudicat; & cognoſcit, dicitur Phantaſia. Alij verò hos duos ſenſus internos ponunt eſse Senſum communẽ, & Cogitatiuam: ſub Senſu communi ponunt Phantaſiam, ſub Cogitatiua ponunt Memoriam. *Aliorũ opinio.* Alij verò volunt hos duos ſẽſus eſse facultatem iudicandi, & facultatem conſeruandi, ita quod iſti omnem facultatem cognoſcitiuam internam nolũt eſſe vnicam potentiam, vt Senſum communem, Phantaſiam, Cogitatiuam, & ſi aliæ dentur ab alijs, Memoriam verò alteram. *Alia opin.* Fundamentum iſtarum duarum opinionum quo ad id, in quo conueniunt, ſcilicet, de numero ſenſuum internorum, eſt, quod in cerebro ſunt tantummodo duo ventriculi diſtincti, qui habent diuerſa temperamenta, ideo ſunt quoque duo ſenſus interni.

Primus mod⁹ huius opinionis reijc. Primus modus huius opinionis, licet videatur habere aliquam probabilitatẽ, tamen eſt contra Ariſtot. & falſus; quod oſtenditur: quia Ariſtotel. venatur numerum ſenſuum, præſertim ex diuerſitate operationum, & ex diuerſitate organorum, propter hoc diſtinxit Senſum communem à Senſibus externis, ſcilicet, quia ſenſus externi non poſſunt iudicare obiecta diuerſa ſenſibilium, ideo opus fuit dari Senſum communem qui iudicaret, & diſcerneret differentias obiectorum ſenſuum externorum, vt album à dulci: & rurſus, inuenit Phantaſiam eſſe diuerſam à Senſu communi: quia ipſa iudicat de ſenſibilibus etiam ipſis abſentibus, quod non facit Senſus communis, & ideo, cum ſit operatio diuerſa, diuerſam quoque eſſe Phantaſiam iudicauit; ita in propoſito apertè in libro de Memoria, & reminiſcentia, oſtendit Ariſtot. operationem Memoriæ eſſe diuerſam à Senſibus, & à Phantaſia; inquit enim, quod operatio, & actus Memoriæ, non eſt futurorum: ſed iſti pertinent ad ſcientiam, quę ab aliquibus diuinatiua dicitur

neque

neque eſt præſentium, quia hæc pertinet ad ſenſum, ſenſus enim ſolum præſentia cognoſcit, & cum præſentium cognitio alia ſit conſiderare, alia verò ſit intelligere, nullum horum inquit Ariſtot. eſt memorari, ſed dicuntur conſiderare, & intelligere, & ſunt actus virtutis Cognoſcitiuæ, ſiue ſit Senſus, ſiue ſit Intellectus: actus ergo memoriæ ſunt reſpectu præteritorum, cognitio ergo eius, non eſt per actus, qui tunc fiant, ſed qui facti fuerunt, vt aliquis recordatur, quia vel vidit, vel audiuit, &c. Cum ergo operatio Memoriæ ſit diuerſa ab operationibus Phantaſiæ, vt quia eſt cognitio, ſed per actus præteritos, non præſentes, Phantaſię verò actus ſit cognitio per actus de præſenti factos, ſequitur quoque, Senſum eſſe diuerſum à Phantaſia. Secundo habet organum diuerſum à Phantaſia: quia ibidem Ariſtot. quærens quare aliqui facilè addiſcunt, ſed difficile memorantur, aliqui è conuerſo difficilè addiſcunt, ſed facilè memorantur, reſpondet, quòd hoc accidit, quia illi, qui de facili addiſcunt habent temperamentum molle, & humidum, in quo facilè imprimitur ſpecies, & facilè etiam elabitur, ſicut qui imprimit aliquid in aquam, vel ceram, è conuerſo ijs qui facilè memorantur, ſed difficile addiſcunt, habẽt temperamentum ſiccum, & durum, ideo difficilè imprimuntur ſpecies, ſed quando poſtea ſunt impreſſæ, de difficili elabuntur, vt qui imprimit aliquid in lapide marmoreo, difficilè imprimit, ſed durat per multum tempus. Ex his patet, organum Memorię debere eſſe ſiccum, potentiarum verò cognoſcitiuarum, humidum & molle, ergo organum Memoriæ eſt diuerſum ab alijs, & conſequenter Memoria eſt diuerſa ab alijs. Neque valet reſponſio eorum, dum dicunt organum Phantaſiæ præditum eſſe tali temperamento, & mediocritate, vt & non difficilè recipiat, & recepta diu retineat, eſt enim hoc contra experientiam; quia videmus, facilimam eſſe cognitionem ſenſitiuam ſimplicium, vnico enim actu præſentationis, illa cognoſcimus: ad hoc verò, vt illorum memoremur, neceſſe eſt iterare ſæpè ac ſępius actus cognitionis, vt Memorię figantur: ſignum eſt ergo, quod organum Memorię naturaliter eſt ſiccum, & omnino diuerſum ab organo Phantaſię, quę eſt facultas cognoſcens pręſentia tantum. Ad rationes pro illa opinione. Ad primum reſpondetur, quòd ſi locus ille Ariſtot. 10. de Memoria, & reminiſcentia debet intelligi, vt illi dicunt, ſequeretur pertinere ad Senſum communem: quia ille eſt primo ſenſitiuus, quod tamen ipſi non admittunt; Eſt ergo dicendum, quod verum eſt quidem, quod in 2. lib. de Anima, locutus eſt tantum de Senſu communi, & Phantaſia, non de Memoria: ſed voluit differre in alium locum ſibi commodiorem, tractat enim ibi de alijs pertinentibus ad ſenſus, vt eſt lib. de Senſu, & ſenſibili, & ideo hoc nihil eſt; Quòd verò in libro de Memoria, dicat Ariſtot. Memoriam eſſe in Phantaſia, falſum eſt: verba Ariſtot. ſunt hęc (*Quare intellectus ſecundum accidens vtique erit, per ſe autem primi ſenſitiui (ſupple)* Memoria) & ſenſus eſt, quod Memoria inſeruit per accidens Intellectui, per ſe verò Senſui: quia recordamur intelligibilium, & ſenſibilium, ſed recordamur ſenſibilium perceptorum à Senſu communi, & conſequenter à Phantaſia per ſe, Intelligibilium verò per accidens, ſcilicet, mediantibus illis Phantaſmatibus ſenſibilibus repoſitis in Memoria. *Ad 1. rōnē.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod Memoria in hoc ſenſu accepta, ſcilicet, pro Intellectu, & obiecto pręſente, eſt Memoria impropriè dicta, quę potius eſt in vſu apud Theologos, quam Philoſophos, Memoria autem apud Philoſophos eſt recordatio præteritorum, vt diximus in Theoremate, de Memoria Intellectiua, ideo hoc ſimile nihil concludit in propoſito, vbi de Memoria ſecundum Philoſophos & ſenſitiua Memoria loquimur. *Ad 2.*

Altera opinio reijcitur per idem fundamentum; oſtẽſum eſt enim quod nedum Memoria, & Phantaſia diſtinguuntur: ſed etiam Senſus communis, & Phantaſia, præſertim, quia Senſus communis immutatur à Senſibus externis immediatè, Phantaſia mediante, Senſus communis apprehendit tantum obiecta præſentia, ac ſimul cum ſenſibus externis: Phantaſia verò *Alia Opin. reijcitur.*

ſia verò apprehendit abſentia, & quieſcentibus externis ſenſibus, Senſus communis apprehendit tantum Phantaſmata ſenſata,& ex illis etiam non ſenſata;ergo diuerſa officia, & diuerſas potentias arguunt.

Ad fundamentum illorum dicendum, quod falſum eſt,duos tantum eſſe ventriculos,vt ſuprà diximus; Deinde hoc fundamentum eſt ſatis dubium:aliqui enim Anatomiſtæ volunt illos eſſe duos, alij tres, alij quinque, alij vnum,ideo res ſatis eſt dubia.

.opi. Tertia eſt Auerrois,in libro de Memoria,& reminiſcentia,& in 3.libro de Anima, Com. 6. quem ſequitur quoad hoc D.Thom.p.p.quęſt.78.artic.4.& Caietanus ibi in Commentario, & alij, qui aſſerunt quattuor eſſe Senſus internos, ſcilicet, Senſum Communem; Phantaſiam; Memoriam; & Cogitatiuam in homine, loco cuius, in brutis volunt eſſe Aeſtimatiuam, De tribus prioribus ſenſibus non eſt difficultas:ſed tota res conſiſtit in Cogitatiua, quam eſſe neceſſariam probant 1. rō. Primò ſic.Ariſt.2.de Anima,tex. 153.habet hęc verba:[Phantaſia non fit ſine ſenſu,& ſine hac non fit Aeſtimatio;]Ex hoc patet,quod Ariſtot. præter Phantaſiam, concedit vim Aeſtimandi, ſiue cogitan-2. di. Secundo Ariſtotel.in libro de Memoria, & reminiſcentia, concedit dari vim reminiſcendi: ſed reminiſcentia fit cum diſcurſu, diſcurſus autem competit tantum virtuti cogitatiuæ, ergo Ariſtot. admittit cogitatiuam. Tertio, datur facultas,quæ circa ſingularia componit, diuidit,& ratiocinatur; inſuper excitat appetitum ad proſequẽdum, vel fugiendum, hęc non eſt Intellectus,neque Phantaſia, ergo.

Quarta opinio eſt Auicennæ,in 6.ſuorum Naturalium,parte 4 cap.1.&Magni Alberti, in 2. de Anima, qui ſupra illos quattuor addunt Æſtimatiuam, propter eam rationem, ſcilicet, vt ex ſpeciebus ſenſatis cognoſcat, & ſubfodiat intentiones inſenſatas, vt dicit Antonius Andræas.

Reÿcion. amba Sed ambæ iſtæ opiniones refutantur facilè per argumenta ſuperius adducta, & præſertim, quia munera iſtarum potentiarum, ſcilicet, Cogitatiuę, & Aeſtimatiuæ,pertinent vel ad Intellectum, vel ad Phantaſiam, ideo non debent iſtæ potentię multiplicari. iſta opin.

Ad 1. Ad primum pro tertia opinione, dico, quod Ariſtot. in 2.de Anima, textu 153. dum dixit, Æſtimationem mediare inter Senſum, & Phantaſiam,per Aeſtimationem non intellexit aliquem ſenſum medium, ſed iudicium Mentis, à quo ibi diſtinguit Phantaſiam, ſicut & ab alijs rebus.

Ad 2. Ad ſecundum reſpondetur, quod Ariſtotel. ibi innuit tantummodo, quod reminiſcentia fit adiutorio Mentis, vnde non eſt in Brutis,niſi Metaphoricè.

Ad 3. Ad tertium reſpondetur, quod illa facultas eſt Phantaſia, quę iudicat hoc,vel illud bonum,ſecundum quod hoc, vel illud,eſt ſibi iucundum, vel non iucundũ, & ita proſequitur, vel fugit. Phantaſia quoque eſt,quę excitat Intellectum,quia ipſa eſt quæ illi offert obiectum:Phantaſia enim præſentando Phantaſmata excitat Intellectum.

THEOREMA CI.

Appetitus non diſtinguitur à virtute cognoſcente.

Aliorum opiniones reÿciuntur, & probatur opinio Scoti. Caput Primum.

EſT magna difficultas,an appetitus ſit potentia diſtincta à virtute cognoſcente, & de numero appetituum D.Th. p.p.quæſt.78.artic.2.& 3.quem ſequitur Zabarella, lib. de Facultatibus Animę, cap. 12. dicunt, appetituum eſſe diſtinctam potentiam à virtutibus cognoſcitiuis,& eſſe vnam; Ratio Diui Thomæ ibi videtur eſſe hęc: quia alius videtur eſſe finis appetitus abſolutè, alius videtur eſſe finis appetitus virtutis cognoſcitiuæ: nam viſus appetit ſolum obiectum viſibile ad videndum, animal autem appetit illud obiectum ad alios vſus; Cum ergo diuerſus ſit finis appetitus ſimpliciter animalis, & finis appetitus virtutum cognoſcitiuarum, operationes ſunt variæ, & opin. D.T. Zab.

riæ, & diſtinctæ, & conſequenter cum ex operationibus diſtinguantur potentiæ, virtus cognoſcitiua, & virtus appetitiua, erunt diuerſę potentiæ, & virtutes. Zabarella verò hoc idem probat auctoritate Ariſtot.2.de Anima, tex. 27. vbi Ariſt. enumerans potentias animæ, enumerat appetitiuam facultatem, vt ab alijs diſtinctã, inquit enim. *Potentias verò dicimus vegetatiuum, appetitiuum, ſenſitiuum, motiuum ſecundum locum, at intellectiuum, vegetatiuum, & ſenſitiuum ſunt diſtinctæ potentiæ, ergo & appetitiuum debet differre ab alijs*; Idem dicit alibi ſæpè Ariſtoteles.

1. rã. Zab.

Secundò, ex muneris diſcrimine diſtingui videntur, quæ enim munera diuerſa habent, diuerſas quoque eſſentias habere coguntur: quia diuerſæ formæ, diuerſas operationes habent; quod autem ſint munera diuerſa, munus appetitus, & virtutum cognoſcitiuarum, probat hoc modo. Cognoſcere, & ſentire, fit per tranſitum obiecti ad animam, in cognitione enim obiectum quodammodo ad animã trahitur, at in appetitu anima potius trahitur ad obiectum proſequendum, ergo operatio diuerſa eſt, & cõſequenter quoque ſunt diuerſæ potentiæ. Inſuper, potentia cognoſcens, eſt recipiẽs obiectum, at appetitus eſt propenſio ad proſequendum; ex his ſequitur, quod appetitus diſtinguitur à virtutibus cognoſcitiuis, & quod eſt vnus.

Ex altera parte Scotus in 3.Sent.d.17. quæſt. 1. in corpore, quæſt. videtur velle, quod appetitus ſenſitiuus, de quo modo loquimur, non diſtinguatur à virtute cognoſcitiua, ſiue apprehenſiua: quoniam inquit ibi, quod præter appetitum ſenſitiuum, qui conſequitur virtutem imaginatiuam, eſt neceſſe quod ponantur tot appetitus diſtincti, quot virtutes apprehenſiuæ diſtinctę ponuntur, Inſuper dicit, quod ſicut Phantaſia imaginatur obiecta omnium ſenſuum, & in præſentia illorum, & abſentia, ita ſuo appetitu delectatur in illis, ſi ſint conuenientia, vel dolet de illis, ſi ſint diſconuenientia; hoc idem etiam eſt dicendum de alijs ſenſibus particularibus. Ex his videtur velle Scotus, quod appetitus nihil aliud ſit, niſi propenſio naturalis potentiæ ſenſitiuæ ad obiectum: ſi enim illud obiectum ſit conueniens potentiæ apprehendenti illud, proſequitur: ſi ſit diſconueniens, fugit, & conſequenter appetitus non eſt virtus diſtincta à potentia cognoſcente, ſed eſt eadem realiter cum illa, ſiquidem eſt eius inclinatio naturalis, inquantum reſpicit obiectum determinatum, & tale. Quæ ſententia videtur quoque eſſe Auerrois, in 12.Metaph.tex. 39. vbi dicit, etiam de mente Alexandri, quod voluptas conſequitur comprehenſionem, ſicut vmbra corpus: at videmus, quod potentia apprehendens obiectum aliquod, ſi eſt conueniens, gaudet & habet voluptatem, non alia de cauſa, niſi quia obiectum eſt conueniens; ſi verò non eſt conueniens, triſtatur; iſti ſunt actus appetitus; at iſti ſunt actus virtutis cognoſcitiuæ, vt dictum eſt: quia virtus cognoſcitiua eſt, quæ apprehendendo delectatur, vel triſtatur, ergo virtus appetitiua non diſtinguitur à virtute cognoſcitiua. Ex his apertè patet, quod appetitus multiplicantur apud Scotum, & hoc eſt clarum. Videtur etiam elici ex dictis, quod appetitus non diſtinguatur à virtute cognoſcente (licet apertè hoc non dicat Scotus, propter rationes ſuperius aſſignatas) & confirmatur auctoritate Ariſt. 3.de Anima, tex.29. vbi apertè dicit, quod appetitus vitandi, vel proſequendi, neque inter ſe, neque à ſenſu re diſtinguuntur, ſed ſolum ratione; & verba eius ſunt hæc; *Et non aliud eſt appetitiuum, & fugitiuum neque à ſe inuicem, neque à ſenſitiuo; ſed eſſe aliud eſt.*

Scoti opin.

Hanc eandem ſententiam Scoti, quantum ad multiplicationem, videtur ſequi Franciſcus Piccolomineus, lib. de Senſibus internis, capite vltimo, conditione tertia, ait enim appetitum tribus modis conſiderari poſſe; Vel ratione fundamenti; Vel rationem propria; Vel ratione obiectorum; Primo modo eſt vnus appetitus, quia fundamentum principale eſt vnum, ſcilicet Phantaſia; & hoc eſt fundamentum denominationis, vt etiam dicebat Scotus: quia in iſto completur actus appetendi: nam Phantaſia eſt quæ iudicat iucundum, vel aduerſum, propria ratione verò, & ex parte obiectorum, multiplicari ait,

Picc. eſt cũ Scoto.

cari ait,

cari ait,& tot eſſe appetitus,quot facultates cognoſcentes ; Conuenit etiam cum Scoto in altero, ſcilicet, quod appetitus non diſtinguitur à virtute cognoſcente, accipiendo appetitum pro facultate appetente,& ait illam eſſe Phantaſiam quatenus apprehendit aliquid ſenſibile, tamquam vtile,& delectabile,vel aduerſum, & reddit animal procliue ad proſecutionem,vel fugam: & hoc intelligit de appetitu perfecto, & completo:nam iſte eſt ſolum in Phantaſia : & propterea iſta ſola appellatur appetititus,aliæ verò virtutes, & ſenſus cognoſcitiui ſunt appetitus imperfecti, & proinde in omnibus animalibus etiam imperfectis, præter ſenſus externos, eſt Phantaſia, licet in perfectis ſit perfecta, in brutis verò ſit imaginatio confuſa.

Ad 1. ...inē, ...ua ...D. Tho. Ad primam rationem,quæ eſt D.Thomæ,reſpondetur, aſſumere falſum: quoniam falſum eſt, quod appetitus animalis appetat res ſenſibiles propter alios vſus, quàm propter vſum ſenſuum externorum, quoniam res ſenſibiles nullo vſui inſeruire poſſunt niſi vſibus externorum ſenſuum,quorum ſunt obiecta; ſubſtantia enim non eſt ſenſibilis, omnia alia accidentia vel obiecta propria, vel cōmunia, quæ omnia percipiuntur à ſenſibus externis : in coniunctione enim obiectorum cum his ſenſibus externis, ſequitur triſtitia,vel gaudium,& deindè fuga, vel proſecutio.Præterea, dato quod argumentum concluderet,ſequeretur appetitum eſse diſtinctum à ſenſibus externis, non tamen à Phantaſia, quia Phantaſia eſt quæ cognoſcit vtile,& nociuum,ac varijs vſibus illa acommodat.

Ad 2. Ad ſecundam rationem,quæ eſt auctoritas Ariſtotelis dico, quod ibi per appetitum intelligit Phantaſiam ſiue Imaginatiuam in communi,prout continet ſub ſe Imaginatiuam perfectam, & imperfectam:vnde in textu 20.eiuſdem 2.dixerat in entomis inciſis,eſse Phantaſiam,& Deſiderium: quia in vtraque parte eſt voluptas,& triſtitia;eſt ergo appetitus potentia quidem, ſed tamen non eſt realiter diſtincta à ſenſitiua,alioquin conſtitueret alium gradum vitæ,& ſic eſset quintus gradus vitæ,contra Ariſtot.in eodem 2.textu 23.ſcilicet,Vegetatiua;Sēſitiua;Intellectiua; Appetitiua; & Phantaſia. Vel dicamus, quod ſufficit definitio formalis inter Senſitiuam, & Appetitiuam;Inſuper, deberet habere propria organa diſtincta à Phantaſia, & à Senſibus cognoſcitiuis, quod tamen eſt falſum.

Ad tertium reſpondetur,quod illa munera non ſunt ita diuerſa, vt conſtituant diuerſas potentias : quia ille tractus eſt propter determinationem conſequentem cognitionem virtutis cognoſcitiuæ, vnde eſt potius propenſio, & proprietas cognoſcentis,quàm alia potentia diſtincta. Ad 3.

THEOREMA CII.

Omne recipiens debet eſse denudatum à natura recepti.

Adducitur, & confutatur opinio eorum, qui aſſerunt intellectum poſſibilem eſſe puram potentiam. Cap. I.

DVplex eſt difficultas circa hanc propoſitionem; Primo,an ipſa ex Ariſt. deducatur, & reuera ipſam Ariſtoteles aſſeruerit tertio de anima textu 4.ex quo loco ipſam deſumpſit Auerroes præſertim, & alij ſequentes eum;Secunda difficultas eſt de eius veritate. Quantum ad primum non deſunt viri docti, qui aſſerunt propoſitionem allatam non elici ex dictis Ariſtotelis & maximè in illo 4. textu 3.de Anima, quod oſtenditur ſic. Clarum eſt, quod hæc propoſitio formaliter non habetur in textu, vt videre vnuſquiſque poteſt ; Si ergo in illo textu continetur, implicitè contineri neceſse eſt, at neque hoc verum eſse videtur: quod oſtenditur ſic.Putauit Auer.quod Ariſt. in illo textu 4.colligeret Intellectum poſſibilem eſſe immixtum à ſubiecto, & à corpore, ita quod hæc ſit argumentatio Ariſt.Omne recipiens debet eſse denudatū à natura recepti:at intellectus recipit, ſiue intelligit omnia materialia,ergo non debet eſſe res materialis,ſed immixta, & denudata à corpore,& à materia; Maiorem probat(quæ explicitè non eſt in textu ſed implicitè)

Duplex difficultas circa propoſitionē. Appoſi tam. Quorundā opin. 1. rō.

plicitè) quia intus exiſtens, prohibet extraneum,& obſtruet, ergo ſi intellectus ſit materiæ & corpori mixtus, illa materia, & forma corporis, impediat illum à receptione, & intellectione aliorum. Verum hæc non eſt argumentatio Ariſt. eo in loco, dicunt iſti, neque ſcopus Ariſt. eſt ille, quem ſibi formauit Auer. ſed ſcopus Ariſtot. eſt, probare, quòd intellectus potentialis, ſiue poſſibilis, eſt pura potentia, & indeterminatus, ita quod nullam determinatam naturam habet, vt poſtea colligit tex. 5. deſcribendo ipſum. Voluerũt enim Alex. Aphrodiſ. & Caietanus in 3. de Anima, & alij eorum ſectatores, quòd Intellectus poſſibilis, nullam habeat naturam determinatam, ſed ſit pura potentia, vti volunt Thomiſtæ eſſe materiam primã; quòd probant à ſimili: quia ſicut ſi materia prima haberet aliquam determinatam formam, non poſſet recipere omnes alias formas, ita intellectus poſſibilis ſi haberet aliquam determinatam formam, & naturam, non poſſet intelligere omnia, quia illa formæ, & natura determinata impediret receptionem aliorum, & vitiaret iudicium illius. Quòd cõfirmant: quia ſicuti ſi oculus habeat colorem flauum in ſeipſo, omnia flaua iudicat, & lingua affectabilis amara, iudicat omnia amara, ita intellectus ſi haberet aliquam vnam determinatam naturam, non poſſet intelligere, nec iudicare alia, neque illa recipere. Ad propoſitum ergo volunt Ariſt. in illo 4. tex. probare Intellectum non eſſe alicuius determinatæ naturæ: ſed eſſe meram potentiam, vt poſſit recipere omnia intelligibilia; & cum probatur eſſe immixtum, dicunt debere intelligi duobus modis; Primo modo, quòd eſt immixtus ab intelligibilibus, quia non communicat cum rebus intelligibilibus in natura, & principijs, ex quibus ipſæ res conſtant, & hic ſenſus eſt is, quem ſignificauit Ariſt. in 3. de Anima, 3. textu, dum dixit intellectum debere eſſe impaſſibilem, paſſione ſcilicet corruptiua; ſecundo modo eſt immixtus: quia non communicat Intellectus cum rebus, nec ſimpliciter quantum ad conſtitutionem naturæ, ſed nec quantum ad rationem cognitionis, vt volebat Plato, qui ponebat Ideas, ſiue rationes cognoſcibilium in anima, & proinde volebat intellectum eſſe mixtum rebus intelligibilibus, & obiectis quantum ad Ideas, & quantum ad has rationes cognoſcibilium; quando ergo Ariſt. in 4. tex. concludit Intellectum eſſe immixtum, loquitur de hac ſecunda immixtione, ita quod vult, quod Intellectus ſit immixtus ab Ideis, id eſt non limitatus, nec determinatus per aliquam actualem ſimilitudinem, vel Ideam ſibi coniunctam, ſed eſt omnino pura potentia reſpectu obiectorum intelligibilium; & quoniam omnia intelligit, neceſſe eſt quòd ipſe in ſe ſit omninò indeterminatus, & nullam habeat determinatam naturã: quia illa determinatio ipſum impediret à receptione aliorum intelligibilium. Argumentum ergo eſt iſtud. Omnia intelligens patiendo, & recipiendo ſpecies debet eſſe immixtum, id eſt non limitatum per aliquam actualem ſimilitudinem ſibi coniunctam ad ea, quæ recipit, & intelligit, at intellectus intelligit omnia prædicto modo, ergo intellectus debet eſſe immixtus ab omnibus obiectis, ita vt nullam illorum obiectorum actualem ſimilitudinẽ in ſe contineat; Maiorem probat: quia alienum iuxtà apparens prohibet, atque ſeiungit; cuius propoſitionis ſenſus eſt: quandocumque aliqua facultas eſt intrinſecè determinata, eſt impedita à receptione alieni; Maior ergo probatur ſic. Facultas intrinſecè determinata, eſt impedita à receptione alieni, intellectus intelligit omnia, ergo intellectus debet eſſe immixtus ab omnibus, id eſt non debet eſſe determinatè aliquid, ſed eſſet indeterminatus in ſe, & eſſet indeterminatè, & potentia omnia. Hæc opinio eſt ſubtilis, & ingenioſa, (& vno excepto) vera mihi videtur. Illud quidem certum eſt, quòd propoſitio allata: Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, in ſenſu, quo illam intellexit Auer. non habetur ab Ariſtotele in illo 4. textu 3. de Anima, neque eſt vera, vt infrà patebit: tamen in vero ſenſu non poteſt negari quin ſit Ariſtotelis, & non deducatur ex eo textu 4. Similiter certiſſimum eſt, quòd Ariſtoteles in 4. textu, non loquitur de immixtione intellectus à corpore, vt voluit Auer.

Argumenti.

ſed

ſed loquitur de immixtione ab obiecto, vt aliàs dixi, & infrà patebit. Tamen illud mihi probari non poteſt, quod aſſerunt Ariſtotel. in illo 4. textu probare intellectum eſſe puram potentiam, & nullam habere determinatam naturam, niſi hæc propoſitio reducatur ad bonum ſenſum; nam iſta propoſitio poteſt duobus modis intelligi; Vno modo, quòd intellectus eſſentia non ſit ſubſtantia aliqua vna determinata in genere entium, ſed ſit pura poteſtas. Secundo modo, quod in genere entis, & ſubſtantiæ, ſit determinata quædam natura, tamen non habeat in ſe vllo modo aliquod obiectum, nec materialiter, nec ſpiritualiter, ſed ſit merè in potentia ad omnia illa; Hic ſecundus ſenſus eſt verus, vt infrà patebit; & ſi hoc modo ipſi intelligerent, eſſemus concordes; & hunc ſenſum videntur amplecti aliqui: nam ad illud argumentum, quod afferri ſolet contra hanc poſitionem, ſcilicet, quòd intellectus eſt facultas vnius formæ, omnis forma eſt actu, ergo eſt determinatus, & non eſt pura potentia; Reſpondent, quod intellectus duobus modis poteſt conſiderari, ſcilicet, ſubiectiuè, & obiectiuè; eſt determinatus ſubiectiuè, ſed eſt indeterminatus obiectiuè. Ex qua reſponſione videntur velle, quod ipſa potentia ſit eſſentia, & ſubſtantia quædam determinata in ſe, tamen ratione obiectorum ſit indeterminata, vt quę nullum obiectum habeat actu in ſe materialiter, nec ſpiritualiter, per quod determinetur. Tamen ipſi accipiunt primum ſenſum; Quæ fuit opinio Alexandri Aphrodiſæi, qui 1. libro ſuo de Anima, cap. de Intellectu ſpeculatiuo, & 2. libro cap. de Intellectu materiali, conſiderans id, quod ab Ariſtotele dicitur in textu 14. 3. libri de Anima. Intellectum eſſe vt tabellam raſam, in qua nihil eſt deſcriptum; inquit melius fortaſſe comparari priuationi inſcriptionis, quam tabellæ nondum ſcriptæ: tabella enim eſt in numero eorum, quæ ſunt actu: at intellectus eſt mera poteſtas; Ex quo loco patet Alexandrum apertè voluiſſe Intellectum non eſſe formam ſubſtantialem aliquam, ſed ſolum promptitudinem, ſiue præparationem, & poteſtatem ipſius animæ recipiendi intelligibilia; Quam opinionem defendere volentes ſectatores Alexādri ab obiectionibus Auerrois, quarum præcipua eſt, quia Ariſtoteles in 3. libro agit de Intellectu, qui eſt ſubſtantia, reſpondent hoc eſſe falſum: ſed Ariſtotelem loqui in 3. de potentia animæ rationalis, non de ipſa anima rationali, quæ eſt forma hominis, & ideo in 4. textu cum concludit Ariſtotel. Intellectum eſſe immixtum, loqui volunt de potentia animæ, non de forma; & denique in 5. textu cum definit Intellectum eſſe poteſtatem, ſimiliter volunt eum definire potentiam, non eſſentiam, neque aliquam formam ſubſtantialem. Verum hoc nunquam mihi placere potuit; Primo: quia concedo quod agat Ariſtoteles in 3. libro de Anima, de potentia animæ, quæ eſt Intellectus, ſed nō ſequitur propter hoc eum non agere de ſubſtantia, & forma hominis: quia vt dixi in Theoremate de Diſtinctione potentiarum, potentiæ animæ non ſunt accidētia, vt voluerunt D. Thom. Zabarella, & alij: ſed ſunt ſubſtantiæ: ideò Intellectus quoque licet ſit potentia, tamen eſt etiam formaliter ſubſtantia, & forma ſubſtantialis hominis, ergo non eſt pura potentia in genere entis, ſed eſt determinata forma ſubſtantialis. Confirmatur: quia potentia duobus modis poteſt accipi; Vno modo pro carentia alicuius formæ aptæ natæ, vt eſt potentia materiæ primæ; Alio modo accipitur potentia pro virtute, & facultate, ſiue principio actiuo productiuo alicuius operationis, quomodo loquitur Ariſtoteles de potentia 9. Metaphyſ. loquendo de potentijs actiuis, & paſſiuis; ad propoſitum cum Alexandræi dicunt Intellectum eſſe puram potentiam, videntur accipere primum ſenſum, ita quod intellectus, & potentiæ animæ, ſint tantum quædā promptitudines, & carētiæ formarum recipiendarum; at hoc eſt falſum: quia potentiæ animæ non ſolum ſunt paſſiuæ, ſed etiam principaliter ſunt actiuæ, quia ſunt principia productiua ſuarum operationum, vt patet de ſenſitiuis potētijs, vt etiam de Intellectu, vt oſtendimus in Theoremate de Munerib. Intellectus, reijciendo opinionem Diui Thomæ, & aliorum, volentium Intellectum concur-

Rejc. 1. rō. · Thē. 74. · 2. rō. · The. 78.

rere paſſiuè , obiectum verò ſolum actiuè , ergo Intellectus non eſt pura potentia ; & penitus indeterminatus in genere entis: ſed ad minus , niſi velint fateri eſſe ſubſtantiam, vt nos dicimus, erit accidens quoddam determinatum. Probatur Conſequentia, quia pura potentia, & ens in ſe indeterminatum , non poteſt eſſe principium determinatæ operationis : Intellectus autem eſt principium determinatæ operationis, ergo eſt determinata forma .

3. Tertio poteſtas pura, vt eſt Intellectus, de mente iſtorum, non patitur , neque recipit, ſed eſt ratio recipiendi, & patiendi , quemadmodum etiam id , quod recipit materiales formas , non eſt potentia primæ materiæ, ſed materia ipſa , potentia verò exiſtens in materia, eſt ratio ipſi materiæ recipiendi: at Ariſtoteles 3. de Anima, ait hanc potentiam , ſcilicet Intellectum recipere, & pati, non autem eſſe rationem recipiendi , & patiendi, ergo illa potentia Intellectus non eſt pura potentia indeterminata in genere entis, quædã entitas poſitiua determinata in ſe, exiſtens tamen potentia ad recipiendum omnia intelligibilia , & denique eſt ipſamet ani-

4. ma intellectiua. Quarto Ariſtoteles 3. de Anima, tex. 8. & 18. ait Intellectum intelligendo fieri omnia: at aptitudo recipiendi non dicitur fieri aliquid , ſed ſubiectũ potens, & aptum fit illud, quod recipit: ſic etiam potentia primæ materiæ non dicitur fieri lapis, vel homo, ſed eſt materia , quæ per receptionem formarum diuerſa-

5. rum dicitur fieri hoc, vel illud. Quinto Ariſtoteles 4. textu arguit ex auctoritate Anaxagoræ, Mentem debere eſſe immixtã: in hoc enim laudat Ariſtoteles Anaxagoram, ergo accipit Mentem debere eſſe ſimilem Menti , quam ponebat Anaxagoras eſſe ſecretam à Chao: at hæc non erat pura præparatio, ſed eſsentia , & forma formarum, ergo hæc Mens, quæ imixta ſtatuitur ab Ariſtotele, vt volebat Anaxagoras, non eſt immixta, id eſt indeterminata in genere entis , ita quod non ſit aliqua forma, vel eſsentia determinata in ſe, vt colligunt Aduerſarij: ſed eſt eſſentia ſegregata ab omnibus obiectis; Cõcluditur ergo, Intellectum eſse formam quandam vnius determinatæ naturæ, potentem recipere omnia intelligibilia . Plurima alia adduci poſſent, ſed hæc ſatis ſint .

Adrõnes p opin.

Ad rationes pro opinione, dico, quod concludunt potentiam intellectiuam non includere in ſe aliquod obiectum externum: quia tunc illud impediret, & vitiaret iudicium: ſed non concludunt potentiam eſse omninò purum nihil ; nam aer recipiens perſpicuum , non eſt in ſe purum non ens , ſed eſt quædam ſpecies entis determinata, ſcilicet, aer, & oculus recipiens flauum colorem, non eſt nihil, ſed aliquid; & materia prima recipiens formas, non eſt nihil, ſed aliquid determinatum in generatione entis , eſt enim ſubſtantia ingenerabilis, & æterna : ideo etiã Intellectus recipieus intelligibilia, eſt aliquid in ſe determinatum in generatione entis, exiſtens tamen in potentia ad recipiendus formas. Concludimus ergo, Intellectũ eſse puram potentiam ratione obiectorum intelligibilium , non autem eſse in ratione entis puram potentiam, atque in hoc ſenſu elici ex Ariſtotele in illo 4. textu, 3. de Anima, ex eiuſdem rationibus apertè colligitur .

Conc. princ.

Quomodo allata propoſitio intelligatur, opinio Auerrois, & eiuſdem confutatio . Caput II.

NVnc de veritate propoſitionis ſuper eſt diſſerendum. Primo loco occurrit Auerroes, qui multis in locis gloſſat hanc propoſitionem , ſed præſertim 2. Cæli, Com. 67. & 2. de Anima, Com. 67. præcipuè tamen eam pertractat 3. lib. de Anima, textu 4. & ibi eam declarat, & probat; Ait ergo, vt videre eſt apud eum clarè, & omnes ei tribuunt, vt Zimara, Theorem. 83. Mercenarius , Piccolomineus & alij pertractantes hanc propoſitionem, quod propoſitio allata eſt intelligenda ſic . Quod omne recipiens debet eſſe denudatũ à natura recepti, ſecundũ ſpeciẽ , non ſecundũ genus , maximè remotum , Adiungit Auer. in 2. de Anima, textu 67. vt notat Zimara , in citato Theoremate , quod hæc propoſitio eſt vniuerſaliter vera, tam in receptione materiali , quàm in receptione ſpirituali, ita quod recipiens

aliquid

aliquid ſpiritualiter, vt oculus colorem, debet eſse denudatum à natura illius recepti ſpiritualiter, ſecundum ſpeciem, non autem ſecundum genus, & maximè remotum, vt oculus non debet carere natura lucidi, ſed natura coloris. Recipiens etiam aliquid materialiter, debet eſse denudatum à natura recepti materialiter, ſecundum ſpeciem, non autem ſecundũ genus, & maximè remotum, ita quod recipiens non ſit ſubſtantia recepti in ſpecie, vt materia prima recipiens formam aquæ, non debet eſse forma, & ſubſtantia aquæ. Iuxta hunc ſenſum idem Auerroes 3. Cæli, & mundi Comment. 67. dicit, quod ſi ſit aliquid recipiens omnes formas, oportet abſolutè, & ſimpliciter illud ſubiectum eſse denudatum ab omni forma, ita, quod non ſit aliqua illarum, nec habens aliquod ex illis formis, quas recipit ſibi proprium: ſed eſt indifferenter ſe habens ad omnes formas, & hoc modo ſe habet materia prima reſpectu formarum materialium in receptione materiali, & Intellectus poſſibilis eodem modo ſe habere debet in receptione ſpirituali intelligibilium; Si verò ſubiectum non ſit receptiuum omnium obiectorum, ſed tantummodo aliquorum, non debet eſſe denudatum ab omnibus ſecundum ſpeciem, ſed tantummodo ab illis obiectis, quæ recipit: & hoc modo Elementa non debent carere proprijs formis: quia non ſunt receptiua illarum, ſed formarum mixtorum; ſunt enim Elementa ſubiectum ſecundarium. Notandum eſt inſuper, quod cum in propoſitione iſta dicitur, quod recipiens debet eſse denudatum à natura recepti, ibi per naturam recepti, ſecundum ſpeciem intelligitur natura & eſsentia materialis, non ſpiritualis, ita quod ſenſus eſt, quod omne recipiens non debet communicare in natura, & eſsẽtia ſpecifica materiali illius quòd recipit, ſed debet eſse denudatum à natura ſpecifica materiali, & reali illius; & hoc verum eſt, tam in receptione materiali, quàm ſpirituali: ſi enim recipiens recipiat aliquid materialiter, vt materia prima, formaliter debet eſse denudatum à natura illa materiali, ſecundum eſse materiale, & ſubſtantiale ſpecificum; Si etiam recipiat illud ſpiritualiter, vt oculus colorem, debet etiam eſse denudatum à natura materiali, & ſpecifica ipſius coloris. Vnde oculus non eſt materialiter coloratus, alioquin ſecundum Auerroem, oculus non poſset recipere ſpeciem coloris, quæ ſpecies eſt ſpiritualis. Hunc ſenſum tribuit Auerroi Mercenarius, & reuera colligitur ex dictis Auerrois, ex hoc enim deducit, Intellectum eſſe immixtum ab eſse materiali rerum materialium: quia omnes res materiales intelligit, ergo debet eſse denudatus ab illis ſecundum eſse ſpecificum materiale, & proinde in ſe non poteſt eſse aliqua forma materialis. Ratio Auerrois pro hac ſua opinione habetur tex. illo quarto, in 3. de Anima, quæ eſt: Si recipiens non eſſet denudatum à natura ſpecifica recepti, ſequeretur, quod idem reciperet ſeipſum, & quòd idem eſset mouens, & motum, quod eſt apertè falſum; Conſequentia probatur: quia quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, quidquid per ſe conuenit vni, conuenit quoque alteri, & ideo ſi fuerint duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quorum vnũ eſset recipiens, alterum pariformiter poſſet recipere ſeipſum; Hoc modo format hanc rationẽ Zimara ex Auerroe, Theoremate illo 83. Sequeretur etiam, quod idem eſset mouens, & motum, & conſequenter in actu, & in potentia.

Nota-ndum. (left margin)

Ratio Auerrois. (right margin)

Hæc expoſitio Auerrois patitur magnas difficultates; & Primo, quantum ad receptionem materialem. Scotus 2. Sent. diſtinct. 15. quæſtione vnica, §. Hic eſt vna opinio Auicennæ, &c. aduerſus eam ita arguit. Si gloſsa hæc Auerrois valeret, ſcilicet, quod recipiens materialiter aliquid, debeat eſse denudatum à natura ſpecifica recepti, ſequeretur, quod materia prima exiſtens ſub forma aquæ, poſſet recipere formam ignis; Conſequens eſt impoſſibile: quia forma ignis, & forma aquæ, ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto; Conſequentia eſt euidens: quia tunc materia eſt denudata à natura ſpecifica ignis. Hoc argumentum facit Auerroes contra ſe, 3. Cæli, & mundi, Com. 67. Sed illud ſoluit ſic: Quod formæ Elementares licet ſint diuerſæ ſpeciei, tamen ſunt eiuſdem ordinis in ſubſtantialitate:

Reijc. *1. rõ. Scoti.* *Reſp. Aue.* (right margin)

hoc modo vero differunt à formis mixtorum, ideo non poteſt vna forma Elemẽtalis recipi in ſubiecto,& materia,niſi materia denudetur à forma alterius Elementi: quia ſunt quaſi eiuſdem ſpeciei ; Vnde propoſitio allata debet intelligi, quòd recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, ſecundum ſpeciem, vel ſecundum genus proximum, non ſecundum genus remotum. Vnde materia habens formam Elementi, poteſt recipere ſimul formam mixti, nec debet denudari à forma Elementi,vt recipiat formam mixti: quia formæ Elementorum, & formæ mixtorum non ſunt eiuſdem ſpeciei,neque etiam eiuſdem ordinis in ſubſtantialitate, ſiue eiuſdem generis,& proximi in ſubſtantialitate:ſed tantum ſunt eiuſdem generis remoti. Contra hanc reſponſionem arguit Scotus ſic. Si hæc reſponſio valet, ſequitur,quòd lapis exiſtens lapis, poſſit recipere animam intellectiuam, nihil amplius dicit Scotus. Sed declaratur ratio: quia reſponſio aſſerit, quod recipiens debet eſſe denudatum à natura ſpecifica recepti, & à genere proximo, non à genere remoto. Scotus arguit contra; Lapis exiſtens lapis, eſt denudatus à natura ſpecifica, & à genere proximo animæ rationalis, vt patet: conueniunt enim ſolum in genere remoto, vt in ſubſtantia, ergo. Conſequentia valet, quod lapis poterit recipere animam Intellectiuam, hæc ratio eſt efficaciſſima, & concludit: nam ſi Elementum poteſt recipere formam mixti abſque corruptione propriæ formæ,quia forma Elementi, & forma mixtorum non conueniunt in genere proximo, ita lapis exiſtens lapis, abſque eo quod forma eius corrumpatur,poterit recipere animam Intellectiuam: quia non conueniunt in genere proximo,ſed remoto. Secundo. Aqua habens caliditatem remiſſam vt duo, poteſt recipere caliditatem intenſam,vt quattuor, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum caliditate remiſsa vt duo, ergo falſum eſt, quòd recipiens debeat eſse denudatum à natura ſpecifica. Tertio, ratio propter quam recipiens debet eſse denudatum à natura ſpecifica recepti, eſt:quia formæ ſpecificæ, & eiuſdem ſubſtantialitatis repugnant ſibi, & ſunt ſibi incompoſſibiles,vt dicit Com. 4. Cæli,& mundi textu 67. at formæ diuerſorum generum remotorum,etiam repugnant, & ſunt incompoſſibiles ſibi inuicem,vt forma ferri,& forma plantæ, in eodem ſubiecto, ergo cum ſit eadem ratio vtriuſque, recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, nedum ſecundum ſpeciem,ſed etiam ſecundum genus remotum.

Reijc. à Scoto. *1. ra.* *2. ra.* *3. ra.*

Quantum vero ad receptionem ſpiritualem, eſt falſa; quod probatur Primò: quia oculus ſuffuſus colore croceo, videt colorem croceum alterius icterici; hoc enim conſpicuum eſt: quoniam ſi duo accipiantur icterici, vnus videt colorem croceum alterius icterici, ergo habens aliquam naturam, & formam materialiter, poteſt recipere eandem ſecundum eſſe ſpirituale,& intentionale. Confirmatur: quia ſi accipiatur criſtallum affectum aliquo colore reali, vt colore viridi, illud criſtallum recipit colorem eiuſdem ſpeciei inexiſtentem alteri ſubiecto, vnde per illud criſtallum coloratum defertur ad oculum, vt patet inſpicienti per inſpicilia colorata, Inſuper ſi accipiatur criſtallum nullo colore affectum, recipit ſpeciem alterius criſtalli,vnde videns per inſpicilia, videt illud aliud criſtallum,ergo habens aliquam naturam ſpecificam materialiter, poteſt recipere eandem ſecundum eſſe intentionale, & ita redditur falſa illa expoſitio, quòd recipiens ſpiritualiter debeat eſſe denudatum à natura ſpecifica materiali illius recepti. Rationes pro Auerroe quomodo concludant, dicetur infrà c. 4.

Reijc. expoſitio Auerrois quoad receptionẽ ſpiritualem. *1. ra.* *2. ra.* *Rationes Auerrois ſoluuntur infra c. 4.*

Sententiæ aliorum adducuntur,& reijciuntur. Cap. III.

FRanciſcus Piccolomineus libro 1. de Humana mente,cap. 5. exponens intellectum propoſitionis allatæ, conſentit cum Auerroe,ſed magis rem explanat;inquit ergo, quod prædicta propoſitio eſt vera cum duplici limitatione. Prima eſt, quod eſt intelligenda de eo, quod ſe primo recipere debet, non de eo, quod per conſecutionem,& ex accidenti recipit. Altera limitatio eſt, quod recipiens debet

1.

eſse denudatum ſpecie, non genere, neque gradu, ab eo, quod recipere debet, (quid tamen intelligat, per gradum, non ſibi conſtat: quia parũ infrà colligit hanc Concluſionem; Recipiens vel realiter, vel ſpiritualiter, vel cum cognitione, vel ſine cognitione, debet in ſpecie, vel in gradu eſse realiter nudatum eo. Vbi videtur ſibi contradicere: nam ibi dicit, non debere eſſe nudatum genere, nec gradu, hic verò dicit, debere eſse nudatum ſpecie, & gradu. Propoſitionem ergo acceptã cum his duabus limitationibus inquit Piccolomineus eſse veram, tam de receptione reali, quàm intentionali, ſiue ſpirituali; Vnde profert tres Concluſiones. Primam. Recipiens aliquid realiter, debet realiter eſse nudatum eo, vt nec ſit id, nec id in ſe habeat. Hoc probat exemplo de materia, & loco. Secũda eſt Cõcluſio. Eſse ſpirituale exiſtens in aliquo, nec impedit, nec prodeſt, pro receptione ſimilis. Tertia. Recipiens aliquod ſpiritualiter, neque eſt, neque includit realiter id, quod eſt recipiendum; & in hoc ſenſu ait Ariſtot. hanc propoſitionem accepiſse in 3. de Anima, textu 5. Fundamentum eſt eadem ratio Auerrois, ne ſcilicet idem agat in ſeipſum, & ſit agens, & patiens.

1. Concluſ. 2. 3.

Reijciuntur cõcluſ. Hæc opinio cum ſit eadem cum opinione Auerrois, paulò amplius declarata, per eaſdem rationes reijcitur, per quas reijcitur ſententia Auerrois: & primo quidem loquendo de receptione reali, falſa eſt Prima concluſio Piccolominei, propter rationes adductas ſuprà contra Auerroem ſequeretur enim, quòd lapis exiſtens lapis, poſſet recipere animam intellectiuam: & ferrum exiſtens ferrum, formam plantæ: quia lapis, & ferrum, nudata ſunt à ſpecifica natura animæ rationalis, & formæ plantæ, non genere remoto. Tertia Concluſio quoque eſt falſa, ſcilicet in receptione ſpirituali: quia tunc anima rationalis non poſſet intelligere ſeipſam, quia eſt ipſamet nedum ſpecie, ſed numero realiter, quod eſt aperte falſum, vt patet: at reſpondet huic rationi, & cum eo Mercenarius in ſuis Dilucidationibus, per primam limitationem regulæ, eſt enim vera de eo, quod per ſe primo recipitur in anima, non de eo, quod recipitur conſequenter, & ex accidenti: anima autem non recipit ſpeciem ſui per ſe primo, ſed ſecundario, & ex accidenti: quia intelligit ſe per ſpecies aliorum; At hæc reſponſio eſt nulla; & probatur ex fundamento regulæ aſſignato quoque ab eo, nam ideo recipiens poteſt recipere aliquid quia eſt denudatum ab eo, & eſt in potentia ad illud: at potentia receptiua eſt denudata nedum ab eo, quod primo recipit per ſe primo, ſed etiam ab eo, quod recipit ex conſequentia, niſi enim eſſet eo denudata, non poſſet illud percipere, nec primo, nec ex conſequenti, ſiue ex accidenti, quia eadem eſt ratio vtrinque. Præterea, quod recipitur ex conſequenti mouet potentiam, & agit in ipſam, non primo, ſed ex conſequenti, ergo ſi eſſet idem quòd potentia, & facultas, idem eſſet mouens, & motum, ſi non in his, quæ primo ſe mouent, ſaltem in his, quæ ſecundariò, & ex accidenti mouentur: hoc autem non minus repugnat, quàm primum: nam quòd eſt idem alicui, non poteſt recipi in illo, quia recipiens tunc non eſſet in potentia reſpectu illius: ſed in actu, implicat autem dicere, quod idem ſit in potentia, & in actu reſpectu eiuſdem ſimul, & ſemel; tertio, ratio Scoti, quam facit 1. Sẽtentiarum diſtinct. 3. quæſtione 8. ſoluendo tertium principale, eſt efficaciſſima; eſt autem hæc: Intellectus intelligit omne ens, ex Ariſtotele 3. de Anima, textu 4. ergo intellectus ſtante expoſitione Piccolominei erit nihil; Conſequentia eſt euidens: quia ſi anima eſset aliquid, eſset intelligibilis, quia eſse ens, eſt intelligibile, quia omne ens eſt intelligibile, & receptibile in Anima, at recipiens eſt denudatum à natura ſpecifica reali recepti, ergo anima eſset denudata à ſeipſa. Præterea dicunt, quod anima ad hoc vt per intellectionem recipiat omnia obiecta, neceſse eſt eſse denudatam à natura ſpecifica illorum tantum: at anima percipit obiecta non ſolum ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum genus proximum, & remotum, ergo potentia debet eſse denudata à natura recepti, etiam ſecundum genus, alioquin idem ſecundum genus eſset recipiens, & receptum, mouens, & motum,

Reijc. 1. 2. 3. 4.

quod eadem ratione implicat contradictionem; Exemplis declaratur Primò. Accipiatur idem oculus, & præter naturam affectus, vt colore flauo, ſecundum iſtos, non poterit recipere ſpeciem coloris flaui, extra ipſum poſiti: tamen experiẽtia oſtendit contrarium: nam ſi obijciatur color flauus oculo flauo, iudicabit de illo; quod patet: quia iudicabit de figura colorati, quænam ſit, modo figura eſt ſenſibile commune, quod non poteſt agere per ſe ſine actione ſenſibilis proprij, patitur ergo oculus flauus à colore flauo; deinde oculus naturaliter affectus eſt aquea perſpicuitate, & tamen percipimus perſpicuitatem aqueam, videmus enim aquam eſſe tranſparentem. Idem patet in alijs ſenſibus, vt febricitans qui habet linguã amaram, propter bilem in ea aſperſam, percipit amaritudinem externam, vt pharmaci: ergo falſa eſt hæc propoſitio, quod recipiens aliquid ſpiritualiter, debeat eſſe denudatum eo realiter.

Reſp. Picc. At reſpondet Piccolomineus, quòd color ille flauus præter naturam receptus in oculo, & humor bilioſus in lingua ſunt alieni ab organis guſtus, & viſus, & ideo, vt aliena percipi. Contra aſſerit Piccolomineus, quod iſta propoſitio eſt vera hoc modo, quod recipiens non eſt id, neque habet id, quod recipit ad propoſitum; Verum eſt quidem, quod organum oculi non eſt color flauus, neque *reÿc.* organum guſtus eſt bilis, neque illa qualitas amaritudo, tamen non ob hoc ſequitur, quod oculus & guſtus non habeant in ſe colorem flauũ, & bilem, ideo niſi hoc melius declaretur, argumentum ſtat in ſuo robore: quia organum oculi, & organum guſtus, non ſunt denudata realiter ab illis Qualitatibus; & denique argumentum vltimum ſumptum à perſpicuitate oculi, concludit: nam organum oculi, eſt naturaliter perſpicuum perſpicuitate aquea, & tamen percipit ſpeciem perſpicuitatis aqueæ, ergo falſa eſt iſta propoſitio, quod recipiens aliquid ſpiritualiter, debeat eſſe denudatum realiter à natura illius recepti.

Gandauenſis ſuper 3. de Anima, quæſtione 4. propoſitam propoſitionem dicit eſſe veram, ſub hac tamen diſtinctione; Aliquid dicitur eſſe ab alio denudatum dupliciter; Vno modo ſecundum exiſtentiam: ſicut dicimus, quod Socrates eſt ſeparatus à Platone, & vniuerſaliter quæcumque quorum vnum eſt internum alteri, ſecundum exiſtentiam. Alio modo aliquid dicitur denudatum ab alio ſecundum eſſentiam, vt cum vnum non includit aliud in ſua eſſentia, ſicut dicimus materiam eſſe denudatam forma, ſecundum eſſentiam, tunc inquit, quod adducta propoſitio eſt vera in ſecundo ſenſu, non in primo, ita quod ſenſus propoſitionis eſt, quod omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, ſecundum eſſentiam: quod facit hunc ſenſum; Recipiens non eſt idem eſſentialiter cum natura recepti; in primo verò ſenſu eſt falſa: quia non eſt neceſſe, quod recipiens ſit denudatum à natura recepti ſecundum exiſtẽtiam; probat: quia oculus recipit colores, & tamen oculus non eſt denudatus à colore ſecundum eſſe, quod autem oculus ſit coloratus, probatur ex Ariſtot. in libro de Senſu, & ſenſibili, vbi inquit, quod omnia corpora colore participant; vnde cum oculus corpus ſit, ſequitur quoque ipſum eſſe coloratum: ſed tamen: quia ſecundum eſſentiam non eſt coloratus, ſed ſolum ſecundum exiſtentiam, quia oculus non eſt eiuſdem ſpeciei cum colore, ideo poteſt recipere colores. Pro hac eadem adducitur ratio ex Senſu tactus; Senſus enim tactus recipit tangibiles qualitates, & tamen non eſt denudatus à tangibilibus Qualitatibus ſecundum exiſtentiam; quia Senſus tactus conſiſtit in quadam mediocritate primarum qualitatum, ex Ariſt. 2. de Anima, in tractau de Tactu. *1. rõ.* *2.*

Verum hæc opinio Gandauenſis, quo ad primam partem, qua conuenit cum Auerroe, ſcilicet, quod recipiens debeat eſſe denudatum à natura recepti ſecundum eſſentiam, reijcitur per rationes factas contra Auerroem; Quo ad ſecundam partem quoque eſt falſa: & iure reijcitur à Zimara citato Theoremate 83. & à Mercenario in ſuis Dilucidationibus; quia Ariſt. propoſitionis intellectus eſt, quod recipiens ſit denudatum à natura recepti dupliciter; Primò, quod ſit denuda-

tum

tum ſecũdum eſſentiam,& ſubſtantiam, ita vt ſubſtantia recipiens, non ſit ſubſtantia recepti; Secundò, quod ſit denudatum quo ad eſſe, ſiue quo ad exiſtentiam, ita, quod recipiens in ſe non habeat receptũ, alioquin Ariſtot. non concluderet in illo 4.tex.3.de Anima, Intellectum eſſe denudatum à natura recepti ſecundum exiſtẽtiam, ſed ſolum ſecundum eſſentiam: at concludit Intellectum non ſolum non eſſe idem ſpecie cum intelligibilibus, ſed neque continere in ſeipſa intelligibilia ſecundum eſſe, ſiue ſecundum exiſtere; Vnde in 5.textu deducit, Intellectum nihil eſſe actu eorum, quæ ſunt ante intelligere. Cõfirmatur: quia Ariſt. propoſitio, *Intus enim apparens prohibet extraneũ*: quæ eſt probatio illius propoſitionis: Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, eſt vera, ſiue intelligatur primo, ſiue ſecundo modo: intus enim apparens, ſiue ſecundum eſſentiam, ſiue ſecundum exiſtentiam, prohibet extraneum, vt patet de amaritudine exiſtente ex bili in lingua, & de flauo colore in oculo icterici; ergo hæc expoſitio non eſt bona. Ad rationes patebit vltimo cap. in fine.

Cõfirmatio

Caie. Quidam alij dicunt, quod hæc propoſitio eſt intelligenda, ita, quod recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, tamquam a ratione recipiendi: vnde conueniunt iſti cum Gandauenſe, quod recipiens non debeat eſſe denudatum à natura recepti ſecundum exiſtentiam, ſed addunt, quod natura illa inexiſtens non ſit tamquam ratio recipiendi: quia tunc à tali debet eſſe denudatum. Verum hæc opinio iure reijcitur à Mercenario: quia non eſt de intentione Ariſt. quoniã tunc ex demonſtratione facta textu 4. Ariſtot. non concluderet Intellectum debere eſſe denudatum ab omnibus intelligibilibus ſecundum exiſtentiam, ſed ſolum tamquam à ratione recipiendi; Conſequentia eſt euidens: quia illa Concluſio deducitur ex virtute huius propoſitionis: Omne recipiens debet eſſe denudatũ à natura recepti. Si itaque iſta propoſitio non intelligitur quo ad exiſtentiam, ſed quo ad rationem recipiendi, etiam ſolum concludet Intellectum ab omnibus intelligibilibus denudatum eſſe, ſed ſolum tamquam à ratione recipiendi; Conſequens autem eſt falſum: quia tex.5.concludit ex dictis, quod Intellectus nihil eſt actu eorum quæ ſunt, antequam intelligat: ſed eſt potentia omnia.

reijc.

Exponitur opinio Scoti; & rationes in oppoſitum ſoluuntur. Cap. IV.

HAnc propoſitionem perpendit Scotus 2.Sentent. diſtinctione 2. quæſt. 8. ſoluendo tertium argumentum principale; Et quia hæc propoſitio: Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo in communi, vt ſe extendit ad receptionem realem, & intentionalẽ, ſed quæ fit ſine cognitione, vt receptio luminis in perſpicuo; Secundo modo in ſpeciali, & contractè, vt ſe extendit ad receptionem ſpiritualem, quæ fit cum cognitione; Scotus eam conſiderat tantum, quatenus eſt contracta ad receptionem per cognitionem factam, & proinde conſiderat, quomodo veritatem habeat in potentijs cognoſcitiuis, vt ſunt Senſus, & Intellectus, quæ cognoſcunt per receptionem ſpecierum ſpiritualium ſuorum obiectorum; Ex quo ſtatim apparet, quàm inconſultè, & incautè Franciſcus Piccolomineus, lib.1. de Humana mente, cap. 4. & 5. legerit Scotum: quippè qui Scoto tribuit, quod in eo loco afferat hanc propoſitionem: Omne recipiens, &c. verificari tantum de potentijs organicis, & materiatis, non de Mente, ſiuè Intellectu, neque in vniuerſali eſſe veram: patet enim legenti Scotum ibidem, hæc apud ipſum non reperiri: ſed Scotus oſtendit ſolum ſe velle conſiderare quam veritatem habeat hæc propoſitio in potentijs ſenſitiuis, & in Intellectu, non autem quomodo vniuerſaliter ſit vera; Tamen, quoniam vt dictum eſt, hæc propoſitio duobus modis conſiderari poteſt; Primo modo in vniuerſali, & in ſua maxima communitate, vt ſe extendit ad omne recipiens tam in eſſe reali, quàm intentionali; Alio modo poteſt conſiderari contractè, vt ſe extendit ad potentias cognoſcitiuas; Nos vtrumque ſenſum conſiderabimus. Accipiendo ergo propoſitionem in primo ſenſu,

Frãciſci Picc. calũnia ẽ Scotũ vindicatur

Duos ſẽſus habet propoſitio. 1. ſenſus explica-

tur, & ꝓbatur

ſenſu, eſt vniuerſaliter vera: ſcilicet, tam in receptione reali, quàm in receptione ſpirituali: ſed eſt intelligenda in hoc ſenſu, quod recipiens debet eſſe denudatum à natura reali recepti, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum exiſtentiam, adeo, quod eſſentialiter non debet eſſe idem cum recepto, nec includere receptum in ſeipſo.

Opin. Picc.

Fundamentum huius aſſertionis ex Franciſco Piccolomineo libro 1. de Humana mente, capite 5. deſumitur ex conditione agentis, & ex conditione recipientis; ex conditione agentis: quia nihil agit in ſemetipſum, ſed in contrarium priuatiuum; ex conditione verò recipientis: quia debet eſſe in potentia, & priuatum eo quod recipere debet: niſi enim recipiens eſſet priuatum eo, quod recipit, illud nunquam recipere poſſet. Verum iſta non ſufficiunt ad verificandum hanc propoſitionem: nam ſtant ſimul, quod Materia prima accepta vna forma, ſit denudata alia forma, & ſit in potentia ad illam, & tamen manente forma priori in materia, non poteſt recipere alias formas: manente enim forma aquæ in materia, materia eſt denudata forma ignis, & eſt in potentia ad illam, & tamen illam recipere non poteſt. Si itaque illa propoſitio eſt vera. Omne recipiens debet eſse denudatum à natura recepti, non pendet ſolum ex illo fundamento, ſed requiritur aliquid aliud.

2. rã.

Præterea, tunc probatio Ariſtotel. quæ dicit: Intus exiſtens prohibet extraneum, non eſſet ad propoſitum: ſed deberet dicere, Intus exiſtens prohibet recipi ſeipſum, quia iam tunc non eſſet in potentia ad ſeipſum, ſed eſset in actu.

Alexandreorum opin.

Aliqui Alexandræi dicunt, rationem regulæ eſſe: quia ſi quid per naturam vnum includit, definitum eſt ad illud, nec amplius eſt indifferens, vt lingua includens bilem, determinatur ad amaritudinem, & ideo cuncta iudicat amara;

Reijcitur.

Sed hæc expoſitio, & ratio, non eſt vera, nec Ariſtoteli conſona: quia Ariſtotel. non dicit, quod intus apparens potentiam illam contrahat ad vnam partem, & auferat eius indifferentiam: ſed quod prohibet alienum. Præterea, vt 1. capite latè probatum eſt, neceſſe eſt, quod potentia receptiua ſit determinatæ naturæ, ad hoc, vt recipere poſſit, alioquin eſſet nihil, & pura potentia, quæ nihil recipere poſſet.

Opin. Autoris.

Eſt itaque dicendum, quod propoſitio iſta fundatur ſuper duplex principium.

Primum eſt illud, quod aſſignauit Piccolomineus, ſcilicet, natura agentis, & natura recipientis, quia enim nihil agit in ſeipſum, neque recipit ſeipſum; item nihil recipit id, quod iam habet, ſed id quod eſt in potentia: hinc oritur, quod debet eſſe denudatum ab illo, quod recipit, ſecundum eſſentiam, & ſecundum exiſtentiam.

Secundum fundamentum.

Secundum fundamentum eſt: quia duæ formæ, vel numero, vel ſpecie, vel genere diſtinctæ, non poſsunt recipi in eodem ſubiecto numero ſimul, & ſemel, propter formalem incompoſſibilitatem, repugnat enim duas animas numero diſtinctas, eſſe in eodem corpore numero, & vniuerſaliter vnicuique formæ reſpondet determinatum ſubiectum: ideo dum materia prima eſt actu ſub forma ignis, non poteſt eſſe ſub formæ aquæ: & dum eſt ſub hac forma aquæ, non eſt ſub alia forma aquæ; & virtute huius principij valet probatio Ariſtotel. Intus enim exiſtens, prohibet extraneum; Cum enim aliqua forma recepta eſt in materia, ſiue ſit recepta naturaliter, ita quod ſit idem cum recipiente, ſiuè extrinſecè inhærent, illa impedit aliarum receptionem, Vnde ſenſus eſt. Omne recipiens plura, realiter debet eſse denudatum ab eſſentia, & exiſtentia vniuſcuiuſque recepti: quia intus apparens prohibet extraneum, & obſtruit. Hinc eſt, quod illud quod eſt receptiuum aliquorum, debet eſſe denudatum ab illis omnibus, & ab vnoquoque illorum; Quod verò recipit omnia, debet eſſe denudatum ab omnibus receptibilibus, & à quolibet, vt poſſit illa omnia recipere, vt patet de materia prima, quæ cum ſit receptiua omnium, eſt denudata ab omnibus, & à qualibet forma.

Obiectio.

At quis obijcere poſset: dum materia eſt ſub forma Elementi, recipit formam mixti, ergo falſa eſt ſecunda propoſitio aſsumpta, quod duæ formæ diuerſæ ſpecie, vel genere, non poſſint eſ-

ſe in

Reſp. ſe in eodem recipiente numero ſimul, & ſemel. Reſpondeo, quod materia recipiens formam aquæ, & Elementi, non eſt idem recipiens, quod recipit formam mixti, forma enim mixti non inhæret immediatè materiæ primæ, ſed recipiens eius proximum, & immediatum eſt corpus Elementare, ideo non concludit: quia non eſt vnum recipiens, ſed duo diuerſa recipientia ſunt. De propoſitione in hoc ſenſu non eſt locutus Ariſtotel. 3. de Anima textu 4. & 2. de Anima, tex. 71. & 118. In receptione etiam ſpirituali idem euenit: quia aer ideo recipit colorem ſpiritualiter, quia aer non eſt coloratus realiter, neque ſecundum eſsentiam, neque ſecundum exiſtentiam.

Secũdus ſẽſus explicatur, & probatur Secundus ſenſus propoſitionis eſt, accipiendo propoſitionem contractè, vt ſolum ſe extendit ad receptionem ſpiritualem, quæ fit per cognitionem. Scotus itaque 2. Sentent. diſtinct. 3. quæſtione 8. ſoluendo tertium principale, aſserit intellectum verum huius propoſitionis in potentijs cognoſcitiuis eſse, quod recipiens debet carere ſuo obiecto ſecundum eſse materiale, & ſenſibile, & non tantum actu, ſed etiam potentia, ita, quod non ſit receptiuum illius ſecundum eſse materiale, nec actu, nec potentia. Ratio autem eſt: quia potentia receptiua per cognitionem recipit ſpecies ſpirituales obiectorum, non ipſa obiecta materialiter, vt patet de ſenſu, & intellectu; Ad hoc autem, vt poſſit recipere illas ſpecies ſpirituales, debet eſse ita diſpoſita, vt illas recipere valeat: at communiter quidquid eſt receptiuum formæ ſine materia, non eſt receptiuum formæ cum materia: quia oppoſitæ diſpoſitiones requiruntur in illis receptiuis: ideo quod recipit materialiter, non poteſt recipere ſpiritualiter; & quod recipit ſpiritualiter aliquid, non poteſt illud recipere materialiter, ſicut apparet de colore, cuius receptiuum ſecundum eſse materiale, eſt ſuperficies corporis terminati, receptiuum autem eius ſine materia, eſt corpus perſpicuum, ſiue non terminatum. Cum ergo ſenſus recipiat obiecta ſenſibilia ſine materia, & ſimiliter Intellectus, neceſse eſt quod Senſus, & Intellectus ſint denudati, & immixti ab eorum obiectis, ſecundum eſse materiale; Inſuper quia ſpecies ſenſibiles obiectorum ſine materia recipiuntur in organis ſenſuum, neceſse eſt quod organum ſenſus licet ſit in ſe materiale, nec actu, nec potentia ſit aptum natum recipere obiectum cum materia, ſed ſolum ſine materia. Verum quia organum cuiuslibet ſenſus eſt receptiuum aliquorum obiectorum ſecundum eſse materiale, habet aliquam determinatam naturam materialem, & corpoream: quod ſi organum ſenſus non eſset receptiuum alicuius obiecti ſecundum materiam, ſed omnia reciperet ſine materia, neceſsariò in ſe eſset immateriale, quia ſi eſset materiale, eſset alicuius determinatæ naturæ corporeæ, propter quam reciperet aliqua materialiter, & proinde non poſset recipere omnia materialia obiecta ſine materia: quia id quod reciperet cum materia, non poſset recipere ſine materia: quia requiritur oppoſita diſpoſitio in receptiuo rerum ſpiritualium, & in receptiuo rerum corporalium, & materialium. Ex hoc ſequitur propoſitum Philoſophi 3. de Anima, textu 5. quod Intellectus, quia intelligit omnia, ſit inorganicus ſi enim eſset organicus, organum eſset determinatæ naturæ corporeæ, & proinde reciperet aliqua cum materia, quæ autem reciperet cum materia, non poſset recipere ſine materia, & proinde illa non poſset intelligere. Quod ſi quis obijciat, Ariſtotel. in illo 4. textu 3. de Anima, aſſerere Intellectum eſse immixtum ab obiecto intelligibili, quo ad eſse ſpirituale; quia aduerſus Platonem tenet, quod Intellectus eſt denudatus formis, & Ideis rerum intelligibilium, cuius oppoſitum tenebat Plato. *Obiectio.* Reſpondeo hoc eſse falſum: quia eſse Spirituale, & Ideale, non impedit receptionem ſpiritualem aliarum rerum ſpiritualium: alioquin ſequeretur, quod quando Intellectus noſter habet vnam ſpeciem intelligibilem vnius obiecti, non poſset recipere aliam, quod manifeſtæ experientiæ aduerſatur. *Solu.* Sed rurſus aliquis alius obijciet. Senſus guſtus, ſiue organum eius, recipit ſapores materialiter, vt patet de febricitante recipiente atram bilem in lingua, & tamen *Alia obiec.*

recipit

recipit eandem ſpiritualiter, iudicat enim bilem eſſe amarã, immò omnia alia etiam iudicat amara. Reſpondet Scotus, quod Senſus tactus habet particularem difficultatem, in eo enim non eſt certum, quod recipiat ſimul cum materia, & ſine materia, & quia guſtus proximè accedit ad tactum, vti habet Ariſtotel. 2. de Anima, cap. de Senſu guſtus, & tactus, ideo hoc requirit particularem diſputationẽ; nihilominus dicendum eſt, quod neque etiam organum tactus recipit obiecta materialiter, vt dixi in theoremate de Speciebus sẽſibilibus, & intelligibilibus: quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem; quod eſt verum de omnibus ſenſibus, vt aliàs dicam. Dico ad argumentum, quod atra bilis ſecundum materiam, non inhæret organo guſtus, qui eſt infra carnem linguæ, quidquid illud ſit, ſed ſolum inhæret carni, ſpecies autem eius ſaporis, ſcilicet, amaritudinis, defertur ad organum guſtus, & deinde ſenſus guſtus iudicat; Similiter color flauus inhæret exteriori cuticulæ oculi, quæ non eſt organum, ſed organum eſt intra oculi cuticulam. Verum aliquis forſan dubitabit, quod opinio Scoti coincidat cum tertia aſſertione Franciſci Piccolominei, qui dicebat, quod recipiens debet eſſe denudatum à natura reali illius, quod recipit, ſpiritualiter: hoc autem videtur quoque dicere Scotus, dum aſſerit, recipiens non debere recipere obiectum materialiter, ſed eſſe immixtum ab illo. Sed eſt latum diſcrimen: nam Piccolomineus cum Auerroe, & plures alij, volunt, quod recipiens, in nullo eſſe reali, ſit tale in ſpecie, & in genere proximo, quale eſt receptum ſpiritualiter in ſuo eſſe reali, vnde limitant illam Regulam, quod intelligitur recipiens debere eſſe denudatum ſpecie, non genere: at Scotus non dicit hoc, immò habet totum oppoſitum: quia vult, quod recipiens ſpiritualiter, poſſit eſse tale, quale eſt receptum ſecundum eſſe reale, nedum ſpecie, & genere, ſed numero: vnde inquit, Intellectus poteſt intelligere ſe ſpiritualiter, & ſuos habitus, & quodcumque in ſe habet, & tamen non eſt denudatus à ſeipſo, nedum ſpecie, ſed neque etiam numero, vt patet, neque ab alijs ipſam informantibus, vt ab habitibus, ſed illos in ſe actu realiter habet, & tamen ſpiritualiter recipit. Item, poteſt Intellectus intelligere Intelligentias, & ſecundum Theologos, Anima ſeparata intelligit aliam animam ſeparatam, & tamen ſunt eiuſdem ſpeciei. Senſus ergo Scoti eſt, quod recipiens ſpiritualiter, non debet eſſe talis diſpoſitionis, quod poſſit recipere obiecta ſecundum ſuum eſſe materiale, & corporeum, ſed ſolum debet eſsc aptum natum recipere illud ſpiritualiter, ſiue poſtea in ſe recipiens quo ad eſſe reale ſit corporeum, vel idem ſpecie, vel genere, vel numero, cum recepto, quo ad eſſe reale. Hoc nihil refert, vt patet de organo ſenſuum, quod eſt materiale, & tamen recipit ſpirituales ſpecies; & ita ſenſus illius propoſitionis: Intellectus eſt immixtus ab intelligibilibus, eſt hic, quod Intellectus non recipit obiecta ſecundum eſſe materiale, neque illis ſe commiſcet, neque fit illa, quo ad eſse materiale, ſed ſolum illa recipit, & fit illa ſecundum eſſe ſpirituale. Hinc eſt, quod oculus licet ſit perſpicuitatis aqueæ, poteſt recipere ſpeciem perſpicuitatis aquæ: quia licet ſecundum eſſe reale ſit eiuſdem ſpeciei, non tamen eſt aptum natum recipere ipſam aquam, vel perſpicuitatem aquæ realiter. Ex his facile ſolui poſſunt quæcumque difficultates quæ in oppoſitum adduci poſsent.

Solu. (margin)

Differẽtia opin. Scoti ab alijs. (margin)

Quare oculus perſpicuus recipiat ſpeciẽ ſpiritualẽ perſpicuitatis aquæ. (margin)

Ad rationes pro Auerroe patet, quòd magis concludunt pro nobis, quàm pro ipſo; Si enim loquamur de receptione reali, concludunt, quòd recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, ſecundum eſſentiam, & ſecundum exiſtentiam, vt dictum eſt in hoc capite in principio: ſi enim recipiens contineret receptum ſecundum eſſentiam, & exiſtentiam, tunc verum eſset, quòd idem moueret, & moueretur, & quod idem reciperet ſeipſum; ſi verò loquamur de receptione ſpirituali, quæ fit per cognitionem, non eſt inconueniens, quod idem ſecundum eſse reale, recipiat ſeipſum ſecundum eſse intẽtionale, & ita diuerſo modo conſideratum, & actione æquiuoca agat in ſeipſum, & moueat ſe, ac moueatur.

Ad rõnes pro Auerroe. (margin)

Ad ra-

Ad 1. Gandauẽſis. Ad rationes Gandauenſis. Ad primam, negatur quod oculus ſit coloratus, Ad probationem dico cum Mercenario, quod color bifariam accipi poteſt; Primo modo latè, pro qualitates viſibili, vt etiam lucem comprehendit, & hoc modo oculus eſt coloratus, id eſt, lucidus; Alio modo color accipitur propriè pro mixtione reſultante ex lucido, cum opaco, & ſic falſum eſt, quod oculus ſit coloratus. Ariſtoteles loquitur de colore primo modo, non ſecundo modo.

Ad ſecundum Gandauenſis reſpondetur, quòd tactus conſiſtit in mediocritate qualitatum tangibilium, ideo hanc mediocritatem non percipit, ſed ſolum exceſſus, qualitatum tangibilium, & ab illis eſt denudatus.

TRA-

TRACTATVS DE FORMALITATIBVS.

EXPONITVR MENS; ET PROPOSITVM *Auctoris, & Tractatus. Caput Primum.*

EXtat Tractatus quidam in Schola Scotiſtarum, vulgo nuncupatus Tractatus Formalitatum; in quo quidem multa explicantur, & diſputantur, quæ ſunt ſcitu digna: ſed certè multa alia à quibuſdam his cõmiſcentur, quæ ego nunquam audire, nec probare potui, cum in ſeipſis intelligibilitatem, ne dicam veritatem vllam contineant, ſed ſunt commenta, & fictiones quorundam, qui doctrinam Scoti ſatis per ſe ſubtilem, & obſcuram, magis inuoluere voluerunt, & quod magis vrget, eſt, quod hæc pleno ore eſſe aſſerta Scoti tradunt, nec tamen vbi ea dicat Scotus, aſſignant, cum nec illa ſomniauerit Scotus. Propterea opere pretium eſſe duxi, ſi breuiter, quid in his Formalitatibus, rectè, & verè, & ad mentem Scoti diſputatur, ſeorſum ſegregauero, & clarius explicauero, reiectis his comentis, quæ doctrinam Scoti potius obliterant, quàm eam quid minimum iuuent. In primis hic magna eſt contentio de ſubiecto huius tractatus, & de definitione Formalitatis, quæ omnia vanitates ſunt. Vt igitur veritas cognoſcatur, breuiter eſt notandum, quod antiqua fuit diſputatio, & modo etiam viget inter Thomiſtas, Auerroiſtas, & quoſdam alios, ex vna parte, & Scotiſtas ex alia, de diſtinctione rerum inter ſe. Thomiſtæ, & alij volunt, quod omnis diſtinctio reducatur ad duo membra: ſcilicet, ad diſtinctionem rationis, & ad diſtinctionem realem: ita quod volunt, quod omnis res diſtinguatur ab alia realiter, vel ratione ſolum; Econuerſo volunt Scotiſtæ, quòd dentur plures diſtinctiones, quàm iſtæ duæ, & præſertim contendunt, quod detur quædam alia tertia diſtinctio, quæ dicitur diſtinctio formalis, quæ non eſt rationis, nec realis, ſed media, & proprio nomine dicitur formalis, & occaſio huius quęſtionis ortum habet ex Sacra Theologia, in Miſterio Trinitatis; nam cum perſona Diuina conſtituatur in eſſe ex eſſentia, & relatione, & eſſentia ſit communicabilis, & perſona incommunicabilis, non videtur poſſe ſaluari pluralitas perſonarum cum vnitate eſſentiæ, niſi ponatur aliqua diſtinctio inter eſſentiam, & relationem, quę conſtituit ſuppoſitum, & iſta diſtinctio præcedat operationem intellectus: quia eſſentia realiter eſt communicabilis, & perſona incommunicabilis ante quamcumque operationem intellectus, nec tamen dici poteſt eſſentiam, & relationem diſtingui realiter: quia Theologi non vtuntur hoc modo loquendi, quod eſſentia, & relatio, diſtinguantur realiter; & ſic Scotus adinuenit hunc medium modum, quod eſſentia, & relatio diſtinguantur formaliter. Thomiſtæ verò volunt, quod ſolum diſtinguantur ratione.

Opin. Thomiſtarũ de diſtinctione rerũ. Opin. Scotiſtarũ.

Ortum etiam habuit hæc quæſtio ex diſtinctione attributorum in Deo, contendentibus, ex vna parte Diuo Thoma & ſuis ſequacibus, quod diſtinguantur ſolum ratione; & ex altera parte Scoto, & ſuis ſequacibus, quod diſtinguantur non ſolum ratione, & per operationem noſtri intellectus, ſed ex parte rei; non tamen volunt, quod diſtinguantur realiter, & ſic adineniunt hanc diſtinctionem mediam, quę dicitur diſtinctio formalis. Ex his orta eſt diſputatio, an hæc diſtinctio formalis, quæ eſt media inter diſtinctionem realem, &

alem, & rationis, detur, nec ne; & hinc variæ rationes pro vna parte, & altera adductæ ſunt. Sed creſcentibus difficultatibus, factum eſt, vt Scotiſtæ multi à primo ſcopo deuiauerint, & interpoſuerint in hac quæſtione innumeras alias quæſtiones, quæ alijs in locis à Scoto pertractantur, & numerum diſtinctionum auxerint plus æquo. Ex hoc patet, quis ſit ſcopus Formalitatum, & quid Formalitatum tractatus contineat, & quid ſit ipſa Formalitas; nam ſcopus tractatus Formalitatum, eſt, probare dari diſtinctionem formalem. Vnde omnes formaliſtæ proponunt quæſtionem principalem, vt Antonius Sirectus, qui dicitur Magiſter Formalitatum, quem poſtea omnes fere alij ſequuti ſunt, eius quæſtionem exponendo, ſub hoc titulo.

Sco. p. tractatꝰ Formal.

Vtrum illa, quæ diſtinguuntur realiter, diſtinguantur formaliter; patet etiam ex hoc, quid ſit tractatus Formalitatum; eſt enim quæſtio in qua quæritur, an detur diſtinctio formalis diſtincta à diſtinctione reali, & à diſtinctione rationis. Ex quo patet, fruſtra illos laborare, qui dum quærunt ſubiectum huius tractatus, volunt hic reperire conditiones ſubiecti aſſignatas ab Ariſtotele, vt quod habeat principia, partes, &c. cum tale ſubiectum ſolum reperiatur in ſcientijs perfectis de aliqua re cognoſcenda, & ſcibili; hic verò pertractatur vnica quæſtio in qua nullum eſt ſubiectum propriè, & verè dictum, ſed ſcopus Auctoris mouentis illam pro ſubiecto, ſatis impropriè vſurpatur.

Rõ inſcriptionis

Cur vero inſcribatur hic tractatus de Formalitatibus, eſt aperiendum; Sciendũ eſt, quod hæc diſtinctio formalis, quam contendunt Scotiſtæ dari, non cadit inter rem, & rem, ſed inter realitatem, & realitatem, ſiue inter rem, & realitatem: appellamus autem rem omne ens reale, per ſe exiſtens in rerum natura, extra ſuas cauſas, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens, vt Socrates, Plato, hoc lignum, &c. realitas verò appellatur illud ens reale, quod eſt in rerum natura præter operationem intellectus, ſed non exiſtit per ſe ſeiunctum à ſubiecto, & loco ab alio, ſed exiſtit in aliqua re, aliquo tamen modo ex parte rei ſine operatione intellectus, diſtinctum à re cuius eſt, & ab alijs; vt anima eſt vna res, intellectus, & voluntas in anima, dicuntur realitates animę, ſunt enim entia realia præter opus rationis exiſtentia in anima, ſed non exiſtunt per ſe diſtinctæ loco, & ſubiecto ab anima, & à ſe inuicem, vt res, ſed exiſtunt ſimul in eadem re: tamen ex parte rei habent aliquam diſtinctionem, & conceptibilitatem ſine operatione intellectus, ab anima, & inter ſe. Aliud exemplum, vt in albedine color, & diſgregatiuum; Ad propoſitum, diſtinctio formalis non cadit inter rem, & rem, vt inter Socratem, & Socratem, & Socratem, & hoc lignum, & lignum, & album, ſed inter iſtas realitates, ſiue inter rem, & realitatem; dicunt enim Scotiſtæ, quod Intellectus & Voluntas in anima ſunt vna res, & ſunt idem realiter, tamen diſtinguuntur formaliter: quia ſunt diuerſæ formalitates. Sic attributa in Diuinis aiunt diſtingui formaliter, non realiter, quia ſunt vna res, ſcilicet Deus ipſe; tamen diſtinguuntur formaliter; ſic Eſſentia, & Relatio in Diuinis, non diſtinguuntur realiter, ſed formaliter; Hinc fit, quòd cum hęc diſtinctio formalis cadat inter has realitates, quæ dicuntur quoque formalitates, tractatus hic, & hæc quæſtio appellata eſt quæſtio de Formalitatibus, & ſic à ſubiecta materia, in qua fit hæc diſtinctio formalis, facta eſt hæc inſcriptio, & denominatio.

q̃d ſit form.

Iſtę realitates etiam dicuntur formalitates, non quia ſint formæ, vel à diuerſis formis: ſed quia ſunt quaſi diuerſæ formæ, vnde diminuunt à forma, & ſic diminutiuè dicuntur formalitates: intellectus enim, & voluntas in anima, color, & diſgregatiuum in albedine, non ſunt diuerſæ formæ, ſed ſunt quædam entitates, ex natura rei diuerſæ præter operationes intellectus, vnde illis competunt diuerſæ rationes, ſub quibus concipiuntur ex parte rei, & propter hoc ab aliquibus dum formalitatis definitio aſſignatur, dicitur, quod eſt ratio conceptibilis præter operationem intellectus. Ex his clarè vt puto, patet, quid contineat iſte tractatus, & circa quæ verſaturi ſimus; patet etiam, quomodo multi hic inutilia permiſceant, & nullo modo ad rem pertinentia; nos tamen

tamen

men omnia tangemus, ſed breuiter, & quod erit explicandum, explicabimus, quod vero non, omittemus, & notabimus; Nunc vero rem ipſam aggrediamur.

Rationes pro opinione aduerſariorum adducuntur. Cap. II.

PRimo loco opus eſt rationes, & fundamenta adducere, quibus Aduerſarij maximè innituntur. Pro opinione itaque Thomiſtarum, & aliorum, eandem opinionem ſequentium, quæ eſt, quod non detur hæc tertia diſtinctio media, quæ formalis dicitur, ſolent variæ rationes adduci: præcipuæ autem videntur eſſe iſtæ, quas formaliſtæ in medium proferunt, & ſoluunt.

1. ro. Prima, quę eſt radix, & fundamentum principale opinionis Aduerſariorum, eſt hæc. Nulla propria paſſio protenditur vltrà proprium ſuum, & adæquatum ſubiectum: ſed diſtinctio eſt paſſio entis, ergo non protenditur vltrà ens: ſed ens eſt duplex tantum, ſcilicet reale, & ens rationis, vt patet 5. Metaph. ergo omnis diſtinctio, vel eſt realis, vel eſt rationis, ergo nulla datur diſtinctio media, vt eſt diſtinctio formalis, ſed neceſſario cadit ſub altero membro, nempè, ſub reali, vel ſub diſtinctione rationis.

2. Secundò, quæcumque diſtinguuntur numero, diſtinguuntur realiter, ſed quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur numero, ergo diſtinctio formalis eſt idē, quod diſtinctio realis. Maior patet: quia quæ diſtinguuntur numero, vnum abſque contradictione poteſt eſſe ſine altero; Minor probatur: quia quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur quidditatiuè, & quæ diſtinguuntur quidditatiuè, diſtinguuntur ſpecificè, ſed diſtinctio ſpecifica eſt maior, quàm diſtinctio numeralis, & maior, arguit minorem, quæ enim ſpecie diſtinguuntur, etiam numero diſtincta ſunt, ergo à primo ad vltimum, quæ formaliter diſtinguuntur, etiam realiter diſtinguuntur.

3. Tertiò, quæ habent formas diuerſas realiter, diſtinguuntur realiter, & eſſentialiter; patet per ſe: ſed quæ diſtinguuntur formaliter, habent diuerſas formas ex vi vocabuli, ergo, quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur realiter.

Quarto omnis diſtinctio formalis, eſt inter formalitates, ſed formalitas omnis eſt res, ergo diſtinctio formalis erit inter res, & ſic diſtinctio formalis eſt diſtinctio realis, quia illa eſt diſtinctio realis, quæ eſt inter rem, & rem; Maior eſt clara. Minor probatur: accipiantur duæ formalitates, & dicantur A. & B. vel A. & B. ſunt aliquæ res, vel non; tunc ſic: ſi non, ergo ſunt nihil, quia res, & nihil ſunt immediata; ſi ſunt res, ergo quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur quoque realiter. 4.

Quinto, quę diſtinguuntur ex natura rei ſunt diſtincta realiter: patet ex virtute vocabuli, dicere enim, aliqua diſtinguuntur ex natura rei, eſt dicere, illa diſtinguuntur ex parte rei, ſiue realiter, ſed quæ diſtinguuntur formaliter diſtinguūtur ex natura rei, ergo quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur realiter; Minor probatur quia certum eſt; quod quæ diſtinguuntur formaliter, non diſtinguuntur per operationem intellectus, quia tunc eſſet diſtinctio rationis, ergo diſtinguuntur ex natura rei. 5.

Sexto, quod eſt ſubſtantia, eſt res vera, ſed formalitas ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, ergo eſt res, & conſequenter diſtinguuntur ab alia formalitate realiter. 6.

Septimo quęcumque habent diuerſas definitiones, diſtinguuntur realiter: ſed quæ diſtinguuntur formaliter, habent diuerſas definitiones, ergo. Maior probatur: quia definitio ratione differentiæ in ea incluſa, videtur ſufficere ad diſtinctionem realem. 7.

Octauo, ſi quæ ſunt idem realiter, diſtinguerentur formaliter, ſequeretur, quod ab vno, & eodem ſumeretur vnitas, & diſtinctio ſecundum rem, quod implicat contradictionem. 8.

Nono, eſſentia, quidditas, & res, ſunt vnum, & idem: at quæ diſtinguuntur formaliter, habent diuerſas eſſentias, & quidditates, ergo quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur per diuerſas res, & ſic realiter diſtinguuntur. 9.

Decima ratio eſt Theologica, qua in 10.

Diuinis vbi propriè excitatur hæc quæſtio confirmantur omnes rationes allatę; Omnis differentia rationis facit compoſitionem rationis, ergo omnis differentia ex natura rei, facit compoſitionem ex natura rei: ſed in diuinis, & in ſimpliciter ſimplici, nulla eſt compoſitio, ergo ibi nulla eſt diſtinctio ex natura rei, & ſic inter eſſentiam & relationem in Diuinis nulla eſt diſtinctio ex natura rei, nec minus inter attributa Diuina, ſed ſolum diſtinctio rationis. Aliæ rationes quoque ab alijs adducuntur, ſed hæ ſunt potiſſimæ, quibus Aduerſarij tollere de medio nituntur diſtinctionem formalem.

Opinio Aduerſariorum reijcitur. Cap. III.

Diſt. not. VT veritas huius diſputationis plenè intelligatur, eſt notanda diligenter vna diſtinctio, quæ totam hanc litem dirimit, & opinionem Scoti eſſe veram, vel ſaltem rationabiliorem eſſe oſtendit. Cum loquimur de diſtinctione, & identitate reali, & de re, duobus modis loqui poſſumus. Primo modo intelligendo pro re, omne illud, quod non eſt, nec fit per puram operationem intellectus noſtri, ſed eſt in rerum natura ante quamcumque operationem noſtri intellectus: & ſic diſtinctio realis omnis illa dici poteſt, quę cadit in rebus, ceſſante, & circumſcripta operatione intellectus: & tunc verum eſt, quòd omnis diſtinctio, vel eſt à parte rei, ſine opere intellectus noſtri, vel eſt ex parte intellectus noſtri cogitantis, & operantis tantum, & in hoc ſenſu loquuntur Aduerſarij. Verum non eſt hic quieſcendum: res enim ſic communiter accepta, eſt multiplex, & inter ſe res ipſæ varijs, & diuerſis modis diſtinguuntur: ideo vt tollatur omnis ambiguitas, & æquiuocatio, oportet dicere, quod hæc diſtinctio, quæ eſt ex parte rei, eſt multiplex, neque vnico modo fit, & hinc fit quod Scotiſtæ multiplicauerunt diſtinctionem iſtam ex parte rei, de qua multiplicatione poſtea dicemus; pro nunc, vt pertinet ad propoſitum, oportet neceſſariò hanc diſtinctionem, quę eſt ex parte rei, diuidere in duas diſtinctiones: nam quæ diſtinguuntur ex parte rei, quædam ita diſtinguũtur, quod vna poteſt eſſe ſine altera, abſque contradictione ab intrinſeco proueniente, vt Socrates, & Plato, animal, & arbor, ſubſtantia, & accidens: nam licet accidens non poſſit actu reperiri per ſe, ſine ſubſtantia, hæc repugnantia non prouenit ab intrinſeco, ita quod accidens ſit aliquid ſubſtantiæ, & non habeat proprium eſſe ſuũ extra cauſas ſuas, ſed prouenit ratione ordinis vniuerſi. Vnde videmus, quod hoc accidens corrumpitur, in hoc, & illo ſubiecto, abſque ſubiecti corruptione. Iſta ergo, quæ ſic ſunt entia, exiſtentia extra cauſas ſuas, quorum vnum poteſt eſſe ſine altero abſque contradictione, dicuntur propriè res: & diſtinctio quæ cadit inter eas, dicitur diſtinctio realis propriè, & eſt maxima diſtinctio: quia eſt inter rem, & rem; Alia autem ſunt, quæ diſtinguuntur ex parte rei, id eſt ſine operatione intellectus, non tamen ita diſtinguuntur, quod vnum poſſit eſse ſine altero abſque contradictione, immò ſunt à ſe inuicem inſeparabilia, tamen ex parte rei habent eſsentiam, & naturam diuerſam, etiam nullo intellectu cogitante, & iſtæ dicuntur non res, ſed realitates rerum, quæ plures poſſunt eſſe in eadem re, vt Intellectus, & Voluntas in anima Intellectiua; Vnum, Verum, Bonum in ente; Riſibilitas in homine; iſta enim ſunt entia realia, verè exiſtentia in rerum natura, tamẽ in ſe ſic ſunt connexa, quod vnum exiſtere non poteſt ſine altero, abſque contradictione in rerum natura; neque enim Ens poteſt eſſe, & nõ eſſe; Vnum, Verum, Bonum, &c. nec poteſt eſſe anima rationalis, quin ſit Intellectus, & Voluntas: ſunt ergo illa entia, vera entia realiter: tamen ſunt ex parte rei ante operationem intellectus quoquo modo diuerſa, & diſtincta.

Hæc diſtinctio appellatur à Scoto, & ſuis ſequacibus, diſtinctio formalis, quæ vt patet, etiam ipſa eſt ex parte rei, & ſine operatione intellectus, & hoc nomine poteſt dici realis: tamen, quia non eſt maxima diſtinctio ex parte rei, & non eſt inter rem, & rem, propriè dictã, vt ſuprà explicauimus, dicitur proprio

nomine diſtinctio formalis.

Hinc patet in quo conſiſtat punctus difficultatis inter Aduerſarios, & nos: negant enim Aduerſarij, dari hanc diſtinctionem formalem, & eam eſse ex parte rei, & admittunt ſolum diſtinctionem realem propriè dictam ex parte rei: tamen aliqui ſunt, qui illam concedunt, ſed ſub alio nomine, ſcilicet ſub nomine diſtinctionis rationis ratiocinatæ: diſtinguunt enim diſtinctionem rationis in duo membra, ſcilicet in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & hac aiunt diſtingui illa, quę ſolum per operationem intellectus diſtinguuntur, & in diſtinctionem rationis ratiocinatę, & hæc aiunt diſtingui illa, quę per rationem quidem diſtinguuntur, ſed ratio reperit occaſionem, & fundamentum in re, quę in idem fere coincidit cum hac diſtinctione formali, quā nos dicimus eſse mediam, ſi explicetur rectè: tamen reuera non conueniunt, nec ſunt idem, ſecundum expoſitionem quorundam Thomiſtarum, vt patet in quæſtione de diſtinctione attributorum in Deo; & de potentijs animę; voluit enim quod diſtinctio ex natura rei, ſit ex parte rei fundamentaliter tantum, non actualiter: ſed actualiter perficiatur ab intellectu. Nos verò volumus, quod & fundamentaliter, & actualiter diſtinctio ſit ex parte rei. Sed vt omnis ambiguitas tollatur, nos dicimus, illa diſtingui formaliter, quibus ex parte rei nullo cogitante intellectu competit diuerſa quidditas, & eſſentia, ita quod actu eſt diſtinctio in re ſine opere intellectus, non autem fundamentaliter tantum, ita, vt perficiatur ab intellectu, vt patet in exemplis adductis; Quod ſi hoc modo Aduerſarij intelligunt diſtinctionem rationis, ratiocinatę, ſunt nobiſcum: ſi verò aliter, diſſentiunt. Modo quod detur talis diſtinctio formalis, eſt probandum; deinde rationibus Aduerſariorum ſatisfaciemus.

Opin. Scoti probatur. 1. ra. Primo quidem Theologicè facilimè probatur pluribus rationibus, de quibus in quæſtionibus Theologicis. Pro nunc vna, vel altera tantum contenti erimus, Prima deſumitur ex Scoto 1. Sentent. diſtinct. 8. quæſt. 4. confutando opin. D. Th. de diſt. attributorum, & eſt hæc. In Deo reperitur Intellectus, & Voluntas ſecundum propriam rationem formalem ſuā, ante quamcumque operationem noſtri intellectus. Vnde nullo cogitante intellectu creato in Deo, eſt intellectus, & voluntas ſecundum propriam rationem, & formaliter; Hoc de ſe patet: alioquin quando dicimus in Diuinis Filium produci per modum intellectus, hoc non eſſet quid reale, ſed quid intentionale, & ſic Trinitas in Diuinis, & emanationes, eſſent quid intentionale: ſi enim principia emanationum eſſent in Deo intentionaliter tantum, conſequenter etiam, & reliqua, quæ proueniunt ab eis, eſſent intentionalia, & non realia; Hoc ſuppoſito facto, probo quod intellectus formaliter diſtinguitur à voluntate in Deo, Intellectus, & Voluntas diſtinguuntur in Deo, ſed non diſtinguuntur realiter, nec ratione tantum, ergo diſtinguuntur formaliter; Maior propoſitio eſt euidens, patet enim, quod cū dicimus Intellectum, & Voluntatem, non ſignificamus eandem rem, ſed quid diuerſum quomodocumque illud ſit pro nunc diuerſum; Minor habet duo membra; Primum, quod non diſtinguuntur realiter, per ſe patet: quia Intellectus Diuinus non poteſt eſſe ſine Voluntate, nec per ſe exiſtere, neque vllus Theologus dicit, quod Intellectus, & Voluntas Dei, diſtinguantur realiter, vt perſonæ Diuinæ: loquimur enim nunc nos de diſtinctione reali propria, quæ eſt inter rem, & rē. Secundum membrum eſt, quod non diſtinguuntur ratione; quod probatur ſic: Si Intellectus, & Voluntas ſolum per rationem diſtinguerētur, ſequeretur, quod ex parte rei idem eſſet principium Filij, quod eſt Spiritusſancti, & ſic quādo dicimus Filium produci per Intellectum, & Spiritumſanctum per Voluntatem, hęc diuerſitas eſset tantum per noſtrum modum intelligendi, ſed ex parte rei non minus poſset dici Spiritumſanctum produci per Intellectum, & Filium per Voluntatem: quia iſta duo principia eſsent ſolum diſtincta ratione. Sed iſta ſunt erronea, & falſa: quia illæ productiones, & emanationes, eſsent entia intentionalia, & entia rationis, quod eſt blaſphemū. Nec valet reſponſio Caietani, & aliorum Thomiſtarum,

esp. ſtantium, vt Suarez, Molinæ, Vaſquez, & caie. aliorum, quod diſtinctio Intellectus, & & re Voluntatis eſt in Diuinis formaliter fundētio damentaliter, non formaliter actualiter; um nam ſi fundamentaliter, & non actualiter eiuſc. diſtinguitur Intellectus à Voluntate in Deo, ergo Filius formaliter actualiter nō producitur per Intellectum, nec Spiritusſanctus actualiter formaliter, per Voluntatem; Sed cum per Caietanum Intellectus, & Voluntas ſint idem actualiter formaliter, erit verum dicere, ex parte rei, Spiritusſanctus actualiter formaliter producitur per voluntatem; Conſequentia deducitur: quia ſi Intellectus Diuinus, & Voluntas, non diſtinguuntur actualiter formaliter ex parte rei, ergo ſunt idem actualiter formaliter ex parte rei; Conſequentia patet: quoniam idem actualiter formaliter, & non idem actualiter formaliter, ſunt contradictoria, inter quæ non cadit medium; Si autem Intellectus, & Voluntas ſunt idem actualiter formaliter ex parte rei, ergo qua ratione dicimus Filium producit per modum Intellectus, & Spiritumſanctum per modum Voluntatis, poterimus dicere, quod Spiritusſanctus producitur per modum Intellectus, & Filius per modum Voluntatis ex parte rei, quia Intellectus, & Voluntas ſunt idem ex parte rei actualiter for-
2.reij maliter. Præterea, dicit Caietanus, quod
citur. Intellectus, & Voluntas formaliter fundamentaliter diſtinguuntur: quia licet eſſentia Diuina in ſua ratione formali contineat omnia attributa formaliter, vt Intellectum, Voluntatem, &c. tamen formaliter eſsentia Diuina exequitur ita cuiuſlibet attributi propria, ac ſi illud attributum eſset formaliter, & actu diſtinctum ab alio, vt Intellectus à Voluntate; & propter hoc etiam dicit, quod Intellectus, & Voluntas, ante omne opus intellectus diſtinguuntur non formaliter, ſed virtualiter; At ex hac reſponſione ſequitur, quod ante operationem intellectus noſtri, eſſentia eſſet quæ generaret, & ſpiraret, vt principium proximum quo, quod eſt falſum; Probo Conſequentiam: quia dicis, quod eſſentia Diuina exequitur propria cuiuslibet attributi, ac ſi illud eſſet actu diſtinctum ab alijs: at generare, eſt proprium intellectus, vt principium proximum quo, ſpirare eſt proprium voluntatis, vt principium proximum quo, ergo ſi eſſentia exequitur propria intellectus, eſſentia eſt principium proximum, quo formaliter ex parte rei Filius producitur, & eſſentia eſt principium proximum quo formaliter Spiritusſanctus ſpiratur à Patre, & Filio; Inſuper ſi virtualiter tantum diſtinguuntur, & non actu, ſequitur vt in priori argumento dicebamus, quod non minus erit verum dicere Spiritusſanctus actualiter formaliter producitur per intellectum, &c.

Secundum argumentum Theologicum omnino quoque cōuincens eſt, quod 2. pri cipal.
ſupponitur 1. capite tetigimus, certum eſt ſecundum Theologos, quod perſona Diuina conſtituitur ex eſſentia, & relatione ſaltem ſecundum D. Thom. at eſſentia eſt communicabilis ex parte rei, perſona eſt incommunicabilis ex parte rei, & hæc incommunicabilitas ineſt perſonæ per relationem perſonam conſtituentem: hoc totum eſt certum; tunc ſic, quandocumque ſunt aliqua duo, quorum vnum diſtinguitur ab altero per ſolam operationem intellectus: ſed ex parte rei ſunt omnino idem, ſi ambo conſtituunt tertium, alterum illorum non poteſt dare conſtituto modum eſſendi oppoſitum alteri conſtituenti: ſed ſic eſt, quod relatio dat perſonæ, quæ eſt conſtitutum ex eſſentia, & ipſamet relatione oppoſitum modum eſſendi ipſi eſſentiæ, ergo relatio diſtinguitur ab eſſentia, nedum ratione, ſed ex parte rei. Minor eſt clara; Maior quoque eſt euidens: quia ſi aliqua duo ex parte rei ſint omninò idem, & ſolum per operationem intellectus noſtri diſtinguuntur, quando veniunt in conſtitutionem alicuius tertij (præterquam quod non facient conſtitutionem ex parte rei) vnum non poterit dare eſse diuerſum ab altero ex parte rei, quia ex parte rei iam ſunt omnino idem.

Tertio certum eſt, quod eſſentia diuina non eſt diſtincta à tribus perſonis realiter: quia in Diuinis eſset quaternitas, quod eſt hæreticum, nec eſt diuerſa ſolum per cogitationem intellectus noſtri: quia tunc ex natura rei non competerent 3.

 alia

alia prædicata eſsentiæ, & alia perſonis; de eſſentia enim verum eſt dicere eſt tantum vna eſt communicabilis, &c. quæ prædicata non competunt Diuinis perſonis; Inſuper dicimus, Pater generat, Filius ſpirat, &c. quæ non competunt eſſentiæ, ergo eſſentia diſtinguitur à perſonis aliquo modo ex parte rei; Hanc appellamus diſtinctionem formalem, ergo diſtin
4. ctio formalis datur. Sed vt aliquas rationes Philoſophicas adducamus, & vt hæc diſputatio ab omnibus intelligetur, notandum eſt illud, quod habet Ariſt. in principio Primi Perihermenias, ſcilicet, quod nomina ſignificant conceptus, quos in mente habemus; conceptus autem ſignificant res; ex hoc deduco, quod quando nos explicamus aliquam rem per diuerſa prædicata, illa prædicata cum ſint voces, & termini, ſignificãt conceptus, & illi cõceptus ſignificant res proprias, non quid fabricatum ab intellectu: licet enim nomina ſint impoſita ad placitum, tamen res, quibus ſunt impoſita, non ſunt ad placitum, ſed in rerum natura: non ſignificant autem ſemper res, quarum vna poſſit eſſe ſine alia abſque contradictione, non enim riſibile ſignificat rem, quæ poſſit eſſe ſine homine, idem de vno, bono, &c. quæ non poſſunt eſſe ſine ente, &c. & iſtæ dictæ ſunt realitates, iſtæ ergo entitates ſignificatæ per hæc prædicata, non ſunt entia rationis, alioquin omnia, quæ intelligimus, eſſent entia rationis in ſe, ſiquidem illa percipimus, & intelligimus per conceptus, & prædicata ea ſignificantia; Stante hoc fundameuto, arguitur ſic, vnicuique competunt diuerſa prędicata, vt homini competunt intelligens, ſapiens, diſciplinæ capax, &c. & iſta prædicata competunt homini ex parte rei: quia nullo intellectu cogitãte inſunt ipſi homini; at iſta prædicata ſignificant res, non autem res per ſe exiſtentes, & quarum vna poſſit eſſe ſine altera: quia iſta prædicata ſunt inſeparabilia ab homine; neque etiam diſtinguuntur ſola ratione ab homine, & inter ſeipſa, ergo entitates ſignificatæ per iſta prædicata, diſtinguuntur formaliter. Quod ſi quis dicat hoc nõ valere: quia etiam dicimus homo eſt ſpecies, animal eſt genus, &c. quæ prædicata inſunt homini, & animali, & tamen non ſignificant entitates ex natura rei diſtinctas. Reſpondeo, quod iſta prædicata, ſpecies, genus, &c. non ſunt impoſita ad ſignificandum res reales, ſed ad ſignificandum res intentionales fabricatas ab intellectu noſtro: immò vt fiat differentia inter prædicata realia, & intentionalia, debemus ponere diſtinctionem formalem: nam prædicata realia diſtinguuntur formaliter inter ſe, non autem prædicata intentionalia. Vnde conſequenter ad hoc diximus in Theoremate de Pluraritate formarum, contra Iandunum, & alios, quod in compoſito non ſunt tot formæ, quot prædicata: quia prædicata quandoque ſumuntur à realitatibus, non à formis; eſt ergo ſæpè vna res tantum, & tamen ibi ſunt plures formalitates, & realitates quæ formaliter diſtinguuntur. *Theor. 78.*

Secundo probatur auctoritate Ariſtotelis qui 3. Phyſicorum textu 18. & 19. vſque ad 24. mouet vnam dubitationem: an motus ſit vnus; & arguens ad partem negatiuam, inquit, quod non videtur vnus, quia motus eſt ab agente ad paſſum: actio autem, & paſſio non videntur vnus motus; & ſoluens quæſtionem, inquit, quod motus, qui eſt inter agens, & patiens, eſt vnus numero, ſed plures ratione: vt eſt in agente, eſt actio; vt eſt in patiente, eſt paſſio; Ex quo patet, quod ſi quis quærat ab Ariſtotele an actio, & paſſio ſint diuerſi motus realiter, reſpõdebit Ariſtoteles nequaquam, ſed vnus, tamen ait, quod actio, & paſſio, diſtinguuntur ratione, id eſt formaliter: nam actio, & paſſio non diſtinguuntur per opus noſtri intellectus, experimur enim in effectu, & ex parte rei, quod non ſolum fundamentaliter, ſed actu ante operationem intellectus agere non eſt pati, nec actio eſt paſſio, ergo intelligit, quod ſunt diuerſi ratione, id eſt quidditate, & eſſentia, & ex parte rei, ergo ex Ariſtotele datur identitas realis, cum qua ſtat diſtinctio formalis. Alia argumenta habentur apud Formaliſtas. 5.

Ratio-

Rationes pro Aduerſarijs ſoluuntur. Caput IV.

Notandum. Rationes omnes Aduerſariorum facilè ſoluuntur, ſed præſertim per illam diſtinctionem, quam in initio capitis præcedentis explicauimus. Dico igitur, quod diſtinctio realis, duobus modis accipi poteſt; Vno modo, pro omni illa diſtinctione, quæ eſt præter opus intellectus noſtri: & ſic omnia, quæ diſtinguuntur aliquo modo ex parte rei, poſſunt dici realiter diſtingui: & hoc modo currunt argumenta Aduerſariorum; & ſic concedimus, quod ea, quę diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur quoque realiter, id eſt diſtinguuntur aliquo modo ex parte rei ſine opere intellectus; Alio modo accipitur diſtinctio realis propriè, ſcilicet, pro illa diſtinctione, quę cadit inter rem, & rem, quarum vna poteſt eſſe ſine altera, abſque contradictione intrinſeca, & hoc modo non concludunt argumenta Aduerſariorum; Nos autem intendimus oſtendere, quod inter diſtinctionem realem propriè acceptam, & inter diſtinctionem per opus rationis, tantum cadit diſtinctio media, quæ non eſt inter rem, & rem, ſed inter realitatem, & realitatẽ, quam nos appellamus diſtinctionem formalem.

Ad 1. argumentum. Hinc ad Primum argumentum, concedimus totum primum Syllogiſmum: ſed cum dicit in Minori Proſyllogiſmi, Omne ens, vel eſt reale, vel rationis, reſpondeo: Quòd omne ens, vel eſt reale, id eſt opus rationis, vel eſt rationis, id eſt per opus intellectus, & hoc modo concedo, quod omnis diſtinctio, vel eſt realis, vel rationis: ſed nego quod omnis diſtinctio ſit realis, id eſt inter rem, & rem; vel rationis, id eſt per opus intellectus noſtri, quia inter illas diſtinctiones mediat diſtinctio formalis, & ex natura rei.

Ad 2. Ad Secundum, nego Minorem. Ad probationem, concedo primam propoſitionem, quod quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguantur quidditatiuè; & cum dicit, quæ diſtinguuntur quidditatiuè, diſtinguuntur ſpecificè, licet ab alijs hæc propoſitio negetur, & rationabiliter; quia diſtinctio ſpecifica, propriè loquendo, eſt rerum, non realitatum; diſtinctio formalis verò eſt realitatum. Declaratur: diſtinctio ſpecifica propriè loquendo, eſt, quæ cadit inter ſpecies ſpecialiſſimas; (quæ enim differunt ſpecie ſubalterna, potius dicuntur differre genere, quam ſpecie,) & complectitur nedum ſpecies in communi, & præciſas à ſingularibus, ſed ſimul complectitur naturam communẽ, & ſingularia, & ſic Homo dicitur ſpecificè differre à Leone, quia Homo eſt natura communis, complectens omnes Homines, & Leo eſt natura communis complectens omnes Leones; quæ duæ naturę communes, cum ſuis ſingularibus, differunt maximè realiter, id eſt, non ſolum numero, vt indiuidua eiuſdem ſpeciei, ſed magis: quia addunt differentiam ſpecificam, quę eſt penes naturam communem, & ipſa quoque eſt realis, & maxima ex parte rei: quia videmus maximè differre Socratem ab hoc boue. Differentia verò formalis tantum eſt inter realitates, quę ab inuicem in actuali exiſtentia ſeparatæ manere non poſſunt, vt Intellectus, & Voluntas in Anima, quę ſecundum nos, ſunt ipſamet eſſentia animę rationalis, & eadem res realiter, & tamen habent rationem ſuam formalem, ſiue conceptibilitatem diſtinctam, vt Vnum, Verum, & Bonum in ente. Tamen accipiendo differentiam ſpecificam largè, pro diſtinctione quæ eſt inter aliqua ſecundum conceptum, & quidditatem propriam, quæcumque illa ſit, poteſt concedi illa Maior; Sed cum ait, diſtinctio ſpecifica arguit diſtinctionem numeralem, nego hanc propoſitionem; quia licet diſtinctio ſpecifica ſit maior, quam numeralis, non tamen ſemper arguit, & infert diſtinctionem numeralem, vt actio, & paſſio, ſpecificè diſtinguuntur, & tamen non diſtinguuntur numero; Item in Socrate, Socrateitas, & Socrates diſtinguuntur ſpecificè, nec tamen diſtinguuntur numero; Item, in lacte dulcedo, & albedo diſtinguuntur ſpecie, licet non diſtinguantur numero, ſecundum Thomiſtas, qui aiunt, accidentia indiuiduari ex indiuiduatione ſubiecti; modò, ſubiectum dulcedinis, & albedinis *Alia reſponſio.*

in lacte, eſt idem numero, ergo & illa duo accidentia ſunt idem numero, licet ſecundum nos, & reuera differant numero; & ſic de multis alijs; Non ergo ſemper diſtinctio ſpecifica arguit diſtinctionem numeralem, ſed aliquando, ſcilicet, quando eſt differentia ſpecifica propriè, id eſt ſumitur à diuerſis naturis communibus habentibus propria indiuidua, & ſingularia quæ exiſtere poſſunt quantum eſt ex ſe ſine alijs naturis, non autem hoc verificatur de differentia ſpecifica impropriè accepta, quæ eſt propriè differentia formalis, vt dictum eſt.

Vel reſpondeamus vt infrà, cap. vltimo, negando Maiorem: eſt enim falſum, quod quæcumque diſtinguuntur numero, diſtinguuntur realiter, accipiendo diſtinctionem realem in ſenſu, quem ſuprà explicauimus, id eſt pro differentia, quæ eſt inter rem, & rem: multa enim differunt numero ſic, quæ tamen non differunt realiter, vt vnum attributum ab alio, & voluntas, & intellectus in anima, Vnum, Bonum, & Verum, in ente, & ſic de alijs; ideo eſt notandum, quod aliquid differre numero, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, quod differat ſubiecto ab alijs, vt loquuntur Græci, & hoc pacto illa ſolum diſtinguuntur realiter, quæ ſunt res omnino ſeparatæ, & vnum exiſtere poteſt, vel actu exiſtit ſine altero, vt Socrates, & Franciſcus, & ſimilia; vel quæ ſunt in diuerſis ſubiectis, vt albedo Socratis, & albedo Platonis. Alio modo aliqua differunt numero: quia ratione propriæ realitatis differunt, ita quod vnum non eſt alterum, & vnum, quantum eſt ex ſua ratione formali, poſſet eſſe ſine altero, ſi eſſet tantæ entitatis, vt poſſet per ſe exiſtere, & ſic in eodem ſubiecto poſſunt eſſe plura numero diſtincta, & tamen non ſunt ſubiecto diſtincta; Exemplum; In eodem ſubiecto ſunt plura accidentia numero, vt in lacte eodem, eſt dulcedo, & albedo, quæ numero differunt: in eodem Ente eſt Vnitas hæc, Bonitas hæc, & Veritas hæc. Quod patet: quia ſunt in diuerſis Prędicamenti, & in vnoquoque Prædicamento ſunt omnia pertinentia ad complementum illius Prædicamenti: quia Prædicamenta ſunt impermixta, ideo ſingula vnius Prædicamenti, non conſtituuntur per aliquid alterius Prædicamenti, alioquin fieri poſſet vt aliquid vnum numero, eſſet ſecundum eſſentiam in varijs Prædicamentis, contra ſecundam Regulam Anteprædicamentalem Ariſtotelis, Diuerſorum generum, &c.) hoc pacto diuerſæ formalitates differunt numero in eodem ſubiecto, & iſta, quæ hoc modo differunt numero, non eſt neceſſe vt ſemper differant realiter: ſicut albedo, & dulcedo in lacte: ſed ſufficit, quod differant formaliter: vt Vnitas, Bonitas, & Veritas in eodem ente; Illa ergo propoſitio; Quæcumque differunt numero, differunt realiter, non eſt vniuerſaliter vera, niſi in ijs, quæ differunt numero: quia ſunt in diuerſis ſubiectis; in alijs verò fallit, & præſertim in ijs, quæ differunt numero ratione propriæ realitatis.

Ad tertium negatur, quod ea; quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguantur per formas diſtinguuntur enim per formalitates, & realitates; non per formas. *Ad 3.*

Ad quartum Reſpondetur ex dictis; ad ſecundum tamen breuiter dicitur, quod formalitas eſt res, accipiendo rem prout diſtinguitur ab ente rationis, non propriè, prout accipitur in diſtinctione reali. *Ad 4.*

Ad quintum Reſpondetur, quod quæ diſtinguuntur ex natura rei, diſtinguuntur realiter, non propriè, ſed prout diſtingui realiter eſt idem quod diſtingui præter operationem intellectus. *Ad 5.*

Ad ſextum dicitur, quod formalitas ſubſtantiæ, eſt realiter ſubſtantia, & ſubſtantia omnis eſt res, vt res accipitur communiter pro ente, quod non fit per operationem intellectus; non tamen verum eſt quod omnis ſubſtantia tam in recto, quam in obliquo, id eſt omne quod eſt aliquid ſubſtantiæ, ſit res propriè dicta: nam rationale eſt ſubſtantia, & tamen non eſt res per ſe exiſtens ſine animali, & ſine homine. *Ad 6.*

Ad ſeptimum reſpondetur vt ad ſecundum, *Ad 7. & 8.*

cundum, & per hoc idem patet ad octauum.

Ad 9. Ad nonum iam patet ex dictis, quod verum eſt, quod res, & quidditas ſunt idem, accipiendo rem, vt contradiſtinguitur ab ente per operationem intellectus facto.

Ad 10. Ad decimum reſpondetur communiter, quod non valet Conſequentia, qui ad faciendam compoſitionem, neceſſe eſt quod aliquid habeat rationem actus, & aliquid potentiæ, & tunc fit compoſitio: ſed quandocumque non aduenit ratio potentiæ, & actus, ibi non euenit compoſitio. Ad propoſitum, non ſemper quæcumque diſtinguuntur formaliter, habent rationem actus, & potentiæ, vt ſunt attributa, & relationes in Deo, in quo non faciunt compoſitionem. Sed de his vberius agam in Diſputationibus Theologicis fauente Deo.

Conſiderantur duæ diuiſiones; Altera eſt entis, in ens reale, & rationis; Altera eſt de triplici eſſe, ſcilicet, eſſentia, exiſtentia, & ſubſiſtentia. Cap. V.

Ordo dicendorũ. HVcuſque probatum eſt dari diſtinctionem formalem contra Thomiſtas, & alios extra Scholam Scoti. Superſunt modo non pauca dubia, & contentiones inter Scotiſtas circa declarationem iſtius diſtinctionis formalis.

Primo eſt dubium de numero diſtinctionum: ex dictis enim tres tantum ſunt diſtinctiones, & tres identitates eis reſpõdentes, nempè, identitas, & diſtinctio rationis, identitas, & diſtinctio realis, identitas, & diſtinctio formalis, quæ eſt media inter diſtinctionem realem, & rationis.

Eſt ergo primum dubium principale, an dentur plures aliæ diſtinctiones præter has tres.

Secundum dubium principale eſt in declaratione iſtius diſtinctionis formalis. Antequam autem hæc dubia examinentur, oportet conſiderare quaſdam diuiſiones præuias, quas Scotiſtæ præmittũt, quarum cognitio non eſt inutilis. Antonius Sirectus, quem omnes alijs ſequuntur, in quæſtione de Formalitatibus, antequam reſpondeat ad propoſitam difficultatem, præmittit quaſdam diuiſiones, quarum Prima eſt hæc. Ens diuiditur in ens reale, & ens rationis; & ſubinfert, quod hæc eſt diuiſio Aequiuoca Analogi in ſua Aequiuocata Analogata. Hic nonnulli introducunt quæſtionem de vniuocatione entis: ſed hæc eſt aliena à præſenti inſtituto, & de ea egimus ſuo loco; Notanda eſt tamen breuiter ſolutio cuiuſdam contradictionis, quæ apparet in Scoto: nam Scotus 1. Sentent. diſtinct. 3. quæſtione 3. A. & quæſt. 2. in corporis principio, dum loquitur de vniuocatione entis, apertè diſputat de ente reali, quod eſt commune Deo, & Creaturæ, Subſtantiæ, & Accidenti, & hoc etiam ſtatuit obiectum adæquatum Intellectus, vt ſuo loco diximus: nec vnquam dixit, quod ens commune enti reali, & enti rationis, ſit vniuocum. Et ſecundum hunc ſenſum loquuntur omnes Scotiſtæ, cum dicunt ens eſſe vniuocum; tamen ipſemet Scotus in tertia quæſtione Quodlibetali, articulo 1. in principio, apertè dicit, quod ens communiſſimè acceptum, prout ſe extendit ad ens reale, & ad ens rationis, & vniuerſaliter ad quodlibet conceptibile, quod non includit contradictionem, poſſet poni obiectum adæquatum intellectus noſtri; & adiungit, quod non curat, an hæc communitas entis, ad ens reale, & ens rationis, ſit communitas Analogiæ, vel Vniuocationis, & adducit rationem: quia nihil poteſt eſſe intelligibile, quod non includat rationem entis hoc modo, quoniam includens contradictionem non eſt intelligibile; eſt ergo contradictio in dictis Scoti. Reſpondent communiter, & rectè omnes Scotiſtę, quod duplex eſt obiectum Intellectus, ſcilicet, motiuum, & terminatiuum; motiuum eſt, à quo mouetur Intellectus; terminatiuum eſt, quod non mouet, ſed producitur ab Intellectu, & poſtea ab ipſomet Intellectu cognoſcitur, vt ſunt ſecundę intentiones; quia ergo cognitio Intellectus terminatur quoque ad iſta entia rationis, cognoſcuntur enim ab Intellectu & tamen Intellectum non mouent, hinc fit, quod

1. diuiſio.

Contradictio ĩ Scoto.

Solu.

iure ens rationis dicitur obiectum terminatiuum Intellectus. Ad contradictionem igitur dicitur, quod ens reale eſt obiectum adęquatum, motiuum, ens verò commune ad ens reale, & rationis, eſt obiectum adęquatum terminatiuum.

aliud dub. Sed tunc eſt aliud dubium: quia hoc ens commune enti reali, & rationis, ſi eſt obiectum Intellectus, debet habere aliquam vnitatem, non ergo erit Aequiuocum, vt dicunt Sirectus, & alij Formaliſtę: ſed erit Vniuocum, vel Analogum. Ad hoc reſpondet Valonus, quod habet vnitatem proportionis, & tamen eſt Aequiuocum; & hoc modo etiam alij reſpondent, & reſponſio eſt bona: nam vt diximus in Theoremate de Vniuocatione entis, capite 1. Analogia proportionis, & attributionis, licet propriè accepta ſit vnitas minor vnitate vniuocationis, tamen etiam quandoque ſtat cum Aequiuocatione, vt quando fundatur ſuper nomina, non ſuper rem, vt ridere in homine, & in pratis eſt Aequiuocum Analogum ſecundum proportionem: ridere enim in homine, & in prato ex parte rei nullo modo conueniunt, ſed ſolum ſecundum impoſitionem nominis, quia communiter dicitur homo ridere, cum exultat, & prata cum florent, dicuntur ridere; etiam Animal latrabile, Piſcis marinus, & Sydus cæleſte, dicuntur Canes, per communem appellationem, ſed ex parte rei nulla eſt conuenientia: tamen ridere ſecundum communem modum loquendi, propriè competit homini: pratis verò per ſimilitudinem quandam, ſed quæ tota ficta eſt ab homine; & ita hæc proportio eſt Analogia Aequiuoca; ita in propoſito, vt etiam dicit Scotus in illa tertia Quodlibetali, ſecundum communem appellationem, omne illud, quod eſt conceptibile ſine contradictione, ſiue ſit ens reale, ſiue ſit ens rationis, dicitur res: & ita entia rationis dicuntur res, & conueniunt in hac voce (Ens) quæ ſignificat quid conceptibile ab intellectu ſecundum communiſſimam appellationem hominum: tamen ex parte rei nullam habent conuenientiam, & ſic eſt nomen Aequiuocum, & tamen eſt etiam Analogum: quia ens reale propriè, & verè dicitur ens, & res, ens verò rationis, tantum per quandam voluntariam proportionem appellatur ens, & res, & ſic ens commune enti reali, & enti rationis eſt Aequiuocum Analogum; habet ergo vnitatem proportionis Aequiuocæ. Sed dices, quod eſt Aequiuocum, non poteſt poni obiectum Intellectus, Reſpondeo, quod obiectum motiuum Intellectus non poteſt eſſe æquiuocum: ſed hoc non eſt neceſſarium de obiecto terminatiuo. Ex hoc patet etiam quomodo intelligibilitas competat ſecundis intentionibus: competit enim eis non primò, ſed ſecundario: quia non ſunt entia vera, ſed facta ab Intellectu.

Alia diuiſio communiter aſſignatur, ſed præſertim à Scoto, 3. Sententiarum, diſtinctione 6. quęſtione 1. in principio ſolutionis quęſtionis, quæ eſt, quod triplex eſt eſse, ſcilicet, Subſiſtentiæ; Exiſtentiæ; & Eſsentiæ; Eſse ſubſiſtentiæ competit enti, quod eſt incommunicabile, vt quo, & vt quod; Quid autem ſit eſse incommunicabile, vt quod, & vt quo, declaratur per eius oppoſitum; illud eſt communicabile, vt quod, quod habet inferiora ſub ſe, de quibus prædicatur, vt homo de indiuiduis, ergo per oppoſitum incommunicabile, vt quod, eſt, quod non habet inferiora ſub ſe, quibus communicetur, & de quibus prædicetur, vt Socrates, &c. communicabile, vt quo, eſt, quod dat eſse formale alicui rei: & ſic omnis forma tam ſubſtantialis, quam accidentalis, dicitur communicabilis, vt quo: talis autem denominatio in vſu recepta eſt: quia ſi quis quærit, quo homo eſt homo reſpondemus rationali; adeo quod cum forma ſit, qua res eſt, talis forma dicitur communicabilis, vt quo; è conuerſo, illud eſt incommunicabile, vt quo, quod non eſt forma, nec dat eſse formale alicui rei. Ad propoſitum indiuidua de Prædicamento Subſtantiæ dicuntur incommunicabilia, vt quod, & vt quò, quia non habent inferiora ſub ſe, de quibus prædicentur, nec ſunt formæ dantes eſse alicui rei, & illa indiuidua dicuntur habere eſse ſubſiſtentiæ: quia ſunt incommunicabilia, vt quod, & vt quo;

2. diuiſio. *Eſſe ſubſiſtētiæ quid.*

Eſse

Eſſe ſubſiſtentiæ igitur eſt exiſtere extra cauſas ſuas per ſe, & non in alio, cuius modi eſt eſſe ſolum ſubſtantiæ primæ; *Eſſe exiſtẽtiæ quid.* eſſe exiſtentiæ, eſt eſſe extra ſuas cauſas præter operationem Intellectus, & ſic omne illud, quod eſt in rerum natura extra cauſas ſuas, & extra Intellectum, dicitur habere eſſe exiſtentiæ: vnde hoc eſſe eſt vniuerſalius, quam eſſe ſubſiſtentiæ: quia eſſe ſubſiſtentiæ competit tantum primis ſubſtantijs; at eſſe exiſtentiæ omnibus Prædicamentis, & partibus Subſtantiæ, vt Materiæ per ſe, Formæ per ſe, *Eſſe eſſentia quid.* Quantitati, &c. Tertio loco eſt eſſe eſſentiæ, quod ponitur à multis, ſed quid illud ſit, non conuenit inter omnes; Pro intelligentia eſt notandum, quod eſſe eſſentiæ venit ab eſſentia, eſſentia autem eſt, quæ explicatur per definitionem, & dicitur quidditas: quod ergo habet quidditatem, & definitionem, habet quoque eſſentiam, & conſequenter quoque habet eſſe eſſentiæ, quod eſt dictum habet eſſe cognitum, ſiue eſſe cognoſcibile; Multa autem ſunt, quæ habent hoc eſſe eſſentiæ ſolum, ſiue vllo eſſe ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ, vt roſa in hieme, quæ nullibi eſt, & Creaturæ in Mente Diuina antequam ſint productæ ad extra, & denique omne illud, quod habet eſſe in cauſis ſuis tantum, ſed actu non eſt extra ſuas cauſas; hæc enim entia ſunt cognoſcibilia per ſuam eſſentiam, & quidditatem, ſed extra ſuas cauſas non ſunt, nec exiſtunt. *Quid ſit eſſe eſſẽtiæ.* Eſt modo non leuis diſputatio, an hoc eſſe eſsentiæ ſit aliquod eſse reale, diſtinctum ab eſse exiſtentiæ; ita quod roſa cum habet eſſe eſsentiæ habeat eſse reale, licet non ſit extra ſuas cauſas, & non habeat eſse exiſtentiæ. *Hēr. opin.* Henricus, vt recitat Scotus, 1. Sententiarum diſtinctione 36. in princ. quæſtion. putauit, quod eſse eſsentiæ ſit eſse reale diſtinctum ab eſse exiſtentiæ; Vnde voluit, quod eſse, quod habent Creaturæ in Mente Diuina, antequam actu creantur, ſit aliquod eſse reale ipſarum Creaturarum, quod poſtea ſimul cum exiſtentia faciat compoſitionem, *Tho.* Thomiſtæ eandem ſententiam ſuſtinent: quoniam dicunt res creatas eſse compoſitas ex eſse, & eſsentia, ita, quod volunt eſsentiam rei eſse quid diſtinctum realiter ab exiſtentia eiuſdẽ, & facere compoſitionem cum illa. *Zab.* Zabarella quoque libro 2. de Materia, cap. 3. ponit hanc diſtinctionem; Entitas poteſt ſumi duobus modis; Primo modo poteſt ſignificare eſsentiam, nempè, cum ſumitur entitas pro genere rerum, vt animal ſignificat eſsentiam hominis; ſignificat vero exiſtentiam, quòd eſt accidens intentionale, cum ſumitur pro accidente quodam intentionali, adueniente ipſi eſsentiæ, iudicat enim, quod exiſtentia nil aliud ſit niſi accidens intentionale adueniens enti habenti eſsentiam. Sed hanc *reijc.* ſententiam reijcit Scotus ibi, multis rationibus; De qua re aliàs in Theologia; Sufficiant hę rationes pro nunc, ſi illud eſſe, quod Creaturę habent in Mente Diuina, eſset eſse reale Creaturarum, Creaturę non crearentur in tempore à Deo: quia creatio eſt productio ex nihilo, & tranſitus à non ente penitus, ad eſse, nihilo pręſuppoſito; At ſtante hac ſententia, Creatio non eſset productio ex nihilo omninò, ſed ex aliquo ente reali, & ſic creatio non eſset creatio, ſed generatio, ſiue quædam alteratio. Secundò Philoſophicè, ſi roſa in hieme, & vniuerſaliter ens, quod 2. habet eſse in cauſis ſuis, habet verum eſse reale, ſequitur, quod quando producitur ab efficiente, non producitur niſi ſecundum nouum reſpectum ad efficiens, ſcilicet, quia prius habebat eſse reale: ſed vno modo, nunc autem poſtquam productum eſt, habet idem eſse, ſed alio modo, ſcilicet exiſtentiæ; non producitur, ergo res ab efficiente ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum diuerſum reſpectum, ſiue producitur tantum nouus reſpectus in eadem re. Immò ſequitur, quod res ab efficiente producitur non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſcilicet, ſecundum exiſtentiā: tamen ſecundum entitatem realem iam erat in eſse, dum habebat eſse eſsentię; Vel eſt dicendum, quòd idem ens reale bis producitur; Primò, cum habet eſse eſsentię; Secundò, cum habet eſse exiſtentię. Quę vero dicit Zabarella, ſunt *Zab. reijc.* multo magis abſurda, ſcilicet, quod exiſtentia ſit accidens intentionale, quia tunc res cum reciperet eſse exiſtentię, non

non vere res produceretur realiter, ſed intentionaliter: quod patet etiam per exemplum ipſius Zabarellæ, cum enim dicimus Cometa eſt, exiſtente Cometa, vera eſt propoſitio realiter, non intentionaliter: at ſi exiſtentia eſſet accidens intentionale, ſequeretur, quòd eſſet vera intentionaliter, non realiter. Præterea, per ipſum, forma dat exiſtentiam materiæ, ergo forma daret eſse intentionale materiæ, & ſic omne eſse, quod haberet, materia à forma, eſset intentionale, & non reale. Eſt ergo dicendum, quod eſſe eſſentiæ, eſt eſse cognitum tantummodo, ſi formaliter, & in ſeipſo conſideretur: & ſi eſt aliquo modo ens reale, nihil aliud eſt niſi ſua cauſa, vt roſa in hieme habet eſſe eſſentiæ, illud eſse vt eſt roſæ, eſt ſolum eſſe cognitum: quia eſſentia roſæ eſt cognoſcibilis, & cognoſcitur: ſed ipſa roſa nullum eſſe reale habet ſecundum eſse formale roſæ; ſed eſſe reale quod roſa tunc habet, nihil aliud eſt, niſi eſſe cauſarum, in quibus eſt, vt eſſe ſpinarum in quibus eſt virtualiter, & eſſe Creaturarum reale in Mente Diuina, nil aliud eſt, niſi eſse ipſiuſmet Dei. Sed dices, ille creaturæ in Mente Diuina, & roſa in hieme, ſunt quid potentiale, poſſunt enim eſſe, & erunt, ergo non ſunt purum non ens. Reſpondeo, quòd eorum eſſe, eſt potentiale quidem, ſed quod eſt potentiale purum, in ſe nihil eſt, eſſe enim illud potentiale, eſt potentiale potentia obiectiua, quæ formaliter, vt conſideratur in ipſa roſa, & in Creaturis, & in Mente Diuina, eſt potentia Logica, id eſt non repugnantia, vt diximus in Theoremate de Actu entitatiuo materiæ, declarando potentiam obiectiuam, & ſic concludimus, quòd eſse eſsentiæ, cum eſt quid reale, non manet diſtinctum ab eſſe exiſtentiæ. *The. 22.*
Hanc eandem ſententiam ſequutus eſt Piccolomineus, lib. 1. de Materia, capite 7. & eam probat hac præſertim ratione: quia demptis primis ſubſtantijs, nihil eſt aliorum remanere, ex Philoſopho in prædicamento ſubſtantiæ: exiſtentia autem propriè eſt primarum ſubſtantiarum (accipiendo nunc exiſtere pro eſſe extra cauſas ſuas) eſsentiæ autem de quibus ſunt ſcientiæ, abſtrahunt ab exiſtentia, & à ſingularibus, ſed ſine illis primis ſubſtantijs minimè ſunt, ergo eſsentia non ſeruatur ſine exiſtentia in eſſe reali, ſed ſolum eſt diuerſa, quo ad eſſe cognoſcibile. *Picc.*

Quædam aliæ præambulæ diuiſiones adducuntur. Cap. VI.

Tertia diuiſio eſt, quod ens rationis eſt triplex; ſcilicet, ens rationis ſubiectiuè; ens rationis obiectiuè, & ſecunda intentio; Primum eſt omne illud, quod ponitur in Mente, & Intellectu tamquam in ſubiecto, vt habitus ſcientiarum, &c. Secundum eſt omne illud, quod poteſt intelligi ab Intellectu; & hæc duo entia rationis, in ſe ſunt entia realia, ſed denominatiuè dicuntur entia rationis, quia eorum ſubiectum, eſt Intellectus; vel ipſa ſunt obiectum Intellectus. Tertium eſt ens, quòd fit ab Intellectu per actum cõparatiuum Intellectus vnius obiecti ad alterum, vt ſecundæ intentiones, & de hac diuiſione nulla eſt dubitatio. *3. diuiſio.*

Quarta diuiſio, ens reale prima ſua diuiſione diuiditur in ens quantum, & non quantum. De hac diuiſione eſt magna controuerſia inter Theologos: ſed hæc quæſtio eſt merè Theologica: quia excitatur propter relationes originis conſtituentes Diuinas perſonas, quæ ſecundum Scotum, nec dicunt perfectionem, nec imperfectionem; De qua re loquitur Scotus in 5. quæſtione Quodlibetali; itaque de hac re erit ſermo in proprio loco, Deo dante: hic enim præter inſtitutum tractatur. *4 diuiſio.*

Alia diuiſio eſt, Ens aliud eſt finitum, & aliud infinitum; & iterum, ens aliud eſt abſolutum, & aliud eſt reſpectiuum, quæ duæ diuiſiones conceduntur ab omnibus. *5. diuiſio.*

Alia diuiſio eſt. Relatio eſt duplex; alia intrinſecus adueniens, & alia extrinſecus adueniens. Relatio intrinſecus adueniens eſt, quæ poſitis extremis in eſſe, ſtatim conſurgit virtute extremorum, vt ſunt omnes relationes de quarto Prædicamento, ſcilicet, de Prædicamento, Ad aliquid. Relatio extrinſecus adueniens, eſt, quæ poſitis extremis in eſſe, non ſtatim conſurgit, ſed requiritur aliqua cau- *6. diuiſio. Relatio duplex.*

qua cau-

quæ ſcauſa externa, vt præſentia corporis me in platea, non enim ſtatim cum poſitum eſt corpus meum in eſse, & poſita eſt platea in eſse, inſurgit relatio præſentialitatis in corpore meo ad plateam: ſed requiritur aliqua cauſa externa, vt puta motus corporis mei ad plateam, & huiuſmodi ſunt ſex vltima Prædicamenta. De his Relationibus extrinſecus aduenientibus, eſt maxima contentio inter Scotiſtas, & alios, an dentur. Sed de hoc habebimus particularem Diſputationem in Quæſtionibus Metaphyſicalibus; Vide in 4. Sentent. diſp. 25. c. 2.

7. diuiſio. Alia diuiſio eſt. Ens finitum diuiditur in Subſtantiam, & Accidens, ſiuè in decem Prædicamenta; & nota, quod cum ens finitum diuiditur in Subſtantiam, & Accidens, Subſtantia non complectitur Deum: quia Deus non eſt in genere, vt ſuo loco diximus. Subſtantia autem quæ eſt in genere, vel eſt completa, vt compoſitum; vel incompleta, vt materia, & forma, quæ ſunt partes ſubſtantiæ compoſitæ.

8. diuiſio. Accidens etiam duobus modis accipitur; Vno modo pro omni eo, quod licet ſit idem realiter cum aliquo, tamen non eſt de definitione illius, vt propria paſſio reſpectu ſubiecti. Secundo modo accipitur accidens pro eo, quod accidentaliter perficit aliquid, iam in ſe perfectum eſſentialiter, & hoc eſt propriè accidens, quod definitur ex ſe illud, quod adeſt, & abeſt, præter ſubiecti corruptionem.

9. diuiſio. Res etiam duobus modis poteſt accipi; Vno modo, vt venit à reor reris, quod eſt opinor, & ſic omne quod eſt res realiter exiſtens in rerum natura, ſiue ſit ens opinabile, & habens eſſe ſolum obiectiuè, poteſt dici res; Alio modo poteſt accipi res, prout venit à ratus, rata, ratum, quod eſt firmum, & ſic ſolum ens quod habet eſse extra cauſas ſuas, eſt res. Multas alias diuiſiones pertinentes ad Vniuocationem Entis, hic ponunt Scotiſtæ, quarum aliquas non puto rectè adductas eſſe: alias verò puto ſuperuacaneas, de quibus omnibus abundè loquuti ſumus in Theoremate de Vniuocatione Entis, & ad hunc tractatum non ſpectant.

Eſt denique vna diuiſio, quæ multum inſeruit huic noſtro inſtituto, ſcilicet, quod Ens diuiditur in Ens ſimplex, & in Ens compoſitum; Simplex dicitur multis modis. Theor. 95.

10. diuiſio. Primo modo dicitur ſimplex, quod non eſt compoſitum, nec componibile, & hoc modo ſolus Deus dicitur ſimplex: quia eſt ſummè ſimplex, & omne aliud à Deo eſt compoſitum, vt compoſitio opponitur ſummæ ſimplicitati.

Secundo modo dicitur ſimplex, quod non habet conceptum quidditatiuum, & qualificatiuum, id eſt quod non conſtat ex aliquo, quod habeat rationem generis, & alio quod habeat rationem differentiæ: differentia enim qualificat ſubſtantialiter ipſum genus; & hoc modo illud dicitur ſimplex, quod habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, id eſt quod non eſt reſolubile in alios conceptus ipſum explicantes, & definientes, vt ſunt Ens, & paſſiones Entis, modi intrinſeci, & differentiæ vltimæ, de quibus loquuti ſumus in Theoremate, Quod Deus non eſt in genere; Iſta autem, quę ſunt ſimpliciter ſimplicia, actu ſimplici diſtinctè poſſunt cognoſci: vnde, vel totaliter ſciuntur, vel totaliter ignorantur: quia non habent aliquid ſecundum quod poſſint ſciri, & aliquid ſecundum quod poſſint ignorari, quæ autem opponuntur huic ſimplicitati, ſunt illa, quæ conſtant ex genere, & differentia, & ex conceptu determinabili, & determinatiuo. Theor. 96.

Tertio modo aliquid dicitur ſimplex, quia non eſt compoſitum ex re, & re, cuiuſmodi ſunt omnia Accidentia; Materia prima; Forma ſubſtantialis; compoſitio huic oppoſita, eſt compoſitio ex materia, & forma.

Quarto modo ſimplex dicitur illud, quod non eſt mixtum, vt Cęlum; quattuor elementa; quę licet compoſita ex materia, & forma, tamen ſunt ſimplicia: quia non ſunt mixta. Mixtio autem eſt compoſitio, huic ſimplicitati oppoſita.

Duplex compoſitio. Tandem duplex eſt adhuc compoſitio, ſcilicet, compoſitio ex his, & compoſitio cum his; compoſitio ex his, facit compoſitum eſſentiale, vt Socrates conſtans ex anima, & corpore, dicitur eſse compoſitum.

ſitum ex his, ſcilicet, ex materia, & forma: quia materia, & forma faciunt vnum per ſe. Compoſitio cum his, eſt compoſitio, & vnio eorum, quæ non faciunt vnum per ſe, ſed vnum per accidens, vt ſubſtantia cum albedine in homine, vel ſubſtantia cum ſubſtantia, vel accidens cum accidente; Et hæc diſtinctio eſt notanda: quia tollit multas ambiguitates.

Solent etiam Scotiſtę ponere hic aliam diuiſionem entis, in dependens, & non dependens, & ſic introducere quæſtionem, an depẽdentia Creaturæ ad Deum, diſtinguatur realiter ab ipſa Creatura: ſed quia hæc quæſtio non pertinet ad propoſitum noſtrum, & diſputatur à Theologis in 2. Sentent. diſtinct. 1. ideo illam omitto. Omitto etiam diuiſionem entis in neceſſarium, & contingens, & quæſtiones motas ab alijs circa ipſam, vt non pertinentes ad hanc materiam, & alias diuiſiones entis, & difficultates circa ipſas, quia de his tractabimus in Metaphyſica.

Exponitur communiter ſententia Scotiſtarum, de numero diſtinctionum, & identitatum. Cap. VII.

His præmiſſis, quorum cognitio nõnihil iuuat ad dilucidandum hanc materiam, ad propoſitum principale eſt accedendum. Primo autem adducam opinionem communem Scotiſtarum de numero diſtinctionum, & identitatum principalium, & de definitionibus earundem. Secundò dicam quid ſentio. Quo ad Primam, Antonius Sirectus, qui vocatur Magiſter Formalitatum, Maironus, Trõbetta, & Valonus, quos omnes fere alij ſequuntur, aſſerunt ſeptem eſſe identitates, & diſtinctiones illis reſpondentes; non ſolùm enim admittunt diſtinctionem formalem, quæ mediat inter diſtinctionem realem, & rationis, ſed volunt præter eas tres, dari alias quattuor, ſcilicet diſtinctionem ex natura rei; diſtinctionem eſſentialem; diſtinctionem ſe totis ſubiectiuè; & diſtinctionem ſe totis, obiectiuè.

1 diſtin-

Declarant ergo has diſtinctiones, per ordinem; Primo loco ponunt diſtinctionem, & identitatem rationis, quas optimè declarant per duas Concluſiones. *ctio, & identitas.*

Prima illa ſunt idem ratione, quæ habent conceptum omninò indiſtinctum à parte Intellectus, vt homo eſt idem ſibi-ipſi, & omnia, quæ ſunt in tertio modo dicendi per ſe, 1. Poſter. cap. 4.

Secunda Concluſio. Illa diſtinguuntur ratione, quæ diſtinguuntur per actum collatiuum intellectus præcisè; vel vt alij dicunt, per ſolam operationem intellectus: vt in omni propoſitione in qua prædicatur idem de ſeipſo, ſubiectum, & prædicatum diſtinguuntur ratione, e. g. Homo eſt Homo, hic ex parte rei, inter hos duos terminos nulla eſt differentia: ſed ſunt omnino idem, ſolum ex parte intellectus diſtinguuntur: quia vnum eſt prædicatum, alterum eſt ſubiectum.

Ex dictis deducitur, quod diſtinctio rationis cadit inter entia rationis inter ſe, & inter entia rationis, & entia realia, vt genus, & ſpecies diſtinguuntur ratione; item genus, & animal; quia ambo, vel alterum extremorum, eſt ens rationis; & nota quod hæc eſt diſtinctio rationis ratiocinantis, non rationis ratiocinabilis, ſiue rationis ratiocinatæ, quia hæc à Scotiſtis appellatur diſtinctio formalis, & ex natura rei, & tamen eſt diſcrimen, quod ſupra c. 3. notauimus.

Sed aliqui obijciunt contra hanc diſtinctonem; nam videtur vana: quia omnis diſtinctio quæ non ſortitur robur à re, videtur vana, diſtinctio iſta rationis eſt talis, ergo.

Secundò, Intellectus intelligens rem aliter quam ſit, eſt falſus: ergo ſi Intellectus intelligat rem eſſe diſtinctam, & non ſit diſtincta, intellectus falſo intelligit. *2.*

Reſpondetur communiter ad primũ, quod diſtinctio rationis eſt vana, ſi non ſortitur robur à re, vel à non repugnantia rei. *Ad 1.*

Per idem ad ſecundum; nam intelligere rem aliter quam ſit, contingit duobus modis; Vno modo, quod intelligat rem ſub modo repugnanti, & ſic Intellectus eſt falſus; Alio modo, quod intelligat rem alio modo quam eſt, ſed non ſub modo *Solu. Ad 2.*

repu-

repugnanti, & ſic non eſt falſus; Vel dicere poſsumus, quod ſicut duplex eſt res, ſcilicet, realis, & rationis, diſtinctio rationis ſumit robur ab ente rationis, ſicut realis ab ente reali, & per hoc patet etiam ad ſecundum argumentum, quod ſi Intellectus intelligat ens rationis eſſe diſtinctum ratione, & non ſit diſtinctum ratione, eſt falſus Intellectus, ſed ſi Intellectus intelligat ens rationis eſse diſtinctum ratione, licet ex parte rei nulla ſit diſtinctio, dummodo ex parte rationis adſit hæc diſtinctio, non eſt falſus Intellectus.

2. diſtinctio, & identitas princ. Secunda diſtinctio, & identitas principalis eſt identitas, & diſtinctio ex natura rei, quæ declaratur per duas Concluſiones.

Prima eſt. Illa ſunt idem ex natura rei, de quibus duo prædicata oppoſita ſecluſo opere intellectus, verificari nō poſsunt.

Secunda Concluſio. Illa diſtinguuntur ex natura rei, de quibus duo contradictoria verificantur ſecluſo opere intellectus: addunt exemplum de definito, & definitione: quia ſecluſo opere intellectus, definitio eſt conſtitutiua, definitum eſt conſtitutum: illa verò ſunt idem ex natura rei, inter quæ ceſsante operatione intellectus, nulla cadit diſtinctio ex parte rei.

3. diſtinctio, & identitas. Tertia diſtinctio, & identitas principalis, eſt formalis. Pro intelligentia cuius eſt notanda vna diuiſio, quam omnes Scotiſtæ ponunt, & nos pluries ſuprà tetigimus, nempè quod formale venit à forma, ſed forma accipitur pluribus modis.

Primo modo accipitur pro altera parte compoſiti, quæ cum materia conſtituit compoſitum.

Alio modo accipitur pro forma totius, de qua diximus in Theoremate de toto, & partibus, alio modo accipitur pro accidente, vt albedo dicitur forma accidentalis, alio modo accipitur pro intelligentia ſeparata, quia intelligentiæ dicuntur formæ abſtractæ: nullo horum modorum accipitur in propoſito forma; Denique accipitur forma pro quacumque ratione, ſub qua ex natura rei aliquid poteſt concipi, quod eſt idem quod realitas ſiue formalitas, & hoc modo capitur in præſenti, & ab hac forma deſcendit formale, & denique identitas, & diſtinctio formalis.

1. cōcluſ. His ſic ſtantibus ponitur prima Concluſio à Mag. Formalitatum. Illa ſunt idem formaliter, quorum vnum includit alterum in ſua ratione formali, & per ſe primo modo: intelligunt autem hanc definitionem in hoc ſenſu, quod inferiora ſint idem ſuis ſuperioribus: quia inferiora includunt ſuperiora in primo modo dicendi per ſe: at nolunt ſuperiora eſse ſic idem formaliter ſuis inferioribus, quia ſuperiora non includunt inferiora in ſua ratione formali.

2. cōcluſ. Secunda Concluſio. Illa diſtinguuntur formaliter, quæ habent aliam, & aliam formalitatem, quarum neutra includit alteram in ſua ratione formali, & per ſe primo modo, quam etiam intelligunt in præallegato ſenſu.

Diſtinctio realis Quarta identitas, & diſtinctio principalis eſt realis, quæ ſimiliter explicatur duabus Concluſionibus. *1. cōcluſ.* Prima eſt. Illa ſunt idem realiter, quæ ſic ſe habēt, quod vnum non poteſt eſse ſine altero abſque contradictione, dummodo hæc impoſſibilitas non proueniat à cauſa extrinſeca, & quod vnum reſpectu alterius non ſit originans, & aliud originatū, & quod nō ſint in pluribus rebus diſtinctis realiter.

Ponitur prima particula conditionalis, ad denotandum quod aliqua diſtinguuntur realiter, & tamen vnum non poteſt ſeparari ab altero, propter cauſam externam illa coniungēte ſimul, vt Cælum, & eius motus: motus enim Cæli, ſecundū Philoſophū, non poteſt ſeparari à Cælo, & tamen eſt realiter diſtinctus à Cęlo.

Secunda particula ponitur propter Diuinas perſonas, quarum vna non poteſt ab altera ſeparari, & tamen diſtinguuntur realiter. Sed hoc eſt peculiare perſonarum in Trinitate.

Tertia conditio ponitur propter Relationes, vt paternitas, & filiatio, quæ diſtinguuntur realiter, & tamen vna, non poteſt eſse ſine altera, & tamen de his eſt manifeſtū, quod diſtinguuntur realiter, quia ſunt in ſubiectis realiter diuerſis.

2. cōcluſ. Secunda Concluſio eſt. Illa ſunt diſtincta realiter, quorum vnum poteſt manere ſine altero ſine contradictione; vel

ſunt

ſunt in diuerſis rebus realiter diſtinctis; vel vnum eſt producens; & aliud eſt productum.

Prima Concluſio probatur à Scoto longo ſermone, in 2. Sententiarum, diſtinctione 1. quæſtione 5. præſertim ſic. Nihil eſt idem realiter A, ſine quo A, poteſt eſſe realiter ſine contradictione, quia aliter idem ſimul eſſet, & non eſſet, quod videtur eſſe oppoſitum primi principij, duo contradictoria non poſſunt ineſſe eidem, ſecundum idem. Ex quo primo principio, videtur ſtatim concludi diuerſitas entium: quia ſi de aliquibus dicantur contradictoria, eo modo quo dicuntur de eis, videntur non eſſe idem; & confirmatur ratio: quia ſi iſta propoſitio negetur à proteruo, illa ſunt diſtincta realiter, quorum vnum poteſt manere ſine altero, non videtur relinqui, vnde poſſit diſtinctio entium probari; diceret enim proteruus, quod Socrates, & Plato, ſunt idem realiter, & ſi arguas contra, Socrates poteſt eſſe ſine Platone, ergo diſtinguuntur realiter; negaret hanc conſequentiam: quia negat propoſitionem cui innititur, nempè, quod illa, quorum vnum poteſt eſſe ſine altero, diſtinguantur realiter. Contra definitionem hanc arguit Caietanus, & alij, quorum confutationem habes in 2. Sentent. diſt. 8. c. 1.

Obiectiones Caietani, & aliorum contra definitionem diſtinctionis, & identitatis realis habentur in ſecundo Sententiarum diſtinct. 8. cap. 1.

5. diſtinctio. Quinta diſtinctio, & identitas eſt eſſẽtialis; Sed eſt hic notandum, ne in æquiuoco laboremus, quod identitas eſſentialis capitur dupliciter; Vno modo pro illa identitate, qua aliqua identificantur vni eſſentiæ ſingulari, & ſic inter identitatem eſſentialem, & realem, nulla eſt differentia, præter quam in Diuinis, quia tres perſonæ Diuinę ſunt eædem realiter vni eſſentię ſingulariſſimæ, & per conſequens dicuntur eſſe idem eſſentialiter, & tamen inter ſe diſtinguuntur realiter; in Creaturis verò, quæ ſunt eadem vni eſſentię ſingulari, ſunt etiam idem realiter, abſque vllo dubio.

Alio modo illa dicuntur eſſe idem eſſentialiter, quæ ſunt de eſſentia alicuius, ſiue quæ concurrunt intrinſecè ad conſtituendum eſſentiam alicuius, & ſic animal, & rationale ſunt idem eſſentialiter: quia ſunt de eſſentia hominis. Sed in præſenti maximè loquimur ſecundum primum modum, & tunc eſt Prima Concluſio; Illa ſunt idem eſſentialiter, quę identificantur vni eſſentiæ ſingulari, Secunda Concluſio. Illa diſtinguuntur eſſentialiter, quæ non identificantur alicui vni eſſentiæ ſingulari.

6. diſtinc. Sexta diſtinctio & identitas eſt ſe totis ſubiectiuè, de qua ſunt duo modi dicendi; Primus. Illa dicuntur eſſe idem ſe totis ſubiectiuè, quæ quidditatiuè conueniunt in aliqua realitate potentiali, & contrahibili per realitatem differentiæ: quæ verò non conueniunt in tali realitate quidditatiuè, diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè. Alius modus dicendi eſt, quod illa ſunt idem ſe totis ſubiectiuè, quorum realitates poſſunt ſimul eſſe in eadem re: vel per identitatem realem, vel per modum informantis, vel informabilis; & per oppoſitum illa diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè, quorum realitates non poſſunt eſſe ſimul in eodem numero altero prædictorum modorum; & in hoc ſenſu, omnia quæ ſunt in eodem indiuiduo, ſiue ſint ſuperiora, ſiue accidentia abſoluta, ſiue reſpectiua, ſunt idem ſe totis ſubiectiuè, & è conuerſo duo contraria, vel oppoſita relatiua, diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè, quia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto.

7. diſtinc. Septima diſtinctio, & identitas eſt ſe totis obiectiuè, quæ declaratur per duas Cõcluſiones, quarum Prima eſt. Illa ſunt idem ſe totis obiectiuè, de quibus poteſt prædicari aliquod prædicatum quidditatiuè, ſiue illud ſit limitatum, ſiue illimitatum, ſiue dicat realitatem potentialem, ſiue non. Secunda Concluſio. Illa diſtinguuntur ſe totis obiectiuè, de quibus non poteſt prędicari tale prædicatum quidditatiuè, ex quo deducunt, quòd Deus, & Creatura, & omnia Prædicamenta ſunt idem ſe totis obiectiuè, paſſiones verò entis, & vltimæ differentiæ, & ipſum ens, ſunt diuerſa ſe totis obiectiuè, quia nec ens, nec vllum prædicatum eſt, quod de illis quidditatiuè prædicatur. Hęc communiter

muniter à Scotiſtis tractantibus de Formalitatibus acceptantur, & pro veris admittuntur.

Reijcitur communis ſententia circa aſſignationem identitatis, & diſtinctionis formalis; & quis ſit germanus ſenſus ad mentem Scoti declaratur. Cap. VIII.

DVo ſunt, quæ ipſe nunquam probare potui in hac communi ſententia Scotiſtarum. Primum eſt, intellectus definitionis identitatis; & diſtinctionis formalis, quem ipſi afferunt. Secundum eſt, numerus diſtinctionum, & identitatum principalium; Quo ad Primum, vt innoteſcat veritas, examinare neceſſe eſt ſententiam Sirecti, & aliorum eum ſequentium, & eorum fundamenta, quæ vt pateant, ſciendum eſt, quod Scotus 1. Sentent. d. 2. quæſt. 7. in corpore quæſiti. H. H. loquens de identitate, & diſtinctione formali, habet hæc verba *Voco autem identitatem formalem vbi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui ſic eſt idem in ſua ratione formali per conſequens per ſe primo modo* (Et hoc idem repetit in eodem 1. Sent. diſtin. 8. q. 4. §. ad quæſtionem; & magis ſe declarat his verbis. *Hoc declaro: quia includere formaliter, eſt includere aliquid in ratione ſua eſſentiali: ita quod ſi Definitio includentis aſſignetur, incluſum eſſet definitio, vel pars definitionis.*) Hæc definitio aſſignata à Scoto, ita intelligitur à Magiſtro Formalitatum, quem ſequuntur Mauritius, Valonus, & alij; quod illud, quod includit alterum, ſit idem formaliter includenti: vnde deducunt hoc Corrolarium. Quod inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori; quia includit ſuperius in primo modo per ſe; ſed ſuperius non eſt idem formaliter ſuo inferiori, vt homo eſt idem formaliter animali, ſed animal non eſt idem formaliter homini: quia animal non includit hominem in ſua definitione formali. Antonius Trombetta verò in ſuis Formalitatibus contradicit Magiſtro Formalitatum, & ex oppoſito vult, quòd ſuperius ſit idem formaliter inferiori, nō autem inferius ſuperiori; & hic fit magna contentio inter Formaliſtas. Ego autem hanc pugnam ſemper inanem exiſtimaui, & neutram opinionem veram eſſe arbitror.

Probo itaque eſse impoſſibile, quod ſi ſuperius ſit idem formaliter inferiori, inferius non ſit idem formaliter ſuperiori, & è conuerſo, quod ſi inferius eſt idem formaliter ſuperiori, eſt impoſſibile, quod ſuperius non ſit idem formaliter inferiori, & primo ſic; Identitas, æqualitas, & ſimilitudo, ex Ariſtotele 5. Metaphyſices capitulo de Ad aliquid, tex. 20. & ex Scoto in expoſitione ibidem, ſunt relationes primi modi, & fundantur ſuper vnum: at Relationes primi modi ſunt mutuæ, ita quod vnum extremum refertur ad alterum, & alterum ad primum, (ſolum enim Relationes tertij modi ſunt nō mutuæ, vt ſcientia, & ſcibile, vt ibidem tradit Ariſtoteles apertè, & Scotus in expoſitione.) ergo identitas in quocumque ſit, erit mutua: at per Magiſtrum Formalitatum inferius eſt idem Formaliter ſuperiori, ergo ſuperius quoque eſt idem inferiori; alioquin identitas non eſſet relatio mutua.

Sed reſpondet Mauritius apud Valonem, quod non valet conſequentia: Relationes primi modi ſunt mutuæ, ergo ſi inferius eſt idem formaliter ſuperiori, mutuo ſuperius quoque erit idē inferiori; Ratio negationis eſt: quia inquit, formaliter eſt dictio diſtrahens, & ſic non valet, quod ſi eſt relatio ex vna parte, ſit quoque ex alia, & conſequenter ſit mutua. *Mauritij reſp.*

Sed re vera hæc reſponſio eſt mera euaſio argumenti: quia ſiue formaliter ſit dictio diſtrahens, ſiue non, hoc non tollit, quin identitas formalis ſit relatio primi modi. Similiter diſtinctio formalis, quæ fundatur ſuper vnum, etiam eſt mutua ex Ariſtotele, & Scoto, in illo 5. Metaphyſices; vel enim concedunt identitatem formalem eſſe relationem primi modi; vel non: ſi negant, contradicunt Ariſtoteli & Scoto, qui ponit identitatem, æqualitatem, & ſimilitudinem: quæ fundantur ſuper vnum in primo modo relatiuorum; ſi concedunt, quod competit generi, *reijc.*

neri, competit quoque ſpeciebus, illæ relationes primi modi ſunt mutuæ ex Ariſtotele ibi, vt dictum eſt, & diſtinguuntur à relationibus tertij modi per hoc, quod illæ ſunt mutuæ, iſtæ nequaquam, ergo identitas formalis eſt mutua. Præterea, dicere, quod formaliter ſit dictio diſtrahens, eſt mera euaſio: quia formaliter eſt dictio, & modus ſpecificans identitatem, & diſtinctionem; nam plures ſunt ſpecies identitatum, vt patet ex eorum opinionibus, ſcilicet rationis: ex natura rei, &c. vt ergo intelligatur quænam identitas ſit hæc, dicitur identitas, & diſtinctio formalis. Præterea, dictio diſtrahens, eſt quæ diminuit, & deſtruit rem cui adiungitur, vt ſi dicam, homo pictus, vel homo mortuus: nam hæc dictio, mortuus, deſtruit hominem; nam homo mortuus, non eſt amplius homo; at hæc dictio formaliter non deſtruit identitatem, nec diſtinctionem, ſed ſolum ſpecificat; alioquin ſi deſtrueret identitatem, & diſtinctionem, identitas formalis, & diſtinctio formalis, non eſſent vera identitas, nec vera diſtinctio, ſicut homo mortuus, non eſt verus homo.

alia reſp. Alia reſponſio eiuſdem adducta à Valone, ſcilicet, quod in inferiori eſt relatio identitatis formaliter, in ſuperiori verò eſt terminatiuè, ſimiliter eſt falſa: quia tunc hæc relatio identitatis formalis, non eſſet primi modi, quia non eſſet mutua, quod eſt contra Ariſtotelem, vt dictum eſt.

reſp. Val. Valonus cognoſcens has reſponſiones non ſatisfacere, ipſe aliter ſoluere nititur, & ait, quod idẽtitas eſt relatio mutua, quotieſcumque in vtroque extremo eſt eadem ratio fundandi, ſed in propoſito non eſt eadem ratio in inferiori, & ſuperiori, quia ſuperius non habet eandem rationem fundandi quam habet inferius.

reijc. Sed nec ipſa eſt alicuius momenti: quia hæc identitas fundatur in vnitate formali, ſiue formalitatis alicuius, quæ eſt vna, & eadem in duobus; alioquin ſi non eſt in vtroque illorum, alterum non poteſt dici eſſe idem illi: quoniam nunquam erit illi idem formaliter, niſi in vnitate formali conueniat cum illo, eſt ergo eadem ratio fundandi in vtroque.

Præterea, æqualitas, ſimilitudo, & identitas, ſunt eiuſdem rationis: quia ſunt in primo modo, & fundantur ſuper vnum: at non eſt intelligibile, quod æqualitas, & ſimilitudo non ſint mutuæ, non enim eſt intelligibile, quod Socrates ſit ſimilis Petro, & tamen Petrus in eodem genere ſimilitudinis non ſit ſimilis Socrati, idem de æqualitate, ergo etiam non eſt intelligibile, quod inferius, vt homo ſit idem animali, & animal non ſit idem homini, eodem genere identitatis: at per iſtos homo eſt idem formaliter animali, ergo animal quoque erit idem formaliter homini, quia æqualitas, ſimilitudo, & identitas ſunt eiuſdem rationis, & modi, nempe primi.

Præterea confirmatur: quia nulla duo reperiri poſſent, quę eſſent idem formaliter; quoniam nulla duo reperiri poſſunt, quæ ſe mutuo includant in ſuis definitionibus quidditatiuis, & in primo modo. Solum enim inferius includit ſuperius; at ſuperius non includit inferius, & tamen hoc conſequens eſt abſurdum: quia quod competit generi, competit quoque ſpeciebus; at identitati in genere competit mutuitas, quia eſt in primo modo relatiuorum, ergo etiam competere debet ſuis ſpeciebus, ergo, & identitati formali, quę eſt ſpecies identatis: cęteræ etiam ſpecies identitatis ſunt mutuę, vt identitas realis, ex natura rei, &c. ergo, & identitas fotmalis debet eſſe mutua.

Præterea, ſequeretur, quod ſicut inferius eſt idem ſuperiori formaliter, ſed ſuperius non eſt idem formaliter inferiori, ita ſuperius diſtingueretur formaliter ab inferiori: Sed inferius non diſtingueretur formaliter à ſuperiori, quod implicat contradictionem. Conſequentia eſt euidens: quia non eſſe idem formaliter, & diſtingui formaliter ęquipollent.

Pręterea, vbi eſt fundamentum relationis, ibi eſt relatio, quando relatio eſt intrinſecus adueniens, vt eſt identitas formalis: ſed in vtroque extremo illorum, quę dicuntur idem formaliter, eſt fundamentum identitatis formalis, ſcilicet, vnitas formalis, ergo identitas formalis eſt

relatio

relatio mutua, & in vtroque extremo Minor probatur: quia inferius non poteſt eſſe idem formaliter ſuperiori, nec vniuerſaliter aliquid poteſt eſſe idem alicui, niſi conueniat cum illo in aliqua vnitate; ſi ergo inferius eſt idem formaliter ſuperiori, neceſſe eſt, quod inferius, & ſuperius conueniant in aliqua vnitate formali, quia ſi ſuperius nihil habet commune cum inferiori in quolibet genere vnitatis formalis, nunquam inferius poterit eſſe idem illi ſuperiori: ſi enim eſt illi idem, neceſſe eſt; quod in aliqua formalitate ſit idem. Ex hoc clarè patet, quod in vtroque extremo eſt fundamentum identitatis, ſcilicet vnitas formalis, ſiue vnitas alicuius formalitatis, ergo identitas formalis eſt mutua, & in vtroque extremo fundatur.

Contra eos etiam eſt locus Scoti in Reportatis 1. libro, diſtinctione 33. quæſtione 2. quem locum citant pro ſe Mauritius, & Valonus; poſtquam enim Scotus dixit, quod homo eſt idem formaliter animali, paulo infra ait, homo, & animal ſunt idem, identitate non adæquata (intelligit de identitate formali, vt infrà patebit) ecce quod putat Scotus, quod identitas ſit mutua, quia dicit de vtroque illa eſſe idem; iſti enim nolunt, quod poſſit dici, homo, & animal ſunt idem formaliter: quia hæc propoſitio, ſecundum eos eſt falſa: quia animal non eſt idem homini; ſed volunt quod dicamus, homo eſt idem animali tantum: at Scotus ait de vtroque quod ſunt idem.

Opin. auctoris. Reiecta igitur hæc expoſitione, quæ prorſus vana eſt, licet ex verbis Scoti primo aſpectu habeat magnam probabilitatem, ego puto germanum ſenſum diſtinctionis, & identitatis formalis eſſe hunc, Illa ſunt idem formaliter quæ habent eãdem definitionem, ſiue eandem conceptibilitatem ex parte rei; illa verò diſtinguũtur formaliter, quæ non habent eandem definitionem, nec conceptibilitatem ex parte rei. Agnoſcunt Magiſter Formalitatum, & ſui ſequaces, hunc ſenſum diſtinctionis, & identitatis formalis: ſed aiunt, hoc eſſe impropriè, & abuſiuè vt identitate formali: at ex dictis iam patet, quod eorum expoſitio, & ſenſus, eſt improprius, & falſus; hunc autem eſſe germanum, nunc probabimus.

Quando Scotus dicit 1. Sentent. diſt. 2. quæſt. 7. H. H. & alibi, vt citauimus ſuprà (voco identitatem formalem, vbi illud quod dicitur ſic idem, includit illud cui ſic eſt idem, in ratione ſua formali, & per conſequens in primo modo dicendi per ſe) ſenſus eſt, voco identitatem formalem, illam identitatem in qua aliqua conuenire dicuntur, quia habent eandem definitionem in primo modo dicendi per ſe, quæ ergo habent eandem definitionem, ſunt idem formaliter: quando enim ſunt aliqua duo, quę habeant eandem definitionem quidditatiuam, vt Socrates, & Plato, vnum inccludit alterum in ſua ratione formali, in primo modo dicendi per ſe: quia definitio quidditatiua vnius eſt definitio quidditatiua alterius; verum eſt notandum, quod hęc identitas formalis eſt duplex, vt notat Scotus egregiè in Reportatis, diſtinct. 33. quæſt. 2. Alia enim eſt identitas formalis adæquata; & Alia eſt identitas formalis inadæquata; identitas formalis adæquata, eſt, quando definitio vnius, nil aliud continet, niſi illud, quod continetur in definitione alterius; inadæquata verò eſt, quando vnum continet aliquid quod continetur in definitione alterius: ſed tamen vel aliquid adiungit, vel aliquid minuit, & tunc iſta duo dicuntur idem formaliter, ſed inadæquatè: & adducit exemplũ Scotus in Reportatis, quod Aduerſarij habent ſemper præ manibus, nec illud intelligunt, vt homo, & animal ſunt idem formaliter, ſed inadæqurtè: quia definitio animalis eſt eadẽ quæ definitio hominis: & definitio hominis eſt eadem, quæ definitio animalis, ſed inadæquè: quia vt ibi inquit Scotus, definitio hominis plus includit, quã definitio animalis, ſcilicet, rationale: animalis etiã definitio habet aliquid, quod nõ habet definitio hominis, ſcilicet, communicabilitatem pluribus ſpeciebus; ecce rem optimè declaratã à Scoto: homo, & animal ſunt idem formaliter: quia includunt eandem definitionem, ſiue eandem conceptibilitatẽ ex parte rei præter opus intellectus: nam homo eſt ſubſtantia ani-

mata ſenſibilis, etiam animal eſt ſubſtantia animata ſenſibilis:ſunt ergo idem formaliter: quia vnum includit aliud in ſua ratione formali mutuo;at non ſunt idem formaliter adæquatè; quia animal includit aliquid, quod non includitur in homine, ſcilicet, communicabilitatem ad plures ſpecies; etiam homo includit aliquid,quod non includitur in animali, ſcilicet rationalitatem: ergo homo, & animal non ſunt idem adæquatè formaliter. Hoc idem habes apud Scotum 1.Sentent. diſt.13.quæſt.1.§.Ad quæſtionem reſpondeo, vbi declarat, quomodo emanationes formaliter primo ſe totis, differant, vbi declarat quomodo aliqua primo formaliter differunt, aliqua verò formaliter differant,ſed non primo,his verbis.Diſtingui autem primo formaliter, non eſt diſtingui per aliquod incluſum in vno aliquo, & in aliquo conuenire, ſed ſe toto formaliter diſtingui etiam ſi per impoſſibile omne aliud à ratione ſua circumſcribatur &c. vide ibi. Si verò animal nihil includeret, niſi quod includit homo, & homo nihil includeret,niſi illud præciſè,quod includit animal, eſſent idem formaliterr,& adæquatè:dat exemplum Scotus ibidem de definitione,& definito, nihil enim clauditur in definito, quod non claudatur in definitione, nec aliquid ponitur in definitione, quod illud totum nō contineatur in definito.

Hoc eſt illud idem, quod dicit Scotus in 1. Sententiarum, diſtinctione 8. quæſtione 4. reſpondendo ad quæſitum (includere formaliter, eſt includere aliquid in ſua ratione eſſentiali, ita quod ſi definitio includentis aſſignetur;incluſum eſt tota definitio, vel pars definitionis)quem locum Aduerſarij non poſſunt declarare: quia ſi intelligatur vt ipſi dicunt,ſcilicet, quod inferius tantum eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, tamquam incluſum eſt tota definitio, quia ſuperius nunquam eſt tota definitio inferioris,ſed ſemper eſt pars.

Senſus germanus ergo eſt, quod quando eſt identitas formalis adæquata, incluſum eſt tota definitio: quia includens nil aliud includit,niſi incluſum,vt definitum nil aliud continet,niſi definitionem; & ſic de alijs; Quando verò aliqua duo habent eandem definitionem, vnum poteſt dici tota definitio alterius, quia ſi aſſignetur vnius definitio, eſt tota definitio alterius.

Sed quando non eſt identitas formalis adæquata, tunc incluſum eſt pars definitionis alterius, vt definitio animalis, eſt pars definitionis hominis, & definitio hominis eſt pars definitionis animalis, vt declaratum eſt.

Viſo quid ſit identitas formalis, ex oppoſito patet quid ſit diſtinctio formalis: ipſa enim eſt quoque duplex; ſcilicet, diſtinctio formalis adęquata; & diſtinctio formalis inadæquata;diſtinctio formalis adæquata, eſt, quando vnum in ſua ratione formali, & in primo modo dicendi per ſe, non includit vllo pacto alterum, nec vt totum,nec vt partem, Qualitas, & Relatio; & denique, quę omnino diuerſam definitionem, & conceptibilitatem habent; Diſtinctio formalis inadequata eſt, quando aliqua duo in aliquibus prædicatis quidditatiuis, & formalibus conueniunt, & in aliquibus diſtinguuntur, vt homo, & animal, ſicuti enim dicuntur idem formaliter inadęquatę, ita poſſunt diſtingui formaliter inadęquatę: quia in aliquibus prędicatis, & formalitatibus conueniunt, & in aliquibus diſtinguuntur, & ſic non ſunt idem adæquatè formaliter.

diſtinctio form. dupl.

Ex his patet, quomodo Scotus intelligat eſſentiam Diuinam, & Relationes,ſiue Proprietates perſonales in Diuinis diſtingui formaliter, eſt enim hęc ratio: quia ſi Eſſentia Diuina definitur, & Relatio quoque definiatur,nullo pacto formaliter conueniunt(Quando autem Scotus in reportatis, diſtinct.33. ait Eſſentiam, & Relationes non eſſe idem adęquatè, non loquitur in hoc ſenſu,in quo nos nūc loquimur: ſed ſenſus eius eſt, quod non ſunt idem adęquatè abſolutè: quia licet ſint idem realiter, tamen non ſunt idem formaliter,& ſic non ſunt adęquatè idē, id eſt,abſolutè:quia non ſunt idem formaliter, licet ſint idem realiter) quia haberent definitiones omninò diuerſas, quarum vna non includeret aliam adæquatè, nec inadęquatè;etenim Eſſentia Diuina, & Re-

& Relationes, in nullo prædicato conueniunt, ſed ſunt omninò diuerſæ formaliter, nedum adæquatè, ſed etiã inadæquatè. Item Attributa Diuina: quia nulla definitio vnius, adæquatè eſt definitio alterius; neque vllum prædicatum quidditatiuum vnius Attributi, vel ſaltem non omnia, includuntur in definitione quidditatiua alterius Attributi; propter hoc diſtinguuntur formaliter; habent enim ex parte rei ceſſante omni opere intellectus, diuerſas conceptibilitates, ſiue quidditates: & propter hoc, dicuntur diuerſa formaliter. Sed de his fuſius aliàs in Theologia.

Diſputatur de numero diſtinctionum, & identitatum principalium. Cap. IX.

SEcundum principale dubium, propter quod ſententia communis mihi non probatur, eſt circa numerum diſtinctionum principalium, & identitatum. Inprimis arbitror, quod diſtinctio formalis, & ex natura rei, ſint vna met diſtin-
1. rō. ctio, & identitas. Quod probo ex definitione diſtinctionis, & identitatis, ex natura rei ſuperius allata, quam omnes Scotiſtæ concedunt; Quæ definitio eſt hæc.

Illa ſunt idem ex natura rei, de quibus duo prædicata oppoſita ſecluſo opere intellectus, verificari non poſſunt; Illa verò diſtinguuntur ex natura rei, de quibus duo prædicata oppoſita verificari poſſunt; at prima definitio verificatur ſolum de ijs, quæ habent eaſdem definitiones, & formalitates, ſiue conceptibilitates ex parte rei.

Secunda definitio, ſcilicet, definitio diſtinctionis ex natura rei verificatur ſolum de ijs, quæ habent diuerſas formalitates, & definitiones ex parte rei, quarum vna non includit alteram in ſua ratione formali, ergo identitas ex natura rei, & diſtinctio ex natura rei, ſunt idem quod idẽtitas formalis, & diſtinctio formalis; Aſſumptum patet: quia quæ ſunt idem formaliter adæquatè, habent omnino eadẽ prædicata, & quæ competunt vni, competunt & alteri; quæ verò diſtinguuntur formaliter, ſunt quæ habẽt diuerſas quidditates, & conſequenter de illis verificantur prædicata oppoſita.

Accedit, quòd nunquam Scotus dixit, 2.
diſtinctionem formalem diſtingui à diſtinctione ex natura rei: neque enim aſſignant locum Formaliſtæ; ex dictis autem Scoti colligitur oppoſitum: quia 1. Sent. diſtinct. 2. loco citato, ait, quod diſtinctio iſta, quæ eſt inter Eſſentiam, & Relationes, quam vocat formalem, vt ſuprà oſtendimus, eſt minima diſtinctio in ſuo ordine, id eſt inter omnes, quæ præcedunt operationem intellectus, & propter hoc ait eſſe immanifeſtum.

Præterea, in eodem loco ait Scotus, 3.
quod hæc diſtinctio formalis, appellatur ab alijs diſtinctio rationis, non vt ratio accipitur vt formatur ab intellectu, ſed vt accipitur pro quidditate rei, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus; at Formaliſtæ dum loquuntur de diſtinctione ex natura rei, dicunt, quod ab alijs appellatur diſtinctio rationis non ratiocinantis, ſed ratiocinatæ, & quod eſt minima inter diſtinctiones ex parte rei; ergo hæc diſtinctio ex natura rei, eſt idẽ quod diſtinctio formalis; item Scotus ibidem magis declarando hanc diſtinctionem formalem, habet hæc verba. [*Breuiter dico,* 4.
quod in Eſſentia Diuina ante actum intellectus, eſt entitas A. & entitas B. & hæc non eſt formaliter illa, ita quod intellectus paternus conſiderans A. & conſiderans B. habet ex natura rei, vnde illa compoſitio ſit vera A, non eſt formaliter B, non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa A, & B,] Ex his aperte patet, quod apud Scotum, idem eſt diſtinctio, & non identitas formalis, quod diſtinctio, & non identitas ex natura rei. Hoc idem 5.
patet ex communi modo loquendi, quo vtitur Scotus, aliquando enim & indifferenter vocat diſtinctionem formalem diſtinctionem ex natura rei, & è conuerſo.

Sexto, & vltimò diſtinctio formalis ca- 6.
dit inter diuerſas formalitates, & realitates: ſed diſtinctio ex natura rei, ſe habet hoc modo, ergo ſunt vnum, & idem. Accedit, quod cum Scotiſtæ volunt declarare diſtinctionem ex natura rei adducunt exemplum de definitione, & definito: at

Scotus in Reportatis, vt cap. præcedenti vidimus adducit illud exemplum ad declarandum diſtinctionem formalem, ergo identitas,& diſtinctio ex natura rei, & formalis, idem ſunt, quæ vero dicunt Mauritius,& Valonus, vt tueantur has identitates, & diſtinctiones eſſe diuerſas, nullius ſunt momenti, & propterea illa omitto.

Quantum ad alias identitates, illas puto ſuperuacaneas, nam identitas eſſentialis, ſi Philoſophicè procedamus, eſt idem quod diſtinctio, & identitas realis, vt diximus ſuprà declarando eam, capite 7. in Theologia verò eſt diuerſa, vt ibidē diximus. At diſtinctio,& identitas ſe totis ſubiectiuè, accepta in primo ſenſu, eſt idem quod vnitas,& pluralitas genericè, in ſecundo ſenſu eſt idem, quod vnitas numeralis,& pluralitas numeralis; At lata eſt differentia inter identitatem, & vnitatem: ſunt enim diuerſæ paſſiones entis; & inſuper vnitas eſt quid largius quàm identitas. Vnde vnitas numeralis, quæ eſt maxima vnitas, ſecum patitur omnes diſtinctiones, & præſertim diſtinctionem realem: nam homo albus, eſt vnum numero tamen homo, & albus, realiter diſtinguuntur. Item Socrates eſt vnus numero, & tamen anima, & corpus diſtinguuntur realiter; Nos autem,& Scotiſtæ, profitemur hic inueſtigare numerum identitatum non vnitatum, alioquin debebant numerare vnitatem genericam, ſpecificam,&c. Verum eſt quod quandoque identitates,& vnitates confunduntur. Identitas verò,& diſtinctio ſe totis obiectiuè nulla eſt: nihil enim reperitur, quod non communicet cum ente,& cum alijs, & ideo omnia ſunt idem hoc modo. Sed iſti Scotiſtæ illam ponunt, quia tenent illud falſum fundamentum, quod ens non prædicetur in quid de ſuis paſſionibus, & The. 95. vltimis differentijs. Sed illud nos declarauimus in Theoremate de vniuocatione entis, ideo hic non eſt repetendum. Multa alia dicta à diuerſis in illis Formalitatibus poſſunt reuocari in dubium: ſed quia ſunt paruæ vtilitatis,& breuitas iuuat intelligentiam, hic finem impono.

Variæ obiectiones aduerſus doctrinam ſuperius traditam de diſtinctionibus, & identitatibus. Cap. X.

LIcet ex dictis hucuſque in hoc tractatu Formalitatum facilè poſſint diſſolui omnes difficultates incidentes circa diſtinctiones, nihilominus ad maiorem prędictorum declarationem,& confirmationem decreui addere nonnullas obiectiones quæ ſolent faceſſere aliquibus negocium, & illas diſſoluere; Et licet hæc diſputatio ſit tota Metaphyſica, & ego Deo dante editurus ſim Metaphyſicam Scoti, in qua omnia ad Metaphyſicam ſpectantia dilucidare tentabo: multaque ad philoſophiam naturalem pertinentia addam: tamen quoniam hic Tractatus de Formalitatibus peculiariter de hac re agit, ne eadem materia varijs locis diſſecetur, has difficultates hic ſubiungere decreui.

obiec. 1. Sueſ. cōtra diſt. form.

Primo ergo eſt difficultas contra diſtinctionem formalem. Sueſſanus 1. Metaphyſ. diſput. 1. quæſt. 3. argumentatur aduerſus diſtinctionem formalem, ſiue ex natura rei, primo, quod non ſit Peripatetica, quia Ariſtot. 5. Metaphyſ. cap. de eodem, 5. textu 15. enumerans modum, quò aliquid dicitur idem, vel diuerſum; non ponit hanc identitatem, vel diſtinctionem ex natura rei. Ait enim Ariſtot. ibi: Omnia quæ ſunt, eſſe eadem, aut non eadem; ſi eadem, aut per ſe, aut per accidens, ſi per accidens, vel quia eidem ambo accidunt, aut quia alterum alteri, ſi eadem per ſe ſunt, erunt vel ſpecie, vel numero, aut ſubſtantiæ ratione eadem erunt; ſi autem ſunt non eadem, hæc ſunt, vel quia plures ſpecies aut materiæ, aut ratio ſubſtantiæ non eadem, ſi verò differentia, aut genere, aut ſpecie, aut proportione, ex hac diuiſione Ariſtot. patet ait iſte, quod hæc identitas, ſiue diſtinctio formalis non datur.

Secundo, ens non prædicaretur in quid de paſſionibus,& vltimis differētijs, quod tamen eſt falſum: cum ſecundum Scotum vniuocè prædicetur de illis; Conſequentia probatur: quia ſi ens diſtinguitur formaliter à proprijs paſſionibus, & vltimis diffe-

differentijs, non includitur in quidditate, & eſsentia illorum, & conſequenter non prædicatur in quid, de illis.

3. Tertio ſequeretur, quod inter ens realiter, & nihil, daretur medium, ſcilicet ens formaliter, at hoc eſt falſum; quia tunc ſequeretur, quod daretur aliquis alius conceptus tertius, qui non eſſet ens realiter, nec ens formaliter, & tamen eſſet ens reale, quod eſt abſurdum. Probatur Conſequentia: quia conuenientia eſt relatio realis, & omnis relatio realis fundatur ſuper fundamentum reale, ergo iſta conuenientia habet fundamentum reale, iſtud erit ens, & ita erit tertius conceptus.

4. Quarto. Intellectus eſt certus de A. paſſione, quod ſit ens, & dubitat an ſit ens formaliter, vel ens realiter, igitur datur diuerſus conceptus entis, qui non eſt ens formaliter, neque ens realiter, & ita eſt tertius conceptus, quod eſt abſurdum.

argu. ex 2. cap. Ex alio capite arguitur. Non videntur iſtæ tres diſtinctiones, ſcilicet, diſtinctio rationis, diſtinctio formalis, ſiue ex natura rei, & diſtinctio realis, eſſe ſufficientes, ſed aliquas alias requiri; quod Primo oſtenditur ſic. Partes continui dum ſunt in continuo, diſtinguuntur ab inuicem: quoniam ſunt partes alicuius totius integralis, vt partes corporis homogenei, ſiue heterogenei, & tamen non diſtinguuntur ratione: quia præter operationem intellectus diuerſæ ſunt; Neque realiter: quia ſunt vna res realis, vt Mare Mediteraneum, & Oceanus eſt vna res, & hæc linea eſt vna res, non ergo ſunt duæ res, neque formaliter, quia habent eandem rationem formalem, ſiue conceptum formalem, ergo aliqua alia diſtinctione diſtinguuntur, quæ ab aliquibus appellatur diſtinctio formalis potentialis, & ab alijs diſtinctio potentialis tantum: quoniam illæ partes actu non diſtinguuntur, ſed potentia; Similiter materia, & forma vnitè diſtinguuntur, neque tamen diſtinguuntur realiter: quia faciunt vnum compoſitum, quod eſt vna res; Neque ratione tantum, vt patet; Neque etiam tantum formaliter: quia poſſunt ſeparari, & per ſe exiſtere, vt anima rationalis, & corpus, & communiter materia ſine forma exiſtere poteſt. Item poſitiuum, & priuatiuum, vt motus, & quies, diſtinguuntur, neque tamen videntur reduci ad aliquod genus illarum trium diſtinctionum. Item includens, & incluſum diſtinguuntur, neque videtur reduci ad aliquod genus iſtarum trium diſtinctionum, ergo videtur quod non ſint ſufficienter enumeratæ omnes diſtinctiones rerum.

Ex alio cap. oritur difficultas, ſcilicet, contra definitionem diſtinctionis realis: nam Paternitas, & Filiatio, diſtinguuntur realiter, neque tamen vnum poteſt eſſe ſine altero abſque contradictione intrinſecus proueniente: quia relatiua ſunt ſimul natura. Præterea, animal, & rationale, videntur diſtingui realiter, quia animal poteſt eſſe ſine homine: quia omne prius poteſt eſſe abſque poſteriori, vt ſubſtantia abſque accidente, & tamen dictũ eſt, quod diſtinguuntur ſolum formaliter. Præterea, ab alijs varia ſigna adducuntur, quæ videntur neceſsaria ad cognoſcendum diſtinctionem realem, vti ſunt actualis ſeparatio diſtinctorum, diſtinctio exiſtentiarum eorundem, diuerſa productio, & corruptio eorundem, ratio producentis, & producti in eiſdem, de quibus nos nullam fecimus mentionem, & tamen ſine illis non poteſt ritè cognoſci diſtinctio realis rerum. *ex tertio c. arguitur.*

Quarto loco, ex alio capite oritur etiã difficultas: quoniam identitas, & vnitas, ſimiliter pluralitas, & diuerſitas, idem videntur eſſe, at Ariſt. ſufficienter enumerauit modos vnitatis, & pluralitatis, in 5. Metaph. tex. 15. & alibi ſæpè in illis quattuor ſpeciebus, ſcilicet, vnum numero, vnum ſpecie, vnum genere, & vnum proportione; ergo iſtæ diſtinctiones ſunt ſuperfluæ. *4. Ex 4. ca.*

Prædictæ obiectiones ſoluuntur. Cap. XI.

Verum obiectiones iſtæ nullius ſunt momenti; ideo ad primam ex 1. c. reſpondetur, quod diſtinctio, & identitas formalis, clauditur in illo membro poſito ab Ariſtot. Eadem ſubſtantiæ ratione, *Ad 1.*

ne,& diuerſa ſubſtantiæ ratione, quia illa ſunt idem formaliter, vel diuerſa formaliter, quæ habent eandem, vel diuerſam definitionem;vt late diximus ſuprà; declarando, quid ſit diſtinctio, & identitas formalis.

Ad 2. Ad ſecundam reſpondetur vt diximus Theoremate de Vniuocatione entis, cap. 4.quod prædicari in quid, de aliquo, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, vt eſt idem, quod includi in eſsentia & quidditate alicuius, quod eſt idem, quod ineſse alicui in primo modo dicendi per ſe, & in hoc ſenſu nunc non loquimur, nec loquitur Scotus:quia cum ens vniuocè prędicetur de vltimis differentijs, & proprijs paſſionibus; & propter hoc etiã claudatur in eſsentia illorum directè, vt ſuperius Vniuocum in ſuis inferioribus Vniuocatis, etiam prædicatur in quid, hoc modo de illis,ideo accipiendo prædicari in quid, prout ſuperius directè includitur in inferioribus vniuocè,ſic ens prædicatur de omnibus in quid: ſed accipiendo prędicari in quid, prout eſt ſuperius prędicari vt aliquid determinabile, & vt communicabile ſuis inferioribus, & vt genus, vel ſpecies de illis; dicendum eſt ens non prædicari in quid: quia non prædicatur de ſuis proprijs paſſionibus, & vltimis differentijs vt aliquid commune, & determinabile, ſed vt aliquid determinatiuum, & qualificatiuum, vt dictum eſt late ibi, & dicetur in quarto Metaphyſices quæſtione 3. Dicit ergo Scotus,quod ens prædicatur de proprijs paſſionibus, non in quid,id eſt non primo modo, ſed in ſecundo modo dicendi per ſe; præcisè propter hoc: quia communiter contingit ſubiectum prædicari de ſuis paſſionibns in ſecundo modo; ens autem non prædicatur vt genus de illis, quomodo prædicantur illa, quæ de ſuis inferioribus directè prædicantur in primo modo, non autem dixit, quia non ſciret quod ens clauditur in illis directè,& eſsentialiter; Ex quo colligitur, quod licet differentiæ vltimę, & propriæ paſſiones entis, ſint idem realiter cum ente, tamen differunt formaliter ab ente in communi ſumpto, quia ens in communi, clauditur in alijs omnibus vt aliquid determinabile; in his

ens nõ p̃dicatur in q̃d de ſuis iferioribus.

verò vt determinatiuum, & qualificatiuum; & ideo varia prędicata, & oppoſita competunt ei, his duobus modis ſumpto.

Ad tertiam negatur conſequentia, Ad probationem reſpondetur, quod ens reale communiter dicitur illud, quod contradiſtinguitur ab ente rationis: hoc autem ens eſt multiplex: quia aliud eſt res, & aliud eſt realitas, vt animal eſt aliud ens reale, quàm ſenſibilitas, & tamen vtrumque eſt ens reale; Dico ergo ad argumentum, quod non eſt inconueniens dari ens commune reale, ad ens reale acceptum vt eſt res, & ad ens reale acceptum pro realitate: quę tamen communitas non eſt generica, nec ſpecifica, ſed tranſcendens, ſicut eſt ipſum ens. Vel ſi hoc olfacere non poſſunt Aduerſarij, dicas eſſe vnitatem per modum totius in partes integrales, & per hoc patet. Ad 3.

Ad quartum, neque enim eſt conceptus communis, vt genus, vt vel vt ſpecies,ſed tranſcendens, vel vt totum integrale reſpectu ſuarum partium; diximus enim Theoremate 97. quod ens deſcendit in decem Prædicamenta,non per differentias, ſed per modos intrinſecos: non ergo ens in communi, eſt ens aliud realiter diſtinctum ab entibus inferioribus; ſicut ergo aliquis intellectus poteſt eſſe certus,quod hæc linea eſt Quantitas, & tamen dubitare, an ſit bipedalis, vel pedalis, & tamen conceptus iſte non eſt diuerſus à conceptu illarum partium in ratione quantitatis; ita intellectus poteſt eſſe certus de aliquo ente, quod eſt ens reale, & eſse dubius, an ſit tot graduum, quod poſſit per ſe exiſtere; vel non poſſit per ſe exiſtere,quod ſit res, vel quod ſit realitas, neque tamen hic conceptus eſt diuerſus à conceptibus illorum entium, in quantum entia ſunt, ſed erit ſolum dubius de eorum differentijs, & entitate propria,ſicut ens in communi ad ens abſolutum, & reſpectiuum, non eſt diuerſum ab vtroque in quantum entia ſunt, ſed ſecundum ſuas rationes particulares. Ad 4.

Ad obiectiones ex ſecundo capite patet,quod iſtæ tres diſtinctiones ſunt ſufficientes: Obiectio.

ciētes: quia oḿnes aliæ diſtinctiones ad has tres reducuntur, vt dictum eſt capite nono; Ideo ad primum exemplum de partibus integralibus alicuius totius, dico, quod diſtinguuntur realiter, non actu, ſed quia vna pars poteſt eſse ſine altera, vt mare Oceanum, poteſt eſſe ſine Meditarraneo, etiam pars corporis Heterogenei, vt manus ſine alijs partibus, licet enim poſtea ſit imperfectum, nihil obſtat, & partes lineæ ſine alijs partibus lineæ, quæ ab alijs dicuntur diſtingui potentialiter, nulla enim eſt contradictio illas partes ſic ſeparari actu; Sunt ergo vna res totalis, & plures partiales; & hoc ſufficit, vt poſſint ſeparari; Idem dicendum de materia, & forma; inter poſitiuum verò, & priuatiuum, & inter priuatiuum, & priuatiuum, cadit diſtinctio realis, quæ dicitur diſtinctio realis priuatiua, vel negatiua; priuationes enim & negationes diſtinguuntur ſicut poſitiua, quibus opponuntur: & ideo qualis eſt diſtinctio inter poſitiua proportionaliter, eſt inter priuationes illis oppoſitas.

Obiectiones ex 3. Ad obiectiones ex 3. capite, quæ procedunt contra diſtinctionem realem. Reſpondetur. Ad Primum, quod proculdubio rectè eſt aſſignata definitio diſtinctionis, & identitatis realis; quod probatum eſt in cap. 7. declarando diſtinctionem, & identitatem realem ex Scoto, ad quas rationes Aduerſarij nihil dicunt, ideo ad argumentum dicendum, quod dum aſſignauimus definitionem diſtinctionis realis in 2. cap. adiunximus tertiam conditionem, ſcilicet dummodo non ſint in pluribus rebus diſtinctis: quam appoſuimus propter relationes oppoſitas, vt ibi diximus, quas eſse realiter diſtinctas eſt euidens, cum ſint in ſubiectis realiter diſtinctis; quod autem dicit Iauellus 10. Metaphyſ. quæſt. 7. *Iauellus* quod non poteſt ſeparari effectus à relatione dependentiæ ad cauſam efficientem vel ſubiectum à propria paſſione, propter dependentiam effectus ad cauſam, tamen diſtinguuntur realiter, ſupponit falſum: quia ex hoc ipſo quod ſeparari non poſsunt, etiam per potentiam Dei abſolutam, concluditur, quod ſunt eadem, propter rationes adductas à Scoto in probatione definitionis diſtinctionis realis, dicimus enim relationem creationis in creatura, eſse idem realiter cum creatura, vide in 2. Sent. diſtinc. 1. quæſt. 5.

Ad ſecundum. Ad ſecundum reſponſum eſt in 8. cap. vbi dictum eſt, quod animal, & homo diſtinguuntur formaliter inadæquatè: ſed ſunt idem realiter, & cum dicitur, quod animal poteſt eſse ſine homine, reſpondetur eſse falſum: quia ſuperiora actu ſunt in inferioribus, & ſine inferioribus eſse non poſsunt, ideo eſt impoſſibile ſeparare actu ſuperiora, ab inferioribus in re, ita, quod vnum exiſtat, & aliud non exiſtat.

Ad tertium. Ad tertium, fateor à varijs, varia ſigna aſſignari: nam ad diſtinctionem realem alij aſſignāt diuerſitatem exiſtentiarum; alij diuerſitatem generationum; ita quod quæ habent diuerſas exiſtentias, vel diuerſis generationibus generantur, diſtinguuntur realiter: alij alietatem cauſæ, & effectus, vel producentis, & producti, vel ſuppoſitorum, alij omnes iſtas ponunt, alij aliquas tantummodo ſufficere exiſtimant. *Fonſ. Met. l. 5. c. 5 qu. 5. & Suar. i Metaph. diſp. 6. ſec.* Ad diſtinctionem formalem aſſignant pręſertim hoc ſignum, quod alterum extremum eſt res, & aliud eſt modus, & alij aliquid aliud: ſed hæc omnia varias difficultates patiuntur, & ſunt obſcura, & proliva nimis: & in eo, in quo vera ſunt coincidunt cum opinione Scoti; Eſt ergo dicendum, quod verum, & germanum ſignum cognoſcendi, quando aliqua diſtinguuntur realiter, deſumitur ex definitione diſtinctionis realis, cum illis tribus conditionibus, ſcilicet, ex ſeparabilitate vnius ab altero, ſiue vtraque extrema per ſe ſeparata manere poſſint, ſiue vnum ſine altero, vt probatum eſt per rationes; Adiunctę autem ſunt illæ tres conditiones in definitione identitatis realis, dummodo impoſſibilitas non proueniat ab extrinſeco, & non ſint alterum producens, & productum, neque ſint in diuerſis diſtinctè productis, quæ ſolent explicari per illam conditionem, dummodo inter ea non ſit eſſentialis dependentia, quia quando inter aliqua plura eſt eſſentialis dependentia, vt eſt inter correlatiua, inter producens, & productum, &

quãdo ſunt in pluribus realiter diſtinctis, tunc eſt manifeſta eorum diſtinctio, licet ad actum non poſſit reduci eorum ſeparatio propter aliquod impedimentum, vt duæ relationes oppoſitæ non poſſunt ſeparari ab inuicem, ſed tamen eorum diſtinctio realis eſt manifeſta, quia ſunt in diſtinctis realiter; Item motus cæli eſt diſtinctus ab ipſo cælo,& producens,ac productum in eadem eſſentia,vt Diuinæ Perſonæ. At hic obijciunt hoc ſignum ſeparationis valere ad cognoſcendum res illas realiter diſtingui, quæ hucuſque ſeparatæ ſunt ab inuicem à natura, vel Deo,tamen non eſt ſignum adęquatum: quia adhuc multa ſunt, quę diſtinguuuntur realiter,ac ſeparari poſſunt, quę tamen Deus,neque natura hucuſque ſeparauit, vt materia, & forma cęli, ergo ſeparatio non eſt ſignum ſufficiens ad cognoſcendum diſtinctionem realem omnium: & ideo alia ſigna ſunt quęrenda. Reſpondetur, quod ea quę adhuc neque a natura ſeparata ſunt,neque a Deo, iudicanda ſunt eſſe eadem realiter niſi eorum inſeparabilitas actualis proueniat ex aliqua illarum trium conditionum;Exemplum; Motus cęli a principio mundi numquam a cęlo eſt ſeparatus, & tamen diſtinguitur realiter; ratio eſt: quia impeditur à cauſa externa, ſcilicet, ab Intelligentia.

Pręterea, ſatis eſt, quod cognoſcatur non eſſe contradictio intrinſeca,quod res ſeparetur, licet poſtea hęc ſeparatio actu numquam facta ſit, hoc nihil impedit; An verò ſit contradictio hoc ſeparari ab illo, cognoſcitur ex cognitione eſſentiæ rerum; Separabilitas ergo eſt verum ſignũ deſumptum ex definitione diſtinctionis realis; ſignum etiam clarum, & certum diſcernendi diſtinctionem formalem petendum eſt ex definitione eiuſdem: quæcumque enim habent diuerſam conceptibilitatem ex parte rei, ita, quod de eis poſſunt verificari prædicata contradictoria, illa diſtinguuntur formaliter quæcumque illa ſint.

Ad obiectiones ex 4.c. Ad obiectiones ex quarto capite. Pro intelligentia notandum eſt, quod identitas eſt paſſio diuerſa ab vnitate, vnde numeratur ab Ariſtotele in 4.Metaphyſices textu 4. tamquam diuerſa ab vno; & eſt de numero paſſionum diſiunctarum,ſiue oppoſitarum,quas ibi, & in ſequentibus in eo libro,ac decimum, & vndecimum, recenſet,& declarat, non eſt tamen diuerſa ab vnitate tamquam ſit diuerſæ ſpeciei, ſed eſt diuerſa tamquam ſpecies à genere,quoniam identitas, ſimilitudo,æqualitas, ſunt ſpecies vnitatis,& fundantur in vnitate, vt docet Scotus in Commentario illius libri textu 4.circa finem, & deſumitur ex eodem Ariſtotele in lib. 5. textu decimoquinto, circa medium, vbi habet hæc verba. Palam quia identitas, vnitas quædam plurium eſſendi: ex quo patet, quod identitas fundatur in vnitate ex tex. vigeſimo, eiuſdem libri habetur, quod identitas,æqualitas, & ſimilitudo, fundentur ſuper vno;Etiam elicitur ex Scoto,in 1.diſt.2.quæſt.4. G. G.vbi Scotus enumerans ſpecies vnitatis, ex parte rei,quinto loco ponit vnitatem ſimplicitatis, quam appellat veram identitatem;& ſexto loco enumerat vnitatem formalem ſiue identitatem formalem: inquit enim eſſe multos gradus vnitatis; In primo gradu eſt vnitas aggregationis, quæ eſt minima vnitas; in ſecundo gradu eſt vnitas ordinis, quæ addit aliquid ſuprà vnitatem aggregationis; in tertio eſt vnitas per accidens, in qua vltrà ordinẽ, eſt informatio licet accidentalis vnius ab altero,eorum,quæ ſic ſunt vnum; in quarto eſt vnitas per ſe compoſiti, ex principijs eſſentialibus ex per ſe actu, & ex per ſe potentia; in quinto eſt vnitas ſimplicitatis,quæ eſt verè identitas; quidquid enim eſt ibi realiter, eſt idem cuilibet, & non tantum eſt vnum illi vnitate vnionis, ſicut in alijs modis; ità adhuc vltra omnes hos modos eſt identitas formalis; Ex his omnibus habemus neceſſitatem ponendi diſtinctiones iſtas tres, ſcilicet, rationis,realem,& formalem: quia in qualibet vnitate reperitur quandoque aliqua iſtarum diſtinctionum; & de diſtinctione quidem rationis, patet: nam in vnitate numerali,quæ eſt maxima, ſtat diſtinctio rationis:quia Socrates ipſe poteſt eſſe diſtinctus à ſeipſo conſiderato quandoque vt ſubiectum, quandoque vt prædicatum propoſitionis alicuius,& alijs innume-

numeris modis, vt diximus in declaratione diſtinctionis rationis: per intellectum enim ſæpè diſtinguimus ea, quæ nullo modo ex parte rei diſtincta ſunt. Diſtinctio autem realis, eſt in vno numero clarè: nam Socrates eſt vnus numero, quia ex Ariſtotele in eodem 5. libro, textu 15. Vnum numero eſt, cuius materia eſt vna, Socratis autem completè exiſtentis, eſt materia vna, ſcilicet, illa tota, qua eſt: attamen in Socrate multa ſunt, quæ realiter diſtinguuntur, & diuerſa ſunt realiter, vt forma, & materia, ſubſtantia, & accidens, & alia huiuſmodi.

Adeſt etiam diſtinctio formalis, vt inter intellectiuam, & ſenſitiuam animam, inter ſenſus externos, & internos, inter colorem, & diſgregatiuum in albedine, & huiuſmodi; multo magis in vnitate ſpecifica, etiam generica eſt diuerſitas realis: quia primo adeſt pluralitas numeralis indiuiduorum, quæ eſt maxima diſtinctio realis; Deinde eſt diſtinctio aliarum rerum, quæ quoque eſt in indiuiduis, vt ſubſtantiæ, & accidentis: nam Subſtantia in homine, & Quantitas eius realiter diſtinguuntur; ſicut in Socrate; erat ergo neceſſarium præter vnitates diſtinctè aſſignare identitates, & diuerſitates, ſiue diſtinctiones. Hæc eadem doctrina ſumitur ex Ariſtotele 10. Metaphyſic. textu 9. & 10. Sed aliquis obijciet; Diſtinctio realis videtur eſſe idem quod diſtinctio numeralis, & diſtinctio formalis idē quòd diſtinctio ſpecifica, ergo non ſunt multiplicādæ iſtæ identitates, & diſtinctiones.

Obiectio.

Reſpondetur, quod lata eſt differentia inter diſtinctionem numeralem, & diſtinctionem realem: quia diſtinctio, ſiue pluralitas numeralis, eſt inter indiuidua, vel ſingularia eiuſdem ſpeciei, vel diuerſarum, quæ ſunt entia completa, vt inter Socratem, & Petrum; vel hanc albedinem, & illam, quæ ſubiecto differunt, & vnum actu eſt ſeparatum ab altero: at diſtinctio realis in plus ſe habet, quia non ſolum eſt inter illa, quæ actu ſeparata ſunt, ſed inter illa, quæ actu coniuncta ſunt in vno ſubiecto, ſed ſeparari poſſunt, vt inter ſubſtantiam, & accidens, & materiam, & formam, & alia huiuſmodi, Diſtinctio etiam ſpecifica propriè eſt inter ſpecies diuerſas completas: ſed diſtinctio formalis eſt inter ſpecies, & genera, vt inter animal, & hominem, & inter formalitates rerum eiuſdem ſpeciei & denique inter illa, de quibus verificari poſſunt duo contradictoria, quæ non videntur eſſe propriè diuerſæ ſpeciei, vt ſunt res, & modus eius: ens, & exiſtentia: accidens, & modus eius eſſendi qui eſt eſſe in alio; & alia huiuſmodi, &c. Hæc de diſtinctionibus, & identitatibus.

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz,

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff, Et Tabula per ſe patet.

Cenſuram Subtilis & doctiſſimi Operis huius, adhibuit correctoriam, Illuſtriſſimorum Rei literariæ Triumuirum conceſſione, & admodum Reuerendi Auctoris Theologi aſſenſu, Doct. Huppertus Faber, Vbius, Agrippinas, Germanus, I. C. minimus, Anno partus Virginis Deiparæ 1622. Finemq. impoſuit ipſis Idibus Quinctilis, Venetijs.

VENETIIS, MDCXXII

Apud Franciſcum & Felicem Bertonos, fratres germanos.